C. d. 63.
C d: 63.
X d. 15

T. a. 17.

ZACHARIAE PASQVALIGI

CLERICI REGVLARIS.

PARS SECVNDA.

DISPVTATIONVM METAPHYSICARVM.

Ad Eminentissimum, & Reuerendiss. Principem

CARDINALEM SACCHETTVM.

EMINENTISS.^MO ET REVER.^MO

PRINCIPI IVLIO SACCHETTO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

ZACHARIAS PASQVALIGVS
CLERICVS REGVLARIS

Perennem Felicitatem.

DEBENTVR omnium plausus, omnium vota præstantibus ijs animis, qui virtutum omnium nitore insignes potior Reipublicæ pars cunctorum calculis censentur. Hoc enim naturæ decretis sancitum, vt quisque superexcedentem alterius excellentiam venerabundus agnoscat, seseque ijs submittat, qui veluti heroes inter cœteros eminent. Hoc mihi nunquam quietem indulsit, sed animum meum acriori quodam stimulo semper exagitauit, vt quam in te excellentiam, EMINENTISSIME PRINCEPS, dudum conceperam, cultu aliquo profiterer; sed quem potissimum adhiberem, vix poteram deliberare. Illæ enim virtutum omnium ideæ, quas in te elegantissimè exprimis, vt te à communi ordine eximunt, ita tibi non consuetam venerationem deberi testantur. Publica officia in communem vtilitatem sanctissimè administrata, vitæ integritas, morum suauitas pietati iuncta VRBANI OCTAVI Pontificis in

omnibus Optimi, in omnibus Maximi beneuolentiam tibi conciliauerunt; illius inquam Pontificis, à quo amari, laudari est; qui iustisſima lance ſingulos expendens, optimos quosque velut apis ſelectisſimos flores ſeligit, vt ipſorum ope ſapientisſima, atque ſuauisſima diſpoſitione christiana Respublica administretur. Atque ita tua illa perſpicacisſima prudentia, viuidumque in negotijs ingenium ita claruit, vt ab eodem ſelectus ſis, qui Nuncius ad Reges ablegareris. Conſenſit exitus expectationi. Peritia namque in grauisſimis quibusq. tractationibus ita Sanctisſimi Pontificis meditatis conſilijs reſpondit, vt planè animum ipſius impleret, nouaque beneuolentia fœcundaret, quæ tandem tibi in purpuram floreret. Ita demum velut Sol in apice eminere cœpisti, clarioresque radios diſpenſare, quos statim ſibi impartiri Ferrarienſis populus ſenſit; incrementis gauiſus est, albo calculo candidos dies ſignans; nec vmquam talem Solem ſibi occumbere paſſus eſſet, niſi Romanum ſolum fuiſſet illustrandum. Nullus igitur cultus mihi occurrebat, qui votis meis, & tuæ isti eminentisſimæ claritati impar non eſſet, niſi meminiſſem, Plutarcum libros ſapientiſſimè appellare oculos, & pupillas, atque inde didiciſſem, quòd, ſicut, Platonis quoque teſtimonio, in nulla melius parte corporis videmus alterius animum, quàm in oculis, ita in libris etiam velut in ſpeculo pingitur ſcriptoris animus. igitur, vt quam maximum poſſum, cultum exhibeam, librum profero, in quo expreſſum animum, me ipſum deuoueo. Excipies in teſtimonium reuerentiæ, ſi è candidisſimo affectu prouenientem conſideraueris; auctoritate tutaberis, ſi vt tuum benignè admiſeris; tua illum etiam gloria imperties, ſi, quòd tuo nomine inſignitum ſit, adprobaueris. Ita & mihi ſatisfeciſſe gaudebo, quòd erga eum reuerentiam profeſſus ſim, cui mea hæc Congregatio pluribus titulis debet eius amore, & beneficijs aucta: & his lucubrationibus gratulabor, quòd ſub tui Nominis auſpicijs ſint perennaturæ.

In Moral. 9 de Rep.

Vale EMINENTISS.

PRINCEPS

Æternitati ſacer, tibique in totius Orbis beneficium nato Cœlum vndique felicitatem depluat.

+

LECTORI.

QVA mente Disputationes istas Metaphysicas concinnauerim humanissime Lector, è priori volumine didicisti. Nunc alterum do, & quod promiseram impleo, eodem quidem animo, sed libentiori, quòd priores labores serena fronte exceperis, candido ore laudaueris. Eodem stylo, eadem methodo, quantum fas est, & perspicuitati consulo, & veritatem prosequor. Nulli autem sententiæ ita addicor, à qua non sim recessurus, si melius lumen illuceat, promptus ab vnoquoque edoceri, eiusque vestigia premere, si penes ipsum veritas steterit. Stultus essem, & indignus, cui veritas affulgeret, si dum eam insequor præmonstrantem non audirem. Nullius doctrinam reijcio, quia ipsius: sed quia expensam philosophico calculo respondere non reperio. Pro testimonio stabit, quòd non semper eosdem vrgeo, sed etiam sequor. Nemo tamen mihi illa Cynosura, à qua in immenso hoc Philosophiæ pelago non liceat oculos deflectere. Paritur enim scientia, ideo non è cæterorum Philosophorum libris veluti è picta tabula transumenda; sed in intellectu principijs illis fæcundo, in quibus tota rerum notitia latitat, efformanda. Si quis hallucinationem contendit; melioribus rationum momentis occurrat, & gratias habebo, quòd caliginem dispellat, nouum lumen dispenset. Quid enim mihi magis in votis, quàm intellectum ad veram rerum ideam componere? Omnium, quorum potui, lucubrationes percurri, & continuò, prout argumentum fert, etiam laudo. Si quis se prætermissum viderit, ne id contemptui adscribat: omnes, quotquot sunt, quanti par est, pendo; sed quia eorum libros, etiam conquisitos, ad manus non habui, nec id potui ostendere, nec meum implere desiderium. Alias lucubrationes editurus sum, & tunc honorem, quem ipsis debeo, pendam, ac interim omni studio exemplaria, quæcunque nouero, quæritabo. Hos igitur posteriores labores consueta benignitate excipe, atque Vale.

D. STEPHANVS MEDICES
CONGREG. CLERICORVM REGVL. PRÆPOSITVS GENERALIS.

Opus Disputationum Metaphysicarum De Passionibus Obiecti Primæ Philosophię à P. D. Zacharia Pasqualigo nostrę Religionis Theologo compositum, & à duobus Patribus Theologis ex nostris, quibus id commisimus, recognitum, & approbatum, quantum ex nobis est, typis mandari concedimus. In quorum fidem pręsentes litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas damus. Romę die 7. Augusti 1632.

D. Steph. Medices Præp. Gen. Cong. Cler. Reg.

D. Theodosius Nigrisolius Secret.

Imprimatur., si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

A. Torniellus Vicesgerens.

Ex commissione Reuerendissimi P. Nicolai Riccardij sacri Palatij Apostolici Magistri, legi hunc librum, cui inscriptio est. Pars secunda De Passionibus Obiecti Primę Philosophiæ, Auctore R. admodum P.D. Zacharia Pasqualigo Clerico Regulari, ac Sacrę Theologię Professore, & Moderatore; cumque nihil in eo offenderim, quod sanę doctrinę, & probis moribus dissonet, imo plurima inuenerim, quę Auctoris claritatem, & facilitatem in docendo ostendant, ideo dignum esse, qui in lucem prodeat, iudicaui. Datum Romę in Monasterio Sanctæ Crucis in Hierusalem die 4. Septembris 1633.

D. Io. Franciscus Castillioneus Abbas Cisterciensis, olim Lector Sacræ Theologiæ in prædicto Monasterio.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Apost. Palatij Mag. Ord. Præd.

INDEX
DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM.

De Pasionibus entis in communi.

De prima entis Pasione nempe Vnitate.

De Vnitate essentiali.

De

De Vniuocatione.

De Vnitate Analogiæ.

De Indiuiduatione.

De Secunda Passione entis nempe Veritate.

De Falsitate.

De tertia entis pasſione, nempe Bonitate.

De Malitia oppoſita bonitati.

INDEX
LOGICVS.

DE VNIVERSALI, & Prædicabilibus.

De Indiuiduo.

De Prædicamentis.

De Vniuocatione.

De Vnitate Analogiæ.

De Oppoſitis.

De Priori, & Poſteriori.

De Prædicatione, & Enunciatione.

De Diuiſione, & Demonſtratione.

De Ente rationis.

I N D E X

P H Y S I C V S.

De materia.

De Forma.

De composito

De efficiente.

De Idea

De causa finali.

De subiecto accidentium.

De Continuo.

De intensione.

De Generatione, & Corruptione.

De Mundo.

De Anima.

De Sensibus, & Obiectis.

De Intellectu, eius Cognitione, & Obiecto.

De Scientia.

De Voluntate.

De Arte.

IN-

I N D E X
THEOLOGICVS.

De Deo vno.

De diuinis Attributis.

De Ideis diuinis.

De Deo Trino.

De Deo Incarnato.

De Eucharistia.

De Angelis.

De

De ordine creaturæ rationalis ad finem, & eiusdem actibus humanis.

De Bono, & Malo morali.

De Vltimo fine, & beatitudine.

ZACHARIAE PASQVALIGI VERONENSIS CLERICI REGVLARIS.

DISPVTATIONES METAPHYSICAE DE PASSIONIBVS OBIECTI PRIMAE PHILOSOPHIAE.

PROSEQVIMVR institutas disputationes metaphysicas, ac veluti è fonte ad riuulos deuenimus, nempe ab obiecto ad passiones, quæ ipsum consequuntur. Cõsiderauimus enim in superiori tomo naturam obiecti primæ Philosophiæ, nunc speculatio de passionibus, quæ obiectum consequuntur exordiẽda est; nihil enim extra obiectum reperitur, quod per se ad aliquam scientiam pertineat, præter passiones ipsius, vt pote quia solæ per se cum ipso connectuntur. Quòd si de aliquo alio tractatur, id non fit ob declarandam naturam talis scientiæ, seu potius obiecti scientifici, sed vt potius quædam plena cognitio habeatur etiam de ijs omnibus, quæ quomodocunq; ad obiectum spectant. Verùm vt institutam tractationem metaphysicam sequamur, Entis passiones nobis considerandæ sunt; Incipiemus autem à passionibus entis transcendentis, cum enim ipsum, vt diximus in superiori tomo, sit fundamentum obiecti metaphysici, & tanquam aliquid transcendens in omnibus imbibatur, passiones quoq; ipsius erunt transcendentes, & fundamentum cæterarum passionum, & proinde ordinem procedendi ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia tanquam faciliorem sequentes, has primo loco tanquam cæteris vniuersaliores speculabimur: eas autem prius in communi, deindè in particulari considerabimus.

DE PASSIONIBVS ENTIS IN COMMVNI.

An Ens habeat aliquas passiones. Disp. I.

Quædam adnotanda, & aliorum sententia SECTIO I.

I. QVòd conceptus Entis sit omnino simplex, neq; vllo pacto in plures resolubilis; difficultatem facit, quomodo habere possit aliquas passiones; si enim haberet aliquas passiones, resolui posset saltem in conceptum proprium, atq; passionum, nec ipsius conceptus esset omnino simplex. Vt igitur videamus, an ens habeat aliquas passiones, prius inspiciendum est, quasnam conditiones requirant huiusmodi passiones: ijs enim inspectis, faci-

lius erit inquirere, an ex parte entis aliquid reperiatur, quod participet illas conditiones, atq; adeò rationem passionis. Quatuor autem conditiones communiter assignant tanquam necessarias pro constituendis passionibus, quarum prima est, quòd sint aliquid reale; cum enim radicentur in ente reali, atq; ab ipso suo modo promanent, tanquam quid necessariò connexum, & suo modo ipsum complens, debent necessariò esse quid reale; quomodo enim quod per intellectum fingitur, potest esse proprietas entis realis, cum neque in ipso virtualiter contineri possit, & cõsequenter nec ab eodem promanare, neq; ipsũ aliquo modo complere? Altera autem conditio est, vt cum subiecto conuertatur seu adæquetur: cum enim, & soli conueniat, & consequatur ab intrinsecis principijs ipsius, necesse est, vt ratione proprij constitutiui illi conueniat, ita vt proprium constitutiuum sit fundamentum talis passionis: quo stante, sequitur, vt debeat cum subiecto conuerti, atq; adæquari; cum enim conueniat ratione proprij constitutiui, debet reperiri vbicunq; tale constitutiuum reperitur; & vbi constitutiuum non reperitur, nec etiam passio reperiri potest. Tertia verò conditio est, vt non includantur in intrinseca ratione subiecti, cũ enim suo modo emanet à subiecto, atq; ab eius intrinsecis principijs consequatur, necesse est, vt sit extra intrinsecam rationem subiecti, quomodo enim ab ipso consequeretur, nisi esset extra intrinsecam rationem ipsius? ex vi enim ipsius consecutionis formaliter intelligitur fieri extra intrinsecam rationem subiecti. Atq; hinc sequitur quarta cõditio, quam passiones necessariò requirunt, vt nimirum aliquo modo distinguantur à subiecto, cum enim debeant esse extra intrinsecam rationem ipsius, atq; suo modo ab eodem emanare, necessariò debet obtinere aliquam distinctionem à subiecto, ordo enim emanationis non potest intelligi absq; distinctione illius, quod emanat, ab eo, à quo emanat. Huiusmodi autem distinctio debet esse, aut physica, aut metaphysica pro qualitate passionis: si enim passio physica sit, distinctio quoq; debet esse talis, ita vt passio secundùm esse physicum distinguatur à subiecto: si autem passio sit metaphysica, sufficiet quoq; distinctio metaphysica, qua metaphysico modo à subiecto distinguatur. Ad hanc autem distinctionem metaphysicam necessarium est, vt extrema distinctionis, sint aliquæ formalitates, quæ ita ad inuicem comparentur, vt secundum proprium esse formale, ex natura sua se mutuo excludant, hoc est vt esse formale vnius, quantũ est de se, habeat, quòd ab intrinseco suo sit tale, vt non includatur in esse formali alterius extremi, quando facta est distinctio ab intellectu.

Margin notes: Cõditiones passionum. — Passio debet suo modo emanare à subiecto. — Debet cũ ipso conuerti. — Non debet includi in eius intrinseca ratiõe. — Debet aliquo modo ab ipso distingui. — Quid requiratur ad distinctionem metaphysicam.

II. Quod autem spectat ad hãc distinctionem saltem metaphysicam, quã necessariò requirunt passiones, certum est, non præcedere formaliter operationem intellectus, sed debere ab ipso formari cum fundamẽto tamen intrinseco in ipso obiecto, circa quod talis distinctio formatur. Non hinc tamen sequitur, quòd passiones huiusmodi, quæ metaphysico modo à subiecto distinguuntur, habeant esse fictum ab intellectu: aliud enim est habere esse per intellectum, & aliud habere esse distinctũ per intellectum; habere enim esse per intellectum, dicit in se nihil esse, sed cõcipi ab intellectu tanquam habens esse, quod nihil aliud est, quàm habere esse fictum. At habere esse distinctum per intellectum, dicit esse quidem aliquid reale in se, sed reperiri à parte rei in aliqua entitate immersum, & simul cum aliquo alio identificatum, atq; beneficio intellectus secerni, atq; ab illo, cũ quo identificatur, distingui, ita vt tunc intellectus concipiat quidem aliquid reale, non integrum, sed partem entis realis, seu ens reale inadæquatè; quare, quòd concipitur, est reale, distinctio verò, cũ qua concipitur, est rationis, vt potè quia ponitur ab intellectu, vbi à parte rei nõ reperitur. Ex quo sequitur, quòd non valeat argumentari. Habet esse distinctum per intellectũ, ergo est quid fictum per intellectum, sed solùm sequitur, quod distinctio sit ficta per intellectum. Quare licet aliqua passio solùm per intellectum à subiecto distinguatur, non inde sequitur, quòd non sit passio realis, sed adhuc retinet propriam realitatem metaphysicam, quamuis nõ realem distinctionem.

Margin note: Aliud habere esse per intellectũ, & aliud esse distinctum per intellectum.

III. Ex his porrò passionibus metaphysicis, quæ solùm per intellectum à subiecto distinguuntur, aliquæ magis propriè dicuntur attributa, quàm pas-

ſiones; cum enim quatuor illæ conditiones ſupra enumeratæ requirantur ad paſsionem proprie dictam; ſi aliqua illarum deficiat, aut non ita propriè ſaluetur, neq. etiam propriè ſaluabitur ratio paſsionis; ſed dicetur attributum, quia erit quędam obiectiua ratio, quæ de aliquo ſuo modo demonſtrari poſſit, quemadmodum ſunt immortalitas, ſapientia, atq. alia huiuſmodi, quæ Deo conueniunt. Dicuntur autem attributa, quia ſunt quædam rationes, quæ ſubiecto attribuuntur; & quamuis non ſint propriè paſsiones, illas tamen imitantur, quia à nobis concipiuntur, vt quid conſequens eſſentiam, & ideo tali rei conueniunt, quia habet talem eſſentiam, & ſeruant adhuc aliquem ordinem prioris, & poſterioris ex vi illius conſecutionis, qua concipiuntur conſequi eſſentiam. Ex quo ſequitur, quòd quamuis non ſeruent rigoroſam rationem paſsionis, eſſentia nihilominus ſeruet reſpectu ipſarum aliquam rationem cauſæ nempe virtualis, quia adhuc concipimus eas radicari in ipſa eſſentia, atq. ſuo modo ab ipſa fluere. Atque huiuſmodi cōſecutio ſufficit ad ſcientiam, quia ex vi ipſius demonſtrari poſſunt huiuſmodi attributa de ſubiecto, tanquam ipſi neceſſariò conuenientia. Vt enim ſcientia generetur, ſufficit, quòd intellectus ex vi alicuius cauſę, à qua, tanquam à priori conſequatur aliquis effectus, cogatur aſſentiri alicui propoſitioni: hoc autem totum exhibet eſſentia reſpectu ſuorum attributorum, quæ cum ſit cauſa virtualis neceſſaria eorūdem, ſecundùm ſeipſam cognita tanquā aliquid prius ducit intellectum ad cognitionem, illius, quod virtuali modo ab ipſa conſequitur, & cogit ipſum aſſentiri, quòd huiuſmodi attributa conueniant ſubiecto; atq; hoc pacto talia attributa demonſtrari poſſunt de ſuo ſubiecto.

Quid attributum & cur ſic dicatur.

Attributum eſt demonſtrabile de ſubiecto.

IV. His igitur circa naturam paſſionis adnotatis, faciliùs inquiremus, an ens habeat aliquas paſsiones, ſiue attributa. In qua difficultate prima ſententia eſt Scoti in 1. diſt. 3. quæſt. 3. & diſt. 8. quæſt 2. & in 2. diſt. 16. q. vnica §. *ſed quia*, quem ſequuntur Scotiſtæ in iiſdem locis, & Meuriſſe lib. 2. Metaph. cap. 2. q. 1. Aſſerunt autem Ens habere reales proprietates, quæ rigoroſè ſeruent rationem proprietatis, nam ſeruant illas quatuor conditiones ſupra numeratas; conſequuntur enim ſuo modo ab ente, atq. cum ipſo conuertuntur; neq. includuntur in ratione intrinſeca ipſius, imo neq. intrinſecè includunt ipſum ens; docent enim, ens non dici de ipſis quidditatiuè; atq. inſuper ex natura rei ab ipſo diſtinguūtur. Fundant autem hanc ſentētiam in eo, quòd ens eſt obiectum Metaphyſicæ, atque Metaphyſica eſt vera ſcientia, atq. rigoroſè dicta, vnde oportet, quòd obiectū ipſius rigoroſè ſeruet omnes conditiones obiecti ſciētifici, inter quas ex præcipuis eſt, quòd habeat veras paſsiones & propriè dictas, quæ de ipſo demonſtrari poſsint, ens ergo, cum ſit obiectum Metaphyſicæ, debet habere veras paſsiones. Inſuper etiam ex natura rei hæ paſsiones ab ipſo diſtinguuntur, & ſunt reales, quia vnum, verum, & bonum ſunt extrà naturam entis, atq. ipſi à parte rei conueniunt. Hoc autem fundamentum in noſtra ſententia non procedit, cum in priori tomo docuerimus, Ens, quod eſt obiectum Metaphyſicæ, non eſſe ens tranſcendens vniuerſaliſsimè ſumptum, ſed ens completum, quod cō ſtat ſuis intrinſecis principijs, & ideò cum probatur, ens habere paſsiones veras ex eo, quòd eſt obiectum Metaphyſicæ, aſſumitur falſum. Ad hanc quoq. ſentētiam reduci poteſt quædam alia ſententia quorumdam Thomiſtarū, qui docent, Ens habere veras proprietates reales ex natura rei à ſeipſo diſtinctas, non quidem ſimpliciter, ſed ex natura rei formaliter, ita vt formalitas paſsionum non ſit formalitas entis; neque enim Scotus aliam diſtinctionem ponit inter ens & eius paſsiones, quam iſtam formalem ex natura rei, quia tanquam formalitates diſtinguantur, non verò maiorem. Solum diſcrepant à Scoto hi Thomiſtæ; quòd volunt has paſsiones eſſe intrinſecè ens, & proinde ens in ipſis includi tanquam prædicatum eſſentiale.

Prima opinio. Ens habere veras paſsiones &c. Scot.

Meuriſſe

Quorumdā Thomiſtarū opinio cum re... ...ata coincidens.

V. Altera verò ſententia docet, Ens non habere paſsiones reales poſitiuas, ſed ſolùm quædam attributa, quæ vel per negationem ſolam, vel per relationem ad extrinſeca explicentur: quatenus ſcilicet aliqua prędicata enti tribuimus, quę de ipſo demonſtrari poſſunt, & quæ ad conceptum ipſius proprium cōſequuntur, quę quidem nihil ei reale ſu-

Secunda opinio. Ens non habere paſsiones reales poſitiuas.

peraddunt, sed solùm aliquid negatiuū, vel ad summum aliquem ordinem ad extrinseca. Hęc autem sententia desumitur ex D. Th. quęst. 1. de Verit. art. 1., & quęst. 21. art. 1. Soacin. 4. Metaph. q. 1. in responsione ad secundum, & quęst. 17. & 19. in respon. ad 7. & lib. 5. quęst. 14. Iauel. 4. Metaph. quęst. 2. Soto in Prędicam. cap. de proprio quęst. 2. ad 2. Caiet. 1. par. quęst. 54. art 2. Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quęst. 5. sect. 2. Suarez in Metaph. disp 3. sect. 1. Hurtad. item in Metaph. disp. 3. sect. 1. Auersa in sua Philosophia quęst. 4. sect. 1. 2. & 3. Atque hęc opinio est ferè communis prędertim apud Recentiores.

D. Th. Soacin. Iauel. Soto. Caiet. Fonseca Suarez Hurtad. Auersa.

Resoluitur quaestio.

SECTIO II.

I. VT autem, quid nobis dicendum videatur, proferamus, hoc tanquam certum pręmittendum est. Non posse puram negationem assignari siue pro passione, siue pro attributo alicuius entis realis. Atque huius rei ratio mihi euidens videtur, quoniam passio, siue attributum debet ex intrinseca sua ratione importare aliquam perfectionē rei, cui tribuitur: debet enim importare aliquid, quod illi insit, tanquam quid consequens eius essentiam, & proinde aliquam perfectionem, quam virtualiter in sua essentia contineat; illa enim virtualis continentia non potest esse, nisi respectu alicuius perfectionis, siquidem ea continentur virtualiter in aliquo, quod se habeat vt subiectum susceptiuum illius, quę ordinata sunt ad ipsum perficiendum. Deinde dubium non est, quin passio propriè dicta debeat esse aliqua realis, & positiua perfectio siue physica sit, siue metaphysica, quandoquidem, vel est aliqua entitas, vel aliqua metaphysica formalitas, qua cōpletur res in suo esse. Quælibet autē passio impropriè dicta, siue attributum debet seruare proportionem ad passionem propriè dictam. Sicuti ergo passio propriè dicta dicit talem perfectionem, nempe physicam, si physica sit, aut metaphysicam importantem propriam formalitatem obiectiuam, si metaphysica sit, ita quęlibet passio, siue attributum debet importare suam propriam perfectionem, si quidem ex eo, quòd talis passio dicit talem perfectionem, passio vt sic debet dicere perfectionem vt sic. Quod præsertim locum habet in attributis, quæ rebus tribuuntur, vt per ipsa earūdem perfectio explicetur, quēadmodum videmus contingere in Deo, in quo per attributa ipsius perfectiones explicamus: vnde de ipsis quoque prædicantur, quod non potest contingere in negationibus, quæ nō possunt prædicari de aliquo tanquam cum ipso idētificatæ. Et quamuis aliquando contingat, quòd aliquod attributum per negationem explicetur, non hinc tamen sequitur, quòd in aliqua negatione consistat, sed per illam negationem explicatur positiua perfectio, in qua ipsa fundatur, & ratione cuius conuenit subiecto, quemadmodum cōtingit, quando Deus dicitur incorporeus, per hanc enim negationē corporeitatis explicatur quædam positiua perfectio Dei, per quam habet, quod ei conueniat talis negatio corporeitatis.

Pura negatio nō potest assignari pro passione siue attributo.

II. Hinc dicendum est primò. Ens non posse habere proprietates ex natura rei à seipso distinctas, seu ante operationem intellectus; imo nec quę adęquatè ab ipso pręscindant. Hoc autem facile suadetur, si recolamus ea, quę diximus in superiori tomo de pręcisione entis ab inferioribus, ostendimus enim ibi disp. 35. sect. 5. inferiora non pręcindere ab ente, atq; disp. 38. sect. 2. ens esse de essentia omnium inferiorum: vnde nunc sic argumentari possumus. Si istę proprietates ante opus intellectus essent distinctę à ratione entis, deberent habere suam realitatem ab ipso contra distinctam; hoc autem est omnino impossibile, quia statim ac ipsis concedimus positiuam realitatem, simul etiam ipsis concedimus rationem entis: ratio enim entis est ratio formalis, per quam vnumquodq. in esse reali formaliter cōstituitur; ratio enim entis sicuti est prima ratio contra distinguens à nihilo, ita etiam est prima ratio constituens in esse reali; vnde sicuti omnia entia realia in eo conueniunt, quòd realia sint, ita etiam conueniunt in eo, quòd sint entia; atq. sicuti hęc est prima ratio conueniētię, ita etiam est prima ratio conuenientiæ, quod realia sint, atq. adeo vna, & eadem ratio conuenientię: & propterea esse reale habetur per esse ens, nec potest aliquid esse reale, nisi etiam sit ens.

Prima cōclusio dari non posse passiones ex natura rei distinctas.

Ratio entis, atque ratio realitatis eadem.

Qua-

Quamobrem si passiones entis reales sunt, oportet etiam, vt sint entia, & consequenter non possint ab ipso præscindere, atq. ex natura rei distingui. Quod etiam confirmari potest ex transcendentia ipsius entis; cum enim sit principiũ formale totius realitatis, est essentialiter quid transcendens, quod per omnia realia transcendit: & proinde in omnibus essentialiter imbibitur; quomodo enim subsisterent in sua realitate, nisi includerent rationem formalem realitatis? aut quomodo ens transcenderet tanquam ratio formalis realitatis, nisi in omnibus, quę realia sunt, reperiretur? Non ergo dari potest aliqua passio entis, in qua ens ex vi suæmet transcendentiæ non imbibatur, & cõsequenter, quę ab ipso ex natura rei contradistinguatur, quomodo enim imbiberet ens, si ab ipso contra distingueretur? quòd autem ens tanquam ratio formalis realitatis transcendat etiam per passiones suas nõ solum colligitur ex natura transcendentiæ ipsius, sed etiam quia in passionibus considerari potest duplex ratio, altera realitatis, altera vero determinata per quam importatur talis passio: & sicuti secundùm hanc omnes passiones entis inter se differunt, ità secundùm priorem omnes conueniunt. Cum ergo omnes passiones entis conueniant secundùm rationem realitatis, atq. hęc ratio sit eadem, quæ reperitur in ipso ente, atque sit transcendens, atq. nulla alia dari possit, quæ reperiri possit cõmunis in omnibus passionibus, quàm ratio entis, oportet concludere, quòd sit ipsa ratio entis, quę in ipsis imbibatur, atq. adeo quòd non præscindant ab ente; præsertim quia secundùm hanc rationem realitatis non possunt dicere propriam, & præcisam rationem passionis, siquidem hæc ratio reperitur in ipso ente præcisis passionibus, & proinde non potest esse aliqua ratio passionis, tum etiam quia realitas non potest consequi in ratione realitatis tanquam passio ipsam realitatem, & cõsequenter, dum passiones includunt realitatem, necesse est, vt includant ipsum ens, atq. adeo non distinguantur ab ipso ex natura rei.

Ens transcendit tanquam ratio formalis realitatis.

In qua cõueniant omnes passiones entis.

Secunda ratio.

III. Secundò argumentor. Passiones, quæ enti tribui solent, non sunt extra adęquatam rationem entis; si enim cõcipiatur sola adęquata formalitas entis vt sic communissimè sumpti, habetur quicquid est necessarium ad constituendas passiones ipsius pręcisa quacunq. alia formalitate, ita vt posita sola formalitate entis adęquata, implicet nõ intelligi in ipsa passiones ipsius; ergo impossibile est, quòd eius habeat passiones ex natura rei à seipso distinctas. Hęc consequentia euidens est, quoniam si passiones entis ab ipso ex natura rei distinguerentur, nullo pacto possent includi intra rationem adæquatam ipsius; distinctio enim ex natura rei eas poneret adæquatè extra ipsum ens, & proinde non possent includi intra rationem ipsius. Antecedens autem declaratur. Si enim consideremus solùm conceptũ obiectiuum entis, adæquatè tamen sumptum, iam huiusmodi conceptus, ex vi sui esse pręcisi, est in seipso indiuisum, & diuisum a quocunq. alio, & propterea ex vi proprij esse habet vnitatem; vnitas enim nihil aliud importat, quàm indiuisionem in se, & diuisionem à quocunq. alio; hæc autem indiuisio intimè includitur in ipso ente, quoniam ex vi proprij esse excludit à se quancunque multitudinem. Rursus etiam, vt experientia patet, secundùm proprium esse est quid intelligibile; intelligitur enim ab vnoquoq. quid sit ens, & ideò necesse est, vt habeat in se rationem fundantem huiusmodi intelligibilitatem, quę nulla alia est, quàm ipsa veritas, quę quidem est passio entis, & ideò hanc quoq. passionem intra suum esse adęquatum includit. Atque hanc passionem in esse adæquato entis includi, adeo euidẽs est, vt à nemine in dubium reuocari possit, qui rem attentè consideret; quis enim neget, quòd ens secundùm propriam rationem entis intelligatur? si enim id negaretur, tolleretur fundamentum omnis scientię, atq. cognitionis, quomodo enim cognosceretur tale ens secundùm talem rationem essentiæ, nisi cognosceretur ens secundum rationem essendi vt sic? Si autem secundùm propriam rationẽ intelligitur pręciso quocunq. alio, necesse est ponere in ipso illam rationem, quę fundat talem intelligibilitatem, quæ, vt diximus, est passio entis, seu veritas. Quod sic etiam declarari potest, ponantur passiones entis ab ipso ex natura rei contradistinctę, deinde sumatur ipsum ens, vt à passionibus contradistinctum; quęro à Scotistis, an vt sic contradistinctum intelligatur

Passiones entis includũtur intra eius conceptũ adæquatũ.

Ens est intelligibile.

ab intellectu: si nô intelligitur, quomodo docêt contradistingui à passionibus, esse quid vniuocum, non prędicari quidditatiuè de passionibus, atq; alia huiusmodi? hoc enim stare non potest cum eo, quòd ens non intelligatur, dû enim hæc de ipso traduntur necesse est, vt sit obiectum intelligibile. Si ergo vt contradistinctum à passionibus secundùm proprium ipsius esse intelligitur, necesse est, vt habeat propriam intelligibilitatê intrinsecam, atq; adeo rationem, quæ illam fundet, nempe veritatem contra distinctam à passionibus; ergo adhuc contra distinctum à passionibus habebit passiones, quod nequaquam dici potest. Quòd autem de vna passione dicitur, de cæteris quoq; procedit, quia est eadem ratio de omnibus, & si vna includitur intra rationê adæquatam ipsius, includuntur etiam reliquæ.

Secunda côclusio Ens habet passiones à parte rei sibi côuenientes. IV. Secundo dicendum est. Ens habère passiones, quæ illi conueniant à parte rei nemine cogitante, & hoc pacto esse reales. Quod quidem ità intelligi debet; quòd statim ac intellectus pręscindit ens vt sic ab inferioribus, habeat suas passiones, absq; eo, quòd ab intellectu fingantur, atq; conueniant illi reali côceptui obiectiuo entis ex vi proprij esse realis: non enim alio modo côuenire possunt cû à parte rei nô detur sola ratio entis præcisa; sed dicuntur conuenire à parte rei, quatenus conueniût reali conceptui obiectiuo entis absq; fictione intellectus. Hęc autem conclusio facilè conuincitur, quoniam quamuis ratio entis non reperiatur à parte rei distincta, & præcisa à cœteris rationibus adest tamê imbibita in entibus physicis, atq; si præscindatur, retinet in esse obiectiuo suam realitatem, est enim talis ratio obiectiua ratio illa formalis, per quam res omnes reales sunt, vnde passiones ipsius reales debent esse, atq; ipsi conuenire nemine cogitante: debêt enim proportionari suæ met radici, seu principio, atq; naturæ reali debentur proprietates reales, & hoc præsertim habet locum suppositis ijs, quæ modo diximus, quòd nimirû proprietates entis non sint ab ipso ex natura rei distinctę, sed intra eius rationem adæquatam includantur, & ideo si ens est quid reale secundùm rationem suam adæquatam, proprietates quoq; ipsius erunt reales, ita vt si ens consideretur in esse obiectiuo proprietates quoq; secundum esse obiectiuum reales sint, si vero consideretur prout immergitur in rebus physicis, etiam in rebus physicis ipsi correspondeant proprietates similiter in ijsdem immersæ. Atq; hinc fit, quòd statim ac habemus côceptum obiectiuum entis, habeamus quoq; passiones ipsius eadê realitate reales, nec opus sit quòd intellectus eas fingat.

Prima ratio.

Qoomodo pro prietates quæ correspôdêt enti debeat esse reales.

Secunda ratio. Correspôdêtia inter transcendens, & non transcendens. V. Atq; rursus argumentari possumus ex proportione, atq; correspondêtia, quę reperitur inter transcendens, & non transcendens; ita enim se habêt ad inuicem, vt vnum supponat alterû, atq; in ipso fundetur, ita vt nequeat realitas non transcendentis consistere sine realitate transcendentis: etenim transcendês in aliquo genere est prima inchoatio, & prima ratio consistendi in illo genere. Sic ratio entis transcendentis est prima inchoatio essentiæ realis, & prima ratio, per quam vnumquodq; consistit in esse rei, ita ut impossibile esset dari aliqua entia realia, nisi adesset tale reale fundamêtum, quod importatur per ens transcendens. Ex hoc autem deducitur, quòd passiones entis debeant esse reales, non secus ac ipsum ens transcêdens; nam sicuti ens transcendens est, quid reale, quia est prima inchoatio talis, & talis entis realis, ita etiam debet dari vnitas transcendens, veritas transcendens, & bonitas trânscendens, quæ correspondeant tâquam passiones enti transcendenti, & sint primæ inchoationes vnitatis, veritatis, & bonitatis in genere determinato. Constat autê dari vnitatem realem in genere determinato, & similiter etiam veritatem, & bonitatem, qua vnaquæq; res in suo genere est vna, vera, & bona, neque de hoc potest esse aliqua difficultas; vt igitur seruetur debita correspondentia, & pro portio inter non transcendens, atque transcendens, necesse est ponere vnitatê realem transcendentem, quæ sit prima inchoatio cuiuscunq; vnitatis, atq; etiam similiter veritatem, & bonitatem transcendentes, quæ per vnamquamq; rem transcendant. Quod etiam confirmari potest vnumquodq; ens non transcendens habet proprias passiones reales sibi correspondentes, ita vt ex eo, quòd datur tale ens, detur etiam talis vnitas, talis veritas, ac talis bonitas, ergo etiam ens transcendens debet habe-

Passiones entis transcêdêtes sût prima inchoatio proportionaliû, non trâscêdêtiû.

te suas reales passiones transcẽdentes, ita vt dicat realem vnitatem transcendentem, veritatem, atq; bonitatẽ: quomodo enim fundaret totam realitatem tanquam prima inchoatio entium non transcendentium, nisi haberet proportionales passiones correspondẽtes, quibus fundaret passiones entium nõ transcendentium?

Tertia ratio.

VI. Tertiò probatur conclusio. In hoc differt, quod reale est ab eo, quod non est reale, sed fictum per intellectũ, quòd id, quod reale est, habet esse in seipso à parte rei, quod verò non est reale sed fictum, habet tantùm illud esse, quod ipsi per intellectum tribuitur, ita vt si nullum esse ei per intellectum tribuatur nullum etiam esse habeat. Passiones autem, quæ enti tribuuntur habent esse in seipsis atq; sũt in seipsis cognoscibiles, nec indigent beneficio intellectus, qui ipsis communicet esse, siquidem consistunt independenter ab intellectu, non secus ac ipsum ens: vnde posito ente, statim habentur etiam passiones absque vllo figmento intellectus; imo intellectus absq; eo, quòd aliquid fingat, cognoscit, quid sit vnitas; quid veritas, & bonitas, atq; format proprios conceptus ipsarum, quod nequaquam fieri posset, nisi haberent propriam, & intrinsecam intelligibilitatem, atq; adeo realitatem. Deinde ponamus non esse reales, sed habere esse fictum per intellectum, tunc necesse esset, vt intellectus eis applicaret, atq; adscriberet aliquam rationem entis realis, siquidem omne ens rationis est non ens conceptum admodum entis realis, vnde totam rationem entis, quam habet, mutuatur ab ente reali, & ideò necesse est, vt illa ratio entis, quæ tribuitur enti ficto, reperiatur intra latitudinẽ entis realis. Itaq; si hæ passiones, quæ enti tribuuntur, sũt quid fictum ab intellectu, non autem reales, necesse est, vt illa ratio entis, quam important, reperiatur intra latitudinem entis realis: vnde cum important rationem vnitatis transcendentis, bonitatis, atq; veritatis, hæ rationes reperientur intra latitudinem entis realis; atq; adeo iam cõcedendæ erunt hæ passiones reales, quæ dicant vnitatem transcendentem, bonitatem, atq; veritatem: cuius autem erunt passiones, nisi sunt passiones entis realis? quare concludendum est, passiones entis esse quid reale, non autem quid fictum ab intellectu.

Passiones ens sunt ex se, & nõ per fictione intellectus habent suũ esse.

Tertia cõclusio.

VII. Dicendum est tertio. Passiones entis, prout dicunt aliquam perfectionem, esse conceptus inadæquatè explicantes quidditatem ipsius entis, ita vt ens in sua quidditatiua ratione adæquata illas includat. Pro cuius declaratione sciendum est, quòd intellectus noster ratione sui modi imperfecti concipiendi, & quia rerum quidditates non per proprias, sed per alienas species cõcipit, nempe per species rerum sensibilium: & quia etiam earumdem cognitionem per discursum acquirit, non potest vnico cõceptu plenam notitiam de ipsis habere; Sed cogitur ipsarum cognitionem in plures conceptus partiri, quibus quidditas ipsa inadæquatè vnicuiq; correspondet, prout intellectus per discursum inadæquatè ad ipsam pertingit. Hinc de eadem quidditate format plures conceptus, quorum singuli inadæquatè ipsum manifestant, prout inadæquatè etiam intellectus cognitionem acquirit: atq; huiusmodi conceptus aliquando inter se adæquatè distinguuntur, aliquando verò solùm inadæquate: tunc autẽ adęquatè distinguuntur, quando contingit, eos repręsentare diuersos gradus entis, seu diuersas formalitates, quarum vna sit adæquatè extra aliam, ita vt in sensu reduplicatiuo negari possit de ipsa, nec pertineat ad ipsius constitutionem. Tunc autem inadæquatè distinguentur, quando per ipsos concipitur idem gradus entis, & quod per vnum concipitur, cõtinetur intra eamdem formalitem adæquatam, quę per alium repręsentatur. Cum autem eadẽ quidditas per plures conceptus inadæquatos concipitur, & inadæquatè distinctos, eadem ratio quidditatis concipitur, & totum discrimen, quod intercedit inter illos conceptus penes esse obiectiuum, in eo consistit, quòd idem esse repręsẽtatur diuerso modo per vnũ conceptum, ac repræsentetur per alium; atq; huiusmodi diuersitas redundet in esse obiectiuum rei conceptæ: inde autem res concepta sortitur talem diuersitatem, quia per vnum conceptum magis exprimitur secundum aliquam rationem, & per alium magis secundùm aliã rationem; quod inde habet, vel quia importat diuersas habitudines ad diuersos terminos, vel quia habet diuersas connexiones, cum diuersis rebus, vel

Passiones entis sũt cõceptus inadæquatè explicãtes ipsius quidditatem.

Cur non possit intellectus vnico cõceptu rerũ essentias intelligere.

Rerum quidditates aliquando cognoscuntur per cõceptus adęquate distinctos, aliquãdo inadęquate.

Vnde eadẽ quidditas habeat, vt cognoscatur pluribus conceptibus inadæquatis

etiam quia quamuis non includat diuersas formalitates adæquatas, habet tamen, quòd secũdùm eamdem magis, aut minus explicitè repræsentari possit: vnde cum intellectus noster vtatur alienis speciebus, atq; per discursum ad huiusmodi rationum cognitionem ascendat, non pertingit statim ad adæquatam cognitionem ipsarum, sed paulatim vtendo diuersis speciebus rerum sensibiliũ, atq;per diuersos discursus procedendo, atq; adeo eamdem rationem adæquatã per diuersos cõceptus sibi repræsentat, quorum singuli inadæquatè eam repræsentãt, prout scilicet per discursum paulatim innotescit, atq; vnus magis explicitè eam repræsentat, quatenus aliquid amplius manifestat supra id, quod alter manifestabat. Applicando ergo hanc doctrinam præsenti materiæ, dicimus, ens intelligi per diuersos cõceptus inadæquatos, atq; etiam inadęquatè distinctos, quorum vnus quisq; aliquid explicitè manifestat aliquid de ente, & vnus aliquid explicat, quod non explicat alter, ità vt per plures conceptus maior quædam explicatio habeatur, quàm per vnicum solùm: quod totum prouenit ex eo, quòd ens, nedum dicit aliquid in seipso, sed etiam dicit habitudinem ad extrinseca, vt ad intellectum, & alia huiusmodi, & proinde potest per vnum conceptum de ipso aliquid explicari, quod non explicetur per alterum. Quidam ergo ex his conceptibus induũt rationem passionis, primus verò omnium, qui de ipso habetur, induit rationẽ essentiæ, seu radicis harum passionum.

Quomodo passiones sint conceptus inadæquati ipsius entis.

VIII. Hæc autem conclusio supponit, quòd hæ passiones entis dicant aliquam perfectionem, quod quidem manifestum esse debet, quoniam cum sint reales positiuæ, necesse est, vt dicãt saltem illam perfectionem, quæ habetur ex vi realitatis, vt sic. Quare supposito, quòd dicant aliquam perfectionem, declaratur, & simul probatur conclusio. Idem enim conceptus obiectiuus entis simplex, & præcisus à quocunq; alio habet omnes illas perfectiones, quæ per passiones entis explicantur, ita vt nihil sit necesse superaddere, vt concipiamus totum id, quod important passiones; & proinde passiones istę, quatenus important aliquam perfectionem, includũtur in cõceptu adæquato ipsius entis. Quòd autẽ non sit necesse aliquid superaddere, vt habeamus conceptus harum passionum, manifestum fiet, si considerabimus, & quid important passiones, & quid etiam conceptus obiectiuus entis. Vnitas enim, quæ assignatur tanquam passio entis, nihil aliud dicit, quàm indiuisionem, qua ens ita redditur indiuisum in se, vt etiam diuidatur à quocunque alio: verùm etiam conceptus obiectiuus entis dicit hanc indiuisionem; importat enim suam peculiarem rationem quidditatiuam, atq. hęc ratio quidditatiua excludit à se ex vi proprij esse formaliter omnem multitudinem, atq; diuisionem, & ideò in se ex vi proprij esse, quod non est multiplex, est indiuisa, & consequenter à quocunq; alio diuisa. Rursus etiam ratio illa quidditatiua entis est intrinsecè obiectum intellectus, ita vt secundùm proprium esse intrinsecum & manifestetur, & terminet intellectionem, atq. adeo participet intrinsecam intelligibilitatem: si ergo ens obtinet intrinsecam intelligibilitatem, obtinet etiam veritatem, per quam habet, quòd in ratione intelligibilis commensuretur cum intellectu. Pręterea ex vi proprij esse est etiam aliqua perfectio, sumendo perfectionem largo modo, nempe pro omni eo, quod in comparatione alterius facit melius; ens enim, si secundùm proprium esse comparetur nihilo, est quid melius ipso nihilo, & ideò etiam ex vi proprij esse importat aliquam bonitatem; & hoc pacto continet in proprio conceptu adęquato totam illam perfectionem, quam important tres illæ passiones, quæ enti tribui solent, nimirum Vnitas, Veritas, & Bonitas.

Ratio allatæ conclusionis.

Quomodo passiones in ente contineantur.

Passiones continentur in cõceptu adæquato ipsius.

IX. Contra hanc tamen doctrinam videtur facere, quòd communiter censetur, passiones entis posse de ipso demonstrari; censent enim, Ens esse obiectum Metaphysicæ, atque adeo habere passiones de seipso demonstrabiles. Hinc autem fit, quòd debeant esse aliquid extra ipsius conceptum adæquatum simplicem. Vt autem remoueatur huiusmodi scrupulus, dicendum est quartò, Passiones entis, licèt contineantur in adęquato conceptu ipsius, habere tamen rationem passionis respectu primi conceptus inadęquatè sumpti, & posse de ipso suo modo demonstrari. Pro cuius intelligentia recolendum est, quod modò diximus in explicatione superioris

Quarta cõclusio. Passiones entis possunt de ipso demonstrari.

perioris conclusionis, nimirum posse ens concipi secundùm suam simplicem rationem adæquatam diuersis conceptibus inadęquatis, atq. etiam inadęquatè distinctis, quorum singuli illam rationem entis inadęquatè explicent, omnes autem adęquatè. Primus ergo conceptus, qui explicat ens, prout habet esse in seipso, habet rationem essentiæ, atq. radicis passionum, & infert necessariò alios conceptus, seu id, quod per alios conceptus manifestatur: adest enim quędam distinctio rationis inter esse obiectiuum correspondens vni conceptui, & esse obiectiuum correspondens alteri conceptui, atq. etiam necessaria connexio, quæ fundatur in eo, quòd totum illud esse obiectiuum, quod vnicuique conceptui correspondet, concurrat ad vnam, atq. eamdem quidditatem constituendam; stante ergo hac necessaria connexione, atq. distinctione, optimè vnus conceptus potest ex alio necessaria sequela inferri; atque adeo posterior de priori demonstrari: passiones igitur entis sicuti solùm distinguuntur ab ente penes conceptus inadæquatè rationem quidditatiuam ipsius explicantes, ita etiam secundùm hos conceptus sunt de ipso demonstrabiles. Ex his ergo explicata manet, & simul probata nostra conclusio, siquidem ad demonstrationem sufficit quæcunq. causa virtualis, ex cuius cognitione necessariò cognitio alterius colligatur. Cum ergo hi conceptus inadęquatè ens explicantes seruent inter se ordinem prioris, & posterioris itaut prior omnium sit ille, qui explicat ens tanquam id, quod habet essentiam, atq. etiam in ipso sic inadæquatè sumpto virtualiter contineantur cœteri conceptus inadęquatè explicantes ipsum ens, optimè potest assumi tanquam medium, ex quo deducantur passiones entis, in eius adęquato conceptu inclusę: quia si talis conceptus sumatur prout dicit solam rationem quidditatis explicitè, se habet tali pacto, vt cęteri conceptus inadæquatè ens explicantes, optimè ipsi attribui possint tanquam passiones, siue attributa, quæ sint extra illam peculiarem rationem, quæ per priorem conceptum explicatur. Et hoc pacto, si ens ponatur obiectum Metaphysicę, saluatur, quomodo possit esse obiectum, & habere passiones demonstrabiles ea demonstratione, quę sufficit ad scientiam, vt enim scientia generetur, sufficit, quòd aliquid necessaria sequela deducatur ex alio, quod à priori sit causa cognitionis illius, siue sit vera causa, siue virtualis, aut quocunque alio modo se habens: & similiter etiam saluatur, quomodo habeat passiones reales, hoc est à parte rei conuenientes, vt iam explicatum fuit. Et per hęc patet ad fundamentum prioris sententię, quod sufficienter in superioribus solutum est, & ideò non oportet, aliquid amplius addere.

Quomodo passiones entis sint de ipso demonstrabiles.

Quomodo tali demonstratio sufficiat ad scientiam.

X. Ex dictis porrò colligitur, quomodo passiones entis, tum ab ente, tum etiam inter se distinguantur: tota enim distinctio est penes conceptus inadæquatè explicantes ipsum ens. Si enim haberetur conceptus adæquatus entis, nulla haberetur distinctio, nec consequenter radix, aut passiones, sed vna simplex, & indiuisa ratio quidditatis. Solùm ergo, suppositis conceptibus inadæquatis, habetur distinctio passionum à subiecto, atque earumdem inter se. Hæc autem distinctio est rationis, cum ab intellectu fingatur ex eo, quòd concipit ens inadæquatè per diuersos conceptus: quorum quidem cum vnus explicet aliquid perfectionis de quidditate entis, quod non explicat alter, iam habentur ex parte extremorum huius distinctionis rationes plures inadæquata diuersitate distinctę: diuersa enim perfectio entis, seu potius eadem perfectio diuerso modo per hos conceptus explicatur, ita vt intellectus semper intelligat aliquid per vnum, quod non intelligit per alterum, vt manifestè patet, si proprio conceptu concipiantur tum passiones singulæ, tum etiam ipsum ens. Vnde etiam diuerso modo explicatur ipsum ens, quando secundùm præcisam rationem essendi declaratur, ac explicentur passiones, & rursus etiam vna passio diuerso modo explicatur, ac alia: & proinde aliqua conueniunt vni passioni, quę non conueniunt alteri, & cum reduplicatione etiam inuicem negari possunt, quia nimirũ, quod per conceptum vnius explicatur, negari potest de esse explicito alterius. Ex quibus omnibus concluditur, quòd huiusmodi distinctio sit rationis cum suo fundamento in re, quatenus saltem secundùm inadæquatum modum concipiendi

Quomodo passiones inter se, atque ab ente distinguantur.

piendi aliquid diuersum secundùm esse obiectiuum respondet vnicuique conceptui.

Explicantur quædam difficultates.

SECTIO III.

I. Contra tamen ea, quæ in præcedenti sectione dicta sunt, militant quędam difficultates, quas modò oportet explicare. Et primò quidem Auersa supracitata quęst. 4. suę Philosophiæ sect. 2. videtur sentire, quòd passiones entis non possint includi in conceptu adæquato ipsius, quia, inquit ipse, debent aliquid addere supra ipsum ens; Arist. enim 7. Metaph. cap 5. & 6. vniuersaliter docet, accidentia, & passiones rerum definiri per additamentum, hoc est per suum subiectum tanquam per terminum in ordine ad quem debent explicari, & ideò necesse est, vt sint aliquid ab ipso contradistinctum, atq. superadditum. Deinde passio se habet tanquam forma subiecti, ita vt possimus considerare, & subiectum præcisè, & passionem pręcisè, tanquam duo, quæ faciant vnum concretum, quod non sit neque purum subiectum, neque pura passio, sed quid ex vtroque coalescens: vnde in ente quoq. id saluari debet, quod fieri non potest, nisi passio sit aliquid ipsi superadditum. Præterea debet passio accidentaliter prædicari de subiecto, quod de passionibus entis non verificaretur, nisi essent aliquid ipsi superadditum; si enim includerentur in conceptu ipsius, essent ipsi quid essentiale, & ideo non possent de eo accidentaliter prędicari.

Obiectio ex Auersa.

Arist.

II. Sed non idcirco relinquenda est vera doctrina, quam in superiori sectione tradidimus, vbi clarè ostensum fuit, quomodo passiones entis in ipsius conceptu adæquato includantur: & potius dicendum esset, si, quę ab Auersa obijciuntur, concluderent, ens non habere passiones propriè dictas, sed solùm cum quadam proportione, de quo tamen dicemus in disp. sequenti. Interim dicimus ad ea, quæ objicit Auersa, quando Arist. docet, accidentia, atq. passiones definiri per subiectum, intelligit de definitione, qua tanquam accidentia definiuntur, atq. adeo loquitur de accidentibus illis, quæ participant veram rationem accidentis, quam, vt alibi, cum agemus de natura accidentis, ostendemus, conuenire solùm accidenti physico, vtpote quia solum realiter distinguitur à subiecto, & realiter potest inhęrere; cęteris verò accidentibus ad summum cum quadam proportione potest conuenire definiri cum ordine ad subiectum, sicuti etiam solùm cum quadam proportione conuenire potest esse accidentis, vt suo loco explicabimus. Quod etiam suo modo conuenit proprietatibus entis, quia quamuis includantur in eius adęquato conceptu, adhuc tamen, vt diximus, distinguuntur secundùm inadæquatos conceptus, atque attribuuntur illi conceptui, qui omnium primus concipitur, & veluti radix cœterorum: atq. suo modo illi concipiuntur aduenire, nimirum secundùm illud esse, quod de eius quidditate explicant, & consequenter hinc fit, quòd suo modo explicentur per ordinem ad ipsum ens, quatenus tanquam aliquid ipsius concipiuntur, & ad ipsum perficiendum ordinatur; & ideò saltem aliquam rationem passionis obtineant. Deinde cum dicitur, quòd passio se habet tanquam forma subiecti, ita vt pręcisè considerari possit tum passio, tum subiectum: hoc etiam suo modo in casu nostro contingit, nam quamuis passiones includantur in conceptu adequato entis, secundùm tamen conceptus inadæquatos concipiuntur ipsi aduenire; & secundùm esse explicitum, quod dicunt conceptus inadęquati, possunt cum aliquali pręcisione distinctè concipi, atq. seorsim considerari; interuenit enim illa distinctio rationis, quam num. 10. superioris sect. explicauimus. Atq. stante huiusmodi distinctione, fit quasi vnum concretum ex ente, & passionibus, quod nihil aliud est, quàm conceptus inadæquatus ipsius, ita vt veluti accidentali modo passiones se habeant respectu illius conceptus inadequati, qui tanquam omnium primus, & radix cœterorum concipitur; esse enim explicitum, quod dicit vnus conceptus inadęquatus, est extra esse explicitum, quod per alium conceptum inadequatum importatur: & hoc pacto passiones entis de ipso accidentaliter prędicantur, non enim valet dicere, Ens est vnitas, aut veritas, sed solùm, Ens est vnum, & verum,

Respõsio

Quibus accidentibus cõueniat definiri per subiectũ Arist. illustratus.

Quomodo passiones entis quamuis sint de conceptu adæquato ipsius obtineãt cõditionẽ passionis.

rum, quod satis indicat prędicationem esse accidentalem.

Alia obiectio.

III. Secunda difficultas est, quomodo secundùm conceptus inadæquatos possint distingui passiones ab ente, nam si sumantur conceptus illi inadæquati passionum secundùm illud esse, quod pręcisè dicunt, adhuc sunt essentialiter ens, quomodo ergo ab ipso distinguentur? Respondetur autem in hac distinctione, qua passiones distinguuntur ab ente, sufficere quamcunq. rationem distinctiuam; cum enim sit tantùm secundum conceptus inadęquatos eiusdem rationis quidditatiuæ, non est necesse, vt ex parte extremorum interueniant rationes obiectiuæ, quarum vna sit omnino contradistincta ab alia, ita vt possit adeo præcisè concipi, vt nullo pacto neq. explicitè, neq. implicitè concipiatur altera; sed sufficit, quòd interueniat quæcunq. diuersitas, qua aliquid reperiatur ex parte vnius extremi, quod non reperiatur ex parte alterius. Hoc autem saluatur in distinctione entis, & passionum secundùm conceptus inadæquatos; ex vi enim horum conceptuum inadæquatorum aliquid interuenit ex parte vnius extremi, quod non interuenit ex parte alterius; nam quando concipitur ens inadæquato conceptu, non concipitur neq. ratio explicita vnitatis, neque aliqua alia passio, sed solùm implicitè: & similiter quando concipitur vnitas, aut alia passio, concipitur quidem ens, quia passio illa realis est, & ideo includit essentialiter rationem entis; non tamen concipitur ratio præcisa entis explicitè, sed solùm implicitè, & ideo hic conceptus aliquid dicit secundùm esse explicitum, quod secundùm esse explicitum non dicit alter: atque adeo tota distinctio est secundùm esse explicitum conceptuum, quæ sanè sufficit, vt vnus tribuatur alteri tanquam passio, atq. de ipso demonstrari possit.

Quomodo saluetur distinctio inter ens & suas passiones.

Tertia obiectio.

IV. Tertia autem difficultas procedit ex proportione seruanda inter ea, quæ sunt in Deo, & ea, quæ sunt in creaturis, ratione cuius videtur ponenda quædam maior distinctio inter ens, & passiones; Ea enim, quæ in Deo ponuntur ratione suæ summæ simplicitatis minus differunt, quàm ea, quæ sunt in creaturis, cum hoc necessarium sit ad saluandam Dei simplicitatem; cum autem transcendentia, quæ sunt in Deo differant ratione ratiocinata, seu cum fundamento in re, transcendentia, quæ sunt in creaturis debent magis differre, & ideo plusquàm ratione cùm fundamento in re. Aliqui autem huic difficultati respondent negando transcendentia in Deo differre ratione ratiocinata; sed immerito id negant; quid enim vetat, quòd intellectus noster inadæquato conceptu concipiat Deum secundùm rationem essendi non concipiendo explicitè secundùm rationem vnitatis, aut bonitatis, & deinde concipiat explicitè secundùm rationem vnitatis, non concipiendo explicitè secundùm rationem essendi? tunc autem interueniet eadem distinctio, qua passiones distinguuntur ab ente, nempe secundùm conceptus inadæquatos, ex vi quorum aliquid explicito modo se tenebit ex parte vnius extremi, quod non se tenebit ex parte alterius, atque adeo erit distinctio rationis ratiocinatę secundùm cōceptus inadęquatos. Soncin. verò in Metaph. lib. 4. quæst. 21. ad 2. respondet, quòd alia sunt, quæ in nobis realiter distinguuntur, & alia quæ tantùm ratione ratiocinata. Quæ in nobis realiter distinguuntur in Deo non distinguuntur realiter, sed solùm ratione: quæ verò in nobis ratione ratiocinata distinguuntur in Deo quoque seruant eumdem modum, nec minus in ipso distinguuntur, quàm in nobis. Patitur tamen hęc responsio suam difficultatem, nam quędam in nobis distinguuntur ratione ratiocinata cum intrinseco fundamento in obiecto, in quo reperiuntur, atq. fundamentum huius distinctionis prouenit ex finitate illarum rationum, quæ concipiuntur distingui, nam cum habeant propriam formalitatem limitatam, & finitam excludunt à se formaliter loquendo, & ex vi proprij esse formalis quamcunq. aliam formalitatem, quia nimirum ab intrinseco suo habet, vt non possit cum illa formaliter communicare in esse obiectiuo præciso, vt contingit inter animalitatem, & rationalitatem; hoc autem prouenit, quia huiusmodi formalitates finito modo reperiuntur in creaturis, & ideo cum præscinduntur, retinent in esse obiectiuo illum finitum modum se habendi, ex vi cuius vna excludit aliam. Hoc autem non potest contingere in

Expenduntur aliorū responsiones.

Quomodo in Deo interueniat distinctio secundū inadæquatos cōceptos.

Soncin.

Quæ distinctio rationis ratiocinatæ non possit poni in Deo.

Deo, quia in ipso nihil finito modo se habet, sed infinito, & consequenter non potest poni in ipso aliqua distinctio rationis, quæ habeat fundamentum in finitate; & consequenter rationes illæ, quę ex hoc fundamento distinguuntur in creaturis, non possunt eodem modo distingui in Deo.

Vera responsio

V. Itaque respondendum existimo, omnem distinctionem remouendam esse à Deo, quæ obstat summæ eius simplicitati. Huiusmodi autem diuina simplicitas est realis, quatenus verè in Deo à parte rei reperitur, & prouenit ex infinitate, quia infinitas facit, vt vna perfectio includat aliam, atq adeo excludat distinctionem, inde enim prouenit distinctio, quia vna res, ex eo, quòd est finitę perfectionis, atque finito modo participat esse, excludit à se esse alterius, atq. eiusdem perfectionem, atq. adeo ab ipsa distinguitur. In Deo autem, quia adest infinitas, & quicquid in ipso est, infinito modo se habet, nec vna perfectio excludit alteram, sed se inuicem includunt ratione infinitatis, qua vnaquæq. perfectio in Deo infinito modo reperitur. Quare vt à Deo remoueatur omnis distinctio, quæ obstat summæ simplicitati ipsius, nedum remouenda est distinctio illa, quę inferret in ipso compositionem, sed illa quoque, quæ repugnat infinitati. Hinc præter distinctionem personarum nulla alia realis, & ante operationem intellectus in ipso admitti potest, quia nimirum inferret in Deo compositionem: rursus etiam debet ab ipso remoueri illa distinctio rationis, quæ habet fundamentum in finitate subiecti, quia cum in Deo non sit finitas, neq. etiam in ipso locum habere potest distinctio fundata in finitate. Sicuti autem simplicitas conuenit Deo à parte rei, ita etiam à parte rei debet ab ipso remoueri omnis repugnans distinctio, & proinde debet remoueri formalis distinctio realis, & virtualis rationis fundata in finitate. Cæteræ verò distinctiones rationis non repugnant Deo, quia nimirum, cum non sint reuera in ipso, sed solùm fingantur ab intellectu, non tollunt ipsius simplicitatem, sed inseruiunt imperfecto modo cognoscendi nostri intellectus, vt scilicet possit per inadæquatos conceptus diuinam essentiam cognoscere: & in hoc intellectus æquali modo procedit, tam circa Deum, quàm circa creaturas, quia rationes simplicissimas potest per inadæquatos conceptus concipere. Neq. hoc obstat diuinæ simplicitati, cum nihil de ipsa auferatur, sed adhuc summa remaneat, quia non inde sequitur aliqua multiplicitas in Deo. Solùm enim diuina simplicitas requirit vnitatem illam, qua excludatur distinctio realis, & virtualis fundata in finitate: in reliquis autem potest intellectus fingere easdem distinctiones, quas fingit in creaturis. Et quid quæso magis vnum, quàm idem cum seipso? & tamen potest intellectus idem distinguere à seipso ratione ratiocinante; quis autem dicat, id in Deo non habere locum? Quare constat; quędam tam in Deo, quàm in creaturis posse æquali distinctione rationis distingui, quia huiusmodi distinctio fabricatur à nostro intellectu, nec aliquo pacto id præiudicat diuinæ simplicitati, vt contingit in ijs, quæ tanquam transcendentia in Deo concipimus.

Vnde in Deo proueniat simplicitas.

Quæ distinctio repugnet simplicitati diuinæ.

Quarta obiectio.

VI. Præterea quarta difficultas, quam alij obijciunt, procedit contra id, quod diximus, nimirum passiones entis non distingui à parte rei, nec ab ente, nec inter se; videtur enim oppositum esse potius dicendum, quoniam quæ habent diuersa contraria in re, distinguuntur realiter, ens autem, & bonum habent in re diuersa contraria, nempe non ens, & malum, debent ergo distingui realiter. Aliqui respondent, Assumptam propositionem esse veram de oppositione reali, quòd nimirum, quæ habent diuersa contraria secundùm rem, distinguantur etiam inter se realiter, non verò quæ habent diuersa contraria secundum rationem: at non ens opponitur non solum enti, sed etiam bonitati, quia nihil opponitur tum enti, tum bono. Cum qua responsione ferè coincidit, quod habet Soncin. supracit. lib. 4. Metaph. quæst. 21. in respons. ad 4. dum ait, ad oppositionem sufficere solam distinctionem formalitatum. Sed dicendum existimo. In solis veris contrarijs positiuis, quę positiua contrarietate se inuicem destruunt physico modo, & per physicam expulsionem, vt contingit inter calorem, & frigus, licere ex distinctione terminorum colligere distinctionem extremorum correspondentium, ita vt ęqualis

Aliquorum responsiones

Soncin.

ſit ex parte alterutrorum: non autem in contradictorijs, aut priuatiuis, ſeu in contrarijs negatiuis. Ratio autem eſt, quia in contrarijs poſitiuis, quæ ſe ſecundùm eſſe phyſicum deſtruunt, contrarietas eſt ſecundùm illam quidditatem, qua in eſſe conſtituitur entitas illa phyſica, & ideo ſi vna ex his entitatibus aliam deſtruit ratione contrarietatis, non deſtruet alteram, cum qua non habet contrarietatem; vnde ſi contingat, quòd duo habeant contraria poſitiua; inprimis hec contraria eſſent diſtincta realiter, quia erunt contraria diuerſa realia phyſica, & ideo non poterunt coaleſcere in eamdem entitatem; deinde extrema, quæ illis correſpondent, neceſſariò erunt diſtincta realiter, quia vtrumq. ipſorum tolletur per vnum, & non per alterum, implicat autem, quòd eadem entitas phyſico modo deſtruatur per vnum contrarium, & non deſtruatur, quòd ſanè contingeret, ſi duo diuerſa contraria reperirentur in eadem entitate, nam illa entitas haberet duo extrema oppoſita, & ad vtrumq. ſeorſim comparata deberet ab illo deſtrui phyſicè, prout includit alterum. At in contrarijs negatiuis non ſic contingit; nam extremum negatiuum huius contrarietatis nihil eſt, & ideo non multiplicatur, ſed eſt vnum, atq. idem reſpectu omnium: non enim in eo, quòd nullum habet eſſe, poteſt poni aliqua diſtinctio, cum diſtinctio ex genere ſuo ſequatur ens poſitiuum; & ideo tunc non valet propoſitio, quòd ea diſtinguantur, quæ habent diuerſa contraria negatiua, quia ex parte ipſorum non eſt reperire huiuſmodi diuerſitatem. Quòd ſi in negatiuis contrarijs concipitur aliqua diuerſitas cum aliquo figmento rationis ex eo, quòd tollant tale, vel tale eſſe, tunc habent, talem diuerſitatem dependenter ab eſſe, quod tollunt, & tanta debet poni diuerſitas in negationibus, quanta eſt in eſſe poſitiuo. Ex quo fit, quòd non liceat inferri ex diuerſitate contrariorum negatiuorum, diuerſitas poſitiuorum, ſed potius è contra, cum diuerſitas poſitiuorum ſit prior, & ab ipſa deſumatur diuerſitas negatiuorum, atque eidem proportionetur. Quamobrem in caſu noſtro, ſi ſecundùm hanc diſtinctionem, quæ admittitur in contrarijs negatiuis, philoſophari velimus, diſtinctio contrariorum negatiuorum entis, & bonitatis, ſeu non entis, & mali debet colligi ex diſtinctione entis, & bonitatis, & ideò ſicuti ipſorum diſtinctio eſt ſolùm ſecundùm conceptus inadæquatos, ita etiam idem nihil, ſeu non ens importabit vtrumq. contrarium ſecundùm conceptus inadæquatos diſtinctum in ordine ad conceptus inadæquatos entis, & bonitatis.

Cur quæ habent di uerſa cō traria phyſica, diſtinguantur realiter.

In cōtrarijs negatiuis ex diſtinctione ipſorum non licet inferre diſtinctionē eorū quibus cō trariatur.

An paſsiones entis ſint paſsiones propriè dictæ. Diſp. II.

Quid alii ſentiant.

SECTIO I.

I. Statutum eſt iam, ens habere ſuas proprietates poſitiuas, quas, prout important aliquam perfectionem, in ſuo adæquato conceptu includat, & ſolum ſecundùm inadæquatos conceptus explicitos diſtinguantur; nunc reſtat videre, an obtineant propriam rationem paſſionis, ita vt rigoroſè ſint proprietates. Et quidem illud certum eſt in hac difficultate, quòd ſi phyſicè loquamur, non ſunt paſsiones propriè dictæ: nam non ſunt paſſiones alicuius entis, ſeu ſubiecti phyſici, ſed ſolùm metaphyſici; deinde quia non diſtinguuntur à parte rei ab ipſo ente, quemadmodum diſtingui debent proprietates phyſicę à ſuo ſubiecto; vnde ſolum quęſtio procedere poteſt de proprietatibus metaphyſicis, quę cum ſuo ſubiecto identificantur, an ſcilicet participent propriè rationem talis proprietatis metaphyſicæ, an verò tantùm proportionaliter, & cum aliqua ſimilitudine. *Punctus difficul. tatis.*

II. Aliqui ergo Recentiores exiſtimant, proprè, & rigoroſè obtinere rationem proprietatis metaphiſicę. Atq. mouentur primò quidem, quoniam Ariſt. 4. Metaph. cap. 1. & 2. docet, vnamquamq. ſcientiam non ſolum agere de obiecto, ſed de ijs quoq., quę obiecto per ſe inſunt, nimirum de paſſionibus, & hoc etiam prębare Metaphyſi- *Prima opinio affirmatiua. Fundamenta Ariſt.*

cam: ex quo concluditur, quòd Ens, quod est obiectum Metaphysicæ, habeat passiones, quę ei per se insint, & quæ consequenter obtineant veram rationem proprietatis. Deinde omnis vera demonstratio debet concludere proprietates veras de aliquo subiecto, quare cum Metaphysica verè demonstratiuè procedat, necesse est, vt concludat veras proprietates de suo subiecto, nempe ente; quomodo autem concluderet, nisi haberet veras proprietates? Et hoc etiam confirmari potest, quoniam in omni scientia non solùm requiruntur principia, & obiectum, sed etiam veræ proprietates.

Expenduntur allata fundamenta. Quænam sint, quæ per se insunt obiecto scientiæ. Arist. illustratus.

III. Verùm valdè infirma sunt hæc fundamenta, & facilè euerti possunt. Nam quòd spectat ad auctoritatem Arist. nihil fauet huic sententiæ, nam cum ait, Metaphysicam, & vnamquamq. scientiã considerare obiectum, & quæ ei per se insunt; per ea, quæ insunt per se obiecto, non intelligit passiones illius, sed differentias essentiales, quibus obiectum commune, & adęquatum contrahitur, atque constituuntur obiecta partialia: quod satis euidenter insinuat, dum cap. 2. ait. *Quare entis quoque quot species sunt, & species specierum speculari vnius scientię genere est*. Quibus declarat, quænam sint ea, quę per se insint obiecto Metaphysicæ, & vult esse species, non autem passiones, quæ dicuntur per se inesse, non quia ipsi inhæreant, sed quia per se continentur sub obiecto adæquato. Quomodo autem vnaquæq. scientia, & præsertim metaphysica se extendat ad speculandas species sui obiecti, & an ad omnes, an verò ad aliquas tantùm, alibi explicatum est, vbi diximus, debere intelligi, quòd consideret species, quę per se insunt obiecto, quatenus sunt intra eamdem abstractionem cum ipso. Cum autem dicitur, quòd omnis vera demonstratio debet versari circa aliquam veram passionem, quam de obiecto demonstret; si quod sentio, mihi proferendum est, non mihi videtur necessarium, quòd demonstratio propriè dicta debeat versari circa passionem, quæ rigorosè seruet conditiones veræ passionis.

An vera demonstratio sit necessario circa passiones propriè dictas.

Demonstratio enim consistit in quadam illatione, qua aliquid ex prioribus, & notioribus, atque necessarijs infertur necessaria sequela, vnde si hęc saluantur, saluatur etiam ratio veræ demonstrationis. Vt autem hæc saluentur, non est necesse, vt versetur circa passionem propriè dictam; nam si detur aliquod attributum, quod per se conueniat alicui subiecto, ita vt consequatur necessariò ab intrinseco illius, tunc poterit per definitionem illius, vel aliquid æquiualens deduci necessaria sequela, atq. deductio illa erit ex prioribus, & notioribus, atq. necessarijs, vnde sufficienter saluabitur in ipsa ratio veræ demonstrationis, quamuis non saluetur ratio verę passionis: & hoc existimo contingere in attributis diuinis, quorum aliqua vera demonstratione demonstrari possunt, quamuis non sint passiones propriè dictæ. Sed quicquid de hoc sit, argumentum in nostra sententia non procedit, & iuxta principia posita in superiori tomo, vbi ostendimus, quòd ens transcendens non est obiectum metaphysicę, & ideo non licet inferre ex eo, quòd sit obiectum, habere veras passiones, & propriè dictas. Atq. ex his etiam constat, confirmationem allatam nihil concludere, nam coincidit cum principali argumento, & procedit ex suppositione, quòd ens transcendens sit obiectum metaphysicæ.

Opposita sententia.

IV. Alij autem, quos disputatione præcedenti, sect. 1. citauimus pro secunda sententia, negant, passiones entis habere rationem passionis propriè dictę, etiam si passio metaphysicè sumatur: docent enim consistere aut in negatione, aut in aliqua habitudine ad extrinseca, quæ vt plurimum ab ipsis solet poni non realis, sed rationis. Constat autem, quòd negationes non possunt participare rationem passionis propriè dictæ: & similiter neque etiam habitudines, nam si sunt rationis, manifestum est, non posse esse veras passiones; si verò sint reales, neq. possunt esse passiones propriè dictæ, quia important tantùm denominationem, qua explicatur ipsa positiua perfectio entis, atq. adeo quidditas ipsius: præsertim quia istæ denominationes, quamuis reales, desumuntur tamen à forma extrinseca, vt denominatio, qua ens dicitur verum, seu intelligibile, quæ desumitur per habitudinem ad intellectum. Ita philosophantur hi auctores. Addit autem Auersa quæst. 4. suæ philoso-

Auersa.

loſophię ſect. 3. co ncluſ. 1. qnòd ſi paſ ſiones ſumantur pro attributis poſitiuis, quę dicant aliquid de ipſo ente, magis explicitè, neq. adhuc eſſe veras paſſiones rigorosè acceptas, quia deficit debita diſtinctio.

Vera ſententia.

SECTIO II.

I. VT igitur veram ſententiam explicemus; hoc præſupponendum, quòd eſſe metaphyſicum in hoc diſtinguitur à Phyſico: quòd phyſicum conſiſtit verè à parte rei ſecundùm ſuum modum eſſendi phyſicum: Metaphyſicum verò non habet ſuum modum eſſendi à parte rei, ſed ſolùm obiectiuè in intellectu: licèt enim ſit aliquid reale, atq. in rebus phyſicis à parte rei reperiatur, debet tamen abſtrahi, & denudari ab eſſe entitatiuo, atq. adeò fingi aliqua diſtinctio rationis, qua mediante ſeparetur: & ideo ſi conſideretur ſecundùm hunc modum eſſendi abſtractum, non reperitur cum ipſo à parte rei, ſed ſolùm obiectiuè in intellectu: vnde intellectus ſuo modo concurrit ad talem modum eſſendi, nempe tanquam cauſa abſtractiua diuidens, & ſeparans eſſe formale ab eſſe entitatiuo. Hinc porrò fit, quòd eſſe metaphyſicum debeat ſeruare proportionem ad phyſicum, quæ in eo conſiſtat, quòd metaphyſico modo dicat id, quod phyſicum dicit entitatiuo, ſeu phyſico modo. Cum enim eſſe metaphyſicum abſtrahatur ab intellectu ab eſſe phyſico, atq. acquirat illum modum eſſendi ex vi abſtractionis factę per intellectum, debet illud eſſe metaphyſicum aſſimilari phyſico, vt ſic: licèt obtineat aliquam peculiarem eſſentiam, quò ad illum ſuum modum eſſendi phyſicum; quia rerum eſſentię ſunt inuariabiles, & in quibuſcunq. reperiantur, eamdem rationem ſeruant, & ideo ſine in eſſe phyſico, ſiue metaphyſico reperiantur, eamdem rationem ſeruant, & ideo ſiue in eſſe phyſico, ſiue metaphyſico reperiantur, debent ſeruare eaſdem conditiones & ſolùm differre in modo eſſendi, cum penès hunc conſiſtat totum diſcrimen inter eſſe phyſicum, & metaphyſicum. Hinc ſicuti compoſitum phyſicum debet conſtare ex partibus phyſicis, & pars phyſica eſt illa, quæ habet ſuum eſſe entitatiuum diſtinctum ab alio, ita compoſitum metaphyſicum erit illud, quod conſtat ex partibus metaphyſicis, & pars metaphyſica illa, quę importat eſſe metaphyſicum, ſeu formale metaphyſica diſtinctione ab alia omnino ſeparatum. Ex quo colligitur, quòd proprietas metaphyſica, vt ſit in rigore paſſio alicuius ſubiecti, debet ſeruare conditiones proprietatis phyſicę, metaphyſico tamen modo ſe habentes, ſicuti pars metaphyſica debet metaphyſico modo ſeruare conditiones partis phyſicę; id enim ſequitur ex vi proportionis, quę debet intercedere inter eſſe phyſicum, & metaphyſicum.

Proportio eſſ metaphyſici ad Phyſicū.

II. Hoc ergo præſuppoſito dicendum eſt, paſſiones entis non eſſe in rigore paſſiones propriè dictas metaphyſicas; ſed ſolùm eſſe quędam attributa, ſeu rationes de ipſo demonſtrabiles, quę habent quamdam ſimilitudinem paſsionum ex eo, quòd ſeruant quaſdam conditiones paſſionis propriè dictę, in quibuſdam verò deficiunt; vnde ſimilitudinariè tantùm ſunt paſsiones, & impropriè. Fundamentum autem huius concluſionis deſumitur ex ijs, quę modo adnotauimus, nimirum ex proportione, quę ſeruanda eſt inter eſſe phyſicum, & metaphyſicum. Si enim conſiderentur paſsiones entis, ſeruant quidem metaphyſico modo aliqnas ex illis conditionibus, quæ concurrunt ad conſtituendas proprietates phyſicas, aliquas tamen non ſeruant, ergo cum res metaphyſica dicatur cum proportione ad phyſicam, ex eo, qnòd metaphyſico modo dicit idem eſſe, non poterunt eſſe rigorosè proprietates. Hæc conſequentia eſt euidens, quomodo enim poterunt eſſe paſsiones metaphyſicæ propriè dictæ, ſi non dicunt metaphyſico modo omnes illas conditiones, quæ neceſſariæ ſunt pro proprietatibus conſtituendis? Antecedens igitur declaratur: nam ſeruant reſpectu conceptus inadæquati entis ordinem qnemdam poſterioritatis, & quaſi cuiuſdam virtualis emanationis, quatenus conceptus inadæquatus ipſarum conſequitur ex vi conceptus inadæquati ipſius entis. Rurſus continentur veluti virtualiter in ipſo conceptu inadæquato ipſius entis, quia dum tali pacto concipitur ens, implicitè, & quaſi virtualiter concipiuntur paſſiones.

Concluſio. Paſsiones entis non ſunt verę paſſiones.

paſsiones entis dicunt quaſdam conditiones paſsionis propriè dictæ quaſdam autem non.

siones. Præterea consequuntur ab intrinsecis principijs ipsius, quia ens ex eo, quòd habet essentiam, sequitur necessario, quòd sit vnum, verum, & bonum, vnde hęc attributa illi conueniunt per se, & possunt demonstrari de ipso, in quibus seruant conditiones passionis propriè dictę. Verùm deficit debita distinctio metaphysica, quę necessaria est ad proprietatem metaphysicam, ex quo sequitur, quod neq. habeant quidditatem, quæ ex natura sua sit constitutiua proprietatis rigorosè acceptę; si enim haberent quidditatem constitutiuam proprietatis propriè dictę, traheret etiam secum talis quidditas debitam distinctionem. Quòd autem non habeant sufficiẽtem distinctionem, satis patet ex proportione, quam debent seruare ad proprietates physicas: etenim proprietates physicæ important tale esse, quod entitatiuè distinguitur à subiecto, cuius est proprietas; vnde vt proprietas metaphysica seruet debitam distinctionem, necesse est, vt importet esse metaphysicum, adęquatè distinctum à subiecto, cuius est proprietas, ita vt secundum adæquatos conceptus distinguantur subiectum, & proprietas; quod certè non conuenit passionibus entis, quæ solùm distinguuntur ab ipso secundùm inadæquatos conceptus explicitos, & ideo non sunt cum omni rigore passiones.

Proprietates entis non habent sufficientem distinctionem vt sint veræ proprietates.

Obiectio

III. Sed dices. Iam passiones entis non obtinent rationem passionis, nisi secundùm conceptus inadæquatos explicitos; secundùm huiusmodi autem conceptus distinguuntur, atq. sunt extra rationem entis, prout se habet tanquàm radix illarum: cur ergo non habebunt sufficientem distinctionem, & erunt passiones propriè dictæ? Sed respondetur, quòd quamuis conceptus passionum secundùm esse explicitum sit extra conceptum entis, non est tamen adæquatè extra ipsum, quia esse, secundùm esse explicitum solum dicit, quòd non sit diuersa formalitas, sed eadem, quam magis expressè concipiamus, & ideo aliquid amplius de ipsa intelligamus: & hoc ipsum facit, quòd non sint passiones propriè dictæ, sed solùm quędam attributa. Nam sicuti passio physica secundùm esse physicum distinguitur adæquata distinctione à suo subiecto, atque ita importat propriam quidditatem, vt subiectum absque ipsa consistere possit secundùm proprium esse, ita etiam proprietas metaphysica propriè dicta debet esse ex vi suæ propriæ quidditatis talis conditionis, vt adæquata distinctione metaphysica distinguatur à subiecto, atq. subiectum subsistat in proprio esse absq. eo, quòd constituatur in ipso per proprietates: quod cum non conueniat passionibus entis, siquidem ens non subsisteret in suo esse absq. ipsis, cum eas in suo conceptu adęquato inuoluat, idcirco non possunt habere rationem passionis propriè dictę.

Respon- sio.

Quantę distinctionem subiectum requirat passione metaphysicæ propriè dictæ.

IV. Secundò probatur eadem conclusio. Essentia proprietatis, ex vi proprietatis vt sic propriè dictæ, debet esse adæquatè altera ab essentia subiecti, sic risibilitas est adęquatè alia à rationalitate, cuius est passio, atque eadem inductio fieri potest in cæteris passionibus metaphysicis propriè dictis: cuius rei rationem quoque assignare possumus; nam proprietas est diuersæ rationis, siue essentiæ à subiecto, atque ab ipso saltem virtuali modo, seu tanquam à causa virtuali per emanationem virtualem fluit, vnde est effectus equinocus subiecti, seu naturæ, à qua emanat; vnde necessariò natura, & passio important essentias adæquatè diuersas, & ideo neutra concurrere potest ad intrinsecam constitutionem alterius. Passiones ergo entis non possunt esse tales propriè, & cum omni rigore, quoniam non important essentiam adæquatè diuersam à suamet radice; concurrunt enim ad intrinsecam constitutionem illius essentiæ, à qua fluunt, nempe entis, quoniam ens illas inuoluit in suo intrinseco conceptu, & non sunt alia essentia ab ipso, sed aliquid de ipso adequatè sumpto. Atq. hinc elici potest alia confirmatio, quę valdè nostram sententiam roborat, & oppositam vrget. De ratione intrinseca proprietatis propriè dictę est, quod supponat naturam, cui conuenit, completè constitutam in suo esse: quòd inde prouenit, quia proprietas originatur à natura saltem per quamdam virtualem emanationem: emanatio autem supponit principium, à quo est, completè constitutum in suo esse, quia res prius est in se, quàm aliquid ab ipsa proueniat per quamcumque causationem: & si-

Secunda ratio.

Proprietas diuersa essentia adæquatè à subiecto.

Proprietas supponit naturam cõpletam in suo esse.

cuti

cuti emanatio physica supponit principium complete constitutum in suo esse physico, ita metaphysica, seu virtualis supponit principium complete constitutum in suo esse metaphysico. Passiones verò entis non supponunt ens complete constitutum in suo esse metaphysico, nam ijs precisis non habet suum adæquatum conceptum obiectiuum, sed ipsemet passiones complent talem conceptum, & idcirco non possunt esse passiones propriè dictæ, sed quædam rationes demonstrabiles, & quędam attributa, vt hactenus probatum fuit. Atque hoc sufficit, vt supra etiam diximus, vt ens scientifico modo cōsiderari possit, quamuis non tanquam obiectum metaphysicum, vt suo loco declarauimus, sed solùm tanquam fundamentum obiecti. Et insuper hoc etiam consentaneum est indeterminationi ipsius, nam si haberet passiones propriè dictas, necesse esset, quòd importarent aliquam diuersam quidditatem ab ipso, atque adeo determinatam, cum enim ratio entis sit prima ratio cuiuscumque realitatis, siuè inchoatio, quicquid supra ipsam asignatur, seu quicquid reale est extra ipsam, necesse est, vt sit quid magis determinatum, quia non potest dari aliquid æquè determinatum, cum vna tantùm posit esse prima basis, & inchoatio cuiuscumque realitatis; si enim plures esent, adhuc conuenirent inter se, atque adeo haberent aliquid, in quo conuenirent, tanquam in quadam priori inchoatione, & consequenter non esent inchoationes omnium primæ. Itaque quicquid diuersum ab ente reali est, debet fundari in ipso, & ese quid magis determinatum, vnde cum est contractiuum entis, etiā minus patet, & consequenter non potest esse pasio illius, sed erit differentia, atque hæc ratio sufficere se sola potest pro motiuo fundamentali nostrę conclusionis.

De numero, & ordine pasionum Entis. Disp. III.

Quot sint pasiones entis.

SECTIO I.

I. CVm quęrimus numerum passionum entis, idem est, ac si quæramus, quot sint Transcendentia. Cum enim passio, siue attributum debeat adęquari cum subiecto, cui conuenit, ita vt vbicunque reperitur subiectum reperiatur etiam passio; atque cum ens sit transcendens, necesse est, vt pasiones entis transcendentes sint, alioquin non adęquarentur cum ipso, nec dicerentur ad conuertentiam, quod est contra rationem cuiuscunque passionis, quę conueniat necessariò subiecto. Rursus cum ex conceptibus, qui important aliquam veram realitatem, primus omnium sit conceptus ille inadæquatus entis, debent omnia transcendentia, quę habent æqualem latitudinem, esse pasiones, siue attributa ipsius, non enim possent esse rationes contractinę, cum ęquè latè pateant; nec possunt esse ęquè primi conceptus, quia cum concurrant ad constituēdum eumdem adæquatum conceptum, debent seruare aliquem ordinem inter se. Sex autem communiter enumerari solent transcendentia, nimirum Ens, Res, Aliquid, Vnum Verum, Bonum: vndè dubitatur, an quinque postrema sint pasiones, an verò aliqua sint synonima. *Omnes pasio es entis transcendentalis.*

II. Auicenna autem initio suę Metaphysicę existimat, omnia illa quinque posteriora transcendentia esse passiones entis, & aliquid vnumquodque diuersum ab alio significare: in quo consistit fundamentum suę sententię, si enim vnum quodque illorum aliquid diuersum significat, proculdubio tot sunt pasiones, quot illa transcendentia. Auersa autem in quęs. 4. suæ Philosophiæ sec. item 4. quamuis admittat solùm quatuor ex illis sex transcendentibus, nimirum Ens, Vnum, Verum, & Bonum, & asserat, tria solùm posteriora debere asignari pro pasionibus entis, addit tamen, plures, quàm tres, posse asignari, siue accipiantur pasiones ità amplè vt complectantur etiam illa prædicata, quę per solam quamdam maiorem explicationem distinguuntur ab ente, siuè etiam sumantur pro prædicatis superadditis, quę importent siuè denominationem extrinsecam, siuè negationē, *Opinio ponens plures pasiones entis, quām sex. Auicenna.* *Auersa ex alio capite, multiplicans pasiones entis.*

siue habitudinem aliquam rationis. Si enim priori modò accipiantur, præter illas tres assignari possunt Appetere suum esse, & conseruationem, & resistere contrarijs. Appetere perfectionem sui esse. Quiescere in proprio esse, quod permanet, atque in perfectionibus, quas habet. Habere aliquod munus, quod exerceat, ne sit otiosum in rerum vniuersitate, & addi potest existentia, prout ratione distinguitur ab essentia. Si autem passiones entis posteriori modo sumantur, adhuc plures quàm tres assignari possunt, nam præter tres illas datur esse intelligibile, esse appetibile, esse significabile per voces, esse conueniens alteri, Assimiliari, Adæquari, subire rationem mensuræ, & aliæ huiusmodi excogitari possunt tanquam passiones entis; præsertim si accipiantur negationes. Ita circa passiones entis philosophatur Auersa

Reijcitur sententia Auersæ.

III. Hæc tamen doctrina nequaquā adprobanda est. Si enim priori modò accipiantur passiones entis, nempe pro attributis aliquid magis explicitè de ipso ente explicantibus, sufficienter passiones ipsius per illas tres communes explicantur, nempe Vnum, Verùm, & Bonum, vt infra dicemus. Et illa prædicata, quæ tanquam passiones entis ab Auersa afferuntur, si rectè considerentur, reperientur nedum esse passiones entis, sed neque illi conuenire. Appetere enim suum esse, & conseruationem, supponit, quòd ens sit talis conditionis, vt conseruetur, atq. adeo quòd productum fuerit, & existat, ita vt existentia conseruari possit. Quis autem non videat, hoc ad summum conuenire posse entitati physicę, non autem enti transcendenti præcisè accepto, cum ens transcendens præcisum non existat, neque habeat esse in se, sed solùm obiectiuè in intellectu? Et quamuis ens trāscendens sit fundamentum illius appetitus, quo entia physica inclinantur ad suum esse, non tamen potest ipsi huiusmodi appetitus tribui, quia talis appetitus supponit aliquod maius esse: Et quòd sit fundamentum huius appetitus non dicit nouam passionem, quia formaliter ex eo, quòd habet essentiam, est fundamentum illius, atque adeo secundùm conceptum inadæquatum entis, est enim fundamentum huius appetitus, quatenus est ratio quędam di-

Enti transcendenti non conuenit appetere suum esse.

cēs esse reale, quod illi conuenit, vt ens est. Et idem similiter dicendum est de Resistere contrarijs; non enim potest aliquid contrarijs resistere, nisi ea habeat: at statim ac habet contraria, est tale ens, non solùm quia positis contrarijs ponitur multitudo, atque adeo determinata entia, sed etiam, quia resistentia prouenit ex determinata natura, & conuenire tantùm potest entibus existentibus. Et alia quoque prędicata enumerata ab Auersa solùm entibus existentibus conuenire possunt, quatenus sunt quędam entitates completę, vt appetere perfectionem sui esse, iam enim diximus, hunc apetitum conuenire tantùm posse entitati completę; Similiter etiam quiescere in proprio esse, atque proprijs perfectionibus, hoc enim supponit, quòd quiescens existat, & habeat esse in se; sic etiam habere aliquod munus, ne sit otiosum in rerum vniuersitate, quod solùm enti existenti conuenire potest, vt manifestè patet. Existentia autem non habet rationem passionis, vt in superiori tomo suo loco ostensum est. Et quamuis hęc prædicata sint talia, vt conueniant cuicumque enti physico, non tamen assignari possunt pro passionibus entis transcendentis, nam passio debet esse talis, vt nō supponat in subiecto nisi illud, quod habet rationem radicis: quòd si aliquid amplius supponit, non potest tanquam passio tribui tali subiecto; at huiusmodi prædicata supponunt entitatem completam, & physico modo se habentem, & ideò ex natura sua habent, quòd nō possint tribui tāquam passiones enti transcendenti: explicant enim aliquam pefectionem, seu rationem entis, quę in ipso non reperitur, sed solùm in entitate physica

Quæ prædicata possint esse passiones entis transcendentis.

IV. Quòd verò spectat ad passiones posterioris generis, quas Auersa cōstituit in denominationibus extrinsecis & negationibus, & ait, enti assignari posse, incongruenter procedit, quia nulla passio entis realis potest importare negationem, aut denominationem extrinsecam, sed vt sit realis passio illius siuè propriè, siuè impropriè dicta, necesse est, vt importet aliquam perfectionem subiecti, quia sicuti passio physica importat perfectionem physicam, ita metaphysica debet importare aliquam perfectionem metaphysicam, vt

Passio quæcumque debet importare aliquam perfectionem realem.

ser-

seruet aliquam rationem passionis: vnde huiusmodi negationes, & denominationes extrinsecæ præcisè acceptæ poterunt esse solùm passiones fictæ, non autem reales, & subsistentes in esse passionis independenter ab intellectu. Sed quicquid de hoc & supposito, quòd passiones possint importare aliquam denominationem extrinsecam, aut negationem, tunc non ad libitum fingendæ sunt denominationes, & negationes, sed debent habere fundamentum in subiecto, cui tribuuntur, ita vt significent aliquam ipsius perfectionem, in qua fundentur: non enim absque fundamento debent ipsi tribui, alioquin essent omninò fictitiæ: quòd si habent fundamentum in subiecto; & consequenter in aliqua perfectione ipsius, iam talem perfectionem significabunt. Ex quo fit, quòd nequeant multiplicari huiusmodi passiones, quæ per negationes, & extrinsecas denominationes explicantur, nisi etiam saltem secundùm conceptus inadequatos multiplicentur fundamenta, atque adeo perfectiones per ipsa importata. In ente autem transcendentali solùm habemus fundamẽtum, illarum trium passionum, quæ communiter solent assignari, vt infra ostendemus, & omnes illæ denominationes, quas affert Auersa, conueniunt enti ratione illarum, nam esse intelligibile illi conuenit ratione veritatis, & ideo non importat passionem distinctam: esse significabile per voces similiter illi conuenit ratione veritatis, quia voces significant conceptus, & conceptus exprimunt veritatem rei. Esse autem appetibilē, & conueniens alteri propriè non conuenit enti transcendenti, sed tali, & tali enti determinato, quod satis indicat, quia dum alteri est conueniens, supponitur pluralitas, atq. adeo tale, & tale ens determinatum, Quòd si sumatur pro appetibilitate transcendentali, & fundamento conuenientiæ, in quo fundatur ratio illa, per quam aliquod ens sit conueniens alteri, tunc conuenit enti ratione bonitatis trascẽdentalis, & nihil aliud præter ipsam significat. Assimilari autem, Adæquari, Subire rationem mensuræ supponunt multitudinem entium, vt per se euidens est; nihil enim sibi ipsi assimilatur, & ideò non possunt conuenire enti transcendenti præcisè accepto, quod prius est quacunque multitudine. Si autem assignetur negatio entis ficti, siue rationis, negatio impossibilitatis, aut alia similis, per has negationes nihil aliud explicatur, quàm ratio entis, quæ est radix passionum, & ideò non possunt importare nouas passiones. Et idem semper continget in quacunque siue denominatione extrinseca, siue negatione, quæ cum aliquo fundamento tribuatur enti, semper enim, si diligenter consideretur, importabit, aut ipsam rationem entis, aut aliquam ex illis tribus passionibus.

Denominationes, & negationes, quæ alicui tribuuntur, debent in ipso habere fundamentum.

Ratione denominationum extrinsecarum, & negationum non posse in pra tres multiplicari passiones entis.

V. Secunda igitur sententia communis est apud omnes; nimirum passiones entis esse tantùm tres, Vnitatem, Veritatem, & Bonitatē; cætera verò duo transcendentia ex quinq. posterioribus nempe Rem, & Aliquid esse synonima cum ipso ente. Colligitur hæc sententia ex D. Tho. 1. par. vbi de his tribus tantùm passionibus agit, & non de alijs videlicet quæst. 5. 11. & 16. & quæst. 1. de verit. ar. 1. in corpore, vbi hanc opinionem declarat. Hanc etiam sententiam tradunt, & explicant Alens. 1. par. quæst. 13. memb. 2. Argent. in 1. dist. 2. quæstion. 2. par. 3. distinctionis. art. 1. Picus Mirandul. De Ente & vno cap. 8. Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quæst. 5. Suarez in Metaphys. disput. 3. sect. 2. Meurisse 2. Metaph. suæ cap. 2. quæst. 2. Et hæc sanè est vera sententia, & tenenda, vt mox declarabimus.

Secunda sententia ponens tres passiones entis.

D. Thom. *Alensis.* *Argent.* *Mirandula.* *Fonseca* *Suarez.* *Meurisse.*

VI. Pro declaratione ergo communis sententiæ dicẽdum est primò; Aliquid non esse attributum entis. Hoc antem dictum facilè ostenditur. In duplici enim significatione sumi potest huiusmodi terminus *Aliquid*, nimirum in latissima significatione, ac in magis pressa. Si autem sumatur in latissima significatione, prout est extremum positiuum contradistinctum à nihilo, manifestum est, quòd nihil aliud importat, quàm ipsum ens; si quidem tunc nihil aliud dicit, nisi id, quod habet essentiam, & proinde non potest esse passio entis, sed erit synonimum cum ipso. Quod etiam patet ex eo, quòd passiones entis debent seruare aliquem ordinem posterioris respectu alicuius prioris; at si *Aliquid* ponatur passio, respectu cuius prioris seruabit ordinem posterioris? si enim ponatur aliquid reale respectu cuius seruat ordinem poste-

Prima conclusio Aliquid non est attributum entis.

rioris, iam idem respectu sui ipsius seruabit talem ordinem nimirum *Aliquid* respectu *Aliquid*, quod sanè inconueniens est; si autem dicas, seruare respectu entis; tunc inquiro, An ens sit aliquid, prout aliquid sumitur in sua latissima significatione. Si dicas, esse aliquid iam *Aliquid* respectu suipsius habet rationem passionis. Si verò dicas, non esse aliquid, iam erit nihil, quod minimè dici potest, quia nihil haberet passiones reales. Verùm si *Aliquid* sumatur non in sua latissima significatione, sed in presiori, tunc significabit aliquod ens, seruabit enim proportionem ad suam latissimam significationem, & sicut in latissima significatione significat ens transcendentale vt sic, ita in strictiori significabit tale ens: non potest autem aliquod ens esse passio entis, nam, & importat essentiam determinatam, & quæ se habet vt radix passionum, sicuti ens vt sic est radix passionum trãscendentalium. deindè quia minùs patet, quàm ens vt sic: passio autem debet æquè patere, ac suum subiectum.

Secundo conclusio Res non est passio entis.

VII. Secundò Dicendum est. Neque hunc terminum *Res* importare aliquod attributum entis. Prob. autem; nam hicquoque terminus dupliciter vsurpari potest, nimirum in sua latissima significatione, quocunque modo importet aliquid reale, & contradistinctum à nihilo: & in propria, & rigorosa significatione, qua importat aliquam naturam, quæ ex vi sui esse habeat omnia requisita ad constituendam aliquam integram entitatem, & existendum se sola à parte rei. Si priori modo sumatur, tunc patet coincidere cum ipso ente, & esse synonimum cum ipso, quia extremum positiuum, quod ex vi sui esse formaliter contradistinguitur à nihilo, est ens transcendens. Deinde hic quoque vrgere possumus, quod si esset passio, necessariò alicuius esset passio: subiectum autem, cuius esset passio ad huc esset res, quia esset aliquid à nihilo contradistinctum; vndè idem esset passio suipsius. In propria autem significatione, vt diximus, significat aliquam quidditatem, quę se sola partici pet omnes illos gradus essentiæ, qui sufficiant pro constituenda aliqua entitate: vndè dicimus, ea distingui secundùm rem; quæ distinguuntur secundùm entitatem, atque huiusmodi distinctio entitatiua dicitur secundùm rem, seu realis, quia ex parte extremorum datur res, & res, inter quas exercetur distinctio à parte rei, quia collocatur intra seriem illorum entium, quæ habent suum esse entitatiuum existens, quod satis indicat, *Rem* propriè importare realitatẽ aliquam physicam, seu entitatem, cum sit ratio illa, per quam aliquid constituitur in esse rei. Cum ergo *Res* in rigorosa significatione importet entitatem physicam, manifestum est, quòd non potest esse passio entis trascendentis, sed ipsa quoque erit quidditas aliqua, quæ sit radix suarum passionum.

Quid propriè significet Res.

Tertia conclusio Tres sunt passiones entis.

VIII. Tertiò dicendum est. Tres tantùm esse passiones entis Vnum, Verum, & Bonum. Quamuis autem hæc conclusio facilis sit ex eo capite, quod omnes in ipsam conueniunt; difficile tamen est assignare rationem sufficientiæ, cur scilicet neque plures, neque pauciores sint passiones entis. Aliqui assignant ex proportione, quam ens seruare debet ad animam, vnde sicuti tres sunt passiones animæ Memoria, Intellectus, & Voluntas, ita etiam tres debent esse passiones entis, quæ correspõdeant his tribus potentijs; sed non video, quomodo necessarium sit, quòd passiones entis seruent hanc proportionem ad animam quò ad potentias ipsius, ità vt tot debeant assignari, quot sunt potentiæ animæ, nec plures, aut pauciores. Imo impossibile est, quòd seruent huiusmodi correspondentiam, nam sicuti ens est prius natura ipsa anima, atque ab ipsis independens, ita habet passiones independentes, & ideo numerus ipsarum non dependent à numero potentiarum animę.

Prima ratio sufficientiæ inefficax.

Passiones entis non assignantur conuenienter ex numero potentiarum animæ.

IX. Aliam rationem sufficientiæ affert D. Thom. citato ar. 1. quæst. 1. De Veritate, quæ tali pacto se habet. Ens enim considerari potest in seipso absolutè: vel cum ordine vnius ad aliud. Si primo modo consideretur, accipi potest, vel prout dicit aliquid positiuum absolutum, & sic habetur ipsa ratio entis; vel prout dicit aliquid absolutum negatiuum, & sic habetur indiuisio, siue vnitas, quæ est negatio diuisionis. Si verò accipiatur cum ordine vnius ad aliud, tunc debet considerari in ordine ad aliquid, quod sit quodam modo omnia; huiusmodi autem est anima, quę intelligendo fit quodammodo omnia; cum ip-

Alia ratio sufficientiæ.

ſa autem habet ens duplicem commenſurationem, ratione intellectus, & appetitus. prout ergo commenſuratur cum anima, quatenus intelligens eſt, & cum ipſius cognitione conformatur, eſt verum; quatenus verò dicit ordinem ad eius appetitum vt quid appetibile, eſt bonum. Hęc quoque ratio ſufficientiæ patitur ſuam difficultatem, nec plenè ſatisfacit: Nam quòd ens conſideretur ſecundùm eſſe abſolutum negatiuum, & inde conſurgat vnitas, non videtur admittendum, nam ſicuti aliæ paſsiones important aliquid poſitiuum, ita etiam prima paſsio, quæ eſt vnitas, debet importare aliquid poſitiuum: quomodo enim poſteriores paſsiones eſſent quid poſitiuũ, niſi etiam prima ſit aliquid poſitiuum? Deinde paſsiones iſtæ oriuntur ex diuerſis conſiderationibus entis, at ad quid conſideratur ens abſoluto modo ſecundùm aliquid negatiuum, ſi iam abſoluto modo conſideratur ſecundum aliquid poſitiuum? hoc enim negatiuum non inſeruit pro declaranda natura entis, quia non eſt aliquid ipſi intrinſecum, nec aliquid abſolutum manifeſtare poteſt, quod ſit in ipſo ente, cum iam ens ſecundùm eſſe abſolutum poſitiuum conſideratum ſit. Preterea Appetitus noſter non tendit in bonum tranſcendentale, ſed determinatæ naturæ, cum appetat tantùm entia phyſica; hæc enim ſola ſubſiſtunt in ſeipſis, & poſsibilia ſunt, vnde etiam ſola appeti poſſunt, & idcirco non poteſt ens in ordine ad appetitum habere rationem appetibilis, ſeu boni, ſed ſolùm importare poteſt fundamentum illius bonitatis, circa quam tendit appetitus. Demum quando intellectus diſtinguit paſsiones in ente, vt debito modo procedat, neceſſe eſt, vt ei aſsignet paſsiones, quæ ſint proportionatę naturæ ipſius, Ratio autem entis tranſcendentis vt ſic ex natura ſua eſt prior quocunq. ente prædicamentali, ita vt in illo ſigno prioritatis nondum ſit aliquod ens prędicamentale, vtpotè quia nondum tranſcendentale contractum eſt, & determinatum: debet ergo in illo ſigno prioritatis habere ſuas paſsiones, quia ſtatim ac ponitur eſſentia, ponuntur etiam paſsiones: vnde antequam concipiantur entia prædicamentalia determinata, debent concipi paſsiones entis: quomodo ergo conſtituentur ex ordine ipſius entis ad animam, cum anima ſit ens prædicamentale, atq. determinatę naturæ, ita vt ſit poſterior paſsionibus entis.

Paſsiones entis ex diuerſa conſideratione entis.

Appetitus eſt circa entia phyſica.

Paſsiones entis non rectè diſtinguntur per ordinem ad animam.

X. Itaq. exiſtimo, nullam rationem à priori, & ex parte ipſius entis aſſignari poſſe, cur paſſiones entis tres ſint, & non pauciores, nec plures; non enim ens habet has paſsiones ex natura ſua independenter omnino ab intellectu, quaſi illi conueniant tanquam aliquæ perfectiones ſuperadditæ, & extra eſſentialem perfectionem ipſius; ſed cùm ſint de adæquato conceptu illius, ita vt ſolùm ſecundùm inadęquatos; & magis explicitos conceptus diſtinguantur, dependent ab intellectu, quòad diſtinctionem, & conſequenter quò ad numerum, & ideo non poteſt adeſſe aliqua cauſa à priori ex parte ipſius entis, cur tot numero ſint: ſed tot erunt, quot intellectus diſtinguere poterit concipiendo ens ſecundùm diuerſos conceptus inadæquatos explicitos, qui ſe habeant tanquam conſequentes ad aliquem priorem, qui loco radicis reſpectu cæterorum ſe habeat. Ex quo fit, quòd numerus paſſionum entis determinatus non poſſit oſtendi tanquam neceſſarius à priori per aliquam cauſam, cum illam non habeat: ſed potius ex facto dependeat, ita vt tot ſint, quot intellectus diſtinguit. Et quamuis intellectus in diſtinguendis huiuſmodi paſsionibus procedat cum fundamento, non tamen hoc fundamentum eſt ratio ſufficiens conſtituendi tot numero paſsiones, & non plures, aut pauciores; nam tale fundamentum non prouenit ab intrinſeco entis, quaſi in ſe contineat diuerſos gradus eſſentiæ, aut formalitates, cum ſit vna tantùm ſimplex, & omnium prima formalitas, & ſolùm videantur multiplicari formalitates, quatenus eadem magis, aut minus explicitè concipitur: ſed totum hoc fundamentum prouenit ab extrinſeco entis; & ex modo concipiendi noſtri intellectus; cum enim intellectus noſter attingat res aliquas cum ſuis paſsionibus, quæ important aliquas rationes ſuperadditas; & rurſus nequeat omnino explicitè concipere adęquatam rationem entis, ſed cogatur eam concipere pluribus conceptibus inadæquatis, vt totam explicitè concipiat: atq. etiam in his conceptibus explicitis inadæquatis concipiat aliquem ordinem, quo vnus ſe habet vt quid poſte-

Numerus paſsionum entis nõ habet aliquam cauſam à priori ex qua proueniat.

Numerus paſsionũ entis eſt tantus, quia tot intellectus diſtinguit.

rius

rius ad alium, ideò distinguit in ente plures passiones. Quòd autem hæ passiones sint tres, & non plures, solùm vt diximus ex facto prouenit, quia tot intellectus distinguit; quod enim sint tres satis patet, quia per vnamquamq. illarum aliquid diuersum explicatur, vt consideranti patebit, & magis manifestum fiet, cum singularum rationem formalem explicabimus. Quòd autem non sint plures, inde colligitur, quia intellectus non habet alios conceptus explicitos inadæquatos entis, qui aliquid aliud de perfectione entis explicent. Quod si aliquis alius conceptus inadęquatus explicitus ab his diuersus assignaretur, plures passiones essent constituendæ: dum autem non assignatur, sistendum est in illo ternario numero, qui solet assignari. Quòd autem non possit alius conceptus assignari, qui habeat rationem passionis, inde probabiliter suadetur, quòd per conceptum entis, & illos tres passionum censetur sufficienter explicata adæquata ratio entis.

Tres tantum passiones entis intellectus distinguit.

Quem ordinem seruent inter se passiones entis.

SECTIO II.

I. CVm tres sint passiones entis, vt modò vidimus, nempe Vnitas, Veritas, & Bonitas, superest, vt videamus, quomodo inter se ordinandæ sint. Supponitur autem, quòd hę passiones seruent aliquem ordinem inter se, ita, vt non omnes conueniant immediatè ipsi enti, sed vna ratione alterius. Et quidem, quòd seruent ordinem respectu ipsius entis, euidens est, quomodo enim essent aliquo modo passiones, nisi haberent aliquem ordinē posterioris respectu entis? Sed etiam inter ipsas passiones necessarius est aliquis ordo, cum enim sint conceptus inadęquati eiusdem quidditatis simplicis, nedum simplicitate physica, sed etiam metaphysica, & solùm distinguantur ab intellectu inadęquatè concipiente, non possunt ita distingui, vt disparatè se habeant, nec seruent aliquam connexionem inter se, sed semper ex vi vnitatis, siue simplicitatis eiusdem rationis formalis retinebunt aliquam mutuam connexionem, ex vi cuius concipiantur concurrere ad constituendam eamdem adęquatam essentiam, siue rationem formalem, quomodo enim si disparatè se haberent, possent constituere eamdem omnino indiuisibilem quidditatem? quæ enim disparatè se habent, non possunt in vnum per se vniri; & sicuti entia physica disparata non possunt facere vnum per se physicum, ita nec etiam rationes metaphysicæ adæquatè distinctæ, si tanquā disparatę se habeant, & multò minùs rationes, seu conceptus inadæquati si disparati sint, poterunt constituere eamdem indiuisibilem formalitatem. Et hoc pręsertim verum est, quia cum hæ passiones inadæquatè tantùm distinguantur ex eo, quòd vna non est extra aliam, retinent aliquam connexionem ex vi cuius vna infert aliam: sicuti vnitas eiusdem rationis formalis coadunat tantum illud esse, quod cogit in vnam quidditatem, ita etiam cum in plures conceptus inadęquatos, atq. inadæquatò modo distinctos secernitur, non tollitur omnino illa vnitas, sed tantùm inadęquatè, sicuti inadęquata est distinctio, & ideo stante inadęquata distinctione remanet aliqualis vnitas, quę habet vim connexionis. Ex quo infertur, quòd si passiones entis assigneutur per negationes, aut extrinsecas denominationes, adhuc debeant seruare ordinem inter se, quamuis Auersa doceat quęst. 4. suę Philosophię sect. 5. posse contingere, quod non seruent aliquem ordinem. Et ratio mihi euidens videtur, quoniam quando huiusmodi denominationes, vel negationes assignantur pro passionibus entis, debent assignari tanquam fundatę in ipso ente, & cum sint diuersę, debet vnaquæq. habere diuersum fundamentum, cui correspondeat, huiusmodi autem diuersa fundamenta seruabunt ordinem inter se; cum enim includantur in conceptu adęquato entis, recurrit eadem ratio, quę procedit de passionibus, prout sunt conceptus quidam inadæquati: & proinde negationes, aut denominationes seruabunt inter se eundem ordinem, quem seruant fundamenta.

Ordo aliquis necessarius inter passiones.

Etiam si per negationes aut extrinsecas denominationes assignentur. Auersa.

II. Supposito ergo quod seruent inter se aliquem ordinem, dicendum est. Ordinem esse talem, vt prius conueniat enti ratio vnitatis, deinde veritatis, postremo bonitatis. Ita communiter omnes, præsertim D. Th. 1.

Quem ordinem seruent passiones entis. D. Th.

par.

Albert. Magn. Alens. Iauel. Soncin Suarez Meurisse Amen. Andreas

par. quæst. 16. art. 4 ad 2. & quęst. 21. de Verit. art. 3. Albert. Magn. 1. par. suæ Theolog. tract. 6. quæst. 28. Alens. 1. par. quęst. 13. memb. 2. in solut. dub. 4. Iauel. 4. Metaph. quęst. 6., & in tract. de transcendent. cap. 1. Soncin. 4. Metaph. quæst. 24. Suarez in Metaph. disp. 3. sect. 2. Meurisse 2. suę Metaph. cap. 2. quæst. 2. conclus. 2. Anton. Andreas 1. Metaph. quęst. 1. & alij quamplures. Vt igitur totus huiusmodi ordo declaretur. Aduertendum est, quòd cum pasiones entis distinguantur solùm ab intellectu nostro, ordo quoq. ipsarum, qui necessariò supponit distinctionem, debet assignari cum ordine ad intellectum nostrum. Hinc prius concipimus radicem, nempe conceptum inadæquatum entis, quàm ipsas pasiones, præsertim, quia antequam ad aliquid reale deueniamus, necesse est concipere aliquid à nihilo contradistinctum, vnde antequam ad pasiones reales entis deueniamus, oportet prius concipere rationem contradistinctam à nihilo, nimirum rationem entis. Huic autem conceptui inadæqnato entis attribuenda est vnitas tanquam omnium prima pasio. Intellectus enim noster concipiendo esse alicuius, statim mouetur ad concipiendam indiuisionem illius, ita vt primus conceptus, quem de ipso explicitè format, sit eiusdem vnitas, siue indiuisio; nec est necesse, vt valdè rem conceptam expendat, quia vnitas adeo ei intima est, vt nihil aliud possit esse intimius: dum enim tale esse conceptum se habet in se constitutum, atq. in sua realitate subsistens, ita vt attingatur ab intellectu secundùm propriam rationem, ex hoc statim resultat vnitas, seu indiuisio in se, quoniam ex vi suę propriæ formalitatis constituitur in se indiuisum, & excludens omnem multitudinem, cum seipso consistat in indiuibili. Atq. concepto ente, simul etiam concipitur indiuisio, & solùm requiritur, vt aduertat, se concipere aliquid indiuisum. Vnitas enim est quidam conceptus inadęquatus entis, qui veluti modificat ens in ratione essendi, seu secundùm suum conceptum inadæquatum, cæterę verò passiones aliquid explicant, quod non spectet ad conceptum inadæquatum entis, sed sint quid extra illam inadæquatam rationem essendi, & ideo necessariò supponunt vnitatem, tanquam modificationem in ratione essendi. Et hoc etiam patet ex nostro modo concipiendi; non enim intellectus noster potest adscribere enti cæteras passiones, nisi supponat in ipso vnitatem, vt consideranti patebit. Et præterea absoluta in vnoquoq. sunt priora, quàm respectiua, quia per absoluta res constituitur in se, & per respectiua constituitur ordinata ad aliud, res autem prius constituitur in se, quàm ordinetur ad aliud. Per vnitatem autem importatur aliquid absolutum, si quidem per ipsam res constituitur indiuisa in se: cæterę verò passiones important ordinem ad aliud, nam veritas, vt dicemus, consistit in quadam commensuratione, qua ens cum sua idea commensuratur; supponimus enim, quòd ens importet aliquid participatum, & Deus non sit ens, sed supra ens, vt in superiori tomo abundè traditum est; bonitas verò consistit in quadam participatione diuinę bonitatis & sicuti supponit esse, in quo imbibatur, ita etiam supponit vnitatem eiusdem esse; & ideo hæ passiones sunt posteriores respectu vnitatis. Accedit etiam, quòd veritas est alicuius rei veritas, & bonitas alicuius rei bonitas: dum ergo supponunt aliquid, cui tribuantur, supponunt etiam eiusdem indiuisionem, quia non tribuuntur pluribus, sed vni tantùm. Quod confirmatur. Id cui veritas, & bonitas tribuitur, necessariò est vnum, aut multiplex, veritas enim est vnius, aut plurium veritas, ergo si consideretur veritas præcisa multitudine, & in vno tantùm accipiatur, iam supponet vnitatem, & ideò est ipsa posterior.

Vnitas prior cæteris passionibus entis.

III. De veritate autem etiam probatur, quòd scilicet sit prior bonitate. Veritas enim consistit in eo, quòd res habeat suum esse, sicuti habere debet; bonitas verò facit bonum idem esse; ex quo fit, quòd ex natura rei veritas prędecedat bonitatem: nam in tantùm res potest esse bona, in quantum habet suum esse eo modo, quo debet habere; si enim non haberet suum esse congruo modo, nullum haberet, quia necessariò esse cuiuscunq. rei debet commensurari ideę diuinę: dum autem non habet esse, quemadmodum debet habere, non potest fundare bonitatem, quia non habebit esse, in quo fundet: & si haberet, non fundaret bonitatem, sed malitiam

Veritas prior bonitate.

litiam, quia in tali esse sic participato inuolueretur defectus, qui ex genere suo est quid malum. Cum igitur bonitas fundetur in veritate. conuenit enti ratione veritatis; & consequenter erit ipsa posterior. Quod etiam confirmari potest. In non transcendentibus bonitas est posterior veritate, ergo etiam in transcendentibus. Consequentia tenet ex proportione, quam inuicem seruare debent transcendentia, & non transcendentia, cum enim transcendentia sint quędam inchoationes non transcendentium, necesse est, vt seruent eundem ordinem ad inuicem, quem seruant non transcendentia. Antecedens verò declaratur, nam in non transcendentibus veritas, & bonitas dicunt ordinem ad intellectum, & appetitum; verùm cum appetitus non possit tendere in aliquid, nisi ei per cognitionem proponatur, prius res ordinatur ad cognitionem ratione veritatis, quàm ad appetitum, quia necesse est, vt priùs apprehendatur bonitas ratione suæ veritatis, deinde proponatur appetitui: Ex quo fit, quòd bonitas, cum consistat in quadam congruentia ad appetitum, & ad ipsum ordinetur mediante veritate, debeat fundari in veritate, seu illam supponere, per quam res possit ordinari ad intellectum, & deinde superueniat bonitas, quæ ratione veritatis ordinetur ad appetitum. Vnicuique enim enti conuenit ordo ad intellectum, vt intelligibile, & ad appetitum, vt appetibile; quia autem prius est intelligibile, quàm appetibile, ideò in ipso prior est ordo ad intellectum, atque adeo veritas, quàm ordo ad appetitum, quem dicit bonitas. Quod rursus confirmari potest. In anima ita res se habet; vt priùs sit cognoscitiua, deinde appetitiua; atque ambo supponunt animæ vnitatem: eumdem autem ordinem debent seruare inter se appetibile, & cognoscibile, quia correspondent cognoscitiuæ virtuti, & appetitiuæ, ita vt proportionaliter eodem nodo se habeant, & quòd conuenit appetitiuo, & cognoscitiuo, debet seruata proportione correspondere appetibili, & cognoscibili, vnde si priùs est cognoscitiuum appetitiuo, prius etiam erit cognoscibile appetibili: præsertim, quia posito cognoscitiuo debet in eodem signo poni secundùm essentiam cognoscibile, cum illud per ordinem ad hoc intelligatur: vnde posito cognoscitiuo, vt priori appetitiuo, debet poni etiam cognoscibile, vt prius appetibili, & vtrumque debet supponere vnitatem. Quamobrem ascendendo ad transcendentia, quæ ad non transcendentia debent seruare proportionem, atque adeo eumdem ordinem cum ipsis obtinere, veritas prior erit bonitate, & vtraque supponet vnitatem.

In non transcẽdentibus prior veritas quã bonitas.

Idem colligitur ex proportione quã debent seruare ad animam.

IV. Quòd si contra prædicta obijcias. Veritatem, & bonitatem conuenire enti præciso quocunque extrinseco: vnitatem verò non conuenire enti, nisi ponatur aliquod extrinsecum, atque adeo vnitatem inter passiones entis obtinere postremum locum, quia quæcunque conueniunt alteri, præciso quocunque extrinseco, sunt priora, quàm ea, quę ipsi conueniunt dependenter ab extrinseco. Respondetur, quòd quamuis vnitas reddat diuisum à quocunque alio, reddit tamen etiam indiuisum in se ipso; quòd si comparentur adinuicem hę rationes nempe esse indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio, esse indiuisum in se est prius diuisione à quocunque alio, ita vt hæc diuisio à quocunque alio consequatur ab indiuisione in se, quę si sola, & precisè concipiatur, dicit integram rationem vnitatis, quia eo ipso, quòd aliquid intelligitur indiuisum in se, intelligitur etiam vnum. Hęc autem indiuisio in seipso conuenit enti præciso quocunque extrinseco, nam siue adsit aliquid extrinsecum, siue non, semper ex vi sui esse excludit à seipso multitudinem, atque adeo est in se indiuisum. Vnitas ergo secundum suam pręcisam rationem formalem conuenit enti præciso quocunque extrinseco, atque adeo non sequitur, quod sit posterior cæteris passionibus, cum falsum sit id, ex quo hoc deducebatur.

Obiectio

Solutio.

Quomodo vnitas cõueniat enti præciso quocunque extrinseco.

V. Ex his autem colligitur, perfectionem non constituere nouum transcendens supra illa, quæ enumerauimus, aut supra tres assignatas importare nouam passionem entis. Perfectio enim cuiuscunque rei dicit totum esse ipsius, prout debito modo se habet, & habet totum id, quod ad suimet constitutionem requirit; quia si esset extrinseca perfectio illius esse, importaret aliquod nouum esse, & ad summum posset esse ex-

Perfectio non est passio entis.

extrinseca perfectio entis. Igitur perfectio importat totũ esse adæquatũ ipsius, & inuoluit omnes cõceptus inadæquatos quos circa ipsum intellectus distinguere potest, siue sint passionum, siue ipsius entis, vnusquisque enim ex his conceptibus inadæquatis explicat aliquid de perfectione entis, & ideo adæquata perfectio ipsius consistit in omnibus simul sumptis: quod satis ex eo patet, quia nullus ex his conceptibus intelligi potest, quin includat propriam perfectionem, quæ tota postea est perfectio entis, & ideo perfectio etiam transcendentaliter accepta non importat nouum transcendens, aut nouam passionem entis. Prout autem ens intelligitur in seipso perfectum, intelligitur etiam verum, & bonum; nam verum debet sumi prout importat ens habens proprium esse cum debita mensura, atque cum proprio modo participationis, ita vt participet eo pacto, quo debet participare; hoc autem spectat ad perfectionem intrinsecam entis, quia si participaret absque debita mensura, esset imperfectum; carentia enim debitæ mensuræ importat magnam imperfectionem. Similiter etiam bonum pertinet ad perfectionem entis, quia consequitur bonitas ex veritate: atque quòd ens in se sit bonum, est quædam perfectio illius. Ex quibus sequitur, quòd tam verum, quàm bonum, prout sunt passiones entis, non debeant sumi prout sunt rationes perfectiuæ alterius, sed prout sunt rationes quædam constitutiuæ propriæ perfectionis eiusdem entis, ex quibus coalescit tota adæquata perfectio ipsius: vnde sumetur veritas, prout facit ipsum ens verum in se, & bonitas, prout similiter facit illud bonum in se, quod est valdè ad uertendum, quia inseruit pro soluendis pluribus difficultatibus, quæ fieri possunt tum circa naturam, & distinctionem earumdem passionum, tum etiam circa ipsarum ordinem.

Quomodo veritas & bonitas sumenda, prout sunt passiones essis.

VI. Quod verò spectat ad existentiam, & durationem, si sumantur quò ad exercitium, manifestè patet, non posse esse passiones entis transcendentis, quia conueniunt tantùm integris entitatibus physicis, quibus solis conuenit existere, & durare. Imo neque respectu entitatum physicarum, quæ durant, & existunt, possunt habere rationem passionis, quia ipsis conueniunt contingenter, & possunt non conuenire. Si verò sumatur existentia in actu primo, atque etiam duratio, prout dicit potentiam ad existendum, atque durandum, neque adhuc potest esse passio entis transcendentis, quia talis potentia ad existendum, & durandum reperitur solùm in integris entitatibus possibilibus, quæ habent sufficiens esse, vt se solis possint poni à parte rei: ens verò præcisè consideratum sicuti non potest poni se solo à parte rei, ita etiam ex se præcise non habet potentiam ad existendum, sed solùm sicuti est fundamentum realis entitatis, ita etiam est fundamentum huiusmodi potentiæ, quæ tanquam quid reale imbibit ens, atque in ipso fundatur.

Existentia & duratio nõ sunt passiones entis.

VII. Tertio colligitur, quid dicendum de illa doctrina, quam tradit D. Th. illa quæst. 21. de Verit. art. 3. qua docet, quòd si attendatur ordo perfectibilium per verum, & bonum, prius est bonum, quàm verum; quia, vt inquit ipse, ad plura se extendit bonum, quàm se extendat verum. Nam à vero illa tantùm possunt perfici, quæ possunt in se ipsis recipere speciem veri, vt contingit, quando anima intelligit v. g. lapidem, quæ in se recipit non esse lapidis, sed similitudinem repræsentatiuam illius; at à bono omnia ea perficiuntur, quę aliquod esse etiam materiale recipiunt, in hoc enim consistit ratio boni; quòd sit perfectiuum, vel secũdùm rem, vel secundùm rationem: omnia autem appetunt bonum; non autem omnia intelligunt verum. Deinde quia quæ possunt perfici à bono, & à vero per prius perficiuntur à bono, quàm à vero. Quia ex hoc quod participant esse, perficiuntur à bono: ex hoc verò quod intelligunt, perficiuntur à vero. Committitur enim in hac doctrina aliqua ęquiuocatio, dum non sumitur verum in eo sensu, quo sumitur bonum. Fatendum enim est, quòd bonum importet aliquid intrinsecum esse cuiuscunque rei, atque adeo bonitas entis importat aliquid ipsi intrinsecũm, & ideo participando esse, participat etiam bonum, & ab ipso perficitur. At veritas debet sumi transcendentaliter, vt scilicet in eodem sensu sumatur, in quo sumitur etiam bonum, non autem debet sumi prædicamentaliter pro ali quo

D. Tho. Eius doctrina expensa.

Verum prius bono, etiã si attendatur ordo perfectibilium per ipsa

quo peculiari genere veritatis: vt autem sumatur transcendentaliter, debet sumi prout reperitur in vnoquoque ente; non autem pro veritate cognitionis; vt autem sumitur, prout reperitur in vnoquoque ente, dicit, quòd tale ens participet esse iuxta suam debitam mensuram: atque in ente præciso dicit, quòd ens participet esse iuxta propriam mensuram. Et in hoc sensu etiam si attendatur ordo perfectibilium, prius est verum, quàm bonum, quia vnumquodq. perficitur tam vero, quàm bono hoc ipso, quòd esse participat, sed ex eo, quòd perficitur vero, perficitur etiam bono, quia ideo est bonum, quia habet esse iuxta propriam mensuram. Cæterum si verum sumatur prędicamentaliter, prout scilicet importat veritatem cognitionis, & etiam bonum sumatur prędicamentaliter, prout importat bonum correspondens appetitui: adhuc seruatur idem ordo: nam æque patet perfectibile per bonum, ac per verum; Sed quia ratione cognitionis tantùm tendit in bonum, ac ipsum assequitur, itaut sit prius cognoscere bonum, quàm ipsum appetendo prosequi, hinc verum prius est bono, quia perfectio per verum pręcedit perfectionem per bonum.

Quodn sit princ piū. per quod passiones de monstrãtur d ente.

VIII. Colligitur quartò. Principium, per quod passiones de ente demonstrari possunt, præsertim si loquamur de prima, esse ipsammet quidditatem entis, seu explicationem quidditatis entis, quæ quamuis non sit vera definitio, æquiualet tamen definitioni. Cum enim in qualibet scientia debeant dari principia, ex quibus demonstratiuè procedat in deducendis suis conclusionibus, hoc quoque concedendum est in Metaphysica, dum scientifico modo considerat ens tanquam fundamentum sui obiecti: & quia, ne detur processus in infinitum, sistendum est in aliquo primo indemonstrabili, quod intra talem abstractionem non habeat aliquod prius, & vniuersalius, ideo optimè hoc principium assignatur ex definitione, seu explicatione ipsius entis, quia ipsum ens est omnium primum, quod sit intra abstractionem metaphysicam, tum etiam quia est radix, & causa virtualis harum passionum. Et sicuti in alijs scientijs ex quidditate obiecti demonstrantur passiones, ita etiam, dum metaphysica circa ens versatur, debet ex quidditate ipsius demonstrare eius passiones tanquam ex radice, ex qua proueniunt, & per quam ipsi conueniunt. Vnitas ergo demonstratur de ente ex eo, quòd ens est id, quod habet essentiam. Quod enim habet essentiam, habet etiam indiuisionem eiusdem essentię, quia essentia illa seipsa coadunatur ad idem esse indiuisibile, cum non possit idem à seipso diuidi, vnde cum ens habeat essentiam, habet etiam indiuisionem eiusdem essentiæ, atque adeo vnitatem. Veritas autem demonstratur de ipso ente, quia quod habet essentiam, habet etiam mensuram eiusdem essentiæ, cum nulla essentia reperiri possit, quæ non sit iuxta mensuram sibi debitam: oportet enim, vt sit iuxta aliquam mensuram: vel ergo est iuxta propriam mensuram, vel iuxta alienam: non potest autem dici, quòd sit iuxta mensuram alienum, quia tunc haberet esse alienum, & non proprium, atque ad eo esset alia res: vnde necessariò debet habere esse iuxta propriam mensuram, cum igitur ens habeat essentiam, habet etiam mensuram eiusdem essentię, atque adeo veritatem. Ad demonstrandum verò bonitatem de ente, vt pote quia illi conuenit ratione veritatis, debet ipsa quoque veritas assumi tanquam medium: non enim ens est bonum, quia simpliciter habet essentiam, sed quia habet essentiam iuxta debitam mensuram. Bonitas enim importat quamdam congruentiam, qua vnumquodque iuxta proprium esse qualificatur; ideò vt aliquid sit bonum, oportet, vt habeat esse sibi congruens; quod autem habet esse iuxta mensuram sibi debitam, habet esse sibi congruens. cum ergo ens habeat esse iuxta debitam mensuram, habet etiam esse sibi congruens, atque adeo bonum.

Quomodo vnaquęque passio demonstretur de ente.

Anton. Andreas Reijcitur eius doctrina.

IX. Quinto colligitur. An vera sit doctrina, quàm tradit Anton. Andreas 4. Metaph. quæst. 5. dum docet, primum principium ostensiuum in Metaphysica esse illud, *Omne ens est ens*. Hoc enim non est principium, sed propositio identica, quæ non explicat ens inadęquatè conceptum sub ratione causæ virtualis suarum passionum, & ideo nullo pacto est aptum ad demonstrandum. Principia enim, vt sint apta ad demonstrandum, oportet, vt conti-

Ens est ens, non est primū principiū in metaphysica, & quod nō illud sit.

neant,

neant; atque proferant causam conclusionum, seu id, ex quo necessariò sequitur conclusio; hoc autem est definitio subiecti, aut ęquiualens definitioni, quando passiones præsertim prima de ipso demonstrantur. Sic in Physica ptimum principium non est illud *Corpus naturale est corpus naturale*, quia non explicat causam, & consequenter connexionem, ex vi cuius prima passio, aut aliqua alia conueniat subiecto, sed est illud, *Corpus naturale est habens naturam*. Vnde in metaphysica, siue ens ponatur obiectum, siue fundamentum obiecti, primum principium, quo demonstratiuè circa ipsum proceditur, non erit istud, *Ens est ens*, quia est ineptum ad demonstrandum, cum non assignet causam alicuius conclusionis, sed istud, *Ens est habens essentiã*; hoc enim modo assignatur quid ęquiualens definitioni, & causa virtualis passionũ.

DE PRIMA ENTIS PASSIONE, NEMPE VNITATE.

CONSIDERAVIMVS passiones entis in communi, nempe qualitatem earumdem, ordinem, & numerum; nunc consequens est, vt de ijs in particulari tractemus vniuscuiusque naturam speculantes. Quia autem, vt ostendimus, prima omnium est vnitas, ideo ab ipsa exordiemur. Et quia vnitas considerari potest, & pręcisiuè, & distributiuè; Pręcisiuè quidem, quatenus dicit illam vnitatem transcendentalem, & indeterminati generis, quę conuenit enti transcendenti, prout consideratur pręcisum ab inferioribus. Distributiuè verò, prout sumitur pro vnitate huius, & illius entis determinati generis, ideo in pręsenti considerabimus vnitatem pręcisiuè acceptam, quę conuenit enti transcendenti pręcisè accepto tanquam passio fundamenti obiecti metaphysici: deinde considerabimus vnitatem eiusdem obiecti, nimirum entis constantis ex intrinsecis principijs metaphysicis.

An vnitas sit passio Entis. Disp. IV.

Rationes dubitandi, & aliorum placita.

SECTIO I.

I. Diximus in pręcedentibus, assignando numerum passionum entis, vnitatem esse primam eiusdem, propter tamen difficultates, quę hanc doctrinam premunt, id diligentius discutiendum est, & inquirendum, quomodo sit passio illius, & an se sola cum ente adęquetur, an verò coniunctim cum aliqua alia. Ex duplici autem capite oritur difficultas; primò quidem, quia non videtur adęquari cum ente, & consequenter non videtur posse esse passio illius, cum passio debeat adęquari cum suo subiecto. Secundò quia non videtur fluere ab essentia, quemadmodum debet fluere passio. Ex hoc autem duplici capite consurgunt plures rationes dubitandi, & ideo antequam naturam vnitatis consideremus oportet prius determinare, an sit vera passio entis?

II. Prima autem ratio dubitandi ex eo desumitur, quòd, vt colligitur ex Arist. 10. Metaph. Ens diuiditur in vnam, & multa, & nonnulli existimant, hanc esse primam, & veram entis diui- Rationes dubitãdi, Arist.

sionem; eum autem membrum diuidens non possit æquè latè patere, ac diuisum, nec etiam potest esse passio illius, cum passio debeat dici ad conuertentiam, & consequenter equè latè patere, ac subiectum. Secunda. Si vnum esset quid posterius ente, & ens aliquid prius tanquam principium illius passionis. Vel ergo ens in illo priori est vnum, vel non. Si est vnum, ergo non per vnitatē, quæ sit passio entis & debeat esse posterior ente; si autem non est vnum, erit multiplex, quod dici non potest, quia est indiuisum in se; & deinde non posset habere vnitatem pro passione, quia passio non opponitur ijs, quæ conueniunt subiecto præcisis passionibus. Tertia, quia prima passio supponit proprium subiectum constitutum in proprio esse; si autem supponit constitutum in proprio esse, supponit etiam vnum, quia vnitas imbibitur in esse cuiuscunque; quare cum subiectum semper supponatur vnum ad quamcunque passionem, nunquam vnitas assignari poterit pro passione alicuius subiecti. Quarta autem ratio dubitandi procedit secundùm nostra principia: docuimus enim in priori tomo, quòd Deus non sit ens, sed quid supereminentius, & tamen est vnus; vnde cum vnitas alteri conueniat, quàm enti, quomodo poterit esse propria passio illius?

Secunda

Tertia.

Quarta.

III. Quinta ratio desumitur ex doctrina cuiusdam Recentioris; ita enim arguit. Fieri potest, quòd remaneat eadem entitas, & varietur vnitas, ita vt talis entitas modo sit vna, modò non sit vna, vt si accipiatur quantitas bipalmaris, & separetur aliqua pars illius, vt quantitas palmaris; hæc pars, dum est coniuncta, non est vnum ens, sed pars vnius entis; dum verò est separata, est vnum ens; & tamen siue separata consideretur, siue coniuncta, habet semper eamdem entitatem, cum ergo varietur vnitas manente ente, non potest esse passio illius, quia inuariato subiecto remanet inuariata passio. Quod etiam confirmari potest, quoniam si quantitas in plures partes diuidatur nulla fit acquisitio, vel deperditio entitatis, & tamen fit variatio vnitatis, cum ex vna re fiant plures, quomodo ergo vnitas erit passio entis? Sexta. si vnitas esset passio entis, quo magis aliquid esset ens, esset etiam magis vnum, quemadmodum quod plus entitatis possidet, etiam plus bonitatis habet, quia bonitas est passio entis: oppositum tamen contingit, nam dum quantitas diuiditur, aliquid entitatis amittit, illam nempe partem, quæ ab ipsa separatur, non tamen fit minus vna, sed potius magis vna, quia retinet minorem potentiam ad diuisionem. Quod si dicas, partes diuisas esse plures vnitates, quia sunt etiam plura entia, ità ut prius natura sint plura entia, quàm plures vnitates: tunc sic instari potest. quia in tantùm sunt entia in plurali, in quantùm sunt diuisa, & quatenus sunt diuisa, sunt plura, vnde prius sunt plura quàm sint entia in plurali. Quod præsertim verũ est, quia terminus per se diuisionis non est ens, cum per ipsam nihil producatur, sed multitudo, quæ prius resultare intelligitur, quam aliquid aliud. Deniq. in multorũ sententia vnitas addit supra ens aliquid positiuum, & consequenter, si esset passio entis, procederet in infinitum, quia hoc positiuum esset vnum, & ideo per aliquid superadditum, & rursus hoc superadditum esset vnum, & sic procederetur in infinitum, quia semper passio multiplicari debet ad multiplicationem subiecti.

Quinta.

Sexta.

Septima.

IV. Propter has duas posteriores rationes quidam Recentior existimat, vnitatem non esse propriè passionem entis; quamuis pro passione communiter assignari soleat: addit tamen in modo loquendi non esse recedendum à cōmuni locutione, & tanquam si esset passio entis sumendam esse, quamuis reuera non sit. Vasquez autem absolutè negat, Vnitatem esse passionem entis; si seorsim sumatur; ita habet 1. p. disp. 128. cap. 3. vbi docet, Vnum, & Multa simul sumpta esse passionem entis, quia neutrum ipsorum seorsim cum ente adæquatur, sed solùm cùm ipso adęquantur, si simul sumantur. Verùm communis sententia docet, Vnitatem esse veram passionem entis, non secus ac sint cœteræ, atque cum ipso adæquari, & ad conuertentiam dici. Ita tradunt ij omnes, qui tres illas passiones entis assignant, quos partim in superioribus citauimus, partim sumus infra citaturi, cum agemus de natura, & ratione formali vnitatis, & præcipuè habetur hæc sententia apud D. Tho. 1. p. quæst. 11. ar. 1. Caiet. ibidem, Soncin.

Quid sentiant auctores.

Vasquez

Communis sententia.

D. Tho.
Caiet.
Soncin.

Suarez. Auersa. Plato.

1. Metaph. quæst. 24. Suarez. in Metap. disp. 4. sect. 3. Auersam quæst. 5. suæ Philosophiæ sect. 1. & passim apud alios, præsertim in illo loco 1. partis Imo etiam hæc sententia fuit Platonicorum, & ipsius Platonis, quamis Auersa pro parte negatiua illos citet. nam Plato in Parmenide hæc habet *Neque ens vno, neque vnum enti deest; sed duo hæc potius per omnia cœquantur*. Vnde quando censet, Deum non esse ens, & nihilominus esse vnum, intelligit, quòd sicuti est supra ens, ità etiam sit vnus vnitate eminentiali: cùm verò ait materiã primam non esse ens, intelligit, quòd non sit ens inuoluens actum suæ essentiæ, nempe substantialem, non autem quòd non sit ens absolutè.

Vnitatem esse adequatam passionem entis.

SECTIO II.

Conclusio. Vnitas est passio æquata.

I. Dicendum ergo est cum communi sententia, Vnitatem esse passionem entis, & cum ipso adęquari. Hanc conclusionem adeo certam existimo, vt censeam nullo modo posse oppositum substineri, nisi magna absurda admittantur: & ex sola terminorum explicatione ita innotescere, vt nequeat intellectus rationabiliter procedens non assentiri. Desumitur autem hæc conclusio ex Arist. 4. Metaphys. tex. 3. vbi ait *Si itaque ens, & vnum idem, ac vna natura sunt, propterea quod se inuicem sequuntur, quemadmodum principium, & causa, sed non quod vna ratione significantur &c.* & lib. 10. Metaphys. tex. 7. inquit. *Dicuntur autem æqualiter ens, & vnum*: & text. 8. *Quòd autem idem quodammodo significat vnum, & ens patet etiam ex eo, quòd æqualiter sequitur prædicamenta, & in nullo est, nec in ipso quid, nec in ipso quale, sed similiter se habet sicuti ens* Et hoc ipsum habet passim pluribus in locis. Idem quoque docet D. Dion. cap. vltimo de diuinis nominibus, dum inquit *Nihil existentium est non participans vno*. (Arist. D. Dion.)

Prima ratio. Vnitas per se conuenit enti.

II. Atque etiam hæc conclusio efficacibus rationibus conuinci potest. Vnde primò argumentor. Vnitas conuenit enti per se, ita vt cum dicitur, Ens est vnum, sit propositio necessaria & ita ipsi conueniat vnitas, vt non possit non conuenire; imo etiam, vt supra diximus, vnitas est de adæquato conceptu entis, nec potest ens adęquatè concipi, nisi cum vnitate concipiatur. quod si quis peruicaciter id negaret, saltem hoc concedere cogetur, quòd vnitas sit quid identificatum cum ente, vnde Arist. tex. 8. lib. 10. Metaphys. vt modò citauimus, docet, quòd ens, & vnum idem quodammodo significant, & paulò post subdit *In prædicatione vnus homo non addit aliquid aliud, quam homo*. Et ad summum quis contendere potest, quòd addat negationem. Verùm tunc huiusmodi negatio habebit suum fundamentum in ente, ratione cuius illi conuenit, quod erit cum ipso ente identificatum; vnde saltem vnitas fundamentalis erit intrinseca enti, & negatio per se illi conueniet, vtpote necessariò consequens, & debita ratione talis fundamenti; & propterea, quocunque modo res se habeat; vnitas per se conueniet enti, quia quæcunque cum aliquo identificantur, per se illi conueniunt. Quæcunque autem per se conueniunt alicui, vel sunt de eius essentia, vel aliqua propria passio, nam si ad ipsum pertinent tanquam essentiale constitutiuum, sunt de ipsius essentia; si verò non pertinent vt essentiale constitutiuum, vt illi per se conueniant, necesse est, vt saltem per se connectantur cum ipso aliqua connexione necessaria; dum autem cõnectuntur cum ipso connexione necessaria, se habebunt tanquam passiones illius. Itaque cum vnitas, vt vidimus, per se conueniat enti, oportet, vt illi conueniat vel tanquam essentiale constitutiuum, vel tanquam passio. Quamuis autem ingrediatur essentiale constitutiuum tãquam quid intrinsecè modificans ipsum esse intra rationem formalem essendi, si ens secundùm conceptum adæquatum sumatur; si tamen consideretur secundùm conceptum inadæquatum, prout consideratur, quando tanquam radix passionum cõsideratur, tunc vnitas non pertinet amplius ad intrinsecum constitutiuum, sed se habet quemadmodum cæteræ passiones, vt quid posterius consequẽs ad ipsum; & per ipsum tanquam per causam virtualem est demonstrabile, vt vidimus in precedenti disputatione: & ideo habet rationem passionis; (Arist.)

Secunda ratio.

III. Atque hinc deducitur secunda ratio, quæ etiam præcedentem confirmat. Omne namque ens vel est simplex, vel compositum: atque hæc sunt duo membra, quæ totam latitudinem entis adæquant, quia fundantur in contradictione, nimirum in eo, quod aliquid sit compositum, & non sit compositum: si enim habet esse, atque hoc esse non est compositum, necessario erit simplex: vnde immediatè opponuntur, & alterum ipsorum debet necessariò cuicunque enti conuenire. quocunque autem modo ens se habeat, & siue simplex sit, siue compositum, semper habet vnitatem sibi congruentem; si enim sit simplex, habet vnitatem simplicitatis: si autem sit compositum, habet vnitatem compositionis; per compositionem enim, quæ sit vera cōpositio, fit quoddam vnum: & hoc verum est considerando vnumquodque ens seorsim, multitudo enim non habetur, quando entia seorsim considerentur, sed quando plura simul accipitur. Quare cum cuicunque enti conueniat sua vnitas proportionata, atq. ita per se illi conueniat, vt nequeat ens consistere sine tali vnitate, concludendum est, esse passionem illius; ita vt vnitas simplicitatis sit passio entis simplicis: vnitas verò compositionis sit passio entis compositi. Et proinde procedendo ab ente non transcendenti ad transcendens, vnitas transcendens eodem pacto se habebit respectu illius, ac se habet vnitas non transcendens respectu entis non transcendentis: si ergo respectu illius est passio, etiam transcendens erit passio respectu transcendentis. Et in confirmationem huius rationis adduci potest definitio proprietatis rigorosè dictæ. Illa enim est propria passio cum omni rigore, quæ conuenit omni, soli, & semper, vt definitur à Porphyrio, & communiter recipitur: hoc autem contingit in vnitate respectu entis, cuicunque enim enti conuenit sua vnitas, ita vt & semper illam habeat, & nullum ens sit, quod ipsa careat, & præter ens nihil aliud participet talem vnitatem, nam quamuis videatur conuenire etiam entibus rationis, nihilominus tamen ijs non conuenit aliqua vnitas, nisi quę sit mutuata ab ente reali, quoniam sicuti ens rationis mutuatur ab ente reali rationem entis, ita etiam mutuatur ab eodem rationem vnitatis; & ideo verum manet, quod nulli alteri conueniat vnitas, quàm enti reali. Quòd autem omni enti conueniant vnitas aliqua, patet, quia si ens est singulare, seu indiuiduum, prout solet reperiri à parte rei, illi conuenit vnitas singularitatis. Si verò per intellectum præscindatur à singularitate, & sic præcisum consideretur, illi conuenit vnitas quędam communis, seu vniuersalis, qua pluribus potest communicari. Quare cum vnicuique enti conueniat propria vnitas, erit consequenter passio illius, & cùm talis vnitas sit passio talis entis, vnitas vt sic erit passio entis vt sic, & vnitas transcendentalis passio entis transcendentis.

Omne ens vel simplex, vel compositum.

Omne ens habet vnitatem sibi proportionatam.

Porphyr.

Vnitati conuenit definitio passionis.

Tertia ratio.

IV. Tertiò argumentari possumus ex natura ipsius vnitatis. Vnitas enim nihil aliud de suo formali importat, quàm indiuisionem, qua vnumquodque in seipso constituitur indiuisum. Si autem ens transcendens consideretur secundùm suum proprium conceptum ab inferioribus pręcisum, ex vi eiusdem conceptus constituitur indiuisum in se, ita vt esse indiuisum necessariò sit connexum cum eiusdem quidditate, ergo ex vi suęmet quidditatis est vnum, ita vt vnitas per se illi conueniat tanquam passio, quia cum vnitas secundùm conceptum inadæquatum explicitum sit extra conceptum inadæquatum explicitum entis saltem inadæquato modo, jam talis vnitas se habet; vt quid consequens ab intrinsecis principijs ipsius, atque adeò est passio. Quòd autem ex vi suę quidditatis ens sit in se indiuisum, manifestum mihi videtur, nam importat tantùm in sua quidditate vnicam simplicissimam rationem formalem, quę neque est resolubilis in plures conceptus, vnde debet à se ipso excludere omnem diuisionem, quia in rerum quidditatibus diuisio nequit stare sine pluralitate rationum formalium, per quas huiusmodi quidditates constituuntur. Quod potest confirmari ex natura contradictoriorum. Ita enim se habent contradictoria ex natura sua, vt comparata ad aliquod subiectum, cui possint conuenire, necessariò alterum ipsorum conueniat: cum enim consistant in aliqua forma, atque negatione eiusdem formę, vel forma illa conue-

Ens ex vi propriæ quidditatis indiuisum in se

Confir.

Cur ex contradictorijs debeat semper alterum inesse.

nit

nit tali ſubiecto, & ſic illi ineſt contradictorium poſitiuum, vel non conuenit. & tunc illi ineſt contradictorium negatiuum. Vnitas autem, ſeù indiuiſio, atque diuiſio, ſeù multitudo conueniunt enti, ita vt ſit capax ipſarum, nam quod diuiditur in plura entia, eſt ens, vnde ſicuti eſt capax diuiſionis, ita etiam eſt capax indiuiſionis, Ergo ſi ens conſideretur ſecundùm conceptum inadęquatum explicitum, debet illi alterum ex his contradictorijs nempe diuiſio, aut indiuiſio conuenire. Quæro igitur, quod nam ex illis conueniat; non quidem diuiſio, quia tunc eſſet ex vi ſuę quiddatis in ſeipſo multiplex, quod fieri non poteſt, vnde enim haberet hanc multiplicitatem, atque pluralitatem, quę orietur ex diuiſione? Certè eam non poſset habere, niſi importaret plures rationes formales, per quas conſtitueretur talis multitudo, plures autem rationes formales importarent plura entia determinata; vnde non eſſet amplius ens vt ſic præcisè acceptũ, ſed ens contractum ad inferiora: quod cum dici non poſs t, f tendum eſt, nullam dicere pluralitatem, atque diuiſionem, ſed eſſe in ſe indiuiſum. Atque hoc verum eſſe, etiam ex eo conuincitur quod quando ens contrahitur, tunc diuiditur, ita vt nullam habere poſsit diuiſionem, niſi per contractionem, nam diuiſio importat plura entia, quę neceſſariò habent vnaquęque eſſe ſibi proprium, atque adeo contractum & determinatum. Quamobrem ſi conſideretur ens, antequam ſuſcipiat aliquam contractionem, nullam habebit diuiſionem. Deinde ſi ens vt ſic ex vi ſui conceptus inadęquati pręciſi non diceret omnimodam indiuiſionem, oporteret, vt includeret rationem formalem conſtitutiuam diuiſionis, quæ vt diximus non eſt aliud, quàm pluralitas rationum formalium: ex hoc autem ſequitur, quòd non eſſet communiſsima ratio entis, nã illæ rationes, quę formaliter conſtituerent diuiſionem, eſſent quędam rationes determinatę intra latitudinem entis, vnde conuenirent inter ſe in ratione entis; non autem eſſent formaliter conceptus inadęquatus entis. Quare conſtat, Ens illud, quod in ſe includit diuiſionem, non eſſe ens tranſcendens pręcisè acceptum, ſed eſſe entia inferiora, vnde non poteſt haberi diuiſio,

Omni diuiſio entis ex contractione p ſiut.

In communiſſima ratione entis nulla diuiſio.

niſi habeatur pluralitas entium, in qua reperiatur, atque adeò ens tranſcendens erit omnino indiuiſum in ſeipſo, atque obtinebit vnitatem tanquam paſsionẽ quia illi conueniet neceſſariò tanqnam quid conſequens ab inadæquato conceptu ipſius.

Soluuntur rationes dubitandi.

SECTIO III.

I. QVod docuimus in præcedenti ſect. magis planum fiet, ſi explicentur rationes dubitandi pro oppoſita parte ſect. prima adductę. Vnde ad primam, quę procedit ex diuiſione entis in vnum, & multa, ex qua videtur colligi, quòd vnitas non adæquatur cum ente ex eo, quòd ſit membrum diuidens in hac diuiſione, reſpondet D. Thm. 1. par. quęſt. 11. art. 1. ad 2. Poſſe, quòd eſt vno modo diuiſum, eſſe alio modo indiuiſum, quod enim eſt diuiſum numero, poteſt eſſe indiuiſum ſpecie, vnde etiam poteſt eſſe vnum, & multiplex, ſi diuerſimodè accipiatur: ita tamen vt quando eſt indiuiſum ſimpliciter, & ſolum diuiſum ſecundùm quid, ſit etiam vnum ſimpliciter, & ſolùm multiplex ſecundùm quid. Quando ergo ens diuiditur per vnum ſimpſiciter, & per multa ſecundùm quid, illa multa important aliquam vnitatem, ratione cuius diuident ens, vnde cum diuiditur per vnum, & multa, diuiditur quaſi per duas ſpecies unitatis, nam ipſa multitudo participat aliquo modo de unitate, ut docet etiam D. Dionyſ. cap. ultimo de Diuinis nominibus, in quiens, Non adeſſe multitudinem non participantem de uno. Quæ enim ſunt multa partibus, ſunt unum toto; & quæ ſunt multa accidentibus, ſunt unum ſubiecto. Hec tamen reſponſio difficilis eſt, quoniam cum dicitur, quòd ens diuiditur in unum ſimpliciter, & in multa ſecundùm quid, per hæc multa ſecundùm quid, uel importatur aliqua ratio multitudinis, uel aliqua ratio unitatis, quæ habeat annexam multitudinem, ita ut prout ſunt ratio diuidens, importent alterutram ex his rationibus. Si prout eſt ratio diuiſiua ſimul cum unitate importat rationem aliquam multitudinis, tum remanet difficultas, quomodo unitas, quæ opponi

Ad primam rationem dubitandi.

Reſponſio D. Th.

Expenditur.

Membra diuidentia debent esse simul natura.

-ur multitudini, sit passio adæquata entis, cum sit membrum diuidens, & adæquans ens simul cum multitudine. Deinde multitudo est posterior vnitate, constat enim ex pluribus entibus, quę singula vna sunt, quomodo ergo potest esse membrum diuidens simul cum vnitate, cum membra diuisiua alicuius rationis communis debeant esse simul natura, itaut vnum non sit posterius altero, nec illud supponat? Si verò importatur aliqua ratio vnitatis, quæ non sit vnitas simpliciter, sed secundùm quid, iam erit talis vnitas; & consequenter etiam alterum membrum diuidens erit talis unitas, quia si alterum ex membris diuidentibus dicit rationem aliquam determinato modo se habentem, alterum quoque dicit aliquam aliam rationem, similiter determinato modo se habentem; unde per hanc diuisionem diuidetur vnum quidem ens, sed unum ut sic per hoc tale, & tale unum, & non erit diuisio illa, de qua modo loquimur per quam diuiditur ipsum ens in unum, & multa. Accedit etiam, quòd vnum simpliciter à se excludit omnem diuisionem & unitas, quæ conuenit enti ut sic, & cum ipso adæquatur, excludit omnem penitus diuisionem ab ipso ente; nam diuisio, ut diximus in præcedenti sectione, non potest haberi sine multitudine entium, & multitudo entium non potest haberi sine contractione eiusdem entis: Ergo unitas simpliciter non potest esse membrum diuisiuum entis ut sic. Quòd si in ijsdem entibus multitudo consideretur, & etiam unitas, tunc quis non uidet, non posse esse diuisionem ueram; quia cum ijsdem entibus cum quibus adæquatur multitudo, adæquabitur etiam unitas? ratio autem, quæ adæquatur cum diuisio, non potest esse diuisiua ipsius; quia ex eo diuidit, quòd minus patet, & diuisum contrahit, ac coarctat.

Debent seorsim membra minus patere ac diuisum.

Explicatio aliorum responsionis.

II. Ideo Caiet. uidens difficultatem ut fugeret responsionem, alio modo procedit: ait enim quòd *simpliciter*, & *secundùm quid* non debet cadere supra membra diuidentia, ita ut sensus sit, quod illud, quod simpliciter est unum, & id quod secundum quid est multa, diuidant ens, sed debet cadere supra ipsam diuisionem, ita ut sensus sit, quòd vnum simpliciter continetur sub ente; multa uerò secundùm quid, nempe ratione vnius. Verum valdè improbabiliter loquitur, & contra mentem ipsius Diui Thom. assignat ly *simpliciter*, & *secundùm quid* unitati, & multitudini, non autem diuisioni: quod satis colligitur ex eo, quod, ut confirmet suam doctrinam, docet, aliqua esse ûnum subiecto, quia idem diuerso modo receptum potest esse unum simpliciter, & multa secundùm quid, vel è contra. & ait *Sic igitur ens diuiditur per vnum, & multa, quasi per vnum simpliciter, & multa secundùm quid*. Ex quibus patet, quòd tribuit ly *simpliciter*, & *secundùm quid*. membris diuidentibus, non autem diuisioni. Deinde in seipsa hæc doctrina falsa est, nam vnum non ponitur sub ente, cum adæquetur cum ipso, vt ibidem concedit ipse Caiet. quę enim sub aliquo ponuntur, minus patent, & ipsum coarctant. Vnde inquiro à Caietano, an vnitas adæquetur cum ente, an verò non adæquetur? Si adęquatur, quomodo potest esse mēbrum diuisiuum illius, cum membrum diuidens, ad hoc vt diuidat, debeat minus patere, quàm diuisum, & ipsum coarctare, ita vt eo ipso, quòd diuidit, contrahat? Si verò non adęquatur, iam non erit passio entis. Rursus quando aliqua ratio diuiditur, qualis est diuisio ex parte vnius membri diuidentis, talis quoq; est diuisio ex parte alterius membri, si ergo entis diuisio per vnum est diuisio simpliciter dicta, erit etiam diuisio simpliciter dicta, quādo diuiditur per multa; quia non potest aliquid diuidi simpliciter, & non diuidi simpliciter eadem diuisione.

Refellitur.

Diuisio rationis communis fit per contractionem.

III. Alij autem respondent, quòd cum diuiditur ens in vnum, & multa, nō diuitur ens per se, sed ens, quod abstrahit ab ente per se, & ab ente per accidens; ita vt ens vnum importet ens per se: Multa verò importent ens per accidens. Cum autem dicitur, quòd vnitas est passio entis, intelligitur, quod sit passio entis per se, non autem illius, quod abstrahit ab ente per se, & per accidens. Sed neq; hæc responsio subsistere potest: nam si datur hoc ens abstrahens ab ente per se, & ab ente per accidens, vel sic præcisum est in seipso indiuisum, & tunc habebit vnitatem, quæ sit passio illius, vel erit diuisum, & sic erit multiplex antequam per multitudinem diuidatur, quod nequaquam dici potest. Præterea, Ens per accidens,

Aliorum responsio.

Reijcitur.

uel

Enti per accidens conuenit vnitas per accidens.

vel consideratur cum aliqua vnitate per accidens, vt esset vnitas aggregationis, vel absq; vlla vnitate, & cum sola multitudine. Si primò modo accipiatur, tunc etiam ens per accidēs habet suam vnitatem proportionatam, atq; adeò quocumque modo accipiatur, vnitas adęquabitur cum ente, nam talis vnitas adæquabitur cum tali ente, & vnitas, vt sic cum ente vt sic, atq; adeò numquàm poterit esse membrum diuidens, quia neq; vnitas vt sic poterit diuidere ens vt sic, neq; talis vnitas tale ens. Si verò secundo modo accipiatur, tunc illud nō est ens per accidens, quia in tantum est tale, in quantum habet aliquam vnitatē per accidens, sed erunt plura entia per se vnde adhuc enti per se cōueniet multitudo. Et sanè ita dicendum est, quia si accipiatur vnumquodque ens per se seorsim, illi conueniet sua vnitas, si verò simul cum alio accipiatur, illi conueniet multitudo, & diuisio, nam semper cui conuenit forma, conuenit etiam priuatio eiusdem formæ; vnde adhuc remanet eadem difficultas, quomodo cum vnum, & multa diuidant ens per se, possint vnitas esse passio illius.

Enti per se cōuenit tum vnitas, tum multitudo.

Tertia responsio.

IV. Alij respondent, cum diuiditur ens in Vnum, & Multa, per vnum intelligi illud ens, quod est ita vnum, & indiuisum, vt sit simplex, nec possit in plura diuidi. per Multa verò intelligi illud ens, quod est quidem vnum, sed compositum ex multis, & in plura diuisibile; quam responsionem confirmant etiam ex Arist. 10. Metaph. tex. 9. vbi ita habet ***Opponuntur autem vnum, & multa, quorum vno vnum, & multitudo, vt indiuisibile, & diuisibile; quod enim aut diuisum, aut diuisibile, & multitudo quadam dicitur, quod verò indiuisibile, aut non diuisum, vnū.*** Sed neq; hæc responsio difficultatem soluit; nam quando dicitur, quod diuisibile est, opponi cum eo, quod est vnum, non intelligitur, quòd opponatur ratione alicuius vnitatis, quam dicat siue ratione compositionis, siue quocumque alio modo, sed quòd opponatur ratione alicuius multitudinis, quam contineat. vnde sic argumentor vlterius. Vel per multa intelligitur vnum diuisibile, prout importat aliquam vnitatem, vel prout importat multitudinem, & ablationem vnitatis. Si primò modo accipitur, iam non diuiditur ens, sed vnum vt sic per talem, & talem vnitatem, vnde adhuc

Arist.

restat difficultas de illa diuisione, in qua ens diuiditur in vnum, & multa, quę important multitudinem formalem, nam re vera vnumquodq; prædicatū diuisim dicitur de tota latitudine entis, quęadmodum dicitur substantia, & accidens, nam omne ens, aut est vnum, aut multiplex. Si verò altero modo accipitur, tunc currit eadem difficultas, quòd vnitas simul cum multitudine diuidat ens, atq; adeò neutrum ipsorum seorsim cū ente adæquatur. Deinde sicuti vnum cum simplicitate, & indiuisibile opponitur cum vno diuisibili, ex eo, quòd est quædam multitudo, vt inquit Arist. citatus, ita vnum vt sic opponitur cum multitudine vt sic: vnde prima diuisio debet procedere de multitudine in tota sua latitudine, & etiam de vnitate in tota sua latitudine.

Vnum, & multa adæquāt totam latitudinē entis.

V. Cęterùm si recolamus ea, quę diximus in priori tomo disp. 31. sect. 1. facilis erit solutio huius difficultatis; ibi enim docuimus, quòd quando ens diuiditur in vnum, & multa, non est vera diuisio, sed solùm habet quamdam similitudinem diuisionis, non quidem ex parte diuisi, sed ex parte membrorum diuidentium; cum enim vnum, & multa sint immediatè opposita, ita vt priuatiuè, aut cōtradictoriè opponantur, semper alterum ipsorum de ente verificatur, vt diximus etiam in pręcedenti sectione. Verū interuenit hoc discrimen, quod cuicumq; enti seorsim accepto cōuenit vnitas; multitudo verò non conuenit enti, sed entibus, ita vt plura simul debeant accipi: vnde prius enti conuenit vnitas, quia prius est in seipso seorsim à quocunque alio, deinde simul cum alio consideratur; & idcircò multitudo supponit vnitatem, quia quamuis sit destructiua vnitatis, tamen non destruit in entibus acceptis seorsim, sed solùm simul acceptis, atque adeò vnitas dicitur de vnoquoq; ente, & multitudo de pluribus entibus. Hinc autem fit, quòd tàm vnitas, quàm multitudo adæquent totam latitudinem entis, etiam si vnaquæque seorsim accipiatur, secundùm diuersum tamen statum considerati. Potest enim ens considerari in seipso, prout habet proprium esse, & hoc pacto adęquatur per vnitatem, & tunc est passio illius: potest verò considerari cum consortio alterius, & tunc habet alium statum, prout considerationi obijcitur, & adæ-

Vera responsio.

Qualiter accipēda diuisio entis in vnum, & multa.

quatur per multitudinem. Vnde vnitas, & multitudo, ficuti cõſtituunt diuerſum ſtatum entis, ita etiam diuidunt ens quodammodo ſecundùm diuerſum ſtatũ ipſius, ſecundùm quem poteſt ab intellectu conſiderari, non autem ſecundùm rationem entis. Vnde manet, quòd vnitas adæquetur cum ente, prout ſecundùm rationem entis conſideratur, & etiam diuidat ens modo explicato. Verùm quia multitudo propriè ſolùm conuenit entibus phyſicis, vtpotè quæ ſolùm verè diuiduntur, ita etiam vnitas, quę cum multitudine opponitur, erit ſolùm vnitas phyſica, ſeu entitatiua, quæ conuenit entibus phyſicis. Nihilominus tamen poteſt ſeruata proportione accipi etiam pluralitas, quæ oritur ex diſtinctione facta per intellectum, quæ tamen erit pluralitas quodammodo rationis, & tunc hæc pluralitas opponetur etiam cum vnitate metaphyſica, & ens metaphyſicum poterit eadem diuiſione diuidi ſeruata eadem proportione; & adhuc tàm vnitas, quàm multitudo cum ente adęquabitur modo illo explicato.

Ad ſecundam

VI. Reſponſio autem pro ſecunda ratione dubitandi colligitur ex ijs, quę diximus in ſuperioribus explicantes, quomodo ens habeat paſſiones, & quomodo ab ipſo diſtinguantur: diximus enim, diſtingui ſecundùm conceptus inadęquatos explicitos, atq; adeò ſolùm poſitis his inadęquatis conceptibus habere locum paſſiones entis: & inſuper non eſſe paſſiones metaphyſicas propriè dictas, quia inter ipſas, & ſubiectum deficit diſtinctio adęquata metaphyſica.

Quomodo vnitas ſit paſſio entis.

Quo ſtãte, vt vnitas obtineat talem rationem paſſionis, tàm ipſa, quàm ens debent ſolùm cõſiderari ſecundùm conceptus inadęquatos, & ſecundùm id, quod per hos conceptus inadęquatos important explicitè. Si ergo conſideretur ens ſecundùm cõceptũ inadęquatum explicitum, non eſt neq; vnum, neq; multiplex, quia neutrum horum exprimit, quamuis implicitè dicat vnitatem, ſed exprimit ſolùm rationem eſſentiæ, vt autem habeat vnitatem, requiritur aliqua maior expreſsio, per quam habetur alius conceptum inadæquatus, qui ſecundùm expreſsionẽ dicit aliquid amplius, & conſequens ad priorem conceptum, & ideò obtinet rationẽ paſsionis.

Ad tertiam.

VII. Ad tertiam autem rationem dubitandi dicẽdum eſt, quòd alio modo debemus philoſophari de paſsionibus entis, ac de cœteris. Cum enim paſsiones entis non ſint paſsiones propriè dictę, & ſolùm ſecundùm conceptum inadęquatum explicitum diſtinguantur ab ente, ita vt ſint de ipſius conceptu adæquato, non poſſunt ſupponere ens, cuius ſunt paſſiones completè conſtitutum in ſuo eſſe, quemadmodum cœteræ paſsiones ſupponunt ſuum ſubiectum, ſed ſolùm poſſunt ſupponere ens ſecundùm conceptum inadęquatum, importantem rationem eſſendi vt ſic, quia ſolùm ſunt paſſiones entis inadæquatè accepti; dum autem ſupponunt ens inadęquatè acceptum, non ſupponunt cum vnitate, quia in ſuo conceptu inadæquato illam non exprimit; & ideò optimè poteſt vnitas conſtitui pro paſsione entis, quia quamuis ſupponat ſubiectum ſiue ens, non ſupponit tamen cum vnitate, vt iam declaratum eſt.

Prima paſſio entis nõ illud ſupponit cu vnitate.

Ad quartam.

Quarta autem ratio dubitandi facilè ſoluitur ex doctrina, quam tradidimus in ſuperiori tomo, ſeu ex ijſdem principijs, ex quibus ipſa quoque procedit. Si enim dicatur, Deum non eſſe ens, ſed quid ſupereminentius, conſequenter etiam dicendum eſt, omnia, quæ Deo conueniunt, eſſe ſupereminentioris rationis; vnde neque habebit vnitatem, ſed ſupra vnitatem, quæ ſit eminẽtioris ordinis, quod etiam declarauit D. Dionyſ. cap. 1. de Diuinis nominib. dum inquit *Igitur ſupereſſentialitatem diuinam, qualis eſt ſuperbonitatis, ſuperſubſiſtentia, neq; vt verbum, aut virtutem, neq; vt animam, aut vitam, aut eſſentiam laudare eſt. Nihil enim eorum quæcunq; ſuper omnem veritatem ſunt, veritate dicitur: ſed omni habitu, motu, vita, phantaſia, opinione, nomine, verbo, virtute, intelligentia, eſſentia, ſenſu, collocatione, VNITATE, ſummitate, multitudine, omnibus quæcunq; ſunt exiſtentis ſupereminentem remotam.*

D. Dionyſ.

Quomodo Deo conueniat vnitas.

Ecce ergo, quomodo docet, Deum eſſe remotum ab ipſa vnitate; non quia ſit multiplex, ſed quia eſt ſupra ipſam vnitatem, obtinens eminentiori modo ſuam ſingularitatem: vnde cum dicitur vnus, concipimus eius vnitatem ad modum vnitatis rerum creatarum, cum tamen ſit vnitas longè eminentior, quam proprio conceptu intelligere nõ poſſumus, ſed eam veſtimus ſpecie vnitatis creatę; vt ſcilicet hoc pacto diuiſionem, & pluralitatem à Deo excludamus.

Ad quintam.

VIII. Ad quintam rationem dubi-

tandi negandum est, quòd manente eadem entitate, varietur vnitas; sed nulla fieri potest variatio in vnitate, nisi eadē fiat in ente, hoc enim congruū est, cum sit de conceptu adæquato ipsius. Vnde ad instantiam dicendum est, quòd cum pars quantitatis separatur per diuisionem à toto, tota illa variatio, quæ fit in vnitate, fit etiam in entitate illius quantitatis, quia sicuti illa pars, dum est vnita, non est vnum ens, sed pars vnius entis, ita etiam neq; est ens, sed pars entis pro cuius intelligentia sciendū est, quòd quæcunq; sunt in aliquo subiecto diuisibili, habent hoc, vt diuidantur ad diuisionem subiecti, atq; multiplicentur per diuisionem, quemadmodum etiam multiplicatur subiectum: & hoc præcipuè habet locum, si cum ipso subiecto identificentur tamquam metaphysica accidentia: tunc enim impossibile omninò est, quòd subiectum diuidatur, & non ipsa quoq; diuidantur, cum sint vna, atq; eadem entitas. Cum igitur vnitas sit in ente tamquam passio in subiecto cum ipso identificata, debet ad diuisionem subiecti diuidi, & ad ipsius multiplicationem multiplicari: vnde cum subiectum multiplicetur ad diuisionem, debet & tunc vnitas multiplicari. Cum ergo diuiditur pars quantitatis à toto consurgit ex vi diuisionis alterum vnum, nempe illa pars, quæ separatur, prius enim vnitas illius communicabat cum vnitate totius, per diuisionem verò tollitur talis communicatio, & vnitas illius partis ampliùs non communicat, sed constituit vnum incōmunicabile. Quamobrem tota mutatio, quæ fit in vnitate, non est, quia aliquid de vnitate acquiratur vel deperdatur, sed solùm quia vnitas, quæ cum alia communicabat, cessat communicare. Tota autem hæc mutatio contingit etiam in entitate quantitatiua, nam quando separatur aliqua pars quantitatis à toto, consurgit aliud totum ex vi diuisionis, illa enim pars vnita nō se habebat per modum totius, sed per modum partis, separata verò se habet per modum totius, quia entitas, quæ prius communicabat cum alia entitate, modò non communicat. Quare numquàm variatur vnitas, nisi eadem variatio contingat etiam in entitate. Atq; hinc potius cōfirmatur nostra sententia, quoniam cum vnitas sequatur omninò ens, & eamdem mutationem subeat, hinc etiam conuincitur, quòd sit necessariò cum ipso connexa, atq; per se illi conueniat, & habeat partes integrales, quando est in subiecto diuisibili, quemadmodum ipsum subiectū, in quas potest diuidi simul cum subiecto: ita vt in seipsa varietur eo pacto, quo in seipso variatur subiectum. Ad confirmationem dicitur, quòd in tali diuisione nulla quidem fit acquisitio, vel deperditio entitatis, sed neq; etiam fit aliqua acquisitio, aut deperditio vnitatis: sed, vt diximus, tota variatio vnitatis est penes separationem, qua vna pars vnitatis separatur ab alia, ita vt ex vi huius separationis consurgant tot vna, quot sunt partes. Verùm eadem variatio fit etiam in entitate, nam per diuisionem separantur partes entitatis, & vnaquæque pars fit aliquod totum entitatiuum.

Eadem variatio, quæ in vnitate, etiam in entitate.

Vnitas diuisibilis in ... lores, si ... in subiecto diuisibili.

Ad confirm.

IX. Ad sextam dico, Quòd sicuti ens in ratione essendi non suscipit magis, & minus, sed solùm ratione perfectionis; ita neq; vnitas recipit magis, & minus, quia consequitur ens secundùm rationem entis, nisi fortè sint vnitates diuersæ speciei, quæ ratione differentiarum possunt esse magis, aut minus perfectæ: vnitas tamen eiusdem entis numquam recipit magis, & minus, sicuti neq; recipit ipsum ens; & in hoc eidem enti proportionatur. Quia tamen ens potest crescere extensiuè, ideò vnitas quoq; in hoc ipsi proportionatur, nam crescit extensiuè ad augmentum entis extensiuum, vt patet, quando quantitas augetur: vnde in hoc sensu, quò magis aliquid est ens; idest quò plus habet entitatis, habet etiam plus vnitatis, & quo minus habet entitatis, habet etiam minus vnitatis. Dum autem per diuisionem tollitur à quantitate aliquid entitatis, nempè aliqua pars tollitur etiam aliqua pars vnitatis, illa nimirum, quæ separatur, & ideò quantitas fit minus vna extensiuè: intensiuè verò neque fit magis, neq; minus vna, quia non est capax huius intensionis: neq; retinet minorem diuisibilitatem, siue potentiam ad diuisionem, quia hęc potentia est de conceptu essentiali quantitatis, & ideò remanente eadem essentia, remanet etiā eadem potentia ad diuisionem, nec intensiuè fit maior, aut minor, sed solùm extensiuè. Dicitur autem minor quantitas habere minorem potentiam ad diuisionem, nō quia de se fit minus diuisi-

Ad sextam.

Vnitas recipit tantum augmentum extensiuè, quemadmodum ipsum ens.

bilis, sed quia difficilius est exercitium diuisionis propter necessitatem applicandi instrumenta, quibus diuidatur, cũ instrumenta materialia difficilius minori quantitati applicentur. Ad instantiam verò dicitur. Quòd diuisio formaliter terminatur ad separationem ex vi antè huius separationis habentur plura entia, & plura vna, ita tamen vt prius habeantur plura entia, & ex eo, quòd sint plura entia, fiut etiam plura vna: vnde in tantùm sint entia in plurali, non in quantũ sunt plura vna, sed in quantum sunt plura præcisè, ita vt pluralitas sit ratio formalis, cur sint plura, quæ quidem facit etiam vna in plurali, in quantum facit entia plura: & proinde falsum est, quòd sint prius plura, quàm sint entia; quia esse plura dicit pluralitatem ipsis exhibitam, pluralitas autem exhibetur entitati; & ideò implicat, esse plura, antequàm sint plura entia, quia eo ipso, quòd sunt plura, sunt etiam plura entia, cum tàm plura, quàm plura entia sint effectus formalis pluralitatis.

Entia prius sũt plura entia, quà plura vna.

Ad septimam.

X. Deniq; ad vltimam respondetur. Vnitatem addere supra ens conceptum inadæquatum explicitum, quo exprimitur indiuisio eiusdem entis. Hic autem conceptus explicitè dicit solam indiuisionem, seu rationem formalem vnitatis, non autem est quid positiuum, aut negatiuum; sed solùm implicitè dicit rationem positiui, sicuti etiam implicitè dicit rationem entis. Quamobrem est quid positiuum implicitè per eamdem rationem entis, cuius ipsa est passio, ex quo fit, quòd non distinguatur ab ipso secundùm conceptum adæquatum, sed solùm secundùm conceptum inadæquatum, Et ideò si inquiratur, an hoc positiuum sit vnum, respondetur esse vnum: Quòd si rursus inquiratur, per quid sit vnum, respondetur esse vnum per eamdem vnitatem, in qua inuoluitur hoc positiuum, quia sicuti vnitas accipit esse quid positiuum ab hoc positiuo, ita hoc positiuum ab vnitate recipit esse vnum; hoc enim positiuum est ipsum ens, quod sicuti facit vnitatem esse quid reale positiuum, ita ab ipsa recipit esse vnum. Et hoc pacto multiplicatur passio semper ad multiplicationem subiecti, quia multiplicato ente multiplicatur etiam vnitas, nec tamen sequitur aliquis processus in infinitum, quia hæc duo ens, & vnitas mutuò exhibent suos effectus formales, nec distinguuntur secundùm conceptus adæquatos. Tunc sequeretur processus in infinitum, quando vnitas ita esset aliquid positiuum, vt hoc positiuum esset quid contradistinctum à positiuo entis, & aliquid ipsi superadditum; verùm quòd vnitas superaddit enti, est sola ratio indiuisionis secundùm esse explicitũ. Addo etiam, quòd si adderet aliquid positiuum contradistinctum ab ente, huiusmodi positiuum non esset vnum vt quod, sed vt quo, quia esset ratio formalis, per quam ens constitueretur vnum, & ideò non indigeret vnitate superaddita, sed seipso esset vnum, quia rationes formales vt quo seipsis sunt tales: vnde neq; se haberet vt subiectum requirens nouam passionem vnitatis, sed esset ipsa passio, ad multiplicationem autem passionis non debet multiplicari passio eadem, sed solùm ad multiplicationem subiecti.

Quomodo non sequatur processus in infinitum ex eo, quòd vnitas sit quid positiuum

In quo consistat ratio formalis vnitatis. Disp. V.

Punctus difficultatis, & aliorum sententia.

SECTIO I.

I. DE hac vnitate, quam diximus esse passionem entis, statim in cõtrouersiam venit, quid de suo formali importet, & difficultas in eo consistit, an formaliter importet aliquid positiuũ, an verò negationem. Et vt punctus difficultatis intelligatur, aduertendum est, quòd quæstio non est de solo nomine vnitatis, vt asserit Suarez infra citandus, sed de ipsa formalitate vnitatis. Cum enim quæritur, quid de formali dicat vnitas, quæstio non est, quid nomine vnitatis intelligendum sit, sed quænam sit ratio formalis constitutiua vnitatis, qua ens verè cõstituitur in seipso vnum, seu quinam sit conceptus obiectiuus, qui correspondet huic termino vnitatis, an scilicet sit negatio aliqua, an verò

Punctus quæstionis.

aliquid positiuum. Certum enim est, quòd nomine vnitatis id intelligendum est, quo res redditur vna, & in seipsa indiuisa, sed difficultas est, an hoc sit quid positiuum, an verò negatio aliqua; vnde cum quæstio sit, an vnitas sit quid positiuum, an verò negatiuum formaliter loquendo, manifestum sit, quòd quæstio non procedit de nomine, sed de re ipsa.

Vnum intrinsece includit ens.

II. Certum est autem, Vnum in cõcreto sumptum importare ipsum ens, non connotatiuè tantũ, sicut cæcitas importat oculum, vt volunt aliqui Recentiores, sed in recto, & intrinsecè tãquàm subiectum, cui insit. Et ita specialiter docent D. Thom. in 1. dist.24. quæst.1. art.3. in corpore, & quæst.9. de potent. art.7. & 1. part. quæst.11. art.1. in corpore, Fasol. ibid. dub.1. cũ Arist. 4. Metaph. text.3. vbi habet *Ens & vnum idem, ac vna natura sunt, quemadmodum principium, & causa. Idem enim vnus homo, & ens homo. Et sicut non separatur ens in generatione, & corruptione, similiter, & in vno. Quare manifestum est, quòd additio in his idem significat, & quod vnum nihil aliud est, præter ens.* Et ratio manifesta est, quia vnũ cum cõcreto modo se habeat, participat vnitatem, tamquàm formam; si autem participat, cũ participatio non sit ficta ab intellectu, oportet, vt habeat fundamentum participandi, atque adeò quod sit ens, quomodo enim quod in se non est formaliter aliquid, potest aliud participare? Hinc de vno essentialiter prædicatur ens, quia ipsum intrinsecè inuoluit. Quando tamen significatur vt passio entis, licet in concreto proferatur, ratione tamen prædicati coarctatur vt stet pro abstracto, & ideò potest de ipso dici, quòd sit passio entis; quòd fluat ab ente, & alia huiusmodi possunt de ipso verificari, quæ significant distinctionem vnius ab ipso ente.

D.Th.

Fasol.

Arist.

Vnum dicit aliquid præter ens, & quomodo.

III. Verùm cum vnum per modum concreti se habeat, non solùm dicit ipsum ens significatum sub ratione entis, sed etiam aliquid aliud, quod non significetur explicitè sub ratione entis. Et hoc etiam expressit Arist. citato text.3. lib.4. Metaph. cum enim docuisset, quòd Vnum, & Ens sunt idem, subdit, *Sed non quòd vna ratione significantur.* Quod satis ex eo cõstat, quia diuersum conceptum formamus de vno, ac de Ente, vnde etiã consurgit alia explicatio Entis, & alia vnius; quomodo enim assignaretur ratione suæ formæ tamquàm passio entis, si nihil aliud diceret, nisi illud, quod sub nomine entis significatur?

Ad vnitatem cõcurrit aliquid positiuũ, & aliquid negatiuũ.

IV. Certum insuper est, quòd ad vnitatem concurrit, & aliquid negatiuum, & etiam aliquid positiuum. Quod inde colligitur, quia quod vnum est, non habet diuisionem, vbi autem non est diuisio, patet, quòd adest negatio ipsius, atque adeò hæc negatio diuisionis concurrit ex parte vnitatis. Verùm siue vnitas enti vt sic tribuatur, siue alicui enti determinato, atque se habeat tamquàm passio illius entis, cui tribuitur, debet consequenter in ipso fundari, non enim negatio illa diuisionis tribuitur enti absq; fundamento, sed ens illud, cui tribuitur, exhibet fundamẽtum talis negationis, quod sanè est quid positiuum: vnde hoc quoq; positiuum concurrit ex parte vnitatis. Venit ergo in controuersiam, in quonam formaliter consistat ratio vnitatis, an in negatione ista diuisionis, an verò in illo positiuo, quod est fundamentum talis negationis, ita vt negatio se habeat vt connotatum, positiuum verò, vt formale vnitatis.

Vnitas importat indiuisioné.

V. Illud autem, quod certum etiam est, & potest sternere iter ad indagandam veritatem, maximè præoculis habendum est, nimirum, Vnitatem consistere in indiuisione, qua res in seipsa redditur indiuisa. Cum enim vnitas formaliter opponatur diuisioni, non potest formaliter esse aliud, quàm indiuisio; hic enim est terminus oppositus diuisioni; vnde Arist. 5. Metaph. tex.11. ait *Vniuersaliter namq; quotcunq; non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur, vt puta si prout homo non habet diuisionem, vnus est homo; quòd si prout animal, vnum animal; quòd si prout magnitudo, vna magnitudo.* Ex quo sequitur, quòd vnitas de suo formali dicit id, quod per hanc indiuisionem importatur, in qua diximus consistere vnitatem: quòd si per ipsam importatur aliquid positiuum, vnitas consistet in aliquo positiuo, si verò importabit negationem, consistet in aliquo negatiuo. Et certè si superficialiter consideretur indiuisio, videtur importare aliquid negatiuum, nimirum exclusionem diuisionis, quod idem est, ac negatio ipsius; sed nõ ita statim concludendum est; contingit enim aliquando, quæ positiua sunt, explicari per negationem, quæ quidem ita explicantur, quia

Arist.

Quod per negationé explicatur, multoties est quid positiuum.

quia ratione perfectionis poſitiuę, quam dicunt, habent annexam negationem, quę in tali perfectione fundatur, vt cũ dicimus incorporeũ, explicatur quid poſitiuũ per negationem corporeitatis, quæ quidem negatio dicit excluſionẽ corporeitatis, ſed ſimul etiam ſignificat formale excluſiuum illius, quod eſt quædam poſitiua perfectio, in qua talis negatio fundatur; & hoc modo etiam per negationem explicamus poſitiuam perfectionem Dei, excludendo ab ipſo aliquas perfectiones, quę habent annexam imperfectionem, quem tradit D. Dionyſ. cap. 2. de Myſtica Theologia, & hic modus, quamuis per negationem procedat, explicat tamen aliquid poſitiuum, nimirum rationem illam, per quam aliquid tale remouetur.

D. Dionyſ.

VI. His igitur pro intelligentia tituli quæſtionis prænotatis. Prima opinio aſſerit, quòd vnitas de ſuo formali importat negationẽ, ſiue priuationem, non autem aliquid poſitiuum, quamuis huiuſmodi negatio fundetur in poſitiua ratione entis: volunt enim importare de ſuo formali indiuiſionem, quæ nihil aliud formaliter dicit, quàm negationem diuiſionis. Citatur pro hac ſententia D. Thom. in 1. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. & 1. part. quæſt. 11. art. 1. Caiet. in eodem art. Syluester ibid. Albert. 1. p. tract. 6. q. 28. memb. 2. Heru. quodlib. 4. quæſt. 1. Gabr. in 1. diſt. 25. q. 1. Baſſolis quæſt. 1. art. 1. & 2. Ocham. ibid. Capr. ibid. art. 1. Aegid. 1. par. diſt. quæſt. 2. Riccar. art. 1. q. 2. Aureol. quęſt. vnica art. 3. Mayron. diſt. 8. q. 7. art. 3. & diſt. 24. q. 2. art. 1. Argent. q. vnica art. 1. Hiſpal. art. 3. in quam etiam videtur inclinare Durand. & Gregor. ibid. Præterea Fonſeca 4. Metaph. cap. 2. quęſt. 5. ſect. 5. Iauel. q. 8. Aquar. ibid. dilucid. 2. Nyph. diſp. 3. Valentia tom. 1. diſp. 1. quęſt. 11. puncto 1. Faſol. 1. part. quęſt. 11. art. 1. dub. 3. Auerſa in ſua philoſophia quęſt. 5. ſect. 2. Gillius lib. 2. de Eſſent. Dei, tract. 3. c. 2. & alij quamplures præſertim in illo loco primę partis, & in 4. diſt. 24. Quamuis ſi quorumdam ex his doctrina expendatur, in tantùm negant vnitatem dicere de ſuo formali aliquid poſitiuum, in quantùm nolunt ſuperaddere enti aliquid poſitiuum, ſed ſolùm aliquam negationem: quidam enim ex his indicant, quòd etiam vnitas importet quid poſitiuum nempè ens indiuiſum, licet etiam dicat negationem.

Prima opinio. Vnitaté importare aliquid negatiuũ.

D. Th. Caiet. Syluest. Albert. He o. Baſſolis. Ocham. Gabr. Capr. Argent. Aegid. Hiſpal. Riccar. Aureol. Mayron. Durand. Gregor. Fonſeca. Iauel. Nyph. Aquar. Valẽtia. Faſol. Auerſa. Gillius.

Et hoc pręſertim intendit D. Th. nam ſi eſſet negatio formaliter, quia eſſet negatio diuiſionis, eſſet ſimpliciter ante noſtrum modum intelligendi poſterior diuiſione, quia negatio eſt poſterior forma negata, & tamen per D. Thom. citata quęſt. 1. part. art. 2. ad 4. docet, quòd vnitas eſt ſimpliciter prior diuiſione, & tantùm ſecundùm noſtrum modum apprehẽdendi poſterior, quod etiam ibid. habet Caiet. dicens à parte rei, eſſe priorem vnitatem. Et idem D. Th. art. illo 1. præced. ſolùm docet, quòd vnum non addit rem aliquam ſupra ens, ſed tantum negationem. Ex quibus conſtat non conſtituere formaliter vnitatem in negatione, ſed potius in poſitiuo, quia ſolùm poſitiuum eſt prius diuiſione.

VII. Sed quòd de ſuo formali non dicat aliquid poſitiuum, ſed negatiuum probant primò. Quia ſi dicit aliquid poſitiuum, vel huiuſmodi poſitiuum eſt ens, vel non. Si dicatur eſſe ens, ergo vnitas non eſt paſſio entis, quomodo enim ens erit paſſio entis? idem enim eſſet paſſio ſuipſius. Si verò non eſt ens, ergo non eſt aliquid poſitiuum etiam de ſuo formali, ſed ſolùm aliquid negatiuũ, quia omne poſitiuum eſt ens. Secundò ſi ſumamus conceptum entis pręciſum, quicquid in ipſo tamquàm aliquid poſitiuum includitur, eſt de eſsẽtia eiuſdem: vnde in modo pręedicandi debet eam formam ſeruare, quam ſeruant ea, quę ſunt eſſentialia rei, de qua prędicantur: quę autem ſunt eſſentialia, poſſunt in recto prędicari de ſubiecto, cui eſſentialia ſunt. Vnde vnitas quoque deberet poſſe in recto de ente prędicari, ſi eſſet quid poſitiuum, nam cum non poſſit eſſe diſtincta ab ente, ſed cum ipſo identificata, ſe haberet tamquàm aliquid ipſi eſſentiale; quod tamen conſtat, eſſe falſum, non enim vnitas tamquàm aliquid eſſentiale prędicatur in recto de re vna, neq; enim dicitur eſſentia hominis, aut homo eſt vnitas, neque ſimiliter ens eſt vnitas, & ideò ſufficienter à poſteriori colligitur, quòd vnitas non poſſit importare aliquid poſitiuum, quod ſit eſſentiale enti, & ideò nullo modo aliquid poſitiuum, quia extra poſitiuum eſſentiale enti nihil aliud poſitiuum reperitur. Tertiò. Quia cum omnis paſſio debeat concipi, quòd fluat à ſuo ſubiecto, vnitas quoq; debet ita concipi, vt fluat ab ente, at ſi eſſet quid poſitiuum formaliter

Fundamẽta allatæ ſententiæ. Primũ.

Secundum.

Tertium.

maliter accepta, non posset concipi tanquam quid fluens ab ente, quia esset similiter ens, ens autem non potest fluere ab ente. Quod etiam confirmari potest, quoniam ens in sensu composito, vt ens est, potest diuidi per sua inferiora, vnum verò, vt vnum est, in sensu composito non potest diuidi, ergo vnitas non potest esse ens, & consequenter neque aliquid positiuum. Quartò vnum est aliquod concretum ex forma, & subiecto, quod quidem subiectum est ens, forma verò est vnitas, seù indiuisio; quæ quidem indiuisio debet importare aliquam formam, quæ afficiat ens; huiusmodi autem forma non potest esse aliud, quàm negatio, quia extra ens est sola negatio. Huiusmodi autem concreta de formali significant formam, sicuti cœcum de formali significat priuationem, ergo etiam vnum de formali importabit negationem diuisionis, non autem aliquid positiuum. atque hoc pacto commodè explicatur, & percipitur conceptus vnitatis, nempe quod non sit multiplex, nec sit diuisum.

Quartum

VIII. Altera autem sententia est huic opposita; asserit enim, Vnitatem de suo formali importare aliquid positiuum, & ad summum connotare negationem diuision s, ita tamen vt formaliter vnitas consistat in positiuo, & negatio se habeat vt quid consequens. Continet autem hęc sententia duos modos dicendi. Primus quidem refertur à Soncinate mox citando, qui asserit, hoc positiuum, quod de suo formali importat vnitas, esse ens rationis, quod importat relationem identitatis ad seipsum, quæ est relatio rationis, p er quā vnum intelligitur indiuisum à seipso. Sed hic modus dicendi statim apparet falsus, quia si importaret relationem rationis, ens non esset vnum, nisi ei vnitas tribueretur ab intellectu, & quòd ens esset vnum, esset quid fictum ab intellectu, quod tamen quàm sit falsum, manifestè patet, quoniam ens habet suam vnitatem omninò independenter ab intellectu. Alter autem modus dicendi docet, quòd illud positiuum, quod de suo formali dicit vnitas, sit quid reale conueniens enti omnino independentèr ab intellectu. Ita docent. Albertus in sum. tract. 3. quæst. 24. ar. 2. & 3. Auicen. lib. 3. Metaph. c. 2. & lib. 7. c. 1. D. Bonauent. in 1. distin. 23. ar. 1. q. 1. Baccon. dist. 33. q. vnica ar. 2 Alens. 1. p. q. 1 3. membr. 2. Scot. in 2. dist. 3. q. 2. §. *Concedo igitur* & 4. Metaph. quæst. 2. Anton. Indr. quæst. 3. Mirandulan. tra. de Ente, & Vno, & in conclus. Philos. conclus. 64. Henr. in sum. ar. 21. q. 1. Soncin. 4. Metaph. quęst. 20. & 23. vbi docet, quod conceptus vnius constat ex negatiuo, & positiuo, ita tamen vt principalius dicat positiuum, & in recto; in obliquo verò negatiuum Tart. quęstion. vnica artic. 1. Flandria ibidem quęstion. 3. art. 8. Iandun. q. 4. Ven. cap. 15. suæ Metaph. Bannes. 1. par. q. 11. dubitat. circa ar. 1. Soto in pręd c. cap. de proprio Vasquez. 1. p. disp. 128. cap. 2. Serna in logica disp. 1. sect. 4. q. 6. ar. 1. §. 2. Hurtad. in Metaph. disp. 4. sect. 1. Meurisse 2. suę Metaph. cap. 3. quęst. 1. conclus. 1. Smising. tract. 3. de Deo Vno disp. 1. q. 1. & alij non pauci Cumel autem 1. par. q. 11. ar. 1. quęst. vnica, & Suarez. in Metaph. dispu. 4. sect. 2. vtrumque sententiam probabilem putant, & Cumel problematicè defendit.

Secunda opinio Vnitatē dicere aliquid positiuū

Primus modus explicatur & refellitur

Alter modus dicendi

Albertus Auiceo.

DBona Baccon. Alens. Scot. Anton. Andreas Mirand. Henr. Soncio. Tartar. Flandr. Iandun Venet. Bannes. Soto. Vasquez Serna. Hurtad Meurisse Smising. Cumel. Suarez.

Vera sententia.

SECTIO II.

HAnc posteriorem sententiam veram existimo, si debito modo accipiatur. Vnde dicendum est primo. Vnitatem de suo formali importare aliquid positiuum, seu illud, quod per indiuisionem, seu negationem diuisionis explicamus, esse quid positiuum. Hęc autem conclusio probatur primò, quoniam vnitas ex intrinseca sua natura petit sumi ab ipsomet esse rei, quę est vna, ita vt sit aliquid de ipso, non solum materialiter considerata, sed etiam formaliter in ratione vnitatis, vt contingit in rebus physicis, quarum vnitas est aliquid de esse physico earumdem, ergo si vnitas in ratione vnitatis est aliquid de esse rei, quę est vna, necessariò erit aliquid positiuum, quoniam totum esse ipsius est quid positiuum, & consequenter etiam quicquid de ipso accipitur. Quòd si in rebus physicis vnitas est aliquid de earumdem esse; idetiam concedendum est necessariò in ente vt sic, quia quamuis sit simplicissimus côceptus, habet tamen suam vnitatem, quę

Prima conclusio Vnitas importat formaliter aliquid positiuum.

Vnitas aliquid de esse rei, quæ est vna.

seruat

ſeruat eamdem proportionē ad ipſum; quam ſeruant cœterę unitates ad ſua entia. Quòd autem unitas in entibus phyſicis ſit aliquid de ipſis, & quid poſitiuũ, oſtendi poteſt inductione facta; reperiemus enim in omnibus id, per quod unũ redduntur, eſſe aliquid de ipſorum eſſe. Vnde enim Chriſtus dicitur unus homo, niſi ab una natura humana, qua in ratione hominis conſtituitur unus, ita ut unitas ſit intrinſeca ipſimet eſſe humano, & in cœteris quoq; eadem inductio fieri poteſt, & ſemper reperiemus, quòd unitas non eſt aliquid extrinſecum entitati, quæ una eſt, ſed intimè in ipſa imbibita, ita ut intra ſuum eſſe ſit una; quomodo ergo poteſt importare negatiuum aliquid de ſuo formali? negatio enim non poteſt intimè imbibi in entitate poſitiua, neque ipſam facere intrinſecè unam.

Cõfirm. II. Hic autem diſcurſus confirmari poteſt. Nam unaquęque res habet ſuam unitatem ſibi proportionatam, & propriam; atque proportio in eo conſiſtit, quòd talis ſit vnitas, quale eſt eſſe rei, quę per ipſam una eſt; unde homo habet unitatem ſpecificam, qua non quomodocunque redditur unus, ſed in ratione hominis, indiuiduum habet ſuam unitatem, qua ſimiliter non quomodocunque redditur unum, ſed incõmunicabiliter; alia uerò redduntur unum, ſed communicabiliter, ſimiliter ens tranſcendens redditur unum tranſcendētaliter, ita ut unitas tranſcendentalis faciat ipſum unũ proportionaliter ſuęmet tranſcendētię. Vnde iſti ſunt quidam modi unitatis, qui ab intrinſeco ſuo proportionantur cum re illa, quam faciunt unam. Quomodo ergo in ratione formali unitatis importare poſſunt aliquid negatiuum? ſi enim eſſent negatio, non poſſent habere hanc proportionem cum re una; ſicuti enim inter negatiuum, & poſitiuum non eſt conuenientia realis, ita neq; poteſt eſſe poſitiua proportio, & correſpondentia, quemadmodum debet eſſe inter ens, & unitatem. Secundò confirmatur. In Chriſto duplex natura diuina, & humana ita uniuntur, ut fiant unum in ratione ſuppoſiti, ſeu perſonę: ſi autem quęratur, vnde formaliter habeatur hęc unitas, non aliud reſponderi poteſt, niſi quòd habeatur ex vi perſonalitatis diuinę, qua verbum ſe ipſum naturę humanę communicãdo ſupplet perſonalitatem creatam, & per hanc perſonalitatem formaliter, ſicut ſuppoſitat naturam creatam, ita etiam ſimul facit, quòd Chriſtus ſit vna perſona ex duabus naturis; & perſonalitas eſt illa, qua formaliter fit huiuſmodi vnio, tamquam per rationem formalem vniendi: vnde ratio formalis cõſtitutiua huius vnitatis eſt quid poſitiuum, & conſequenter quęcumque alia vnitas, cum hoc neceſſariò ſequatur ex proportione ſeruanda inter omnes vnitates; ſi enim talis vnitas dicit aliquid tale poſitiuum, nempè talem poſitiuam rationem vnitatis, ita unitas ut ſic dicet rationem poſitiuam unitatis ut ſic, & unitas tranſcendentalis rationem poſitiuam, qua ens reddatur poſitiuè unum tranſcendentaliter.

Vnitas proportionatur cuicunq. rei.

Vnitas perſonæ in Chriſto habetur per aliquid poſitiuũ

III. Secundò, & faciliori ratione probatur noſtra concluſio. Vnitas de ſuo formali importat perfectionem, qua unumquodq; unum perficitur in ſuo eſſe quò ad modum eſsendi concernētem eumdem gradum eſſentiæ, ergo de ſuo formali importat aliquid poſitiuum. Conſequentia hæc euidens eſt, quia ſi importat perfectionem, importabit id conſequēter, in quo fundatur perfectio, nimirum rationem poſitiuam, quia omnis perfectio in aliquo poſitiuo fundatur. Quòd autem unitas importet perfectionem, quod erat antecedens huius argumenti, ex eo colligitur, quòd quo magis aliqua unum ſunt, eò etiam perfectiora ſunt, ut conſtabit inductione facta per ſingula genera unitatum: omnia enim, quæ una ſunt, uel ſunt una unitate ſimplicitatis, uel unitate compoſitionis. Si ſunt una unitate cõpoſitionis, tunc habent perfectiorem modum eſſendi, quam ea, quæ ſunt unum unitate aggregationis; quod enim eſt unum unitate compoſitionis, eſt magis adunatum in unam perfectionem, quàm ea, quæ ſolùm ſunt unum per aggregationem, & ideo perfectiori modo important ſuum eſſe. Rurſus inter ea, quę ſunt unum unitate compoſitionis, ea magis perfecta ſunt, quæ ſunt unum unitate eſſentiali, quia perfectiori modo in unum eſſe perfectum coaleſcunt. Quæ ſunt unum unitate ſimplicitatis, adhuc magis perfecta ſunt ratione eiuſdē ſimplicitatis, quam quæ ſunt unum per cõpoſitionem, quia ſimplicitas facit ut eſſe rei perfectiori modo ſe habeat, & eminentiori modo participet eſſe: unde ſemper vnitas ex genere ſuo importat

Secunda ratio.

Vnitas de ſuo formali importat perfectionem.

ali-

aliquam perfectionem quò ad modum essendi intra eumdem gradum essendi, cui tribuitur vnitas: & propterea unitas quoq; transcendentalis importa bit proportionatam perfectionem, nempè transcendentalem quò ad esse transcendentale.

Vnitas simplicitatis importat de suo formali perfectionē.

IV. Atq; in confirmationem huius rationis addi potest, quod vnitas non solùm numerica, sed etiam simplicitatis tribuitur Deo, tamquàm quid ipsi intrinsecum, atqne per hanc vnitatem, & simplicitatem significatur maxima perfectio Dei, ita vt ex eo formaliter perfectus sit, quòd simplex est, & omninò vnus. Cum ergo per negatiuum non possit formaliter significari aliqua perfectio, oportet, vt vnitas illa simplicitatis, sicuti de suo formali importat perfectionem congruentem diuinæ naturæ, importet etiam aliquid positiuum, & cōsequenter etiam vnitas transcendentalis seruata proportione importet aliquid transcendentale positiuum. Quin addo, unitatem importare perfectionem simpliciter simplicem, cum enim per ipsam vnaquæque res constituatur in seipsa indiuisa, atq; meliori modo se habeat unumquodque si sit in seipso indiuisum, quàm si esset diuisum, quoniam,dum est indiuisum, habet magis coadunatam propriam perfectionem, atq; habet esse iuxtà propriam mensuram, hinc consequenter fit, quòd unitas sit melior in vnoquoque, quàm non unitas, atq; adeò sit perfectio simpliciter simplex, quæ nihil aliud importat, quàm aliquid, quod in vnoquoque sit melius ipsum, quàm non ipsum. Quis enim non videt, quòd dum res habet suam vnitatem, habet id, quod ab intrinseco suo exigit, & eo modo obtinet esse, quem suamet idea ipsi præfigit, atque adeò etiam perfectiori modo se habet? Quod etiam ex eo patet, quia vnitas secundùm suum esse formale tribuitur Deo; ipsi autem non potest tribui aliqua perfectio, quæ non sit simpliciter simplex, quando secundùm esse formale tribuitur. Atque hinc fit, quòd non possit aliquod ens concipi adequatè perfectum intra suum gradum, nisi etiam concipiatur habere suam unitatem, dum enim absq; unitate intelligitur,inadæquatè concipitur,& ueluti imperfecto modo,quod satis indicat,unitatem pertinere ad eius intrinsecam perfectionem, & proinde unitas quoque transcēdentalis spectabit ad intrinsecam perfectionem entis ut sic; ideò enim diximus, esse de eius adæquato conceptu.

Vnitas perfectio simpliciter simplex.

Ens imperfectū sine vnitate.

Respōsio

V. Conabitur tamen aliquis vim argumenti effugere, dicens, vnitatem posse considerari fundamentaliter, & formaliter:fundamentaliter quidem importare perfectionem, quia importat ipsum ens, in quo fundatur; formaliter uerò non importare perfectionem, sed solùm quid negatiuum. Verùm si attentè considerentur, quæ modo dicta sunt, conuincunt,quòd unitas de suo formali, & non ratione solius fundamēti importet perfectionem: nam maior,aut minor vnitas non habetur ratione fundamenti, sed ratione formalitatis ipsius vnitatis, quia magis ,& minns secundùm aliquam rationem cadit supra id formaliter, quod imbibit talem rationem formalem; si ergo maior unitas reddit rem magis perfectam, ita ut, quæ maiori aliqua unitate unum sunt, sint ratione ipsius unitatis perfectiora: necesse est, ut unitas de suo formali importet perfectionem, quia se ipsam secundùm proprium esse formale exhibendo facit rem perfectam, & quò maior est, facit magis perfectam. Præterea quandò unitas, & simplicitas tribuitur Deo, tribuitur secundùm propriam rationem formalem, ita ut ipsamet simplicitas formaliter censeatur perfectio in Deo: simplicitas autem secundùm suam rationem formalem nihil aliud importat, quàm speciem quamdam unitatis: quare si simplicitas dicit in ratione unitatis talem perfectionem,qualibet unitas, ut seruet debitam proportionem dicet aliquam proportionatā perfectionem, & vnitas transcendentalis dicet suam perfectionem transcendentalem quò ad modum essendi transcendentalem. Deinde quòd aliquid ex eo, quòd vnum est, seu indiuisum in se, sit secundùm mensuram proprij esse, id habet ratione vnitatis formaliter acceptæ, si quidem ratione illius habet, quòd sit in seipso indiuisum, & ex eo, quòd est indiuisum formaliter, est secundùm mensuram proprij esse; vnde, cum esse secundùm mensuram proprij esse,sit perfectio ipsius rei, oportet, quòd vnitas formaliter secundùm formalem rationem vnitatis importet aliquam perfectionem, atq; adeo aliquid positiuum.

Reijcitur

Quomodo ratione vnitatis formaliter habeatur perfectio

Res etiā ratione vnitatis conformis sua mensura

Tertia ratio.

VI. Et possumus addere tertiam ratio-

tionem, quæ præcedentem quoq; confirmat. Ponatur, quòd vnitas dicat formaliter aliquid negatiuum, & solùm ratione fundamenti quid positiuum: tunc sumo hoc positiuum, quod dicitur esse fundamentum vnitatis, & de ipso quæro, quid importet. Non potest dici, quòd importet ipsum ens præcisè secundum suum conceptum inadequatum essendi, quia ratio essendi reperitur tam in vno, quàm in multitudine, & ideo ex se præcisè non potest esse tale fundamentum, vt ratione ipsius sit debita negatio diuisionis. Debet ergo hoc positiuum esse aliquid, cui sit debita negatio diuisionis, atq; adeo importare debet aliquid peculiare, ratione cuius ens ita constituatur in suo modo essendi, vt excludat à se omnem diuisionem: ex eo enim quòd excludit diuisionem, debetur illi negatio diuisionis; vnde præter negationem ens, vt vnum est, importat tale esse, quòd à se excludat diuisionem; & ideo præter ipsam negationem diuisionis debet concedi positiuum aliquid, quod, vt quo, sit exclusiuum diuisionis, & sit fundamentum huiusmodi negationis. Huiusmodi autem positiuum erit formaliter vnitas, nam de se importat aliquid, quo ens constituitur in se, & intrinsecè vnum, & est formale exclusiuum diuisionis, verè enim in intrinseco esse entis non includitur diuisio aliqua: vnde oportet, quòd tali pacto se habeat, vt excludat à se diuisionem; quòd si à seipso excludit diuisionem, iam habet exclusiuum illius, quod nullum aliud erit, quàm fundamentum illud positiuum, quod facit, vt ipsi sit debita negatio diuisionis: at quomodo excludet diuisionem, nisi reddat simul vnum? non enim concipi potest exclusio diuisionis, nisi simul concipiatur vnitas. Deinde negatio ista diuisionis est peculiaris negatio, non enim quodcunq; indeterminatè negat, sed coarctatur ad negandã diuisionem. Ex hoc porrò fit, quòd debeat habere aliquod positiuum fundamentum, quod ratione sui esse formalis determinatum sit ad fundandam talem negationem: videmus enim, si inductio fiat in cæteris negationibus, quòd semper omnis determinata negatio conueniens alicui subiecto habet etiam determinatum fundamentum positiuum in eodem subiecto, atq; tale fundamentum opposito modo se habet respectu illius, quod per negationem tollitur: sic negatio corporeitatis, aut materialitatis, quæ alicui enti conuenit, fundatur in aliquo positiuo, nempè in tali esse illius rei, quod importat determinatum gradum essentiæ, qui opposito modo se habet respectu esse materialis, aut corporei; & idem quoq; contingit in cæteris negationibus. Et ratio est, quia sicuti, vt negatio tribuatur subiecto veluti necessariò ab ipso consequens, necesse est, vt habeat fundamentum in ipso, sic vt illi tribuatur talis negatio determinata, oportet, vt habeat in eodem subiecto fundamentum determinatum: præterea cum hæc determinata negatio auferat aliquid determinatum ex eo, quòd ipsa habet talem determinationem, atq; proportionetur cum suo fundamento secundùm hanc ipsam determinationem, hinc fit, quòd fundamentum debeat habere oppositionem cum eo, quod per negationem aufertur; sicuti enim talis determinata negatio ita aufert id determinatè, quod negat, vt non auferat aliquid aliud, ita etiam fundamentum debet habere aliquam oppositionem cum eo, quod per negationem aufertur, alioquin cum negatio veluti ab ipsius intrinseco sequatur, & cum ipso proportionetur, & ab eodem suam determinationem accipiat, non posset fundamentum hæc ipsi conferre, nisi haberet aliquam oppositionem cum eo, quod per negationem tollitur, si quidem habet negatio talem determinatam oppositionẽ ab ipso fundamento. Quapropter fundamentum quoq; positiuum illius negationis, quam importat vnitas, erit aliquid determinatum, & oppositum cum eo, quod tollitur per talem negationem, nempe cum diuisione; Cum autem diuisio opponatur solum vnitati formaliter in ratione vnitatis consideratæ; tale positiuum importabit rationem formalem vnitatis, atq; adeo vnitas in ipso consistet, non autem in negatione; quomodo enim huiusmodi fundamentum haberet talem oppositionem, & fundaret negationem, quæ determinatè diuisionem auferret, nisi importaret formalem rationem vnitatis? quicquid enim aliud ponitur, quod sit fundamentum talis negationis, non potest negatio habere talem determinationem, qua determinatè auferat diuisionem.

VII. Quartò argumentari possumus

Fundamentum positiuũ negationis diuisionis est formaliter vnitas.

Fundamentum negationum determinatum, &

Oppositum eo, quod per negationem tollitur.

Fundamentum negationis diuisionis est formaliter vnitas.

Quarta ratio.

mus ex quibusdam vnitatibus, de quibus facilè conuincitur esse quid positiuũ. Si enim inspiciamus vnitatem compositi substantialis, aut etiam vnitatem essentialem, siue formalem, reperiemus vtramq; esse quid positiuum. Vnitas enim compositi substantialis dicit entitates positiuas sibi inuicem exhibitas in ratione actus, & potentiæ, vel etiam modum substantialem superadditum, & ex vi suę formalitatis tanquam causa formalis habet constituere effectum formalem positiuum, nempe positiuam naturam completam, & compositum substantiale, quę sunt quid positiuum. Rursus etiam vnitas essentialis, siue formalis importat aliquid positiuum, quia est vnitas in pluribus; hinc enim est vnitas essentialis, quia est vnitas in pluribus secundùm essentiam, ita vt talis vnitas positiuo modo coadunet ea, quę sunt eiusdem essentię in vnam naturam genericam, vel specificam; & sicuti talis vnitas importat eamdem naturam, quę in seipsa eadem est, ita etiam importat aliquid positiuum, quo eadem natura in seipsa vna reddatur vnitate essentiali, dum enim redditur vna in seipsa, necesse est, vt dicat positiuam rationem vnitatis. Ex his autem deducitur, vnitatem quoq; transcendentalem debere de suo formali importare aliquid positiuum. Primo quidem, quia vnitas transcendentalis transcendit per omnes alias vnitates, non secus ac ratio entis vt sic transcendit per omnia entia, ergo si vnitas transcendentalis diceret de suo formali aliquid negatiuum, quælibet vnitas ex vi vnitatis transcendentalis deberet dicere aliquid negatiuum, quia deberet seruare proportionem ad vnitatem transcendentalem, & consequenter vnitas quoq; compositi substantialis, atq; vnitas essentialis; quemadmodum si ens vt sic diceret aliquid negatiuum, cœtera quoq; entia dicerent aliquid negatiuum; transcendentia enim imbibuntur in non transcendentibus, atq; inter ipsa adest debita proportio, nec potest negatiuum imbibi in positiuo. Quod si hæ vnitates, vt probatum fuit, important aliquid positiuum, debet quoq; vnitas transcendentalis importare aliquid positiuum. Secundò autem probatur eadem consequentia, quia vnio substantialis, & essentialis, quatenus vnitates sunt, faciunt vnum vt sic, quatenus verò tales vnitates sunt, reddunt tale vnum: si ergò talis vnitas est quid positiuũ, vnitas quoq; vt sic debet esse quid positiuum, quia differentia positiua fundatur tantùm in ratione superiori positiua. Præterea. Vnitas transcendentalis est prima inchoatio cuiuscunq; vnitatis, siquidem in ipsa incipit ratio aliqua vnitatis, quæ postea per differentias superuenientes determinatur ad talem, & talem vnitatem: eo autem pacto, quo aliquid inchoatur, debet etiam perfici, & si inchoatur aliquid negatiuum, debet negatiuo modo compleri, & si aliquid positiuum, debet positiuo modo perfici; ita vt impossibile sit negatiuum per positiuum compleri, aut econtra positiuum per negatiuum, quia complementum debet esse proportionatum cum eo, quod inchoatur, & eiusdem ordinis. Cum ergo habeamus vnitates aliquas, quæ positiuo modo complentur, oportet concludere, quòd vnitas transcendentalis, quæ est earumdem inchoatio, sit quid positiuum.

[Margin notes: Quædam vnitates positiuæ. — Vnitas transcẽdentalis positiua, quia trãscendit per omnes vnitates. — Differẽtia positiua requirit rationẽ superiorẽ positiuã. — Vnitas transcẽdentalis quid positiuum quia cõpletur per aliquid positiuum.]

VIII. Posset tamen aliquis respondere. In composito substantiali posse considerari vnionem, & esse indiuisum in se, & similiter etiam in vnitate essentiali posse considerari, & esse ipsius naturæ, quod est vnum, atq; idem, & indiuisionem, per quam constituitur indiuisa essentialiter: atq; vnionem; Atq; esse naturæ esse quidem aliquid positiuum, indiuisionem verò esse aliquid negatiuum. Hæc tamen responsio facilè reijcitur; nam quamuis verum sit, quòd indiuisio importet aliquid negatiuum, si sumatur pro negatione diuisionis, vt per se patet, tunc tamen non dicit rationem formalem vnitatis. Quòd si sumatur indiuisio prout importat rationem formalem vnitatis, tunc dicit ipsa quoq; aliquid positiuum, quod est formale constitutiuum vnius. Ea enim ratione formaliter compositum est indiuisum in se, qua est vnum, cum per id, quòd indiuisum sit, nihil aliud dicat, quàm quòd à se ipso excludat diuisionem, ac cum intelligitur vnum, eodem conceptu intelligitur etiam indiuisum, & eodem cõceptu, quo intelligitur indiuisum, intelligitur etiam vnum: si ergo per aliquid positiuum formaliter est vnum, etiam per aliquid positiuum erit in seipso indiuisum. Præterea. Sumo vnionem illam, qua constituitur compositum, vel etiam illud esse naturæ, & inquiro, an reddat vnum, an

[Margin notes: Respõsio. — Impugnatur. — Esse vnũ, & indiuisum idem formaliter.]

non, hoc secundùm dici certè non potest, quia vnio exhibet suum effectum formalem composito, atq; natura illa à pluribus participatur, & eo ipso, quòd participatur, facit quòd sint eiusdem essentiæ, & consequenter seipsam exhibendo facit, quòd sint vnum essentialiter. Si ergo reddit vnum, reddit etiam indiuisū, quia quod est vnum, ea ratione, qua est vnum, est etiam indiuisum, siquidem vnitas ex se formaliter excludit diuisionem, atq; adeo reddit indiuisum. Tertiò considero compositum, quatenus compositum est, & sic argumentor. Ideo compositum est vnum, & in seipso indiuisum, quia compositum est, ergo ea ipsa ratione formaliter constituitur in seipso indiuisum, qua constituitur compositum. Sed per vnionem positiuam constituitur compositum, ergo per eamdem constituitur etiam in seipso indiuisum, & propterea esse indiuisum erit quid positiuum, cum sit effectus formalis causæ positiuæ.

Quinta ratio.

IX. Quintò argumentor ex oppositione, quæ est inter vnum, & multitudinem, seu diuisionem. Vnum enim formaliter, vt vnum est, opponitur multitudini, seu diuisioni formaliter acceptæ, ita vt vnitas secundùm eam rationem, qua aliquid constituitur vnum, opponatur rationi illi, per quam aliquid constituitur multiplex, seu diuisum in se, ergo vt seruetur oppositio inter has rationes, debet vnitas esse quid positiuum secundùm suam formalem rationem vnitatis, secundùm quam opponitur. Hæc autem consequentia declaratur. Nam ratio multitudinis, seu diuisionis consistit in aliquo negatiuo, vt ergo interueniat aliqua oppositio inter ipsam, & vnitatem, debet vnitas consistere formaliter in aliquo positiuo, quod importet id, quod per diuisionem tollitur, & multitudinem; multitudo enim, & diuisio importat negationem identitatis, qua ablata pluralitas consurgit.

Vnitas opponitur multitudini tanquam alicui negatiuo.

Responsio

X. Sed responderi potest. In multitudine duo posse considerari, nempe negationem identitatis, seu continuitatis; & entitates positiuas, quibus coalescit. Oppositio ergo, quam habet vnitas cum multitudine; consideranda est non respectu negationis, sed respectu entitatum positiuarum, quæ multiplices sunt, & ideo ex parte multitudinis extremum oppositionis positiuum est, ex parte verò vnitatis negatiuum. Non tamen huiusmodi responsio subsistere potest, & si res diligenter perpendatur reperiemus, oppositionem esse respectu multitudinis secundùm negationem identitatis, aut continuitatis. Inquiro enim, an vnitas opponatur multitudini coalescenti ex pluribus entitatibus, quatenus dicit huiusmodi entitates, an verò prout dicit multiplicitatem, seu an ex parte multitudinis ratio formalis oppositionis sint ipsæ entitates secundum rationem entitatis, an verò sit multiplicitas. Primum dici non potest, quia cum vnitas sit passio entis, & vnitas physica sit passio entis physici, sequeretur, quòd passio opponeretur proprio subiecto, à quo originatur, oppositione contradictoria, aut priuatiua, quod nequaquam dici potest. Vnde oportet dicere, quòd opponatur illis entitatibus, prout multiplices sunt, ita vt ratio oppositionis sit ipsa multiplicitas; at multiplicitas secundùm suam propriam rationem importat aliquid negatiuum, quia licèt materialiter dicat entitates, formaliter tamen dicit ablationem identitatis, siue continuitatis, aut vnionis inter easdem entitates, & ideo ex parte vnitatis debet ratio oppositionis importare aliquid positiuum. Præterea posita aliqua entitate diuisibili, si sit continua, atque eadem sibi ipsi, nullam importat multitudinem: si autem auferatur identitas, aut continuitas, statim habetur multitudo; quod manifestè indicat, multitudinem constitui in esse multitudinis formaliter per aliquid negatiuum, nempe per ablationem identitatis, aut vnionis, quæcunque illa sit, quatenus talis ablatio est ratio, cur habeantur plura entia, seu plures vnitates; itaut quamuis multitudo consistat in illa pluralitate entitatum, non possit tamen saluari illa pluralitas, nisi inuoluatur negatio illa, qua qualibet vnio aufertur. Ex quo fit, quòd pluralitas, siue multitudo formaliter accepta, ita importet plures entitates, vt simul etiam importet negationem, quæ in illa pluralitate entitatum inuoluatur. Si ergo multitudo in ratione multitudinis formaliter importat aliquid negatiuum, debet vnitas importare aliquid positiuum, cum oppositio sit in ratione vnitatis, & multitudinis formaliter. Confirmatur hic discursus. In multitudine datur negatio identitatis, qua ablata

Reijcitur

Quomodo vnitas opponatur multitudini.

Negatio vnionis, aut identitatis cõstituit multitudinem.

ablata non adest multitudo, posita autem ex vi ipsius, licet nihil aliud ponatur, ponitur multitudo, debet ergo ex parte vnitatis correspondere forma positiua, quę per talem negationem auferatur, ita vt habeat oppositum effectum formalem; atque hæc forma nulla alia erit, quàm identitas, siue vnitas. Sicuti ergo positio huius negationis aufert identitatem, & vnitatem, & constituit multitudinem, ita identitas, siue vnitas debet excludere multitudinem, quemadmodum excludit negationem illam, qua constituitur, & ponere vnitatem, quę sit aliquid positiuum; identitas enim est vnitas rei, quæ est eadem sibi ipsi: vnde restat, quòd ex parte vnitatis se teneat aliquid positiuum, quo res formaliter constituatur in esse vno.

XI. Confirmatur principaliter tota hæc ratio. Vnitas, & multitudo ita se habent, vt altera ipsarum debeat necessariò esse aliquid negatiuum; ita enim se habent, vt se inuicem destruant, atque excludant, & vna sit ablatio alterius. Vt autem videamus, quę nam ipsarum positiuo modo se habeat, inspiciendum est, quęnam prior sit; cum enim positiuum sit prius negatiuo, & forma prior negatione eiusdem, ex eo, quòd negatio supponit formam, & dicitur per ordinem ad ipsam ex eo, quòd ipsam tollit, consequenter etiam in vnitate, & multitudine debet illa esse quid positiuum, & se habere tanquam forma, quę est prior; alioquin, si, quæ est posterior, esset quid positiuum, forma esset posterior negatione, quod valde absurdè diceretur. Si ergo vnitas, & multitudo inuicem comparentur, profectò vnitas est prior multitudine secundùm rationem multitudinis consideratam; nam multitudò, vt talis est, requirit plures vnitates, in quibus fundetur, & consequenter supponit vnitatem tanquam præcedentem. Et valet regula prioritatis, quam tradit Aris. in Postprædicamen. cap. de Priori, quòd illa priora sint, à quibus non valet conuertentia secundùm subsistendi consequentiam, inter vnitatem autem, & multitudinem non valet ista conuertentia, nam posita vnitate, non ponitur multitudo, at posita multitudine ponitur etiam vnitas; vnde vnitas prior est multitudine: ex quo fit, quòd debeat vnitas importare aliquid positiuum. Nec valet, si dicatur, vnitatem esse posteriorem multitudine, prout importat entitates simul sumptas, & ideò posse dicere aliquid negatiuum; Quia entitates quoque simul sumptę inuoluunt entitatem vnam, atque adeò supponunt vnitatem tanqnam principium ipsarum, nisi enim esset entitas vna, non essent entitates plures simul, & illa posita non ponuntur: at positis entitatibus simul acceptis ponitur etiam entitas vna; & ideo adhuc vnitas prior est multitudine hoc pacto accepta.

Positiuũ prius negatiuo

Vnitas prior multitudine.

Aris.

Alia responsio An multitudo sit negatio negationis.

XII. Secundo alij resp. Multitudinem esse negationem negationis, quia intellectus potest reflectere supra aliquã negationem, & illam negare. Verùm non euacuant difficultatem, licet enim possit intellectus vnam negationem de alia negare, non tamen vt oppositum de opposito. quę enim oppositio interuenit? non contraria, quia hęc non nisi inter extrema positiua. Non contradictoria, aut priuatiua, quia hęc requirunt alterum extremum positiuum. Non deniq. relatiua, vt per se patet. Deinde hoc negotium non conficitur sine intellectu concipiente, & negante negationes; nos autem loquimur de multitudine, & vnitate, vt sunt à parte rei.

Sexta ratio.

XIII. Sexta quoque, & valdè efficax ratio afferri potest. Si vnitas formaliter diceret negationem, ex vi suę met formalitatis esset aliquid contradistinctum ab ente, atque ipsi contradictoriè oppositum. Hoc autem nullo pacto dici potest, ergo neque quòd sit aliquid negatiuum. Sequel. maioris patet ex ipsis terminis: ens enim importat aliquid contradistinctum à nihilo, negationibus, & priuationibus, quia ens dicit aliquid positiuum, negatio verò tollit positiuum, & est non ens. Minor etiam declaratur, quoniam, cum vnitas sit passio entis, non potest cum ipso contradictoriè opponi; non enim passio est destructiua subiecti, quemadmodum vnum contradictorium necessariò destruit alterum, sed perficit subiectum: & quamuis vnitas habeat annexam negationem, quę neget diuisionem, & consequenter etiam comparata cum ente, vtpote quia in se nihil est, contradictoriè se habeat, non tamen censetur passio entis, sed quid annexum cum passione ipsius, quemadmodum omnes negationes annexæ sunt cœteris entibus positiuis. Et confirmari potest. Ens ita descendit ad inferiora,

Contradictoriũ entis seu negatio non potest esse passio ipsius.

vt trahat secum omnes suas passiones in ipso imbibendas, quia passiones metaphysicæ imbibuntur in ijs, in quibus imbibitur subiectum, atque suum contradictorium ab ijsdem excludat, & propterea ad quæ descendit ens, non potest ipsius contradictorium descendere, cum formaliter per ens expellatur, ergo cum vnitas descendat, ad quę descendit ens, non potest dicere negationem, quia tunc diceret contradictorium entis. Et quamuis dicatur, vnitatem dicere talem negationem, nempe diuisionis, & ideò non esse contradictorium entis, non tollitur difficultas, quia talis negatio ad huc dicit rationem negationis vt sic, & inuoluit contradictorium entis, seu ipsum nihil; vnde adhuc contradictorium entis descenderet ad inferiora.

Occurritur responsioni.

XIV. Et in confirmationem huius rationis adducere possumus, quòd ens prædicatur de ipsa vnitate nedum in concreto, sed etiam in abstracto sumpta; de quocũque autem prędicatur ens in recto, debet esse aliquid positiuum; vnde propter hanc prędicationem, diximus in superioribus, quòd quamuis passiones entis non dicant explicitè ens secundùm suum conceptum inadæquatum, dicunt tamen implicitè. Cum igitur ens prædicetur de vnitate, quomodo vnitas erit quid negatiuum? Quod autem ens prędicetur de vnitate, inde patet, quia nedum dicitur, *Vnum est ens*, sed etiam *Vnitas est ens*, & vera est huiusmudi prędicatio, & proinde ens intrinsecè imbibitur in ipsa vnitate. Quod si quis negaret, veram esse hanc propositionem *Vnitas est ens*, facilè conuinci potest: nam de quo non prædicatur vnum contradictorium, debet prędicari alterum, quia alterum ipsorum necesse est inesse; si ergo de vnitate non prędicatur ens, prædicabitur nihilum; est autem absurdum, quòd vnitas sit nihil, non solùm quia contradictorium entis esset ipsius passio, sed etiam quia habet formaliter præstare est aliquid vt tale, nempe reddere vnum, quomodo autem, quod est nihil, pręstare potest aliquid seipsum exhibendo. Hinc dicitur *Ens est vnum*, vnde vnitas prędicatur de ipso tanquam quid qualificatiuum, quomodo autem nihil prędicari potest de positiuo? Deinde si vnitas transcendentalis esset nihil, omnes vnitates ex vi vnitatis vt sic debere esse nihil, quod, quàm absurdè dicatur, ex se manifestum est.

Ens prædicatur de vnitate in abstracto.

XV. Denique desumitur hęc conclusio ex Arist. 4. Metaph. tex. 3. qui docet, idem esse ens, & vnum, ita vt non possint inuicem separari: inquit enim *Si itaque ens, & vnum idem, ac vna natura sunt, propterea quòd se inuicem sequuntur, quemadmodum principium, & causa, sed non quòd vna ratione significantur, nihil quidem refert, si etiam similiter putabimus*; quinimo *magis proderit; idem enim vnus homo, & ens homo, ac homo, at non significat diuersum aliquid secundùm dictionem repetitam, idest homo, & homo, & vnus homo. Patet autem, quòd non separatur ens nec in generatione, nec in corruptione; similiter & in vno. Quare manifestum est, quòd additio in his idem significat, & quòd vnum nihil aliud est, praeter ens.* Quare si vnum idem est cum ente, & ab ipso omnino inseparabile, oportet, quòd ipsa ratio formalis vnitatis identificetur cum ente, non enim ens, & vnum essent idem, nisi ratio formalis vnitatis esset identificata cum ente. Quod si identificatur cum ente, quomodo potest esse aliquid negatiuum? Pręterea lib. 6. tex. 7. & 8. vult vnum significare aliquam naturam, ita vt non importet quidem naturam diuersam ab ea, quam importat ens illud, quod vnum est, sed quòd simul cum ipso sit eadem natura, & insuper docet, idem quodammodo significare, ac ipsum ens. ita enim habet. *Quod igitur in omni genere ipsum vnum aliqua natura est, & quod nullius hoc ipsum vnum natura est, patet, quemadmodum enim in coloribus ipsum vnum vnus color quærendus est; ita & in substantia vna substantia ipsum vnum, quod autem idem quodammodo significat vnum, & ens, patet etiam ex eo, quòd æqualiter sequitur prædicamenta, & in nullo est.* Quamobrem si vnum idem quodammodo significat, ac ens, & est eadem natura cum ipso, necesse est, quòd vnitas importet aliquid positiuum.

Arist.

Vnum idem cum ente.

XVI. Secundò dicendum est. Vnitatem dicere quidem in recto aliquid positiuum, connotare tamen negationem diuisionis, quam dicat in obliquo, tanquam quid cum seipsa necessariò connexum. Hoc autem est commune omnibus oppositis positiuis, quia cum ex vi proprij esse excludant alterum oppositum, siue positiuum, siue negatiuum habent consequenter annexam negationem illius; & hoc ipsum contingit in

Secunda conclusio. Vnitas importat in obliquo negationem diuisionis.

vni-

vnitate respectu diuisionis cum qua opponitur. Verùm hoc etiam peculiare habet vnitas, quod non conuenit omnibus oppositis, quòd per negationem sui oppositi nempe diuisionis explicari possit, non enim calor explicatur per negationem frigoris, aut albedo per negationem nigredinis, quemadmodum vnitas explicatur per negationem diuisionis, & quædam alia per negationem sui oppositi, vt immortale per negationem mortalitatis, & cætera similia. Id autem contingit in vnitate, & cæteris, quoniam opposita, per quorum negationem explicantur, notiora sunt, & ideo faciliùs intellectus ea percipit per negationem contrarij, quàm, si per propriam rationem explicarentur; sic notior est diuisio seu multitudo, quàm propria ratio vnitatis, cum vix ipsa per proprium conceptum explicari possit; sic etiam notior mortalitas, quàm immortalitas, & ideo per negationem ipsius explicari solet. Quòd autem vnitas connotet hanc negationem sibi necessariò annexam, facilè declaratur: nam vnitas importat aliquid positiuum, quod ab ipso ente excludit quamcunque diuisionem, & propterea necessariò facit, quòd in ipso non sit diuisio. dum igitur excludit diuisionem, consequenter ens vnum ita se habet in seipso indiuiso modo, vt illi conueniat ab intrinseco negatio diuisionis, seu ab intrinseco suo possideat hanc negationem exco, quòd habet formam excludentem diuisionem. Atque hinc colligitur, cur factum sit, vt aliqui putauerint, vnitatem formaliter dicere aliquid negatiuum, inde enim hæc opinio originem traxit, quòd vnitas habet annexam hanc negationem, & per ipsam explicari solet, & ideo, quod dicit in obliquo, putauerunt dicere in recto.

Cur aliqua per negationem sui oppositi explicari solent.

Diluuntur rationes in oppositum.

SECTIO III.

I. His sic constitutis reliquum est, vt rationibus oppositæ sententiæ satisfaciamus. Et quòd spectat ad primam, responsio colligitur ex ijs, quæ diximus de passionibus entis in communi, quę doctrina præsenti materię applicari potest. Vnde dico, Vnitatem esse conceptum inadæquatum entis, explicantem aliquam perfectionem ipsius. Cum autem inquiritur, an sit ens, dicendum est, esse quidem ens, non quòd explicitè ex vi proprij conceptus importet rationem entis, sed quia eam inuoluit implicitè tanquam sibi communicantem realitatem: vnde si ponatur vnitas aliquid superadditum enti, & extra eius conceptum adæquatum, erit ens, quemadmodum sunt inferiora entis, quę implicitè dicunt rationem entis & explicitè propriam, si verò non ponitur aliquid extra adęquatum conceptum entis, sed quid pertinens ad ipsum, vt dicturi sumus; Hinc erit ens, quia, quamuis explicitè non dicat rationem entis, & ex vi sui conceptus inadæquati, eam tamen dicit implicitè, quia cum sit conceptus inadęquatus ipsius, nec adæquatè ab ipso præscindens, sed solùm secundùm quamdam maiorem expressionem, adhuc implicitè inuoluit rationem entis, quod sufficit, vt sit ens, & quid reale. Neque hinc sequitur, quòd ens sit passio entis, quia quamuis implicitè dicat rationem entis, non est tamen passio secundùm hanc rationem, sed solùm secundùm, id, quod dicit explicitè, quod cum sit conceptus inadæquatus entis, potest esse passio alteriùs conceptus inadæquati.

Ad primam.

Vnitas est ens, & quomodo.

II. In secunda autem ratione nonnulla tanguntur, quæ falsa sunt. Et primò falsum est, quòd omnia, quæ sunt alicui essentialia possint de ipso in recto prædicari, anima enim est essentialis homini, & tamen non prædicatur de ipso in recto, non enim dicitur, *Homo est anima*, similiter neque dicitur, *Homo est rationalitas*, quamuis rationalitas sit eius essentiale constitutiuum. Vnde licet vnitas ponatur essentialis adæquato conceptui entis, non hinc fit, vt debeat de ipso in recto prædicari. Ratio autem est, quia per prędicationem importatur quædam communicatio inter prędicatum, & subiectum, & ideò cum enunciatur prædicatio, debet modus communicationis, quo inuicem communicant, sub esse eidem prædicationi, alioquin non esset vera: hinc abstracta non possunt inuicem in recto prędicari, quia cum ex vi abstractionis separentur, tollitur eorumdem communicatio, & ideò non possunt secundum ipsam prædicationi substerni. Similiter etiam si comparentur abstractum, & concretum, non potest abstractum de concreto in recto prę-

Ad secundam.

Cur vnitas non prædicetur de ente in recto.

Cur abstractum nō prędicetur in recto de concreto

dicari, quia adhuc abstractum ex vi sui modi essendi abstractè separatur à subiecto, nec cum ipso communicat; vnde si prædicatur, prædicatum non importat modum communicationis, quo cum subiecto communicat: communicatio enim habetur ratione concretionis, qua in vnam naturam coalescunt, & ideo tantùm concretum de concreto prædicari potest in recto, quia tunc solùm prædicatum importat communicationem cum subiecto: hinc dicitur, Ens est vnum, non autem est vnitas: & ideo ex eo, quòd vnitas non prędicetur in recto de ente, non licet inferre, quòd non sit quid positiuum. Quæ enim passio metaphysica, quamuis non sit extra adęquatam essentiam subiecti, prædicatur in recto de ipso, si in abstracto sumatur? & tamen non hinc infertur, quòd non sit quid positiuum. Alterum quod falsum assumitur, est, quòd vnitas sit de essentia entis, quamuis enim includatur in eius conceptu adęquato, quando tamen concipitur tanquam passio, tunc distinguitur inadęquatè ab ente, & formantur diuersi conceptus inadęquati, quorum vnus est passio respectu alterius: qua distinctione stante, vnus conceptus secundùm esse explicitum non includitur in alio, & ideò est suo modo extra ipsum ex vi modi concipiendi explicitè, & ideo vnus conceptus non censetur de essentia alterius, quia ex vi illius inadequatę distinctionis, ponitur aliqualis separatio: atque adeo etiam ex hoc capite non debet vnitas in recto prædicari de ente. Quin addo, quòd si in recto prędicaretur de ente, non posset esse ipsius passio, cum enim passio debeat esse quid consequens ad subiectum, & veluti illi adiacere, nequaquam potest in recto de ipso prædica.i.

Quomodo vnitas non sit de essentia entis.

III. Atque ex his colligitur etiam solutio tertię rationis. Cum enim, vt diximus, in adæquato conceptu entis distinguantur plures conceptus inadęquati, quorum singuli dicunt aliquid explicitum diuersum ab eo, quod dicunt alij, atque interueniat saltem inadęquata distinctio, optimè concipi potest, quòd unus fluat ab alio illa virtuali emanatione, qua solent passiones metaphysicę à suo subiecto emanare. Atque cum huiusmodi emanatio concipiatur secundùm esse explicitum illorum conceptuum, consequenter quando vnitas concipitur emanate ab ipso ente, emanatio cadit supra explicitam rationem vnitatis, nempe indiuisionem; & ideò non sequitur, quòd ens emanet ab ente, quamuis quod emanat, implicitè includat ens, quia iam emanatio intelligitur secundùm diuersas rationes. Ad confirmationem dico, quòd ens nunquam diuiditur in seipso, etiam si ad inferiora descendat, quia omnes quidditates, & omnes formalitates sunt omnino indiuisibiles; quando autem ratio quęcunque communis ad inferiora descendit, non diuiditur in seipsa, sed vnitur cum differentijs diuisiuis, & ex hoc, ratio entis in tantùm diuiditur, in quãtùm repetitur cum inferioribus diuisionis, non autem quòd in sua ratione formali subeat diuisionem. Quamuis enim inferiora entis entitatiuè diuidantur, non tamen diuiduntur in ratione formali entis, quę est eadem in omnibus. Hanc autem diuisionem recipit vnitas, quia in inferioribus multiplicatur tum essentialiter, tum entitatiuè, quemadmodum multiplicatur ens & ideò eodem pacto est diuisibilis vnitas, ac ens, nempe per multiplicationem in inferioribus, vnde non sequitur, quòd vnitas non possit esse implicitè ens, & aliquid positiuum. Cum igitur dicitur ens, vt ens est, in sensu composito posse diuidi, non autem vnitatem, si intelligatur, quòd possit diuidi secundùm rationem entis, hoc falsum est, sed solùm, vt diximus, potest diuidi per communicationem, qua potest pluribus communicari, quemadmodum etiam vnitas: tam enim ens, quàm vnitas sunt quid transcendens, quod per omnia inferiora vagatur, & æqnali modo diuiduntur, passio enim præsertim metaphysica, debet simul cum subiecto diuidi.

Vnitas eodem modo diuisibilis ac ens.

Ad tertium.

Quomodo vnitas fluat ab ente.

IV. Denique ad quartam rationem in oppositum respondetur. Vnum importare quidem aliquid concretum, sed non ex entę, & negatione, quomodo enim fieri potest, quòd negatio coalescat in vnum concretum cum ente positiuo? quę enim vnio potest esse inter ens & negationem? Est igitur vnum aliquod concretum, cuius tam materiale, quàm formale sunt quid positiuum. Cùm enim, vt diximus, vnitas sit cõcept us inadæquatus entis, & ratio essendi alter conceptus inadęquatus, qui important diuersas rationes explicitas; hi duo conce-

Ad quartum.

Quale sit concretum vnum.

ptus

ptus coalescunt simul, & fit concretum quoddam, quod est vnum, nempe conflatum ex ratione essendi, & indiuisione, & de formali importat ipsam indiuisionem, prout est quædam ratio positiua complens rationem entis. Quare cum dicitur, quòd extra ens est sola negatio, verum est, si intelligatur de ente, prout importat suum adęquatum conceptum; sed extra conceptum inadæquatum est aliquid aliud explicitum, qnod secundùm esse explicitum complet inadæquatum conceptum ipsius, & hoc potest simul cum ipso constituere aliquod concretum.

Obiectio Arist. il lustratur.

V. Occurrunt tamen contra nostram doctrinam duę difficultates ex tex. 9. lib. 10. Metaph. cum enim in præcedenti sect. dictum sit, inter vnum, & multitudinem adesse oppositionem priuatiuam, ita vt vnitas dicat aliquid positiuum, multitudo verò aliquid negatiuum, in contrarium esse videtur Arist. eo in loco, docet enim, vnum, & multa opponi contrariè, ex quo sequitur, qnòd multitudo importet aliqnid positiuum: ita enim habet: ***Opponuntur autem vnum, & multa multis modis, quorum vno vnum, & multitudo vt indiuisibile, & diuisibile; quod enim, aut diuisum, aut diuisibile est, multitudo, quædam dicitur; quod verò indiuisibile aut non diuisum, vnum. Cum autem oppositionis quatuor sint modi, & horum alius secundùm priuationem dicatur, contraria erunt profecto, & neque vt contradictio, nec vt ea, quæ ad aliquid dicuntur.*** Ecce ergo quomodo ponit contrarietatem inter vnum, & multa, atque adeo ambo extrema positiua. Hic igitur locus, quamuis ex vna parte difficultatem faciat contra nostram sententiam, ex eo quòd ponit multitudinem quid positiuum, ex altera tamen fauet, quatenus inde habetur, vnitatem esse quid positiuum. Vt autem difficultatem, quæ nostram doctrinam vrget, explicemus, aduertere oportet, quod Arist. in hoc tex. docet vnum, & multa pluribus modis opponi; deinde vt declaret, quibus modis opponantur, ait, quattuor esse modos oppositionis: quorum duos excludit tanquam eos, qui interuenire non possunt inter vnum, & multa, nempe contradictionem, & oppositionem relatiuam, inquit enim ***Et neque vt contradictio, nec vt ea, quæ ad aliquid dicuntur*** (hoc est ſe habebunt). Alios verò duos modos oppositionis, nempe priuatiuæ, & contrariæ non excludit: ita enim docet, esse contraria, vt non excludat opponi priuatiuè: imo docet opponi, dum inquit ***cum autem oppositionis quattuor sint modi, & horum alius,*** (nempe quibus opponuntur; dixerat enim, multis modis opponi) ***secundùm priuationem dicatur, contraria erunt profecto:*** vnde tanquam certum supponit, quod priuatiuè opponantur. non enim nominat illos diuersos modos oppositionis tanquam abstractos, sed vt applicatos vnitati, & multitudini, vt colligitur, quando illos duos reijcit, ita enim illos nominat, vt simul reijciat ab vnitate, & multitudine: vnde alios quoque ita nominat, vt simul ipsis tribuat. Quorsum enim solam oppositionem priuatiuam nominaret, vt diuersos modos oppositionis recenseret, & non alios modos? vnde sicuti alios modos oppositionis ita recenset, vt simul vnitati, & multitudini aut tribuat, aut ab ipsis reijciat, ita etiam recenset oppositionem priuatiuam: & sensus est. Cum quattuor sint modi oppositionis, atque vnum, & multa diuersis modis opponantur, & horum alius, secundùm quem opponuntur, sit secundùm priuationem, etiam contraria erunt, non autem contradictoria, aut opposita relatiua: & hoc pacto non vrgetur nostra doctrina, quia non negat Arist. inter vnum, & multa oppositionem priuatiuam. Solum nobis restat declarare, quomodo etiam tanqnam contraria opponantur. Pro qno aduertere oportet, quod Arist. non dixit, Vnitatem, & multitudinem opponi contrariè, sed vnum, & multa, quia contrarietas est solùm penes esse concretum multitudinis: multitudo enim contrario modo se habet respectu vnius, non prout dicit diuisionem; & negationem vnitatis, sed prout dicit plura entia simul sumpta, ex quibus sequitur diuisio, stante enim hac diuisione, entia illa ex opposito modo se habent, quatenus dicunt aggregationem plurium entium diuisorum, & secundùm hanc rationem habent contrarietatem cum Vno, quia dicunt aliquid positiuum ab ipso extremè distans: illa enim entia aggregata, quibus constituitur multitudo, sunt quid positiuum, & quia fundant diuisionem, seu nega-

Quomodo vnũ & multa contrariè opponãtur & priuatiuè.

tionem vnitatis, sunt extremè distantia ab vnitate, non enim magis distare possunt; & sic contrarietas debet accipi secundùm esse positiuum multitudinis prout in ipsa fundatur pluralitas, & diuisio.

Alia obiectio. VI. Altera autem difficultas, quæ ex eodem tex. habetur, procedit directè contra nostram sententiam, diximus enim, Vnitatem importare de suo formali aliquid positiuum, quia est prior multitudine, & positiuum debet esse prius negatiuo, vnde cum aut multitudo, aut vnitas debeat importare aliquid negatiuum, importabit multitudo vtpote posterior vnitate. Verùm Aris. docet in illo tex. 9. lib. 10. Metaph. Multitudinem esse priorem vnitate, vnde multitudo erit quid positiuum, vnitas verò quid negatiuum; inquit enim. *Quare multitudo ratione prior, quàm indiuisibile propter sensum est*. Sed facilè resoluitur hæc difficultas, non enim Aris. docet, multitudinem esse simpliciter priorem vnitate, quia certum est, ordine naturæ priorem esse vnitatem, si quidem vnitas consistit quidem, et reperiri potest absque multitudine, secus autem multitudo absque vnitate; cum enim coalescat ex vnitatibus, necessariò supponit vnitatem; sed solùm docet, esse priorem. *Ratione propter sensum*; hoc est esse priorem definitione, sequendo modum definiendi per ea, quæ notiora sunt, non quidem natura, sed quò ad nos, et in ordine ad sensum. Cum enim tàm multitudo, quàm indiuisibile sensibilia sint, sed sensui magis nota sit multitudo, quàm indiuisibile, seu vnum, definitur vnum per multitudinem tanquam per aliquid magis notum, & prius quò ad nostram cognitionem, & dicitur esse id, ex quo componitur multito, aut esse aliquid de multitudine. Quæ omnia ibidem indicauit ipse Aris. dum ait. *Dicitur autem ex contrario ipsum vnum, & significatur* (hoc est explicatur) *ex diuisibili indiuisibile* (nempe quid indiuisibile de ipsa multitudine) *eo quod magis multitudo*. (nota sit) *ex indiuisibile sensibile est* (nimirum est enim ipsum quoque indiuisibile sensibile), Deinde hinc concludit prioritatem multitudinis inquiens. *Quare multitudo ratione prior, quàm indiuisibile propter sensum est*, nimirum quia, cum quò ad sensum multitudo notior sit, est etiam prior definitione ipsa vnitate, vnitas enim per ipsa definitur; & in hoc consistit tota prioritas multitudinis respectu vnitatis: vnde nihil obstat nostræ doctrinæ hic locus Aris. cum enim dicimus, Vnitatem esse priorem multitudine, intelligimus de prioritate secundùm naturam, qua res ex natura sua sunt priores, aut posteriores, & de ea, in qua non valet conuertentia secundùm subsistendi consequentiam, quemadmodum non valet in vnitate respectu multitudinis: non autem intelligimus de illa prioritate cognitionis quò ad nos, de qua ibi loquitur Aris.

Aris explicatur.

Quomodo multitudo prior vnitate.

Quodnam positiuum importet vnitas. Disp. VI.

Aliorum sententia.

SECTIO I.

I. CVm in præcedenti disputatione determinatum sit, vnitatem importare aliquid positiuum in recto, & solùm connotare negationem tanquam quid annexum, ita tamen vt formalis conceptus, & proprius ipsius consistat in illo positiuo, quod dicit in recto, nunc determinare oportet, quodnam sit huiusmodi positiuum. Difficultas autem in eo consistit, an hoc positiuum sit aliquid superadditum enti, an verò aliquid de ipso ente, ita vt supra ens addat tantùm illam negationem, quam tanquam necessariò annexam importat in obliquo. Prima ergo sententia affirmat, Vnitatem ratione illius positiui, quod dicit, importare aliquid superadditum enti, atque ex natura rei ab ipso distinctum, ita vt positiuum vnitatis sit aliqua formalitas omnino ex natura sua extra ipsum ens. Ita tradit Auicen. lib. 3. suæ Metaph. cap. 2. & lib. 7. cap. 1. Et ita quoque sentire videtur Scot. 4. Metaph. quæst. 2. & in 2. dist. 3. quæst. 1. Anton. Andreas 4. Metaph. quæst. 3. Tartaret 4. Metaph. quæst. vnica, ar. 1. Fundamentum huius sen-

Prima opinio. Positiuum vnitatis esse quid superadditum enti.

Auicen. Scot. Anton. Andr.

Tartaret.

tentiæ esse potest, quia vnitas est aliqua ratio positiua, & formaliter diuersa ab ipso ente, & consequenter extra rationem formalem ipsius, aliud enim concipimus, quando intelligimus ens, & aliud, quando intelligimus vnitatem: ex hoc autem sequitur, quòd ex natura rei distinguantur.

Secũda opinio, positiuũ vnitatis esse, quid superadditum enti, sed non ex natura rei distinctũ.

II. Secunda autem opinio huic affinis est, & solùm in eo differt, quòd non ponit distinctionem ex natura rei: vnde asserit, hoc positiuum, quod dicit vnitas, esse quidem aliquid superadditum enti, & importare diuersam formalitatem, non tamen distingui ex natura rei ab ipso ente, sed adsummum ratione cum aliquo fundamento, ita vt distinctio non præcedat intellectum, nisi virtualiter accepta, sed ab ipso fingatur. Tradunt hanc sententiam D. Bonauent. in 1. dist. 23. ar. 1. quæs. 1. Baccon. dist. 33. quæs. vnica ar. 2. Alens. 1. par. quæs. 13. membro 1. & 2. Soto in Logica cap. de Proprio, quæs. 2. ad 2. Bannes 1. par. quæs. 1. ar. 1. conclus. 1. qui ait, addere aliquid positiuum vera, & propria additione, Vasquez item 1. par. disp. 128. cap 2. Hurtad. in Metaph disp. 4. sect. 1. sub sect. 2. Venet. in sua Metaph. cap. 15. & ita sentire videntur ferè omnes ij, quos disp. præcedenti citauimus, asserentes vnitatem importare aliquid positiuum. Fundatur autem hæc sententia proportionaliter in eodem fundamento, in quo præcedens, quia nimirum vnitas importat aliquid positiuum, & diuersum secundùm suam formalitatem à formalitate entis, & ideò debet dicere aliquid superadditum enti. Deinde quia demonstratur de ipso ente, quod minimè fieri posset, nisi esset quid ipsi superadditum.

D. Bonauent. Baccon. Alens. Soto. Bannes. Vasqu. Hurtad. Venet.

Tertia opinio Vnitatem nihil positiuum superaddere enti.

III. Tertia verò opinio tenet, Vnitatem non importare aliquid superadditum enti præter meram negationem, siue priuationem, nec in ente vno aliquid positiuum reperiri, præter ipsam rationem entis: atque in hoc vt plurimum hi auctores procedunt iuxta sua principia, cum enim ferè omnes censeant Vnitatem de suo formali non importare aliquid positiuum, sed solam negationem, consequenter asserunt, nihil addere supra ens, præter aliquid negatiuum, quamuis quidam ex his teneant, quòd vnitas dicat de formali aliquid positiuum, non tamen enti superadditum; Hæc sententia est D. Th. 4. Metaph. lect. 2. & 1. par. quæs. 11. art. 1. Caiet. ibidem cum pluribus alijs Recentioribus expositoribus Mairon. in 1. dist. 8. quæst. 7. ar. 3. & dist. 24. quæs. 2. ar. 1. Capr. in 1. dist. 24. quæs. 1. ar. 1. Ocham. quæs. 1. conclus. 1. Durand. quæs. 1. & 2. Gabr. quæs. 1. ar. 3. dub. 3. Bassolis ar. 1. & 2. Hispal. ar. 3. & 4. Gregor. quæs. 1. ar. 1. Argent quæs. 2. Aegid. ibid. ar. 4. Riccar. ar. 1. quæs 2. Aureol. q. vnica ar. 3. Henr. quodlib. 1. quæs. 1. Heru. quodlib. 4. quæs. 1. & 3. Soncin. 4. Metaph. quæs. 23. Iauel. quæs. 8. & 10. Flandria quæs. 3. ar. 8. Aquar. dilucidat. 3. Iandun. quæs. 4. Nyph. disp. 3. Fonseca cap. 2. quæs. 5. sect. 4. Valent. tom. 1. in 1. p. disp. 1. quæs. 11. puncto 1. Suarez in Metaph. disp 4. sect. 1. num. 6. Gillius lib. 2. de Essent. Dei tract. 3. cap. 1. Nazar. 1. par. q. 11. ar. 1. Fasol. dub. 5. & ferè communiter Recentiores.

D. Th. Caiet. Mayron. Capr. Ocham. Durad. Gabr. Bassol. Hispal. Gregor. Argent. Ægid. Riccar. Aureol. Henr. Soncin. Heru. Iauel. Fladria. Aquar. Iandun. Nyph. Fonseca. Valētia. Suarez. Gillius. Nazar. Fasol.

IV. Argumentantur autem primò pro hac sententia ex auctoritate Aris; ipse enim 4. Metaph. cap. 2. vt explicet vnitatem, vtitur negatione diuisionis; si autem diceret aliquid positiuum superadditum enti, per huiusmodi positiuum illam explicasset, non autem per negationem. Secundo. Esse vnum nihil aliud dicit, quàm esse ens cum exclusione multitudinis, vnde vt saluetur ratio vnitatis sufficit superaddere enti solam negationem, qua ab ipso tollatur diuisio, & multitudo. Tertiò præscindatur ab ente quodcunq; positiuum, adhuc intelligitur totum illud positiuum, quod est necessarium ad vnitatem vt patet etiam in alijs entibus simplicibus, si enim sola entitas remaneat, habetur quicquid est necessarium ad eorumdem vnitatem physicam, ergo vnitas non superaddet enti aliquid positiuum, sed solam negationem. Quartò omnis ratio particularis est aliqua quidditas, atq; in se non est multiplex, vnde vnitas, & quidditas sunt idem, cum quacuuq; ratione, siue entitate, consequenter autem sunt idem inter se, & ideo etiam in ente vt sic idem continget ratione debitæ proportionis seruandæ, nec erit necesse ponere aliquid positiuum superadditum ob saluandam vnitatem.

Vera sententia.

SECTIO II.

I. VT nostram sententiam proponamus, sciendum est, quòd cum vnitas de suo formali importet aliquid positiuum, duplici modo contingere potest, quòd sit aliquid superadditum enti: vel in ratione entis, vel secundùm aliquam aliam rationem. Primus quidem modus impossibilis est, quia ens consideratum secundùm rationem essendi, seu prout est id, quod habet essentiam, dicit totum id, quod intra talem rationem excogitari potest, & ideo non remanet quid ei intra eamdem rationem superaddatur. Altero autem modo aliquid enti supe raddi potest, vt contingit, quando contrahitur ad inferiora, tunc enim illi superadduntur rationes quædam limitatiuæ, quæ sicuti recipiunt ab ipso ente esse quid reale, quia ita illud contrahunt, vt simul etiam ipsum imbibant, ita etiam conferunt enti determinatum gradum essentiæ, quo ad tale ens determinatur. Rursus huiusmodi additio, qua enti superadditur aliquid, quod secundùm suam formalitatem sit aliquo modo ab ipsa ratione entis diuersum, duplici modo contingere potest. Vel enim, quod superadditur, est extra adæquatum conceptum entis, vt contingit, quando ipsi superadduntur rationes limitatiuę, quę cum contrahant, & determinent ens ad tale ens, necessariò sunt extra ipsius adęquatum conceptum; atq; hæc est additio propriè metaphysico modo facta, quia per aliquid adæquato conceptu distinctum enti superadditur. Altero autem modo contingere potest, si nimirum quod superadditur, non sit extra adęquatum conceptum entis, sed aliquid de ipso ente, quod ideo dicatur ipsi superaddi; quia modo magis explicito concipiatur; atq; huiusmodi additio erit secundùm conceptus inadæquatos, & impropriè dicta, quia per ipsum non superaddetur aliquid propriè distinctum metaphysica distinctione, sed solùm aliquid magis expressè conceptum & inadæquatè distinctum, & solùm superaddetur conceptui inadæquato entis, non verò rationi integræ.

Quomodo aliquid enti super addi possit.

II. Hinc primò dicendum est. Positiuum, quod de suo formali dicit vnitas, non esse quid ex natura rei distinctum ab ente. Hæc conclusio facilè conuincitur, quia cum ratio vnitatis sit quid positiuum, vt supponimus ex dictis in disputatione præcedenti, oportet, vt includat rationem entis, per quam constituatur in esse positiuo, quomodo enim erit quid positiuum, nisi habeat rationem formalem, quæ conferat esse positiuum? huiusmodi autem ratio est ens, quia ipsum est prima ratio realitatis, et prima ratio positiui, extra quam nihil positiuum reperitur; at quomodo esset saltem implicitè ens, si ab ipso ex natura rei distingueretur. Deinde sumo rationem entis, vt ex natura rei ab vnitate contradistinctam, adhuc ratio ista est indiuisa in se, cum nullam includat multiplicitatem, ergo adhuc absq; illa vnitate ex natura rei contradistincta esset vna, & proinde superflua esset ratio illa vnitatis ex natura rei contradistincta. Tertiò, quæro, an ratio illa vnitatis, prout ex natura rei ab ente contradistincta, sit in se vna, an non: hoc secundum dici non potest, quia non est diuisa, neq; multiplex. Si ergo est vna, ergo saltem implicitè dicit ens, quia passio metaphysica non est sine suo subiecto, quomodo autem, si est implicitè ens, potest ab ipso ex natura rei distingui? Quòd si dicas, non esse vnam, vt quod, sed solùm, vt quo, quia est ratio formalis vnitatis faciens vnum ipsum ens, vrgetur ista responsio nam ista vnitas, vt contradistincta ab ente ex natura rei est aliquid, cum à nihilo contradistinguatur, & insuper habet cœteras passiones entis, est enim quid verum, & intelligibile, & etiam quid bonum, non solùm, vt quo, sed etiam vt quod, ergo inuoluit rationem entis, per quam fiat aliquid, & à nihilo contradistinguatur, & cui cœteræ passiones tribuantur, vnde quamuis explicitè dicat solam rationem vnitatis, vt quò, erit tamen implicitè ens, & vnum, vt quod. Deniq; supposito etiam quòd detur huiusmodi distinctio ex natura rei certum est, non posse in ipsa procedi in infinitum, sed sistendum esse in aliqua ratione ita simplici, vt non coalescat ex pluribus ex natura rei distinctis, qualis erit ratio entis, vt ab vnitate contradistincta, huiusmodi autem ratio certè erit simplex, cum excludat omnem

Prima cōclusio

Vnitas non superaddit enti aliquid ex natura rei distinctum

Vnitas implicitè dicit ens.

com-

compositionem, neq; etiam erit diuisa, ergo absq; vnitate superaddita, & ex natura rei distincta erit vna.

Secunda cõclusio. Positiuũ vnitatis non est aliquid secundũ ratione extra cõceptum adæquatum entis.

III. Secundò dicendum est. Positiuum, quod dicit vnitas, neq; esse aliquid extra rationem entis secundùm rationem, hoc est per distinctionem rationis secundùm conceptus adæquatos. Desumitur hæc conclusio ex Aris. 4. Metaph. tex. 3. vbi docet, quòd ens, & vnum sunt eadem ratio, nempe secundùm conceptus adæquatos: inquit enim. *Si itaq; ens & vnum idem, ac vna natura sunt, propterea quòd se inuicem sequuntur, quemadmodum principium, & causa*. Et postea hoc ipsum declarat exemplo sic inquiens *Idem enim vnus homo, & ens homo, ac homo, & non significat diuersum aliquid secundùm dictionem repetitam idest homo, & homo, & vnus homo*. Deniq; concludit, *Quare manifestũ est, quòd additio in his idem significat, & quòd vnum nihil aliud est, præter ens*. Quibus satis apertè declarat, quomodo ratio vnitatis non dicat aliquid positiuum, quòd sit extra conceptum adæquatum entis, etiam sola ratione distinctum: tunc enim concretum ex ente, & vnitate non esset solùm ens, sed aliquid amplius, quemadmodum concretum albedinis est aliquid amplius, quã subiectum. Rursus hoc ipsum docet 10. Metaph. tex. 8. *Quod autem idem quodammodo significet vnum, & ens patet etiã ex eo, quòd aequaliter sequitur prædicamenta, & in nullo est, nec in ipso quid est, nec in ipso quale, sed similiter se habet, sicuti ens. Et ex eo, quòd in prædicatione vnus homo non addit aliquid aliud, quàm homo, sicut nec ipsum esse præter quid est, aut quale, aut quantum, & vni esse est vnicuiq; esse*. Ecce ergo, quomodo vult, vnitatem non importare aliquid positiuum superadditum enti, sed esse quid in ipso imbibitum, quia si esset aliquid superadditum, concretum vnitatis, nempe vnum, aliquid superadderet rationi materiali, nempe enti.

Aris.

Prima ratio.

IV. Et potest hoc ipsum ratione etiam declarari. Vnitas entitatiua non est aliquid superadditum entitati physicæ cuiuscunq; rei, quæ sit vna, sed per eamdem entitatem, qua res entitatiuo modo habet esse, per ipsam quoq; est vna; sicuti enim per illam concipitur habere esse in se, ita etiam ex vi eiusdem formaliter concipitur esse indiuisa in se physico modo, nec præter entitatem ipsius necesse est aliquid aliud concipere, vt concipiatur indiuisa. Quod etiam ex eo patet, quia per id aliquid constituitur indiuisum in se, siue vnum, per quod diuiditur à quocunq; alio, at entitas physica per suummet esse entitatiuum diuiditur à quocunq; alio, ergo etiam per idem esse formaliter constituetur indiuisa in se. Non igitur vnitas entitatiua importat aliquid superadditum entitati physicæ, ergo neq; vnitas transcemdentalis erit aliquid superadditum conceptui adæquato entis transcendentis; & secundùm rationem extra ipsum. Conseq. hæc deducitur ex proportione necessariò seruanda inter vnitatem entitatiuam entis physici, & inter vnitatem entis transcendentis, sicuti enim ens physicum est vnum vnitate physica per proprium esse physicum, ita ens præcisum, & transcendens ex vi proprij esse metaphysici erit vnum vnitate metaphysica, & transcendentali. ita enim se habet vnitas physica ad ens physicum, sicuti vnitas transcendentalis ad ens transcendentale.

Quomodo ens physicũ vnum ex ui proprij esse.

Secunda ratio.

V. Et in confirmationem præcedentis rationis addere possumus secundam rationem, quæ rem totam à priori declarat. Vnumquodque ens, siue physicum, siue metaphysicum, etiam ipsum ens transcendens importat suam peculiarem quidditatem, siue rationem formalem, qua in suo esse constituitur: ens enim vt sic importat illam rationem, qua aliquid constituitur habens essentiam. Huiusmodi autem ratio formalis, est intrinseca mensura, qua mensuratur esse cuiuscunque rei, & quæ correspondet extrinsecæ mensuræ nempe Ideæ diuinæ. Ex hoc autem fit, quòd huiusmodi quidditas, siue formalitas contineat totum esse rei, vtpote mensura ipsius, & tali pacto contineat, vt extra id, quod continet, non sit aliquid de esse talis rei. Rursus huiusmodi quidditas, siue ratio formalis ex seipsa vnit, & coadunat totum esse rei, quatenus ita illud mensurat, & continet, vt simul trahat in vnicum esse, quod secundùm illam mensuram correspondet suæmet ideæ, sic totum esse rationalitatis, aut lapidis ex vi suæ formalitatis, in qua continetur, recipit suam mensuram, qua in vnicum esse coadunatur, quo rationalitas, aut natura lapidis constituitur,

Ratio formalis cuiuscũ que rei mensura ipsius.

qua-

Ratio formalis coadunat totum esse in vnum naturam, & illi tribuit intrinſecè vnitatē

quaue vnumquodque ens à ſuamet ratione formali vnitur, & coadunatur in vnum, & proinde ex vi eiuſdem habet intrinſecam vnitatem. Ratio autem formalis inde habet, quòd coadunet in vnicum eſse, quia formaliter per ſe ipſam determinat eſse, quod continet, ad talem menſuram, ſecundùm quam eſt menſurabile, & non aliam; ſic ens tranſcendens per ſuam rationem formalem habet, quod ſit menſurabile, tanquam quid vniuerſaliſſimum, & communis omnium ratio eſsendi, & non tanquam aliqua natura determinata: dum ergo determinat eſse ad talem menſuram, & non aliam, ſeparat con ſequenter, & diuidit ab omni alio, quod non habet eamdem menſuram, & hoc etiam pactò conſtituit ſimul vnum, & indiuiſum in ſe, quia cùm ſeparetur ab omni alio, quod non eſt ipſum, fit in ſe indiuiſum, quia idem non poteſt ex vi menſuræ proprij eſse à ſeipſo ſeparari; ſi enim eſset diuiſum in ſe, eſset à ſeipſo ſeparatum: vnde haberet diuerſam menſuram ſui eſse, quia vna, & eadem menſura, cum coadunet eſse in vnum, non poteſt ſeparare: diuerſæ autem menſuræ conſtituunt diuerſa entia, et diuerſas quidditates eo modo, quo ipſæ diuerſæ ſunt. Ex hoc ergo conſtat, quomodo vnumquodque ens ab intrinſeco ſuo habeat propriam vnitatem.

Tertia ratio.

VI. Tertiò proportionaliter argumentari poſsumus ijſdem rationibus, quibus præcedentem concluſionem confirmauimus. Si vnitas eſset aliquid extra conceptum adæquatum entis, haberet propriam formalitatem poſitiuam, neceſsariò enim eſset quid poſitiuum, ſiquidem poſitiuo modo redderet vnum: dum autem eſset quid poſitiuum, deberet inuoluere ſaltem implicitè rationem entis; hoc autem non poſset ſtare cum eo, quòd vnitas adæquato conceptu diſtinguatur ab ente; ſi enim adæquatè diſtingueretur, quomodo inuolueret rationem entis, per quam conſtitueretur in eſse poſitiuo?

Quomodo vnitas non poſsit eſſe adæquate extra conceptū entis

Præterea ſumo conceptum entis, prout contradiſtinguitur ratione ab vnitate, & inquiro, an ſit vnus, an vero non ſit vnus. Hoc ſecundum dicendum eſſet, quia cum contradiſtinguatur ab vnitate, & ſine ipſa conſideretur, non poteſt habere formalem effectum ipſius. Nihilominus tamen oppoſitum contingit, nam ens conſideratum, vt adæquato conceptu ab vnitate diſtinctum adhuc eſt vnum; non enim eſt in ſeipſo diuiſum, ſed omninò indiuiſum, neque in ſe includit aliquam multiplicitatem, ſed omnimodam ſimplicitatem, vnde illi conuenit negatio diuiſionis, quę, cum ſequatur ad vnitatem, oportet enti ſic concepto tribuere vnitatem vnde aut eſset vnum abſque vnitate, quod dici non poteſt, aut concedendum, quòd vnitas non ſit extra ipſius conceptum adęquatum. Atque hic vrgeri poteſt proceſsus in infinitum, qui ſequeretur, ſi vnitas eſset extra adęquatum conceptum entis, Sumo enim hanc vnitatem, & illam conſidero ſecundùm proprium conceptum præciſum, & prout eſt aliquid extra conceptum adæquatum entis: tunc certè talis vnitas ſic præcisè accepta adhuc participat rationem entis, nam & eſt quid à nihilo contradiſtinctum, & participat cœteras paſſiones entis, eſt enim quid intelligibile, & verùm, cum ab intellectu intelligatur, & eſt quid bonum: eſt enim bonitas ſemper annexa cum veritate; vnde oportet, quòd neceſſariò participet rationem entis, per quam à nihilo contradiſtinguatur, & in qua huiuſmodi paſſiones fundentur; ergo in illa vnitate vt contradiſtincta ab ente conceptu adæquato adhuc habemus duplicem rationem, nempe entis, & vnitatis: ergo adhuc hæc vnitas diſtinguetur conceptu adęquato ab hac ratione entis. Rurſus ſumo hanc vnitatem, vt diſtinctam ab hoc ente conceptu adæquato, adhuc erit intelligibilis, vera, bona, & à nihilo contradiſtincta, ergo adhuc inuoluet rationem entis, à qua ſimiliter debebit diſtingui conceptu adęquato, cum eadem ſit ratio, & ſic aut procedendum erit in infinitum, aut ſiſtendum in aliqua vnitate, quę non diſtinguatur ab ente conceptu adęquato, & quę ſit prima vnitas, nempe tranſcendentalis, quæ conueniat enti. Atque hoc pacto ſaluatur, quomodo ens ſit intrinſecè vnum, & intimo modo indiuiſum: debet enim intrinſecè, ſeu intra proprium eſſe includere vnitatem, nam intimè non eſt multiplex, neque diuiſum, & ideo debet intra proprium eſſe includere vnitatem: atque adeo eſſe vnum ex vi

Vnitas nunquā poteſt concipi ſine ente

Ens intrinſecè vnum.

proprij esse; & non per aliquid superadditum etiam secundùm solam rationem; sic quamuis rationalitas identificetur cum animalitate; non tamen animalitas secundùm proprium esse animalitatis est intrinsecè rationalis, sed illam excludit ex vi proprij esse: cum ergo ens non excludat vnitatem ex vi proprij esse, sed intrinsecè sit indiuisum, debet ex vi proprij esse intrinsecè esse vnum.

Tertia conclusio.

VII. Tertiò dicendum est. Illud positiuum, quod de suo formali importat vnitas, esse aliquid de adæquato conceptu entis, & solùm secundùm esse explicitum distingui ab ente inadæquatè concepto, & hoc modo tantùm esse aliquid ipsi superadditum additione impropria: atq; de suo formali importare quemdam modum intrinsecum & intra eumdem gradum essentię, qua esse coadunatur in vnam quidditatem, seu mensuram, qua redditur mensurabile: ita vt vnitas cuiuscunq; rei sit coadunatio esse ipsius in vnam mensuram, qua ipsa redditur mensurabilis: vnde vnitas explicat aliquam rationem de ipsa re vna, quæ importat aliquem inadęquatum conceptum ipsius, consequentem ex ipso conceptu inadęquato essentiæ: nam coadunatio esse supponit ipsum esse, quod coadunat. Quod verò vnitas sit aliquid de conceptu adęquato entis, sequitur ex supradictis, & patet, quia si non est extra conceptum adæquatum, vt probatum est, erit aliquid de ipso. Quod verò secundùm esse explicitum distinguatur ab ente inadęquatè concepto, etiam euidens est; non enim vnitas est synonimum cum ente, vt patet ex modo significandi, ens enim inadęquatè conceptum importat indiuisionem, & explicat aliquid de ipso ente, quod non explicatur per rationem essendi, quamuis implicitè in ipsa includatur. Quod etiam declarari potest ex terminis, qui opponuntur tum enti, tum vnitati. Si enim considerentur termini contradictionis, diuersum terminum habet ens suæ contradictionis, ac habeat vnitas; contradictorium enim entis est ipsum nihil, contradictorium verò vnitatis est diuisio, quatenus tollit indiuisionem, cum ergo habeant diuersos terminos suæ oppositionis, oportet, vt inter se quoq; aliquo modo differant, saltem secundùm esse explicitum, ita vt aliquid explicet ens, quod non explicet vnitas; & econtra. Hinc est, quòd vnitati aliqua conueniunt, quę non conueniunt enti inadęquatè, & secundùm illud esse explicitum accepto, vt fundare relationem diuisionis ab alio, & alia huiusmodi, quod non contingeret, nisi vnitas secundùm esse explicitum esset quid diuersum ab ente. Rursus etiam vnitas, vt vidimus supra, cum ageremus de passionibus entis in communi, demonstrari potest de ente, quod certè fieri non posset, nisi aliquo modo ab ipso distingueretur.

Quid dicat illud positiuum, quod importatur ab vnitate.

Vnitas distinguitur ab inadæquatè ab ente.

Quomodo vnitas sit aliquid superadditum enti.

VIII. Hinc porro sequitur, vt sit aliquid superadditum enti additione impropria, nam cum interueniat distinctio secundùm conceptus inadæquatos, atq; secundùm esse explicitum aliquid diuersum importent, quod vnum dicit expresśè, superadditur alteri, prout dicit aliquid aliud expresśè, nimirum quod explicatur per rationem vnitatis superadditur illi, quod explicatur per rationem entis, quamuis sit additio impropria ex eo, quòd est secundùm solos conceptus inadæquatos. Hoc autem quod additur est modus quidam essentiæ: vnitas enim sicuti vnit, & coadunat esse, ita etiam veluti modificat, dum facit, quòd indiuiso modo se habeat; & sicuti mensura est modus quidam rei, cum vnitas importet vnam mensuram, qua vnumquodq; esse est mensurabile, importat etiam quemdam modum spectantem ad complementum eiusdem gradus essentiæ.

Vnitas quidam modus essentiæ.

Ad rationes in oppositũ.

IX. Ex his etiam facilè dissoluuntur fundamenta aliarum sententiarum. Fundamentum enim primæ sententiæ non rectè procedit; nam tota diuersitas, quæ est inter vnitatem, & ens, vt vidimus, est solùm secundùm conceptus inadæquatos, & secundùm esse explicitum, ita vt & ens implicitè dicat vnitatem, & vnitas dicat implicitè rationem entis: vnde non potest interuenire distinctio ex natura rei; sed neque secundùm conceptus adęquatos, vt videtur intendere secunda sententia, quia vnitas est de conceptu adæquato entis, & tota distinctio est solùm secundùm conceptus inadęquatos, & esse explicitum: atque huiusmodi distinctio sufficiens, est, vt possit vnitas demonstrari de ente; sufficit enim, si habeamus ali-

quid ex vi cuius consequatur vnitas: huiusmodi autem est conceptus inadęquatus entis, quia tali pacto consideratus est veluti radix, ex qua sequitur inadæquatus conceptus vnitatis, quia dum concipimus rationem essendi, ex vi illius concipimus etiam vnitatem tanquam quid cum ipsa necessariò connexum. Et per hæc patet ad fundamentum secundæ sententię, quatenus contra nostram procedere potest.

Ad rationes tertiæ sententię.

X. Ad primum autem pro tertia sententia concedimus quidem, vnitatem non addere aliquid supra ens adęquatè sumptum, pręter negationem, quia, vt toties dictum est, vnitas est de ipsius conceptu adęquato: verùm non consistit vnitas in hac negatione, sed in conceptu positiuo inadęquato entis, vt iam explicatum est. Aris. autem aliquando vtitur negatione diuisionis, vt explicet vnitatem, quia cum diuisio valde nota sit, per negationem ipsius commodè explicari potest ipsius oppositum: plerumque enim vtimur negatione sui oppositi ad aliquid explicandum, vt in superioribus quoque adnotauimus. Quinimo in illo cap. 2. lib. 4. Metaph. docet, vnitatem esse aliquid positiuum, & esse de conceptu adæquato entis. ait enim tex. 3. *Item cuiusque substantia vnum est, non secundùm accidens, similiter, & ipsum ens quoduis. Quare quot vnius species, totidem & entis sunt.* Et antea dixerant, vnum nihil superaddere enti, vt supra retulimus. Secunda verò ratio probat tantùm, Vnitatem non esse aliquid superadditum enti adæquatè sumpto, vt nos quoquè concedimus, non verò quòd non consistat in positiuo conceptu inadequato entis, quia ex eo, quòd vnum non dicat aliud, quàm esse ens cum exclusione multitudinis, sequitur solùm, quòd vnitas non sit extra ipsius adęquatum conceptum. Similiter eodem pacto procedit tertia ratio; præciso enim quocunque ab ente, adhuc remanet quicquid est necessarium ad vnitatem, & ideò vnitas est de ipsius conceptu adæquato: at si concipiatur ens secundùm conceptum inadęquatum, non est vnum, explicitè, quia non concipitur explicitè ratio veritatis. Ad quartum dicendum est, vnitatem, & quidditatem esse idem inter se conceptu adęquato, non verò inadæquato, quia quamuis vno, atque eodem conceptu adęquato habeatur vnitas, & quidditas, potest tamen intellectus pluribus conceptibus inadęquatis concipere illud, quod per adæquatum importatur, & tunc alio conceptu concipiet vnitatem, & alio quidditatem, & hoc pacto, vt explicauimus, vnitas crit quid superadditum enti.

Aris. illustratus. Quamuis ponat vnitatē in aliquo positiuo, explicat per negationem.

Vnitas, & quidditas sunt idem cōceptu adæquato non verò inadæquato.

Quam negationem dicat Vnitas. Disp. VII.

Punctus difficultatis, & Auctorum sententia.

SECTIO I.

I. Qvamuis vnitas, vt hactenus ostensum est, dicat, de suo formali aliquid positiuum; solet tamen, vt etiam adnotauimus explicari per negationem diuisionis, vt nimirum in ordine ad aliquid notius declaretur: vnde quando tali pacto explicatur, importat tanquam sui constitutiuum ipsam negationem, non quia reuera illam dicat, sed quia in explicatione loco positiui, quod dicit, substituimus negationem. Per duplicem autem negationem explicatur vnitas, nempe per negationem diuisionis in se, & per negationem identitatis cum alio: quod enim est in se vnum, ita est indiuisum in se, vt sit etiam diuisum à quocumque alio, vnde non habet identitatem cum ipso, sed illi conuenit negatio huiusmodi identitatis. Quamobrem, cum vnitas habeat annexam hanc duplicem negationem, per quam explicari possit, dubitatur, quamnam ex illis importet in rectò, & an vtramque. Vt autem facilius procedamus, aduertimus: aliud esse, quòd aliquid sit indiuisum in se, & aliud, quòd non sit diuisum à seipso: quamuis enim vnum & idem videantur importare, reuera tamen diuersa sunt: nam esse indiuisum in se dicit identitatem eiusdem cū seipso, seu realem vnitatem, siue forma-

Punctus difficultatis.

lem

lem, siue entitatiuam. Non esse autem diuisum à se connotat carentiam cuiusdam diuisionis, quam unumquodque ens unum habere potest, & stare potest cum reali unitate, est enim solùm diuisio rationis ratiocinantis formata per intellectum absque ullo fundamento, ut eum concipiiur idem distingui à seipso. Huiusmodi autem negatio non potest pertinere ad constitutiuũ unitatis, quia licet cõueniat cuilibet rei, quæ in se indiuisa sit, non conuenit tamen illi directè, sed per reflexionem intellectus, atque oppositum illius, illa nimirum diuisio, quam negat, stare potest cum unitate. unde solùm præsens difficultas procedit de negatione diuisionis in se, & negatione identitatis cũ alio, an utraque requiratur ad unitatem, an altera tantûm sufficiat.

Prima opinio Vnitatē importare vtramque negationem formaliter

II. Prima ergo sententia asserit, vtramque negationem, nimirum diuisionis in se, & identitatis cum alio, seu diuisionem ab alio pertinere essentialiter ad vnitatem, prout per negationem explicatur, ita ut conceptus adęquatus illius debeat per vtramque explicari. Ita docet Gabr. in 1. distinct. 24. quæst. 1. dub. 3. Capr. quęst. 1. artic. 1. Bassolis quęst. vnica artic. 1. §. *Dico igitur, &c.* & artic. 3. Argent. quęst. vnica art. 1. Aureol. distinct. 8. quæst. 3. artic. 2. Nyph. 3. Metaphys. disput. 3. cap. 3.

Gabr. Capr. Bassolis Argent. Aureol. Nyph.

Fundatur autem hęc sententia in eo, quòd non potest concipi vnum, nisi concipiatur diuisum ab alio, quia eo ipso, quòd concipitur indiuisum in se, non concipitur aliud à se, dum autem non concipitur aliud à se, iam concipitur aliud ab alio, pręsertim, quia eo ipso, quòd constituitur vnum, simul constituitur indiuisum in se, & diuisum ab alio, ita vt nequeat vnitas adęquatè cõsistere, nisi tam indiuisionem in se, quàm diuisionem ab alio importet. Secundò, quia prius est, esse diuisum ab alio, quam indiuisum in se, nam prius ens diuiditur à nihilo, quàm sit aliquid in se, & consequenter etiam prius quàm in se sit in diuisum. Denique Arist. 10. Metaphys. tex. 9 explicat vnum per oppositionem ad multa, at quod multis opponitur, ab illis diuiditur, & proinde idem est, ac si explicaretur vnitas per diuisionem ab alio.

Arist.

Secunda opinio, Vnitatē ...icere ...intum vnicam negationem

III. Altera autem sententia vult, quòd sola negatio diuisionis in seipso specter ad conceptum vnitatis: ita vt sola sufficiat ad explicandam vnitatem adęquatè, absque eo, quòd adhibeatur diuisio ab alio. Ita tradunt D. Thom. quęst. 9. de potent. artic. 7. & in 1. distinct. 19. quæst. 4. artic. 1. & distinct. 24. quęst. 1. Auer. 4. Metaphys. com. 11. vbi docet, id esse vnum, quod non diuiditur, nimirum in seipso, Soncin. 4. Metaph. quæst. 23. not. 2. Heru. quodlib. 4. quæst. 2. Ægid. 5. Metaph. quæst. 6. Fonseca ibid. cap 2. quæst. 4. sect 5. Suarez in Metaphys. disp. 4. sect. 1. nu. 15. & sequentibus, Nazar. 1. par. quæst. 11. artic. 2. dub. 1. ad. 2. Fasol. art. 2. dub. 7. Insuper etiam Hispal. distin. 24. quęst. vnica artic. 3. Mayron. quæst. 2. artic. 2. Arim. quæst, 1. artic. 1. Bassolis quęst. vnica artic. 1. §. *Dico igitur*, Argent. quęst. vnica artic. 1. Ocham distinct. 2. quęst. 1. littera L. Gabr. quęst. 1. artic. 1. Marsil. quęst. 27. artic. 1. Caiet. 1. par. quęst. 11. artic. 2. in solut. 4. Bonet. 6, Metaphys. cap. 1. §. *Amplius, &c.* Syluester 1. par. conflati quęs. 11. artic. 1. & 2. Gillius lib. 2. de Essentia Dei tract. 2. cap. 2. & 5. qui tamen addit, quòd si diuisio ab alio sumatur, prout dicit diuisionem à seipso, tunc negatio diuisionis ab alio est de conceptu vnitatis, secundariò tamen, quia dicit negationem negationis à seipso. Vnum enim, quia formaliter est vnum, ideo formali sequela non potest negari de se ipso, quia ex vi vnitatis excluditur talis negatio. Verùm quęstio non procedit in hoc sensu. Hęc autem sententia ferè communis est prępsertim apud recentiores, & habet non contemnendum fundamentum, quòd scilicet concepta sola indiuisione concipiatur adęquata ratio vnitatis. Solùm aduertere oportet, quosdam ex citatis Auctoribus inter hanc negationem diuisionis in se, & negationem diuisionis à se distinguere; nam diuidi in se volunt importare diuisionem in partes, diuidi verò à se volunt, quòd sit diuidi in plura entia, quorum singula dicant totam rationem diuisi, vt cũ natura communis diuiditur in plura indiuidua. Verum per indiuisionem in se hanc quoque intelligunt alij Auctores, quia illam sumunt, vt quomodocunque excludit multiplicitatem.

D. Th. Auer. Soncin. Heru. Ægid. Fonseca; Suarez. Nazar. Fasol. Hispal. Mayron Arim. Bassolis Argent. Ocham Gabr. Marsil. Caiet. Bonet. Syluest. Gillius.

Posterior sententia vt probabilior confirmatur.

SECTIO II.

I. HAnc sanè posteriorem sententiam veram existimo; vnde pro ipsius explicatione aduertere oportet. Posse duplici modo diuisionem ab alio, seu negationem identitatis cum alio pertinere ad conceptum vnitatis, nimirum vel tanquam aliquid, sine quo non potest haberi conceptus adæquatus vnitatis, vel tanquam quid consequens, quod licet necessariò consequatur, non tamen ingrediatur conceptum adęquatum ipsius, sed se habeat veluti tanquam risibilitas ad hominem, quę quidem necessariò ipsi conuenit, non tamen est de conceptu adęquato essentiali illius. Primo modo, licet in re non sit formale constitutiuum vnitatis, se habebit tamen tanquam aliquid substitutum pro essentiali conceptu, quatenus per ipsam explicaretur essentia ipsius, & poneretur tanquam ratio formalis; illi enim substerneretur propria quidditas vnitatis. Si autem altero modo pertineat ad conceptum vnitatis, manifestum est, quòd non potest se habere tanquam ratio formalis ipsius, sed solùm tanquam passio consequens ad esse quidditatiuum. Diuisio autem ab alio dupliciter considerari potest, primò quidem, vt pręcisè dicat negationem identitatis cum alio, seu non esse aliud: altero modo pro relatione alietatis. Atque si hoc posteriori modo accipiatur, manifestum est, quòd non potest pertinere ad conceptum essentialem vnitatis tanquam quid substitutum pro conceptu essentiali; prius enim est, rem esse in se unam, quàm dicere relationem ad aliud, & ideo relatio ad aliud non potest pertinere ad conceptum quidditatiuum unitatis. Deinde alietas supponit multitudinem, unitas uerò, cum sit principium multitudinis, est prior tum multitudine, tum alietate, & proinde optimè haberi potest conceptus unitatis, absque eo, quod intellectus cogitet de huiusmodi alietate.

Duplici modo diuisio ab alio pertinet ad cōceptu vnitatis.

Relatio alietatis non pertinet ad cōceptu vnitatis.

Prima conclusio.

II. Hoc ergo pręnotato Dicendum est primò. Solam negationem diuisionis in se ipso esse de conceptu unitatis, ita ut hæc sola sufficiat, ut substituatur pro adæquato conceptu unitatis, quando illud positiuum, quod dicit, per negationem explicatur. Desumitur hęc conclusio ex Arist. pluribus in locis, sed pręcipuè ex 5. Metaph. tex. 11, vbi ita habet *Vniuersaliter autem quotcunque, non habent diuisionem, quatenus non habent eatenus vnum dicuntur*. Ex quibus patet, quòd per solam indiuisionem in se ipso, seu per negationem diuisionis in seipso explicat unitatem, ita ut ratio formalis unitatis explicetur per hanc negationem, ut patet ex illa reduplicatione, quę reduplicat, Ipsum non habere diuisionem, & tex. 12. ait; *Vbique autem ipsum vnum, aut quantitate, aut forma indiuisibile*; hoc est indiuisum in seipso. Quamobrem si vniuersaliter vnitas consistit in indiuisione, vt hic docet Arist. vniuersaliter etiam explicabitur per solam negationem diuisionis in seipso, quia hæc sola sufficit ad explicandam indiuisionem. Et lib. 10. eiusdem operis tex. 2. explicans, quid sit, esse formaliter vnum, ait *Propter quod vnum esse est indiuisibile esse*. Vbi etiam in sola indiuisione ponit formaliter vnitatem, atque adeo sufficienter explicari potest per solam negationem diuisionis in se.

Negatio sola diuisionis in seipso pertinet ad conceptum vnitatis. Arist.

Prima ratio.

III. Possumus autem pro hac conclusione imprimis vrgere fundamentum posterioris sententiæ, quòd scilicet concepta sola negatione diuisionis in se absque eo, quòd concipiatur diuisio ab alio, seu negatio identitatis cum alio, habetur conceptus adæquatus vnitatis, quod certè indicat conceptum proprium vnitatis adæquatè explicari per hanc solam rationem: & quamuis id negari posset, & dici, vel quòd non potest concipi negatio diuisionis in se, nisi etiam concipiatur diuisio ab alio; aut quòd per talem conceptum non habeatur adæquata vnitas; facilè tamen id totum conuinci potest, nam quòd possit concipi sola negatio diuisionis in se, patet ex eo, quòd negatio diuisionis in se est negatio absoluta ordinata ad aliquid absolutum explicandum; negatio verò identitatis cum alio est negatio respectiua, quæ absque ordine ad aliud intelligi non potest vnde sunt diuersæ negationes, & vna commodè absque alia intelligi potest. Quòd autem in sola negatione diuisionis in se consistat, seu quòd per

Posita sola negatione diuisionis in se concipitur adæquate vnitas.

hanc

hanc solam habeatur adęquatus conceptus vnitatis, etiam declaratur, nam vnitas ordinatur tantùm ad rem vnam, cui soli exhibet effectum suum formalem, siquidem totum id, quod præstare potest vnitas, est reddere vnum: hoc autem totum est ordinatum solùm ad rem vnam: vnde tota formalitas vnitatis exercetur circa solam rem vnam. Quod pariter declarari potest ex ipsa vnitate compositionis: huiusmodi enim vnitas ex genere suo ordinatur ad compositionem, seu ad constituendum compositum; hic autem effectus secundùm se totum est in ipso composito tantùm, circa quod solùm exercetur, quamobrem, si talis vnitas non exercet suum effectum formalem, nisi circa tale vnum ratione proportionis seruandæ vnitas vt sic exercebit solùm suum effectum formalem circa vnum vt sic. Totum autem, quod vnitas exercet circa vnum, est reddere ipsum indiuisum, & ab eodem excludere multitudinem; nec enim aliud in ratione vnitatis præstat, quod sit ipsi intrinsecum. Quamobrem illa negatio, quæ explicat hanc indiuisionem, & exclusionem multitudinis, adæquatè importabit proprium conceptum vnitatis: hoc autem præstat sola negatio diuisionis in se, quia ipsa importat indiuisionem in se, atque exclusionem multitudinis, seu esse coadunatum in talem mensuram, & quidditatem.

Vnitas tota ordinatur ad rem vnam.

Confir.

IV. Atque in confirmationem huius rationis possumus argumentari per locum intrinsecum ex aliquo impossibili vera sequela. Ponatur enim per impossibile, quòd sit solus Deus, & nullum ens creatum, neque actuale, neque possibile, hoc autem posito tunc Deus non esset diuisus ab alio, & tamen esset vnus, quia multiplex non esset, & esset in seipso indiuisus, ergo de conceptu illius vnitatis non est diuisio ab alio. Quòd si semel conceditur aliqua vnitas de cuius conceptu non sit diuisio ab alio, iam id de qualibet vnitate, atque adeò de vnitate ut sic concedi debet, quia quod non est de conceptu inferioris, neque etiam est de conceptu superioris, quod in ipso imbibitur, sic quod non est de conceptu hominis, neque est de conceptu animalis, quia dum superius communicatur inferiori, communicatur etiam quicquid ipsi conuenit. Et quamuis Deus non sit unus, sed supra unitatem iuxta ea, quę in priori tomo tradidimus, argumentum tamen rectè procedit, nam perfectiones, quę sunt in Deo, concipimus ad modum creatarum, & consequenter etiam unitatem, atque hoc stante, unitas Dei, quę concipitur ad modum creatæ, ita se habet, ut non concipiatur dependere ab aliquo extrinseco, sed eam Deus sit habiturus, etiam si nullum aliud ens sit possibile. Et hinc sumitur instantia, nam unitas illa eminentialis Dei, quę est supra unitatem, non dependet ab alia vnitate supereminentiali, à qua reddat diuisum, sed habet tantùm reddere Deum indiuisum in se, ergo neque unitas creata in suo conceptu inuoluet diuisionem ab alio, sed ad illam concipiendam sufficiet concipere, quod reddat indiuisum in se.

Vnitas non concipitur ab extrinseco, etiam extrinseci,

V. Posset tamen aliquis respondere, non esse mirum, quod dato uno impossibili sequatur alterum: si ergo, quod impossibile est, pręter Deum nullum aliud ens daretur, sequeretur hoc etiam impossibile, quòd non esset possibilis unitas, quia non esset possibilis essentia ipsius. Verùm facilè hęc responsio reijci potest, nam unitas dicit aliquid positiuum, & iuxta eorum sententiam, qui eam ponunt in negatione, adhuc habet fundamentum positiuum, quo posito necessariò ponitur unitas, seu illa negatio; in tali autem casu, etiamsi nullum aliud ens esset possibile, in Deo tamen esset totum illud positiuum, quod requiritur ad vnitatem, adhuc enim Deus haberet suam naturam, atque essentiam, quę in se non esset multiplex, cur ergo non haberet suam vnitatem, qua constitueretur in seipso indiuisus? Atque cum ex contradictoriis debeat necessariò alterum inesse, tunc Deus aut esset vnus, aut non unus: hoc secundum non potest admitti, quia si non esset unus, cum habeat suum esse, esset multiplex, & diuisum in se, & tunc adessent plures vnitates: vnde necessariò concedendū est, quòd haberet suam vnitatem. Quod etiam confirmari potest, quia tunc haberet Deus propriùm esse, quo esset ens per essentiam, si ergo vnitas consequitur esse, cur tunc non haberet Deus vnitatem sibi proportionatam, quę ad proprium esse consequeretur, poneretur enim tunc radix vnitatis, vnde non solùm radix vnitatis possibilis esset, sed

Responsio

Reijcitur

Posito aliquo esse, ponitur etiā proportionata vnitas.

etiam de facto daretur: poſita autem, poſſibilitate radicis alicuius paſſionis, ponitur etiam poſſibilitas paſſionis: & ſolùm verum eſt, ex aliquo impoſſibili ſequi aliud impoſſibile, quando hoc ab illo dependet, alioquin, etiam ſi hoc ponatur impoſſibile, non hinc illud redditur impoſſibile: & hoc pacto res ſe habet in vnitate; nam vnitas dependet tantùm ab eſſe illius rei, cuius eſt vnitas, cum ab illo ſolo conſequatur, & proinde nulla vnitas euadit impoſſibilis, niſi euadat impoſſibile eſſe, cuius eſt vnitas. Sed poſſumus etiam vrgere argumentum ex eo, quòd de facto poſſibile eſt. Deſtruat enim Deus omne ens, ſeu conſideretur Deus, prout ab æterno erat antequam aliquid produceret, tunc nullum aderat ens, quod haberet eſſe in ſe; quippe nondum illud participauerat à Deo, & cum totũ eſſe creaturę ſit participatum, non poteſt habere in ſe aliquod eſſe, niſi ab aliquo illud participet, vnde erant tãtùm uirtualiter in potentia Dei, tanquam in cauſa, & tamen Deus habebat ſuam naturalem vnitatem, non ab aliquo diuidebatur, quia non erat, à quo diuideretur, cum nullum ens haberet eſſe in ſe, non igitur de conceptu vnitatis eſt diuiſio ab alio, quandoquidem ſtare poteſt ipſius conceptus abſq; eo, quòd talis diuiſio concipiatur.

Vnitas depēdet tantum ab eſſe rei, cuius eſt vnitas.

VI. Secundo principaliter argumentor pro noſtra concluſione. Vnitas ex natura ſua eſt prior diuiſione ab alio, ſeu negatione identitatis cum alio, ergo non poteſt huiuſmodi diuiſio, ſeu negatio identitatis eſſe de conceptu unitatis. Hęc conſequentia euidens eſt, quia quod poſterius eſt natura, non poteſt conſtituere id, quod eſt prius tanquam eius intrinſecum conſtitutiuum, quia ſequeretur, quòd conſtitutum eſſet prius conſtitutiuo ſuo, quod quàm abſurdum ſit, ex ſe patet; deinde cum poſſit concipi, quod prius eſt abſque eo, quod eſt poſterius, poſſet concipi conſtitutum ſine conſtitutiuo, quod minimè dici poteſt, quia neque in eſſe obiectiuo poteſt conſtitutum conſiſtere ſine conſtitutiuo. Antecedens autem declaratur: nam diuiſio ab alio requirit pluralitatem entium, in qua fundetur, exigit enim ſua extrema, quorum vnum ab alio diuidatur: ita ut impoſſibile ſit, conſurgere diuiſionem huiuſmodi, & negationem identitatis cum alio, niſi prius ponantur extrema, quę diuidantur: in his autē extremis ſingulis reperitur vnitas, quæ ſicut, ſi vnum quodq. ſeorſim conſideretur, ſunt priora diuiſione, ita etiam prior eſt vnitas; quod ſimiliter etiam ex eo colligitur, quòd diſtinctio, ſicuti non poteſt conſiſtere abſque extremis, ita neque poteſt conſiſtere abſque vnitate, quæ in iiſdem extremis reperiatur: & conſequenter neque negatio identitatis: & vnitas conſiſtere poteſt abſque diuiſione, non enim vnitas in ipſa fundatur; ſed optimè ſicuti poteſt concipi vnum extremum ſine alio, ita etiam concipi poteſt vnitas ipſius abſque alterius vnitate, & conſequenter abſque diuiſione, & tenet regula prioris, quòd ab vnitate ad diuiſionem ab alio, non valeat conuertentia ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam. ſi enim ſit vnitas, non eſt diuiſio, licèt, ſi ſit diuiſio, ſit etiam vnitas. vndè ſequitur, quòd vnitas prior ſit diuiſione ab alio, & conſequenter diuiſio ab alio non poſſit eſſe de eius conceptu.

Secūda ratio.

Vnitas prior diuiſione ab alio.

VII. Atque hæc ratio adhuc confirmari poteſt. Vnitas conſequitur rationem entis. vniuerſaliſsimè ſumpti, ita vt cogitando de ſolo ente, & de nullo alio, poſsimus habere conceptum vnitatis; poſito enim ſubiecto ponitur paſsio, præſertim ſi ſit metaphyſica, & cum ab intrinſecis principijs ipſius conſequatur, non eſt neceſſe aliquid aliud concipere, vt ipſa concipi poſsit: diuiſio uerò ab alio, ſeu negatio identitatis non conſequitur ens uniuerſaliſsimè ſumptum, ſed entia, ita ut ſolùm inter plura entia reperiri poſsit, non in ſolo ente, præſertim uniuerſaliſ ſimè accepto, ergo cum negatio identitatis cum alio habeat diuerſum fundamentum, ac habeat ens, & ſit poſterior unitate, ita ut poſsit unitas concipi, non concepta diuiſione, nec ipſius fundamento, nullo pacto poterit negatio identitatis cum alio pertinere ad conceptum entis.

Vnitas poteſt concipi cōcepto ſolo ente vniuerſaliſſimo.

VIII. Tertiò probatur eadem cōcluſio deſumpto argumento ex oppoſitione, quæ eſt inter vnitatem, & diuiſionem, ſeu pluralitatem, & multitudinem. Per id enim ſufficienter explicatur adæquatus conceptus vnitatis, per quod habetur ſufficiens ratio oppoſitionis cū mul-

multitudine, & diuisione: nam cum vnitas. & diuisio, seu multitudo secundùm formales rationes opponantur, ea ratio, quæ importat adæquatam oppositionem ex parte vnius extremi importat etiam adæquatam rationem constitutiuam illius esse, secundùm quod opponitur, atque adeò eius conceptum adæquatum. At per solam negationem diuisionis in se explicatur adæquata ratio oppositionis, quam habet vnitas cum diuisione, & multitudine: multitudo enim & diuisio importat tantùm quamdam pluralitatem, quam in seipsa habeat, seu diuisionem, qua in suo esse diuidatur, importat enim plura entia, quorum vnum ab alio diuiditur, atque adeò cum in se includat illa plura entia, includit etiam eorumdem diuisionem, non autem vt multitudo est importat identitatem cum alio, quia hoc pacto potius importaret vnitatem, quàm multitudinem; Quapropter cum illa sit adæquata ratio oppositionis, per quam altera ratio oppositionis tollitur, illa erit adæquata ratio oppositionis ex parte vnitatis, atque adeo adæquata ratio ipsius, per quam tollitur id, quod dicit multitudo, vt talis est. Sola autem negatio diuisionis in se tollit adæquatè totum id, quod dicit multitudo, vt talis est, nam tollit diuisionem in se, per quam solam constituitur multitudo; negatio verò identitatis cum alio tollit eamdem identitatem: vnde, vt pertineret ad intrinsecum conceptum vnitatis, necesse esset, quòd identitas cum alio pertineret ad rationem formalem multitudinis, quod nullo pacto dici potest. Et hoc ipsum confirmari potest ex proportione, quæ est inter indiuisibilitatem, & indiuisionem, seu vnitatem, quod enim potentialiter negat indiuisibilitas, negat per modum actus indiuisio: Indiuisibilitas autem negat potentiam ad posse diuidi in seipso, & per hanc solam carentiam potentiæ ad diuidi adæquatè intelligitur indiuisibilitas: sicuti per solam potentiam ad diuidi intelligitur adæquatè diuisibilitas, vt contingit in quantitate, quæ intelligitur diuisibilis, ex eo solùm, quòd habet partes. & potentiam ad diuisionem; huiusmodi autem carentia potentiæ est in sola re indiuisibili, & importat vnicam solam negationem: ergo indiuisio importabit per modum actus solùm carentiam diuisionis, & vnicam tantùm negationem, neque enim indiuisibilitas dicit carentiam potentię ad identificari cum alio, vt dicat diuisio negationem identitatis cum alio.

Ratio adæquata oppositionis cu multitudine importat adæquatā rationē vnitatis.

Ratio adæquata multitudinis.

Vnitas dicit proportionaliter quod dicit indiuisibilitas.

IX. Secundò dicendum est, negationem identitatis cum alio, seu diuisionem ab alio consequi vnitatem ad modum passionis. Ita specialiter Mayron in 1. dist. 8. quęst. 7. art. 1. Capr. dist. 14. quęst. vnica art. 1. ante 4. conclus. Arim. art. 1. post init. Heru. quodlib. 4. quęst. 2. Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quęst. 5. sect. 5. Soncin. quæst. 23. Suarez. in Metaph. disp. 4. sect. 1. num. 17. Fasol. 1. part. quæst. 11. art. 1. dub. 14. Gyllius lib. 3. de Essent. Dei tract. 3. cap. 5. cum D. Th. quęst. 9. de Poten. art. 7. & num. 1. dist. 24. quęst. 1. art. 3. in corpore, & alibi. Quia autem, vt modò dicebamus, non potest haberi diuisio ab alio, nisi ad sint plura extrema, in quibus fundetur, ideò hęc conclusio ita intelligi debet, vt diuisio non sequatur vnitatem vt sic vniuersalissimè acceptam, quia posita hac sola vnitate, non adest alia vnitas, & consequenter nec aliud ens vnum, à quo diuidatur; sed ita debet accipi, vt consequatur primam determinationem vnitatis, à qua habeatur diuisio, & pluralitas respectu alterius, ita tamen vt quamlibet vnitatem determinatam quacunque determinatione consequatur sua distinctio, qua ens ab alio ente distinguatur, quia sicuti habet determinatam vnitatem: ita etiam habet determinatum gradum essentię. Ex quo intelligitur, quid sibi velit, quando dicitur. Vnum esse id, quod est indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio, non enim ponitur diuisio à quocunque alio, tanquàm quid explicatiuum quidditatis vnitatis, sed vt quid consequens ipsam vnitatem, vt magis explicetur eius quidditas: & non intelligitur de vno vt sic, sed de vno distributiuè sumpto pro hoc, & illo. Quòd autem diuisio ab alio consequatur vnitatem modo explicato, patet, nam vnitas, vt supra dictum est, colligit esse illius rei, cuius est vnitas, in quamdam mensuram propriam illius, atque ipsum coadunat, ita vt reddat indiuisum in se: dum autem ita coadunat in mensuram propriam talis rei, facit consequenter, vt non communicet cum esse alterius, siqui-

Secunda cóclusio.

Mayron Capr. Arim. Heru Fonseca Soncin. Suarez Fasol. Gillius D. Th.

Negatio identitatis cum alio ad modum passionis sequitur vnitatē.

dem esse quoque alterius rei ex vi suæmet vnitatis coadunatur in mensuram aliquam, sibi propriam, & in suamet essentia constituitur: eo ipso autem quòd esse vnius ex vi propriæ vnitatis non communicat cum esse alterius, distinguitur ab ipso distinctione consequente ad ipsam vnitatem.

Ad fundamenta in oppositum.

X. Hinc facilè soluuntur fundamenta alterius sententiæ. Ad primum enim conceditur, Vnitatem quidem vtrumque præstare, nimirum & reddere indiuisum in se, & diuisum a quocunque alio; ita vt non possit aliquid esse indiuisum in se, nisi sit diuisum à quocunque alio, si tamen adsit aliquid aliud, à quo diuidatur: uerùm non eodem modo utrumque exhibet, sed alterum ipsorum formaliter, alterum uerò consequutiuè: formaliter enim facit indiuisum in se, & per hoc solùm, ut diximus, saluatur adæquatus conceptus intrinsecus unitatis: si autem hoc esse, quod redditur indiuisum in se, non sit esse communissimè sumptum, sed importet aliquam determinationem, qua ad determinatam essentiam cõtrahatur: ex hac indiuisione in seipso consequitur diuisio à quocunque alio, ut iam explicatum est. Quòd si instes, unitatem esse semper cum ordine ad aliud, quia quando concipitur aliquid indiuisum in se, concipitur non esse aliud à se. Respondetur ex hoc potius modo concipiendi sequi, quòd non dicat ordinem ad aliud, quia si non diuiditur à se, iam habet esse ad se; esse autem ad se, sicuti negat alietatem, quæ in hoc conceptu interueniat, ita tollit ordinem ad aliud, qui absque alietate stare non potest.

Quomodo vnitas reddat diuisum ab alio.

Enti non prius cõuenit diuisio à suo contradictorio, quã indiuisio in se.

XI. Si quis autem vrgeat, quod enti prius conuenit diuisio à suo contradictorio, quàm indiuisio in se, quia ex eo præcise quòd est ens sub ratione explicita entis habet, quòd non sit non ens, atque adeo seipso negabit non ens & seipso ab illo diuidetur. Resp. quod licet diuisio à non ente ipsi conueniat ex eo præcisè, quòd est ens, non tamen conuenit prius, quàm indiuisio in se, quia indiuisio in se conuenit in ordine ad intrinsecum esse, non autem in ordine ad entia, vt ait Fasolus 1. part. q. 11. art. 1. dub. 10.; nam conuenit quatenus habet in se proprium esse collectum in vnicam mensuram, quæ autem conueniunt in ordine ad intrinseca, priora sunt ijs, quæ conueniunt in ordine ad extrinseca. Deinde etiam si prius conueniret, non esset negatio, per quam formaliter explicaretur vnitas, tum quia non fundaretur in positiuo vnitatis, nam fundaretur in conceptu explicito entis.

An Vnũ diuidatur a nõ ente.

XII. Ad secundum verò negatur, quòd prius sit esse diuisum ab alio, quàm esse indiuisum in se, cum res opposito modo se habeat, vt diximus. Cum verò in probatione dicitur, quòd prius ens diuiditur à nihilo, quàm sit indiuisum in se, respondetur, ens non diuidi à non ente, quia cum non ens nihil sit, non potest esse extremum diuisionis, sed cum ipso contradictoriè opponitur; vnum autem contradictorium non diuiditur ab alio; nisi impropriè loqui vellimus, quia vnitas proprij esse, quæ ab alio diuidit, in tantùm diuidit, in quantum coadunat esse in vnum, vt non communicet cum alio. Et rursus hæc diuisio impropria non habetur ratione vnitatis, sed ratione entis, quia ens contradictoriè opponitur non enti ex eo, quòd ens est; atque falsum est, quòd prius sit diuidi à non ente, quàm esse ens in se, quia sicuti ex eo, quòd est ens sequitur, quòd contradictoriè opponatur, nam ratio entis est ratio oppositionis, ideo etiam ex eo, quòd est ens, diuiditur, vnde prius est esse ens in se, & consequenter esse vnum; quàm diuidi impropria illa diuisione à non ente, vt modo dicebamus.

XIII. Ad tertium. Aristotelem tex. illo 9. lib. 10. Metaph. explicare vnum per oppositionem ad multa tanquam per aliquid consequens vnitatem, & quod notius est quò ad nos: non autem tanquam per formalem rationem vnitatis. Et si quis instet; Vnum formaliter opponi multitudini, & ideo non posse eius rationem intelligi sine ordine ad ipsam. Respondetur, vt iam diximus, Vnum opponi multitudini, vt multitudo est formaliter, & prout importat rationem diuisionis in se, quia secundùm solas formales rationes contingit oppositio: ex hoc autem sequitur, quòd sicuti multitudo dicit formaliter solam diuisionem in se, ita vnitas dicat oppositam rationem, nempe indiuisionem in se, quæ explicetur per negationem diuisionis in se: prout au-

Quomodo vnũ opponatur multitudini, & an ad ipsam dicat ordinem.

eem

tem dicit indiuisionem, non dicit ordinem ad multitudinem, quia oppositum positiuum non constituitur per ordinem ad aliud oppositū relatiuum, præsertim si alterum oppositum correspondens sit negatiuum, quia impossibile est, positiuum constitui per ordinem ad negatiuū, & ideò vnitas, vt dicit indiuisionem necessariò intelligitur absque ordine ad multitudinem. Negatio verò, per quam vnitas explicatur, dicit ordinem ad diuisionem, quia omnis negatio intelligitur cum ordine ad formam, quam tollit, & diuisio concipitur ad modum cuiusdam formę, quę afficiat multitudinem. Non hinc tamen sequitur, quòd vnitas, prout explicatur per negationē, dicat diuisionem ab alio, quia ordo ille negationis ad diuisionem, quam tollit, non est diuisio, seu ordo diuisionis, quia tantum abest, vt importet diuisionem, vt etiam illam tollat: deinde ordo illius negationis est ad diuisionem in seipso, non autem ad diuisionem ab alio: vnde nullo modo interuenire potest diuisio ab alio, tanquam essentiale constitutiuum vnitatis.

Qualis sit negatio, per quam explicatur vnitas.

Disp. VII.

Quomodo se habeat respectu subiecti.

SECTIO I.

I HAec negatio diuisionis in seipso, per quam, diximus, explicari vnitatem, diuersimodè se habere potest, quamuis enim negatio in se nihil sit, iuxtà tamen nostrum modum concipiendi habet suum esse, atque adeo suam diuersitatem, vel in ordine ad id, quod negat, vel in ordine ad subiectum, cui tribuitur, vel aliquo alio modo. Quamobrem pręsens disputatio instituenda est, in qua de eius qualitate, quæ taquam essentialis concipitur, inquiratur. Quia autem diuersitas, & qualitas negationis præcipuè dignoscitur in ordine ad subiectum, cui tribuitur, & in ordine ad formam, vel quasi formam, quam tollit, ideò ex parte vtriusque qualitas huius negationis inquirenda est, & primò quidem ex parte subiecti, an scilicet sit pura negatio, an verò priuatio. Deinde ex parte termini, quod præstabimus, si inspiciamus, quodnam sit illud, quod per huiusmodi negationem tollitur.

II. Quòd autem spectat ad primum punctum difficultatis. Aliqui censent. *Quid alij sentiant.* Hanc negationem non esse puram negationem, sed esse priuationem, quia inquiunt, vnitatem opponi priuatiuè cū multitudine. Ita docent Fonseca 4. Metaph. cap. 2. q. 5. sect. 2 Suarez in Metaph. disp. 4. sect. 1. num 19. Meurisse 2. suę Metaph. cap. 3. q. 1. conclus. vltima. Gillius lib. 2. de Essent. Dei tract. 3. cap. 2. ad 3. Fasol: 1. par. q 11. ar. 1. dub. 8. Capr. in 1. dist. 24. quæst. vnica ar. 1. Et videtur etiam D. Thom. idem sentire 1. par. q. 21. ar. 2. in corpore & complures alij recentiores. *Fonseca* *Suarez* *Meurisse* *Gillius* *Fasol.* *Capr.* *D. Tho.* Addunt tamen hi Auctores, propriè, & rigorosè non esse priuationem, sed se habere ad modum priuationis. Fundamentum horum est, quia cum multoties non sit hæc negatio in subiecto apto ad diuisionem, non potest esse rigorosa priuatio; cum autem sit in subiecto, non potest esse mera negatio, vnde cum sit in subiecto, erit negatio se habēs ad modum priuationis. Fonseca tamen vult, esse priuationem, quia, inquit, licet diuisio non possit esse in aliquo ente determinato, potest tamen esse, in ente genericè sumpto, quod sufficit vt possit esse priuatio, ad ipsam enim sufficit aptitudo ex parte rationis genericæ, sic etiam Talpa dicitur cœca, & tamen non vt talpa est, sed solùm vt animal est, dicit aptitudinem ad videndum. Auersa autem *Auersa* in sua Philos. q. 5. sect. 3. explicat priorem modum loquendi dicens, quòd si priuatio sumatur pro negatione denominante aliquod subiectum, siue sit capax formę, siue non, in quo contradistinguitur à negatione, quę nullum subiectum afficit, tunc huiusmodi negatio censenda erit priuatio, quia denominat ipsum ens tanquam subiectum, & suo modo afficit. Si autem sumatur priua-

tio,

tio pro negatione formę in subiecto apto, tunc in rebus singularibus, siue simplices, siue compositæ sint, talis negatio dicenda est pura negatio: nam singularia non possunt multiplicari, & ens simplex est omnino indiuisibile, & compositum, si diuidatur per separationem suarum partium, destruitur, & hoc modo res singulares sunt incapaces diuisionis, & vnitas, quatenus est realis, est omnino pura negatio. In rebus autem in vniuersali consideratis potest ipsarum vnitas esse priuatio, quia reperitur in subiecto, quod saltem per multiplicationem est capax diuisionis, cum vniuersale sit aptum esse in multis, nec destruatur per talem multiplicationem, quia tota natura ipsius reperitur in quolibet indiuiduo. Ita circa hanc negationem philosophatur Auersa. Hurtad. autem in Metaph. disput. 4. sect. 2. vult, Negationem huiusmodi in rebus compositis esse priuationem, quia sunt capaces diuisionis, in simplicibus autem esse puram negationem.

Hurtad.

III. Vt autem, quid nobis dicendum videatur proponamus. Existimo, vnitatem explicari per illam negationē, quæ tollit illam diuisionem, quę, si adueniat enti vni, destruat ipsius vnitatem, atque hoc certum vnicuique apparebit, si consideret, quòd vnitas in tantum habet annexam, aut dicit negationem diuisionis, in quantum illam ab ente excludit ex vi suæ rationis formalis: sicuti autem excludit diuisionem in seipso, ita si cōueniret talis diuisio, deberet diuidi in seipso, & tolli ab eodem intrinseca vnitas, atque constitui multiplex; adueniret enim ratio opposita vnitati, nempe multitudo. Quamobrem, si diuisio, quam tollit huiusmodi negatio, supponat capacitatem in subiecto, tollet ipsius vnitatem intrinsecam, qua esse ipsius vnum est; & si subiectum non sit capax, erit saltem quantùm est ex se ablatiua illius, & in tantùm non auferet, in quantum non potest tali enti aduenire. Ex quo deducitur, quòd cum vnitas fundetur in ente, posita illa ratione entis, in qua fundatur, necessariò adsit vnitas, & quotiescunq. per diuisionem auferatur vnitas, debeat etiā auferri ratio illa entis, in qua fundatur, quod non aduertit Auersa, & ideò dixit, entia composita esse indiuisibilia, quia si diuidantur in suas partes componentes perit essentia ipsorum: hoc enim necessarium est, quia si per diuisionem tollitur vnitas, quæ est passio metaphysica entis, quomodo consistet subiectum ipsius? quomodo enim potest reperiri subiectum absque sua passione metaphysica? si enim tollatur risibilitas, tollitur homo propter necessariam connexionem, quæ est inter subiectum, & passionem. Sic quia in diuisione continui quanti [illegible] non tollitur simpliciter vnitas, sed solùm diuiditur, neque simpliciter tollitur entitas, in qua fundatur: cum verò compositum diuiditur in suas partes componentes, quia tollitur omnino vnitas compositionis, tollitur etiā omnino essentia illa, quam importat compositum: & hoc pacto semper esse correspondet vnitati, ita vt eo modo, quo aufertur vnitas, auferatur etiam esse, cuius est vnitas. Ex quo deducitur, quòd diuisio rationis communis, quæ fit per multiplicationem in inferioribus, non sit illa, quæ tollitur per negationem, quam dicit vnitas rationis communis, quod est valdè aduertendū, non enim per talem diuisionem tollitur vnitas intrinseca, & propria talis rationis, quæ est vnitas essentialis, qua esse ipsius redditur indiuisum in se ipso essētialiter, sed adhuc illam retinet, quia multiplicatio non fit secundùm rationē ipsius formalem, quasi intrinseca sit esse ipsius, sed formaliter cadit supra rationes inferiores: & illa non obstante, adhuc essentia est vna, et eadem secundùm sua essentialia in omnibus inferioribus. Quod etiam à priori declarari potest, quia non obstante hac multiplicatione remanet essentia, ergo remanet etiam vnitas ipsius, quia impossibile est, adesse subiectum, & non adesse passionē metaphysicam ipsius.

Negatio, quam dicit vnitas quam diuisionem tollat.

Destructa vnitate per diuisionem destruitur etiam ens, in quo fundatur.

Multiplicatio rationis communis non opponitur eius vnitati.

IV. Præterea huiusmodi negatio, per quā vnitas explicatur, in nullo subiecto, siue simplex sit, siue compositum, supponere potest aptitudinem ad diuisionem: quod quamuis difficile videatur, non multo tamen negotio declaratur. Aptitudo enim ita fundatur in aliquo ente, vt ipsum inclinet in id, ad quod ex vi aptitudinis ordinatur, atq. consequenter ponat in ipso aliquem appetitum, quo appetat terminum aptitudinis: stante autem huiusmodi appetitu ad terminum suæ aptitudinis, fieri non potest, quòd per aduentum talis

Aptitud[...] stare pe[...] test cu[...] co, ad [...] quod e[...] aptitud[...]

termini destruatur esse, in quo fundatur aptitudo, & consequenter ipsamet aptitudo: quia potius perficietur, quàm destruetur; recipiet enim id, quod appetit: hoc enim habet aptitudo ex genere suo, quod stare possit cū eo, ad quod inclinat, ut inductione patebit: aptitudo enim ponit quandam commensuratio nem cum suo termino, ita ut simul cum ipso stare possit. Diuisio autem, per cuius negationem unitas explicatur, non potest stare cum ipsa unitate, quia eam tollit, & cōsequenter neq; esse id, in quo fundatur unitas, quia destructa unitate, hoc quoque esse destruitur. Vnde cōcludendum est, quòd negatio diuisionis, quam dicit unitas, nullo modo supponat aptitudinem in subiecto, quia tunc, si supponeret, ut iam ex dictis patet, non destrueretur vnitas per diuisionem, neque illa essentia, in qua fundatur unitas, sed possent simul copulari: unde in tantùm aliquod subiectum dicitur habere potentiam ad diuisionē, in quantùm habet partes, quæ quidem partes sunt separabiles, non quia inclinēt adseparationē, cū potius vnionē appetāt, sed quia non repugnat, eas separari, quamuis cōtra ipsarum inclinationē atque hæc non repugnantia dici solet diuisibilitas, quæ propriè non est aptitudo positiua, sed defectibilitas, & est potius quoddam genus corruptibilitatis, unde sicuti corruptibilitas nō est aptitudo ad corrūpi, cū potius tendat ad nō esse; ita neque diuisibilitas, cum tendat ad non unum. Igitur cum talis negatio non supponat aptitudinem in subiecto, nullo pacto poterit esse priuatio. Quod præsertim uerum est, quia cum priuatio debeat supponere in subiecto capacitatem, & aptitudinem, debet consequenter priuare aliqua forma positiua: diuisio autem, quam tollit huiusmodi negatio, non est forma aliqua positiua, sed ablatio unitatis, Quod etiam confirmari potest. Nunquam, quæ opponuntur quacunque oppositione, sed præsertim contradictoria, ita se habent, vt unum ex ipsis dicat inclinationem, ad aliud, cum potius ex natura sua se inuicem excludant: unū autē, & diuisio inuicem opponuntur, & ideo Vnum non potest habere aptitudinem ad diuisionem, & cōsequenter, nec negatio diuisionis esse priuatio.

Diuisio non sit [cum] unitate.

Negatio quam dicit unitas, non est priuatio.

V. Sed neque huiusmodi negatio se habere potest ad modum priuationis, quod ex eo conuincitur, quia totum esse priuationis in eo consistit, quòd sit negatio formæ in subiecto apto, per hanc enim definitionem adæquatè explicatur, & per hoc solùm distinguitur à negatione, quòd connotet subiectum, cui tribuitur, cum aptitudine ad formam, quam negat: atque hac connotatione deficiente, deficit tota ratio priuationis. Quare cum ista negatio nullo modo connotet aptitudinem in subiecto, neque etiam potest aliquo pacto se habere ad modum priuationis. Neque potest responderi, quòd non est necesse, quòd subiectum, quod immediatè à priuatione determinatur, sit capax illius, quod per priuationem tollitur, sed sufficere; quòd aliqua ratio magis patens sit capax, nam si non adest talis capacitas, quomodo erit priuatio respectu subiecti determinati? Deinde, quæ ratio magis patens, quàm Vnum transcendēt potest esse capax diuisionis, cū talis ratio non detur. Accedit etiam, quòd, ut modo dicebamus, priuatio dicitur respectu alicuius formæ positiuæ: negatio autem ista, quam importat unitas, cū sit negatio diuisionis, non aufert formam positiuam, quia diuisio est solùm ablatio vnitatis, unde est potius negatio negationis, quàm priuatio formę, & ideo nō potest se habere ad modū priuationis, vt enim tali pacto se haberet, necesse esset, vt aliquo modo participaret rationem priuationis. Verùm neque potest esse pura negatio. Et hoc colligitur ex natura puræ negationis; pura etenim negatio non habet subiectum determinatum, cui adscribatur, sed vagatur per quodcunque, ita vt non minus vni, quàm alteri tribui possit: sic negatio ista, *Non homo*, quamuis neget aliquid determinatum, indifferenter tamen cuicunque enti tribui potest; nam tam de lapide, quàm de ligno, boue, & quocunque alio dici potest, quod sit *Non homo*; negatio verò ista, quam importat vnitas, habet subiectum formale determinatum, cui soli tribui potest, nam solùm conuenit enti, quatēnus vnum est, ita vt vnitas sit ratio, propter quam ipsi tribuitur, & quamuis hæc ratio vnitatis sit transcendens, non hinc tamen fit, quòd non constituat determinatum subiectum, quia adhuc subie-

Negatio quam dicit unitas, nō se habet ad modū priuationis.

Neq; est pura negatio.

ctum formaliter est vnum, cum vnica sit ratio formalis, per quam constituitur subiectum talis negationis.

I. concl. Negatio annexa vnitati dicit exclusionē priuationis eiusdē vnitatis.

VI. His ergo sic constitutis, superest declarare, qualisnam sit hæc negatio in ordine ad subiectum. Vnde dicendum est primo. Negationem, per quam explicatur vnitas, esse quandam exclusionem formalem, quæ habetur ex vi positiuæ formæ, nempe vnitatis, seu indiuisionis, qua excluditur priuatio eiusdem formæ positiuæ, seu vnitatis. Pro cuius intelligentia sciendum est: vnum contrarium ex intrinseca sua ratione excludere alterum à seipso: atque hoc verum est tam in contrarijs positiuis, quàm in negatiuis, siue priuatiuis: sic positiuum excludit alterum positiuum, ita vt ambo contraria omniuo' sint incompossibilia: in negatiuis verò positiuum excludit negatiuum, seu priuatiuum, quia impossibile est, quòd in seipso contineat suimet negationem, aut priuationem: econtra verò negatiuum, siue priuatiuum excludit positiuum, quia ipsum aufert. Hinc fit, quòd vnum ex oppositis ex vi huius exclusionis habeat annexam negationem alterius, quod sibi opponitur, sic homo habet annexam negationem sui contradictorij non homo, quæ quidem negatio cognoscitur per reflexam cognitionem supra ipsum hominem, qua intellectus reflectens supra positiuum contradictorium, cognoscit illi conuenire negationē contradictorij negatiui. Et hoc quoq; habet locum in contradictorio negatiuo, dum ab intellectu cōcipitur per modū cuiusdam extremi illius oppositionis, tunc enim potest supra ipsū reflectere, & illi tribuere negationē sui oppositi.

Quomodo ex oppositis vnum habeat annexā negationē alterius.

VII. Hoc ego prænotato explicatur simul, & probatur cōclusio Vnitas, vt in superioribus probatum est, importat quamdam formam positiuam, qua subiectum redditur vnum, priuatiuè opposítam diuisioni, est enim subiectum capax huius vnitatis, & habet inclinationem ad ipsum tanquam ad suam passionem, qua perficitur suo modo, vnde si ab ipsa auferatur saltem per intellectum, est ipsa propriè priuatum, quia habet carentiam illius cum aptitudine, diuisio autem est illa, qua priuatiuè tollitur vnitas, ita vt diuisio formaliter non sit aliud, quàm priuatio vnitatis: & ideo inter vnitatem, & diuisionem adest oppositio priuatiua. Vnitas ergo excludit à seipsa diuisionem, & ex vi huius exclusionis habet annexam negationē illius: quare cum diuisio sit priuatio vnitatis, negatio, quæ est annexa vnitati, non erit aliud, quàm formalis exclūsio priuationis eiusdem unitatis. Quod etiam confirmari potest, quoniam inter oppositum positiuum, & negatiuum, siue priuatiuum interuenit formalis repugnantia, ratione cuius vnum excludit alterum, ergo unitas tā quam ratio positiua excludit diuisionē, tanquam suimet priuationem, & habet annexam negationem illius, quæ est negatio priuationis. Quod etiam explicari potest exemplo immortalitatis, & immaterialitatis. Immortalitas enim dicit exclusionem mortalitatis, & immaterialitas materialitatis, atque huiusmodi exclusio tollit earumdem oppositum, atque ipsis conuenit ex ui formæ, atque perfectionis positiuæ, & per hanc exclusionem habet negationem, qua de ipsis negatur posse mori, & habere materiam: sic ergo unitas quoque ratione suæ positiuæ formalitatis habebit annexam exclusionem, & negationem sui oppositi, quod cum sit priuatio eiusdem unitatis, talis negatio erit negatio priuationis.

Vnitas priuatiue opponitur diuisioni.

Secunda concl. Negatio annexa vnitati reducitur ad genus oppositionis negati ...

VIII. Secundò dicendum est hanc exclusionem reduci ad genus oppositionis, ad quam pertinet extremum, cui adnectitur, vnde cum sit annexa extremo oppositionis priuatiuæ, pertinebit ad talem oppositionem tanquā aliquid se tenens ex parte extremi positiui. Probatur autem, & declaratur conclusio. Huiusmodi negatio nō habet ex se uim excludendi determinatè id, quod excludit, quia ex se non est magis exclusiua vnius, quam alterius; sed tota ista determinatio, qua uis exclusiua negationis determinatur ad talē oppositum excludendum fundatur in oppositione illius extremi, cui adnectitur, & ideo ex ui illius participat aliquam cōtrarietatem eiusdem generis, qua simul cum suo extremo alteri extremo opponitur. Et hinc fit, quòd talis negatio aliquādo assumatur ad explicandū extremum illud oppositionis, cuj conuenit, ut contingit in ipsamet unitate, pro qua explicanda assumitur negatio diuisionis, quare cū ducat in cognitionē talis extremi, qua-

te nus alteri opponitur, debe præferre liquo modo oppositionem illius.

Obiectio IX. Sed statim hic insurgit dubiũ, quomodo fieri possit, quòd exclusio annexa extremo positiuo, cum sit negatio, possit induere oppositionem illius, quæ est saltẽ ex parte eiusdẽ oppositio positiua. Cui occurrendum est;

Solutio. Non posse quidem directè talem oppositionem induere, posse nihilominus indirectè, nimirum ratione extremi, cui adnectitur. Quòd si inquiras, quid sit hoc indirectè induere oppositionem, respondetur. In extremo oppositionis positiuo duo considerari posse, nempe ipsam rationem positiuam, vnde habet, quòd opponatur, & ipsam incompossibilitatem, qua incompossibilia sunt, quæ fundantur in tali ratione positiua oppositionis: oppositio enim importat incompossibilitatem extremorum, sine qua non potest adæquatè intelligi ipsa oppositio. Formalis igitur exclusio, siue negatio annexa extremo positiuo oppositionis non potest induere rationem illam positiuam oppositionis, quia negatiuum non potest induere positiuum; cum tamen consideretur vt annexa cum tali extremo positiuo induit ratione illius illam incompossibilitatem, & explicat illud actuale esse incompossibile, quod quidem non est quid positiuum, sed fundatum in positiuo, & pertinet ad adæquatum conceptum illius oppositionis, quia licet oppositio fundetur in vnoquoque extremo, tamen vtrumque requirit, ita vt veniant in combinationem secundùm proprias rationes oppositionis; cum autem veniunt in combinationem consurgit illa incompossibilitas, & repugnantia eorumdem; quam necesse est intelligere, si volumus oppositionem intelligere, & negatio annexa extremo positiuo participat in hac incompossibilitate, quia dicit exclusionem alterius extremi.

Quomodo negatio annexa extremo positiuo oppositionis reducatur ad genus illius oppositionis.

X. Ex his autem, quæ hucusque dicta sunt, constat, Negationem huiusmodi, quæ annexa est vnitati, & per quam explicatur, esse negationem determinati generis, ita vt neque sit priuatio, neque pura negatio, sed formalis exclusio diuisionis, quæ est negatio fundata in forma positiua, & ideo est negatio determinati subiecti ipsi per se annexa, & spectans ad genus oppositionis eiusdem, vt iam patet ex dictis.

Obiectio Quòd si dicas calorem habere annexam negationem sui contrarij, nẽpe frigoris, & tamen *Non frigus* non esse negationem determinati generis, nec determinati subiecti, sed vagum, ita ut cuicumque, quod non sit frigus, tribui possit, quemadmodum ligno, lapidi, & alijs huiusmodi:

Respõsio Respondetur. Posse tunc negationem. *Non frigus* dupliciter considerari, nimirum prout dicit præcisè negationem frigoris, & hoc pacto est negatio vaga, nec determinati subiecti. Altero autem modo considerari potest, non prout præcisè est negatio frigoris, sed prout est exclusio illius ex [illegible] caloris; qui dicit formam oppositam frigori, ex vi cuius habetur talis exclusio: & tunc talis negatio est determinati subiecti, quia importat exclusionem frigoris prout radicatur in ipso calore, & ab ipso habet determinationem ad excludendum directè frigus.

Quãdo negatio indeterminata, siat determinatis obiecti.

Quem terminum habeat hæc negatio.

SECTIO II.

1 IN præcedenti sectione explicauimus, qualis sit ista negatio, per quam vnitas explicatur ex parte subiecti, nunc ergo videndum est, qualis sit ex parte termini, quem tollit, ut autem hoc assequamur, inquirendum est, quẽ terminum tollat, quia talis erit in ordine ad ipsum proportione seruata, qualis erit ipse terminus. Vt autem ex præcedentibus deducitur, terminus, quem tollit huiusmodi negatio, est ipsa diuisio, Quod etiam declarauit Arist. 5. Metaph. tex. 11. inquiens. *Vniuersaliter namque quotcumque non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur, vt puta si prout homo non habet diuisionem, vnus est homo; quòd si prout animal, vnum animal; quod si prout magnitudo, vna magnitudo.* Quare si non habere diuisionem facit unum, iam negatio ista unitatis tollit diuisionem. Et similiter lib. 10. text. 9. habet, unum, & multa opponi ut indiuisibile, & diuisibile, & statim subdit. *Quod enim aut diuisum, aut diuisibile est, multitudo quadam*

Terminus, quẽ tollit negatio vnitatis. Arist.

dicitur. quod verò indiuisibile, aut non diuisũ, vnum est, ex quo etiam patet di uisionem tolli per illam negationem vnitatis, cum sit terminus oppositus ipsi vnitati.

II. Circa hoc autem aduertendum est, quòd quamuis vna negatio sit posterior forma, quam negat, non hinc tamen sequitur, quòd vnitas sit posterior diuisione; negatio enim, quam dicit vnitas, est quidem posterior diuisione, quam negat, sed non vnitas, quia vnitas non consistit in illa negatione, sed in aliquo positiuo, quod est prius diuisione, vt in superioribus explicauimus, negatio verò diuisionis consequitur ad vnitatem, quia cum ex vi suæ rationis formalis excludat diuisionem, intellectus illi tribuit hanc negationem, qua explicetur huiusmodi exclusio. Qui autem putant, vnitatem consistere in negatione; tenentur concedere, esse posteriorem diuisione, vt concedunt Soncin. 4. Metaph. quæst. 23. & Iauel. quæst. 4. Fasol. 1. par quæstione 11. artic. 1. dub. 11. Gillius lib. 2. tract. 2 cap 3. D. Th. autem vtitur distinctione, 1. par. quæst. 11. artic. 3. ad 4. quòd nimirum diuisio sit prior vnitate non simpliciter, sed secundùm rationem, quia apprehendimus simplicia per composita, quam doctrinam sequitur etiam Caiet. ibid. Verùm cum negatio sit simpliciter, & ex natura sua posterior eo, quod negat, non video, quomodo solùm secundùm nostrã apprehensionem negatio diuisionis sit posterior diuisione, sed secundùm se debet esse posterior, atque ex natura sua. Atque hoc verum est loquendo de quacunque tum negatione, tum priuatione, siue propriè, siue impropriè dicta, nam negatio præscindens à pura negatione, & priuatione habet ex genere suo, quòd sit posterior eo, quod negat, quia hoc illi conuenit, vt negatio est, & eo ipso quod aliquid aufert: negatio enim est alicuius negatio, & proinde supponit necessariò id, quod negat, ita vt valeat conuertentia secundùm subsistendi consequentiam; nimirum est negatio, ergo est id, quod negat; econtra autem non valet, est forma, aut aliquid aliud, ergo est negatio illius: vnde tenet regula prioritatis, & posterioritatis, quam tradit Arist. in Postprædicam. cap. de Priori, & ideo simpliciter, quæcumque negatio, aut priuatio est ex natura sua posterior eo, quod tollit. Et hinc colligitur, non rectè Suarez in Metaph. disp. 4. sect. 7 num. 3. distinguere de priuatione propriè dicta, & impropriè dicta, inquiens, illam esse quidem posteriorem habitu, non autem impropriè dictam, sed hanc posse esse aliquando priorem: militat enim eadem ratio, quòd supponat id, quo priuat, vt iam dictum est; nec valet, quod affert Suarez, posse aliquando subiectum reperiri priuatum priùs, quàm habeat habitum. quia hinc tantùm sequitur, quòd aliquando contingat, priorem esse priuationem habitu secundùm existentiam, quod contingens est, & contingere potest, etiam in priuatione propriè dicta. Secundùm verò essentiam semper priuatio posterior erit, atque ex natura sua: unde qui ponunt unitatem in negatione, necesse est, concedant, unitatem esse posteriorem diuisione. D. autem Thom. ideo docet, unitatem secundùm apprehensionem esse posteriorem, quia apprehenditur per negationem diuisionis. Simpliciter tamẽ esse priorem, quia ut est in se dicit quid positiuum, & ideo in re est prior, ut explicat Caiet. ibid.

III. Rursus hinc sequitur, quòd quando dicitur, Vnitatem importare negationem diuisionis, nihil aliud sit, quàm importare negationem alterius negationis, non autem alicuius positiui, ut uolunt illi, qui ponunt unitatem formaliter in negatione, quod inter alios docet Auersa quæst. 5. suæ Philosoph. quæst. 4. in respons. ad tertiam obiectionem inquiens. Quòd cum dicitur, vnitatem esse negationem diuisionis, non sumitur diuisio pro carentia unionis, prout est diuisio plurium entium totalium, & completorum, nam multitudinem positiuam negat unitas. Sed quæro, cur unitas neget talem multitudinem positiuam? certè non ex alio capite, nisi quia dicit rationem multitudinis, si enim ab ipsa auferatur ratio multitudinis, erit unum, nec unitas cum ipsa opponetur. at quænam quæso est ratio formalis, qua multitudo constituitur in esse multitudinis, nisi negatio unitatis? quod satis patet ex eo, quia, si diuidatur aliquod continuum in plures partes, tunc remanet

[Left margin notes:] Negatio quam dicit vnitas, est posterior diuisione. — Soncin. Iauel. Fasol. Gillius D. Th. Caiet. — Negatio & priuatio ex genere suo posterior eo, quod negat. — Arist.

[Right margin notes:] Suarez. — Quid importet negatio diuisionis. — Auersa.

Multitudo formaliter quid negatiuum.

prorsus eadem entitas, quæ erat prius, nec aliquid de nouo per diuisionem producitur, sed solùm aufertur ab ipso continuitas, qua ablata constituitur multitudo; & hoc uerum est uniuersaliter, quòd posita unione constituatur unum; & ea solùm ablata constituatur multitudo. Vnde, quando unitas excludit multitudinem positiuam entium, illam solùm excludit ratione diuisionis, prout dicit carentiam unionis, ita ut in tantùm excludatur, in quantum substernitur tali carentiæ, quia scilicet solùm excludi potest ratione formalitatis ipsius multitudinis. Quare formale multitudinis erit ipsa diuisio; materiale autem ipsa entia, in quibus reperitur diuisio; & ideo ista negatio, quam dicit vnitas, erit negatio negationis, quia terminus formalis erit quid negatiuum, consequenter tamen erit etiam negatio alicuius positiui tanquam termini materialis.

IV. Neque oppositum docet D. Th. 1. part. quæst. 11. art. 2. præsertim ad 4. & in alijs locis, qui solent citari, nam in his locis solùm docet, quòd vnitas sit posterior diuisione secundùm quid; & secundùm nostrum modum intelligendi, quatenus non possumus apprehendere vnitatem, nisi per ordinem ad diuisionem, atque adeo prius cognita diuisione. Simpliciter autem, & secundùm quod est in re, vult esse priorem, & ideo ait, ***Oportet, quòd diuisio sit prior vnitate, non simpliciter, sed secundùm rationem nostræ apprehensionis.*** Et ita exponit hunc locum Caiet. ibid. inquiens, ***Ambæ siquidem propositiones sunt veræ, & quòd diuisio est prior vnitate simpliciter, idest secũdùm se, in esse intelligibili tamen. Et quod diuisio est posterior vnitate simpliciter, idest secũdùm esse simpliciter, quod est esse in rerum natura.*** Vnde non licet arguere secundùm D. Th. Vnitas est posterior diuisione, ergo cum negatio sit posterior forma, quam tollit, non potest vnitas ratione negationis tollere multitudinem formalem, quia hæc est posterior vnitate. Nam resp. quòd multitudo formalis, cum consistat in formali diuisione, est posterior vnitate positiuè accepta, prior autem vnitate, vt dicit negationem annexam, & sic potest tolli per talem negationem.

An negatio, quam

V. Et ex his colligitur solutio illius dubij, an negatio, per quam explicatur vnitas, sit negatio solius diuisionis, an vero etiam multitudinis. Fonseca enim 4. Metaph. cap. 2. quæst. 5. sect. 5. vult, esse negationem solius diuisionis, non verò multitudinis; quod videtur desumpsisse ex D.Th. 1. par. quæst. 11. art. 2. ad 4. vbi docet, quòd prius apprehendimus ens, deinde diuisionem, tertiò vnum, & quartò multitudinem, significans vnum non opponi multitudini, sed diuisioni, quia diuisio est prior vnitate, non autem multitudo est prior vnitate. Ex quo etiam Fonseca elicit fundamentum suæ sententię, quia forma negata debet esse prior negatione, cum autem sola diuisio sit prior vnitate, non autem multitudo, vnitas importabit negationem solius diuisionis, non autem multitudinis.

...itas, sit negatio solius diuisionis, an etiam multitudinis. Fonseca. D.Th.

Verùm non percipio hanc doctrinam, nec quomodo diuisio sit prior vnitate, quamuis sit prior negatione annexa vnitati. In tantùm enim, vt inquit D.Th. diuisio est prior vnitate, in quantum prius concipimus, ***Hoc ens non esse illud, deinde concipimus esse vnum.*** Sed quis non videt, hoc dici non posse? nam antequam concipiamus, ***Hoc ens non esse illud***, atque adeo diuisionem, oportet, vt concipiamus hoc, & hoc ens, cum enim dico, ***Hoc non esse illud***, interueniunt duo entia, & consequenter supponetur aliqua determinatio facta circa ens, qua in plura sit diuisum, & contractum ad hoc, & illud ens, & proinde nedum supponitur ens, sed etiam determinatiua entis, seu limitatiua. Verum vnitas est prior quocunque limitatiuo, quia est passio entis vt sic, quæ ad ipsum consequitur, antequam contrahatur; quia sicuti concipi potest absque contractiuo, ita etiam concipi potest vnitas, antequam contrahatur, cum non dependeat à contractione, quemadmodum neque in cœteris passiones gradus superioris dependent ab ipsius contractione, sed illi conueniunt, antequam contrahatur. Cum ergo non possit haberi diuisio absque contractione entis, vnitas erit prior diuisione, non autem diuisio vnitate.

Vnitas prior diuisione, & quomodo.

VI. Quare cum præcedens opinio falso nitatur fundamento, opposita amplectenda est, tanquam ea, quæ consequitur ex supradictis, & dicendum. Negationem illam, per quam vnitas explicatur, esse negationem tum diui-

Vnitas habet annexam negationem multitudinis & quomodo.

sio-

Ægid. Suar. Vasq. Fasol. Auersa. Aureol. Mayr. Argent. Gabr. Durand. Arist.

sionis, tum multitudinis. Ita etiam docent Aegid. 4. Metaph. quęst. 8. Suarez in Metaph. disp. 4. sect. 2. num. 22. Vasquez 1. par. disp. 129. cap. 2. Fasol. quæst. 11. art. 1. dub. 12. Auersa in sua Philosophia, quæst. 5. sect. 4. Aureol. in 1. dist. 8. quæst. 3. art. 2. Mayron. quęst. 7. art. 3. & dist. 24. quæst. 2. art. 2. Argent. quęst. vnica art. 1. Gabr. quæst. 1. art. 2. conclus. 1. & art. 3 dub. 3. Durand. quæst. 1. & alij complures, dum docent, Vnum opponi multitudini. Et desumitur ex Arist. 4. Metaph. tex. 4. vbi docet *Vni opponi pluralitatem* Verùm aduertendum est, quòd multitudo considerari potest, & secundùm materiale, quo importat entia illa, quibus coalescit, & secundùm esse formale, & importat rationem illam, qua illa entia constituuntur in esse multitudinis, quam superius diximus esse diuisionem, quia hac sola posita in aliquo ente constituitur pluralitas, & multitudo, & ea ablata aufertur, & habetur vnitas: Quare cum dicimus, negationem, quam importat vnitas, esse negationem multitudinis, intelligi debet de multitudine, prout inuoluit diuisionem in seipsa, ita vt negetur multitudo tanquam aliquod concretum ex pluralitate illa entium, atque diuisione, & ratio, cur negatur, sit ipsa diuisio, qua ablata, nequaquam negaretur, quia neque adesset.

Negatio annexa vnitati tollit multitudinē rōne diuisionis. D. Th. Mayron. Gabr. Capr. Riccar. Caiet. Fonseca. Syluest. Gillius Arist.

VII. Vnde fit. Vnitatem per se primò dicere negationem diuisionis, & ratione diuisionis negationem multitudinis, vt docent D. Th. opusc. 42. cap. 2. & 1. part. quæst. 30. art. 3. ad 3. & 4. Metaph. lect. 3. Mayron. in. 1. dist. 24. quæst. 2. art. 2. Gabr. quæst. 1. ar. 2. conclus. 1. Capr. quæst. vnica Riccar. art. 1. quęst. 2. ad 1. ex secundo loco positis. Caiet. 1. par. quæst. 11. art. 2. Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quęst. 5. sect. 5. Syluester 1. part. Conflat. quæst. 11. art. 2. Gillius 2. de Essentia Dei. tract. 3. cap. 4. conclus. 1. Et desumitur etiam ex Aris. 10. Metaph. tex. 5. & 10. vbi definit Vnum per negationem diuisionis. Et ratio manifesta est, quia Vnitas ratione negationis annexæ id per se primò tollit, cum quo immediatè habet oppositionem; negatio namque sequitur naturam sui fundamenti, cui per se conuenit, et ideo habet oppositionem cum eo, cum quo fundamentum exercet eamdem oppositionem; vnitas autem ratione positiui opponitur cum ipsa diuisione, vnde negatio ipsi annexa, est negatio diuisionis, & ideo opponitur multitudini ratione diuisionis, quam dicit in seipsa. Vnde in hoc sensu accipiendus est D. Th. dum negat, Vnum non opponi multitudini, vt 1. par. quęst. 30. art. 3. ad 3. Et quæst. 9. de Potent. art. 7. ad 15. & opusc. 42. cap. 2. circa med. quod scilicet non opponatur multitudini, quatenus est aggregatum ex pluribus vnitatibus; seu multitudini materialiter, opponatur tamen ratione diuisionis.

Quænam diuisio tollatur per negationem, quam dicit vnitas.

VIII. Quòd si inquiras, quænam diuisio sit ista, quę per hanc negationem tollitur, ex dictis respondetur, non esse diuisionem entis à non ente, à quo propriè non diuiditur, cùm opponatur contradictoriè cum ipso, nec non ens sit congruum extremum diuisionis. quando enim vnū ab alio diuiditur, hoc quoque debet diuidi ab ipso, quia diuisio debet esse mutua ex parte vtriusque extremi: at non ens, cum nihil sit, non habet secundùm quod propriè diuidatur ab ente, sed solùm concipitur diuidi, quatenus concipitur tanquam quid positiuum oppositum enti. Diuisio ergo, quæ negatur, est illa, quàm in se ipsa dicit multitudo, per quam in seipsa diuiditur, & continet pluralitatem entium, quorum vnum diuiditur ab alio; cum enim vnitas coadunet esse, simul facit, quòd in seipso non sit multiplex, neque contineat aliquam diuisionem, atque adeo hæc diuisio tollitur per negationem, quam importat vnitas. Atque huiusmodi diuisio, quæ tollitur per talem negationem, debet sumi formaliter pro eo, quod dicit non diuidi in plura, non autem fundamentaliter pro illis pluribus, in quæ diuideretur, quod colligitur ex D. Th. supracitato loco 1. part. vbi docet diuisionem, quæ per vnitatem tollitur, dicere, quòd vnum non sit aliud. Nec valet, quod ait Suarez in Metaph. disp. 4. sect. 1. num. 20. quòd huiusmodi negatio diuisionis conueniat etiam multitudini, cò quòd neque multitudo diuidatur à se ipsa, quia quando dicitur multitudo non diuidi à seipsa, tunc consideratur multitudo vt vna quędam multitudo, vnde ratione vnitatis habet hanc negationem diuisionis, & ideo talis negatio propria est

D. Th.

Suarez.

vnitatis, quia in quocunque reperitur, ratione vnitatis reperitur; multitudo verò, vt multitudo est, & opposita vnitati dicit diuisionem in seipsa, qua in plura entia diuiditur, quod non conuenit habenti vnitatem, quod non diuiditur in plura entia. Nec item valet, quod ait Gillius 2. de Essent. Dei tract. 3. cap 4. num. 6. Quod vnitas opponatur multitudini, quæ per se primò resultat; resultat autem multitudo materialis. Hoc enim posterius falsum est quia ex diuisione effectiuè considerata resultat multitudo formalis per se primò, nam non quomodocunque resultant illa plura entia, sed vt plura sunt. Ex diuisione verò formaliter sumpta resultat multitudo formalis vt effectus formalis. Quis enim dicat ex causa formali resultare subiectum, & non effectum formalem?

In ordine ad quid debeat explicari negatio vnitatis.

IX. Ex quo colligitur. Non rectè hanc negationem explicari posse, vt vult Auersa in illa sect. 4: quæst. 5. suæ Philosophię. quòd directè, & immediatè cadat supra res ipsas diuisas, & sensus sit, vnitatem non esse illa plura entia. nam pluralitas illa entium, vt toties diximus, non potest auferri per negationem diuisionis, nisi quatenus opponitur vnitati, atque tali negationi; non opponitur autem ratione illius entitatis, quam inuoluit, sed ratione pluralitatis; & sicuti solùm habet à diuisione, quòd constituatur in esse pluralitatis, ita etiam ratione illius opponitur, & proinde necesse est, quòd negatio diuisionis cadat directè, & immediatè supra diuisionem tanquam supra id, quo pluralitas trahitur ad oppositionem cum vnitate, quemadmodum negatio albi non cadit immediatè, & directè supra parietem, sed supra albedinem, tanquam supra formam, qua paries constituitur in esse albi. Et hoc pacto optimè saluatur, quomodo vnitas seu negatio ista, per quam explicatur vnitas, non tollat ipsam vnitatem; quamuis enim tollat multitudinem, quę constat ex ipsis vnitatibus, quia tamen eam tollit, quatenus ratione diuisionis in se dicit pluralitatem, ideo non tollit vnitatem, sed rationem oppositam vnitati: vnitates enim, quibus coalescit multitudo, quamuis consequenter auferantur ex eo, quòd aufertur multitudo, non tamen tolluntur secundùm rationem vnitatis, sed prout sunt partes multitudinis fundantes simul illam diuisionem, cui opponitur vnitas. Quare diuisio illa, quæ per vnitatem tollitur, est quæcunque diuisio in seipso, quæ quocunque modo constituere valeat pluralitatem, siue entium totalium, & completorum, siue partialium, & incompletorum. Sicuti enim vnitas ex eo, quòd est passio entis transcendentis, reperitur in quocunque ente, siue completo, siue incompleto, ita etiam in quocumque genere entium reperiri potest pluralitas, & diuisio opposita vnitati.

Quomodo negatio quæ dicit vnitas, non tollat vnitates, quibus constat multitudo.

Corollarium ex dictis.

SECTIO III.

I. Ex his colligitur Non rectè explicari cum Gillio lib. 2. de Essent Dei tract. 3 cap. 3. quòd Indiuisio à se, seu in se, quam dicit vnitas, in eo consistat quod Ens sit ipsum, & non sit non ipsum, Esse enim ipsum, & non ipsum, quod est diuisio opposita est aliquid implicans, atque adeo etiam talis diuisio implicat, non solùm realiter, vel etiam in contradictorio eiusdem entis, quia Non ens, cui sicut contradictorio entis deberet conuenire opposita passio vnitatis, qua tolleret vnitatem, dicit quidem non vnitatem, seu non indiuisionem, atque adeo sicut non habet esse, neque etiam habet ipsum contrarium intra mensuram, in qua fundatur vnitas; non autem dicit ipsum, & non ipsum, quia in hoc inuoluitur mixtio quędam positiui, & negatiui. Accedit etiam, quòd illa negatio debet adhiberi ad explicandam vnitatem, quæ est magis proxima subiecto, & requirit minorem reflexionem intellectus, cum per ipsam innotescat propria ratio vnitatis, at si adhibeatur talis negatio, requiruntur plures reflexiones intellectus, quia debet concipere Non ens, deinde negationem non entis attribuere enti. Denique diuisio ista non est diuisio, quia est omnino impossibilis, cum non possit idem diuidi à seipso, & ideò etiam negatio ipsius est impossibilis, quomodo autem potest per negationem impossibilem explicari aliquid possibile? vt enim negatio ducat in cognitionem rei, debet negare ali-

Gillius.

Esse ipsum & non esse non ipsum non explicat vnitatē.

Indiuisio à se impossibilis nec apta ad explicandam vnitate

aliquid, quod sit possibile, ita vt ex negatione ipsius oppositum concipiamus, quia si est impossibile, non est cognoscibile, & ideo nec ex ipso cognosci potest oppositum.

Gillius. Instãtia. II. Neque vrget instantia Gillij citato cap. num. 2. Quod de natura communi possint verificari contradictoria, vt Homo currit, & Homo non currit, atque adeo quòd natura sit diuisa à se per multiplicationem in inferioribus, & proinde talis diuisio sit possibilis. Nam verificatio ista contradictoriorum habet locum, quia ly Homo supponit personaliter, non quia natura diuidatur à seipsa. Quando enim multiplicatur in inferioribus, non fit multiplicatio in ipsa natura intrinsecè, sed, quæ ex intrinseca sua ratione sunt diuisa, participant eamdem naturam, quæ non in esse specifico, sed tantùm in esse indiuiduali plurificatur. Quod etiam patet iuxta doctrinam eiusdam Gillij, natura, namque communis in inferioribus ita est ipsa, vt non sit non ipsa, quia semper implicat esse ipsum, & non ipsum. Quòd si diuisio in inferiora esset diuisio à se, non esset diuisio in species, aut indiuidua, sed diuisio in naturas eiusdem rationis: Et si dicitur diuisio in indiuidua, quia est diuisio in naturas eiusdem rationis, diuisio quoque generis in species esset diuisio in indiuidua.

(Contra dicitur à dicuntur definitu ra in inferioribus, non quia diuidatur à se.)

(Diuisio naturæ in inferiora nō est diuisio à se.)

Alia obiectio Gillius. III. Nec etiam procedit altera obiectio eiusdem Gillij num. 5. citati cap. quòd vnitas debeat negare diuisionem à se, quia per hanc solam destruitur vnitas. Licet enim verum sit, vnitatem debere negare illam diuisionem, per quam destruitur; falsum tamen est, quòd destruatur per diuisionem à se, etiam si accipiatur, vt dicit diuisionem in inferiora. Sicuti enim opponitur multitudini, ita etiam opponitur diuisioni, quam in se dicit multitudo, vt docet etiam D. Th. in 1. dist. 24. quæst. 1. art. 3. ad 1. Quod satis patet, quia diuisio multitudinis facit, quòd multitudo in se non sit vna; & ideò negatio huius diuisionis faciet, quòd res in se sit vna. Præterea Petrus & Paulus sunt plures homines, quia diuidũtur indiuidualiter, ergo Petrus erit vnus, quia in se non habet talem diuisionem, non autem quia dicat negationem diuisionis in plures Petros. Quare vnitas non tollitur per diuisionem in plura, quale est aliquod vnũ tertiũ, quia cum talis diuisio sit impossibilis etiam in contradictorio entis, vt diximus, non potest destruere vnitatem, sed per illam quæ in entibus reperiri potest; hinc homo, & angelus sunt duo, non vnus, licet vnus non sit talis, qualis est alter, atque adeo neuter sit, quale aliquod vnum tertium.

(Quæ diuisio tollat vnitatem.)

Quænam vnitas sit passio entis. Disp. IX.

Varij modi vnitatis.

SECTIO I.

I. EXplicata natura vnitatis, atque negationis, quæ ad ipsam consequitur; atque cum determinatum sit, esse passionem entis, nunc statim alia quæstio sese nobis offert, quænam vnitas sit ista: hæc autem quæstio oritur ex varijs acceptionibus, siue modis, quibus dicitur vnitas; hinc enim meritò dubitatur, quonam modo accipienda sit, quando constituitur pro passione entis. Prima autem acceptio, qua vnitas vsurpari solet, se habet per modum cuiusdam diuisionis, qua diuiditur in *Per se*, & *Per accidens*. Ex ijs enim, quæ vnum sunt, quędam per se vnum sunt, quędam verò per accidens, vt docet Arist. 5. Metaph. tex. 7. Vnum per se ea dicuntur, quæ ex natura sua vnum sunt; per accidens autem sunt vnum, quando accidentali modo vniuntur. Hęc tamen non est vera diuisio, sicuti neque est vera diuisio, quando ens diuiditur in per se, & per accidens vt in priori tomo disp. 31. sect. 2. docuimus; & militat eadem ratio, nam sicuti ens per accidens non importat aliquam rationem entis supra entia per se quia supra ipsa non dicit aliud, pręter illam vnionem accidentalem, quæ de se præcisè non dicit aliquem gradum essen-

(Vnitas per se, & per accidens)

Vnitas per accidens nõ importat nouam rationem vnitatis quæ possit esse membrũ diuisionis.

sentiæ, neque facit, quòd consurgat, alioquin ille gradus, non esset quid per accidens, sed quid per se; ita similiter vnitas per accidens non dicit aliud, quàm entia per se accidentaliter vnita, nec importat aliquam nouam rationem vnitatis, sicuti neque fundatur in noua ratione entis, & ideo non potest importare aliquid, quod diuidat rationem communem contradistinctum ab vnitate per se; Quod etiam ex eo patet, quia vnum per accidens includit in se intrinsecè vnum per se, cum plura vna per se includat, quibus coalescit: at impossibile est, quòd membra, quæ diuidunt rationem, aliquam communem, se mutuò includant, quia cum debeant diuidere, debent se inuicem excludere.

Varijs modis vnum per accidens.

II. Vnum autem per accidens etiam multipliciter contingit; nam aliquando est naturale, aliquando verò non naturale. Primum illud est, quod vnione accidentali ita coalescit ex pluribus entibus per se, vt illa entia ex natura sua intrinseca ordinentur ad talem unionem, vt cum accidens vnitur subiecto; tunc enim fit vnum per accidens, quia vniuntur entia diuersi ordinis, seu prædicamenti, quorum saltem vnum, nimirum accidens, est completum in suo esse, nec potest alterum complere, si incompletum sit, quia non dicit debitum complementum, quòd requireret alterum extremũ incompletum: fit tamen vnum per accidens naturale, quia entia illa ab intrinseca sua natura ordinantur ad talem vnionem. Vnum autem per accidens non naturale est illud, quod importat entia accidentaliter vnita, & quæ ex natura ua non ordinantur ad talem vnionem, nec vnum est connaturalis perfectio alter us, sicuti accidens est connaturalis perfectio subiecti, Huiusmodi autem vnum per accidens dupliciter contingit, nam aliquando est vnum casualiter, cum scilicet casu plura entia aggregantur, aut coagmentantur in vnũ, vt contingit in aceruo lapidum, & alijs huiusmodi: aliquando verò est vnum artificialiter, cum nimirum ex arte fit vnum, quod sanè pluribus modis contingere potest, quos ars excogitauit, vt experiantia patet. Vnum

Vnum per accidens naturale, & non naturale

Vnum per accidens non naturale, artificiale.

verò per accidens naturale etiam diuersimodè contingere potest, sed præcipuè duobus modis, quos Arist. recenset loco supracitato. Cum enim in eo fundetur, quòd unibilia sint ordinata ex natura sua ad illam vnionem accidentalem, non potest inter alia contingere, quàm inter accidentia, & subiectum. Duplici autem modo fieri potest, nam vel accidentia uniuntur cum subiecto, & consurgit primus modus vnitatis per accidens, qua subiectum, & accidens vnum fiunt; vel accidentia ipsa vniuntur inter se, & hæc cum non se habeant tanquam actus, & potentia, non possunt inter se immediatè naturali vnione vniri, sed debent vniri ratione alicuius tertij, ratione cuius quodam modo inter se vnum fiant, & hoc contingit, quando plura accidentia vniuntur eidem subiecto. Quos duos modos explicauit Arist. tex. illo 7. lib. 5. Metaph. dum inquit. ***Cuncta etenim hæc vnum dicuntur secundùm accidens iustum quidem, & musicum, quoniam vni substantiæ accidunt; musicum verò, & Coriscus, quoniam alterum alteri accidit.***

Dupliciter contingit vnum per accidens naturale.

Vnum per se, aut compositione, aut simplicitate.

III. Similiter Vnum per se pluribus modis contingere potest, quos ex parte eodem loco recenset Arist. Et primò quidem. Vnum per se, aut est tale per vnitatem simplicitatis, aut per vnitatem compositionis: hi enim sunt duo modi, qui adæquant omnem vnitatem per se. Nam quod est vnum per se, vel caret partibus, quibus secundùm suam essentiam componatur, vt contingit in substantijs spiritualibus, & tunc est vnum per vnitatem simplicitatis, quia ens ita coadunatur in vnam naturam, vt excludat omnem compositionem, & sit indiuisibile. Vel constat in sua essentia ex partibus componentibus, & tunc est vnum per vnitatem compositionis. Rursus Vnum per se alijs modis vsurpatur, qui similiter dicuntur tam de vno per simplicitatem, quàm de vno per compositionem, qui important diuersos gradus vnitatis iuxta diuersos gradus essentiæ, quibus vnitas conuenit. Hinc aliud est vnum per se essentiale; aliud vnum per se indiuiduale, atque hi duo modi vnitatis complectuntur adęquatè omnẽ

vnitatem, quæcunque illa sit, sicuti enim in vnaquaque re extra essentiam, & indiuiduationem nulla alia ratio entis reperitur, ita neque extra vnitatem secundùm essentiam, & indiuiduationem, cùm vnitas sequatur ad ens; hinc enim fit, quòd non possit magis multiplicari, quàm multiplicetur ens.

Duplex unitas essentialis. Arist.

IV. Vnum autem essentiale etiam multiplex est; nam vel importat vnitatem secundùm adæquatam essentiam rei: vel secundùm inadæquatam: Primo modo consurgit vnitas specifica; seu vnitas rationis, vt vocatur ab Arist. tex. 11. lib. 5 Metaph. quę eadem est, ac vnitas definitionis: ait enim. *Item vnum ea dicuntur, quorum ratio quod quid erat esse dicens indiuisibilis ad aliam est, quod quid erat esse rei significantem.* Si uerò unitas non sit secundùm adęquatam essentiam rei, sed solùm secundùm aliquam partem ipsius, consurgit unitas generica, aut secundùm aliquam aliam rationem superiorem, si talis ratio non sit genus, quia quæ specie vnum sunt, genere quoque sunt: at quę genere vnum sunt, non sunt necessarò vnum specie. Atque huius quoque unitatis meminit Arist. eodem lib. tex. 10. inquiens. *Dicuntur autem vnum, & quorum vnum genus diffèrens oppositis differentijs: ac cuncta hæc vnum dicuntur, quoniam vnum est genus subiectum differentijs, vt homo, equus, canis vnum quid, quoniam omnia animalia.* Hæc autem vnitas secundùm genus aliquando est secundùm genus proximum, aliquando verò solum secundùm genus remotum, prout contingit genera ipsa variari. Atque ad hanc unitatem reducitur etiam unitas secundùm subiectum, loquendo de subiecto compositi substantialis; huiusmodi enim subiectum, cum sit pars essentialis constitutiua illius, importat partem essentiæ physicæ, & proinde dicit vnitatem secundùm essentiam inadæquatam. Quem pariter modum vnitatis declarauit Arist. tex. 9. eiusdem libri, ubi hæc habet. *Alio item modo vnum dicitur, cum subiectum sit forma indifferens, indifferens autem, quorum forma indiuisibilis secundùm sensum est subiectum verò aut primum, aut vltimum ad finem, etenim vinum vnum, & aqua vna dicitur, quatenus indiuisibilis secundùm formam est: liquoresque omnes, vt oleum, vinum, & liquabilia vnum dicuntur, quoniam omnium vltimum subiectum idem est, aqua namque, & aer hæc omnia sunt.* In quibus tradit, vnitatem secundùm subiectum, quam licet exemplicet solùm in toto respectu partium; partes enim omnes eiusdem substantiæ homogeneæ sunt unum, quatenus ipsis subijcitur eadē natura; sic omnes partes aquæ sunt una aqua, quatenus ipsis subest eadē natura aquæ: & in subiecto, quod est materia proxima, ex qua aliquid fit, quemadmodū liquabilia omnia sunt unum in subiecto, quia omnia fiunt ex aqua, & aere: extenditur tamen ad subiectum primū, quod est materia prima, quia hęc quoque est pars physica essentialis cōpositi substantialis, & ideo debet ipsa quoque, quibus inest, suam vnitatem cōmunicare, cū militet eadem ratio. Et si accidentia fiūt unum per accidens ex eo, quòd vniuntur eidem subiecto: cur etiam composita substantialia non fient unum inadęquatè, cū participent eādem partē essentiæ?

Vnitas secundū subiectū.

Quot modis di[cat]ur v[n]itas indiuidualis.

V. Similiter etiam Vnitas indiuidualis diuersimodè contingit, prout in diuersis entibus reperitur, ratione quorum variatur modus unitatis, quamuis omnia indiuidualiter unum sint. Nam aliquando entia, quę sunt unum indiuidualiter, sunt indiuisibilia in plures partes, eò quòd ipsas non habeant, uel sunt diuisibilia. Primo modo, sunt unum unitate omnino simplici, & indiuisibili, ut contingit in substantijs spiritualibus: quam tamen unitatem indiuiduationis non admittūt omnes. Si autem ita sunt unum, ut tamen habeant partes, in quas possint diuidi: vel hę partes sunt hæterogeneæ, & diuersæ rationis, uel homogeneæ, & eiusdem rationis. Si hæterogeneę, tunc constituitur unum unitate integritatis, non enim partes illæ continuari possūt, eo quòd sunt diuersæ rationis, & ideò cōstituunt solùm unum quatenus integrant aliquod totum in ordine ad aliquam formam suscipiendam, ratione cuius uniuntur illa unitate integritatis, ut contingit in corpore organico respectu animæ. Si uerò partes sunt homogeneæ, tunc inuicem continuantur, & constituunt unum continuatione, ut sunt omnia quanta eiusdem naturę. Stantibus ergo his diuersis modis vnitatis, quos hactenus explicauimus, difficultas est, quonam modo debeat

fu-

sumi vnitas, quæ est passio entis, & præcipuè difficultas est, an debeat sumi prout dicit solam vnitatem per se; & an hec quoq; in tota sua latitudine sit passio entis. Non potest autem commodè presens difficultas decidi, nisi prius videamus, quænam sit unitas per se, & quænam vnitas per accidens.

Quid dicat vnitas per se, & vnitas per accidens.

SECTIO II.

Primus modus dicendi insufficiens.

I. Quòd ergo spectat ad vnitatem per se, & ad vnitatem per accidens, diuersimodè solet explicari. Aliqui enim dicunt. Vnum per se esse illud quod constat ex pluribus entibus incompletis, quæ se habeant per modum actus, & potentiæ, quorum alterum sit pura potentia, ita vt dum coniungitur cum alia parte, recipiat actum suum, vnde cum vnus sit tantùm actus, constituet duo illa entia unum per se. Vnum autem per accidens esse illud, quod constat ex diuersis entibus completis, vel quę non se habeant per modum actus, & potentiæ. Sed statim hic modus dicendi appatet insufficiens, nam vnum per se hoc pacto explicatū nō complectitur vnitatē per se secundùm totam suam latitudinē: quamuis enim verum sit, quòd ea, quæ se habent per modum actus, & potentię, constituant vnum per se, adsunt tamen simplicia, quę cum careāt partibus componentibus, non recipiunt suam vnitatē ab actu, & potentia, sed sunt vnum per se ratione suę simplicitatis, et ideò hic modus dicendi non explicat generaliter vnitatem per se, sed solùm aliquam speciem ipsius, nempe vnitatem compositionis. Deinde etiam circa hanc ipsam speciem vnitatis insufficienter procedit, nam non semper in hac altera pars se habet vt pura potentia, quamuis enim hoc verum sit in compositione ex materia, & forma, non tamen locum habet in compositio ne ex natura, & subsistentia, & tamen inde fit suppositum, quod est vnum per se: & quamuis aliqui negent hanc compositionem ponentes subsisten tiam non addere aliquid positiuum supra naturam, supposito tamen, quod addat, saluatur ratio vnitatis per se, quamuis alterum componens non sit pura potentia. Quod etiam tenentur fateri Scotistę, qui negant subsistentiam addere aliquid positiuum, quoniam admittunt plures formas in composito, vt etiam admittunt complures alij, & fit vnum per se, cuius compositionis extrema nullum se habet vt pura potentia, cum alterum sit forma, alterum materia informata alia forma. Quinimo in Incarnatione ex Verbo diuino, & natura humana assumpta per vnionem hypostaticam creatam factum est vnum per se, nempe vnus Christus, & nihilominus nullum extremum se habuit vt pura potentia, vt per se manifestum est. Rursus quando qualitates intenduntur per partes, & quando quantitas continuatur, fit vnum per se, vnitas enim continuationis est vnitas per se, & tamen partes non se habent per modum potentię, & actus, cum omnes sint eiusdem naturę. Denique Vnitas per se debet adæquari cum ente per se, at quot entia per se dantur, quibus non conuenit talis vnitas orta ex vnione entium incompletorum se habentium per modum actus, & potentię?

Constare ex partibus per modum actus, & potentiæ non dicit adæquatam rationē vnitatis per se

Alter modus dicendi

II. Secundus autem modus dicendi aliter procedit, & est Auersę in sua Philosoph. quęst. 5. sect. 5. qui docet; Vnum per se esse illud, quod vel est in se simplex sine compositione partium: vel si est compositum, constat ex talibus partibus, siue componentibus, quę habeant inter se certam quamdam, & aptam proportionem, quę proportio diuersis modis potest contingere. Vnum autem per accidens esse illud, quod constat ex partibus non habentibus talem proportionem. Sed neque hic dicendi modus adprobari potest. Et primò difficultatem patitur ex eo, quòd non explicat communem rationem vnitatis per se, quę complectatur vnitatem simplicitatis, & compositionis, sed solùm explicat diuersas species vnitatis per se, inquiens, quòd vnitas per se contingit altero ex his duobus modis, quod non rectè procedit, sicut non rectè procederet, si quis intendens explicare, quid sit Animal, diceret esse illud, quod est aut rationale, aut irrationale, non enim explicaret formalem ra-

Expenditur.

Certa, & apta proportio non sufficit ad vnitatem per se compositionis.

rationem animalis; Vnitas autem per se habet suam formalem rationem, qua constituitur in esse vnitatis per se, & in qua coueniunt vnitas compositionis, & simplicitatis. Deinde neque rectè explicat vnitatem per se compositionis, cum dicit, vnum per se esse illud, quod constat ex partibus, siue componentibus habentibus inter se certam, & aptam proportionem: si enim inspiciamus accidens, & subiectum, reperiemus habere inter se certam, & aptam proportionem naturalem, seu ab intrinseco illis conuenientem, qua sibi correspondent: & proportionantur in ratione perfectibilis, & perfectiui con naturali modo, & tamen non conficiunt vnum per se: Quòd si dicas, hanc proportionem non sufficere, ergo non sufficiet certa, & apta proportio, vt dicit Auersa. Deinde si hæc non sufficit, quænam sufficiet? oporteret enim explicare, in quo sita sit huiusmodi apta, & certa proportio. Et si quis dicat, esse illam, quà componentia ordinantur ad efficiendum vnum per se, hoc est petere principium, & idem est, ac dicere, ea efficere vnum per se, quæ ordinantur ad efficiendum vnum per se, non autem est explicare rationem formalem vnitatis. Quin etiam in artificialibus, quibus vnum per accidens artificiale efficitur, reperitur huiusmodi certa, & apta proportio, nam aliqua ex natura sua sunt proportionata, vt reducantur ad vnam formam artificialem, & simul coalescant, & talis est huiusmodi proportio, vt cœtera, in quibus non reperitur, non sint apta ad tale artificiatum constituendum: hoc patet inductione; sic ligna, & cœtera componentia habent certam, & congruam proportionem, vt ex ipsis conficiatur nauis, quam proportionem non habent lapides, quemadmodum habent in constructione parietis, sic etiam partes illæ, quæ componunt cœtera artificiata, ita congruè conueniunt inter se ad construenda illa artificiata, vt in ordine ad aliud artificiatum non possint cum tali congruenti proportione conuenire.

Tertius modus dicendi. III. Tertius modus dicendi, quòd ea, quæ coalescunt in vnum ex rebus diuersorum prędicamentorum, constituunt vnum per accidens. Vnum autem per se esse illud, quòd constat ex partibus eiusdem prædicamenti. Cœterum quamuis hic modus dicendi in eo rectè procedat, quod vnum per accidens coalescat ex rebus diuersorum prędicamentorum, & vnum per se fit compositum ex entibus eiusdem prędicamenti, primò tamen reprehendendus est, quia nedum ex rebus diuersi prædicamenti coalescit vnum per accidens, sed etiam ex rebus eiusdem prędicamenti, sic ex pluribus substantijs fit vnum aggregatum, aut vnum per accidens artificiale. Deinde neque tangit rationem formalem vnitatis, explicando, in quo formaliter sita sit: sed solùm explicat, quodnam sit, seu quomodo consurgat vnum tum per se, tum per accidens; neque vniuersaliter procedit de vno per se, sed solùm de vno per se ex compositione; vnde patitur eamdem difficultatem, quam contra primum modum dicendi obiecimus. *Non recte procedit.*

Quartus modus dicendi. Suarez. IV. Quartus denique modus est Suarez in Metaph. disp. 4. sect. 3. num. 6. & sequentibus, qui docet, Vnum per se esse illud, quod habet ea omnia, quæ ad essentiam, integritatem, vel complementum talis entis in suo genere, per se, & intrinsecè requiruntur: quia cum ens dicatur illud, quod habet essentiam, illud erit vnum per se, quod habet vnam essentiam, & illa erit vna essentia, quæ habet, quicquid ad suam intrinsecam rationem spectat; quam doctrinam nititur confirmare longo discursu, facta inductione per omnia genera vnitatum: & num. postea 13. ait, Vnum per accidens esse illud, quod constat ex rebus distinctis absque physica, & reali vnione, aut quod ita est vnum, vt constet ex rebus distinctis, quarum altera in aliquo genere sit ens completum. Hic sanè dicendi modus probabilis videtur: si tamen intimius consideretur, non probè explicat rationem vnius per se. Et totum id, quòd dicit Suarez de vno per se, applicari potest enti, quod est vnum per accidens, & ideò, vt per se euidens est, non explicabit propriam rationem vnitatis per se, dum enim inquit, vnum per se esse illud, quod habet ea omnia, quæ spectant ad essentiam, vel integritatē, & complemētum talis entis, hoc quoque dici potest de ente per accidens, siue habeat vnitatem naturalem siue artificialem. Entia enim huiusmo- *Reijcitur. Habere omnia, quæ spectant ad essentiæ complementum & integritatem non est propria ratio cōstitutiua vnius per se.*

di per accidens habent suam quoque integritatem, & complementum, siquidem & subiectum habet quandam mensuram suorum accidentium, quibus connaturali modo afficitur, ita vt quædam certa accidentia requirat, & cum certa quadam intensione, & præcipuè in Mixtis id contingit, quæ exigunt certũ, & determinatum temperamentum. Entia verò per accidens artificialia requirunt certas, & determinatas partes cũ qua iam proportione, & correspondentia adinuicem, ita ut verum sit de vtrisque dicere, quando perfecta sunt, & habent suum congruentem statum, quòd habeant ea omnia, quæ requiruntur ad ipsorum esse in tali genere, integritatem, atque complementum; & tamen non sint vnum per se. Quòd si Suarez respondeat, quamuis hæc entia habeant omnia requisita ad suum complementum, non efficere tamen ens vnius generis, quæro, quid intelligat per ens vnius generis; quia si intelligit ens per se vnum, iam habere hæc omnia requisita, non est ratio, cur aliquid sit vnum per se, cum entibus per accidens id conueniat, nec efficiant vnum per se: deinde non rectè explicaret vnitatem per se, quia cum dicit, vnum per se, esse illud, quod habet omnia requisita ad suum esse in eodem genere, idem esset, ac si diceret, vnum per se esse illud, quod habet omnia requisita ad vnum per se. Deinde entia quoque per accidens sunt certi, & determinati generis, & vnum est vnius generis, alterum verò alterius generis.

V. Deinde ex opposito quoque argumentari possumus, ostendendo, saluari vnitatem per se in entibus per se, absque eo, quòd habeant ea omnia, quæ requiruntur ad ipsorum essentiam, & complementum, quod manifestè indicat, hoc non saluare vnitatem per se tanquam rationem formalem constitutiuam illius. Et quod spectat ad vnitatem essentialem, hęc saluatur absque toto complemento in eodem genere, nam materia est vnum per se, se sola considerata, & tamen non habet quicquid requiritur ad constituendum esse integrum in genere substantię; similiter natura substantialis absque subsistentia, non habet totum complementum in genere substantię, & tamen in genere substantiæ, est una per se. Quod si dicas, habere totum id, quod requiritur ad intrinsecum esse naturæ, iam tum peteretur principium, quia idem esset, ac si diceretur, Vnum per se esse id, quod habet totum id, quod requiritur ad unum per se, nec esset explicare rationem formalem unitatis per se. Deinde instari etiam potest, & simul urgeri inductio quò ad cœtera genera unitatum. Nam quæ sunt unum unitate integritatis, adhuc sũt, unum per se, quãuis non habeant quicquid spectat ad integritatem sui esse, sic si corpus hæterogeneum careat aliqua parte integrali, vt manu, brachio, aut alia adhuc est vnum per se. In vnitate quoque intensionis, & extensionis idem locum habet, nam quamuis qualitas non habeat totum id, quod requiritur ad suam consumatam intensionem, seu ad complementum intensionis, sed habeat solùm aliquos gradus, adhuc tamen habet suam vnitatem per se intensionis: & sic etiam in quantitate, quando contingit, eam habere aliquos terminos suæ extensionis, vt in viuentibus, quamuis non habeat totum id, quod requiritur ad suam extensionem, adhuc tamen habet suam vnitatem. Et confirmari potest hic discursus, sicuti enim vnum per accidens, adhuc est vnum per accidens, quamuis non habeat quicquid requiritur ad complementum in suo genere, ita etiam vnum per se habebit suam vnitatem per se, quamuis non habeat ea omnia, quæ requiruntur ad integritatem, vel complementum sui esse. Et ratio à priori reddi potest, quoniam vnitas consequitur esse tanquam propria passio illius, & ideo posito quocumque esse, siue habeat quicquid requiritur ad complementum, siue non, habebit semper tale ens suam vnitatē. atque cum non sit per accidens, neque eius vnitas erit per accidens, sed per se.

Ens est vnum per se, licet non habeat quicquid requiritur in suo genere, ad intrinsecum esse, complementum, & integritatem.

VI. His igitur modis dicendi reiectis, non alio modo commodius mihi videtur vnitas per se posse explicari, quàm in ordine ad ipsum ens. Vnitas enim habet totum suum esse in ordine ad ipsum, cum soli exhibeat suum effectum formalem: vnde attendendo effectum formalem ipsius, facile erit deuenire in cognitionem rationis formalis. Et quidem in superioribus dictum est, vnitatem esse quemdam modum intrin-

secum rei intra eumdem gradum essentię, coadunantem esse illius rei in vnicam mensuram, secundùm quam redditur mensurabile. Hoc autem sic stante, facilè formari potest conceptus vnitatis per se: cum enim vnitas sit ratio coaduuatiua esse rei in vnum, vnitas per se erit illa, quæ coadunat esse rei in vnicum esse per se: quòd si rursus inquiras; Quid sit hoc coadunare esse rei in vnicum esse per se; respondeo nihil aliud esse, quàm coadunare esse rei in aliqnam nouam rationem essentię, indiuisibili modo mensurabilem, hoc est tali indiuisibili mensura mensurabilem, vt nequeat, nisi secundùm se totam aliqua determinata mensura mensurari. Et hoc verificatur in quolibet genere entium, quę sunt vnum per se; nam quæ simplicia sunt absque partibus, eo ipso quòd habent vnitatem simplicitatis important talem rationem essentiæ ita coadunatam, vt indiuisibili modo se habeat, & solùm indiuisibiliter mensurari possit. Quę verò constant ex partibus, si partes essentiales sint, acquirunt ratione vnitatis per se aliquem nouum gradum essendi; nam consurgit aliquod tertium, siue natura sit, siue suppositum, siue quodcunque aliud, in quod partes componentes ex vi vnitatis coadunantur, & in hoc genere entium euidentius apparet coadunatio vnitatis, qua coadunatur in aliquam rationem essendi: si verò partes sint integrales hęterogeneæ, coadunat vnitas illas in unicum totum integrale, quod similiter importat suam determinatam rationem essendi, nempe rationem totius integralis, quod in ratione essendi dicit aliquid superadditum partibus, & regulariter importat aliquod corpus organicum institutum ad aliquod peculiare munus. Sed si partes sunt homogeneæ integrantes constituunt vnum continuum, siue secundùm exteusionem, siue secundùm iutcusionem, & ideo tunc quoque vnitas coadunat partes illas in vnicum esse mensurabile indiuisibiliter secundùm aliquam peculiarem rationem essendi, nempe secundùm rationem totius continui. Et hoc etiam ratione persuadetur, nam esse est illud, quod participat rationem essentiæ: vnde esse per se erit illud, quod per se, & independenter à quocunque alio extrinseco constituitur, atque seorsim habet suum esse, vnitas autem per se debet facere vnum proportionaliter ad ipsum ens, hoc est vt seorsim à quocumque alio, & independenter faciat ens vnum: hoc autem totum præstat, quando ita coadunat esse in vnam rationem essentiæ, vt sit determinata quędam mensura, & indiuisibili modo mensurabilis, nam tunc habetur aliqua ratio entis, quæ formaliter importat propriam rationem mensurabilitatis, seorsim, & ex se illam participans, vnde simul, & est ens per se, & vnum per se: & ideo pe hnne modum coadunationis re ctè explicatur vnitas per e.

VII. Vnitas verò per accidens opposito modo se debet habere; Sicuti enim *Per se*, & *Per accidens* opponuntur ita vt vnum tollat, qaod dicit alterum, ita etiam debent opponi ***Vnitas per se***, & ***Vnitas per accidens***, ita vt opposito modo se habeat ad vnitatem per se. Cnm igitur vnitas per se dicat talem modum coadunationis, quo esse rei coadunatur in vnicam rationem essentiæ, indiuisibili modo mensurabilem, & seorsim à quocumque alia: vnitas per accidens importabit talem modum coadunationis, quo quidem aliquo modo coadunarur id, quod euadit vnum, non tamen in vnicam rationem essentiæ seorsim à quacunque alia, & indiuisibili modo mensurabilem. Et hoc consentaneum est naturæ ipsius entis per accidens; non enim, vt in priori tomo ostendimus, ens per accidens importat aliquem gradum entis supra entia per se, ex quibus coalescat, quia ex illa coadunatione non consurgit aliqua noua ratio essentiæ, quemadmodum consurgit, quando partes vniuntur ad componendum ens per se: maior enim vnio, quæ reperitur in entibus per accidens, est inter accidens, & subiectum: & tamen ex hac vnione non consurgit vna tertia essentia, qualis consurgere deberet, cum vniantur partes diuersæ rationis, quarum vna se habet vt actuata, altera vt actuans. Et ideo cum non consurgat nouus gradus entis, nec etiam ratione vnitatis possunt huiusmodi entia per accidens acquirere determinatam mensurabilitatem, qua seorsim possint indiuisibili modo mensurari. Et hinc fit, quòd vnitas per accidens sicuti non consequitur ad aliquam veram rationem entis superadditam enti-

Quid dicat Vnú per accidens.

tibus per se, ita neque importet aliquam veram rationem vnitatis de nouo consurgentem, sed tantùm sit vnitas proportionaliter, & similitudinariè ad vnitatem per se, vt etiam initio sect. præcedentis adnotauimus.

Vnitatem per se esse passionem entis.

SECTIO III.

Vnitas per accidens nô est passio entis.

I. EXplicata natura, & formali ratione unitatis per se, & vnitatis per accidens, modo statuendum est, quænam ex his sit passio entis. Quòd autem vnitas per accidens non sit passio entis, sequitur ex ijs, quæ diximus in eiusdem explicatione, & communiter in hoc conueniunt omnes; nec aliquem vidi, qui oppositum doceat. Nihilominus tamen, qui admittunt ens abstrahens ab ente per se, & ab ente per accidens, consequenter dicerent, Vnitatem abstrahentem ab vnitate per se, & per accidens esse passionem entis sic abstrahentis. Nos tamen, qui non admittimus huiusmodi ens sic abstrahens, dicimus consequenter, solam Vnitatem per se esse passionem entis vt sic transcendentaliter accepti. Et facili ratione probatur; nam vnitas proportionatur cum ente, & quale est ens, talis quoque est vnitas, cum sit passio ipsius: vnde enti per se nô conuenit vnitas per accidens, si enim enti per se tribueretur vnitas per accidens, euaderet ens per accidens, quia non coadunaretur in vnicam rationem essentiæ indiuisibili modo mensurabilem: & si enti per accidens tribueretvr vnitas per se, euaderet ens per se, quia ex vi talis vnitatis coadunantis esse ipsius acquireret certam rationem essentiæ seorsim, & indiuisibili modo mensurabilem. Quare semper ens per se oportet habeat vnitatem per se, & ens per accidens vnitatem per accidens. Ens autem transcendens, quod in superiori tomo constituimus tanquam fundamen tum obiecti metaphysici, est ens per se, cum importet simplicissimam, & vniuersalissimam rationem essendi, quæ seorsim à quocumque alio, & independenter habet suum esse, nec ex plurium entium coagmentatione coalescit, vnde oportet, vt habeat etiam vnitatem per se. Præterea sicuti ens per accidens est posterius natura ente per se, cum coalescat ex diuersis entibus per se, ita etiam vnitas per accidens est posterior natura vnitate per se, cum ex plurious vnitatibus per se coalescat, vnde talis vnitas supponit tum ipsum ens transcendens, tum vnitatem per se, & ideo non potest esse passio entis, quia supponit, iam ens habere suam vnitatem. Nec potest hæc vnitas esse vnitas abstrahens ab vnitate per se, & per accidens, quia cum vnitas per accidens supponat vnitatem per se, tanquam illam, ex qua coalescat, nequaquam potest simul cum ipsa diuidere aliquam rationem vnitatis, nam membrum diuisiuum alicuius rationis communis nô potest esse posterius natura altero; & hoc præsertim verum est, quia vnitas per accidens non est vera vnitas, sed similitudinaria. Deinde si daretur huiusmodi vnitas abstrahens, ipsa esset vnitas per se; si quidem importaret rationem formalem unitatis, quæ coadunaret esse in quamdam rationem essentiæ seorsim, & ex se consistentem, & indiuisibili modo mensurabilem. Quare concludendum est, solam unitatem per se esse passionem entis transcendentis, non autem unitatem per accidens, sed hanc suo modo esse passionem entis per accidens, quia eodem pacto se habet ad ipsum, sicuti vnitas per se ad ens per se.

Ens per se habet vnitate per se.

Vnitas per accidens supponit vnitatem per se.

Sola vnitas per se est passio entis.

An vnitas per se tota sua latitudine, sit passio entis. Baccon.

II. Sed hic insurgit difficultas, an hæc unitas per se, quam dicimus esse passionem entis, sumenda sit in tota sua latitudine, an uerò secundùm aliquam determinatam rationem. Et difficultas oritur ex eo, quod docet Bacconius in 1. dist. 33. quæst. 1. art. 2. ubi habet; unitatem simplicitatis esse adæquatam passionem entis, omni enti communem, vult enim, omne ens esse simplex, non quidem quatenns ens, sed quatenus unum. Sed non percipio hanc distinctionem, quòd ens, quatenus ens, possit esse non simplex, quatenus autem unum, sit semper necessariò simplex. Vnitas enim non est extra ipsum ens, sed cum ipso identificatur, & adæquatur: unde debet omnino cum ente proportionari tanquam consequens ab intrinsecis principijs ipsius: unde nequit ens diuidi, aut componi ex partibus secundùm esse, nisi componatur etiam secundùm unitatem, quia ip-

ipsamet componentia, trahunt secum propriam unitatem; quomodo enim ens divideretur secundùm esse in suas partes, nisi divideretur etiam secundùm rationem vnius, cum vnitas identificetur cum ipso esse? Quod si Bacconius dicat; Omne ens esse simplex in ratione vnius, quia licèt constet ex partibus, non potest tamen diuidi in plura vna eiusdem rationis cum diuiso, vt palmus quantitatis, quamuis habeat partes, non potest tamen diuidi in plures palmos: hoc non facit, vt sit simplex secundùm rationem vnius: sic homo non potest diuidi in plures homines, sed in animam, & corpus, & tamen secundùm esse non dicitur simplex, sed compositus: unde etiam secundùm rationem vnius debet dici compositus, & concedenda est vnitas compositionis, qua omnia entia composita sint unum. Aliquo tamen modo possunt entia composita dici simplicia, quatenus simplicitas importat indiuisibilitatem: sed tunc simplicitas tribuenda est, tam entitati, quã vnitati. Et hoc locum habebit, si respiciamus ad indiuisibilitatem essentiarũ, omnes enim rerum essentiæ, siue simplices sint, siue constent partibus componentibus, consistunt in indiuisibili, sunt enim sicuti numeri, quæ habent talem indiuisibilitatẽ, vt ex qualibet additione, vel diminutione varientur, nec possint vllo pacto ita diuidi, vt earum esse formale saluum consistat, non enim si diuiditur homo in animam, & corpus, saluum consistit esse hominis, quia neq; anima est homo, neque corpus est homo: si igitur attendatur huiusmodi indiuisibilitas omnia entia simplicia dici possunt, tum in ratione entis, tum in ratione unitatis, quatenus indiuisibilia sunt, & si diuidantur, perit & vnitas, & tale esse.

Ens cōpositum etiam in ratione vnitatis est tale.

Quomodo omne ens possit dici simplex.

III. Dicendum ergo est; unitatem per se in tota sua latitudine esse passionem entis, nec debere coarctari ad aliquem peculiarem modum vnitatis per se. Ratio autem est; quoniam ens, de quo modò vnitatem propriam inquirimus, est ens uniuersalisimè sumptum in tota sua latitudine, ita vt ad omnia descendat ratione suæmet transcendentiæ, & in quolibet ente reperiatur. Vnitas ergo, quæ asignatur pro passione ipsius, debet esse proportionata, præsertim secundùm latitudinem, alioquin non posset esse passio, quia sequeretur, quòd reperiretur subiectum absque passione, si unitas haberet minorem latitudinem, aut reperiretur passio absque subiecto, si vnitas haberet maiorem latitudinem. Cum igitur debeat habere æqualem latitudinem cum ente, debet esse unitas, quæ reperiatur in quolibet ente reali, atque adeo in tota sua latitudine, nec enim extra ens reale reperitur unitas realis, quia habet suam realitatem ab ipso ente, quod implicitè inuoluit: deinde sicuti ens, cuius unitas est passio, est quędam prima inchoatio cuiuscunque realitatis, ita ut in ipso fundetur omne ens reale, ita etiam unitas, quæ pro passione ipsius asignatur, debet esse quędam inchoatio cuiuscunque unitatis, in qua omnis unitas fundetur; hoc autem haberi non potest, nisi unitas per se sumatur in tota sua latitudine, quia nulla unitas potest latius patere, quàm illa, quæ est prima inchoatio cuiuscunque unitatis.

Vnitas per se in tota sua latitudine est passio entis

IV. Et ex his colligitur, quid sit dicendum de unitate simplicitatis, & compositionis, an nimirum sit passio entis, non quidem entis ut sic, quia iam diximus, unitatem transcendentalem in tota sua latitudine esse passionem ipsius, sed an sit passio proportionata, ita ut sicut important talem rationem unitatis, sint etiam passio talis entis tanquam species unitatis contentæ sub unitate ut sic. Auersa enim in sua Philosoph. quæst. 5. sect. 5. negat; affirmans esse condistinctos modos, & gradus unitatis, & importare alias proprias formalitates, quę non sint differentiæ contrahentes unitatem omni enti communem, ita ut non constituant species in recto contentæ sub communi conceptu unitatis. Sed oppositum sequendum puto, & dicendum, unitatem simplicitatis, & compositionis esse passiones talium entium, nempe simplicium & compositorum, & importare unitatem determinatam ad talem, & talem speciem, & fundatam in unitate transcendentali, ita ut unitas transcendentalis, quæ est passio entis, ut sic, sit prima inchoatio earundem vnitatum. Quod facilè ostenditur; nam omnis unitas debet fundari in aliqua prima ratione vnitatis, cum enim importet aliquam rationem determinatã vnitatis, necesse est, vt habeat etiam

An vnitas simplicitatis, & compositionis sit passio entis.

Auersa

Prius inchoatio vnitatis reperitur in qualibet vnitate.

ali-

aliquam aliam communem rationem quæ ad talem vnitatem determinetur,& ne procedatur in infinitum, ſiſtẽdum eſt in aliqua prima ratione, quæ in ratione vnitatis ſit prima inchoatio. Vnitas autem tranſcendentalis eſt prima inchoatio cuiuſcunq. vnitatis, quia in ea incipit ratio vnitatis, & eſt ratio tranſcendens in ratione vnitatis, & ideò debet reperiri in quacunq. tanquam prima inchoatio ipſius, & conſequenter etiam in vnitate ſimplicitatis,& compoſitionis. Vnde erunt ſpecies vnitatis directè collocatæ ſub vnitate tranſcendentali vt ſic. Quòd etiam confirmari poteſt: Quoniã tam vnitas ſimplicitatis, quàm cõpoſitionis ſunt cum tali ente; & tale ens eſt cũ ratione entis vt ſic, in qua fundatur, ergo vnitas talis debet fundari tanquam in ratione ſuperiori in vnitate vt ſic tranſcendentali, quia ſicuti trahit ſecum ens vt ſic ratione talis entis, cui adnexa eſt, ita etiam trahit ſecum unitatem ut ſic, quæ non ſeparatur ab ente ut ſic: non poteſt autem illam ſecum trahere, niſi tanquam primam rationem unitatis, in qua fundetur. Et hoc ipſum etiam confirmatur ex eo, quòd ratio vnitatis vt ſic ſaluatur in vnitate tam ſimplicitatis, quàm compoſitionis; nam unitas vt ſic nihil aliud importat, quàm indiuiſionem quamdam, qua ens in ſeipſo redditur indiuiſum, hoc autem conuenit his vnitatibus, nam reddunt ens indiuiſum in ſe, & ſuperaddunt talem modum indiuiſionis; vnde oportet, quòd in ipſis reperiatur, & ratio vnitatis vt ſic, & ratio talis vnitatis.

Quomodo cõcedẽda vnitas ſimpliciter & ſecundũ quid Arimin.

V. Rurſus ex dictis deducitur, concedendam quidem vnitatem ſimpliciter, & unitatem ſecundùm quid, non tamen eo modo, quo concedit Ariminenſ. in 1. diſt. 24. quæſ. 1, & cum eo cœteri Nominales, uolunt enim, Vnitatem ſimplicitatis eſſe unitatem ſimpliciter: unitatem uerò compoſitionis eſſe unitatem ſecundùm quid. Non tamen ita dicendum eſt, ſed aſſerendum, omnem unitatem per ſe, ſiue ſit ſimplicitatis, ſiue compoſitionis, eſſe unitatem ſimpliciter Vnitas enim per ſe, quæcunq. illa ſit, importat ueram, & propriã rationem formalem unitatis, & conſequenter unitatẽ ſimpliciter, quia ratio formalis cuiuſcũq. eſſentiæ facit tale ſimpliciter id, cui ſe ipsã exhibet: ſic ille eſt homo ſimpliciter; qui participat rationẽ formalẽ hominis quodnam enim eſset tale ſimpliciter niſi eſset id, cui exhibetur ratio propria formalis faciens tale? cũ enim ratio formalis ſit sĩpliciter id, quod dicit, vt quo oportet, ut faciat tale, ut quod ſimpliciter id, cui exhibetur. Præterea unitas quoq. cõpoſitionis importat indiuiſionẽ ſimpliciter; nam quãuis fundetur in pluralitate partium, ex ipſarum tamẽ unione conſurgit una tertia eſsentia, quæ eſt ens per ſe ſimpliciter, & non ens per accidens, & ideo debet habere ſuam unitatem per ſe ſimpliciter, cũ unitas debeat correſpondere ipſi enti. Et hoc patet etiam, quia habet ſuam unitatẽ ratione illius eſsentię, quę conſurgit ex coniũctione partium eſsentialium; in huiuſmodi autem eſsentia, ut talis eſt, nulla reperitur pluralitas, conſiſtit enim in indiuiſibili, ſicuti & quælibet alia eſsentia, & ideò cum excludat à ſe, ut talis eſt, omnem pluralitatem, neceſse eſt, ut ſit una ſimpliciter, quia ſola unitas ſimpliciter excludit omnem pluralitatem: Quapropter concludendum, dari quidem unitatem, ſecundùm quid, ſed non reperiri extra unitatem per accidens, et ſolam unitatem per accidens, ut talis eſt, eſse unitatem ſecundùm quid. Dicitur autem unitas ſecundùm quid, quia non participat ueram rationem formalem unitatis, ſed tantùm quamdam ſimilitudinariam, & proportionalem. An unitate autem ſecundùm quid datur magis, & minus in ratione unitatis, nam prout una unitas habet maiorem proportionem, & ſimilitudinem cum unitate ſimpliciter, eſt etiam maior, & in hoc ſenſu vnitas accidentis cum ſubiecto eſt maior inter omnes vnitates per accidens, quia habet maiorem ſimilitudinem cum vnitate per ſe, & maiori quodã nexu nectit vnibilia: deinde ſecundum locum obtinet vnitas per accidens artificialium, quia ipſa quoq quodam nexu in ordine ad figuram artificialem nectit componentia. vltimum autem locum habet vnitas aggregationis, quia inter vnitates per accidens habet minorem ſimilitudinem cum vnitate per ſe, cum ſit caſualis, & abſq. vllo artificioſo ordine. Atque in hoc etiam vnitas per accidens cõtradiſtinguitur ab vnitate per ſe: nam quamuis inter vnitates per ſe vna ſit perfectior altera, quemadmodum perfectior eſt vnitas ſimplicitatis vnitate

Quænam ſit vnitas ſecundũ quid.

Inter vnitates per accidens vna altera maior.

compositionis, id tamen non habent ratione unitatis ut sic, sed ratione propriæ differentiæ; vnde in ratione unitatis ut sic æqualiter se habent; at unitates per accidens, & secundùm quid in ratione unitatis ut sic inæqualiter se habent, ut potè quia non participant ueram rationem formalem unitatis.

An Vnitas, quæ est passio entis, sit vnitas singularis. Disp. X.

Aliorum sententia.	*Sect. I.*
Propria sententia.	*Sect. II*
Satisfit argumentis in oppositum.	*Sect. III*

Aliorum sententia.

SECTIO I.

I. QVia unitas per se alia est vniuersalis, alia singularis, quæ conuenit vnicuique enti à parte rei existenti, ideò difficultas oritur, an vnitas trascendentalis, quam diximus esse passionem entis, sit vniuersalis, an verò indiuidualis. Sumitur autē hic vnitas singularis, siue indiuidualis amplè pro qua cūq. vnitate, quę conueniat enti existēti siue hoc ens sit completum indiuiduum, siue pars illius, siue quocunq. alio modo se habeat, dummodo tamen habeat proprium esse physicum, quo existat; & in hoc sensu vnitas singularis contradistinguitur ab vniuersali, siue cōmuni, & vni tantùm cōuenit. Quia autem circa unitatem vniuersalem diuersimodè opinā tur Auctores, & quidam eam admittunt tanquam realem, alij verò solùm tanquā rationis, & confictam ab intellectu, de quo nos infra acturi sumus, ideo stante hac diuersitate opinionum, modò vnitas vniuersalis accipienda est pro illa sola indiuisione, qua illud positiuum naturę communis redditur indiuisum in se, non quidem entitatiuè; sed essentialiter, & facit, quòd quidditas illa sit in se indiuisa ea indiuisione, qua excludatur multitudo, & diuersitas quidditatiua: Cum enim talis indiuisio conueniat naturę communi ab intrinseco suæmet quidditatis, quia ex se habet, quòd non sit multiplex quidditatiuè, ideò erit talis indiuisio suo modo realis, quemadmodum realis est ipsamet essentia communis. Non enim sumi potest vnitas vniuersalis pro vnitate conficta ab intellectu, cum certum sit, hanc non posse esse passionem entis realis,

Titulus quæstionis.

II. Prima ergo sententia docet; Vnitatem transcendentalem, quæ est passio entis, non esse vnitatem singularem, sed neque etiam vnitatem vniuersalem, sed quamdam unitatem, quę non limitetur ad vnitatem singularem, vel uniuersalem; materialem, vel formalem; sed quę complectatur quamcunque unitatem, quæ in quocunque ente reali, siue formalitate entis realis reperiri potest. Ita tradit Suarez in Metaphysica disp. 4. sect. 9. num. 14. qui hinc deducit, Vnitatem transcendentalem esse quamlibet rationem entis per se, quatenus indiuisa est adęquatè, & secundùm se, hoc est secundùm suam propriam, & intrinsecam rationem, quia vnitas in vnoquoq. conceptu attendi debet secundùm propriā rationem ipsius, & non secundùm aliquid superius, aut inferius, siue extraneum. An antem hęc vnitas sit vnitas pręscindens ab indiuiduali, & vniuersali non explicat, sed videtur potiùs intelligere de vnitate disiūctim accepta, siue sit vniuersalis, siue indiuidualis. Fundat autem hanc suam sententiam in auctoritate Arist. qui 5. Metaph. tex. 11. inter vnitates entis non solum collocat vnitatem indiuidualem, sed etiam specificam, genericam, & analogam, & quamcunque aliam, quę importet indiuisionem. Deinde etiam ratione, quoniam adęquata passio alicuius communis obiecti non solùm debet cōuenire inferioribus cōtentis sub ipso, sed etiam ipsi obiecto cōmuni secūdùm se consideratо, vnde vnitas, quę est passio entis, non debet conuenire solis indiuiduis, sed etiam enti vt sic, atq. adeo non potest esse vnitas indiuidualis.

Prima opinio à nitatē, quæ est passio entis, complecti tum vniuersalē tum singularem Suarez.

Arist.

III. Secunda autē opinio ex opposito se habet. Refertur à Suar. sect. supracitata n. 12. & defenditur ab Auersa q. 5. suæ Philosoph. sect. 6. & à Serna in Logica disp. 1. sect. 4. q. 6. ar. 3. docet autē; Vnitatem singularem esse cōmunem, & adæquatam passionem entis, atque hanc esse unitatem transcendentalem. Et argumētatur primò, quoniā passio prędicati cōmunis debet cōuenire oībus inferiorib. ipsius, & pręcipuè indiuiduis cū abstrahatur ex eo, quòd reperitur in ipsis;

Secunda opinio. Vnitatē singularem esse passionē entis. Auersa.

vni-

unitas autem vniuersalis non potest descendere ad indiuidua, sed conuenit tantùm rationi communi in statu abstractionis, vnde neque potest esse passio entis. Deinde vnitas vniuersalis est vnitas rationis, & fit per intellectum, vnitas verò indiuidualis est realis, nec potest dari vnitas communis reali, & rationis, & ideo non potest constitui pro passione entis. Tertiò! Vnitas indiuidualis conuenit omni enti, prout à parte rei existit, omne enim existens est singulare, nec vniuersale existere potest; vnde cum omne attributum debeat conuenire omnibus indiuiduis, & quod tale est dicatur attributum naturæ communis, concludendum est, vnitatem indiuidualem esse adæquatam passionem entis. Quartò. passio alicuius rationis communis non potest abstrahere ab ea, quæ conuenit tali naturæ in statu abstractionis, atque ab ea, quæ conuenit in statu contractionis, vnde neque vnitas, quæ est passio entis abstrahere potest ab vniuersali, & indiuiduali. Quintò! Vnitas vniuersalis cõsistit in solo statu præcisionis, non autem descendit ad vnitates singulares, cum non prædicetur de ipsis essentialiter: sicuti autem ipsa natura in communi descendit ad inferiora, & essentialiter de ipsis prędicatur, ita etiam se debet habère vnitas, quæ est passio ipsius. Sextò! Vnitas, quæ est passio entis, debet cum ipso proportionari, ergo sicuti ens abstrahitur ab hoc, & illo ente, ita etiam vnitas, quę est passio ipsius, abstrahi debet ab hac, & illa vnitate singulari, & sic vnitas singularis in communi accepta debet constitui pro passione entis: quod præsertim uerum est, etiam si natura distinguatur ex natura rei à singularitate, & illi tribuatur propriè vnitas formalis; adhuc enim illa natura à patte rei singularis est. Denique in quolibet gradu uniuersali considerari potest duplex vnitas, altera pręcisionis, quæ fit ab intellectu, atque est secunda intentio, nec ista potest esse passio entis, quia est ens rationis; altera autem, quę est prima intentio, & est vnitas singularitatis, quę consideratur in communi sicuti ipsa natura realis; & hæc est adęquata passio entis, quia conuenit tum indiuiduis, tum singulis gradibus entis.

Propria Sententia.

SECTIO II.

I. HAec sanè quęstio maioris difficultatis est, quàm prima facie videatur; vnde paulatim ad ipsius decisionem deueniendum est. Dico ergo primò. Vnitatem, quę est passio entis transcendentalis, non esse vnitatem abstrahentem ab vniuersali, & singulari: sumendo nunc vniuersalem vnitatem pro unitate illa, quę consequitur ad aliquàm naturam in communi, seu pro vnitate abstracta simul cum natura communi, vt initio sect. præcędentis adnotauimus: non autem pro vnitate, quę sit secunda intentio conficta ab intellectu; nam certum est, non dari huiusmodi vnitatem pręscindentem à reali, & rationis: & sicuti unitas conficta ab intellectu nō potest esse passio entis realis, ita neque vnitas prescindens à reali, & rationis, quia, etiã si daretur, non posset esse realis, atque adeo neq. passio entis realis: Sumendo igitur vnitatem modo explicato quò ad suam uniuersalitatem, probatur, quòd vnitas abstrahens ab ipsa, & indiuiduali, non sit passio entis in communi. Nam supposito, quòd detur huiusmodi unitas sic abstrahens ab indiuiduali, & uniuersali, adhuc ista unitas est uniuersalis, seu communis; conuenit enim pluribus, ijs nimirum, à quibus abstrahitur, ergo adhuc unitas communis, & uniuersalis esset passio entis.

II. Quòd si dicas, Hanc vnitatẽ non esse uniuersalẽ, neq. singularem, sed alterius rationis, & importare quemdam modum vnitatis, qui est proprius entis transcendentis, huiusmodi responsio ual de friuola est: nam uerè huic vnitati cõueniret ratio uniuersalis sumẽdo uniuersale non pro natura aliqua generica, & specifica, sed pro quacũq. ratione cõmuni, quæ habeat inferiora, de quibus prędicetur. Vniuersale enim est id, quod aptum est esse in multis, si ergo hæc unitas abstrahit à pluribus, ad quę consequẽter descẽdit, necesse est, quòd sit unitas uniuersalis, quia erit apta, ut sit in pluribus, à quibus abstrahit. Vnde hinc sequitur, impossibile esse, quòd detur huiusmodi unitas abstrahẽs ab uniuersali, & indiuiduali, non solùm quia extra uniuersale, siue commune, & indiuiduale nihil

Secundo
Tertio.
Quarto.
Quinto.
Sextò.
Septimò

Prima conclusio. Vnitas abstrahens ab vniuersali, & indiuiduali non est passio entis.

Occurritur responsioni.

aliud reperitur, sed etiam, quia si tali pacto abstraheret, abstraheret etiam ab eo, quòd posset esse in pluribus, & proinde secundùm se considerata non posset esse in multis, quomodo autem esset enti proportionata, atque transcendens? ens enim potest esse in omnibus inferioribus, & ideò eius quoque vnitas debet esse communicabilis pluribus. Deinde dum ex se non haberet aptitudinem ad essendum in pluribus, quantùm est de se, esset incommunicabilis: omnis autem vnitas, quæ secundùm se non est pluribus communicabilis, est vnitas singularis, vnde eo ipso, quòd aliqua vnitas non est vniuersalis, siue communicabilis, euadit singularis. Præterea cum ens vt sic vniuersalissimè sumptum non abstrahat ab esse vniuersali, & singulari, neque vnitas quoque ipsius abstrahere potest ab esse vniuersali, & singulari ratione proportionis illius, quam passio seruare debet cum suo subiecto; oportet enim, vt cum ipso tali pacto proportionetur, vt eodem modo se habeat præsertim quò ad abstractionem, sequitur enim ab intrinsecis principijs illius, & ideò non potest habere, nisi illam abstractionem, quam habet subiectum. Denique Vniuersale, & singulare sunt gradus subordinati, quorum vnus determinatur per alium, atque singularis fundatur in vniuersali; vnde hinc fit, quòd non possit aliqua abstrahi, quod sit prima intentio. tanquam commune & abstrahens ab vtroque, hoc enim tantùm abstrahi potest ab ijs, quæ immediatè sub eadem ratione communi constituuntur, in gradibus autem subordinatis, quia ita ordinantur ad inuicem, vt vnus sit superior alteri, non potest fieri huiusmodi abstractio. Quare concludendum est, neque dari huiusmodi vnitatem abstrahentem ab vniuersali, & indiuiduali, Neque, si daretur, posse esse passionem entis.

Non datur vnitas abstrahens ab vniuersali, & indiuiduali.

III. Dico secundò. Vnitatem, quæ est passio entis, esse vnitatem vniuersalem, siue communicabilem pluribus. Hanc conclusionem certissimam puto, & quæ probatione non indigeat, sed ex ipsis terminis ferè nota sit. Nihilominus desumitur ex Arist. 10. Metaph, tex.6: vbi loquens de vno vniuersalissimè sumpto, & quod cum ente conuertitur, ait *Ens enim, & vnum vniuersaliter maximè de omnibus prædicantur.* si ergo vnum de omnibus prędicatur, id habet ex vi suæ rationis formalis, nimirum vnitatis: vnde vnitati conueniet talis prædicatio; & quia prædicatio supponit inexistentiam rei, quæ prædicatur in ijs, de quibus prędicatur, cum vnitas de omnibus prædicetur, est consequenter in omnibus cum communicabilitate. Ex quo etiam deducitur optima ratio à posteriori. Verum est enim dicere de quolibet ente, quòd sit vnum, atque adeo verum est, quòd participet rationem formalem vnitatis, sicuti etiam participat rationem formalem entis, Cum ergo vnitas in pluribus reperiatur, debet ex genere suo esse pluribus communicabilis ex eo, quòd communicatur ipsum ens, ita ut descendat ad plura. Quamobrem cum vnitas, quando consideratur tanquam passio entis, non consideretur, prout est in aliquo ente determinato, sed prout conuenit enti vt sic, & prout est abstracta ab hoc, et illo vno: obtinebit suam communicabilitatem, qua potest pluribus communicari.

Secunda cōclusio. Vnitas, quę est passio entis est vnitas pluribus communicabilis

Vnitas prædicatur de omnibus

IV. Atque hæc ipsa ratio, quæ à posteriori procedit, à priori quoque declarari potest, ita vt procedat ab ipsa causa, ob quam vnitati conuenit esse in pluribus, atque de ijsdem prædicari: est enim passio entis; quo supposito sic argumentor. Ens transcendens, ita est communicabile, vt per omnia transcendat, atque vnicuique non solùm enti, sed etiam formalitati communicetur, nec quicquam reale sit, quod ab ipso non recipiat realitatem; vnde est maximè omnium communicabile, ergo vnitas quoque, quæ est passio ipsius debet hanc ipsam vniuersalissimam communicabilitatem obtinere, qua communicari possit non solùm cuilibet enti physico, sed etiam formalitati cuiuscunque entis. Hæc consequentia, quamuis per se clara, multipliciter tamen declarari potest; & primò quidem quoniam, cum sit passio entis, consequitur ab intrinsecis principijs ipsius, & ideo debet obtinere eamdem latitudinem, & communicabilitatem cum ente, quia dum consequitur ab eius intrinsecis principijs, adæquatur cum ipso. Deinde passio necessariò, & per se connectitur cum subiecto, & ex hoc

Vnitas habet eamdem communicabilitatem cum ente

se-

sequitur, quòd ab ipso inseparabilis sit, & consequenter debeat reperiri, in quocunque reperitur ipsum subiectum, quòd si aliquibus communicaretur subiectum, & non passio, tunc separaretur subiectum à passione; & proinde necesse est, quòd passio communicetur omnibus, quibus etiam communicatur subiectum. Præterea vnitas identificatur cum ente, atque est de eius adæquato conceptu, & si in negatione ponatur, adhuc est inseparabilis ab ipso, ergo oportet, vt communicetur omnibus, quibus communicatur ens, atque adeo hoc pacto habet, quòd prædicetur de omnibus, de quibus prædicatur ens. Quòd si non esset vnitas communicabilis, nequaquam posset prędicari. Neque circa hanc conclusionem erit aliqua difficultas, quia libenter omnes concedent, quòd vnitas, quæ est passio entis præcisè considerati, sit vnitas communicabilis, quemadmodum, & ipsum ens.)

Tertia cõclusio Vnitas, quæ est passio entis, non est vnitas indiuidualis.

V. Dico tertio. Hanc vnitatem communicabilem, quæ est passio entis, non esse vnitatem indiuidualem. In hac conclusione tota difficultas consistit. Et quidem, quòd non sit vnitas indiuidualis indiuidualiter accepta, aut pro determinata vnitate indiuiduali, aut in confuso pro hac, & illa indiuiduali vnitate manifestum est, nec oppositum ab aliquo traditur, quomodo enim ens, cum sit communicabile, & abstractum à pluribus, habere poterit pro passione vnitatem indiuidualem, incommunicabilem, aut plures huiusmodi vnitates in confuso acceptas? oportet enim, quòd vnitas ipsius sit præcisa ab inferioribus, quemadmodum ipsum quoque præcisum est. Sed quòd neque sit vnitas indiuidualis in communi, & abstracta, prob. Et nunc omitto, an detur huiusmodi conceptus communis indiuiduationis, pręscindens ab omnibus indiuiduationibus, quia de hoc inquiremus infra suo loco: sed etiam supposito, quòd detur, non potest assignari pro passione entis vniuersalissimè sumpti. Vnde primò argumentor. Vnitas, quæ est passio entis transcendentis, debet cum ipso adæquari, & ad conuertentiam dici, ita vt vbicunque sit ens, sit etiam vnitas, & econtra vbicunque est unitas, sit etiam ens: hoc enim habet ex eo, quòd passio est: & propterea debet de unoquoque prædicari, de quo ens prædicatur, ut in præcedenti conclusione diximus; sed hoc non conuenit indiuiduali vnitati, etiam in communi acceptæ, ergo non potest, quamuis in communi accipiatur, assignari pro passione entis transcendentis.

Vnitas quæ est, passio entis, debe. cum ipso adæquari.

VI. Maior huius argumenti certa est, & euidens. Minor autem facilè declarabitur, si attendamus, reperiri diuersos gradus entis, qui concurrunt ad constituendas essentias, qui inter se subordinantur, & seruant determinatum ordinem, ita ut unus supponat alterum, in quo fundetur, nec possit alicui superiori aduenire, nisi aliquo alio mediante, ut substantiæ nequit aduenire esse rationale, nisi mediante uiuente, tanquam aliquo gradu, in quo fundatur rationalitas. Rursus hi gradus inter se distinguuntur ratione, cum fundamento, & important diuersas formalitates, quæ dicunt nedum rationem entis, ut sic, sed etiam talis entis metaphysici, siue talis formalitatis. Cum ergo dentur hi gradus importantes rationem entis, quod ut transcendens in ipsis imbibitur, necesse est, quòd etiam habeant suam unitatem, quæ consequatur nedum ad rationem entis ut sic, sed etiam talis entis; & sicuti in ipsis reperitur ratio entis transcendentalis, ita etiam reperitur unitas transcendentalis, quia ens non est sine ipsa: at in his gradibus non reperitur unitas indiuidualis, neque in communi sumpta, ergo unitas indiuidualis in communi sumpta non adęquatur cum ente, nec cum ipso ad conuertentiam dicitur.

Vnitas indiuidualis nõ conuenit gradibus essentiæ.

Quòd autem huiusmodi gradibus non conueniat unitas indiuidualis patet, quia unusquisque importaret propriam unitatem indiuidualem, quemadmodum importat propriam rationem entis, & sicuti ratio entis in ipsis metaphysico modo multiplicatur, nam quilibet, ut ab alio contradistinctus, est ens, ita etiam multiplicaretur in ipsis unitas illa indiuidualis, quam in communi dicit tamquam propriam passionem. Hoc autem dici non potest, nam gradus illi sunt subordinati, quorum unus fundatur in alio, & ideo debent etiam habere unitates subordinatas; at una unitas indiuidualis non subordinatur alteri, ita vt una fundetur in

alia

alia. Præterea, cum vnitas indiuidualis in communi accepta multiplicatur, tota multiplicatio eſt ad hanc, & illam vnitatem indiuidualem, ita vt non poſſit concipi aliter fieri hanc multiplicationem, cum ergo iſta vnitas indiuidualis, quam dicit ens, multiplicatur in gradibus eſſentiæ, debet fieri hæc, & illa: hoc autem eſt impoſſibile, quia hi gradus ficrent indiuidui, & incommunicabiles, nec poſſent ad plura inferiora deſcendere. Accedit etiam, quòd important rationem talis vnitatis, conſequentis ad tale eſse, vnde ratio illa vnitatis, quam importaret, deberet ſuperaddi vnitati indiuiduali, quam diceret ens, quòd tamen fieri non poteſt, quia vnitas indiuidualis non eſt ſuſceptiua alterius gradus unitatis. Atque hoc ipſum patet etiam ex modo cõcipiendi; non enim quando quis concipit hos gradus eſsentiæ, concipit aliquid unum indiuiduale, ſiue indiuiduale ſumatur in communi, ſiue in particulari, ſed concipit aliquid vnum formale, ſiue eſſentiale.

VII. Et in confirmationem huius rationis addi poteſt. Quando intellectus concipit ens tranſcendens in communi, non ſolùm concipit aliquid indiuiduum determinatum, ſed neque etiã indiuiduum in communi; concipit enim ſolam vniuerſaliſſimam rationem eſſendi, quæ communis eſt omnibus tam entibus phyſicis, quàm formalitatibus, & cuicunque gradui eſſentiæ, etiam prout contradiſtincto à gradu indiuiduali; & proinde eſt omnium abſtractiſſima ratio, præſcindens à quocunque determinatiuo, atque differentia inferiorum, & conſequenter etiam ab eſſe indiuiduali, nam eſſe indiuiduale importat vltimum determinatiuum entis, quod cum habet, non eſt vlterius determinabile; et ideo ens debet ab ipſo abſtrahere, cum abſtrahat ab omni determinatiuo. Dum autem abſtrahit ab eſſe indiuiduali, non poteſt concipi tanquam aliquod indiuiduum, ſed debet concipi nuda ratio entis, atque præciſa. Dum ergo ens non concipitur tanquam aliquod indiuiduum, neque etiam concipi poteſt cum vnitate indiuiduali, quod enim habet vnitatem indiuidualem, indiuiduum eſt, ſiue commune, ſiue determinatum; talis enim vnitas facit vnum indiuidualiter: & nihilominus concipitur ens cum ſua inet vnita[illegible] tranſcendentali, qua eſt indiuiſum in [illegible] ſe, & diuiſum à quocunque [illegible]lio, ergo vnitas tranſcendentalis entis non eſt vnitas indiuidualis: impoſſibile enim eſſet, quòd illi non exhiberet ſuum effectum formalem; vnde ſicuti illud reddit vnum tranſcendentaliter, ita etiam faceret vnum indiuidualiter, atque adeò ens eſſet indiuiduum ſaltem in cõmuni ſumptum, quod quàm abſurdè dicatur, eſt per ſe manifeſtum. Preterea vnitas trãſcendentalis conuenit enti ex eo, quòd ens eſt, atque eſt ipſi commenſurata vt tale eſt, & ideo reperiri debet in quocunque, in quo reperitur, ens; rurſus nedum ipſum ens conſiderari poteſt, vt contradiſtinctum ab indiuiduatione, ſed etiam cœteri gradus eſſentiæ, vt cũ conſiderantur quatenus contrahibiles per indiuiduationes, tunc enim tanquã contrahibiles debent contradiſtingui à ſuo metcontractiuo; & nihilominus ſicuti imbibunt rationem entis, ita etiam deberẽt imbibere vnitatem ipſius, non autem indiuidualem, cum ab eſſe indiuiduali contradiſtinguantur, atq; adeò ab vnitate ipſius.

VIII. Hinc ſecundò argumentor. Vnitas indiuidualis eſt quædam peculiaris vnitas, quæ importat peculiarem indiuiſionem, & conſequenter habet peculiarem gradum entis, ad quem cõſequitur, ergo non poteſt eſſe paſſio entis vt ſic communiſsimè ſumpti, etiam ſi in communi accipiatur, ſed erit paſſio illius entis determinati, ad quod conſequitur. Quòd autem ſpectat ad antecedens facilè declaratur: nam quod ſit peculiaris quædam vnitas ex genere ſuo, & importans peculiarem modum indiuiſionis, ex ſe euidens eſt, quoniam reddit vnum non quocunque modo, ſed indiuidualiter, qui modus vnitatis eſt omnium maximè determinatus, & ſupponit alios gradus vnitatis, nempe vnitatem eſſentialem ſecundùm omnes gradus eſſentiæ. Hinc autem fit, quòd debeat cõſequi determinatum gradum entis, quia paſsio determinata ſupponit principium determinatum, à quo conſequatur, & præſertim hoc habet locum in vnitate, cum ſit de adæquato conceptu ipſius entis: vnde non poteſt vnitas eſſe talis vnitas, niſi conſequatur tale eſſe; intelligimus enim eſſe talem vnitatem, quia eſt vnitas talis eſſe, quod

Ens vt ſic abſtrahit ab eſſe indiuiduali.

Secunda ratio. Vnitas indiuidualis conſequitur determinatum gradum entis.

in seipso reddit indiuisum, vnde vnitas essentialis est illa, quæ reddit indiuisam aliquam essentiam, seu quidditatem, & impossibile est alio modo intelligere vnitatem talis, aut talis rationis, nisi intelligamus in ordine ad tale esse, quod reddit indiuisum. Huiusmodi autem gradus entis, ad quem consequitur vnitas indiuidualis, nullus alius esse potest, quàm esse indiuiduale, quod importat vltimum gradum, qua vnaquæque res vltimò determinatur, & cópletur, ita vt habeat totum id, quod requiritur, vt constituatur in esse physico, & entitatiuo. Hinc etiam consequentia ostenditur; nam cum vnitas indiuidualis habeat determinatum gradum entis, ad quem consequatur, necesse est, quòd ibi solùm reperiatur, vbi est talis gradus entis; impossibile est enim, quòd sit absque suo principio, vnde, cum ens vt sic non dicat hunc determinatum gradum vnitatis, seu esse indiuiduale, non potest illi conuenire tanquam propria passio vnitas indiuidualis, præsertim quia, cum non dicat aliquem gradum entis determinatum nec etiam habere potest vnitatem, quæ dicat modum determinatum indiuisionis. sic sicuti enti non potest conuenire vnitas generica, aut specifica non alia ratione, nisi quia non est natura generica, aut specifica, ita neque potest ipsi conuenire vnitas indiuidualis, cum non dicat esse indiuiduale; sed debet illi conuenire ratio vnitatis vt sic omnino indifferens, quemadmodum illi conuenit solùm ratio essendi, vt sic omnino indifferens, & denudata ab omni determinatione essendi.

Tertia ratio. IX. Tertiò argumentor. Non potest aliqua vnitas assignari pro passione entis, nisi sit proportionata exigentiæ ipsius, & habeat eamdem latitudinem, atque communicabilitatem cum ipso ente. Passio enim conuenit ab intrinseco principio, & ideo subiectum habet intrinsecam exigentiam, qua exigit talem determinatam passionem, & non aliam: & vt supra diximus, cum passio sit necessariò connexa cum suo principio, oportet, vt eodem pacto descendat, ac descendit principium, & ijs omnibus communicetur, quibus ipsum communicatur, quod minimè saluari posset, nisi haberet eamdem latitudinem, atque communicabilitatem cum suo principio, vt consideranti patet, & idcirco vnitas quoque, quæ est passio entis, necesse est, vt habeat eamdem latitudinem; atque communicabilitatem, quam habet ens. Hinc porrò fit, quòd nequeat esse vnitas indiuidualis, quamuis in communi sumpta: hæc enim non est talis, qualis exigitur ab intrinsecis principijs entis. ens enim exigit vnitatem sibi proportionatam, vt autem proportionata sit, debet excludere à se omnem determinationem in ratione vnitatis, qua determinetur ad talem vnitatem, quod non conuenit vnitati indiuiduali, vt per se patet. Deinde neque vnitas indiuidualis habet eãdem latitudinem, & communicabilitatem, quam habet ens: ens enim ita pluribus communicari potest, vt in tali cõmunicatione diuidatur essentialiter, atque descendat non solùm ad plura specie diuersa, sed etiam genere diuersa, sic diuiditur per accidens, & substantiam, atque cæteras rationes determinatiuas entis, vnde suscipit diuersos gradus essentiæ, atque ad omnes se extendit. At vnitas indiuidualis, quamuis in communi accipiatur; non participat huiusmodi communicabilitatem, nam non habet aliam communicabilitatem, præter illam, qua communicatur pluribus indiuidualiter diuersis: vnde indiuidualiter solùm diuiditur, non verò essentialiter, ita vt non habeat aliam communicabilitatem, quàm eam, quæ speciei infimæ conuenit, quæ sanè multò minus extenditur, quàm se extendat cõmunicabilitas entis transcendentis, quod in omnes gradus essentiæ transfunditur. Quomodo ergo, cum non habeat eamdem communicabilitatem, & latitudinem, quam habet ens, poterit esse passio ipsius.

Vnitas indiuidualis non est eiusdem communicabilitatis cũ ente.

Confir. X. Et amplius hæc ratio confirmari potest, assignãdo differẽtiã, quæ est inter ens transcendentaliter acceptum, atque vnitatem indiuidualem in cõmuni acceptam: ens enim importat primam rationem realitatis, quæ ex se nullum dicit determinatum gradum essendi, sed est determinabilis per omnes, ita vt sit primum fundamentum, in quo fundetur quilibet gradus essentię. Econtra verò vnitas indiuidualis omnino opposito modo se habet; nam non solùm importat determinatum gradum vnitatis, sed etiam vltimum, ita ut per vlte-

Vnitas ... [illegible]

te-

Vnitas indiuidualis nō habet proportionem, vt sit Passio entis vt sic.

teriores gradus non possit amplius determinari, sed solùm numericè diuidi, vnitas enim indiuidualis dicit completā rationem vnitatis, nec maior aliqua vnitas excogitari potest. Stante ergo huiusmodi improportione, impossibile est, quòd vnitas indiuidualis sit passio entis: passio enim seruare debet proportionem debitam cum subiecto; vnde necesse est, quòd vnitas, quæ est passio entis, vt sit proportionata, non dicat determinatum gradum vnitatis, sicuti non dicit ipsum ens, dum enim passio commensuratur cum subiecto, ita vt passio generica requirat subiectum genericū; & econtra subiectum genericum originare possit tantum passionem genericā, & specificum specificam, ens quoque debet habere vnitatem pro passione, quæ non importet determinatum gradum in ratione vnitatis, sicuti nec ipsum importat in ratione entis. Quare cum vnitas indiuidualis dicat vltimum gradum determinatum vnitatis, non potest assignari pro passione entis, quia in ipso non habet rationem, à qua proueniat, sicuti neque haberet risibilitas, si assignaretur pro passione entis, aut animalis, sed debet asignari pro passione talis entis, nempe illius, quod importat vltimum gradum, quid non est aliud, quàm indiuiduum. Et insuper vrgeo hanc rationem. Si ens haberet pro passione vnitatem indiuidualem, non posset determinari essentialiter, nec contrahi ad diuersos gradus essen-

Vnitas, quæ est passio entis, debet esse determinabilis per alios gradus vnitatis.

tiæ: siquidem nòn potest determinari per diuersos gradus essentiæ, nisi simul cum ijsdem gradibus recipiat etiam gradus vnitatis, qui ad tales gradus essentiæ consequùntur: si autem ens vt sic haberet vnitatem indiuidualem, tanquam propriam passionem, nòn posset recipere alios gradus vnitatis, quoniam vnitas indiuidualis, cum sit vltimò terminata in ratione vnitatis, nō est per alios gradus determinabilis, sed solùm numericè diuidi potest, supposito tamen, quòd habeat suum conceptum communē; vnde consequenter nec posset ens recipere alios gradus essentiæ, quod cū falsum sit, concludendum est, vnitatem indiuidualem non esse illam, quæ conuenit enti tanquam propria passio.

4. ratio

XI. Quartò prob. nostra conclusio. Rerum essentiæ, siue naturæ ita sunt dispositę, vt coalescant ex pluribus gradibus quidditatiuis, qui distinguuntur ratione cum fundamento in re: & quia constituunt vnam naturam per se, quando hi gradus distinguuntur, ita se habent, vt vnus subordinetur alteri, at veluti ab ipso perficiatur: important autē singuli proprium gradum essentiæ: sicuti autem ens vt sic est principium vnitatis transcendentalis, ita talis ratio entis seruata proportione erit principium talis vnitatis determinatæ, & non transcendentis, proportio enim, quæ necessariò seruari debet inter ens vt sic, & tale ens, in eo consistit, quòd sicuti ens vt sic dicit communissimam rationem essendi, ita etiam tale ens præstet determinato modo totum id, quod ens vt sic pręstat indeterminato modo, atque transcendentaliter, quamobrem cum ens vt sic, sit principium vnitatis transcendentalis, tale ens debet esse principium talis vnitatis, & consequenter quilibet gradus quidditatis, cum habeat propriam rationem entis, erit etiam principium alicuius vnitatis sibi propriæ, Hinc verò fit, quòd sicut in qualibet natura distinguuntur diuersi gradus essentiæ, ita similiter debeant distingui diuersi gradus vnitatis consequentes gradus essentiæ, qui pariter inter se subordinentur. Vt autem debitus ordo subordinationis seruetur, necesse est, quòd eumdem ordinem seruent inter se gradus vnitatis, quem seruant gradus essentiæ, ita vt ille gradus vnitatis sit primus, qui consequitur primum gradum essentiæ. Ex his autem concluditur, quòd debeat dari aliquis gradus vnitatis determinatus, qui sit propria passio entis, nec alteri conueniat, nisi ratione entis, Hic autem gradus non potest esse vnitas indiuidualis, quia hæc non potest esse prima in subordinatione graduum vnitatis, esse enim vnum indiuidualiter, dicit esse vnum cum omnimoda determinatione vnitatis, vnde importat vltimum gradum in tali subordinatione, quomodo ergo poterit esse primus, in quo fundentur cœteri gradus vnitatis? si autem esset passio entis transcendentis, sicuti ipsum est primus gradus essentiæ, ita etiam vnitas indiuidualis deberet esse primus gradus vnitatis; & consequenter deberent cœteri gradus vnitatis in ipsa fundari, quod omnino est impossibile, vt consideranti patet.

Diuersi gradus vnitatis, & quinā ex his sit passio entis vt sic.

Et

XII. Et possumus vlterius prosequi hanc ipsam rationem, eliciendo ex hac graduum diuersitate aliam confirmationem. Cum enim dentur diuersi gradus essentiæ, ens ita se habet ad omnes, vt per oēs transcendat, atq. in ipsis intimè imbibatur. Ex quo fit, quòd vnitas quoq. quę est passio ipsius, debeat transcendere per oēs hos gradus, cum tanquam passio sit inseparabilis ab ipso, atq. adeo debet transcendere per omnes gradus vnitatis, qui consequuntur, & in ipsis intimè imbibi. Præterea ex eo, quòd ens trāscēdit per omnes gradus essentię, hi ipsi gradus collocantur sub ipso, atq. de ijsdē in recto prędicatur: vnde vnitas quoque quę est passio ipsius, debet ita per omnes gradus, vnitatis trāscendere, vt oēs sub ipsa collocentur, alioquin nisi ita transcēderet, neq. esset vnitas trāscendens, neq. esset passio entis, quoniam ab ipsa separaretur ens, reperiretur enim in gradibus essentiæ absque tali vnitate. Vnitas autem indiuidualis non est huiusmodi: non enim transcendit per omnes alios gradus vnitatis, neq; cœteræ vnitates sub ipsa collocantur: quis enim dicat, vnitatem essentialem, siue naturæ genericæ, siue specificę esse vnitatem indiuidualem? Quod etiam ratione conuincitur, quod enim transcendit per omnia, non potest determinatum gradum essendi importare; ens enim ideò per omnia entia transcendit, quia non importat determinatum gradum essentiæ; & si importaret determinatum gradum essentię, nequaquam posset per omnia entia; & per omnes gradus transcendere, quia à suamet determinatione coarctaretur, ne cœteris commisceretur. Eodem ergo pacto philosophandum est in vnitate: vnitas enim, vt transcendat per omnes vnitates, non debet importare determinatum gradum & statim ac importat, non est amplius apta, vt cœteris gradibus vnitatis cōmisceatur, & in ipsis imbibatur; & ideò est vnitas indiuidualis importet peculiarem modum vnitatis, non potest esse vnitas transcendens, quę sit passio entis.

Vnitas, quæ est passio entis, debet trāscēdere per ōnes gradus vnitatis.

Vnitas indiuidualis nō trāscēdit per oēs gradus vnitatis.

5. ratio. XIII. Hinc addere possumus quintam rationem, quę valde efficax est, & euidenter declarat, quomodo vnitas indiuidualis non possit esse passio entis vt sic. Cum enim, vt modò dicebamus, vnitas indiuidualis importet determinatum modum vnitatis cōtradistinctū ab alijs, & peculiari modo faciens ens indiuisum, necesse est, concedere aliquam rationem vnitatis, quæ dicat solam rationem vnitatis vt sic præscindentem ab omni determinato modo vnitatis, quę sit prior, & vniuersalior vnitate indiuiduali: neque enim talis modus vnitatis consistere potest absque vnitate vt sic, in qua necessariò fundatur; quia semper si datur tale esse, debet etiam dari esse vt sic, in quo ipsum fundetur; sic si datur tale animal, necesse est etiam dari animal vt sic, & si datur substantia talis, debet etiam dari substantia vt sic, & eadem inductio fieri potest in cœteris omnibus. Ratio autem huius necessitatis est, quia inferiora constituuntur intrinsecè per rationes superiores, quæ sunt quędam inchoationes earundem; sicuti ergo non potest aliquid compleri, nisi inchoatum fuerit, ita neque potest dari complementum alicuius, nisi etiam detur inchoatio eiusdem. Rursus cum dentur diuersi modi vnitatis, nimirum vnitas indiuidualis, vnitas essentialis, quæ aut est secundùm naturam genericam, aut secundùm naturam specificam, si comparentur ad inuicem, conueniunt omnes in ratione vnitatis: vnusquisque enim ex illis mōdis dicit tum rationem vnitatis, tum etiam rationem talis vnitatis secundùm quam distinguuntur inter se, remanente conuenientia in ratione vnitatis vt sic. Quare datur quędam ratio vnitatis communis omnibus vnitatibus etiam indiuiduali, & consequenter vniuersalior vnitate indiuiduali, & in qua fundetur vnitas indiuidualis tanquam in superiori gradu. Hoc ergo stante, sic formo argumentum. Ex eo, quòd omnia entia conueniunt in ratione essendi, abstrahitur ab ipsis quidam communis conceptus, qui est primus gradus essentiæ; ergo etiam ex eo, quòd omnia entia conueniunt, in eo, quòd sint vnum, debet dari quidam conceptus communis omnibus tàm entibus, quàm gradibus essentiæ, qui sub se complectatur omnes vnitates, nec dicat aliquem determinatum modum, & sicut si ratio entis diceret aliquam determinatam rationem essendi, non esset ratio illa, in qua omnia inferiora entis conuenirent ita ratio illa vnitatis,

Vnitas indiuidua supponit vnitatem vt sic.

Oēs vnitates cōueniunt in aliqua ratione vnitatis.

tis, quæ importat determinatum modum vnitatis, non potest esse communis conceptus, in qua omnes vnitates conueniant. Cum igitur habeamus, & conceptum vnitatis communem omnibus vnitatibus, & vnitatem indiuidualem, quænam potius ratio vnitatis constituenda erit pro passione entis? Certè hinc manifestum fit, non posse vnitatem indiuidualem constitui pro passione entis, vt sic, quia supponit aliam vniuersaliorem rationem vnitatis, quę cum nedum in ipsa imbibatur, sed etiam in cœteris, ipsa erit vnitas transcendens, quæ per omnes vnitates transcendat.

6. ratio. XIV. Denique sextò argumentor confirmando etiam præcedentem rationem. Esse indiuiduale est talis conditionis, vt supponat omnia essentialia illius entis, quod per ipsum indiuiduatur; vnde non potest aliqua essentia esse indiuidua, nisi prius omnino compleatur in suo esse quidditatiuo, & constituatur in aliqua infima specie, & hic ordo est planè necessarius, vt esse indiuiduale supponat esse completum infimæ speciei, & huiusmodi esse speciei supponat esse genericum, nec aliter contingere potest: vnde species infima est diuisibilis in plura indiuidua, quibus communicari potest, & essentia generica est vnibilis cum pluribus differentijs constitutiuis infimarum specierum, cum quibus se communicans constituit diuersas essentias specificas. Hinc porro factum est, quòd possit abstrahi natura specifica, & considerari, vt præcisa ab indiuiduationibus, & etiam possit abstrahi natura generica, & considerari præcisa à differentijs specierum. Vnde & essentia specifica prior est natura esse indiuiduali, & essentia generica prior natura essentia specifica. Tenet enim regula prioritatis, quam tradit Arist. in postprædicam. cap. de priori. Quod nimirum ea sint priora, à quibus non valet conuertentia secundùm subsistendi consequentiam. Valet enim, est Petrus, seu indiuiduum hominis, ergo est homo, ergo est animal: non tamen econtra valet. Est animal, ergo est homo, ergo est Petrus, siue indiuiduum hominis. Hoc ergo etiam pacto philosophari debemus in vnitate. Cum enim dentur diuersi gradus vnitatis, vt supra dicebamus, hi gradus vnitatis correspondent gradibus essentiæ, ad quos consequuntur, & ijs proportionaliter tribuendi sunt, & vnitas indiuidualis tribui debet esse indiuiduali; vnitas specifica naturæ specificæ, & sic in cœteris procedendum est. Rursus etiam vnitas indiuidualis supponit vnitatem specificam, & specifica genericam, quod enim est vnum genere, dum contrahitur per differentias ratione singularum differentiarum fit vnum specie, & quod est vnum specie, fit vnum indiuidualiter ratione indiuiduationis, vnde prius est, aliquid esse vnum genere, quàm specie, deinde vnum specie, quàm indiuidualiter, & locum habet eadem regula prioritatis, quòd non valeat à generica ad specificam, & à specifica ad indiuidualem; non enim valet; est vnum genere, ergo est vnum specie, aut est vnum specie, ergo est vnum indiuidualiter. Econtra tamen valet conuertentia secundùm subsistendi consequentiam, nimirum ab vnitate indiuiduali ad specificam, & à specifica ad genericam; valet enim; est vnum indiuidualiter, ergo est vnum specie, & genere, & est vnum specie, ergo est vnum genere. Ex his autem elicitur, quòd cum vnitas indiuidualis supponat omnes alios gradus vnitatis, & sit omni vnitate posterior, nullo pacto possit esse vnitas transcendentalis, quæ sit passio entis transcendentis, quia hæc, cum transcendat per omnes, non potest alias vnitates supponere, neque esse cœteris posterior, sed debet esse omnium prima.

Gradus essentiæ superior est prior inferiori

Arist.

Vnitas generica prior specifica, & hæc indiuiduali

XV. Dico quartò. Vnitatem transcendentalem, quæ est passio entis, vt sic communissimè sumpti, importare solùm primam rationem vnitatis, absque aliqua determinatione, qua determinetur ad talem, vel talem vnitatem, & quę sit prima inchoatio cuiuscunque vnitatis. Hæc conclusio confirmata manet ex ijs, quæ in superioribus diximus, & breuiter declarari potē. Vnitas enim, quę est passio, debet esse vnitas communicabilis pluribus, quemadmodum est etiam ipsum ens, & debet etiam habere eamdem latitudinem, quam habet ens; alioquin non commensuraretur cum ipso, quemadmodum

4 concl. Vnitas, quæ est passio entis, ē prima inchoatio cuiuscunque vnitatis.

dum debet paſsio menſurari cum ſubiecto. Dum autem debet habere eam dem latitudinem, atque communicabilitatem, debet conſequenter reperiri in vnoquoque ente, ſiue phyſico, ſiue metaphyſico, & eſſe denudata ab omni determinatione in ratione vnitatis, quia ſi haberet aliquam determinationem, non eſſet prima ratio, & non poſſet communicari omnibus vnitatibus; ſola enim prima ratio in vnoquoque genere eſt illa, quæ communicatur omnibus illius generis, & ex eo, quòd omnibus communicatur, rectè arguimus, eſſe primam rationem; ſic ſola prima ratio animalis communicatur omnibus animalibus; prima ratio ſubſtantiæ omnibus ſubſtantijs; & niſi ens vt ſic eſſet prima ratio entis, non poſſet tranſcendere per omnia entia; & ratio eſt, quoniam quod reperitur in omnibus alicuius generis, eſt ita ijs commune, vt in tali genere non habeant aliquid magis commune, dum autem non habent aliquid magis commune, illud erit prima ratio talis generis. Quare cum vnitas tranſcendentalis communicetur omnibus entibus, quę ſunt vnum, oportet, vt ſit prima ratio vnitatis.

Vn tas tranſcendētas nō poteſt habere aliquam determinationē, ſi ratio eſt vnitatis.

XVI. Præterea Ens eſt prima ratio, & inchoatio cuiuſcunque eſſentię, ita vt ſit denudatum ab omni ratione determinatiua, & tantùm importet primam rationem realitatis; ergo cum vnitas originetur ab intrinſecis principijs ipſius, non poteſt ſecundùm aliquid aliud originari, quàm ſecundùm primam rationem, & inchoationem vnitatis: cum enim ad originandam vnitatem neceſſarium ſit ens, ad originandam determinatam vnitatem erit neceſſaria determinata ratio entis: vnde cum ens vt ſic non importet determinatam rationem eſſendi, non poterit originare determinatam unitatem. Et hoc pacto vnitas commenſurabitur cum ſuo principio, ita vt in ratione vnitatis dicat illud proportionaliter, quod dicit ens in ratione entis: quomodo enim ens habere poteſt aliquem modum determinatum vnitatis, cum ipſum in ratione eſſendi nullam dicat determinationem? vt enim videmus in cæteris paſsionibus ad originandam determinatam paſsionem requiritur talis, & talis eſſentia, cur ergo id non erit neceſſarium etiam in vnitate? Denique omnes vnitates, quotquot ſunt, conueniunt in eo, quòd ſint vnitates, vt ſupra quoque diximus, vnde abſtrahi poteſt ab ipſis conceptus quidam, qui ſit communis omnibus, atque omnes ſub ſe complectatur; atque adeo ſit communis etiam omnibus entibus, ſingula enim entia habent ſuam propriam vnitatem: cur ergo iſte conceptus vnitatis non conſtituetur pro paſsione entis trāſcendentis? Sicuti enim ipſum ens importat rationem communem eſſendi omnibus entibus, ita etiam hæc vnitas importat rationem vnitatis communē omnibus vnitatibus, & ſeruat totalem proportionem cum ente, eſt enim ratio vnitatis omnium communiſsima. Imò cum repetiatur in vnoquoque ente, ſiue phyſico, ſiue metaphyſico, debet in ipſo aſsignari propria radix, à qua proueniat, hęc autem non poteſt eſſe aliud, quàm aliquid commune ſingulis entibus, atque adeo ratio ipſa communiſsima entis.

Vnitas determinata nō poteſt originari, niſi à determinato ente.

Vnitas vt ſic nō poteſt eſſe paſſio niſi entis vt ſic.

Satisfit argumentis in oppoſitum.

SECTIO III.

I. EX confirmatione noſtræ ſententię deſumitur etiam ſolutio argumentorum in oppoſitum. Et quòd ſpectat ad fundamētum prioris ſententię ex Ariſt. auctoritate, dico rectè Ariſt. in illo tex. 11. lib. 5. Metaph. collocare inter vnitates entis quaſcunque vnitates, quę important indiuiſionem. Verùm nō ita accipi debet: vt omnes hæ vnitates ſint paſſio entis vt ſic, ſed quòd ſicut dantur diuerſi gradus vnitatis, ita etiam aſſignentur pro paſſione diuerſis gradibus entis; dantur enim diuerſi gradus entis, quibus diuerſi modi vnitatis correſpondent; & ſicuti talis, & talis modus vnitatis correſpondet tali, & tali enti, ita enti vt ſic correſpondet vnitas vt ſic, ſeu prima inchoatio vnitatis, vt iam ex ſupradictis patet. Ratio autem, quæ ibidem affertur, ſolùm probat, quomodo vnitas indiuidualis non poſſit eſſe paſſio entis, vt nos quoque diximus, & quòd vnitas, quæ eſt paſsio

Ad fundamēta oppoſitę ſententiæ Ariſt. explicatus.

Vnitas entis vt ſic debet ipſi præciſe conuenire.

ipsius, debeat ipsi præcisè accepto conuenire, quod saluetur in hac vnitate vt sic, quæ conuenit enti, prout seorsim ab inferioribus consideratur.

Ad rationes secundæ sententiæ. II. Ad primum autem secundæ sententiæ concedimus, passionem rationis communis debere conuenire omnibus inferioribus ipsius: sed debet primò, & per se conuenire ipsi rationi communi, & ratione ipsius inferioribus eiusdem, ita vt in tantùm ijs conueniat, in quantùm ad ipsa descendit eadem ratio communis. Atque hinc fit, quòd non debeat conuenire, quatenus talia sunt, sed quatenus participant rationem communem, sic rationalitas non conuenit Petro, quatenus Petrus est, sed quatenus homo est. Hoc autem non conuenit vnitati indiuiduali, sed vnitati vt sic, quæ est prima inchoatio vnitatis: vnitas enim indiuidualis, quamuis cōueniat omnibus indiuiduis, non tamen conuenit omnibus inferioribus entis, quia non conuenit gradibus essentiæ, qui non sunt indiuidui; deinde neque conuenit enti vt sic præcisè accepto, vt iam ostensum est. Vnitas autem, quæ est prima inchoatio vnitatis, conuenit primò, & per se enti vt sic, quia cum ipsum præscindat ab omni determinatione, debet etiam habere vnitatem, quæ ab omni determinato modo vnitatis præscindat: deinde conuenit etiam omnibus inferioribus entis, quia sicuti communicatur ipsis ens vt sic, in quo fundetur talis, & talis ratio entis, ita etiam communicatur vnitas vt sic, in qua fūdetur talis, & talis ratio vnitatis. Hæc autem vnitas est prima realis inchoatio cuiuslibet vnitatis, omnibus inferioribus entis communicabilis, non autem illa vnitas vniuersalis formata ab intellectu, & adscripta rationi communi in statu præcisionis.

Quomodo passio rationis communis debeat conuenire inferioribus.

Ad secundum. III. Ad secundum conceditur, quòd vnitati reali, & rationis non detur vnitas communis, nec nos illam assignamus pro passione entis; sed neque etiam vnitatem fictam ab intellectu: diximus enim, vnitatem, quæ est passio entis, esse vnitatem vt sic, importantem primam realem inchoationem cuiuscunq; vnitatis præcisam à tali, & tali vnitate, & sicuti natura præcisa est realis; ita similiter etiam vnitas. Ad tertium, Vnitatem indiuidualem conuenire quidem omni enti existenti, sed quatenus indiuiduum est, non autem quatenus ens est, & ideo erit passio entis indiuidualis, non autem entis vt sic. Insuper etiam cuilibet enti existenti conuenit etiam vnitas vt sic, quia si conuenit talis vnitas conuenit etiam vnitas vt sic, & hæc conuenit ipsis ex eo, quòd entia sunt, & ideò ipsa erit passio entis vt sic, & non vnitas indiuidualis: illud enim dicitur attributum naturæ communis, quod conuenit omnibus indiuiduis, non vt indiuidua sunt, sed ratione naturæ communis. Quartum autem non procedit contra nostram sententiam, quia non dicimus, vnitatem, quæ est passio entis abstrahere ab vnitate, quæ conuenit enti in statu abstractionis, & ab vnitate, quę eidem conuenit in statu contractionis, sed esse vnitatem, quæ conuenit enti ab intrinsecis suis principijs, siue præcisè consideretur, siue in esse contracto, quia adhuc ens contractum importat rationem vnitatis vt sic, in qua fundetur ratio talis vnitatis.

Ad tertium. Ad quartum.

Vnitas entis ei conuenit siue præcise siue in esse contracto accipiatur.

Ad Quintum. IV. Ad quintum. Si loquamur de vnitate vniuersali, quæ est secunda intentio conficta ab intellectu, verum quidem est, quòd non descendat ad inferiora, nec de ijs essentialiter prædicetur: at vnitas vt sic, quę est prima realis inchoatio cuiuslibet vnitatis, est communicabilis inferioribus, sicuti & ipsum, vnde ad ipsa descendit, & de eisdem prædicatur essentialiter. Ad sextam. Vnitatem vt sic in communi acceptam optimè proportionari cum ente, nam sicuti ens ita præscinditur, vt relinquat non solùm esse indiuiduale, sed etiam omne determinatiuum, quo ad tale esse determinetur, ita etiam vnitas vt sic; nam ita præscindit, vt relinquat omne determinatiuum, quo ad talem, vel talem vnitatem determinetur: vnitas autem indiuidualis non ita præscindit, nam adhuc in communi accepta, retinet determinatiuum talis vnitatis. Ad septimum concedimus, vt iam dictum est vnitatem illam, quæ est secunda intentio, non esse passionem entis, sed vnitatem, quæ est prima intentio: negamus autem huiusmodi vnitatem esse vnitatem indiuidualem in communi sumptam, quia hæc, vt ostensum est sect. præcedenti, quamuis detur secundùm conceptum communem, non habet debitam pro-

Ad sextum. Ad septimum.

portionem, vt ſit paſſio entis. Et miror, quòd Auerſa concedat vnitatem indiuidualem in communi, & non videat, quomodo neceſſarium ſit, cœtera quoque genera vnitatum in communi concedere; ex quo conſequenter ſequitur; quòd aliqua ratio vnitatis communis omnibus his generibus debeat aſſignari pro paſſione entis. Ex his autem ſufficienter explicata manent ea, quæ ſpectant ad vnitatem tranſcendentalem, quæ eſt paſſio entis tranſcendẽtis.

DE VNITATE ESSENTIALI.

EXPLICAVIMVS vnitatem, quatenus eſt paſſio entis tranſcendentis, & conſequenter quatenus eſt vnitas traſcendens: vnde etiam manet explicata vnitas cuiuslibet entis ſecundùm rationem vnitatis vt ſic, ſiue hoc ens ſit ens illud cõpletum abſtrahens ab omni materia, & conſtans ex ſuis principijs intrinſecis metaphyſicis: ſiue quodcunque aliud, vnde non oportet amplius agere de vnitate cæterorum entium, quæ pertinent ad conſiderationem metaphyſicam: quòd enim vnitas vnius ſit vnitas talis entis, nihil facit ad rationem formalem vnitatis, ſed ſolùm ad rationem materialem. Quia tamen in vnitate vt ſic fundantur diuerſi gradus vnitatis, ideo hos quoque conſiderare oportet. Sicuti autem vnitas vt ſic conſequitur ens vt ſic, tanquam paſſio, ita talis gradus vnitatis, qui in ipſa fundantur, conſequuntur diuerſos gradus entis: Cum ergo egerimus de hac vnitate tranſcendentali tanquam de paſsione illius entis, quod eſt fundamentum obiecti metaphyſici, nunc adnectanda eſt tractatio de vnitate eiuſdem obiecti. Hæc autem vnitas dicitur eſſentialis, tanquam ea, quæ conſequitur ens illud, quod habet veram eſſentiam completam ex intrinſecis principijs. Dicitur etiam hęc vnitas Vniuerſalis, quia habet quamdam communitatem reſpectu plurium, quibus natura ſubſtracta communicari poteſt.

De exiſtentia vnitatis eſſentialis, ſeù vniuerſalis. Diſp. XI.

Quid ſignificet vniuerſale, & quot modis ſumatur.

SECTIO I.

I. VNiuerſale, ſi notionem nominis ſpectemus, dicit aliquod vnum, quod conueniat pluribus, ſeu quod plura quocumque modo complectatur, atque audito nomine vniuerſalis vnuſquiſque hunc conceptum apud ſe format, vnde morbus dicitur vniuerſalis, quando in pluribus reperitur, ſterilitas generalis, quando adeſt in pluribus locis, ita vt ſemper per vniuerſale intelligatur aliquod vnum comprehendens multa. Ex quo elicitur quòd

Duæ cõditiones neceſſariæ ad vniuerſale, & quid importet.

quòd vniuersale duas conditiones admi nus requirat, nempè vnitatem, & quòd respiciat multa; ita enim hæ duę conditiones inter se cônexæ sunt, vt ambæ sint simpliciter necessarię, quia si esset vnũ, & non respiceret multa, tunc deesset communitas, in qua potissimum consistit essentia, si verò respiceret multa, & non esset vnum, tunc esset merè simpliciter plura, quæ non constituunt aliquam vniuersalitatem, nisi ali quo pacto coll igentur ad inuicem.

Vniuersale cõplexum & incõplexum. Arist.

II. Hinc iuxta hanc notionem vniuersalis oriuntur varij modi vniuersalitatis, & primo diuidi potest vniuersale in Complexum, & Incomplexum. Vniuersale complexum est propositio affecta signo vniuersali, quo pacto vsurpatũ fuit ab Arist. 1. Metaphys. cap. 1. cum dixit, principia scientiarum esse vniuersalia; intellexit enim, quòd sint propositiones vniuersales, ex quibus progrediuntur, mediante illatione, conclusiones; verùm hoc non spectat ad nostrum institutum, sed est negotij logici. Vniuersale verò cõplexum est aliquod simplex participans illas duas cõditiones assignatas, nempè vnitatem, & respectum ad multa, siuè communitatem. Verùm hoc etiam potest accipi multipliciter, & primò quidem accipitur in significando. Quòd si solam significationẽ retineat vniuersalem, non autem correspondeat vniuersalitas in esse significato, vtpote tantùm vox, non pertinet ad metaphysicum, qui res ipsas considerat.

Vniuersale in significãdo.

III. Quare sistendo circa vniuersale complexum, prout dicit aliquod esse, etiam multipliciter contingit. In primis enim potest aliquod esse vniuersale in causando, si videlicet possit producere plures effectus: hinc Deus dicitur causa vniuersalis, quia concurrit ad omnes effectus: Cœlum quoque dicitur causa vniuersalis, quia potest producere plures effectus. Atque hoc, quod dicitur de causa efficienti, ne dum extenditur ad ea, quæ sunt complementa ipsius efficientis, vt instrumentum, quod si potest assumi ad plures effectus, erit instrumentum vniuersale, tum etiam Idea, si repræsentet plura, erit Idea vniuersalis, quamuis hæc posfit dici vniuersalis in repræsentando, tamen quatenus concurrit, vt complementum efficientis, erit vniuersalis in causando,

Vniuersale in causando.

Non solùm, inquam, potest extendi ad hæc complementa causæ efficientis, sed etiam ad cætera genera causarum, sic materia dicitur causa materialis vniuersalis in recipiendo, quia est in potentia ad omnes formas. Finis etiam potest esse causa vniuersalis, si videlicet idem sit finis plurium, vt Deus, qui est finis omnium rerum. Solùm ad genus causæ formalis non potest extendi vniuersalitas in causando, quia cum exhibeat effectum seipsam præbendo subiecto, & cum ipsa sit vna, vnicum tantùm effectum poterit promere, qui tamen si sit communis, habebit suam vniuersalitatem.

IV. Rursus potest aliquod incomplexum esse vniuersale in repræsentando, si videlicet plura repræsentet, vt potest contingere in cognitione, si vna aliqua cognitione plura obiecta, vt plura repræsententur; hoc etiam potest cõtingere in aliqua Idea, si videlicet sit Idea plurium. Atque cum in mente Diuina Ideæ non sint inter se distinctæ, si considerentur secundùm se, præciso quocunque respectu rationis, erunt vna Idea vniuersalis repręsentatiua omnium rerum. Denique aliud potest esse vniuersale in essendo, si videlicet secundùm suum esse sit vnum; & sit in multis, habens in suo esse quandam vniuersalitatem, cuiusmodi esset intellectus ille separatus, qui cuicumque homini assisteret, quem Auicen. & nonnulli alij Philosophi posuerunt, aut Ideæ Platonis, si darentur eo modo, quo refert Arist. introductas fuisse à Platone, aut quocumque alio modo, quod contingat, aliquid continere in suo esse quamcumq; vniuersalitatem. Quòd si hoc, quod est vniuersale in essendo, in pluribus secundùm suum esse reperiatur, fit, quòd etiam sit vniuersale in prædicando. In præsenti agimus de vniuersali in essendo, quia vnitas essentialis, siue vniuersalis, quam consideramus, est aliquod vniuersale in essendo.

Vniuersale in repræsentando.

Vniuersale in essendo.

Non dari vniuersale separatum à singularibus.

SECTIO II.

I. Dari quædam vniuersalia à singularibus separata, quæ à parte rei existerent, refert Arist. ex senten-

Sententia Platonis de Ideis. tia Platonis 1. Metaph. tex. 6. & lib. 13. summa 2. cap. 1. & summa 3. cap. 4. & eam impugnat citatis locis, & Arist. præterea 7. Metaph. & 1. Ethicorum cap. 6. Has autem ideas separatas fuisse formas rerum, seu species, docet Arist. 1. Poster. tex. 149. vnde nihil aliud erant, nisi naturę rerum separatæ à quacunque materia, & indiuiduatione, vt V. G. esset natura humana secundum suam essentiam considerata; hæ autem Ideę tribuebant esse cuicumque in diuiduo separatim sumpto, vnde vniuscuiusque speciei reperiebatur peculiaris Idea, iuxta ea, quę refert Arist. ex Eufeb. Didim. sententia ipsius Platonis. Atque etiam in huuc sensum refert sententiam Platonis Eusebius lib. 1. de Præparat. Euang. cap. 11, vbi citat Didimum lib. de Placitis Philosophorum ita afferentem: *Determinata sensibilium exemplaria Ideas appellat Plato, ex quibus scientiam, & definitiones fieri censet. Præter enim omnes homines, hominem quendam, & præter equos omnes, equum, & communiter, præter animalia, animal nec generabile, nec corruptibile, vt quemadmodum ab vno sigillo omnia signantur, ita à singulis sensibilium Ideis multa formentur. Est autem Idea perpetua substantia, causa, & principium, vt singularia talia sint, qualis ipsa est.*

Conclus. Non datur vniuersale à singularib. separatū. Arist. D. Amb. D. Cyril. Iren. Nazian. II. Nihilominus dicendum est, non dari aliquod vniuersale à singularibus separatum, siuè intelligatur esse vniuersale in essendo, siue esse in repræsentando, dummodo contineat vniuersalitatem in essendo: Ita sentiunt communiter Philosophi post Arist. cum ipsomet Arist. locis citatis. Præterea etiam communiter P.P. has Ideas iuxta hanc explicationem impugnant, vt Ambros. lib. 4. de fide, cap. 3. & lib. 1. Hexam. cap. 1. Cyril. lib. 2. cont. Iulian. circa finem. Irenęus lib. 2. aduersus hęres. cap. 6. Naz. oratione 10 & alij complures. Atque ratio pręcipua, quę hanc sententiam omninò euertit est; quia omne ens, vel est ens per essentiam, vel per participationem, atque adeò creatum: hæc enim duo adęquatè diuidunt quicquid reale excogitari potest, nam vel est à se, vel non est à se; si est à se, iam est tale per essentiam; si verò non est à se, cum sit, necessariò debet esse ab alio, quod autem est ab alio, necessariò est aliquod participatum, & productum. Igitur cum hæc vniuersalia separata, siue Ideæ sint entia, si dantur, neque sint ens per essentiam, quia essent ipsemet Deus, & esset quid singulare, quia ens per essentiam est vnum, atque singulare, ne cessariò dicendum est, quòd sint aliquod productum, at quod producitur, est semper aliquod singulare, quia proportionatur suæmet productioni, quæ singularis est. Pręterea existentia supponit singularitatem, vnde quicquid producitur, vt fiat existens, debet etiam esse singulare, vnde omnia vniuersalia creata à singularibus separata omninò implicant. Oē ens participatū est singulare.

III. Secundò argumentor, & sumo illud vniuersale sic separatum, & quæro, an habeat suum esse diuisum à quocumque alio, & indiuisum in se, an verò non habeat. Hoc secundum non potest admitti, alioquin sequeretur, quòd illud vniuersale non esset distinctum, neque ab alijs vniuersalibus, neque ab ipsis singularibus; rursus quòd esset id, quod non est, seu quòd esset idem cum ijs, cum quibus non est idem, si quidem quicquid est, idem est cum omni eo, à quo secundùm suum esse non distinguitur, vnde si hæc vniuersalia non haberent suum esse distinctum à quocumque alio, quod non est ipsa, essent idem cum quocumque, & tamen non essent illud, quæ omnia absurdissima sunt. Atque etiam si non essent indiuisa in se, à seipsis diuiderentur, quod neque potest esse, vnde debet admitti primum, quòd quodlibet ex his vniuersalibus esset indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio secundùm suum esse entitatiuum; quod si ponitur, statim sequitur, quòd sit aliquid indiuiduum, siquidem indiuiduum per id constituitur in esse indiuidui, quòd sit vnum in se indiuisum, & diuisum à quocumque alio entitatiuè. 2. ratio. Per quid indiuiduū constituatur.

IV. Nec video, quid possit responderi, nisi quòd illud vniuersale diceret tantùm naturam particularium, non verò ipsorum indiuiduationem, atque adeo cum diceret tantùm essentialia naturæ, esset aliquid vniuersale, quia non diceret constitutionem huius, vel illius indiuidui particularis, sicuti natura in intellectu est vniuersalis, si concipiatur abstracta ab indiuiduatione. Verùm hæc responsio non tollit effica- Occurritur respōsioni.

ciam argumenti: nam aliud est loqui de natura, prout est obiectiuè in intellectu, aliud de aliquo ente, quod sit in re. Quando natura est vniuersalis secundùm esse obiectiuum, non consideratur secundum totum suum esse, quod habet à parte rei: vnde præscindimus ab ipsa entitate, & consideramus tantùm prædicata quidditatiua. At si daretur vniuersale a parte rei separatum à singularibus, haberet suam entitatem actualē, per quam esset indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio secundùm esse reale Physicum entitatiuum, quomodo ergo non esset quid indiuiduum?

Vniuersale aparte reiexta indiui-dua haberet suum esse entitatiuum

3. ratio.

V. Tertiò idem rursus ostendi potest. Non potest dari vniuersale in essendo, nisi respiciat plura, quia eo ipso quòd non respicit plura, tollitur ratio vniuersalitatis; ergo vniuersale in essendo debet respicere plura, in quibus sit, alioquin si non potest esse in pluribus, non se habebit vt quid vniuersale in essendo, hoc autem non potest competere vniuersali separato; nam debet esse distinctum ab indiuiduis secundùm suum esse, alioquin non erit vniuersale separatum; igitur secundùm suum esse non potest esse in multis, quia solùm per quandam assistentiam posset esse in multis; hoc autem non poneret vniuersalitatem in ipso, quia non esset in ipsis, vt constitutiuum talium indiuiduorum, vniuersale autem in essendo debet respicere multa, quæ constituat in suo esse, neque enim potest dici, quòd sit in multis per informationem, quia tunc pertineret ad esse talis indiuidui, quod tamen est falsum, cum habeat esse separatvm ab indiuiduis, deinde ad quid poneretur in indiuiduis, cum dicat eādem essentiam, quam ipsamet indiuidua? Nihil enim in ipsis præstaret.

Vniuersale debet respicere plura inquibus sit tāquā cōstitutiuum illorum.

4. ratio.

VI. Quartò insuper argumentor. Hoc vniuersale separatum, si daretur, diceret totum id, quod dicit natura, quæ est in particularibus considerata secundùm essentiam, igitur vel se haberet tantùm, vt mera ratio Idealis talis naturæ, & haberet diuersum modum essendi, vel esset eiusdem rationis, & essentiæ cum ipsamet natura, quæ est in singularibus. Si primum admittatur, falsum est apertè, quia Idea habet ex intrinseca sua ratione, quòd sit ordinata ad dirigendam operationem intellectualis agentis, vnde solum potest in ipso reperiri. Deinde Idea præcisè considerata est aliquid singulare in se ipsa quo ad esse, & solùm potest esse vniuersalis in repræsentando. Deinde neque esset vniuersalis in repræsentando, quia repræsentaret solùm vnam aliquam naturam, neque repræsentaret indiuidua illius naturæ, quia solùm in se contineret id, quod dicit natura præcisa indiuiduatione. Rursus hæc Idea cuinam agenti deseruiret? non alicui creato agenti, quia hoc format sibi in mente Ideam rerum faciendarum. & solùm potest artificiali modo operari, vnde ex parte ipsius non potest esse necessaria aliqua Idea rerum naturalium. Nec potest deseruire agenti increato, nempe Deo; quia Deus seipso est Idea rerum omnium, nec indiget aliquo ad extra, quod imitetur. Si verò dicatur, quòd non est pura Idea, sed esse eiusdem rationis, & habere eundem modum essendi, quem dicit natura, quæ est in indiuiduis, præcisa tamen induiduatione, sequitur ex hoc, quòd sicut illa, quæ est in indiuiduis, petit ex vi suæ productionis indiuiduari, etiam tale vniuersale separatum, debeat hoc exigere, quia posita essentia eiusdem rationis, semper ponitur quicquid exigit talis essentia. Nec alio pacto potest intelligi, quòd dicat eandem naturam, quæ reperitur in indiuiduis, nisi dicat vel secundùm esse, vel secundùm repræsentationem.

Vniuersale separatum nō potest esse Idea.

Vniuersale separatum nō potest esse eiusdem rationis cū natura, quæ est in indiuiduis

VII. Denique hæc sententia confirmari potest, inquirendo, an hoc vniuersale possit prædicari de pluribus, nempè de illis, respectu quorum dicit communitatem, & vniuersalitatem: si non potest prædicari; sequitur, quòd non respiciat plura, seu quòd intra suam latitudinem essendi non complectatur plura, hac autem communitate deficiente, statim deficit vniuersalitas, nam vniuersalitas in essendo debet respicere multa, de quibus prædicetur, aut in quibus sit; nam sicuti vniuersale, vt sic, debet simpliciter respicere plura; vt colligitur ex ipsius notione, & infra amplius declarabimus, ita vniuersale in essendo debet secundùm esse respicere plura, & cum prædicari sequatur esse, debet posse prædicari tanquam aliquid vniuersale in essendo: nam prædicatio debet esse semper proportionata ipsimet esse, si autem de pluribus prædi-

Vniuersale separatū nō potest prædicari de pluribus illorum constitutiuum.

ca-

catur, ergo debet eſſe in pluribus, quod enim nō eſt in aliquo, non poteſt de illo prædicari, prædicatio enim ſupponit in exiſtentiam, nec poteſt dici, quòd ſit abſolutum à prædicatione, quia non eſt abſolutum ab ordine, quem dicit ad plura. Et confirmatur, quia eo ipſo, quòd eſt vniuerſale in eſſendo, debet habere modum eſſendi proportionatum, nempe quòd exiſtat vt aliquid vniuerſale, quod non poteſt intelligi, niſi in pluribus exiſtat, quia ſi exiſteret in ſe ſolo, eſſet ſecundùm modum eſſendi abſolutum ab vniuerſalitate; ſi autem eſt in pluribus non eſt ſeparatum ab indiuiduis.

Quæ ſit Platonis mens circa Ideas.

SECTIO III.

Mens Platonis circa Ideas.

I. HAc occaſione, qua oſtendimus, non dari vniuerſale ſeparatū à ſingularibus, quod videbatur eſſe contra Platonem ponentem Ideas rerū, non ab re eſt, nonnulla de ipſius mente dicere. Quamuis enim Ariſtoteles acerrimè impugnauerit Platonem, quòd poſuerit huiuſmodi Ideas tanquam ſubſtantias ſeparatas, & alij ferè communiter hoc ipſum ſentiant, tamen complures graues auctores defendunt Platonem, quòd nō poſuerit huiuſmodi Ideas tanquam ſubſtantias quaſdam ſeparatas per ſe ſubſiſtentes, ſed ſolùm quòd poſuerit in mēte Diuina, tāquam repræſentatiuas rerum, quæ producuntur. Quod non ſolùm nihil abſurdi continet, ſed etiam eſt veriſſima ſententia, quia in Deo dantur Ideę rerum omnium. Ita autem ſentiunt Eugub. lib. 1. de Perenni Philoſophia. c. 10. & lib. 5. cap. 7. Foxius lib. 1. de Philoſophia natur. cap. 6. Buratel. lib. toto 1. de Ideis in Concil. inter Platonem, & Ariſ. vbi reſpondet etiam argumentis Ariſt., quæ affert contra has Ideas. Carpen. in ſua digreſs. ſuper cap. 8. Alcinoi Fonſeca 7. Metaphyſ. c. 8. q. 2. ſect. 1. Vaſq. p. p. initio diſp. 71. D. Thom. lib. 4. de Regim. Princip. cap. 4.

Eugub. Foxius. Buratel Carpen. Fonſeca Vaſqu. D. Th.

Seneca

II. Quinimmò ità etiam interpretantur Platonem Antiqui Philoſophi. Seneca enim epiſt. 66. ita ait. *Hæc exemplaria rerum omnium Deus intra ſe habet plenus his figuris eſt, quas Plato Ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt, ipſa autem humanitas, ad quam homo effingitur permanet, & hominibus laborantibus, illa nihil patitur.* Alcinous quoque cap. 8. de Doctrina Platonis, refert, Platonem voluiſse, Ideas eſſe Dei notiones, æternas, & ſeipſis perfectas. Idem confirmat Plutarc. lib. 1. de Placitis Philoſophorum cap. 10. vbi ait. *Socrates, & Plato Ideas putauerunt à materia ſecerni, & in intellectu, ac imaginatione Dei ſubſiſtere.* Sic quoque intellexit Cicero in Tuſcul. quęſt. lib. 1. Et in hoc ſenſu etiam intellexerunt Platonem complures ex PP. præſertim D. Aug. quæſt. 46. ex 83. & lib. 1. Retractat. cap. 4. vbi de Ideis, ſiuè mundo intelligibili ait. *Nec Plato quidem in hoc errauit, quia eſſe mundum intelligibilem dixit, ſi non vocabulum, quod Eccleſiaſticæ conſuetudini in re illa non vſitatum eſt, ſed ipſam velimus attendere rem: Mundum quippè intelligibilem nuncupauit ipſam rationem ſempiternam, atque incommutabilem, qua fecit Deus Mundum, quam qui eſſe negat, ſequitur, vt dicat, irrationabiliter Deum feciſſe, quod fecit, aut cum faceret, vel antequam faceret, neſciſſe, quid faceret, ſi apud eum ratio faciendi non erat.* Et Clemens Alex. lib. 5. Stromatum, dum refert ſententiam Plat. ait, *Vnum mundum nouit barbara Philoſophia, qui percipitur intelligentia, alterum verò ſenſibilem. Illum quidem archetypū, hūc verò imaginem eius, qui dicitur exemplar.* Et D. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum prope finem, ait. *Ideas interdum eſſe, ac ſubſiſtere per ſe, affirmat Plato, aliquando autem cogitationes Dei definit. Neque in hoc redargui debet, quaſi ſibi ipſi contradixerit, ſed vocauit per ſe ſubſiſtentes, quia quicquid eſt in Deo, eſt Deus, & per ſe ſubſiſtēs:* ex hoc autē, quòd vocauerit, per ſe ſubſiſtentes, factum eſt, quòd inualuerit, quod Platoni ab Ariſt. tributum eſt, quòd videlicet illas poſuerit tanquam ſubſtantias quaſdam per ſe ſubſiſtentes, & ſeparatas. Eodem modo interpretatur Platonem etiam Nazianzenus orat. 1. de Theol. num. 8.

Alcin. Plutar. Cicero. D. Aug. Clem. Alex. Cyril. Nazianz.

Ex quibuſdam locis ipſius eius mens deducta.

III. Atq. hanc ſanè fuiſſe mentem Plat. colligitur ex ipſo: nam lib. 6. de Repu. habet hęc verba, vt refert. Carpent. in ſua digreſs. cit. ſup. c. 8. Alcinoi. *Quem intelligimus peritum Hyppiam. nonne qui eius rei, quam facturus eſt, certam rationem, & ſpeciem habet. Annulum igitur illum tuum non effeciſſes, ſi & ſculpendi rationem, & annuli ſpeciem non habuiſſes,*

Putas rerum opificem maximum certa ratione agere? Quemadmodum in te erat species annuli, erat similiter in eo species hominis, & equi. Habebis igitur is rerum, quas facit, omnium in se species. Et eodem lib. assimilat Deum Soli, & dicit, esse Ideam cuiuscumque boni, quod in hoc mundo deriuat, vnde nõ potuit per has Ideas aliquid aliud intelligere, prę ter Deum, quatenus habet in se similitudinem rerum faciendarũ, non verò potuit intelligere has naturas vniuersales separatas, nam hę nihil generarent, docet autem Plato ibidem, quòd hæc Idea boni generauit Solem.

IV. Et hanc suam sententiam etiam declarauit in Timæo, vbi ait. *Dicamus igitur, quam ob causam ille rerum auctor generationem, & hoc vniuersum constituit. Bonus erat. Bonus autem nulla vnquàm aliquade re inuidia tangitur, ergo cum liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi, quantum fieri poterat, similia fieri uoluit.* Deinde cum docuisset, hunc mundum animal esse, quærit, ad cuius animalis similitudinem Deus hunc mundum constituerit, ac respondet. *Imo verò illius animalis eum simillimum esse dicamus, cuius animalia cætera, & singulatim, & speciatim, seù generatim partes sunt Illud siquidem viuentia omnia, quæ solam mente percipiuntur, in seipso complectitur, quemadmodum Mundus hic nos, & cætera, quæ cernuntur, animalia continet.* Ex quibus patet, posuisse Ideas in mente Dei tanquam in opifice. Quod etiam declarat id, quòd subdit dum docet; Ideas, à cœteris formis distare sicuti sciẽtiã ab opinione, & Ideas sola ratione, nempè mente concipi. Et etiam infra subdit. *Cum vero & Mundus omnium genitorum pulcherrimus sit, & eius auctor causarum omnium optimus, dubium non est, quin sempiternum sit secutus exemplum.* Atque hanc fuisse germanam mentem Platonis, euidenter patebit vnicuique, qui ipsius doctrinam rectè perpenderit, neque vllo modo esse lapsum in illum errorem, vt posuerit has Ideas, tanquam substantias separatas, sicuti illas impugnat Arist. tanquã introductas à Platone, neque enim puto Arist. tam synceræ mentis fuisse, vt suæ doctrinæ exagerandę causa noluerit opinionẽ Platonis referre aliter, ac ab ipso tradita fuit; præsertim cum eius scopus fuerit conuellere quamplurima potuit dogmata Platonis, & etiam impugnauerit, quę tradita sunt ab aliis Philosophis, ea accipiens in sensu proprio, quæ ab ipsis metaphoricè dicta sunt, & magis symbolicè, quàm secundùm veros terminos Philosophicos, sicuti etiam in pluribus, etiam circa Ideas locutus est Plato. Et cũ idẽ Plato docuit propter illas Ideas dari scientiam, non locutus est de nostra scientia, sed de cognitione, quam habet Deus, vnde in hoc magis accessit ad doctrinam Theologicã, quàm ipsemet Aris.

Dari vniuersale inclusum in Indiuiduis.

SECTIO IIII.

I. NOnnulli ex veteribus negabãt vniuersalia omnino, vt Herac. Ephes. Cratillus, vt refert Aris. lib. 3. de cęlo t. 3. & 1. Metaph. t. 5. & lib 4. c 22. Quia omnia, quæ sunt in muudo, singularia sunt, & omnia, quæ fiunt, singularia sunt, cum fiant per actiones causarum secundarum. Quod fundamentum, cum veritatem contineat, non est verisimile, hos eximios Philosophos in hoc sensu, vniuersale non admisisse, in quo communiter ab omnibus conceditur; neque enim probabile est, quòd non cognouerint plura indiuidua in vna natura conuenire, cum hoc notum sit vix prima rudimẽta Philosophiæ initiatis, sed in alio sensu accepisse vniuersale, & fortasse intellexisse de vniuersali separato ab indiuiduis, vt ex ipsorum fundamento videtur colligi. Nihilominus hos Arist impugnat locis cit. & lib. 1. Periherm. c. 5. & 1. Post. t. 36. & cum eo conueniunt omnes Philosophi præsertim Fonseca 5. Metaph. cap. 28. quęst. 2. Suarez in Metaph. disp. 5. sect. 2. Serna in Logica disp. 5. sect. 4. quęst. 5. art. 1.

Opinio negans omnino vniuersale Heracl. Ephes. Cratil.

Arist. Fonseca Suarez. Serna.

II. Ratio autem qua cõmuniter vtũtur ad probandum, dari hoc vniuersale immersum in indiuiduis, præsertim Aris. 1. post t. 3. 11. & 33. & D. Th. opus c. 55. est, quia datur vera scientia de ipsis rebus, quòd si non daretur aliquod vniuersale, tollerentur oẽs scientię, neq. enim scientia potest esse de singularibus. Quo fundamento stante, hæc ratio efficacissimè conuincit, dari vniuersalia; quod autem spectat ad hoc fundamentum, non est huius loci illud examinare, quia instituenda esset quęstio,

Concl. Datur vniuersale im mersum in indiuiduis. Arist. D. Th.

an de singularibus, quatenus talia sunt, possit esse scientia. Interim tamen sufficit ad efficaciam rationis, quòd de facto scientia sit de aliquibus rebus, & non quatenus singulares sunt, sed quatenus vt indiuidua habent aliquam conuenientiam in vna natura, vt contingit de Rebus Physicis, si igitur datur scientia de aliquibus, & non quatenus singularia sunt, iam de ijs dabitur quatenus participant aliquam rationem vniuersalitatis.

Datur scientia de rebus vt singularibus.

III. Atque ex his potest elici etiam confirmatio eiusdem opinionis, nam plura indiuidua habent aliquam conuenientiam inter se, ex vi cuius participant eandem naturam, & eadem prædicata quidditatiua, hoc autem conuincit quandam vniuersalitatem in ipsis indiuiduis, si enim natura illa, quę in ipsis reperitur, & ponit conuenientiam essentialem, non haberet aliquam vniuersalitatem, non posset in ipsis multiplicari, statim enim ac multiplicatur, colligitur ratio essentialis: quia est vna secundùm essentiam multis communis. Vnitas autem respiciens aliquam multitudinem importat vniuersalitatem, vt diximus explicando rationem vniuersalis. Atque hoc etiam deduci potest ex rerum vniuocatione, cum enim vniuoca sint illa, quorum nomen commune est, & secundùm illud nomen ratio substantiæ est eadem, supposito, quòd detur vniuocatio, necessariò concedendum est etiam vniuersale in essendo, tunc enim eadem ratio substantiæ est in pluribus, atq; consequenter existit tanquã aliquid vniuersale. Quòd autem detur vniuocatio, ne dum ostendi potest ex conuenientia in eadem specie, & natura, sed etiam quia datur productio vniuoca, quę tendit ad effectum vniuocum, seu eiusdem rationis cum causa, vnde etiam effectus, & causa habent eandem rationem substantiæ, & idem nomen.

Datur conuenientia essentialis inter indiuidua.

IV. Atque hinc etiam concluditur, quòd vniuersale non est sola vox, quæ conueniat pluribus, sed est aliquid reale dispersum in indiuiduis non enim quando dicitur; *Petrus est homo, Paulus est homo*, sensus est, quòd Petrus, & Paulus participent hanc solam vocem hominis, sed quòd habeant eamdem naturam substantialem, ita vt tam Petrus, quàm Paulus intrinsecè inuoluant eandem quidditatem realem, & eadem prædicata, quæ fundentur in esse reali, & essentiali ipsorum, vnde non solùm adest vox, sed etiam significatum per vocem, quod dicit esse conueniens essentialiter cum altero. Quod etiam confirmatur. Nã quando producitur aliquod indiuiduum intra aliquam speciem, non producitur aliqua vox, sed producitur tale esse reale; rursus, quando producitur aliud indiuiduum intra eandem speciem, non producitur vox eiusdem rationis, sed producitur esse eiusdem rationis cum precedenti indiuiduo, quod prius fuerat productum: participans similem naturam, igitur vniuersale non dicit solam vocem, quæ conueniat in diuiduis, sed aliquid reale positiuum in ipsis.

Vniuersale non est tantũ vox.

V. Quod etiam rursus declarari potest, nam indiuidua secundùm quod participant rationes, quibus adinuicem assimilantur, & conueniunt in eadem essentia, seù prout dicunt eadem prędicata quidditatiua, constituunt aliquas rationes obiectiuas, quæ considerantur à scientijs, & quibus specificant potentias cognoscitiuas, aut operatiuas: sic ratio corporis naturalis constituit rationem obiectiuam obiecti Physici, ratio coloris specificat potentiam visiuam, cum igitur hæ rationes sint vniuersales, quia conueniunt pluribus, erit vniuersale aliquid reale, & non sola vox, siquidem rationes obiectiuę, quę correspõdent scientijs, & potẽtijs, debent esse reales positiuæ, non enim versantur circa voces, sed circa res. Et vrgeri adhuc potest hęc ratio. Rationes istæ obiectiuę, seu prædicata ista, in quibus conueniunt indiuidua, sunt aliquid intelligibile ex parte ipsorum indiuiduorum, & faciunt, quòd per se ipsa indiuidua innotescant intellectui, ergo participant rationem intelligibilitatis, atque adeò sunt entia, si ergo sunt entia, & se tenent ex parte indiuiduorum, iam sunt aliquid positiuum, quod est in ipsis indiuiduis. Sed hæc magis clara sunt, quàm indigeant probatione. Et cum Nominales negãt vniuersalia esse res, sed esse tantùm conceptus, in alio sensu loquuntur, vt infra videbimus.

Dantur rationes vniuersales, quæ conueniant pluribus

De Essentia vnitatis vniuersalis. Disputatio. XII.

Explicatur definitio vniuersalis.

SECTIO I.

I. Conclusum est disputatione precedenti, dari quamdam rationem vniuersalem, quæ reperiatur in indiuiduis, nunc videndum est, in quo formalis ratio vniuersalis consistat. Definitio Vniuersalis. Arist. Dupliciter autem Arist. vniuersale definiuit, & primò quidem 7. Metaph. tex. 45. ita explicauit. *Hoc enim dicitur vniuersale, quòd pluribus natura aptum est inesse*. Alteram autem definitionem tradidit 1. Periherm. c. 5. vbi inquit. *Dico autem vniuersale, quod in pluribus prædicari natum est, vt homo quidem vniuersalium est*. Atque simul vtramque definitionem complexus est 1. Post. t. 25. *Esse quidem igitur vnum de multis verum dicere necesse est; non erit enim vniuersale, nisi hoc sit, oportet igitur aliquid vnum, idemque in pluribus esse*. Differt autem vna definitio ab alia, quòd vna explicat vniuersale secundùm esse, altera verò explicat secundùm prædicari. Ex quibus colligitur, duas illas conditiones, quas disp. præcedenti sect. 1. diximus, requiri ad vniuersale, se habere tanquam rationes constitutiuas illius; nempè, quòd sit vnum, & quòd respiciat multa, seu ordinetur, vt sit in multis, vnde communiter solet dici, quòd *Vniuersale sit vnum in multis*.

II. Ex quibus colligitur, id, quod primò requiritur ad constitutionem vniuersalis, esse, quòd ratio sit vna nonquacumque vnitate, nempe proportionis, sed vniuocationis. Vniuersale est vnum vnitate vniuocationis. Ratio autem est, quia debet secundùm suam essentiam esse vnum, atque idem, cum non possit esse diuersum à seipso; cum igitur de ratione vniuersalis sit, quòd possit esse in multis, nisi diceret rationem vniuocam, ita vt secundùm eamdem rationem formalem in pluribus reperiretur, non esset in multis, sed vna ratio esset in vno, & alia in alio; cum igitur debeat eadem ratio esse in multis, & neq; æquiuoca, neque analoga habeant essentialem rationem communem, vt suo loco dicemus, sequitur, quòd non possit esse vnum, nisi vniuocè. Quod etiam docuit Arist. 1. Post. c. 8. & 20. vbi vocat vniuersale *Vnam rationem*, sicut in Anteprædicamentis dixerat, quòd *Vniuoca sunt illa, quorum nomen est commune, & secundum illud nomen ratio substantiæ est eadem*. Arist.

III. Rursus debet vniuersale ita esse vnum, vt tamen retineat communitatem, quia debet ordinari ad plura, in quibus possit esse, vnde excluditur vnitas indiuidualis, quia hæc est ex sua natura determinata ad vnum, & non potest aliquo pacto respicere plura, quod declarauit etiam Arist. 3. Met. t. 14. dum ait. *Ita enim singulare dicimus, quod vnum numero est, vniuersale verò, quod in his*. Vniuersale debet esse vnum cū communitate. Arist. Quòd si huius rei ratio inquiratur, dicendum est, ideo ad constituendum vniuersale requiri communitatem, per quam auferatur vnitas numeralis, quia vnitas numerica, quantùm est de se, coarctat ad singularitatem; vniuersale autem, & singulare opponuntur, quia vniuersale ex natura sua tollit singularitatem, quę ex vi sui conceptus excludit. Ex quo rursus inferendum est, quòd non sufficit ad vniuersale, quòd respiciat plura quomodocumque, cum debeant esse plura, quatenus participant rationem vniuersalitatis, quod valdè notandum est. Vniuersale debet respicere plura, quatenus participant rationē vniuersalitatis. Et huius rei ratio reddi potest, quia vniuersalitas ex sua formali ratione importat pluralitatem, ita vt ex se formaliter tollat singularitatem, ratione communitatis, qua communis sit pluribus; si autem illa plura non essent plura, quatenus participant rationem vniuersalitatis, sed aliunde haberent pluralitatem, ex vi ipsius vniuersalis non tolleretur singularitas, vnde vniuersale, & singulare ex se formaliter non opponerentur. Hoc autem ordinari ad plura potest contingere dupliciter, vel secundùm exercitium, vel secundùm aptitudinē, præciso

tamen exercitio, nam etiam quando est exercitium, quo natura communis reperitur in pluribus, adhuc adest etiam aptitudo. Quomodo autem vniuersale requirat, posse esse in pluribus, an secundùm exercitium, an verò secundùm aptitudinem, pendet ex ijs, quæ dicturi sumus.

Vniuersale potest prædicari de pluribus.

IV. Ex hoc autem, quòd vniuersali conuenit, posse esse in pluribus, sequitur etiam, quòd de pluribus possit prædicari tanquam passio ipsius vniuersalis, radicata in eo, quòd sit in multis. Quòd autem sit passio euidenter conuincitur; nam prius concipimus aliquid esse in alio; deinde de ipso prædicari: prædicari enim dicit propositionem enunciatiuam, qua aliquid de aliquo enunciatur; propositiones autem fundantur in eo, quòd res ita sit, vel non sit, vt docet Arist. libro 1. Periherm. quare hoc, quòd vniuersale de multis prædicatur, debet fundari in eo, quòd sit in multis; si igitur fundatur in eo, quòd sit in multis, iam consequitur vniuersale, quatenus dicit esse in multis. Quod etiam confirmatur, quia enunciatio non est aliquod intrinsecum obiecto, sed dicit opus intellectus, seu iudicium, quo iudicat rem ita esse, & hoc iudicium fundatur in ipsa re, eò quòd talis sit, sicuti iudicat: vnde si loquimur de prædicatione formali, certum est, hanc esse extrinsecam vniuersali, prout est extra intellectum, cum non se teneat ex parte illius; si verò loquimur de prædicatione fundamentali, hæc etiam se habet vt passio, quia dicit aptitudinem, quam habet ad intellectum, nempè ipsam veritatem, quæ sit obiectum enunciationis, sicut autem vnitas vt sic, est passio entis, vt sic; ita talis vnitas, nempè prædicabilitas de pluribus erit passio talis entis, nempè vniuersalis. Ex quo colligitur discrimen inter vtramq; definitionem, nam cum definitur vniuersale per *Esse in multis*, est essentialis definitio, quia traditur per intrinseca, & constitutiua: quando verò definitur per *Prædicari de pluribus*, est definitio descriptiua, quia traditur per passionem. Hinc Albert. tract. 2. Prædicab. cap. 1. ait, Primam definitionem tradi per causam, secundam per effectum, nomine effectus intelligens passionem.

Prædicabilitas est passio vniuersalis.

In quo fundetur veritas enunciationis Arist.

Discrimen inter vtrãque definitionẽ vniuersalis Albert.

V. Verùm adhuc aduertendum est, quòd quando dicitur, vniuersale est id, quod aptum est prædicari de pluribus, intelligi debet de prædicatione directa, non verò de indirecta, nempè quòd sit superioris de inferiori, & ratio est manifesta, quia vniuersale dicit communitatem respectu illorum plurium, quibus aptum est inesse; cum igitur, quod est commune respectu aliquorum, sit etiam superius respiciens vnumquodq; illorum, sequitur etiam, quòd vniuersale se habeat, vt quid superius ad illa, de quibus prædicatur. Ex quo etiam confirmatur, quod supra diximus, nempè quòd vniuersale, dum est in multis, debeat importare multitudinem in illis, quatenus participant vniuersalitatem, quia si est vt quid superius in inferioribus, debet ex se habere talem aptitudinem, vt possit esse in illis facta multiplicabilitate, quia si posset esse in illis sine hac multiplicabilitate, non haberet illam latitudinem, qua posset excedere esse indiuiduale, ad quod contrahitur, quod est necessarium, vt ratio illa sit superior, si enim non excederet natura humana Petreitatem, quomodo esset ad illam superior? in hoc enim consistit excessus, quòd ratio indiuidualis, non est multiplicabilis, ratio verò superior est multiplicabilis per superadditas indiuiduationes.

Qua prædicatione debeat vniuersale prædicari.

VI. Atque ex his, quę diximus. Colligitur primo, rationem vniuersalis non posse saluari in ratione indiuiduali, qua aliquod indiuiduum contrahitur ad tale esse indiuiduale, quia licet fortasse, si consideretur ratio indiuiduationis vt sic, prout potest multiplicari in pluribus, vniuersale quoddam sit, nihilominus tunc non consideratur ratio indiuidualis, prout in exercitio contrahit, & determinat, de qua nos modò loquimur, sed consideratur secundùm suam rationem formalem, prout acquirit aliquam formalitatem, vnde dicit etiam ipsa aliquam rationem essentiæ. Constat igitur, quòd solùm secundùm rationes essentiales potest contingere vniuersalitas, siue essentiæ genericę sint, siue specificę, siue quocumque alio modo se habeant, dummodo habeant vniuersalitatem quandam, qua possint esse in pluribus, statim autẽ ac habent hanc vniuersalitatẽ, formaliter consideratæ non possunt habere amplius exercitiũ indiuiduationis.

Vniuersalitas cõtingit solum secundum rationes essentiales, non vero indiuiduales

VII. Col-

Natura diuina non est vniuersalis.

VII. Colligitur secundò, naturam Diuinam, licèt sit in tribus personis, non esse tamen vniuersalem, quia ipsis non communicatur cum multiplicitate, sed eadem numero est in omnibus, vnde cum retineat suam singularitatem, implicat, quòd habeat aliquam vniuersalitatem in essendo. Eodem etiam modo dicendum est, si eadem forma numero siuè substantialis, siuè accidentalis poneretur à Deo per replicationem in pluribus subiectis, non constitueret aliquam vniuersalitatem, quia retineret suam indiuiduationem, quæ præcipuè requiritur, vt seruetur ratio replicationis, nec acquireret aliquam communitatem, quæ non potest esse in pluribus sine multiplicitate. Accedit etiam, quòd forma non respicit subiectum, siuè accidentalis, siuè substantialis tanquam superius inferius, & magis commune minus commune; nam vel consideratur secundùm indiuiduum, & sic non latius patet, quàm subiectum consideratum secundùm indiuiduum; vel consideratur secundùm speciem, & sic non latius patet, quàm subiectum secundùm speciē; vnde ex natura sua non potest habere habitudinem aliquam vniuersalitatis, sed neque potest acquirere, quando replicatur in pluribus subiectis, quia hęc replicatio accidentalis est, nec ponit aliquam habitudinem, quam ex natura sua uon habeat forma. Ex quo constat, quàm leui fundamento motus sit Recentior quidam, dum asserit, posse per Dei potentiam vniuersale dari à parte rei ex eo, quòd potest Deus replicare eandem formam in subiectis diuersis, quia esset perfectè vna, & esset in pluribus, non intelligēs, quòd vniuersale excludit omnino vnitatem singularitatis, cum illi opponatur.

Neq forma eadē numero posita in pluribus subiectis.

Vniuersale debere posse multiplicari in pluribus contra Caietanum.

SECTIO II.

I. CVm in allata definitione constet ad constituendam essentiam vniuersalis requiri, quòd possit esse in multis, seu quòd habeat aptitudinem, vt sit in multis, difficultas hinc oritur, quænam debeat esse huiusmodi aptitudo, seu quomodo debeat ipsi conuenire, an requiratur, quòd ratio illa siuè natura sit realiter multiplicabilis in pluribus indiuiduis; an etiam sufficiat, quòd natura, prout obijcitur intellectui nostro, non habeat repugnantiam, vt sit in multis, & ad hoc sufficiat, quòd non obijciatur vt indiuidua, seu vt hæc numero. Caiet. cap. de specie in Logica, & De ente, & essentia cap. 4. quæst. 7. & prim. par. quæst. 13. artic. 9. §. ***Aduerte hic latitudinem***; ait, quòd ad constituendum vniuersale sufficit, quòd natura obijciatur intellectui non particularizata, quia tunc habet non repugnantiam ad essendum in multis, nec est necesse, quòd possit physica multiplicatione multiplicari, vnde concludit, quòd non est necesse, quòd communicabilitas, per quam constituitur vniuersale, habeat fundamentum ex parte obiecti, sed sufficit, quòd habeat ex parte nostri, quatenus intellectus denudando naturam ab indiuiduatione, illam concipit cum quadam communicabilitate, vnde infert, quod natura cuiuscunque Angeli licet non possit à parte rei multiplicari indiuidualiter, est tamen vniuersalis, si cōcipiatur sine indiuiduatione, vt natura Gabrielis, aut alterius Angeli. Tribuitur hæc opinio ab Auers. in Logica quæst. 8. sect. 4. etiam Ferrar. 2. contra Gent. capit. 73. §. ***Ad secundam***, sed ibi Ferrariensis solùm docet, quòd narura potest considerari ab intellectu absque eo, quòd consideret eius indiuiduationem, non tamen dicit, quòd non sit necessaria multiplicabilitas secundùm esse physicum ad constituendum vniuersale, tribuit etiam Iauel., sed hoc apud illum non reperi.

Opinio aict. Ad constituendum vniuersale sufficere, si natura obijciatur intellectui nō particularizata.

Ferrar.

II. Quicquid tamen sit, hæc sententia valdè improbabilis est, & contra communem sensum Philosophorum, vnde statuimus. De ratione vniuersalis esse, ex eo quòd respicit multa, quòd possit etiam in multis multiplicari, atque id probari potest. Vniuersale debet posse prædicari de pluribus, vt etiam docet Aristot. in definitione, quam tradidit 1. Perihermenias ca. 5. ex eo videlicet, quòd debet respicere multa, cum autem sit vniuersale in essendo, debet in essendo respicere multa, ergo debet posse esse in multis, quia quod de aliquo prædicatur, debet esse in illo, nam prædicatio supponit existentiam prædicati in subiecto, sed non posset esse in

Conc: vniuersale debet esse in multis multiplicabile.

Prædicari de aliquo supponit esse in illo.

mul-

multis, nisi etiam in multis possit multiplicari, ergo de ratione vniuersalis est, quòd possit in multis multiplicari. Quòd autem, nisi multiplicetur in multis, non possit esse in multis, probatur, nam duplici modo aliquid potest esse in multis, vel seruando singularitatem, vt contingit in essentia Diuina, quæ vna numero est in tribus personis, vel cum multiplicatione, & diuisione; primo modo non potest vniuersale esse in multis, tum quia hoc competit tantùm essentiæ Diuinæ, tum quia debet vniuersale à seipso excludere singularitatem, ergo non alio modo potest esse in pluribus, nisi per multiplicationem.

2. ratio III. Secunda ratio. Non potest saluari ratio vniuersalis, nisi in ipso intelligatur ordo ad plura: ergo neque potest saluari vniuersale, nisi possit in pluribus multiplicari. Antecedens certum est, tum ex ipsa notione vniuersalis, tum ex ipsa definitione, quam tradidit Arist. 7. metaphys. textu 45. vbi definiuit, *Vniuersale esse, quod potest pluribus inesse*, & ratio facilè reddi potest; si enim præscindatur ordo ad plura, tunc remanebit tantùm vnitas, vnde vniuersale erit vnum in se, & indiuisum, & etiam diuisum à quocũque alio, quod non est ipsum, quod est esse vnum numero, seu aliquid singulare; quare præciso ordine ad plura, tollitur omnis vniuersalitas. Consequentia etiam probatur. vniuersale respiciens plura se habet, vt quid commune ipsis, & contrahibile ad illa plura, & habet rationem superioris ad inferiora, quando autem aliquid est contrahibile ad plura, potest in illis multiplicari, nec alio pacto potest contrahi, nisi per multiplicationem, sic genus non potest contrahi ad species, nisi in ipsis multiplicetur; species non potest contrahi ad indiuidua, nisi in indiuiduis multiplicetur. Cum igitur de ratione vniuersalis sit, quòd dicat ordinem ad plura, vt possit contrahi per illa, sequitur etiam, quòd requirat, posse in illis multiplicari. Et confirmatur tota hæc ratio, Vel vniuersale potest in pluribus multiplicari, vel non? si potest in pluribus multiplicari, ergo de ratione ipsius est multiplicatio: si non potest in pluribus multiplicari, ergo non habet communicabilitatem, sed singularitatem, quoniam communicabilitas, quæ conuenit vniuersali, dicit, quòd ratio vniuersalis possit pluribus communicari, hæc autem communicatio non potest fieri sine multiplicatione.

Vniuersale non saluatur absq. ordine ad plura Arist.

IV. Tertiò argumentor. Quando concipitur aliqua natura præcisa ipsius indiuiduatione, vel illi repugnat multiplicari in multis indiuiduis, vel non repugnat; vnum enim ex his debet necessariò conuenire, cum sint contradictoria. Si repugnat, ergo ex se non habet communicabilitatem, & consequenter illi repugnat etiam vniuersalitas, quæ sine communicabilitate non potest esse, vnde si in natura sic intellecta concipitur aliqua communicabilitas, est verè aliquid fictum ab intellectu, & ens rationis, non verò realis: vnde nec erit verum vniuersale cum fundamento in obiecto. sed vniuersale imaginarium. Si verò illi non repugnat, iam vniuersali per se conuenit communicabilitas physica: per hanc enim solùm potest poni in pluribus indiuiduis. Confirmatur. Vel illa communicabilitas, quam, dicit Caietanus, habere naturam sic conceptam sine indiuiduatione, est realis, vel ficta; si est realis, ergò potest reduci ad actum, & poni à parte rei in pluribus indiuiduis, si verò est ficta, ergo reuera illa natura sic concepta, cum non habeat communicabilitatem, non potest esse vniuersalis. Et rursus instari potest. Natura, quæ de se est determinabilis ad vnum tantùm indiuiduum, non potest esse vniuersalis, nam non latius patet, quàm indiuiduum, vniuersale autem debet latius patere; ergo non potest esse determinata ex se, vt sit tantùm in vno indiuiduo. quocirca illa natura sic concepta absque propria indiuiduatione, vel est determinata, vt sit tantùm cum propria indiuiduatione, & tunc non poterit esse vniuersalis, quia non latius patebit, quam indiuiduum, si autem non ponitur determinata, ergo illi non repugnat esse in pluribus indiuiduis, & consequenter poterit in pluribus multiplicari. Atque hæc sententia adeò certa, & euidens est, vt mirer, quomodo potuerit Caietanus in oppositam partem abire.

3. ratio

Vniuersale requirit reale cõmunicabilitatem.

Com-

Communicabilitatem saluare vniuersale quocunque modo fieri possit.

SECTIO III.

I. Diximus de ratione vniuersalis esse, quòd possit in multis multiplicari, nunc discutiendum remanet, per quamnam potentiam requiratur, quòd possit fieri hæc multiplicatio; loquimur enim de multiplicatione physica; qua diximus à parte rei posse multiplicari: difficultas enim in eo sita est, an videlicet sufficiat, quòd possit multiplicari per Dei potentiam: an verò requiratur, quòd possit esse in multis per virtutem naturalem: supponimus enim, quòd ex eo, quòd naturæ ex se præcisè consideratæ non repugnet esse in multis, sed ad ipsa referatur, possit reduci ad actum hæc potentia physico modo. Omisso autem illo, quòd nonnulli de natura genericè sumpta asserunt, videlicet requiri ad saluandam illam communitatem genericam, quod actu sit in multis speciebus. Quidam putant, quòd multiplicatio debeat esse possibilis per potentiam naturalem, hos autem citauimus suo loco, cum egimus de natura generica, vbi vidimus, quòd ad genus sufficit possibilitas logica specierum, quæ possit reduci in actum per solam Dei potentiam, & supra ordinem naturæ. Econtra verò communior sententia docet, sufficere multiplicabilitatem quocunque modo sit possibilis, huius autem sententiæ auctores loco prædicto citauimus, vbi hoc ipsum de natura generica discusimus.

Opposita opiniones de communicabilitate vniuersalis.

II. Interim de vniuersali in communi agentes aduertimus. Vt natura sit vniuersalis, non sufficere, quòd habeat meram non repugnantiam negatiuam, vt sit in multis, sed debere esse positiuam, vt postea infra ostendemus, quando de aptitudine naturę secundùm se præcisè consideratæ agemus. nam ab intrinseco debet habere, quòd illi non repugnet: si enim consideretur secundùm suum esse positiuum, vt tale, debet illi repugnare, vel non repugnare: si igitur ex vi sui esse positiui non repugnat, debet habere etiam intrinsecum fundamentum huius non repugnantiæ, hoc autem nō potest esse aliud, nisi intrinseca habitudo, vt sit in multis, & propterea definitur vniuersale ab Arist. Id, quod aptū est esse in multis; quod rursus etiā, sumendo ipsam non repugnantiam potest declarari; nam vel habet intrinsecam aptitudinem positiuam, vel non? cum enim hæc sint contradictoria, alterum de ipsa debet verificari. Non autem potest dici, quòd non habeat aptitudinem, quia tunc, cum sit aliquid positiuum, neque haberet fundamentum non repugnantiæ, sed potius repugnantiæ. Deinde si secundùm esse positiuum potest multiplicari, cur secundùm esse positiuum non dicit aptitudinem ad communicationem? aut quomodo sine aptitudine poterit communicari? Vnde valdè est aduertendum, quòd non repugnantia, licet importet aliquid negatiuum secundùm significationem, tamen secundùm significatum importat aliquid positiuum; sed de hoc infra vberius agemus.

Natura vt sit vniuersalis debet posse positiue multiplicari per positiuā potentiam,

III. Dicendum igitur est; ad vniuersale sufficere, quòd per quamcumque potentiam sit in pluribus multiplicabile, siue naturalis sit, siue supra naturam, nempe Diuina. Hoc autem euidenter prob. Quòd vniuersale sit in pluribus multiplicabile per hanc, vel illam potentiam, non variat intrinsecam rationem formalem vniuersalis, ergo quocumque modo sit multiplicabile, semper erit vniuersale. Conseq. est euidens, nam posito constitutiuo formali: ponitur etiam constitutum, vnde solùm confirmandum est antecedens. Intrinseca, & formalis ratio constitutiua vniuersalis est, quòd sit quædam vnica ratio, quæ plura respiciat, & ordinetur ad essendum in illis, hoc autem saluatur in natura quocumque modo multiplicabilis sit, nàm si semel per aliquam potentiam est communicabilis, adhuc est vna natura respiciens plura, ad quæ ordinatur: & consequenter per quamcumque potentiam sit communicabilis, saluatur ratio formalis vniuersalis.

Concl. vniuersale sufficit multiplicabilitas per quācumq potentiam.

Intrinseca ratio constitutiua vniuersalis

Confirmatur. Si illa natura non esset ab intrinseco multiplicabilis in pluribus, per nullam potentiam posset multiplicari, quia etiam Deus, quando aliquid operatur, supponit possibilitatem in eo, quod operatur, vnde si non esset possibile, quòd illa natura esset in pluribus, nec posset ponere in pluribus, sicuti non

po-

potest ponere in esse, quòd non habet intrinsecam possibilitatem: imò ex eo, quòd possit ponere in esse, colligimus: quòd sit intrinsecè possibile: sic igitur, si potest Deus aliquam naturam, aut rationem multiplicare in pluribus, debet colligi, quòd sit ab intrinseco suo multiplicabilis, ergo cum quæcumque natura, quę quocunque modo potest poni in pluribus, debeat habere intrinsecam possibilitatem, quã possit poni, dicendum est, quòd seruet ab intrinseco rationem formalem vniuersalis, quia videlicet sit vna ordinata, vt sit multiplicata in multis.

2. ratio. IV. Secundò probatur eadem sententia. Eodem modo se habet natura; si multiplicetur in pluribus per vnam potentiã, ac si multiplicetur per aliam, quò ad communitatem, & vniuersalitatem, ergo per quàmcunque potentiam sit multiplicabilis, sufficiet, vt constituat vniuersale. Dixi in antecedenti quò ad vniuersalitatem, & communitatem, quia ex eo, quòd vna natura sit multiplicabilis per vnam potentiam, & non per aliam, sequitur, quòd sit diuersę essentię, in tali autem sensu acceptum probatur antecedens. nam quocumque modo multiplicetur, ponitur eadẽ natura in pluribus, ita vt secundùm eandem essentiam sit in vno, secundùm quam est in alio, & eadem prędicata quidditatiua conueniant cuicumque. Quare si Deus Solem multiplicaret, in quocumque Sole esset tota adequata natura Solis, & essent plures numero Soles, non secus, ac est natura humana in singulis hominibus, & codem modo essent plures numero soles, ac sunt plures numero homines; ergo quocumque modo fiat multiplicatio, natura eodem modo se habet, quò ad vniuersalitatem. Consequentia principalis prob. quia eodem modo se habente natura quò ad vniuersalitatem, & communitatem, debet seruare etiam eandẽ rationẽ vniuersalis, quis enim dicat, quòd si natura Solis poneretur in pluribus indiuiduis, non esset vniuersalis? Si igitur quocumque modo sit multiplicabilis natura, habetur idem effectus vniuersalitatis, etiam erit eodem modo vniuersalis. Confirm. Ponantur plura indiuidua, quæ solùm possint multiplicari supra ordinem naturę. Si quis nesciret, hanc multiplicationem esse supra ordinem naturæ, statim vidẽs multitudinem indiuiduorum æquali modo, cognosceret, & putaret, esse vniuersalem naturam, quæ est in illis indiuiduis, ac sit natura quęlibet, quę iuxta ordinem naturæ multiplicetur, nec vllam differentiam in ratione vniuersalitatis perciperet, ergo per quamcumque potentiam sit natura communicabilis eodem modo semper erit vniuersalis.

Eodem modo se habet cõmunicabilitas possibilis per vnam potentiã ac per aliam.

V. Rursus hoc declarari potest ex proportione, quam debet seruare vnusquisque effectus ad suam causam, tam enim in effectu, qui respicit causam intra ordinem naturæ, est ordo ad causam, quàm in effectu, qui respicit causam extra ordinem naturæ, quo posito consicitur ratio. Causa naturalis supponit in natura multiplicabili per ipsam intrinsecam aptitudinem ad posse multiplicari, per quam referatur ad talem causam, ergo etiam natura multiplicabilis per solam Dei potentiam, aut quocumque alio modo, habebit intrinsecam aptitudinem ad posse multiplicari, qua respiciat suam causam, per quam est multiplicabilis, vnusquisque enim effectus, seruata proportione, eodem modo se habet ad suam causam: & sicuti ex vi effectus vt sic requiritur possibilitas vt sic, quæ sit ipsi intrinseca, ita talis effectus requirit talem intrinsecam possibilitatem, vnde multiplicabilitas effectus dicit in natura intrinsecam possibilitatem, & aptitudinem ad posse multiplicari, quòd si ab intrinseco sic habet aptitudinem ad essendum in multis, non potest ipsi denegari ratio vniuersalitatis. Nec obstat, quòd hoc non possit cognosci naturaliter, nec quòd non pertineat ad philosophum inquirere, quid Deus de absoluta potentia possit facere, quia etiam dato, quòd hoc esset verum, quod tamen falsum est, nam ex vi naturalis luminis potest sciri, quod Deus possit plura facere, quam facit, tamen supposito, quod cognoscat, posse aliquam naturam solùm extra ordinẽ naturæ multiplicari, potest, stando intra suos limites, cognoscere, quòd illa natura erit verè vniuersalis, & eodem modo, ac quælibet alia, & consequenter quòd sufficiat quęcumque communicabilitas, per quamcumque potentiam fiat.

3. ratio.

Eadem habitudo, proportionaliter effectus cuiuscumq; ad causa.

Cuinam competat ratio Vniuersalis. Disp. XIII.

Varij modi dicendi.

SECTIO I.

I. Declarata essentia vniuersalis, quòd videlicet consistat in vnitate alicuius naturæ, quę ordinetur ad essendum in multis per verā multiplicationem: nunc difficultas insurgit, in quibusnam generibus entiū saluetur ratio vniuersalis. Entia autem multipliciter possunt considerari. primò quidem secū dum esse completum substantiale in cōcreto sumptum, prout dicūt aliquam naturā completam in concreto, & directè ponuntur in prædicamento, vt videlicet est natura humana. Secundo modo possunt considerari eadem entia completa substantialia, sed in abstracto, prout dicūt esse formale ipsius naturę, quod non nulli vocāt formam totius, vt est humanitas respectu naturæ humanæ. Tertiò possunt considerari entia concreta accidentalia, prout coalescūt ex subiecto, & forma accidentali, vt est calidum, album, & alia huiusmodi. quartò possunt considerari eadem entia in abstracto, prout dicunt ipsas formas accidētales, vt albedinē, caliditatē. Quintò possūt cō siderari entia substantialia incompleta, quæ indirectè tantùm ponūtur in prædicamento, vt sunt materia, & forma, imò hęc acceptio se extendit etiam ad entia metaphysica, nempè differentias, quæ indirectè tantùm collocantur in prædicamentis. Denique possunt accipi entia, prout dicunt ipsa transcendentia, nempè rationem entis, & ratione vnius, &c. Et de his omnibus procedit difficultas, an participent rationem vniuersalis. Et quidem si loquamur de entibus completis substantialibus in concreto sumptis, nullum dubium est, quin participent rationem vniuersalis, quia si hæc non participarent, neque etiam alia participarent, si quidem entia completa coalescunt ex incompletis.

Multiplex consideratio entium.

II. Ex his igitur diuersis acceptionibus entis, etiam varij modi dicendi orti sunt. Et primus asserit, excludi debere à nomine vniuersalis omnia illa, quæ per se in prędicamento non ponuntur, vt transcendentia, Partes Physicas, nempè materiam, & formam, differentias, ipsa entia completa in abstracto sumpta, quia se habent, vt forma totius; & volunt vniuersale reperiri tantùm in ijs, quæ directè ponuntur in prædicamento. Ità sentiunt Albert. tractat. 2. prædicab. cap. 8. Caiet. in Log. cap. de Genere. Soncin. 7. metaphys. q. 39. Tolet. in Log. q. de specie ad 3. cui opinioni suffragari videtur etiam Aristotel. 1. Ethic. ca. 6. vbi docet, Vnum, & bonum non esse vniuersalia. Fundant autem hanc suam sententiam. Primò quia vniuersale dicit aliquod totum, transcendentia autē & quæ directè non ponuntur in prędicamentis, non dicunt aliquod totum. Secūdò quia omne vniuersale est in genere per se, atq; adeò dicit vnam naturā completam; transcendentia autem, & quę directè non ponuntur in prędicamento, nō sunt in genere per se, sed tantùm reductiuè, natura enim partialis est tantùm in genere ratione totius. Præterea Confirm. præcipuè hanc suam opinionem, quò ad materiam. Primò. Si materia esset vniuersale, deberet esse vniuersale substantiale, non potest autem esse, quia vniuersale substantiale dat esse, nomen, & rationem ei, in quo est, materia autem non dat esse nomen, aut rationem ei, in quo est, nullū enim compositum est tale ratione materiæ. Secundò. Vniuersale se habet per modum formæ respectu illius, de quo dicitur, repugnat autem, quòd materia se habeat per modum formæ respectu alicuius, cum sit pura potentia. Tertiò. Vniuersale ita est communicabile multis, vt totum existat in singulis, materia autem non est communicabilis multis, ita vt ipsa sit in singulis; nam communicatur per diuisionem, & partialiter est in vno, partialiter in alio.

Primus modus dicendi, excludēs omnia, quæ non ponūtur in prædicamēto.

Albert. Caiet. Soncin. Tolet. Arist.

III. Secundus modus dicēdi excludit etiam à ratione vniuersalis cōcreta accidentiū, vnde consequēter sequitur, quòd id tantū sit vniuersale, quod dicit vnum per se. Desumitur hic modus dicē

2. modus dicendi.

di Caiet.de ente, & essentia c.7.in tertia parte capitis. §. *In hac tertia parte*, & eū sequutus est Villalpandus c. de Genere. Fundamentum esse potest, quia concretū accidentis non est vnum per se, & consequenter non potest poni directè in prædicamento, in quo tantùm ponuntur ea, quæ sunt vnum per se. Verùm hic modus dicendi non affert aliquid de nouo à præcedenti, sed est potius quoddam consectarium illius, ex eo enim, quòd tantùm ea, quæ directè in prædicamentis ponuntur, participent rationem vniuersalis, sequitur, quòd concreta accidentium non possint participare.

Esse tantùm vniuersale, quod in recto ponitur in categoria. Villal.

IV. Tertius modus dicendi asserit, quòd hæc omnia genera entium possunt participare rationem vniuersalis. Atque hic videtur esse sensus communis Philosophorum, dum ad vniuersale solùm requirunt, quòd sit vna ratio respiciens multa, quam sententiam præcipuè tradit Auersa in Logica disput. 8. sect. 4. ait enim, debere vniuersale accipi in tota sua latitudine, & oppositam sententiam esse veram tantùm de vniuersali prædicamentali.

3 modus Nullum genus entis excludens

Auersa.

Vera sententia.

SECTIO II.

I. IN hac re tertium modum dicendi amplectendum existimo, ita vt in quocumque genere ex numeratis entibus possit reperiri vniuersale secundùm suam rationem formalem. Quod tamen ita intelligi debet, vt, prout diuersa genera entium sunt, etiam diuersa vniuersalia constituant, seruata tamen semper ratione formali vniuersalis. Sic entia completa dicent rationem vniuersalis secundùm esse completum, incompleta verò secundùm esse incompletum, transcendentia dicent rationē vniuersalis transcendentis, & sic eodem modo vniuersale variabitur in reliquis secundùm esse materiale, hoc est secūdùm rationem, in qua reperitur, non verò secundùm rationem formalem vniuersalis. Atque quod spectat ad transcendentia, est aperta sententia Arist. 3. Metaph. textu 10, vbi docet, quòd ens, & vnum sunt maximè vniuersalia.

Ratio vniuersalis competit cuicunq. generi entium.

Arist.

II. Probatur autem nostra sententia. Si entia, quæ indirectè ponuntur in prędicamento, considerentur secundū propriam naturam, nempe materiam secundùm rationem essentialē materię, forma secundùm rationem essentialem formæ, non sunt aliquid singulare, siquidem sunt multiplicabilia secundùm numerum, ergo constituunt aliquod vniuersale, & consequenter saluari potest ratio vniuersalis etiā in ipsis. Cōseq. prob. quia singulare, & vniuersale immediatè opponuntur, & vnum solùm per aliud tollitur, si ergo non sunt aliquod singulare, erunt aliquod vniuersale. Confirm. præcipuè de rationibus transcendentibus: hę rationes reperiuntur in pluribus indiuiduis, mediante aliqua natura completa, & reperiuntur in ipsa natura completa, ergo si natura completa se habet, vt quid vniuersale respectu illorum, se habet etiam vt quid vniuersale ratio transcendens.

Quæ indirectè ponuntur in prædicamento, sunt multiplicabilia in pluribus.

III. Respondet Soncin.; huiusmodi naturas incompletas esse quidem aliquid commune, non tamen aliquod vniuersale, sicuti opponuntur quidem singulari, & possunt esse in pluribus singularibus, non tamen opponuntur indiuiduo, nec habent sub se plura indiuidua, vniuersale autem opponitur indiuiduo. Cœterum hæc responsio ludit in verbis. In primis enim distinguit inter vniuersale, & commune, non tamen ostendit, in quonam consistat differentia, quia si dicit, quòd vniuersale dicitur tantùm de naturis completis, hoc est voluntariè dictum, & petitio principij. Deinde etiàm ratio est in oppositum; nam commune respicit multa, non secus ac vniuersale, nec potest poni aliqua differentia, quia statim, ac intelligimus aliquod vniuersale, intelligimus etiam aliquod commune, & econtra quando intelligimus aliquod commune cum multiplicitate, intelligimus aliquod vniuersale. Confirmatur. Communitas ex intrinseca sua ratione formali tollit indiuiduationem, ergo formaliter per seipsam opponitur indiuiduationi, sed quod opponitur indiuiduo, vt tale est, participat rationē vniuersalis: ergo statim ac aliquod est commune, erit etiam vniuersale: antecedens patet. Quia indiuiduum, vt tale est, dicit aliquod incōmunicabile, & implicat, quòd sit in pluribus: quod verò cōmune est, dicit aliquid cōmunicabile, & potest esse in pluribus, atq; adeò opponitur indiuiduo secundū candē rationē.

Responsi. Soncin.

Reijcitur.

Vniuersale, & commune nō distinguntur.

Indiuiduum & singulare sunt idem.

Eodem modo etiam altera pars responsionis falsa est, quòd videlicet indiuiduum, & singulare non sint idem, si quidem quæcumque conueniunt indiuiduo, vt tale est, conueniunt etiam singulari, & per eandem rationem formalem, qua constituitur aliquid in esse indiuidui, constituitur etiam in esse singularis; indiuiduum enim est illud, quod est indiuisum in se, & diuisum à quocumq. alio, quod est incômunicabile, quod est terminus actionis singularis; hæc autem omnia competunt etiam singulari, nam etiam ipsum est terminus actionis indiuiduę, non est multiplicabile in pluribus, est indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio: si igitur indiuiduum, & singulare idem sunt, quod respicit plura singularia multiplicabile in ipsis, erit vniuersale. Confirmatur. Vniuersale opponitur indiuiduo solùm quatenus est vnum, & non est multiplicabile, & dicit rationem oppositam, sed hoc etiam competit singulari, vt tale est, ergo etiam, quod est quid commune oppositum singulari, est vniuersale.

2. ratio.

IV. Secundò argumentor, & est præcipua ratio fundamentalis. Formalitas vniuersalis in eo consistit, quod sit vnum, & ordinetur ad plura, & possit esse in illis per multiplicationem, & de ipsis prędicari, ergo etiã entia incôpleta, & transcendentia, & quæ indirectè ponuntur in prędicamento, possunt participare rationem vniuersalis. Côsequẽtia declaratur. In his generibus entium potest saluari ratio formalis vniuersalis, nã natura ipsorum considerata secundùm pura prędicata quidditatiua, dicit rationem vnius essentię, & reperitur in pluribus, & potest de illis prędicari, vt superius de inferiori, vnde nulla apparet ratio, cur non debeant participare rationem vniuersalis.

Quomodo ratio formalis vniuersalis saluetur in entibus incompletis.

Confirmatur. Si sumantur plures materiæ indiuiduæ, aut plures formę, aut plura entia, non minus conueniunt in ratione formę, materię, aut entis vt sic, quã conueniant plura indiuidua naturę humanę in natura humana, nec minus differunt indiuidualiter, quàm ipsa indiuidua naturę humanę; ergo si natura humana se habet vt quid vniuersale, etiam entia incompleta erunt quid vniuersale. Et potest rursus declarari Quod est ens côpletum, & respicit plura, se habet vt vniuersale in ratione entis completi, non alia ratione, nisi quia est vnum, & habet aptitudinem, vt sit in pluribus, cum igitur etiam ens incompletum, & quod indirectè tantùm ponitur in prędicamento, consideratum secundùm essentiam sit vnum, & possit esse in pluribus solo numero differẽtibus, debet constitui vniuersale in ratione entis incompleti.

Confir.

V. Atq. hinc potest elici efficax cõfirmatio nostræ sententiæ, & ostendi, quòd nullo fundamento dicitur, vniuersale correspondere in oppositione indiuiduo, sed sufficere, quòd simpliciter respiciat plura, nam quando definitur vniuersale, solùm fit mentio de pluralitate eorum, in quibus potest esse, non verò explicatur, quòd debeant esse indiuidua, imo neque etiam singularia, & statim ac intelligitur, quòd sit vnum respiciens plura, quibus possit communicari, habetur adæquatus côceptus vniuersalis; quocirca vniuersale constituitur tantùm per ordinem ad plura, præscindendo à modo, quo plura sint; Atque ita definitionem intelligi debere, necessariò conuincit ratio naturæ genericę, quæ vt generica est participat rationem vniuersalitatis, cum tamen, vt talis est, non competat pluribus indiuiduis, sed solùm pluribus speciebus. Rursus tale vniuersale respicit talem pluralitatem, ergo communicabile vt sic respicit pluralitatem vt sic, præscindendo à modo pluralitatis. Ex hoc autem fit, quòd si vniuersale, vt sic respicit tantùm pluralitatem vt sic, neque in esse, in quo fundatur, requirat aliquam rationem determinatam naturæ, sed solùm aliquid, quod in se vnum sit secundùm quidditatem, & possit in pluribus multiplicari.

Adæquatus conceptus vniuersalis quid dicat.

3. ratio.

VI. Tertiò possumus arguere destruendo fundamentum oppositæ sententiæ. Ideò enim, dicunt illius Auctores, nô possunt hæc genera entium participare rationem vniuersalis, quia sunt quid incompletum, vniuersale verò esse debet quid completũ. Verũ hęc ratio est nulla, nam etiam ipsi, dum pro vniuersali assignant entia completa, assignant aliquid incompletum, ergo corruit fundamentũ ipsorum, nam si semel admittitur pro vniuersali aliquid incompletum, potest etiã admitti quodcumq. aliud ens incompletum. Quòd autem in sua sententia admittant entia incompleta, patet, nam

Vniuersale potest esse ens incôpletum.

ad-

admittunt genera pro vniuersali, genera autem non sunt aliquid completum, sed incompletum, si enim loquimur secundùm, esse physicum, certum est, quòd non sunt aliquid completum, quia non habent totum id, quod requiritur ad constituendam vnam naturam physicam, quia hęc semper ex vi sui esse reperitur in aliqua infima specie. Si verò loquimur secundùm esse metaphysicum, neque sunt aliquod completum, quia debent compleri per differentias. Rursus sunt partes compositi metaphysici, & se habent veluti materia, seù potentia metaphysica, si igitur excludunt materiam physicam ab vniuersali, quiâ est pars compositi physici, eadem ratione deberent excludere genera, quia sunt partes compositi metaphysici. Confirmatur. Forma totius, licèt dicat totam naturam in abstracto, quia tamen comparata ad concretum se habet veluti pars, ideò per ipsos non est aliquod vniuersale: ergo eadem ratione deberet etiam excludi natura generica, quia respectu specificæ se habet, vt pars. Si igitur admittunt genera tanquam vniuersalia, debent etiam admittere alia entia incompleta. Imò de ratione vniuersalis est, quòd sit aliquid incompletum, saltem aliquo modo, quia se habet vt quid superius respectu inferioris.

Respo n.

Duplex incumplementum.

VII. Posset tamen quis respondere quòd duplici modo potest contingere, quòd aliquid sit incompletum. Primò si incomplementum sit tale, quod extrahat id, quod est incompletum à recta linea prædicamentali, & se habeat, vt quid incompletum respectu alterius eiusdem latitudinis, & communitatis, vt contingit in materia, & forma, tàm enim latè patet materia, quàm forma, & econtra, & hic modus facit, quòd illud non sit vniuersale. Alio modo, si ex vi sui incomplementi non extrahatur à recta linea prędicamentali, sed reddatur tanquam superius respectu inferioris, & incomplementum huius generis non tollit vniuersalitatem. Nihilominus licet hæc responsio subtilis videatur, non tamen consistit, neque soluit difficultatem. Nam adhuc stat ratio, quòd ex vi entis incōpleti pręcisè considerati non tollitur vniuersalitas, quod autem spectat ad esse incompletum tali modo, nempè respiciendo aliquid, per quod compleatur, eiusdem latitudinis, & communitatis, licet faciat, quòd non sit vniuersale respectu complementi habentis eandem latitudinem, non tamen tollit vniuersalitatem respectu suorum inferiorum, quia hic modus incomplementi non ponit nouā habitudinem ad illa, quatenus inferiora sunt. Confirmatur; modus incomplementi est extra habitudinem rei incompletæ, quam habet ad inferiora; ergo neque potest ponere, neque tollere vniuersalitatem. Prętereà si hic modus incomplementi tolleret vniuersalitatem, ideò esset, quia ens tali pacto incompletum compararetur ad inferiora, vt quid incompletum; verùm quodcumque incomplementum ponatur in ipso, semper comparabitur, vt quid incompletum ad inferiora, vnde, aut dicendum est, omne incomplementum tollere vniuersalitatem, aut nullum. Deinde incomplementum, quo aliquid constituitur in esse superioris respectu contractiui inferioris, non solùm non tollit esse vniuersale, sed etiam constituit, ergo cum alter modus incomplementi, quo ens incompletum respicit complementum ęqualis latitudinis, relinquat hoc genus incomplementi, scilicet quo constituatur contrahibile respectu inferioris, relinquet etiam rationem formalem vniuersalis.

Incomplementum essentiæ non tollit vniuersalitatem.

Impugnatur respons.

Quodlibet prædicatū, quod de pluribus dicitur, participat rationem vniuersalis.

VIII. Atque ex hucusque dictis colligimus, quòd non solùm entia incompleta, & quę indirectè tantùm ponuntur in prædicamento, possunt participare rationem vniuersalis, sed etiam quodlibet prædicatum, quod de pluribus dicatur, & ratio euidens est, quia in ipso saluatur ratio formalis vniuersalis, quòd videlicet sit vnum, & possit esse in multis per multiplicationem, & hac ratione transcendentia, licèt sint prędicata simplicia, participant rationem vniuersalis. Solùm ipsis obesse videtur, quòd vniuersale debet esse vnū vnitate vniuoca, transcendentia autem non sunt vnum vnitate vniuoca; Verùm hæc ratio non vrget nostram sententiā, quia diximus, ens esse vniuocum respectu suorum inferiorum, & consequenter etiam ipsius passiones; si tamen poneretur analogum, tunc dicēdum esset, quòd ad vniuersale sufficit etiam illa vnitas analoga, qua eadem ratio inęqualiter tamen participatur ab inferioribus.

bus. Quod autem spectat ad concretum accidentis, ipsi etiam conuenit suamet vniuersalitas, sed est aduertendum, quòd quia vniuersale debet habere vnitatem, & multoties subiectum concreti accidentalis non est idem; idcò concretum accidentis non habet secundùm se totum vniuersalitatem, sed tantùm ratione formę, qua concretum constituitur, videlicet respectu diuersorum indiuiduorum ipsius formę.

Soluuntur rationes in oppositum.

SECTIO III.

Ad fundamenta oppositę sententiæ Arist. illustratus.

I. Citabatur pro opposita sententia Arist. 1. Ethic. cap. 6. sed perperam, nam ibi non docet, quòd bonum, & vnum non sit vniuersale, sed impugnat Ideas, quas adscribit Platoni, & probat, quòd non detur vna Idea vniuersalis boni, nec Idea vniuersalis vnius. Et arguit ex doctrina ponentium Ideas, supponendo ex ipsorum principijs, quòd illarum rerum non sit Idea, in quibus prius, & posterius reperitur, quo posito sic arguit. Bonum ęquè latè patet, ac ens, & in hac latitudine entis, cum complectatur omnia prædicamenta, inuenitur prius, & posterius, ergo non datur Idea, quę sit bonum vniuersale, quia tunc non in omnibus, sed in vno tantùm prędicamento reperiretur, ait enim: *Praterea cum bonum aquè ad id, quod est, dicatur, constat, non esse commune quiquam vniuersale, ac vnum; non enim in omnibus pradicamentis, sed in vno tantummodo diceretur.* Quare constat, quòd non negat, bonum esse vniuersale ea vniuersalitate, quam nos ponimus, sed negat, dari bonum, quod sit illa vniuersalis, & Idealis Bonitas, quam adscribebat Platoni.

Ad primum. Quomodo vniuersale dicatur quod totum.

II. Ad primum igitur oppositę sententię respondetur, quòd vniuersale dicit solùm aliquod totum, si comparetur ad sua inferiora, quatenus se habet, vt quid potentiale respectu illorum, & sub se complectitur omnia inferiora, quo etiam sensu dicuntur totum ipsamet genera, non autem dicitur vniuersale aliquod totum, quasi sit aliquid completum dicēs naturam completam; si enim in hoc sensu quis contenderet, vniuersale esse aliquod totum, id gratis assumeret, et nullo fundamento, nam sufficienter ostendimus, non necessariè vniuersale dicere aliquid completum; si verò loquimur de toto, quatenus sub se complectitur plura, hoc competit etiam transcendentibus, & ijs, quæ indirectè tantùm ponuntur in prædicamento; nam respiciunt plura inferiora, sic materia respicit plures materias numero, forma respicit plures numero formas, & sic de reliquis, vt inductione patet.

Ad secūdum.

III. Hinc etiam ad secundum dicimus, non esse necesse, quòd vniuersale sit in genere per se; & consequenter, neque quòd dicat aliquam completam naturam, neque video, quo fundamento asseratur, quòd vniuersale debeat esse in genere per se: non enim id requiritur ex vi suæ rationis formalis, siquidē ratio formalis vniuersalis est, quòd sit vnum potens multiplicari in pluribus, ex vi autem huius formalitatis, non constituitur in genere: nam genus dicit, quòd sit pars compositi metaphysici, & extra differentias, contrahibile tantùm per ipsas, hoc autem formaliter non dicit vniuersale, vnde in genere aliquid amplius est, quàm in vniuersali, & id, quod superadditur, est ratio constitutiua generis; quare vniuersale latius patet, quàm genus, cum genus sit quoddam determinatum vniuersale: Imò si vniuersale deberet esse per se in genere, species non esset vniuersalis ratione sui formalis constitutiui, quo respicit plura solo numero differentia. Quocirca cum species dicat nouam rationem vniuersalitatis supra vniuersalitatem generis, & solùm superaddat generi rationem differentialem, debet ratio differentialis, licet sit aliquid, quod indirectè tantùm ponitur in prędicamento, habere suam vniuersalitatem, quam communicet speciei.

Vniuersale latius patet, quā genus.

Ad tertium. Materia est vniuersale substantiale.

IV. Ad cæteras autem probationes, quæ peculiariter procedunt de materia, & ad primam respondetur, concedendo sequelam, quòd videlicet, si materia est vniuersalis, sit vniuersale substantiale, neque ex hoc sequitur aliquod absurdum, quia cum dicitur, quòd vniuersale dat esse, nomen, & rationem ei, in quo est, verum etiam est, quia cum vniuersale sit in inferioribus, inferiora talia sūt ratione naturę vniuersalis, quā participant, vnde etiam talis, & talis materia numero est talis rationis, no-

Quomodo vniuersale det esse, & nomē

minis, & essentiæ, quia participat rationem materiæ, vt sic, sicuti etiam Petrus, & Paulus est talis essentię, quia participat talem naturam vniuersalem, nempè humanam, vnde in illo argumēto non rectè negatur, quòd materia non det esse, nomen, & rationem, ex eo quòd composita non sint talia ratione illius, quia non est in compositis per modum vniuersalis, sed per modum partis physicę componentis, quę quoniam se habet ad modum potentiæ, ideò non tribuit ipsis nomen, & rationem.

Ad 5. Forma physica, & metaphysica, & in quo differant.

V. Ad secundam probationem respondetur, quòd alia est forma physica, alia est forma metaphysica: differunt in hoc, quòd metaphysica potest saluari in vno simplici prædicato, nec dicit vnā aliquam integram entitatem. Forma verò Physica dicit plura prędicata, nam dicit vnam integram rem, quæ coalescit ex pluribus prædicatis. Cum igitur dicitur, quòd vniuersale se habet, vt forma respectu suorum inferiorum, intelligi debet de forma metaphysica; quòd autem natura materię se habeat, vt forma metaphysica respectu suorum inferiorum, ne dum repugnat, sed prorsus necessarium est, vt constituat ipsa in tali esse, quale illis communicat, & vt possit prædicari de ipsis; certum enim est, quòd quælibet materia est pura potentia substantialis; vnde ratio potentiæ substantialis, quæ est natura materię, reperitur in vnaquaque materia indiuiduali tanquam formale constitutiuum, & consequenter vt forma metaphysica, cum autem dicitur, quòd repugnat, materiam se habere per modum formæ, intelligi debet de forma physica, quia hęc tantùm ex vi potentię substantialis excluditur.

Qualis nam forma vniuersale

Ad 5. Quomodo vniuersale sit totum in singulis indiuiduis.

VI. Tertia etiam ratio pro hac parte nullam difficultatem continet, nam vniuersale debet totum in singulis existere, si consideretur intensiuè, vt ita dicam, non verò si consideretur extensiuè, hoc est, debet existere totum in singulis inferioribus secundùm omnia sua prædicata, & secundùm totam essentiam, non verò secundùm totam suam extensionem, sic natura humana secundùm omnia sua prædicata existit in indiuiduis singulis, non tamen secundùm totam suam latitudinem multiplicabilitatis. Et hoc modo, si consideretur ratio, & quidditas materiæ, in singulis indiuiduis materię reperitur; nam licèt per diuisionem entitatiuam materia multiplicetur, tamen ita diuiditur, vt tota essentia materię remaneat in singulis, sicut reperiuntur aliæ vniuersales naturę in suis inferioribus.

VII. Atque ex his, quę dicta sunt, hic obiter deducendum est, nempe, essentiam Diuinam, licet reperiatur in tribus personis, non solùm non esse vniuersalem, vt etiam supra diximus, sed neque dari conceptum vniuersalem cōmunem tribus relationibus, quę in Diuinis personis reperiuntur, vt docet D. Thom. 1. par. quęst. 30. artic. 4. & in primo distinct. 19. quęst. 4. art. 2. quāuis alij oppositum dicant. Ratio autem facilis reddi potest, quia si ratio relationis esset quid vniuersale conueniens tribus personis, seù tribus relationibus, esset etiam aliquid commune, at quę sunt communia tribus in Diuinis non spectant ad relationes, sed ad essentiā, quia sunt extra rationes illas, quę formaliter constituunt pluralitatem personarum, quod enim est commune, non potest constituere pluralitatem, cum ergo nulla ratio relationis pertineat ad essentiam, vt talis est, sequitur, quòd in Deo nulla sit ratio relationis communis. Prętcrea cum tota ratio relationis, quæ ponitur in singulis personis Diuinis per suum esse formale distinguat vnam ab alia, sequitur, quòd non possit esse in ipsis ratio aliqua relationis communis, quia huiusmodi ratio non distingueret, nam poneret conuenientiam. Vnde cum dicimus, conuenire in conceptu relationis omnes tres relationes, id est verum secundùm nostrum modum concipiendi, non verò quòd sit in ipsis fundamentum huius conuenientiæ secundùm rationem relationis, sed omnes tres illæ relationes secundùm se totas distinguentur, & Paternitas secundùm se totam erit Paternitas, Filiatio secundùm se totam erit Filiatio, & Spiratio Passiua secundùm se tota Passiua Spiratio. Sed de his latius suo loco apud Theologos differitur, vbi forsan diligentius hoc inuestigabimus.

Non datur conceptus communis tribus relationibus in diuinis. D. Th.

Relatio in diuinis secūdùm se totam distinguit.

Quam vnitatem habeat natura secundum se considerata. Disputatio XIV.

Explicantur diuersi status naturæ, & diuersæ acceptiones eiusdem.

SECTIO I.

I. ANtequam ad inquirendam vnitatem, quam habet natura secundùm se, deueniamus, considerandi sunt illi, quos vocant status naturæ. Triplicem igitur statum naturæ distinguunt Philosophi, & hæc distinctio desumitur ex S. T. quæst. 5. de Potentia art. 4. & opusc. 42. cap. 7. & De ente, & essentia cap. 4. Caiet. ibidem. Capreolo in 3. dist. 5. quæst. 3. art. 3. in resp. ad arg. Scoti contra 1. conclusionem. Soncin. 7. Metaph. quæst. 30. & eam communiter amplectuntur. Primus igitur status naturę est, quando secundùm se absolutè consideratur, cum enim natura contrahatur ad esse indiuiduale, quatenus videlicet dicit essentialia, fit, quòd sit prior natura ipsa indiuiduatione; natura enim humana, quæ est in Petro, est prior indiuiduatione Petri, nam potest haberi conceptus de ipsa natura, non intellecta indiuiduatione. Ex vi ergo huius prioritatis sequitur, quòd possit considerari secundùm se absolutè, & hic vocatur status naturę secundùm se consideratę. Alter status naturę est, si consideretur, prout est in indiuiduis particularizata, qui solet vocari status existentię; differt autem natura sic considerata à natura, secundùm se, quia primo modo dicit tantùm essentialia non considerata indiuiduatione: secundo autem modo venit in considerationem etiam indiuiduatio, quatenus per ipsam contracta existit indiuidualiter. Tertius status naturę est status præcisionis, & dicit naturam secundùm illud esse, quod habet, prout præcisa à conditionibus indiuiduantibus existit obiectiuè in intellectu, qui etiã vocatur status existentię obiectiuę; differt à præcedẽtibus in eo, quòd dicit solam naturam, & insuper addit, quòd sit separata à conditionibus indiuiduantibus per intellectum, & solùm obiectiuè existat in ipso.

Triplex status naturæ. D.Th. Caiet. Capr. Soncin.

II. Circa autem hunc triplicem statum naturæ notat Caiet. nonnullas differentias. Prima est, quòd natura secundùm se considerata habet tantùm prędicata quidditatiua, & essentialia, quia videlicet, si consideretur natura humana secundùm se, dicit tantùm pręcisè illa prędicata, quibus constituitur homo in esse hominis, prædicata verò, quæ sunt debita naturę, prout in alijs duobus statibus consideratur, sunt tantùm prędicata denominatiua. Quòd ità intelligi debet, quòd prędicata, quę sunt debita naturæ ratione alterius duplicis status reduplicatiuè sumpti, si comparentur ad naturam absolutè sumptam, denominatiuè se habent, quia denominant tantùm naturam, non verò constituunt; & hoc intelligi debet non solùm de prædicatis, quę sunt constitutiua talis naturę, sed etiam de quibuscumque prædicatis, quæ conueniunt ratione talis status, siuè accidentalia sint, siue quocumque modo se habeant, vt esse album, currere, & cætera huiusmodi. Ex quo elicitur aliud notandum, quòd cum prædicata, quæ conueniunt naturæ absolutè consideratę, sint ipsi quidditatiua, atque natura absolutè considerata inuoluatur in quolibet alio statu, nam constituitur in alijs statibus per aliquid superadditum, fit, quòd omnia, quę dicit natura secundùm se, & absolutè considerata, dicat etiam in alijs statibus, quod est valdè aduertendum, quia hinc pendebit solutio multarum difficultatum; Rursus inter alium duplicem statum nempè præcisionis, & existentię aduertit discrimen idem Caietanus, nempè, quòd illud, quod addit natura in statu existentiæ supra naturam secundùm se absolutè considerata, est aliquid reale positiuum, quod vniuersaliter verum est quo-

Caiet. Discrimina inter hos status naturæ.

Quod dicit natura secundum se, dicit etiã in quolibet alio statu.

ad omnia prædicata, si intelligatur de reali positiuo metaphysico. Prædicata verò, quę superadduntur naturę ratione status præcisionis, sunt tantùm secundæ intentiones, & aliquid rationis.

Natura in statu absoluto non exigit existere.

III. Alterum etiam discrimen interuenit, nępè natura secundùm se absolutè considerata nullum esse, hoc est existere sibi vindicat; in alio verò duplici statu vindicat sibi existere, sed cum hoc discrimine, quòd in statu existentię vindicat sibi existentiam realem à parte rei: in statu verò præcisionis vindicat sibi existentiam obiectiuam. Atque huius discriminis ratio reddi potest ex ijs, quę modò dicta sunt, nam natura absolutè considerata dicit tantùm ea, quę ipsi cōueniunt essentialiter, existentia autem non pertinet ad constitutionem naturę, siuè obiectiua sit, siue realis, nam obiectiua contingens est, quia est dependenter ab intellectu illam concipiente; similiter etiam realis cōtingens est, quia nulli rei creatę competit essentialiter existere. Solùm posset esse difficultas de existentia obiectiua, quia videtur, quòd natura necessariò existat obiectiuè in intellectu Diuino, vnde quidam, vt Scotus, & eiusdem asseclę docuerunt, quòd Deus cognoscēs creaturas ab ęterno, producit illas in esse cognito; laborant tamen in explicãdo, in quo cōsistat huiusmodi esse cognitũ. Verũ quicquid de hoc sit (exigeret enim examinatio huius difficultatis longã questionẽ Theologicam) dicendum, quòd neque natura habet illum statum pręcisionis in mente Diuina, siquidem natura secũdũ statum præcisionis dicit naturã abstractam ab indiuiduantibus cōditionibus. Deus autem non vtitur in sua cognitione aliqua abstractione. Rursus, non potest haberi natura secundùm hunc statum præcisionis sine formatione alicuius entis rationis, nam debet separari ab indiuiduatione, inter quam, cũ non sit distinctio realis, necesse est, quòd interueniat distinctio rationis; cum autem Deus non possit formare entia rationis, neque etiam potest obiectiuè natura in ipsius intellectu existere secundùm statum præcisionis, quare cum solũ possit habere obiectiuam existentiam in intellectu creato, & hic contingenter existat, similiter etiã hæc obiectiua existentia contingēs erit.

Scot.

Natura non habet statum præcisionis in mente diuina.

Sola natura secundùm statum ab-

IV. Tertium discrimen maximè aduertendum ponit Caietanus inter hos status naturæ, nempè quòd sola natura secundùm statum absolutum est illa, quæ prędicatur de indiuiduis, non verò natura secundùm statum realis existētiæ, aut præcisionis; cuius etiam discriminis rationē assignat, quia id tantũ prędicatur de indiuiduis, quod ipsis attribuitur, natura autem accepta secundùm esse absolutum attribuitur indiuiduis, non verò secundùm esse pręcisionis, aut statum realis existētiæ, cũ enim dicitur *Petrus est animal rationale*, siue *Est homo*, tantũ prędicata quidditatiua naturę ipsi attribuuntur, non verò prædicata, quæ conueniunt naturæ ratione status præcisionis, aut realis existētiæ, nihil enim amplius enũciatur, quàm ipsa essentia hominis, & idem comprobari potest inductione in singulis prędicationibus, in quibus natura de inferioribus enunciatur; nam quando aliquod prædicatum enũciatur de alio, id tãtùm importat, quod tale prædicatum formaliter dicit, cum autem natura de indiuiduis dicitur, id tantùm importat, quod in se formaliter dicit formaliter autem nihil dicit, quod pertineat ad statum præcisionis, aut realis existentiæ quia dicit tantùm essentialia. Quartum etiam discrimen assignat Caiet. nempè quòd natura secundùm se absolutè considerata non sit vna numero, nec multiplex, sed de hoc agemus infra. Interim hæc tenenda sunt tanquam certa fundamēta, quibus innitentur, quæ sumus dicturi.

... natura prædicatur de indiuiduis.

V. Quod autem spectat ad acceptionem naturæ. Sciendũ est, quòd hic natura latè accipitur, & non solùm significat naturam completam, sed etiã quodcunq; prædicatũ, siue rationẽ metaphysicã, quæ in pluribus possit reperiri, quia sufficit, quòd importet aliquã rationẽ, quæ sufficiens sit ad constituẽdum vniuersale. Hinc fit, quòd diuerso modo accipi potest natura in hoc sensu considerata: nam in primis potest importare aliquam rationem pręcisè metaphysicam abstrahentem ab omni materia, & potest importare etiã communẽ rationem, quæ tãtùm sit intra abstractionem physicã, & tantũ dicat aliquid consideratum sine indiuiduatione. Rursus natura sic accepta, prout dicit naturam, quæ reperitur in aliqua entitate potest diuersimodè accipi, prout sunt diuersa genera entitatum, in quibus reperitur, & potest diuidi, prout diuiditur

In quo sensu hic accipiatur natura.

Diuersa acceptio naturæ.

ens. Cum igitur omne ens, aut sit substātiale, aut accidētale, hæc .n. duo mēbra adæquatè diuidunt totam latitudinem entis realis, ideo etiam natura, quę ipsis membris diuidentibus conuenit, aut erit substantialis, aut accidentalis, quia tales entitates ex vi talis naturæ constituuntur, vel in esse substantiali, vel in esse accidentali. Rursus alio modo pōt diuidi natura sic accepta, quòd videlicet alia sit natura corporea, & materialis; alia verò incorporea, & spiritualis, sicuti etiam entitates, in quibus reperitur, alię sunt corporeæ, & materiales, aliæ spirituales, hoc .n duplex genus entis diuidit adęquatè totam latitudinem entis realis, nec aliquod ens extra hæc duo membra reperitur, quod sit reale, quare cum hæc entia constituantur in esse corporeo, vel spirituali ex vi suæ naturæ, debet etiam natura esse huiusmodi, sic natura lapidis est natura corporea, quia facit lapidem esse corporeum, natura Angeli est natura incorporea, quia facit Angelum esse incorporeum. Et potest vlterius natura corporea subdiuidi, nempè in sensibilē, & insensibilem, prout etiam in entibus materialibus aliqua sunt sensibilia, aliqua insensibilia Sēsibilis natura semper est accidentalis, quia sola accidentia sensu percipi possunt: Insensibilis verò aliquando est substantialis, vt est natura materiæ, & formę materialis, aliquando accidentalis cuiusmodi est natura multorum accidentium. Insensibile autem propriè dicitur de re materiali solùm, quia solùm materiale est in eo ordine, & genere, vt ex genere suo possit esse sensibile, & prius ens diuiditur in materiale, & spirituale, quàm in sensibile, & insensibile; ens enim materiale est illud, quod tali pacto diuiditur. Verùm quocumque modo accipiatur natura; parum refert ad rationē vniuersalis, si quidem esse quidditatiuum naturę materialiter se habet ad rationem formalem vniuersalis, & veluti ipsi substernitur, vnde cum hic agamus solùm de vnitate vniuersali formaliter considerata, non est, cur in his acceptionibus valde immoremur.

Natura materialiter se habet ad vniuersale.

VI. Solùm hic deducitur, quomodo debeat intelligi Arist. quando negat, vniuersale esse substantiam, non enim tunc locutus est de hoc nostro vniuersali, sed de vniuersali Platonico, nempè de Ideis, & has negauit, posse esse substantias per se subsistentes, & separatas à singularibus, quas, vt inquit ipse, Plato ponebat, de quo etiam à nobis supra dictum est: cum autem negauit, vniuersalia esse cū materia, intelligi debet de natura considerata secundū statum præcisionis, quæ abstrahit à materia, vnde negat, inuoluere materiam non quidē secundùm essentiā consideratā, alioquin nulla natura materialis esset vniuersalis, quod apertè cōstat, falsum esse, sed excludit materiā signatā, à qua semper vniuersalia abstrahunt.

Arist. elucidatus. Cur negēt, Vniuersale esse substantiam

VII. Preterea etiā deducitur quòd natura secundùm se cōsiderata pręcisè nō possit existere, quia omne, quod existit, singulare est, tamē aliquid reale existēs in singularibus, vniuersale est, vnde etiā prout est in ipsis generatur. & corrūpitur, quia indiuidua rerum sunt vera entia realia, prout dicunt tales, vel tales naturas; natura enim humana in Paulo est verum ens reale, sicuti etiam in quolibet alio indiuiduo, & sic etiam potest inductio fieri in qualibet natura, & in vnaquaque reperietur, quòd prędicata, quę sunt constitutiua illius naturę, non sunt aliquid fictum, sed aliquid omnino reale; neque de hoc potest esse difficultas aliqua. Cœterum quòd generentur, & corrumpantur naturę, prout sunt in singularibus, etiam euidens est, nam verè indiuidua ponuntur in esse, & fiunt actualia secundùm illam naturam, quam dicunt, cum enim natura illa sit in singularibus, & quando singularia producuntur, aut corrumpuntur, secundùm se tota corrumpantur, vel producantur, necesse est etiam, quòd producantur, vel corrumpantur secundùm esse naturę, quam inuoluunt: hinc quędam naturę dicuntur generabiles, & corruptibiles, atque hoc est ipsis prędicatum intrinsecum, quod tamen solùm habet exercitium circa ipsas, prout sunt in indiuiduis.

Natura secundū se non existit, sed in singularibus generatur, & corrumpitur

Quam vnitatem natura secundùm se considerata, seu secundùm statum absolutum tribuant Auctores.

SECTIO II.

I. Ex tribus illis statibus, secundū quos, diximus, posse cōsiderari naturā, prior cęteris, est absolutus, quia con-

conueniunt naturæ,prout dicit suũ proprium esse præcisè, ideò inquirentes vnitatem illius,ab hoc exordiemur. Prima,ergo sententia, quã nonnulli tribuũt Fonsecæ, vt propriã, reuera tamen aliorum est,asserit, quòd natura considerata secũdum suum statum absolutum habet quandam vnitatem,quæ est veluti mixta ex formali, (vocant vnitatem formalẽ illam,quã dicit qualibet essentia) & numerali:ità Soncin.7. Met. q.40. Capr.in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. in respons. ad arg. Scoti contra 1.concl. & Fonseca 3.met. cap.28. q. 3. sect. 2. & 3. Citant etiam D.Th. opusc.42. cap.7. sed ibi tantùm docet,quòd natura secundùm se considerata habet quandam vnitatem. Explicãt autem hanc suam sententiam, quòd hęc vnitas sit quædam vnitas,secundũ quam natura non descendit ad inferiora, seù quàm inferioribus non cõmunicat, quia ex eò quòd natura multiplicatur in inferioribus,tollitur huiusmodi vnitas. Rursus hæc vnitas non est vnitas formalis, quia hanc vnitatem habet natura,etiam prout est in inferioribus,& in ipsis multiplicatur,neq. est etiam numeralis,quia hæc tantùm conuenit indiuiduis, vt talia sunt,sed potest dici, vt ait Fonseca, quasi numeralis,seù numeralis cum addito,nempè numeralis naturę cõmunis,quà per ipsam naturę cõmunes numerantur. Verùm quia natura nullam aliam habet existentiam,nisi realem in indiuiduis, & obiectiuã in intellectu, & secundũ nullã existentiam ex his habet hanc vnitatem, vrget difficultas,quomodo hęc vnitas ipsi naturæ conueniat,seù quomodo illam habeat,cum neq. secundùm esse obiectiuum possit habere;neq. prout est in indiuiduis,& extra hos status nõ reperiatur. Ideo resp. quòd hæc vnitas non cõuenit actu naturę, neque vnquam illam habet, sed tantùm cõuenit in potentia,quia huiusmodi vnitas cõuenit naturæ,prout est prior natura indiuiduatione; cum igitur numquã reperiatur sine indiuiduatione, numquam habet actu hãc vnitatem, sed si poneretur separata ab indiuiduis,illam haberet:vnde hi auctores tribuũt duplicem vnitatẽ naturæ cõsideratæ secũdũ statum absolutum: alteram formalẽ, quã communicat inferioribus: alteram quasi mediã, & mixtã ex formali, & numeralĩ modo explicato. Fundamentũ autem huius vnitatis assignat Fonseca,quia natura pręcisè cõsiderata,vt est prior indiuiduatione,habet aptitudinẽ, vt diuidatur in pluribus indiuiduis,quam amittit, dũ actu est diuisa in indiuiduis; hanc autem aptitudinem,tãquam passio,debet sequi aliqua vnitas, vnde vna vnitas sequitur essentiã naturæ, altera verò aptitudinẽ.

1 opinio Natura secundu se habere vnitatem mixtam ex formali, & numerali. Soncin. Capr. Fonseca D.Th.

II. Nihilominus,hæc sententia communiter reijcitur,vnde alij auctores reiecta hac vnitate, tribuunt tantũ naturæ secundùm se consideratæ vnitatẽ formalem. Hanc autẽ sentẽtiam pręcipuè impugnat Suarez in Met.disp.6.sect.3.n.3. Hurt.disp.5. sect.6. Auersa in Logica q. 8.sect.3.& communiter Recentiores,sed Hurtadus dupliei modo intellectã impugnat,sed neutro videtur assecutus mẽtẽ Fonsecæ,cui soli tribuit hanc opinionẽ, primus enim sensus procedit de natura considerata secundùm esse possibile cõtradistinctum ab existentia, alter verò procedit de natura,prout est apta,vt substituatur vniuersalitati,& est pręcisa à cõditionibus indiuiduantibus, quem statũ dicit esse posteriorẽ existẽtia, quia fit ab intellectu supponente existentiã, neutro autem modo intelligit Fonseca,vt patet. Quòd autẽ natura habeat solam vnitatẽ formalem,tradit Caiet. De ente,& essent. c.4.q.6.atq. omnes ij, qui negãt,dari vniuersale à parte rei, quos infra suo loco recensebimus. Atque sine dubio hęc est opinio D.Th. tũ citato loco De ente, & essentia, tum etiam opusc.42. De natura generis c 7. quãuis hic locus pro opposita sententia citetur, nam ait: *Vnde licet in natura animalis non sit vnitas,vel pluralitas, secundùm quod est nata recipi in pluribus inferioribus,cum possit in vno recipi;et in pluribus, est tantùm in ipsa natura absolutè accepta, secundùm quod non est in inferioribus considerata,quadam vnitas,cum definitio eius sit vna,& nomen vnum,vt patet.* Et cũ paulo post inquit,quòd in natura absolutè considerata est vnitas,quæ non descẽdit à natura ad supposita; loquitur quidẽ de hac eadem vnitate,& nõ negat,quòd illam natura non habeat etiàm in suppositis,sed quòd non descendat ad supposita, ita vt reperiatur in ipsis, prout talia sunt,quia natura,prout est in supposito, non dicit totam naturam,sed partẽ secũdum extensionem. Ex quo patet, quòd non ponat illam vnitatẽ,quam præcedẽs sententia adinuenit, sed tantùm vnitatẽ formalẽ;quod pręcipuè colligitur ex eo, quod habet citato loco De ente & essẽtia,nam ibi ait. Quòd natura secũdũ se

2.opinio tribuens naturæ vnitatẽ formalem. Suarez. Hurtad. Auersa.

Caiet.

D.Th.

considerata habet tantùm ea, quæ ipsi conueniunt ex vi suæ essentię, & nihil aliud; ex vi autem suæ essentiæ non dicit aliquam aliam vnitatem prѳter formalem, quia cum in inferioribus retineat quicquid illi conuenit ex vi suę essentię, debet etiam retinere suam vnitatem.

Tertia sentētia Naturā abstrahe. ab vnitate, & pluralitate. Serna. D. Th.

III. Tertia autem sententia negat, naturam secundùm se sumptam habere aliquam vnitatem, sed abstrahere ab vnitate, & multitudine. Ita Serna in Logica disp. 1. sect. 4. quęst. 6. art. 2. qui citat D. Th. de Ente, & essent. cap. 3. & 4. vbi inquirit, An natura secundùm se sit vna, an multiplex; & respondet. Neque esse vnam, neque multiplicem, sed ab vtroque abstrahere. Verum si natura abstrahit ab vnitate, debet etiam abstrahere ab ente, ad quod consequitur talis vnitas: vnde cum abstrahat tantùm ab ente indiuiduali, D. Th. solùm intelligit, quòd abstrahat ab vnitate, & multitudine indiuiduali. Neque affert fundamentum alicuius ponderis pro hac sententia. Nam cum dicit, quòd hæc vnitas comitari deberet naturam in indiuiduis, atque adeo quòd deberet dari vniuersale à parte rei, hoc totum concedimus, vt infra declarabimus. Cum verò arguit, quòd natura, & indiuidualis vnitas non efficiunt plures entitates reales, atque adeò nec plures vnitates reales, respondetur facilè, non efficere plura entia realiter distincta, atque adeo nec plures vnitates realiter distinctas, non tamen sequi, quòd non sint reales, sicuti etiam gradus entis reales sunt. Denique neque conuincit, cum inquit, quòd pro scientijs non esset necessaria abstractio vniuersalium, quia non est necessarium, vt habeant vnitatem, sed vt obiectum sub aliqua speciali ratione consideretur.

Non benè fundatur altera sententia.

Vera sententia declaratur.

SECTIO III.

1. concl. Vnitas indiuidualis nō est de cōceptu naturæ cōsideratæ secundū statū absolutum.

I. VT autem in hac re pedetentim procedamus, ponimus primam Conclusionem. Vnitas singularitatis, seù indiuidualis non est de conceptu quidditatiuo naturæ, secundùm statum absolutum consideratæ. Hæc conclusio certa est apud omnes, quippe singularitas non est de conceptu quidditatiuo alicuius rei creatæ, sed tantùm ipsius Dei, vt docent Theologi. Probatur autem ex communi modo statuendi conceptum quidditatiuum: illud enim statuitur pro conceptu quidditatiuo cuiuscunque rei, quod necessariò requiritur, vt res illa secundùm suam essentiam concipiatur, & statim ac habetur totum id, quod sufficit ad concipiēdam essentiam rei, habetur totum id, quod requiritur ad conceptum quidditatiuum, sed absque eo, quòd concipiatur aliqua ratio indiuiduationis habetur conceptus adęquatus cuiuscunque essentiæ: sic sola rationalitate, & animalitate concepta, habetur conceptus hominis, ergo nulla indiuiduatio est de essentia naturæ. Quod etiam confirmari potest; si concipiantur ea tantùm, in quibus plura indiuidua conueniunt, habetur, conceptus adæquatus naturę secundùm statum absolutum absque eo, quòd concipiatur aliquid, in quo inuicem differant; ergo absque eo, quòd concipiatur aliqua ratio indiuiduationis habetur adęquatus conceptus naturæ, nam per solam naturam inuicem conueniunt, per indiuiduationem verò differunt. Præterea per nullam singularitatem vna natura contradistinguitur ab alia, ergo per nullam singularitatem constituitur in esse naturę: antecedens est notum, quia natura, quę est communis pluribus indiuiduis, habet etiam suum distinctiuum, quod est commune omnibus indiuiduis, ratio autem singularitatis est propria cuiuscumque, sic natura humana per rationalitatem contradistinguitur à quacumque alia natura: consequens etiam est euidens, quia idem est constitutiuum, ac distinctiuum.

Quid dicat cōceptus adæquatus quidditatiuus.

II. Secundò. Si aliqua indiuiduatio esset de conceptu quidditatiuo alicuius naturæ, non posset huiusmodi natura multiplicari in pluribus indiuiduis; sed esset essentialiter vna numero, sic non alia ratione Deus est vnus, nec potest esse multiplex, nisi quia singularitas est de essentia ipsius, ergo cum experiamur, naturas multiplicari in pluribus indiuiduis, efficaciter colligitur, quòd singularitas, seù vnitas indiuiduationis non sit de essentia ipsius. Quòd si forte quis contenderet, dari aliquas naturas, quę indiuidualiter non possint plurificari, vt de Angelis do-

2. ratio.

Natura essentialiter singularis non potest multiplicari.

cent Thomistę, (quamuis id verum esset, quod suo loco examinandum relinquo, adhuc tamen ratio concludit ex paritate rationis, cum non sit maior ratio de vna natura, quàm de alia, & ex eo, quòd colligimus de vna à posteriori, possimus & de alijs affirmare, quamuis non videamus eundem effectum. Atque huc tendit etiam ratio, qua vtuntur D. Th. & Caiet. locis citatis sectione pręcedenti, nempè quòd illa vnitas, quam habet natura secundùm suum statum absolutum considerata, debet illi semper conuenire, etiam quando reperitur in indiuiduis, quia conueniret ex vi essentiæ, & quæ conueniunt ex vi essentię, semper conueniunt: hinc autem fit, quòd in indiuiduis esset duplex vnitas indiuidualis, quod cum non posit esse, sequitur, quòd natura non possit esse in illis, quia nunqnam posset esse sine sua vnitate indiuiduali.

D. Th. Caiet.

III. Quod rursus declarari potest; Vnitas indiuidualis, seù singularitas non est apta, vt se habeat tanquam differentia contractiua generis, si quidem differentia contractiua generis facit talem naturam, non autem hanc numero, & illa differentia est ex se constitutiua speciei, quę ex natura sua habet, quòd possit respicere plura numero differentia. Rursus indiuiduatio non est apta, vt immediatè afficiat genus, sed genus debet contrahi ad indiuiduationem mediante aliquo intermedio, ergo non potest aliqua ratio indiuiduationis esse de quidditate alicuius naturę; si enim generi aduenit aliqua differentia constitutiua alicuius infimę speciei, statim natura est completa in esse naturę, nec vltra aliquid aliud requirit ad sui complementum, quare quicquid postea aduenit, erit extra quidditatem naturæ. Plura alia in confirmationem huius conclusionis excogitari possent, sed sufficienter ostensum est in re tam certa, non posse indiuiduationem esse de quidditate naturæ.

3. ratio. Indiuiduatio non est immediatè cōtractiua generis.

IV. Secunda Conclusio. Natura secundùm statum absolutum considerata non habet illam vnitatem mixtam ex formali, & numerali, seù numeralem naturæ communis, quæ sit distincta à formali. Hæc conclusio est pro impugnatione primę sententię, & facilè impugnari potest ex modo, quo explicatur illa opinio. Inquit enim, quòd hęc vnitas non est actualis, sed tantùm potentialis, quę conueniret natnræ, si posset separata reperiri ab indiuiduatione; hinc enim conuincitur, quòd huiusmodi vnitas sit merum figmentum, quoniam vnitas sequitur esse, & in tantùm potest aliqua vnitas esse potentialis, in quantùm esse est potentiale, non enim ab ipso realiter distinguitur. Cum igitur esse naturæ sit actuale, aut secundùm esse reale, aut secundùm esse obiectiuum, necessariò quælibet vnitas, quæ potest natnræ conuenire, debet esse actualis, nec aliquo pacto potest esse potentialis.

2. concl Natura secundù statū absolutū nō habet vnitatem mixtam, &c.

Vnitas mixta e numerali, & formali e. fictitia.

V. Et potest amplius vrgeri hæc ratio. Natura nunquam per ipsos potest habere hanc vnitatem, illi enim tantùm conueniret, si posset existere absque indiuiduatione, & idcirco cum impossibile sit, quòd existat sine indiuiduatione, impossibile est etiam, quòd habeat huiusmodi vnitatem, quomodo autem poterit natura habere aliquam vnitatem, quam impossibile est, quòd habeat? idem enim esset, ac si affirmaretur, dari potentiam ad actum impossibilem, quod tamen absurdissimum est. Et Confirmatur posito aliquo impossibili iuxta regulam Topicam, quicquid in ipso radicatur impossibile est, vnde quia Chymera est aliquod impossibile, ea, quę vel tanquam passiones, vel tanquam aliquid aliud in ipsa radicantur, impossibilia sunt, ergo cum huiusmodi vnitas fundetur in aliqno impossibili, erit ipsa quoque impossibilis. Quòd autem hæc vnitas fundetur in aliquo impossibili conuincitur ex doctrina horum Auctorum. Inqniunt enim, quòd natura haberet istam vnitatem, si existeret separata ab indiuiduatione, ergo arguendo à potentia ad actum, posset habere hanc vnitatem, in quantum poset separata ab indiuiduatione existere, cnm igitur impossibile sit, quòd existat separata ab indiuiduatione, vt ipsimet concedunt, iam potentia huius vnitatis radicabitur in aliquo impossibili.

VI. Sed amplins vrgeri potest hæc sententia, & posset concedi, fieri posse, quòd natura separata existeret ab indiuiduatione, & nihilominus neque hinc sequeretur, quòd posset habere hanc vnitatem. Quod vt ostendamus, sumenda est ipsa natura considerata secun- 2. ratio

cun-

cundùm ſolùm ſuum eſse abſolutè, prout eſt prior natura ipſamet indiuiduatione, tunc natura ſic conſiderata non poteſt habere hanc vnitatem, vnde ſequitur, quòd merè fictitia ſit. Iſte modus arguendi optimus eſt, quia facta hac conſideratione habetur totum id, quod conueniret naturę ex ſe, ſi ſeparata exiſteret ab indiuiduatione, & nihil aliud tunc haberet, quod ipſi tribuendum non ſit, dum conſideratur, vt eſt prior indiuiduatione, quod autem in hac tali conſideratione non habeat hanc vnitatem, euidenter oſtenditur. Quia tunc in tali conſideratione habet tantùm eadem, quæ ſpectant ad ipſius eſsentiam, & paſsiones, quę eſsentiam conſequuntur, & nihil aliud. Verùm paſſiones, quæ eſsentiam conſequuntur, poſsunt eſse tantùm paſſiones metaphyſicæ cum ipſa natura identificatę, non verò paſsiones, quę ab ipſa realiter diſtinguantur; modò hæc vnitas non ſpectat ad eſsentiam, quia ex genere ſuo vnitas eſt paſſio, neque poteſt eſse paſſio, quia ex vi eſsentiæ intelligitur tantùm vnitas formalis, vt paſſio illius. Deinde deberet habere hanc vnitatem ſibi identificatam, & conſequenter non poſset poni in actu eſsentia, niſi etiam poneretur vnitas, quando enim aliqua identificantur, eum ſtatum, quem habet vnum, habet etiam alterum, quod tamen ipſi non conceduntur.

Natura ſi poſſet ſeparari ab indiuiduatione non haberet vnitatem mixtam ex numerali, & formali.

VII. Atque etiam poſſumus vlterius arguere proſequendo eandem rationem. Natura conſiderata ſecundùm ſuum ſtatum abſolutum, & vt prior natura ipſa indiuiduatione, habet tantùm vnicum ſimplex eſſe formale conſiſtens in indiuiſibili, eſſentiæ enim ſunt ſicut numeri, nec poſſunt in alias metaphyſicas rationes diuidi, niſi deſtruatur ratio formalis naturæ, ergo habet natura ſic conſiderata vnicam tantùm vnitatem, & non duplicem, vt ponunt auctores oppoſitæ ſententiæ, & hæc vnitas erit illa, quam dicet actu. Hæc conſequentia euidens eſt, quia vnitas ex genere ſuo eſt paſsio entis, nec poteſt paſſio multiplicari, niſi multiplicetur etiam ſubiectum, ſic riſibilitas non poteſt multiplicari, niſi multiplicata natura humana, cum igitur natura ſecundùm ſe abſolutè conſiderata dicat tantùm vnum ſimplex eſſe indiuiſibile, habebit tantùm vnicam ſimplicem vnitatem. Præterea inquiri poteſt, an hæc huiuſmodi duplex vnitas ſit eiuſdem ſpeciei, vel diuerſæ; non poteſt dici, quòd ſit eiuſdem ſpeciei, quia inauditum eſt, quòd idem ſubiectum habeat duplicem paſsionem ſolo numero diuerſam, & impoſsibile eſt, cum emanent ab eadem natura. Si verò dicatur, quòd ſit diuerſæ ſpeciei, hoc omninò impoſſibile eſt, quoniam nequeunt paſſiones eiuſdem generis, & ordinis ęquè immediatè, & ſecundùm eandem rationem multiplicari ſpecie, niſi etiam multiplicentur principia ipſarum, & ideo cum natura dicat vnum ſimplex eſſe, & vnitas ſit paſſio conſequens ipſum eſſe, poterit natura habere tantùm vnicam vnitatem.

Natura ſecundù ſtatù abſolutum habet tãtum vnicam vnitatem.

VIII. Tertiò poſſumus noſtram concluſionem confirmare, ſuppoſito eo, quod Auctores oppoſitæ ſententiæ aſſerunt, nempè naturam ſecundùm hanc vnitatem non deſcendere ad inferiora, ſiuè indiuidua, quo ſuppoſito, & etiam ſuppoſito alio euidenti principio, quòd ſcilicet ea, quæ reperiuntur in aliqua eſſentia, ſiuè vt conſtitutiua, ſiuè vt paſſiones identificatæ cum ipſa, (alio enim modo non poſſunt reperiri) ſemper ſint in ipſa formaliter, quia cum ipſa eſſentia conſiſtat in eſſe formali actualiter contento, quicquid ipſi competit vt conſtitutiuum, debet formali modo in ipſa reperiri. Rurſus cum paſſiones ſequantur eſſentiam, quandocumque eſſentia formaliter ſe habet, etiam paſſiones debent ſe formali modo habere, quia comparantur ad ipſam, ſicuti paſſiones phyſicę ad naturam phyſicam actu exiſtentem; ſicuti enim hęc, ſtatim ac exiſtit, habet paſſiones actu exiſtentes, ità natura ſecundùm ſuum eſſe abſolutum conſiderata, ſtatim ac habet ſuum eſſe formali modo, etiam paſſiones illam conſequentes formali modo ſe habent: his, inquam, duobus principijs ſuppoſitis, euidenter conuincitur, non poſſe naturam dicere hanc vnitatem. Si natura diceret hanc vnitatem, illam formaliter haberet, cum igitur vbicumque reperitur natura, reperiatur etiam quicquid formaliter dicit, ſiuè vt conſtitutiuum, ſiuè vt paſſionem, deberet etiam huiuſmodi vnitas reperiri in indiuiduis; cum ergo hęc vnitas non reperiatur in indiuiduis, neque natura illam habet, prout eſt prior indiuiduatione.

3. ratio.

Quæ conueniunt alicui eſſentiæ, ſẽper conueniunt.

IX. Quar-

IX. Quartò vlterius probatur nostra conclusio. Si præter formalem poneretur in natura etiam hęc alia vnitas, quæro, an hę vnitates inter se distinguerentur, an verò non distinguerentur. Hoc secundum non potest vllo pacto admitti, quomodo enim essent duę vnitates, si non inter se distinguuntur? si autem distinguuntur, sequitur magnum absurdum, quòd etiam natura a seipsa distinguatur, quod nullo pacto potest dici. Vt autem hoc probemus, debet supponi, quòd vnumquodque est vnum per suummet esse, quatenus est in se indiuisum; atque licet vnitas dicatur passio entis, non est tamen extra conceptum adęquatum ipsius, vt supra suo loco probatum est, sed est tantùm esse rei inadæquatè conceptum. Rursus debet supponi, quòd non potest haberi aliqua distinctio, nisi habeantur rationes distinctiuæ, quibus suppositis sic conficitur ratio. Si Natura haberet hanc duplicem vnitatem in suo conceptu adæquato, includeret diuersas rationes distinctiuas, per quas hæ vnitates inuicem distinguerentur, ergo natura esset diuisa à seipsa ex vi harum rationum; aut dicendum esset, quòd non esset eadem natura, sed multiplex, verùm tunc variaretur id, de quo controuertitur, nec amplius eadem natura haberet duplicem vnitatem.

Per quid vnumquodque sit vnum.

X. Denique quod maximè ostendit hanc vnitatem esse fictitiam, est, quoniam ponitur realis, & tamen nullo pacto est. Quod sic ostenditur. Quod reale est, reperitur extra intellectum independenter ab ipso, vel tanquam aliquid existens, vel tanquam aliquid potens existere, & quod potest existere in se habet.vt possit poni in actu, & fieri existens. Rursus quicquid est possibile, vel existens, aut est aliquod indiuiduum, aut saltem existens in ipso indiuiduo, vt quid cum ipso identificatū, de existētibus enim id euidens est, quia quicquid producitur est terminus actionis singularis: de possibilibus probatur, nam possibilia nihil aliud sunt, nisi ipsamet existentia indiuidua, prout possunt existere, sicuti enim existentia, dum actu existunt, habent actualem indiuiduationem, ita possibilia habent suam indiuiduationem possibilem, quo seruata proportione eodem modo se habet ad naturam possibilem, ac se habeat indiuiduatio actualis ad naturam actualem. Hoc posito deducitur ratio: Hæc vnitas non potest conuenire naturæ, quando est simul cum indiuiduatione, vt ipsi asserunt, quia pugnat cum indiuiduatione, ergo hęc vnitas non potest reperiri neque in natura possibili neque in natura existenti, & consequenter non est aliquid extra intellectum, vbi enim, quæso extra intellectum reperietur, cum non possit reperiri in natura secundùm nullum ex ijs statibus, quos extra intellectum potest habere? Ex quibus patet, quàm improbabiliter hęc vnitas introducta fuerit, & sine fundamento, quia licet natura habeat, secundùm se considerata, illam aptitudinem, quam dicebat Fonseca, vt possit esse in multis, hæc tamen aptitudo, quia non est distincta ab ipso esse naturę. quæcumque sit, nec etiam fundat aliam vnitatem ab illa, quæ consequitur esse naturæ. Cum autem, inquit Fonseca, quòd per suam vnitatem naturæ numerantur, dicendum est, quòd numerantur per suam vnitatem formalem, nam quælibet vnitas potest conficere numerum, vnitas autem numeralis propriè sumpta, est propria indiuiduorum, & consequitur esse indiuiduale.

5. ratio.

Quod est reale, est independenter ab intellectu.

Vnitas mixta non potest reperiri in natura cum dupliciquemuis statu accepta.

XI. Hinc ponimus tertiam Conclusionem. Natura secundùm statum essentiæ, seù absolutę considerata, habet vnitatem formalem, quæ est formaliter, & positiuè vnitas, vnde est vna positiuè vnitate formali. Ab hac conclusione videtur dissentire etiam Auersa loco citato q. 8. suæ Logicæ sectione 8. vbi docet, quòd natura secundùm statum essentiæ est tantùm negatiuè vna, hoc est, nec vna, nec multiplex modus, quia nonnulli Auctores præcipuè D. Th. De ente, & essentia cap. 4. & Auicen. asserunt, quòd natura secundùm se, neque est vna. neque multiplex, sed cum hi Auctores tali pacto loquuntur, intelligunt, quòd natura secūdùm se considerata, neque est vna, neque multiplex vnitate numerica, siuè indiuiduali, quia sicuti, vt dicimus, nullam habet ex se indiuiduationem, ita neque habet ex se aliquam vnitatem, aut multiplicitatem indiuidualem, sed potest esse vna indiuidualiter, vel multiplex, quia potest recipere indiuiduationem.

3. concl. Natura absolutè accepta habet vnitatē formalem positiuā.

Auersa.

D. Th. Auicen.

XII. Pro-

1. ratio. XII. Probatur nostra Conclusio stante hoc principio, quòd vnitas sit passio entis. Posito principio positiuo alicuius passionis, debet etiam poni positiua passio, & hoc nedum verum est in passionibus physicis, sed multò magis in metaphysicis, quæ cum suomet principio identificantur. Cum igitur natura secundùm statum essentiæ habeat suam peculiarem rationem entis positiui, qua constituitur in esse talis naturæ, habebit etiam suam peculiarem vnitatem formalem positiuam, tanquam propriam passionem sibi identificatam, quomodo enim principium positiuum habebit passionem sibi identificatam, quæ sit aliquid negatiuum? Confirmatur. Ens habet suam vnitatem, qua est positiuè vnum vnitate transcendentali proportionata ipsimet enti vt sic, ergo seruata proportione, debet tale esse habere talem vnitatem, qua constituatur positiuè vnum, & consequenter, esse formale naturæ debet habere suam vnitatem formalem, qua positiuè constituatur vna. Præterea cum vnitas quęlibet consistat in indiuisione rei, & vnumquodque constituatur in diuisum in se per suummet esse, fit, quòd non possit habere esse positiuo modo, nisi etiam positiuo modo se habeat vt indiuisum in se, & per consequens, quòd sit vnum positiuè, ergo etiam natura absolutè considerata, ex vi suimet esse constituitur positiuè in se indiuisa, & positiuè vna.

Principium positiuum vnitatis causat vnitatem positiuam.

XIII. Quod rursus declarari potest. Ita se habet esse indiuiduale formaliter consideratum ad indiuiduum, sicut se habet esse formale ad naturam absolutè consideratam, & vtrumque esse præcisè consideratum est aliquid reale positiuum, ergo sicuti esse indiuiduale constituit indiuiduum positiuè vnum vnitate indiuiduali, ita etiam esse formale naturę debet constituere naturam positiuè vnam vnitate formali; nulla enim videtur maior ratio, cur esse indiuiduale conferat in suo genere vnitatem positiuam, & non conferat esse formale in suo, quoniam si inquiras, cur esse indiuiduale faciat esse vnum positiuo modo? nulla alia ratio reddi potest, nisi quia est aliquod esse positiuum; at etiam esse formale naturæ est quid positiuum, cur igitur nón reddet vnum positiuo modo in suo genere?

Omne esse facit positiue vnum.

XIV. Secunda ratio principalis est. Natura secundùm statum essentiæ est aliquid vniuocum commune pluribus, & habet vnicam definitionem, ita vt positiuo modo substernatur vnicæ definitioni, ergo debet esse positiuè vna, antecedens est certum, natura enim humana descendit vniuocè ad omnes homines, de ratione autem conceptus obiectiui vniuoci est, quòd habeat vnam rationem, seù quidditatem, & quòd vt vnus substernatur vnicę definitioni. Consequentia etiam probatur, nam natura eo pacto debet esse vna, quo est vniuoca, & quo substernitur vnicæ definitioni, cum igitur positiuo modo sit vniuoca, & positiuo modo definiatur, debet etiam positiuo modo esse vna, si quidem vniuocatio consistit in vnitate, vnde positiua vniuocatio in positiua vnitate, & quod definitur vt vnum, & vt positiuum, debet esse positiuè vnum.

2. ratio.

Natura secundũ se posit vniuoca.

XV. Ex quo impugnata manet responsio Auersæ, qui supra citato loco ait, definitionem esse tantùm eo modo vnam, quo definitum est vnum, & sufficere, quòd natura sit negatiuè vna, idest non multiplex, nam definitio vt dictum est, cadit supra esse positiuum rei, vt vnum, ita vt vnitas sit imbibita in esse rei definitę, & constituat vniuocationem, quomodo igitur constitue: vniuocationem positiuam, & imbibetur in esse positiuo, nisi sit quid positiuum? Et vrgeri potest hæc resp. amplius. Natura considerata secundùm suum esse formale consistit in indiuisibili sicuti numeri, ità vt indiuisibilitas ipsi conueniat ab intrinseco, & imbibatur in esse ipsius, sine qua non possit concipi, ergo illam reddit positiuè indiuisibilem, nam per id, quod in suo esse imbibitur, redditur indiuisibilis, non potest autem in suo esse imbibere aliquid non positiuum, neque enim negatiuum imbibitur in positiuo, si igitur est positiuè indiuisibilis, erit etiam positiuè vna, cum vnitas consistat in indiuisione.

Excluditur responsio Auersæ.

Definitio cadit supra esse positiuum.

Natura intrinsece indiuisibilis.

XVI. Tertiò argumentor. Natura absolutè considerata participat cæteras passiones entis positiuo modo, nempè veritatem, & bonitatem, ita vt proportione seruata ad ens vt sic, dicat talem veritatem, & bonitatem, ergo debet etiam positiuo modo participare vnitatem: consequentia tenet à pari, quæ

3. ratio.

Natura absolutè accepta participat positiuo modo passiones entis.

enim maior ratio, cur participet passiones aliquas eiusdē prīcipij positiuo modo, alias verò nō participet? si enim principium est sufficiens, vt positiuo modo inferat aliquas passiones, erit etiā sufficiens, vt inferat omnes, quę in ipso radicātur; imò cum secundùm eandem rationem inferat oēs, non poterit vnā inferre; nisi eodē modo inferat alias. Antecedēs ostēditur. Natura absolutè cōsiderata, ne dū secūdùm rationē entis vt sic, sed etiam secūndū rationē talis entis, & vt dicit propriū cōstitutiuum attingitur ab intellectu secūdùm rationē talis veritatis; cū igitur intellectus attingat naturā, dicētem rationem talis entis veri, debet talis veritas positiuo modo se habere, intellectus enim nō potest ferri in obiectū, quod positiuo modo nō se habeat; rursus etiā natura dicit talē rōnem bonitatis, bonitas autē, cū sit obiectum voluntatis, debet etiā positiuo modo se habere, neq; enim voluntas potest ferri in obiectū, quod negatiuo modo se habeat.

4 ratio

XVII. Quartò probatur eadē concl. Natura secūdū statum essentię nō habet per quid plurificetur positiuè, ergo est vna positiuè: antecedēs huius probationis certum est, & euidens, nam natura, secundùm statū essentię habet tantùm suum esse propriū essentiale, idē autem per suummet esse nō potest plurificari, alioquin idē distingueretur à seipso. Cōsequentia probatur; nam vnū & multa opponūtur, & se inuicē tollūt, ita vt in quocunq; ente debeat alterum ex his inesse; omne enim ens, aut est vnū, aut multa, & esse vnum positiuè, & esse multa positiuè immediatè etiam opponuntur, ergo si à natura ex vi sui esse tollitur positiua pluralitas, debet poni positiua vnitas, per quā tollatur, quia ex illis, quę immediatè opponuntur, & adęquant totam latitudinē entis, vnū non tollitur nisi per suū oppositū; pluralitati aūt positiuæ nō opponitur nisi positiua vnitas. Atq; hæc rō maiorem hēt efficaciā in nostra sententia, quę asserit, quòd vnū, & multa opponātur cōtradictoriè, seu priuatiuè, & quòd vnitas sit extremū positiuū, quod in hac oppositione interuenit, quocirca, vt natura non sit multiplex, debet hēre cōtradictoriū positiuū pluralitatis, quod erit positiua vnitas

Ablata positiua pluralitate ponitur positiua vnitas

Occurritur resp.

XVIII. Nec valet responsio Auersæ loco cit. quòd scilicet solùm in statu existentiæ non possit dari mediū inter contradictoria, benè tamen in statu essentię; nā contradictoria sēper contradictoria sunt, & in quocunq; statu, cōsiderentur sēper immediatè opponūtur, & per cōsequens alterum ipsorū debet inesse, quādo subiectū est in tali statu, vt possit fundare contradictionē, quod ideo dixi, quia quando cōtradictio fundatur in aliquo inferiori, vtputa in specie, quia genus nondum peruenit ad fundamentum contradictionis, pōt abstrahere ab vtroq; cōtradictorio; sic abstrahit ab irrationali, & rationali, etiam si irrationale merè negatiuè sumatur; verùm si subiectū sit in statu, vt possit fundare contradictionem, semper alterū contradictoriorū debet inesse, siue in statu essentię, siue existentiæ, alioquin tolleretur veritas illius vniuersalissimi principij, *Quodlibet est, vel non est*, quod cum sit verum in quolibet, etiam verum debet esse, quòd alterum ex contradictorijs debeat inesse, quia veritas huius propositionis fundatur in ipso. Rursus ideo in statu existentię alterum ex cōtradictorijs debet inesse, quia totum id, quod dicit vnum, tollitur ab alio, & immediatè opponuntur, & quòd alterū debeat inesse, prouenit ex natura contradictionis; at etiam in statu essentiæ immediatè opponuntur, & quod dicit vnum, tollitur totum ab alio, ergo prorsus falsū est, quòd etiam in statu essentiæ nō debeat alterum inesse, & quod dicitur de contradictorijs, dicendum est etiam de priuatiuis, quādo subiectū est in statu, vt possit habere formā, & priuationem, nā etiā priuatio est negatio formæ. Modò si loquimur de vnitate, & pluralitate, hęc fundatur in suprema rōne entis, & vnitas, & pluralitas verè priuatiuè opponuntur, & sunt immediatè opposita: ergo quæcūq; ratio entis debet habere alterū ex his positiuo modo, quia tā vnitas positiuè se habēs, quā pluralitas positiuè se habens priuatiuè opponuntur.

In nullo statu potest dari medium inter contradictoria.

Vnde prouenit, quod inter contradictoria non detur mediū.

XIX. Nec video etiā, quomodo subsistat id, quod ait idē Auersa loco cit. in resp. ad 2. obiect. videlicet naturā secundùm statū absolutū consideratā esse negatiuè vnā, quia non est multiplex, & vnitatem, quæ est passio entis, posse saluari merè negatiuè, seù etiam per rōnem cum fundamento in re. Rursus posse assignari pro passione entis, vnitatē indiuidualē, pręcisā tamen, & abstrahente ab hac, vel illa vnitate īdiuiduali, vt sic:

Reijcitur doctrina Auersæ.

vnde etiam naturę secũdùm suum statũ absolutum cõueniet vnitas indiuidualis in cõmuni sumpta. Hęc enim doctrina plura reprehẽdenda continet; inprimis enim sibi non constat, cum enim vnitas indiuidualis sit vnitas reddens positiuè vnum, etiam in cõmuni, & præcisè considerata debet esse talis, quia adhuc seruat suam rõnem formalẽ, si ergo hæc est passio entis, quomodo poterit ens, & naturę inferiores esse vnũ negatiuè, cũ habeãt vnitatẽ, quę reddit vnũ positiuè? Deinde non video, quomodo possit affirmare, quòd vnitas, quæ ést passio entis, possit saluari merè negatiuè, & per rationẽ; si est passio realis, & ens est essẽtia positiua, quomodo nõ habebit suas passiones positiuas indepẽdenter à ratione, sicuti etiam habet realitatem, & bonitatem? aut si e st quid negatiuũ, & habens esse solùm per rationẽ, non erit vnitas vera passio entis, quod nemo cõ cedet. Præterea vnitas indiuidualis sequitur proportionaliter ad vnitatẽ trãscendentalẽ, & sicuti vnitas trãscẽdentalis sequitur ad ens, vt sic, ita indiuidualis ad tale ens seruata proportione, ergo si vnitas indiuidualis consequitur talis ad tale esse, vt ipsũ esse reddat positiuè vnum, debet etiã vnitas transcẽdẽtalis ità sequi ad ens, vt sic, vt reddat positiuè vnum. Quod rursus declarari potest. Si ens vt sic non faceret esse positiuè id, quod est ens, neque etiam tale ens faceret esse tale positiuè; sic si ratio animalis vt sic non exhiberet vitam, neq; etiã ratio talis animalis exhiberet talẽ vitã; quia quod non prętat genus, neq; etiam præstant differentię seruata proportione, & si genus nõ est aliquod positiuum, neq; etiam species sunt aliquod positiuum. Cum igitur vnitas transcendẽs sit suprema vnitas, si ipsa nõ reddit vnum positiuè, neq; etiam vnitates inferiores reddent vnum positiuè. Rursus natura non est multiplex, ergo est vna per rationem formalem constitutiuam alicuius vnitatis, non pot st autẽ ratio formalis constitutiua vnitatis intelligi, nisi intelligatur, quòd reddat positiuè vnũ, quia ex genere suo ratio formalis vnitatis reddit positiuè vnũ, sic quia indiuiduum nõ intelligitur multiplex indiuidualiter, intelligitur positiuè vnum indiuidualiter; à pari ergo ex eo, quòd natura non intelligitur multiplex formaliter intelligetur vna positiuè vnitate formali.

Vnitas transcendentalis reddit positiuè vnum.

XX Sed quod magis displicet in eadem doctrina est, quòd vnitas indiuidualis præcisè sumpta, seu in communi sit passio entis. Vnde in primis arguo. Positis diuersis gradibus, & essentijs, ponuntur etiam diuersæ passiones, quę ipsas consequuntur, ergo cũ vnitas sit passio entis, positis diuersis gradibus entis, & diuersis rationibus, ponentur etiã diuersæ species vnitatis, quomodo enim ratio indiuidualis, vt talis est, causabit eandem vnitatẽ, quam causat ratio specifica, aut generica? Et hæc ratio habet maiorem efficaciam secundùm verã sententiam, quę asserit, vnitatem ità esse passionem entis, vt cum ipso identificetur, tunc enim sicuti sunt diuersę rationes entis, erunt etiam diuersæ vnitates. Rursus vnitas indiuidualis consequitur esse indiuiduale, & vnitas indiuidualis vt sic esse indiuiduale, vt sic, ergo neque in communi concepta, & præcisè considerata potest esse passio entis. Tertiò argumentor. Vnitas indiuidualis, siuè determinatè accepta, siuè in communi, habet eandem rationem formalem, semper enim est indiuidualis vnitas, ergo reddit incommunicabile, & immultiplicabile in pluribus, debet enim semper, cum seruet eandem rationem formalem, exhibere eundem effectum formalem; ex hoc autem fit, quòd omninò implicet, indiuidualem vnitatem quocumque modo sumptam, conuenire rationi, quæ de se communis sit pluribus, nam ab ipsis tolleret omnem multiplicabilitatem. Confirmatur, vel participat veram rationem vnitatis indiuidualis, vel non? si participat; ergo debet reddere incommunicabile quodcumque afficit, nam hic est primarius effectus formalis ipsius; si verò non participat, ergo non est vnitas indiuidualis, sed alia. Denique ea, quæ diximus conclusione prima, in qua ostendimus, non posse vnitatem indiuidualem conuenire naturæ absolutè consideratę, impugnant etiam hanc partem huius Doctrinæ.

Vnitas indiuidualis est passio entis vt sic.

XXI. Quarta concl. Hæc vnitas formalis, qua positiuè est vna, ità est propria naturę communis, vt nulli alteri illam cõmunicet, nisi cõmunicãdo seipsã vnde in indiuiduis est tantũ ex vi naturę communis, quã participãt. Hæc conclusio facilis est, & suadetur, quia vnitas vt sic

4. concl. Vnitas formalis communicatur tantum ratione naturæ

sic est propria passio entis vt sic, & consequenter talis vnitas, est propria passio talis entis, quare cū propriæ passiones non possint alteri communicari, nisi illo principio à quo fluunt, hinc fit, quòd, neque vnitas formalis possit alteri conuenire, quam naturę, cuius est vnitas; quod magis ex eo conuincitur, quia est passio metaphysica, quæ identificatur cum ipsomet esse; imò iuxta nostram sententiam est ipsummet esse inadęquatè conceptu apprehensum; vnde cū tale esse non possit alteri conuenire, non poterit etiam vnitas conuenire, & sicuti vnitas indiuidualis non potest alteri cōuenire quàm esse indiuiduali, ita etiam vnitas formalis solùm naturę communi conuenit. Verùm sicut in quolibet indiuiduo includitur natura, ita etiam debet includi vnitas naturæ: vnde ratione naturę communicatur indiuiduis.

Occurritur obiectioni.

XXII. Solùm huic nostræ sententię videtur obesse, quòd si natura haberet hanc vnitatem positiuam sibi conuenientem in statu essentiæ deberet illam semper retinere, vnde haberet repugnantiam cum pluralitate, ità vt ipsi repugnaret multiplicari in inferioribus, non potest autē habere hanc vnitatem positiuam, tanquam propriam passionem, sic quia essentia Diuina est vna, non potest in pluribus multiplicari. Verùm hæc obiectio nihil vrget, supposito, quòd dentur diuersæ vnitates, prout sunt diuersi gradus entis, quod necessariò concedendum est, vt supra dictum fuit, quo posito, solùm verum est, quòd vna vnitas opponatur non cum omni pluralitate, & multitudine, sed solùm cum ea, quę sibi correspondet in eodē gradu entis; sic pluralitas indiuidualis solùm opponitur vnitati indiuiduali, vnde etiam vnitas formalis, licet positiua, solùm opponitur pluralitati formali; & ex eo, quòd natura habet tanquam propriam passionem hanc vnitatem, numquam potest habere pluralitatem formalem, non verò opponitur pluralitati indiuiduali, quia hæc non correspondet in eodem gradu entis; vnde potest stare vnitas formalis, & pluralitas indiuidualis in eodem, & consequenter potest natura descendere ad inferiora retinendo hanc suam vnitatem, dummodo in inferioribus plurificetur indiuidualiter: sic natura Diuina non potest plurificari, quia est vna etiam singulariter, & ideò illi repugnat quæcumque pluralitas, non tamen pluralitas personarum.

Vnitas cum qua pluralitate opponatur.

Quæ cōueniunt naturæ secundū se semper conueniūt.

XXIII. Atque ex dictis colligitur, quòd ea, quæ naturæ per se conueniunt, hoc est ex vi suæ essentiæ, siuè vt constitutiua, siuè vt passiones, debent illi semper conuenire in quocumque reperiatur, ita vt non possit oppositum conuenire; quod enim per se conuenit, inseparabile omninò est. Atque hinc etiam clarum fit, quomodo idem sit, aliquid per se conuenire naturę, hoc est in primo, siuè secundo modo dicendi per se, & aliquid ipsi conuenire secundùm se, hoc est naturæ consideratæ absolutè, seù secundùm statum essentiæ. Et ratio est, quia natura secundùm statum essentiæ nihil aliud dicit, nisi suum esse, & quæ ipsum consequuntur, tanquam passiones, alioquin non consideraretur secundùm purum statum essentię, quę autem conueniunt, vt passiones, aut constitutiua essentiæ, conueniunt per se in primo, aut secundo modo dicendi. Nec valet instantia, quam facit Fonseca citat. lib. 5. Metaph. c. 28. q. 3. sect. 4. §. *Quod si quis respondeat*, quòd naturę secundùm se consideratæ conueniunt aliqua prædicata negatiua, quæ tamen illi non conueniunt per se, vt non existere realiter, non generari, non corrumpi, & alia huiusmodi, nam vt optimè aduertit Caietanus, ista prędicata negatiua possunt dupliciter considerari, & formaliter, & fundamentaliter. Formaliter accepta, quia sunt entia rationis, non conueniunt naturę absolutæ, & secundùm se, sed tantùm per opus intellectus, & in se ista prędicata nihil sunt, vnde non hinc sequitur, quòd aliquid naturę secundùm se conueniat, quòd non conueniat per se. Si verò considerentur fundamentaliter, tunc nihil aliud dicunt, nisi ipsum esse naturę, quatenus fundat hæc prędicata negatiua.

Idem est conuenire per se & secūdum se naturæ absolutè acceptæ.

Fonseca.

Caiet.

Quam vnitatem habeat natura secundum statum realis existentiæ. Disp. XV.

Varij modi dicendi.

SECTIO I.

I. CONsiderauimus naturam secundùm statum absolutum disputatione præcedenti, nunc consideranda est secundùm statum realis existentię, & inquirendum, quam vnitatem habeat. Difficultas autem in hoc sita est, an videlicet habeat aliquam aliam vnitatem distinctam à numerali, seù indiuiduali; in qua difficultate sunt varij modi dicendi. Primus est Scoti in 2. dist. 3. quęst. 1 & 7. metaphys. quęst. 19. Lichet. & Tartar. locis citatis, Ant. Andr. 7. metaphys. quęst. 16. & lib. 1. q. 1 Tromb. lib. 7. metaphys. quęst 38. Venet. 2. metaphys cap. 3. & quæst. de vniuersali. Piccolomin. 1. Phy. t. 5. Moulorius disput. de vniuersali cap 5. & 6. Rada 2. part. controuer. 3. art. 1. Meurisse 2. suę Metaph. cap. 3. quæst. 3. & sequuntur communiter Scotistę, volunt hi auctores, quòd natura in statu existentiæ habeat aliquam vnitatem, quæ sit minor numerali, quæ iuxta ipsorum principia sit distincta ex natura rei ab indiuiduatione. Rursus hæc vnitas, quam habet natura, & est minor numerali, non multiplicatur per ipsos in inferioribus, sed est eadem in omnibus, & ex hoc capite dicitur minor numerali, quia numeralis vnitas reperitur tantùm in vno, hęc in pluribus, & est quædam vnitas communis.

1. opin. Naturā habere vnitatem in statu existentiæ minorem numerali. Scot. Lychet. Tartar. Anton. Andr. Tromb. Venet. Piccol. Moulor. Rada. Meuris.

II. Diuersimodè autem explicant hanc opinionem Scotistæ, vt refert Rada citatus: nam alij dicunt, quòd vnitas hæc sit alia, & alia in quolibet indiuiduo, vnde alia est vnitas minor indiuiduali in Petro, alia in Paulo, hę autem vnitates in diuersis indiuiduis distinguuntur extrinsecè ratione differentiarum indiuidualium. Verùm hic modus explicandi coincidit cum opposita sententia mox referenda. Alij autem dicunt, quòd natura habet eandem vnitatem minorem numerali in omnibus indiuiduis, non quidem positiuam, sed priuatiuam: vocant vnitatem positiuam illam, qua aliquid in se est positiuè vnum: Priuatiuam autem vnitatem vocant illam, qua aliquid non habet vnitatem sibi conuenientem ratione aliquorum extrinsecorum, quibus præcisis, remanet cum sua vnitate conuenienti; sic igitur natura habet in indiuiduis hanc vnitatem priuatiuam, quia ob conditiones indiuiduantes non habet vnitatem sibi conuenientem, si tamen ipsę pręscindantur, habebit vnitatem sibi conuenientem. Tertius modus est, quòd hęc vnitas minor numerali, sit eadem positiuè in omnibus, quia non est inconueniens, quòd hęc vnitas stet cum plurificatione indiuiduali, cum hæc plurificatio non opponatur tali vnitati, & hanc explicationem videntur sequi pręallegati auctores.

Diuersi modi dicendi huius sententiæ.

III. Alter autem modus dicendi est, quòd quidem natura in statu existentiæ habeat suam vnitatem formalem, non tamen, quæ sit eadem in omnibus indiuiduis, sed propria vniuscuiusque; quia videlicet in ipsis multiplicetur natura, & consequenter etiam multiplicetur vnitas naturæ, ex quo fit, quòd quodlibet indiuiduum habeat duplicem vnitatem ratione distinctam, alteram formalem, & alteram indiuidualem, formalis sequitur naturam, indiuidualis verò esse indiuiduale, & hanc etiam vnitatem formalem vocant aliqui vnitatem communem negatiuam, quia videlicet non prouenit ab intrinseco naturæ, sed ab indiuiduatione. Hanc opinionem tribuunt D. Th. de ente, & essentia cap. 4. & eam sequuntur Caietanus ibidem q. 6. Albert. Magn. tract. 2. Pręcicabil. cap. 6. quam etiam tribuit Arabibus nempè Auerroi Auicennę, Algazél. Soncin. 7. Metaph. q. 40. Suess. q. 17. Iauell. in Logica tract. 4. de quinque vniuersali-

2. opinio Naturā in statu existentiæ habere vnitatem formalem multiplicatam.

D. Th. Caiet. Albert. Magn. Auer. Auicen. Algazel. Soncin. Suess. Iauel. Them. &c.

bus. Themist. Paraphras. supra proemium Arist. de anima cap. 4. Aphrodis. 7. Metaph. Petrus Niger in suo Clypeo q. 11. Suar. in Met. disp. 6. sect. 1. num. 8 & seq. Auersa in Logica q. 8. sect. 6. & communis est extra scholam Scotistarum, præsertim apud recentiores.

Aphrod. Petrus Niger. Suarez Auersa.

IV. Docet autem Serna in Logica disp 1 sect. 4. quęst 6. & est tertia sententia art. 5. quod in substantijs spiritualibus, quibus repugnat multiplicatio, datur vnitas formalis, seu essentialis positiua in quolibet singulari distincta ab indiuiduali, quia multiplicatio non potest ijs repugnare, nisi ratione huius vnitatis. In alijs autem naturis, quę possunt multiplicari, esse vnitatem positiuam essentię, non autem essentialem. ponit autem discrimen inter vnitatem essentialem, et essentiæ, seu formalem, et formæ, quòd illa intrinsecè conuenit, et inseparabiliter, vnitas verò essentię, seu formæ potest accidentaliter modificare naturam, & ideo potest natura esse sine ipsa. Conclus. verò 3. vult, neque ratione distingui hanc vnitatem ab indiuiduali, sed tantùm secundùm esse magis, vel minus explicitum. Vnde tollit vnitatem formalem, sed ex falso fundamento, quod Natura secundùm se non habeat vnitatem formalem.

3. sent. Negans vnitate formale. Serna.

Vera sententia.

SECTIO II.

I. Vt veram sententiam proferamus, sciendum est, quòd vnitas, quæ est secundùm prędicata essentialia, solet communiter vocari formalis, vnitas verò indiuidualis, materialis. Ratio autem est, quia cum prędicata quidditatiua sint essentialia constitutiua, etiam se habent veluti formę metaphysicę, & vnitas, quæ est secundùm ipsa, est vnitas formalis, hoc est secundùm formam. Quia autem predicata quidditatiua exhibent suos effectus formales indiuiduis, ideò ipsa indiuidua, vt talia sunt, respectu prædicatorum essentialium se habent veluti materia, & vnitas secundùm indiuiduationem solet dici materialis, quę est etiam vnitas secundùm entitatem physicam. Verùm sicuti in prędicatis quidditatiuis distinguuntur plures gradus, nempè specificus, subalternus, genericus, ita etiam dantur diuersæ vnitates consequentes hos gradus, vnde licet omnes sint vnitates formales, alia tamen est vnitas secundùm genus, alia secundùm speciem; ex quo fit, quòd aliqua sint vnum genere, alia verò specie, vt etiam docet Arist. 5. Metaph t. 12. vbi inquit, *Item alia numero, alia genere, alia specie, alia analogia vnum sunt*. Et ratio manifesta est, quia secundùm diuersos gradus entis debent assignari diuersę vnitates, cum sint ipsius passiones.

Vnitas essentialis dicitur formalis, & indiuidualis materialis.

II. Vt autem pro explicatione veræ sententiæ à facilioribus incipiamus, hoc certum, & euidens est, quòd in quolibet indiuiduo reperitur vnitas formalis realis naturę, atque hanc esse vnitatem positiuam. Hoc sequitur ex dictis disputatione pręcedenti. Si enim natura communicatur indiuiduis, debet etiam communicari cum sua vnitate, quia est passio cum ipsa identificata, nec potest natura reperiri in aliquo, nisi reperiatur in eo secundùm ea, quę sibi essentialiter conueniunt, vel etiam secundùm passiones proprias, quæ non sunt separabiles à subiecto. Atq; quòd natura tanquam aliquid reale cum sua vnitate reperiatur in indiuiduis, est adeò manifestum, vt inquit Caietanus loco citato, quòd nemo sanæ mentis possit id negare, est enim in ipsis vera essentia talis, vel talis naturæ, quæ includit prædicata, per quam constituitur in esse talis naturæ. Rursus cum vnitas constituatur per indiuisionem, multiplicata indiuisione multiplicantur etiam vnitates. cum igitur natura, quæ est in indiuiduis sit secundùm prædicata quidditatiua, seu secundùm rationem talis naturæ indiuisa, neque enim habet per quid plurificetur, dicet etiam vnitatem formalem talis naturę, atque hęc vnitas, positiua est, vt diximus disputatione præcedenti.

In quo... indiuiduo vnitas forma... natur.

Caiet.

III. Rursus etiam verum, & euidens est, quòd quodlibet indiuiduum habet vnitatem indiuidualem sibi propriam, per quam redditur incommunicabile alteri indiuiduo, & à quocumque alio distinguitur materialiter, hoc est indiuidualiter. Atque hoc ipsum in rebus sensibilibus sensu ipso per ci-

Quodlibet indiuiduum habet vnitatem indiuidualem sibi propr...

cipitur, per sensum enim percipimus hanc indiuidualem diuisionem, seu materialem diuersitatem: sic Petrus non est Paulus, & potest tolli vnum indiuiduum non ablato altero, quod fieri non posset, nisi essent diuersa, atque ex vi huius diuersitatis constituitur multitudo indiuiduorum intra eamdem speciem, atque hinc fit, quòd alia sit entitas vnius indiuidui, & alia entitas alterius. Verùm aduertendum est, quòd vnitas indiuidualis, sicuti ponit tantùm indistinctionem indiuidualem, seù materialem, ita etiam formaliter loquendo diuersitas etiam indiuidualis ponit tantùm distinctionem materialem, quia hic est ipsius effectus adæquatus.

Vnitas formalis non distinguitur ante operationem intellectus ab indiuiduali.

IV. Si autem comparetur vnitas formalis naturę, quæ est in singulis indiuiduis, cum vnitate indiuiduali, non est dicendum, quòd inter se distinguantur ante operationem intellectus, sed omnino sunt identificatę, vt dicemus, quando agemus de indiuiduatione, quia neque etiam gradus essentię inter se distinguuntur ante operationem intellectus; sicuti enim esse formale, & esse indiuiduale non distinguũtur à parte rei, ita etiam neque vnitates, quæ consequuntur tanquam passiones; fundantur enim in eadem entitate, quare neque entitatiuè possunt distingui; in quo dissentimus à nonnullis Scotistis, qui ponunt distinctionem in re; an verò ponant de mente Scoti, quia res cõtrouersa est, ideo hoc infra remittimus, vbi agemus de distinctionibus. Verùm ità hæ duæ vnitates se ad inuicem habent, vt distinguantur ratione cum fundamento in re, nam rectè possumus cõcipere vnitatem formalem nihil cogitando de indiuiduali, quod sufficit, vt dicamus, quòd distinguãtur secundùm suos conceptus diuersos; atque adeo per rationem cum fundamento in re.

Vnitas formalis est essentialiter diuersa ab indiuiduali.

V. Verùm hic aduertendum est, quòd licet vnitas formalis concipiatur ad modum vnitatis indiuidualis, tamen reuera diuersa est essentialiter ab ipsa, & ideo sic illam concipimus, quia intellectus noster non habet species, nisi rerum sensibilium, vnde etiam cum sola vnitas indiuidualis sensibilis sit, solũ habet propriam speciem illius & cum intelligat res, quarum species non habet, per species rerum, quas habet, ideò concipit quamlibet vnitatem per speciem vnitatis indiuidualis: in hoc tamen corrigendus est modus conceptionis, & statuendum, quòd vnitas formalis est longè diuersa ab indiuiduali, & colligitur ex diuersis gradibus entis, quos consequuntur. Hinc etiam fit, quòd formaliter loquendo vna sit extra aliam, vtpote diuersa: vnde vnitas indiuidualis aduenict quidem formali vt contractiuum, tamen semper formaliter erit ipsi extrinseca, sicut forma est secundũ entitatẽ extrinseca materiæ, licet faciat vnum per se cũ illa. Nunc igitur difficultas huc redacta est, an vnitas hæc formalis sit vna respectu omnium indiuiduorum. Et quia certum est, naturam multiplicari indiuidualiter aduenientibus diuersis vnitatibus indiuidualibus, ideo videndum est, an stante hac multiplicitate indiuiduali, adhuc natura remaneat vna in omnibus indiuiduis per suam vnitatem formalẽ, quam ipsis communicat.

Conclusio.

Natura est vna vnitate formali in omnibus indiuiduis.

VI. Dicendum est, non obstante hac multiplicitate indiuiduali, naturam esse vnam in omnibus indiuiduis suamet vnitate formali reali positiua, ita vt multiplicatio indiuidualis ponat distinctionem materialem, non verò formalem. Probatur conclusio. Natura secundùm se considerata, habet suam propriam vnitatem, quæ est vna positiuè, ergo etiam, quando ponitur in pluribus indiuiduis per multiplicationem indiuidualem, remanet vna in omnibus habens eandem vnitatem in ipsis omnibus, ita vt eadem vnitas formalis sit in omnibus. Antecedens est certum ex dictis disputatione præcedenti, vbi ostendimus, naturam secundùm statum essentiæ esse omninò vnam vnitate formali positiua. Consequentia verò declaratur. Indiuiduatio est extra naturam secundùm se considerata, ita vt indiuiduatio Petri sit extra naturam, quæ est in Petro, & indiuiduatio Pauli extra naturam, quæ est in Paulo, ergo non

Multiplicatio indiuidualis non tollit vnitatẽ formalem.

potest ponere multitudinem in ipsa natura, quia nihil ponit multitudinem in eo, cui est extrinsecum, & consequenter cum non sit in indiuiduis alia multitudo, nisi quę prouenit ab esse indiuiduali, non tollet hæc indiuiduatio vnitatem, quę ex se conuenit naturę, etiãsi natura in pluribus ponatur, sed adhuc remanebit vna in omnibus sua vnitate formali.

VII. Atque poſſumus vlterius pergere confirmando eandem rationem. Non poſſet natura ſecundùm ſe eſſe multiplex, niſi ex vi indiuiduationis diuideretur ſecundùm ſuum eſſe, nam ſola indiuiduatio eſt illa, quæ ponit multitudinem in indiuiduis, ſed ex vi indiuiduationis non diuiditur natura ſecûdùm ſuum eſſe abſolutum, ergo remanet vna in omnibus indiuiduis; neque enim poteſt vllo pacto fieri, quòd fiat multiplex ſecundùm ſuum eſſe, niſi ſecundùm idem eſſe in pluribus diuidatur: maior huius confirmationis euidens eſt, & ſolùm ſupereſt probanda minor, quæ ſic declaratur. Vnitas, vel multitudo eſt quidem paſſio entis, ſed tamen non eſt aliquid ipſi ſuperadditum, ſed vnumquodque eſt vnum, vel multiplex per ſuummet eſſe; vnde verum eſt illud axioma. Quòd *Conſtitutiuum, eſt etiam diſtinctiuum*, vnumquodque enim ſicuti per ſuum eſſe conſtituitur, ità etiam per ſuum eſſe, eſt vnum in ſe, & diuiſum à quocumque alio. Ex hoc autem ſequitur, quòd non poſſit poni aliqua multiplicitas, niſi ratio conſtitutiua multiplicitatis ſit in illo eſse, in quo ponitur multiplicitas; vt igitur natura ſecundùm ſuum eſse in indiuiduis non ſit vna, debet in ſuomet eſse proprio habere rationem conſtitutiuam multiplicitatis, quòd ſi non habet, nec etiam erit multiplex, ſed vna. Quod autem non habeat, euidenter, oſtenditur, nam tota ratio multiplicitatis prouenit ab ipſomet eſse indiuiduali, at hoc eſse indiuiduale eſt extra eſse naturę, cum tanquam aliquid extrinſecum ipſi aduéniat, & conſequenter non poterit ponere multiplicitatem in natura, prout dicit proprium eſse. Confirmatur totus hic diſcurſus. Eſse indiuiduale identificatur tantùm cum natura, & ponit diſtinctionem tantùm materialem, ita vt tam vnitas ipſius, quam diſtinctio. quæ ab ipſo prouenit, non amplius ſe extendat, quàm ad materialem, vnitas enim, & diuiſio non excedit ipſummet eſse, à quo prouenit, & tale eſse tribuit tantùm talem unitatem, & nihil amplius, ergo etiam ſtante hac identificatione non tollitur vnitas formalis naturæ, qua ſit vna in omnibus, ſi enim tolleretur huiuſmodi vnitas, deberet poni diſtinctio formalis, cum igitur ponatur tantùm materialis diſtinctio, remanet formalis vnitas naturę.

Natura ex vi indiuiduationis nõ diuiditur ſecundũ ſuum eſſe abſolutũ.

Indiuiduatio ponit ſolam diſtinctionem materialẽ.

VIII. Secundò. Si natura, quæ eſt in pluribus indiuiduis, conſideretur præciſa quacumque ratione formali indiuiduationis, quam habet in ipſis, remanet vna in omnibus vnitate communitatis formali poſitiua, ità vt ſecundùm ſuum eſse conſiderata ſit talis, vt poſſit eſſe in pluribus indiuiduis, ergo etiam, quando eſt in pluribus indiuiduis ſimul cum indiuiduatione, retinet eandem vnitatem communitatis formalem. Antecedens declaratur; natura, dum reperitur in pluribus certè habet communitatem, neque enim, ſi non haberet, poſſet intelligi in pluribus, rurſus hæc communitas illi conuenit ex ſe; quia ipſa natura eſt, quę communis eſt pluribus, ita vt in ipſis reperiatur, non verò habet ratione eſse indiuidualis, quia hoc confert tantùm ſingularitatem, quæ oppoſita eſt communitati. Deinde hæc communitas eſt poſitiua communitas, natura namque ſecundùm aliquod eſse poſitiuum pluribus communicatur, & poſitiuo modo; quare iam certum eſt, quòd ex parte naturę ſe tenet communitas; ſi igitur tollatur omnis indiuiduatio, remanebit totum id, quod ſe tenet ex parte naturæ, atque adeò etiam communitas. Rurſus cum omnis multiplicitas proueniat in indiuiduis ab indiuiduatione, hac ablata, auferri etiam debet omnis multiplicitas, & conſequenter natura remanebit in ſe vna poſitiuè vnitate communitatis. Conſequentia etiam principalis probatur. Natura in indiuiduis eſt omninò eadem, ac ſit pręciſa indiuiduatione, ac ſolùm dicit eſse indiuiduale ſuperadditum; hoc autem eſse indiuiduale tantùm ponit diuiſionem naturæ materialem, non verò immutat eſse intrinſecum naturæ, igitur natura cum hoc eſse indiuiduali retinet ſuam vnitatem formalem communitatis.

2. Ratio.

Natura præciſa indiuiduatione habet ex ſe ſuã vnitatẽ formalẽ.

IX. Atque hinc excluditur id, quod poſset reſponderi; nempè quòd natura in inferioribus habet quidem vnitatem formalem, non verò vnitatem communitatis; natura enim, vt vidimus, retinet in inferioribus illud totum, quod ſibi conuenit præciſa quacumque indiuiduatione, præciſa au-

Excluditur reſp.

tem quacunque indiuiduatione, habet, vt vidimus, vnitatem communitatis. Deinde vnitas formalis est ex se vnitas communitatis, nam natura non per aliud habet, quòd sit in pluribus, nisi per suum esse formale, & quatenus vna, præcisa indiuiduatione, dicit communitatem; ergo si in inferioribus retinet vnitatem formalem, retinebit etiam communitatem, vt quid inseparabile. Confirmatur, natura habet eandem vnitatem formalem in omnibus indiuiduis; ergo habet vnitatem communitatis, in tantùm enim non haberet, in quantùm essent diuersæ vnitates formales. Quòd autem habeat in omnibus indiuiduis eandem vnitatē formalem, probant argumenta supra facta, quia videlicet natura habet in indiuiduis eandem vnitatem, quam habet in seipsa, qua natura per communicationem, qua pluribus indiuiduis communicatur, nihil amittit de sua vnitate, sed tantùm materialiter diuiditur, hæc autem materialis diuisio non tollit, quòd vnitas naturæ formalis, & communitatis non sit eadem in omnibus, quia non variat naturam intrinsecè.

3. ratio

X. Et hinc possumus addere tertiam rationem in confirmationem præcedentis. Natura ex eo, quòd ponatur in pluribus indiuiduis, nihil amittit de iis, quæ sibi conueniunt in statu absoluto, quia illa omnia, vt diximus, illi conueniunt vel in primo modo dicendi per se, vel in secundo; vnde vel sunt constitutiua, vel passiones cum ipsa identificatę. Atque hoc debet esse principium certum in hac materia, fundatur enim in eo, quòd essentię rerum consistant in indiuisibili, ita vt ab ipsis nihil possit auferri, nec etiam addi; vnde cùm natura in statu essentiæ [illegible] solùm, quę ipsi essentialiter conueniunt, debet eadem omnia dicere etiam in indiuiduis, sed in statu essentiæ natura habet vnitatem communitatis, ergo eandem retinet in indiuiduis. Minor huius argumenti certa est. Nam natura secundum statum absolutum considerata est vna, & habet ex vi sui esse, quòd possit poni in pluribus, atque cum vnitas sit positiua, vt supra ostendimus, & etiam natura secundùm suũ esse positiuum, & positiuo modo communicetur, sequitur, quòd habeat vnitatem communitatis positiuam.

Natura semper habet, quæ illi conueniunt in statu absoluto.

Occurritur resp.

Neque valet responsio, quòd diuerso modo habet communitatē, si cōsideretur natura in seipsa, ac habeat, si consideratur, prout est in indiuiduis, nam in seipsa habet vnitatem communitatis sine diuisione; in indiuiduis verò communitatem cum diuisione, atque adeo non est vnica vnitas formalis, sed multiplex. Huiusmodi enim responsio reijcitur ex dictis; nam hęc diuisio est extra esse formale naturę, & non tollit illam vnitatem, & communitatem, quam ex intrinseco suo dicit natura. Et in hoc vitanda est ęquiuocatio, nec confundenda multiplicatio indiuidualis cum multiplicatione naturæ secũdùm suam vnitatem formalē, quia licet natura, & eius vnitas formalis multiplicetur indiuidualiter, hęc tamen multiplicatio nō cadit supra esse naturę, neq; supra eius vnitatem formalē, sed supra esse indiuiduale, quod habens multiplicationē in seipso, trahit etiam naturam ad seipsum in omnibus indiuiduis, quia cum dicat vnitatem communem, de se apta est, vt sit in omnibus, absque eo, quòd secundùm suum esse proprium diuidatur, cum igitur multiplicatio non cadat supra esse essentiale naturæ, sequitur, quòd natura retineat suam vnitatem communitatis, etiam in indiuiduis, & solùm materialiter multiplicetur, ratione identificationis cum esse indiuiduali. Præterea natura secundùm se considerata dicit hanc vnitatem sibi intrinsecam, ergo cum seruet semper ea, quæ dicit ex se, non debet ratione indiuiduationis hanc vnitatem amittere.

Multiplicatio indiuidualis nō est multiplicatio naturæ.

XI. Hinc quartò argumentor. Per id, quòd natura ponitur in indiuiduis, non tollitur vnitas formalis ipsius, sed adhuc illam retinet, ergo natura est vna in omnibus vnitate communitatis. Antecedens declaratur. Natura humana, prout est in Petro, Paulo, & alijs indiuiduis, non est multiplex formaliter, vt de se euidens est, alioquin natura humana, quæ est in Paulo differret essentialiter à natura humana, quæ est in Petro, quod valde absurdum est, nam tollerentur plura indiuidua eiusdem speciei, & quodlibet indiuiduum constitueret vnam speciem; ergo si natura, prout est in pluribus indiuiduis, non est multiplex formaliter, erit formaliter vna, multiplicitas enim

4. ratio.

Quomodo natura retineat suā vnitatē formalē in omnibus indiuiduis.

non tollitur, nisi per vnitatem, cum sint immediatè opposita. Confirmatur. vnitas indiuidualis non potest tolli, nisi per multitudinē indiuidualē, ergo neq; formalis potest tolli, nisi per diuisionē formalē, ergo cum natura, dum ponitur in pluribus indiuiduis, nō diuidatur formaliter, retinebit suam vnitatem formalē, ita vt sit omnino vna formaliter, prout est in omnibus. Quod rursus declarari potest. Vnitas, & diuisio opponuntur inter se, & se inuicem destruuunt; verùm cum se destruant ratione oppositionis non potest vnitas tolli, nisi per diuisionem oppositam, nec è contra tolli diuisio, nisi per vnitatem oppositam, ergo cum vnitas tantùm formalis, & distinctio formalis inuicem opponātur (neq; enim vnitas vnius generis opponitur cū diuisione alterius generis) non potest tolli vnitas formalis, nisi per diuisionem formalem, atque cum natura, prout est in pluribus indiuiduis, non habeat diuisionem formalem, retinebit in illis suam omnimodam vnitatem formalem: Atq; hinc probatur, quòd deducebat consequentia, quòd videlicet sit vnitas communitatis, nam eadē natura secundùm eandem vnitatem formalem reperitur communicata pluribus, vnitas autem communis est illa, quæ respicit plura.

Vnitas formalis non tollitur nisi per diuisionē formalem.

XII. Respōderi potest ex doctrina communi, quam tradit Suarez in Metaphys. citat. disp. 6. sect. 1. num. 15. Ex his probari tantùm, quòd natura vnius indiuidui non differat formaliter ab altera, nō tamē quod adsit vnitas communitatis secūdùm rem, sed solùm quod ad sit conuenientia in natura, & vnitas secundùm rationem, & hoc etiam pacto se habet vnitas in re, quia sequitur esse naturæ, non verò adest vnitas naturę secundùm rem, quia vnitates formales multiplicantur indiuidualiter. Verùm si diligenter cōsideretur hæc respōsio omnia argumenta hucusque allata eam efficaciter impugnant, si tamen caueatur ęquiuocatio, nam cum dicitur, vnitatem naturæ, seu naturam non esse vnam in omnibus *secundùm rem*, potest ly *secundùm rem* intelligi, vel secundùm entitatē physicam; vel secundùm illud esse, quod dicit natura. Si primo modo intelligatur certum quidem est, vt etiam nos initio sect. diximus, quòd natura non est eadē secundùm physicam entitatem in omnibus. Si verò intelligatur secundo modo; tunc argumenta hucusq; facta efficaciter concludunt, quòd natura sit vna in oībus secundùm rem, hoc est secundùm suum esse, quod dicit in statu absoluto; vnde fit, quòd natura stāte suamet vnitatē possit habere diuisionem entitatiuam, neq; hæc aliquid officiat vnitati cōmunitatis, quia hæc vnitas de se apta est, vt sit in pluribus, atque adeo cum diuisione entitatis. Et confirmatur. Tota hęc diuisio secundùm entitatem est secundùm esse materiale, & prouenit solùm ratione indiuiduationis; est extra naturam secundùm proprium esse consideratam; non immutat naturam secundùm esse intrinsecum: non ponit diuisionem formalem, ergo natura stante hac diuisione entitatiua, retinet totam illam vnitatem, quam haberet ex se absque diuisioue entitatiua. Præterea si natura habet totam illam vnitatem, quam potest habere, certè habet vnitatem communitatis, sed diuisio entitatiua, quam habet in pluribus indiuiduis, non facit, quòd non habeat illam omnimodam vnitatem, quam potest habere, ergo in indiuiduis habet vnitatem communitatis. Minor declaratur, totam illam vnitatem, quam potest habere natura, habet ex vi sui esse intrinseci tanquā propriam passionē; nulla enim vnitas conuenit alicui enti, nisi ipsi conueniat tanquā propria passio, ergo cū indiuiduatio nō tollat ea, quę conueniūt naturę vel vt cōstitutiua, vel vt passiones, neque tollet omnimodam vnitatem, quam potest habere; atque adeo neque vnitatem cōmunitatis, quam potest ex intrinseco suo habere. Atque si, vt inquit allata responsio natura vnius indiuidui non diuiditur, seu non differt formaliter à natura, quæ est in altero indiuiduo, ergo est eadem formaliter, cum habeat eandē vnitatem formalem, ita vt vna natura formalis sit in vtroq; indiuiduo; nam ex ablatione diuisionis in aliquo genere, ponitur omnimoda vnitas in eodem genere.

Resp. Suar.

Reijcit.

Diuisio entitatiua non officit formali vnitati communitatis.

XIII. Et possumus adhuc vrgere eandem responsionem. In quolibet indiuiduo pręter vnitatem indiuidualem est etiam vnitas formalis ratione ipsius esse, quod dicit natura, vt etiā concedunt Auctores oppositę sententię; & necessariò ita est dicendū, quia natura secundùm statum absolutum considerata habet suam propriam vnitatem, sicuti ha-

habet suum proprium gradum entis, secundùm quē potest concipi, nullō cōceptu esse indiuiduali: hoc autem fundamento iacto sic arguo: Potest vnum indiuiduum considerari secūdùm vnitatē formalem naturæ, quam habet, & cōparari cum alia vnitate formali, quā dicit alterum Indiuiduum, vel ergo tunc distinguentur ad inuicem, vel erunt vnum. Nō potest dici, quòd distinguātur, quia nulla est ratio distinctiua, cùm tota distinctio in indiuiduis habeatur per esse indiuiduale. Deinde vnitas formalis nō potest distingui ab vnitate formali eiusdem naturæ alioquin distingueretur à seipsa. Præterea quero, quomodo distinguantur, an indiuidualiter, an verò formaliter; non indiuidualiter, quia non cōparamus indiuidua secundùm esse indiuiduale; sed secundùm vnitatem formalem; neque formaliter, nam tunc essent vnitates formales constituentes diuersas naturas essentialiter; vnde altera pars est admittenda, scilicet; quòd non distinguantur, tunc autem infero, ergo secundùm vnitatem formalem sunt vnum, non verò multa, neque enim potest esse multitudo, vbi non est distinctio; si igitur sunt vnum, debet eadem natura, eadem vnitate formali esse in omnibus indiuiduis, ita vt non sint plures vnitates formales, sed vna tantùm, si consideretur, prout dici proprium esse vnitatis formalis.

Vnus in diuiduo secundùm vnitatē formalē naturæ non distinguitur ab alio.

XIV. Neque valet responsio, si dicatur; quòd quando fit huiusmodi comparatio interuenit præcisio, qua natura præscinditur ab esse indiuiduali, & ideò tunc naturam esse vnam, ex vi huius præcisionis. Non; inquam, valet quia ex vi præcisionis, natura amittit tantùm diuisionem indiuidualem, non verò acquirit aliquid intrinsecè. Deinde quicquid sit de hac præcisione, quādo fit huiusmodi comparatio verè vnum indiuiduum cōparatur cum alio, secūdùm id quod includunt in seipsis, nam cum habeant in seipsis naturam secundùm esse essentiale, habēt etiam à parte rei vnitatem formalem eiusdem naturæ; si igitur termini comparationis sunt in ipsis indiuiduis, & secundùm hos terminos non distinguuntur sed sunt vnum, ergo debet dici, quod à parte rei natura prout est in ipsis sit vna vnitate communitatis formali, que tamen ... cum diuisione materiali.

Occurritur resp.

seu indiuiduali. Atque hoc amplius declaratur. Indiuidua secūdùm hāc vnitatem formalem naturæ à parte rei, & physico modo exercēt aliquid, quod nō exercent ratione esse indiuidualis; sic color rōne naturę specificæ mouet potentiam visiuam, & est obiectū physicū ipsius, habens physicam proportionem cum ipsa, & hoc etiā contingit in obiectis cœterarū potentiarum, quę concurrunt ad actum physicum ratione suę naturæ essentialis, si igitur possunt à parte rei aliquid exercere, quod non exerceat esse indiuiduale, nisi materialiter, poterunt etiam cōparari ad inuicem, prout sunt physicè à parte rei, absque eo quòd comparentur secundùm esse indiuiduale. Confirmatur amplius. Potest potētia visiua terminari ad plura obiecta solo numero diuersa, vt ad plura alba eiusdem intēsionis, tunc visus ita terminabitur ad ipsa, vt attingat solùm diuersitatem numericam, non verò attingat aliquam diuersitatem in ratione coloris; imò attinget nōn esse diuersa ea diuersitate, qua diuersa sunt album, & viride, ergo à parte rei secundùm esse physicū non habent diuersitatem, seu distinctionem in ratione coloris, alioquin cùm à visione attingantur secundùm esse physicum si haberent distinctionē, etiā ipsa attigeretur, sicuti attigitur indiuidualis ergo secundū esse physicū nō habēt distinctionē in natura coloris, & consequēter cum vbicumque nō est distinctio, sit vnitas, natura coloris erit vna vnitate formali cōmunitatis in omnibus illis indiuiduis cōsideratis secūdū esse physicū

Vnitas formalis naturæ in indiuiduis non differt ab vnitate alterius à parte rei.

XV. Quintò probatur eadē concl. ex eo, quòd aliquid in potentia ad aliud acquirit suum actum, non amittit potētiam ad ipsum, nisi quatenus potentia dicit priuationem, sed simul cum actu retinet potentiam, quę per talē actum exercetur; actus enim supponit potentiā, per quam exerceatur, sic agens, dum actu operatur retinet potentiam ad operandum, & per operationē actu exercetur; sic etiam materia, dū est sub forma, non amittit potentiam substantialē, qua illā respicit, sed per ipsam actu cōtinet formā, & eadē inductio fieri potest per cœteras potentias. Ex hoc autem deducitur, quòd etiam natura, cum consideratur secūdùm statū essētię, habeat aptitudinem, & potentiam, vt sit in pluribus indiuiduis ex eo, quòd ponitur

5. ratio.

Potentia non interit aduenientē actu.

in ipsis, habebit exercitium suæ potentiæ, non verò amittet potẽtiam, per quã habet, vt possit esse in pluribus, cum eadem sit ratio de ipsa, ac de cœteris potẽtijs, imò si non habet potentiam, quomodo potest esse in pluribus? Modò natura habet formaliter, vt possit esse in pluribus per vnitatem communitatis, si enim non esset aliquid vnum, verè non posset in pluribus poni, ergo, dũ est in pluribus, retinet hanc vnitatem communitatis, tanquam potentiam per quam exercet actum essẽdi in pluribus.

Reijcitur resp.

XVI. Neq; potest dici, quòd amittat vnitatem, retinendo tãtùm communitatem, tùm quia vnitas nõ est separabilis à communitate, tum quia potẽtia essendi in pluribus dicit formaliter ipsam vnitatem communitatis; nam natura in statu essentiæ ratione vnitatis communitatis habet, quòd possit esse in pluribus, & nisi natura retineret hanc vnitatem, non retineret rationem formalẽ potentię. Atq; hic opportunè addi potest valida cõfirmatio. Natura Diuina dicitur vna, quia est ex se vna numero, & singularis, licet reperiatur in pluribus personis, & quia pluralitas personarũ est pluralitas alterius rationis, non verò pluralitas indiuidualis naturæ, ideò natura retinet, etiamsi sit in pluribus personis, suam vnitatem numericam. Ex quo euidẽter concluditur, quòd pluralitas vnius rationis non tollit vnitatem alterius rationis, seù secundùm aliud esse, sed tantùm eiusdem rationis, ergo pluralitas indiuidualis non tollit vnitatem communitatis, etiam si in eadem entitate conueniant esse indiuiduale, & natura, quia pluralitas secundùm esse indiuiduale est alterius rationis, quàm sit vnitas formalis communitatis.

Natura, dum est in pluribus, retinet communitatem simul cum vnitate

Pluralitas vnius rationis non tollit vnitatem alterius.

5. ratio

XVII. Sexta ratio principalis pro eadem conclusione est. Esse naturæ essẽtiale; quod reperitur in vno indiuiduo reperitur etiam in alio, & prędicata, quę tribuuntur vni, tribuuntur non similia, sed eadem alteri, ita vt illud idem prædicatum, quod prædicatur de vno, prædicetur etiam de altero, ergo non similis natura est in pluribus indiuiduis, sed eadem, & consequenter eandem habens vnitatem formalem communitatis. Consequentia huius rationis est satis euidens, nam vnitas proportionatur naturæ, & si est vna, & eadem natura etiam est vna, & eadem vnitas; cum igitur in omnibus indiuiduis sit vna & eadem natura, erit etiam vna, & eadem vnitas naturæ, quæ sit vnitas communitatis, vnde solùm superest probandum antecedens; Et quod illud idem prædicatum, quod dicitur de vno indiuiduo, dicatur etiam de alio patet, nam si de Petro proferam: *Est animal rationale*: possũ sumere hoc ipsum animal rationale, quod de Petro dicitur, & enũciare etiam de singulis indiuiduis: naturæ humanæ; cũ igitur prędicatio fundetur in esse, si eadem prędicata tribuũtur pluribus indiuiduis, etiam idem esse, debet in ipsis reperiri. Propositio enim, & prędicatum exprimunt id, quod in re est.

Idem esse naturæ, quod est in vno indiuiduo, etiam in alio.

XVIII. Posset tamẽ respõderi, quòd prędicatio nõ est sine opere intellectus, & ideò, quando eadem prędicata tribuũtur pluribus indiuiduis, tunc de ipsis prædicari naturã, quatenus habet vnitatem per intellectum abstrahentẽ naturam ab indiuiduis. Verùm licet hæc responsio videatur euacuare vim argumẽti adhuc tamẽ ratio facta manet in suo robore, & suppono, quòd quando natura prædicatur de inferioribus, non prædicetur secundùm aliquid, quod acquirat de nouo per abstractionem, sed tantùm secundùm id, quod dicit, prout est in indiuiduis, & ratio manifesta est, quia si prædicaretur secundùm aliquid aliud, quod nõ diceret, prout est in indiuiduis, ex vi prædicationis aliquid tribueretur indiuiduis, quod non esset in ipsis, & consequenter prędicatio esset falsa: hoc ergo posito: sic argumentor: Eadem prædicata, & idem esse, quod prædicatur de vno, prædicatur etiam de alio, & non simile esse, hoc est cum distinctione aliqua, ergo prout ęst in indiuiduis, est vnum, non autem prædicatur vt vnum, ratione vnitatis, quam recipiat ab intellectu, quia tunc prędicaretur secũdũ aliquid, quod non diceret in indiuiduis, quando enim prædicatur, prædicatur vt vnum, & dicit vnitatem indiuiduorum in eadem Natura. Præterea, quod prędicatur de indiuiduis, est ipsummet esse naturæ reale; prædicatur enim de ijs solùm, quod in ipsis reperitur, ne prędicatio sit falsa; vnde quando prędicatur aliquod esse vt vnum, debet solùm prædicari secundùm illam vnitatẽ, quam habeat ex vi sui esse, non quam ab extrinseco accipit. Quod etiã potest confirmari; quia si prædicaretur secundùm

resp.

impugnatur

Natura prædicatur de indiuiduis secundũ id solum quod est in ipsis.

dùm aliquam vnitatem, quam ab in tellectu acciperet, prędicaretur ſecundùm aliquod ens rationis, & ex vi prædicationis poneretur aliquid in indiuiduis, quod reuera in ipſis non eſſet. Deinde quomodo poteſt intellectus conſerre aliquam vnitatem naturę, cum vnitas ſit paſſio entis, quæ non poteſt reperiri, niſi re periatur etiam eſſe, cuius ſit illa vnits? Ex quibus patet, quòd cum natura ſecundùm proprium eſſe tantum prædicetur de inferioribus, ſi prædicatur vt vna, & eadem, debet prædicari ſecundùm illam vnitatem, quam habet ex vi proprij eſſe. Tertiò reijcitur eadem reſponſio. Prędicatio ſuperioris de inferiori fundatur in identitate cum ſuo inferiori, nam in tantùm prędicatur, in quantùm identificatur, ex hoc verò fit, quòd cum illud eſſe, quod prædicatur de vno indiuiduo, prædicetur etiam de alio, debeat cum vtroque identificari, & conſequenter, quod prædicatur de vno, debeat etiam eſſe in alio per identificationem; vnde natura a parte rei erit vna in omnibus, ita vt cum omnibus identificetur ſecundùm ſuum eſſe eſſentiale, non obſtante plurificatione entitatiua, ſiuè indiuiduali. Quartò adhuc inſto, Quę ſunt eadem in aliquo tertio, ſunt etiam eadem inter ſe, ſecundùm illud, quo ſunt eadem in illo tertio, & poſita identificatione, habetur ex vi illius, omnimoda vnitas, ſed indiuidua ſunt eadem in natura, ita vt ſi conſiderentur ratione naturę, cum ſint eadem in ipſa, neque in ipſa, prout eſt aliquod tertium, habeant diuerſitatem, ergo etiam, quatenus participant naturam, ſunt eadem inter ſe à parte rei, & conſequenter erunt omninò vnum in natura, & natura vna, & eadem in omnibus. Quòd amplius poteſt declarari. Poſita aliqua ratione, quæ ſit ratio identificationis formalis, & ſe habens, vt quo, ponitur etiam identificatio, & vnitas, neque enim datur cauſa formalis exhibita, ſine effectu formali: natura verò conſiderata ſecundum ſe, ſicut eſt ratio conſtituendi tale, quia ſe ipſa eſt talis, ita etiam eſt ratio conſtituendi vnum, & idem, quia eſt vna, & eadem, & ſicuti vnitas conſequitur eſſe, ità quod eſt ratio formalis exhibendi tale eſſe, eſt etiam ratio formalis exhibendi talem vnitatem, ſeu identitatem, ergo cum natura exhibeatur pluribus indiuiduis, ſicuti ponit in ipſis eſſe, & facit talia, ponet etiam identitatem, cum ſit ratio conſtitutiua identitatis.

Prædicatio ſuperioris de inferiori fundatur in identitate

Quomodo, quæ ſunt eadem vni tertio, ſint eadem inter ſe.

XIX. Quare ex dictis patet, quomodo poſſit vnitas communitatis, quam ex ſe dicit natura, ſtare cum pluralitate; & diuiſione numerica, ſiuè entitatiua, quia videlicet, diuiſio entitatiua non opponitur cum vnitate communitatis, ſeù formali; ſicuti enim vnitas communitatis præcisè conſiderata requirit plura indiuidua, in quibus poteſt eſſe, ità etiam poteſt habere actum eſſendi in illis retinendo ſuam vnitatem communitatis, & ideò non obſtabit tali vnitati diuiſio entitatiua indiuiduorum, quia iam natura pręcisè conſiderata ex vi ſuimet proprij eſſe ordinatur ad talem diuiſionem, & cum ad ipſam ordinetur ex eo, quòd habeat communitatem non amittet ſuam propriam vnitatem communitatis. Atq; ex hoc capite oritur tota difficultas huius quæſtionis, quia videlicet Auctores oppoſitę ſententiæ ex diuiſione indiuiduali inferunt diuiſionem naturæ ſecundùm ſuam vnitatem formalem, quod tamen non licet inferre, nec enim poſſumus arguere ab inferiori ad ſuperius, ſicuti non rectè dicetur, homo eſt diſcurſiuus, ergo animal eſt diſcurſiuum: eodem enim pacto proceditur, cum dicitur, indiuidua diſtinguuntur in ſe entitatiuè, ergo etiam natura in ipſis eſt diuiſa, tunc enim à diuiſione indiuiduali, quæ eſt quid inferius, fit tranſitus ad diuiſionem naturæ, quæ eſt quid ſuperius.

Cur diuiſio indiuidualis non obſtet vnitati formali.

Soluuntur nonnullæ difficultates.

SECTIO III.

1 CIrca hanc vnitatem naturæ in omnibus indiuiduis occurrunt nonnullæ difficultates, quæ hic ſoluendæ ſunt, non enim deſunt Auctoribus oppoſitę ſententiæ rationes, quibus ſuam ſententiam ſuadeant, & in primis ſeſe offert illa difficultas, quòd non videtur, quomodo eadem natura poſſit eſſe in pluribus realiter diſtinctis, & huiuſmodi realis diſtinctio non redundet in ipſam; hoc enim eſt tantum proprium naturæ diuinę, vt vna ſit exiſtens

Prima difficultas.

in

in pluribus, vnde Damascenus lib. 1. de Fide cap. 11. ait, proprium esse illius, vt in pluribus personis existat, & vna sit, atque indiuisa; Sed respondetur, quòd inprimis non implicat, aliquam naturam vnam esse in pluribus, alioquin si implicaret, neque etiam Diuina posset esse vna, & indiuisa in pluribus, cum igitur simpliciter non implicet, neque statim inferendum est, quòd implicet in creatis, sed considerand a est ipsa natura, & videndum, an ipsi possit conuenire. Quarę cum natura ex se præcisè considerata sit vna communis, & ordinetur ad plura, si actum volumus commensurare cum potentia, dum potentia ad essendum in pluribus in vna, & eadem natura reperitur, cur non poterimus etiam ipsi concedere actum retenta suamet vnitate, sicut retenta suamet vnitate habet potentiam ad essendum in pluribus? Neque est dicendum, quòd actus rationis diuisionis entitatiuæ, quam secum trahit, tollat vnitatem naturę, quia hęc diuisio non opponitur cum illa vnitate, vt dictum est. Imò sicuti, vt etiam supra diximus, in diuinis diuisio personalis non tollit vnitatem naturę singularis, quia alia est vnitas personæ, alia indiuiduæ naturę, ita neque diuisio indiuidualis debet in creatis tollere vnitatem naturę formalem, quia alia est vnitas naturæ, alia indiuidui, & diuisio indiuidualis tollit tantùm vnitatem indiuidualem. Neque hinc introducitur in creatis aliquod mysterium simile Trinitati, quia mysterium Trinitatis non consistit in eo, quòd natura sit vna formaliter in pluribus, sed quòd sit vna entitatiuè, & singulariter, & quod reperiatur in pluribus personis realiter distinctis, & hoc modo esse in pluribus cum suimet indiuisione est proprissimum naturæ Diuinę, & in hoc sensu etiam loquitur D. Damascenus.

Damasc.

Resp.

Non implicat eadem natura indiuisa in pluribus

11. Altera difficultas est, quia vnitas formalis naturæ, v. g. humanæ in Petro non distinguitur ab ipsa vnitate indiuiduali, ergo si vnitas indiuidualis multiplicatur, debet etiam multiplicari vnitas formalis, nam si vnitas indiuidualis Petri distinguitur ab vnitate indiuiduali Pauli, & vnitas formalis Petri est omninò idem cum vnitate indiuiduali ipsius, sicut vnitas indiuidualis Petri distinguitur ab vnitate indiuiduali Pauli, ità debet etiam distingui vnitas formalis. Huic difficultati occurrendum est, adnotando, quòd natura de se ex vi sui esse non est limitata, vt sit in vno tantùm indiuiduo, sed respicit plura indiuidua, ita vt habeat ex se, quòd ad plura possit extendi, ex quo fit, quòd, quando ponitur in vno indiuiduo, non habeat totam suam latitudinem, sed adhuc possit esse in alijs, neque enim in vno habet suum actum adęquatum; ex hac autem latitudine, quam habet, fit, quòd possit identificari cum pluribus vnitatibus indiuidualibus absque eo, quòd in seipsa diuidatur, quia cum nulla adæquatè identificatur, nam ità identificatur cum vna, vt possit etiã esse in alia, & consequenter cum ipsa identificari; Quocirca præsens argumentum soluendum est eodem pacto, proportione tamen seruata, quo similia argumenta solent solui in materia de Trinitate, cum enim dicitur, Quòd *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, & consequenter, quod cum personæ identificentur in essentia, debent etiam identificari inter se, solet responderi, quòd essentia non identificatur adæquatè cum vnaquaque persona, sed inadęquatè, & ideò non sequi, quòd debeant inter se identificari; aut è contra si personę distinguuntur inter se, debeat etiam essentia, quę cum ipsis identificatur, distingui, dicimus enim quòd vna persona non identificatur adęquatè cum essentia, & ideò non debet essentia distingui, prout est in pluribus. Proportionali ergo modo dicere debemus, quòd vnitas formalis naturæ communis non identificatur adæquatè cum vnitate indiuiduali, & ideò ex eo, quòd vnitates indiuiduales inter se distinguuntur, non sequitur distinctio naturæ, prout est identificata cum ipsis. Vnde ad formam argumenti dicimus, quòd eo pacto, quo vnitates indiuiduales distinguuntur inter se, distinguitur etiam natura, prout est identificata cum ipsis, nempè materialiter, & secundùm entitatem, non verò secundùm esse proprium, & in sua vnitate formali. Quòd si instes, quòd vnum indiuiduum distinguitur ab alio adæquatè, verum est, si ly adæquatè cadat supra esse entitatiuum, non verò

2 difficultas.

Resp.

Natura in vno indiuiduo non habet suum adæquatum actu

Absq sui diuisione potest identificari cum pluribus indiuiduationibus.

si ca-

si cadat esse formale naturæ, quia licet sit idem esse entitatiuum, & formale, tamen cum omnimoda distinctione entitatiua stat vnitas communitatis formalis, quia, vt dictum est, non habet oppositionem cum distinctione entitatiua.

3. difficultas. III. Sed hinc oritur tertia difficultas, quia natura, prout est in indiuiduis corrumpitur, & generatur, ita vt incipiat, & desinat secundùm suum esse formale, quod habet in illis, ergo cum possit in vno incipere, vel desinere absque eo, quòd incipiat, vel desinat in alio, erit secundùm suam vnitatem formalem distincta, prout est in indiuiduis.

Resp. Respondetur, quòd natura ex intrinseca sua ratione petit esse in pluribus indiuiduis per identificationem, nec alio pacto est possibilis, vnde est possibilis tantùm cum distinctione entitatiua, seu materiali, hinc fit, quòd posita hac distinctione entitatiua, seu materiali, quæ includatur in actu, & exercitio essendi in multis ipsius naturæ, possit habere hunc actum, & exercitium partialiter ex parte extensionis indiuiduorum, & possit produci in vno, deinde in alio, & sic deinceps, & eodem pacto corrumpi, quare ex vi distinctionis entitatiuæ, seu materialis, quam habet ratione esse indiuidualis, potest subijci corruptioni, vel productioni, prout est in vno indiuiduo, non prout est in alio, quia inadæquatè subijcitur, non verò adæquatè, & secundùm suam latitudinem extensionis.

Quomodo, licet natura sit eadem in omnibus indiuiduis, possit produci, & corrumpi in vno, & non in alio.

4. difficultas. IV. Quarta difficultas oritur ex eo, quòd quicquid est à parte rei singulare est, et consequenter incommunicabile, ergo cum hæc vnitas naturæ sit à parte rei debet esse singularis, & incommunicabilis.

Resp. Verùm si hæc difficultas aliquid concluderet contra nostram sententiam, concluderet, quòd formaliter natura secundùm suum esse sit singularis; quod nemo tamen admissurus esset. Respondetur, igitur, quòd etiam natura, prout est à parte rei singularis est, non quidem ratione sui esse, sed quatenus est immersa in entitate physica; vnde ratione indiuiduationis singularis est, cum hoc tamen stat, quòd ex se sit communis, quia secundùm suum esse inuoluitur in pluribus indiuiduis, & cum idem esse habeat in omnibus, habet vnitatem communitatis, quæ stat cum singularitate plurium entitatum, quia ad plures vnitates indiuiduales ordinatur, vt supra dictum est. Atque hic occurrit aduertendum, quòd licet natura ab indiuiduatione determinetur, vt sit in tali indiuiduo, non hinc tamen sequitur, quòd eadem non possit esse in alio, quia vt est in tali indiuiduo, non habet ibi totam suam latitudinem, neque totum suum actum adæquatum, sed tantùm determinatur, vt sit in illo considerando actum ipsius inadæquatum, nam cum ex se sit ordinata ab intrinseco, vt possit esse in pluribus, ex eo quòd est in vno, remanet illi potentia, vt possit simul eadem esse in alijs; & tantùm hinc sequitur, quòd prout dicit natura exercitium illud inadæquatum essendi in tali indiuiduo, non possit esse in alio, neque etiam per Dei potentiam, quia habet identificationem cum tali esse indiuiduali.

Quomodo natura à parte rei sit singularis.

V. Atque hinc soluta manet alia difficultas, quòd si natura, quę est in indiuiduis esset realiter indiuisa, & vna, esset singularis. Hoc enim solùm locum haberet, si esset vna, & indiuisa entitatiuè, & secundùm esse materiale, nos autem non dicimus, quòd tali pacto sit indiuisa, sed quòd secundùm entitatem sit diuisa, & solùm asserimus, quòd sit vna, & indiuisa secundùm proprium suum esse essentiale, & formale, & quòd huiusmodi vnitas communitatis stet cum diuisione entitatiua. Et ex hac distinctione entitatiua oritur, quòd natura possit in vno indiuiduo exercere tanquam principium, vt quo, aliquas operationes, quas non exercet, prout est in alio indiuiduo; & ratio est, quia operari sequitur naturam tanquam principium, vt quo, non quomodocumque, sed prout habet esse indiuiduatum; cum igitur in diuersis suppositis habeat natura diuersum esse indiuiduatum, habebit etiam diuersas operationes indiuiduales. Rursus reijcitur ex dictis alia obiectio, quę fieri posset, quòd videlicet non po[illegible] dari aliqua indiuisio, quæ non sit entitatiua, hoc enim omninò nedum gratis assumitur, sed etiam contra manifestam rationem, nam cum detur aliquis gradus entis diuersus ab indiuiduali, atque vnitas, & indiuisio sit passio ipsius

Quomodo natura, licet vna in omnibus indiuiduis, nō sit indiuidua, & possit in vno operari, & non in alio.

sius, cur non dabitur alia indiuisio, quę non sit entitatiua? Sed error huiusmodi inde oritur, quia omnes vnitates concipimus, vt supra adnotauimus sectione præcedenti, per speciem vnitatis entitatiuæ; cum non habeamus proprias. Constat etiam ex dictis, quomodo in pluribus indiuiduis detur vna forma, non quidem vna entitatiuè, sed solùm secundùm esse essentiale, neque enim vt sit vna secundùm esse essentiale, requiritur vnitas in entitate, vt toties dictum est.

Omnes vnitates concipiũtur admodum entitatiuæ.

VI. Quinta difficultas est, quia videtur sequi, quòd non possit aliqua creatura de nouo creari, nec annihilari, nam semper ex eo, quòd præexisteret, aut remaneret aliquod indiuiduum, neque illa creatura fieret ex nihilo, neque in nihilum posset redigi, quia semper, & præexisteret eadem natura, quam haberet ipsa, & semper etiam remaneret eadem natura, vnde nunquam creatura secundùm esse naturæ produceretur de nouo, aut destrueretur. Hoc tamen non obstat, quia creatio tendit ad actualitatem rei, & annihilatio ad eandem actualitatem tollendam in illo indiuiduo, quod subest vel annihilationi, vel productioni, tollit autem, vel ponit actualitatem secundùm esse naturæ inadæquatum; quod natura potest habere in tali indiuiduo, quia, vt diximus, secundùm totam suam latitudinem non est adæquatè in vnoquoque, hoc autem esse inadæquatum naturę est esse adæquatum illius indiuidui, & ideo illo posito, vel ablato, tollitur, vel ponitur indiuiduum, & vt indiuiduum fiat ex nihilo, sufficit, quòd nihil præcesserit de hoc esse inadæquato, & si totum hoc esse inadæquatum tollatur, desinet in nihilum. Alias responsiones afferunt, & reijciunt Capreolus in 3. dist. 5. q 3 Fonseca 5. Metaph. c. 28. q. 4. sect. 4. sed hæc est legitima, contra quam non valet aliqua instantia, quam afferant hi Auctores.

5. difficultas.

Solutio

Creatio ponit naturam secundùm esse inadæquatũ

VII. Vltima autem difficultas est, quia non videtur, quòd natura habeat hanc vnitatem communitatis ex se, & consequenter quòd neque illam habeat in inferioribus, si enim haberet, non posset esse particularis, vnde solet dici, de se nec esse vniuersalem, nec particularem, sed negatiuè se habere ad vtrumque, quem modum loquendi vsurpat D Th. de Ente, & essentia cap. 4. & Caietanus ibidem, & alij complures. Rursus si in inferioribus haberet hanc vnitatem communitatis, quam ex se diceret, sicuti esse naturæ prædicatur de quolibet inferiori, ità etiam prædicaretur communitas, vnde posset dici. *Petrus est quid commune.* Denique PP. solent asserere, quòd natura non sit vna, nisi secundùm rationem. Ita D. Augustinus 7. de Trinitate cap. 6. ait, quod Vnitas generica, & specifica habetur per intellectum; Damascenus li. 1. de fide cap. 11. ait; Indiuidua naturę humanę habere communionem in homine per rationem, & intellectum. Cœterùm non potest negari, quin natura ex se, & in statu essentię non sit vna, & quòd etiam non sit communis pluribus, quatenus potest in pluribus reperiri, nam reuera est contrahibilis ad plura indiuidua, tanquam ad inferiora per esse indiuiduale, ità vt contractio fiat secundùm esse naturæ, quod intelligi non potest, nisi natura habeat communitatem; quòd si non habet, non habet ab intrinseco suo, vt possit esse in pluribus; quomodo ergo poterit habere actum essendi in illis; nonne actus supponit potentiam? cum igitur natura ex se habeat communitatem, negari non potest, quin etiam habeat in inferioribus, quia retinet totum, quod sibi conuenit ab intrinseco, vt satis probatum est sectione præcedenti, & ea, quę ibi diximus, euidenter conuincunt hanc vnitatem communitatis, quam negare modò, esset recurrere ad punctum quęstionis, & in controuersiam adducere id, quod iam decisum est. Neque hinc sequitur, quòd communitas sit in quolibet indiuiduo, vt in difficultate inferebatur, quia natura non est communis, prout respicit illud indiuiduum, sed prout ordinatur ad plura; vnde solùm habet communitatem, prout est in pluribus; communitas enim conuenit naturæ, prout dicit suum esse adæquatum, at in vno indiuiduo habet tantùm esse inadęquatum. Imò hoc argumentum contra oppositam sententiam retorqueri posset. Natura per Auctores oppositæ sententiæ ex se est saltem indifferens ad indiuiduationem, & ad vniuersalitatem, ergo indifferentia debet

6. difficultas

D. Th. Caiet.

D. Aug. Damasc.

Solutio.

Quomodo communitas non sit in quolibet indiuiduo, licet in eo sit natura communis.

…et de indiuiduo quolibet prædicari; præſertim cum per ipſos tota natura, & adæquatè ſit in quolibet indiuiduo. cum vero D. Thomas ait, naturam de ſe non eſſe neque ſingularem, neque communem, numquam id dixit ſub his præciſis verbis, quòd de ſe non ſit communis, ſed quòd non ſit vniuerſalis, quia per ipſum habet vniuerſalitatem ab intellectu, vt docent Thomiſtæ, quæ conſiſtit in præciſione ab indiuiduationibus, & in quadam relatione, aut aliquo alio, quod per rationem requirit, vt docent ijdem Doctores, numquam tamen D.Th. negauit, quòd natura ex ſe non habeat, vt poſſit eſſe in pluribus.

VIII. Quod tamen ſpectat ad præ allegatos PP. D. Aug. ibid. non dicit, quòd vnitas ſpecifica, & generica ſit per intellectum, ſed solùm ponit diſcrimen, quod intercedit inter plures homines, & tres perſonas Diuinas, quòd plures homines dicunt plures entitates, & natura in ipſis eſt multiplex indiuidualiter. Deus autem eſt vna natura entitatiuè in omnibus perſonis, vt etiam ſupra dictum fuit. Damaſcenus verò non aſſerit, quòd ab intellectu plura indiuidua accipiant communionem in natura, quaſi vnitas iſta naturę fiat ab intellectu; ſed quòd vnitas naturę concipitur ab intellectu; ait enĩ. *In omnibus ſanè creaturis diſtinctio ſuppoſitorum reipſa conſideratur, re enim Petrus à Paulo diſtinctus concipitur* (per rem autem intelligit entitatem) *Communio autem, & naturæ affinitas, & vnio ratione, & intelligentia conſideratur, Mente enim concipimus Petrum, & Paulum eiuſdem naturæ eſſe, & vnius naturæ communionem habere, quiſquis enim eorum eſt animal rationale, mortale; & quiſquis caro eſt animata anima rationali, & intellectuali. Hæc igitur communis naturæ ratione eſt conſideranda.* Deinde ſubdit rationem, quia videlicet indiuidua, ſiue ſuppoſita habent vnumquodque eſſe proprium indiuiduale, nec aliam diuiſionem præter indiuidualem ipſis tribuit, ait enim immediatè. *Nam ſuppoſita non in ſe inuicem ſunt; proprium quidem eſt vnumquodque, & indiuiduum, igitur per ſeipſum ſeparatum; habet etiam plurima ipſum ab altero dirimentia, nam et loco diſtinguuntur, & tempore diſcrepant, & ſententia dirimuntur, & robore, & forma, videlicet figura, & habitu, & complexione, & dignitate, exercitio, & omnibus inſitis proprietatibus.* Ecce quomodo per eſſe indiuiduale; & ea, quæ ipſum conſequuntur, diſtinguit, non verò ſecundùm vnitatem naturę, quaſi alia ſit vnitas formalis naturæ in vno, & alia in altero ſuppoſito. Dixit autem, hanc vnitatem mente concipi, quia cum indiuidua non ſint adæquatè vnum, ſed ſolum ratione naturæ, vt ſola vnitas concipiatur, debent indiuidua concipi ſecundùm eſſe inadæquatum, vnde ſola vnitas pręcisè non eſt in re, quia eſt mixta cum diuiſione entitatiua. Deinde ſola intelligentia concipitur, quia eſt ſecundùm quidditatem, quę eſt obiectum ſolius intellectus.

Diſcrimen inter naturam creatam, & diuinā.

D. Damaſcenus illuſtratur.

Indiuidua ſolũ ſecundum rationes indiuiduales diſtinguũtur.

Corollarium contra Doctrinam Caietani.

SECTIO IV.

I. EX dictis hucuſque colligitur, quàm veritatem contineat doctrina Caietani, quã tradit citato opuſc. de Ente, & eſſentia capite 4. q. 6. ꝟ. *At oppoſita verò*, & ſequent. In primis cuim ait, quòd aliqua diſtincta eſſe vnum formaliter, cõtigit dupliciter, vno modo poſitiuè, cum ſcilicet ſunt vnum in aliquo communi, quod ſit extra animam indiuiſum in omnibus illis, & exẽplum huius ait, tantùm reperiri in Diuinis rõne naturę, quę eſt indiuiſa in omnibus perſonis. Verũ hęc natura nedum facit eſſe vnum formaliter, ſed etiã entitatiuè, & ſingulariter: vnde nõ eſt exemplum ad rem. Altero modo, inquit ipſe, cõtingit, eſſe vnum formaliter negatiuè, hoc eſt quia aliqua habeant mutuam negationem inter ſe diuiſionis formalis, & ſicuti vnum non diuiditur ab alio, ita neque hoc diuidatur formaliter ab illo. Et ex hoc infert, vnum formaliter eſſe quid ſuperius ad habere aliquid commune indiuiſum, & ad habere diuerſas naturas cum mutua negatione diuiſionis formalis. Hinc, ſubdit ipſe, arguere ab eſſe vnum formaliter ad indiuiſionem cõmittitur fallacia cõſequentis, nẽpè à ſuperiori ad inferius affirmatiuè.

Doctrina Caiet.

II. Verùm hęc Doctrina Caiet. vera non eſt, nec video, quomodo poſſint diſtingui hi duo modi eſſendi vnum, ſiquidem eſſe vnum nullo pacto poteſt contingere ſine indiuiſione, vnde nec

eſſe

Vnitas non est sine indiuisione.

esse tali pacto vnum, nempe formaliter sine indiuisione formali; si igitur plura indiuidua eiusdem naturę sunt vnum formaliter, vt concedit Caietan. necesse est, quòd habeant indiuisionem formalem naturę, & quòd natura prouenit in ipsis, indiuisa sit formaliter; si enim non esset indiuisa, iam non esset amplius vna. Præterea per ipsum quoque indiuidua eiusdem naturæ habent mutuam negationem diuisionis formalis; ergo debent habere positiuam vnitatem. Diuisio enim, & indiuisio immediatè, & priuatiuè opponuntur, & vnum ex ipsis necesse est, quòd insit cuicumque enti. Ergo si de natura negatur diuisio formalis, non potest negari nisi ex vi vnitatis, & indiuisionis formalis. Tertiò. Vnum simpliciter, & multa simpliciter immediatè opponuntur, nec vnum potest tolli, nisi per aliud, quia opponuntur priuatiuè; ergo non potest diuisio, & multitudo tolli à natura, nisi per vnitatem; quare si natura habet negationem diuisionis, necessariò per eius oppositum debet tolli hæc diuisio, nempè per vnitatem, & indiuisionem, quę sit secundùm aliquid positiuũ. Confirmatur; indiuidua eiusdem naturæ habent mutuam negationem diuisionis formalis; ergo, cum nulla possit dari negatio sine suo fundamento, debet in ipsis dari fundamentum huius negationis, hoc autem nullum aliud potest esse præter vnitatem, qua natura sit positiuè vna, quia solùm vnitas, qua aliquid est positiuè vnum, est fundamentũ negationis diuisionis. Quartò. Negatio diuisionis habetur ex vi esse formalis, quod dicit natura; ergo debetur ex vi vnitatis, & indiuisionis, qua natura sit secundùm esse formale indiuisa in pluribus: nam ex vi eiusdem principij illi debetur hæc negatio, ex vi cuius etiam debetur indiuiduo, nempè ex vi suimet esse. Sicuti ergo esse indiuiduale est principium, mediante indiuisione, & vnitate secundùm esse indiuisibile huius negationis, ita etiam natura erit principium huius negationis, mediante indiuisione, & vnitate secundùm esse formale. Deinde libenter quærerem à Caietano, quomodo relinquat aliquem gradum entis sine vnitate, & indiuisione positiua; sed hæc magis clara sunt, quàm indigeant probatione, quis enim non

Vnũ simpliciter, & multa simpliciter opponuntur.

Positiua vnitas naturæ in omnibus indiuiduis essẽtialiter fundamentũ negationis diuisionis.

videt, quòd statim ac aliquid non habet diuisionem, est etiam vnum, & indiuisum; si quis enim oppositum assereret, idem esset, ac si assereret, aliquod subiectum non habere priuationem albedinis, & tamen non esse album. Ex quo fit, quòd quando arguimus ab vnitate ad indiuisionem, non committatur fallacia consequentis procedendo affirmatiuè à superiori ad inferius; nam vnum, & indiuisum sunt idem, & solùm terminis ipsis differunt.

Alia doctrina Caiet.

III. Secundò docet Caietanus, quòd aliud est dicere, *Natura existens extra animam est communis pluribus secundùm se considerata*, & aliud dicere, *Natura existens extra animam est communis pluribus* detracta particula secundùm se. Prima enim propositio vera est, sed secunda falsa. Falsitas autem inde prouenit, ait ipse, quòd prædicatum ratione conditionis adiunctę repugnet subiecto, & id declarat, quia natura secundùm se dicit duo, nempè esse naturæ, & cõditionem solitudinis; similiter natura existens extra animam dicit duo, naturam, & singularitatem, sine qua non potest existere extra animam. Modò communitas conuenit naturæ secundùm se ratione solitudinis; & ideo addita particula secundùm se, propositio est vera, hac verò dempta, quia ponitur conditio singularitatis, propositio est falsa, quia communitas pugnat cum singularitate, vnde statim ac natura perdit solitudinem, perdit etiam communitatem. Quocirca cum dicitur, Natura, quantum est de se, est communis, ergo etiam existens extra animam est communis, committitur fallacia accidentis, sicuti etiam si diceretur. Natura quantùm est de se non est cum alio, ergo etiam cum est extra animam à parte rei non est cum alio. Hæc Caietanus, qui longum discursum dialecticum pergit subnectere, in quo ostendere conatur falsitatem doctrinæ Scoti, attendendo potius ad formam arguendi ipsius, quàm ad rem:

Reijcitur.

IV. Sed omissis dialecticis cauillationibus, & attendendo solam veritatem rei, hæc quoque doctrina Caietani non minus falsa est, quàm præcedens. Et in primis si natura sumatur solitariè, & secundùm se, conuenit illi positiua communitas, quæ possit esse in pluribus ab intrinseco,

Naturæ ſolitariè ſumptæ cõuenit ex ſe cõmunitas.

non verò ratione illius conditionis, nẽpè quia ſolitariè conſideratur, ſicuti ſi dicatur, quòd animalitas ſecundùm ſe cõſiderata eſt principium ſenſibilitatis, tunc non intelligitur, quòd eſſe principium ſenſibilitatis conueniat illi ratione ſolitudinis, ſed ratione ſuimet eſſe. Hoc autem ſic oſtenditur; naturam ſolitariè conſiderari ſupra eſſe poſitiuum naturæ non addit aliud, quàm negationem, ergo quòd habeat communitatem, non poteſt fundari in ſolitudine ipſius, ſed debet fundari in proprio eſſe; prædicatum enim poſitiuum, quale eſt eſſe commune, non poteſt fundari in negatione. Deinde quòd natura ſit communis, non dicit, quòd non ſit determinata per indiuiduationem, ſed quòd poſſit eſſe in pluribus, quòd autem poſſit eſſe in pluribus, non prouenit ab aliqua negatione, ſed ab intrinſeco ipſius, quod, videlicet habeat cõmunicabilitatẽ, qua poſſit pluribus communicari. Præterea natura ex vi ſui eſſe ordinatur ad plura indiuidua, vt ſuperior ad inferiora, & dicit, quòd poſſit coniungi cũ multiplici eſſe indiuiduali; igitur cum hic ordo ſit poſitiuus, debet ſecundùm ſuummet eſſe fundare hunc ordinem, & ſecundùm ſuum eſſe dicere communitatẽ, quia communitas cõſiſtit in hoc ordine, & ex vi cõmunitatis formaliter coniungitur. Rurſus natura ſecundùm eſſe intrinſecũ poſitiuum eſt contrahibilis per differentias indiuiduales, & ita ſe habet, vt poſſit affici quantùm eſt de ſe per plures differentias indiuiduales, ergo ab intrinſeco habet communitatem, & non ratione alicuius cõditionis extrinſecus aduenĩetibus: cõmunitas enim in eo conſiſtit, quòd poſſit cõtrahi per plures differentias indiuiduales. Confirmatur. Natura à parte rei habet exercitiũ poſitiuum, quo ſit in pluribus ſecũdùm proprium eſſe; ergo cũ exercitium actus ſupponat potentiam, debet natura habere potentiam, vt poſſit eſſe in pluribus, quæ illi conueniat ſecundùm proprium eſſe, ſicuti ſecundùm proprium eſſe illi conuenit eſſe in pluribus. Quòd rurſus declaratur.

Omnis potẽtia radicatur in aliquo poſitiuo.

Omnis potentia radicatur in aliquo poſitiuo, vt patet indnctione facta in omnibus potentijs, quæ ordinantur ad actum poſitiuum; & ratio eſt, quia omnis potentia conſiſtit in ordine tranſcendentali ad actum, & conſequenter, ſi actus eſt poſitiuus, etiam ordo ad ipſum erit poſitiuus. Rurſus potentia eſt intrinſeca rei, cuins eſt potentia, quando ſeipſa eſt in potentia ad aliquid, cum igitur natura ſit in potentia, vt poſſit eſſe in multis per actum poſitiuum; debet habere poſitiuam potentiam, quæ radicetur in eſſe intrinſeco naturæ. Denique inquiro: an natura ex vi ſuæ eſſentiæ ſit multiplicabilis in pluribus, an non; hoc ſecundùm non poteſt dici, quia ſi ab intrinſeco nõ haberet, vt poſſet poni in pluribus, neque per Dei potentiam poſſet poni, quia omnipotentia quoque Dei ſupponit intrinſecam poſſibilitatem rerum. Deinde in eſſentijs rernm, quicquid illis ab intrinſeco non conuenit, repugnat; cum enim conſiſtant in indiuiſibili, & tantùm habeant, quæ ab intrinſeco conueniunt, quicquid ab iutrinſeco non conuenit, eſt extra ipſarum eſſentiam, & conſequẽter ipſis repugnans; ſi igitur natura non haberet ex ſe, vt poſſet eſſe in pluribus, nec etiam poſſet poni, ſic, quia rationalitas non habet ex ſe, vt poſſit cõiungi cum hinnibilitate, nec etiam per Dei potentiam poteſt coniungi; Non poteſt autem eſſe in pluribus abſque communitate, quia in hoc conſiſtit communitas, quòd aliquid poſſit pluribus communicari: hinc autem fit, quòd natura, prout dicit ſuum propriũ eſſe, non ſit magis natura huius indiuidui, quàm alterius, ſed ad omnia indifferenter ſe habeat.

Naturæ intrinſece habet potentiã ad eſſendum in pluribus

V. Atque hinc ſequitur altera pars falſitatis; quam continet allata Doctrina Caietani, nempè quòd communitas ſit prædicatum, repugnans naturę ratione illius conditionis adiunctę, nempè ſingularitatis, quia licet, prout eſt in vnico tantùm indiuiduo, non habeat communitatem, quia ibi non habet ſuum actum adęquatum, habet tamen prout actu eſt in alijs, aut prout poteſt eſſe; vnde ſi conſideretur prout eſt in indiuiduo reduplicatiuè, non habet quidem communitatem, quia tunc reduplicatur ſingularitas, ſi verò conſideretur ſpecificatiuè, habet, quia ſecundùm ſuum eſſe poteſt reperiri in pluribus, non tamen denominat indiuiduum commune, tum quia in illo non habet actum communitatis, cũ, vt dictũ

Communitas non repugnat naturæ ratione ſingularitatis.

est, in illo sit tantùm inadæquatè secundùm actum communitatis, tum quia denominatio fit ab vltima forma contrahente, sic homo dicitur rationalis, non verò irrationalis, quãuis animalitas de se non sit rationalitas; Compositum sub stãti ale dicitur substantia actualis, quã uis materia sit substãtia potentialis, vnde cum indiuiduatio sit vltima forma, quæ contrahit, ipsa tribuit denominationem, non verò communitas naturæ.

Natura retinet in indiuiduis sua communitatem.

VI. Quòd autem natura, etiam à parte rei existens, habeat vnitatem communitatis, etiam in indiuiduis, neq; secũdũ ipsa prĩcipia Caiet. potest negari. Nam etiam per ipsum, quod cõuenit naturæ cõsideratæ secũdùm statũ essentiæ, illi sẽper cõuenit, & impossibile est oppositũ, alioquin rerũ essẽtię non cõsisterent in indiuisibili, vt supra ostendimus. Cum igitur hęc cõmunitas conueniat naturę in statu essentię, debet illam quoq; retinere in statu realis existentię. Verùm oportet aduertere, quòd eo pacto debet cõuenire cõmunitas in statu realis existentię, quo cõuenit in statu essentię, sicuti igitur non conuenit cõmunitas in statu essentię, nisi prout respicit plura, ita neq; conuenit in statu existentię, nisi prout habet actum essendi in pluribus, quia actus debet proportionari potentię.

Quid dicat natura secundùm statum præcisionis. Disp. XVI.

Auctorum sententia.

SECTIO I.

I Consideravimus hucusq; naturam secundùm statũ absolutũ, seu essẽtię, & secundùm statũ realis existentiæ, nunc cõsideranda est secundùm statum pręcisionis. Natura aũt secũdùm statũ præcisionis, dicitur ipsamet natura, quatenus cõsideratur, vt præcisa ab indiuiduatione. De Natura igitur tali pacto cõsiderata difficultas est, nedũ quam vnitatẽ dicat, sed etiã quid sit, aut in quo cõsistat. An videlicet dicat solùm cõceptũ mentis repræsentantẽ indiuidua in confuso, sub rõne naturæ, an verò aliq̃d aliud, quod se teneat ex parte obiecti; quæ difficultas cũ illa alia coincidit, an vniuersalia sint res, vel sola nomina; tũc enim quæstio procedit de vniuersali, nõ prout est immersũ in indiuiduis, quia iã supra dictũ est, quòd, prout est in ipsis, est quid reale positiuũ. Sed intelligitur de vniuersali pręcisè considerato absq; indiuiduatione, quod idẽ est, ac natura cõsiderata secũdùm statũ præcisionis.

Punctus difficultatis.

1. opinio Vniuersale in statu pręcisionis esse quid fictum.

II. In hac difficultate variant inter se Doctores. Prima igitur opinio tanquam probabilis ponitur ab Ochã infra citando, & eam recitat Gabriel loco item infra citãdo, quam ipse quoq; probabilẽ putat, & asserit. Quòd vniuersale non sit res aliqua, quæ sit aliquo pacto in ipsis rebus, neq; aliquo pacto extra animã, sed neq; habeat esse in anima, tãquã aliquid reale subiectiuè, sed solùm habeat esse obiectiuũ in intellectu tanquam aliquod fictum ab ipso; vnde vult hæc sententia, quòd natura in statu pręcisionis, non sit aliquid reale, sed ens rationis. Verùm natura in statu præcisionis non est quodcumq; ens rationis, sed factum ab intellectu cum fundamẽto, in ipsis rebus, & tali pacto explicant hoc ens rõnis, quòd fiat, cum intellectus videns aliquid extra, fingit in se illius similitudinẽ, qua res talis est in esse obiectiuo, qualis est in esse reali secundùm similitudinem tantùm, non secundùm realitatem, nempè quia talis apparet intellectui, qualis est in esse reali. Si hoc igitur fictum respiciat plura, & se indifferenter habeat ad singularia, dicitur vniuersale, quia est illud, quod inuariatum prædicatur de multis.

2. opinio Vniuersale esse verã rẽ cõsequẽtem actũ intellectus equaliter repræsentãtem indiuidua.

III. Secunda opinio etiam recitatur à Gabriele, & Ocham, non tamen ab ipsis probabilis putatur. Asserit, quòd natura secundùm statum pręcisionis, seu vniuersale non sit aliquid obiectiuè existens in intellectu, neque quòd in ipso sit subiectiuè, sed quòd est vera res consequens actum intellectus. Si autẽ quęras, quid sit hęc res; re-

respondeat, quòd est quędam similitudo rei æqualiter repręsentās indiuidua, vnde non potest alio pacto æqualiter repræsentare indiuidua, nisi repræsentet, quatenus dicunt naturam, in qua conueniunt. Si autem quæras, quinam sit iste intellectus, à quo consequitur huiusmodi similitudo, non explicāt, sed consequenter loquendo, non aliud potest esse, quàm ille, quo intelliguntur indiuidua secundùm rationem naturæ, quam participant.

3 opinio Vniuersale esse voce vel conceptù mentis. Ocham. Gabr. Gregor. Buridan. Hurtad.

IV. Tertia sententia est Nominalium, quæ etiam ferè coincidit cum alijs modis dicendi, quos ipsi improbabiles putant. Hanc autem tradit Ocham in Logica cap. 14. & quodlib. 3. quęst. 2. & in primo distinct. 2. per plures quæstiones. Gabriel ibidem etiam ipse per plures quæstiones, sed præcipuè quęst. 8. vbi ponit suam sentētiam. Greg. distinct. 3. quęst. 3. artic. 2. Buridan. initio Pręedicab. quam etiam nouissimè secutus est Hurtadus in Metaphys. disp. 5. sectione 10. quam etiam contendit esse D. Thomę, & ipsum citat pluribus in locis, & refert sub sect. 2. sed antequam Nominales, præsertim Ocham, & Gabriel explicent suam sententiam, impugnant aliorum opiniones, & ex impugnatione supponunt, quòd vniuersale non sit res aliqua extra animam realiter distincta ab indiuiduis, ita tamen, vt in ipsis omnibus vna, & eadem sit, quia tunc daretur vniuersale separatum ab indiuiduis, vt sentit opinio, quę adscribitur Platoni, & non esset quid vniuersale; sed quid singulare, si quidem esset quid existens entitatiuè indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio, vt etiam nos supra dicebamus; & in hoc quidem rectè sentiunt. Secundò supponunt, quòd neque vniuersale sit aliquid realiter distinctum ab esse indiuiduali, & realiter multiplicatum in indiuiduis, ita vt vniuersale, quod est in Petro, nedū distinguatur realiter ab ipso Petro, sed etiam distinguatur ab vniuersali, quòd est in Paulo, & ratio eadem est, ac de superiori. Deinde nihil potest multiplicari, nisi per aliquid intrinsecum, esse autem indiuiduale non est intrinsecum vniuersali, ita vt possit in ipso ponere multiplicationē. Tertiò supponūt, quòd neq; vniuersale sit aliquid in indiuiduis distinctum ex natura rei ab indiuiduatione, quasi natura per aliquid superadditū indiuiduetur, sed supponunt, quòd vnaquæque res sit indiuidua seipsa, vnde nec vniuersale est aliquid in indiuiduis ex natura rei distinctum.

Quomodo hæc opinio explicetur.

Nullæ res extra animam est vniuersalis per Nominales.

V. His igitur suppositis, declarant suam sententiam, quòd omne, quod est à parte rei, singulare est, & consequenter, quòd nulla res extra animam, nec per aliquid superadditum, siue reale, siue rationis est vniuersalis, quia nulla res per cognitionē intellectus mutatur, vnde si de se singularis est, nō potest per considerationē intellectus fieri vniuersalis; quare deducunt, quòd vniuersale nihil aliud est, nisi vel ipsę voces, quatenus plura significāt, vel magis propriè, quòd sit aliqua res, quę sit vera qualitas existens in mente, quæ ex natura sua est significatiua rerum ad extra, sicuti vox est signum commune plurium ex institutione: vnde in seipsa est res certi generis, sed est vniuersalis in prædicando, supponendo æquè pro pluribus indiuiduis, & huic qualitati subordinātur voces in significando. Quòd si quæras, quid sit hæc qualitas, respōdet Gabriel ex sententia Ocham., quòd duplici modo potest explicari. Primò, quod realiter sit ipsamet intellectio. Secundò, quod sit posterius intellectione. Quare concludunt, quòd vniuersale, seu natura in statu pręcisionis dicit tantùm istam qualitatem, & quòd in re nihil aliud ex parte obiecti ipsi correspondet pręter ipsamet singularia, quatenus per ipsam significantur.

Doctrina Hurtadi.

VI. Addit Hurtadus, & supponit tanquam probandum disput. sequenti: quòd in distinctione rationis non partitur obiectum, neque fit aliqua præcisio, sed tantùm in confuso concipitur, ita vt non possint distingui diuersę formalitates in eodem obiecto, sed tantùm idem obiectum per ordinem ad diuersa connotata concipiatur. Hinc infert, quòd vniuersale est aliquod concretum ex obiecto, & cognitione. Obiectum est veluti id, quod substernitur cognitioni, & solùm dicit ipsa singularia, cognitio verò se habet veluti forma; à qua obiectum denominatur cognitum confusè, & à qua recipit esse vnum; & huic cognitioni ex parte obiecti nihil respōdet rōne distinctū ab indiuiduis. Hęc autē sententia coincidit cū alijs modis dicendi, quos referūt Ochā, & Ga-

& Gabriel, quorum alter est, quòd vniuersale sit conceptus, seu res, quæ concipitur, quatenus dicit cognitionem, quæ se habet indifferenter, & communiter ad omnia singularia. Alter verò modus est, quòd sit species aliqua in anima, æqualiter respiciens omne singulare, licet enim hi modi in explicando differant, conueniunt tamen in hoc, quòd vniuersale sit quid se tenens ex parte intellectus, & in ipso subiectiuè existens.

4. opinio Vniuersale dicere naturam real em secundùm vnitatē formale præcisā.

VII. Quarta opinio asserit, quòd vniuersale, seù natura secundùm statum præcisionis dicat ipsammet naturam realem, quæ est in indiuiduis, prout dicit vnitatem formalem, separatam tamen à conditionibus indiuidualibus, quatenus intellectus per suam vim præcisiuam potest considerare essentialia naturæ, non considerata indiuiduatione, & illam concipere, vt quid vnum commune pluribus. Hæc autem sententia procul dubio est D. Thomæ de Ente, & essentia cap. 4. vbi ait. *Hæc autem natura habet duplex esse, aliud in singularibus, aliud in anima*. Item Caiet. ibidem §. *His antequam*, & quęst. 6. & idem habet D. Th. opusc. 56. tractat. 1. vbi ait; *Sententia tamen Arist. vera est, scilicet quòd vniuersale est in multis, & vnum præter multa, & tangitur in hoc duplex esse vniuersalis, vnum secundùm quod est in rebus, aliud secundùm quod est in anima*, & post pauca. *Vna, & eadem natura, quæ singularis erat, & indiuiduata per materiam in singularibus hominibus, efficitur postea vniuersalis per actionem intellectus depurantis ipsam à conditionibus, quæ sunt hic, & nunc* & opusc. 56. ait. *Iste terminus, homo, significat naturam humanam, absque omni participatione, & particulari ratione*. Præterea Soncin. 7. Metaph. q. 40. Albertus Magnus in sua Logica tractatu 2. Auicen. prima parte Log. cap. 4. Algazel in Metaphys. cap. 7 tract. 1. Capreol. in 4. dist. 5. quæst. 3. art. 3. in responsione ad argumenta Scoti contra primam Conclusionem Soto in Logica quæst prima de Vniuersalibus Fonseca 5. Metaph. cap. 28. q. 2. sect. 2. Toletus in Log q. 2. de vniuersalibus. Conimbricenses ibidem. Dur. in 1. dist. 3. q. 3. & in 2. dist. 3. q. 7. Aegidius in 1. q. 2. prologi, & dist. 19. parte 2. Suar. in Metaph. disp. 6. sect. 5. Auersa in Logica quæstione 8. sect. 1. & 5. Serna in Logica disp. 1. sect. 4. quæst. 6. artic. 6. & communiter omnes Philosophi præsertim Thomistæ. Et desumitur ex Arist. cap. 5. Perihermen. vbi ait, res alias esse vniuersales, alias singulares, & 3. Metaph. tex. 16. & lib. 7. tex. 45 & alibi sæpe affirmat, vniuersalia esse quid reale dicens ipsam quidditatem rei. Hoc etiam ipsum docet Boet. libro De duabus naturis. Idem Damascenus in suo Monologio cap. 27. dum diuidit substantiam in vniuersalem, & singularem. Plures rationes congerunt hi Auctores. Cœterùm quia plerique eorum impugnant Nominales, quasi non admiserint vniuersale dispersum in singularibus, ideò parum efficaces sunt; non enim Nominales negant conuenientiam essentialem rerum secūdùm aliquam naturam, sed asserunt, illam naturam in quolibet singulari esse indiuiduam, ita vt à parte rei nihil aliud sit præter indiuidua, & quòd vniuersale, vt tale est, seù natura secundùm statum præcisionis, nihil aliud dicat, nisi aliquid indifferenter se habens ad significanda omnia singularia. Vnde quia sententiam Nominalium non totaliter falsam puto, ideo quę dicenda sint, in sequentibus aperiemus.

D. Th. Caiet.

Soncin. Albert. Magn. Auicen Algaz. Capr. Soto. Fonseca. Tolet. Conn. Durand. Aegid. Suar. Auersa. Serna.

Arist.

Boet. Damasc.

Aliquot conclusiones ad vera sententia declarationem.

SECTIO II.

I. VT ad veram sententiam sternamus iter, prius quæ faciliora sunt, determinare debemus. Vnde quia status præcisionis naturę habetur mediante virtute pręcisiua intellectus, vt intelligatur, quomodo natura acquirat hunc statum, supponendum est, quòd intellectus noster habet virtutem quandam pręcisiuam, qua vnum potest cognoscere sine alio, vt experiētia patet; nam possumus considerare rationem substantiæ, nihil aliud pręter ipsam considerando, & sic de alijs eadem inductio fieri potest. Ex vi autem huius præcisionis habet intellectus talem efficaciam, quicquid alij, pręsertim Hurtadus, dicant in oppositum, quòd possit obiectum partiri in diuersas formalitates, vt ostendemus infra,

Quomodo fiat præcisio.

cum

cum agemus de distinctionibus; hæc autem partitio non in eo quidem consistit, quòd ponatur in obiecto, quod est à parte rei, quasi ipsum diuidatur, quia, vt optimè dicebant Nominales, cogitatio non immutat obiectum reale, sed in eo consistit, quòd obiectum diuidatur secundùm esse obiectiuum, seù prout repræsentatur intellectui, ità vt ex vi cognitionis obiectum repræsentetur tantùm secundùm aliquid sui, seù secundũ aliquam formalitatem tantũ, vnde huic repręsẽtationi à parte rei correspõdet obiectum reale sed secundùm esse inadæquatum, sic quando concipitur pręcisè rationalitas, & nihil aliud, correspondet quidem huic intellectioni aliquid reale à parte rei, nempè homo, sed solùm secundũ esse inadæquatum, & sic per talem cognitionem repræsentatur aliquid, quod sit in homine realiter, huius autem pręcisionis fundamentum verum est, & habetur ex ipsamet natura rerum, vt alibi declarandum est.

1. concl. Vniuersale non dicit aliquid reale consequens intellectionem repræsentans individua.

II. Supposita ergo hac præcisione, & à facilioribus incipiendo, statuimus, Vniuersale, seù naturã secundùm statum pręcisionis non dicerę rem illam realem, quæ tanquam similitudo rei ęqualiter repręsentans indiuidua consequatur ad intellectionem, vt volebat secunda sententia. Hoc autem facilè conuincitur, nam res ista realis, quæ consequitur ad intellectionem, est intellectio, vel aliquid aliud? primum non potest admitti, quia ad intellectionem non sequitur intellectio, neque enim intellectio est productiua alterius intellectionis. Deinde si ista intellectio est Vniuersale, quia æqualiter repræsentat omnia indiuidua, cur prima intellectio non erit Vniuersale, cum etiam ipsa repræsentet æqualiter omnia indiuidua; si enim consequeretur, non aliam intellectionem consequeretur, præter illam, qua intelligerentur omnia indiuidua, vt conueniunt in tali natura, & consequenter supponeretur alia intellectio repræsentans omnia indiuidua, quia solùm mediã repræsentatione ipsorum illa indiuidua intelligerentur. Sed neque secundùm potest dici, quia intellectio non est operatiua, neque aliquid ab ipsa consequitur, nam quæro, quid hoc sit; si dicatur similitudo rei, iam est intellectio, quia

Intellectio repræsentans individua nõ est Vniuersale.

mediante intellectione tanquam similitudine, manifestatur obiectum. Deinde quæro, an sit accidens, vel substantia? non substantia, nam mediante intellectione nulla substantia producitur; deinde esset vel corporea, vel spiritualis, & deberet præbere suum effectum formalem, & si est forma, recipi in aliquo subiecto, quorum nullum potest dici, sed neque potest dici, quod sit accidens; nã non potest esse subiectiuè in intellectu, quid enim in ipso pręstaret, aut quam perfectionem, aut formalem effectum tribueret? nec potest esse extra intellectum, quia intellectus operatur tantùm immanenter.

Nihil reale cõsequitur ad intellectioné.

III. Præterea argui potest. Intellectus est tantùm institutus ad intelligendum, & ad nihil aliud, & intellectio est vltimus effectus ipsius, ergo præter intellectionem non potest dari aliquid aliud, quod sit ab ipso consequens ex vi intellectionis, quia iam habetur totum id, ad quod ordinatur intellectus. Accedit etiam, quòd talis similitudo rei non esset natura, sed tantùm similitudo naturæ, nec esset vniuersale in essendo. Nos autẽ quærimus vniuersale in essendo, & quid dicat natura secundùm statum præcisionis; natura autem secundùm statum præcisionis debet dicere ipsummet esse naturæ, hoc autem non est quid consequens intellectionem. Rursus hæc res, quæ est similitudo rei consequens intellectionem, esset secundùm suum esse quid indiuiduum, & singulare, ergo secundùm se non potest esse natura secundùm statũ præcisionis, neque vniuersale in essendo, quia natura secundùm statum pręcisionis, & vniuersale vt tale, non dicit quid singulare. Quòd si dicas, non dari aliam naturam secundùm statum præcisionis, hoc est gratis dictũ, & experientia vrget in oppositum; nã vnusquisque experitur, quòd potest cõcipere naturam nulla concepta indiuiduatione.

Præter intellectionem nihil aliud est ab intellectu.

IV. Atque hinc etiam deducitur contra Nominales, quòd Vniuersale non possit esse aliqua qualitas, quæ sit subiectiuè in mente consequens intellectionem, & ipsa posterior, quæ vniuersalis sit, quatenus indifferenter significat plura; nam nulla qualitas reperitur in intellectu, quæ sit posterior intellectione. Deinde non posset significare plura, nisi per modum repræ-

Vniuersale non consistit in aliqua qualitate, quæ sit subiectiue in mente, &c.

sen-

ſentationis, tunc autem eſſet tantùm vniuerſalis illa qualitas in repręſentando, vt diximus, non verò in eſſendo; nec diceret naturam ſecundùm eſſe, ſed tantùm repręſentatiuè. Atque contra hanc qualitatem militant rationes, quas modo contra aliam ſententiam adduximus. Quocirca non ſolùm reijciendus eſt hic modus dicendi, quia non datur huiuſmodi qualitas, ſed etiam, quia ſi daretur, non eſſet vniuerſale, nec natura ſecundùm ſtatum præciſionis, quam inquirimus, vt per ſe euidens eſt.

2. concl. Vniuerſale non eſt ens rationis.

V. Secundò conſtituendum eſt contra primam ſententiam, quòd vniuerſale, ſeu natura ſecundùm ſtatum præciſionis non dicat aliquod ens rationis confictum ab intellectu, quod ſit ſimilitudo reſpiciens plura, vt ibidem explicabatur. Et imprimis non poſſet hęc ſimilitudo reſpicere plura, niſi etiam intellectio reſpiceret plura, qua formatur illud ens rationis. Rurſus iſta plura deberent eſſe realia, quia inquirimus de vniuerſali, quod reſpicit plura realiter. Hoc autem ſtante non poteſt haberi huiuſmodi ſimilitudo, quę ſit ens rationis reſpiciens plura, nam inter intellectionem, & obiectum non mediat aliquid aliud, & ſolùm illa ſimilitudo interuenit, quæ eſt in ipſa intellectione, & qua mediante manifeſtatur obiectum. Præterea quando intellectus habet pro obiecto ens reale, non format ens rationis, ſed immediatè fertur in ens reale, ergo cum illa intellectio reſpiciat obiectum reale, non formabit aliquod ens rationis.

Intellectus intelligendo ens reale nō format ens rationis.

1. ratio.

VI. Secundò, hoc ens rationis non dicit aliquo pacto naturam ſecundùm ſuum eſſe, imò neque ſecundùm repræſentationem, quaſi ſit repræſentatio naturę; ergo nullo pacto poteſt dicere naturam ſecundùm ſtatum præciſionis. Quod non dicat naturam ſecundùm ſuum eſſe, de ſe euidens eſt, quia natura ſecundùm ſuum eſſe eſt aliquod reale, cum reperiatur in realibus indiuiduis. Sed quòd neque poſſit eſſe repræſentatio ipſius, probatur euidenter, nam ens rationis nihil eſt in ſeipſo, neque enim conſiſtit in illo verbo mentis, quod ſit ab intellectu, dum intelligit; ſed in eo, quod putat intellectus repræſentari per intellectionem, quod reuera nihil eſt, & conſequenter neque poteſt eſſe repræſentatio naturæ. Confirmatur, vel hoc ens rationis eſt realis ſimilitudo, vel non? Si eſt realis ſimilitudo, ergo non poteſt eſſe ens rationis, cum ens rationis nihil ſit; ſi non eſt realis ſimilitudo, quomodo participabit rationem vniuerſalis, aut quomodo indifferenter ſe habebit ad multa? Præterea quomodo poteſt ſe indifferenter habere ad multa, cum nihil ſit?

Ens illud rationis non dicit naturam ſecundum ſuum eſſe, ac [illegible] illam repræſen[illegible].

3. ratio Vniuerſale ſecundùm ſtatum præciſionis importat naturam realem.

VII. Tertiò. Vniuerſale, ſeu natura ſecundùm ſtatum præciſionis includit in ſeipſa eſſe naturę, hoc eſt, prædicata quidditatiua, per quę conſtituitur natura in eſſe naturę, alioquin quomodo eſſet vniuerſale, cum non reſpiceret plura? neque enim poſſet reſpicere, niſi quatenus diceret aliquid commune omnibus indiuiduis, vt rationem ſubſtantiæ, animalitatis, & alia huiuſmodi; vniuerſale enim reſpicit plura, cum ſit vnum in multis, & ita reſpicit, vt dicat aliquid ipſorum; at hoc figmentum intellectus non poteſt includere prędicata quidditatiua, neque aliquid eſſe naturę, cum enim ſit nihil, quomodo dicet eſſe naturę, neque etiam ſecundùm ſimilitudinem? quod enim in ſe nihil eſt, nullam poteſt habere ſimilitudinem cum ente reali. Et vrgetur. Tota ſimilitudo obiecti, quæ habetur ex vi intellectionis, eſt intentionalis, & conſiſtit in verbo mentis repręſentatiuo obiecti, & nullam aliam ſimilitudinem format intellectus, ergo non poteſt dari hoc figmentum rationis, quod ſit vniuerſale. Quòd ſi per hoc figmentum mentis intelligunt ipſum verbum, iam conuenit ſententia hæc cum ſententia Nominalium, de qua mox dicemus.

Confir.

VIII. Et poteſt ratio facta confirmari. Quādo intelligitur vniuerſale, intelligitur aliquid, quod ſit extra intellectū, & ſit aliquid reale, cū enim dicitur, *Petrus eſt animal rationale, Paulus eſt animal rationale*, aut cum dicitur, *Petrus eſt ſubſtantia*, & alia huiuſmodi, intelligitur aliquid reale de indiuiduis, & non quòd ſit animal rationale fictum, aut ſubſtantia ficta, ergo natura ſecundùm ſtatum pręciſionis, non conſiſtit in aliquo figmento intellectus, quod ſit obiectum ipſius, quia cum natura ſecundùm talem ſtatum intelligitur, aliquid reale concipitur. Quod rurſus declaratur; animal

Natura ſecundùm ſtatum præciſionis dicit prædicata realia.

rationale, & alia huiusmodi prędicata ex intrinseco suo important aliquas rationes reales, siquidem sunt intrinseca constitutiua entis realis, nempè in diuiduorum, quatenus participant talem naturam, ergo in esse obiectiuo, se solis, & sine aliqua conditione indiuiduali se habent vt quid reale, non autem vt quid fictum ab intellectu, & cum tali pacto concepta dicant statum præcisionis, sequitur, quòd natura secundùm statum præcisionis dicat aliquid reale.

4. ratio IX. Quartò argumentor. Conceptio, quæ versatur circa ens rationis, est ex natura sua posterior conceptione, quæ versatur circa ens reale, ita vt conceptio entis rationis, vt sic, supponat vt antecedentem cognitionem entis realis, vt sic, & ratio euidens est, quoniam formatio entis rationis fundatur in cognitione entis realis, cum enim ens rationis dicat non ens conceptum ad modum entis, necessariò debet præcedere cognitio entis, vt similitudinem ipsius possit intellectus non enti applicare, vt fusius suo loco dicemus. Ex hoc verò fit, quòd formatio talis entis rationis, supponat cognitionem entis realis illius, ad cuius similitudinem concipitur, sic formatio hyrcocerui supponit cognitionem hyrci, & cerui, ergo etiam quando formatur hæc similitudo rei, in qua dicitur consistere vniuersale, debet prę supponi cognitio illius entis realis, ad cuius similitudinem concipitur, atque cum sit indifferens ad plura, debet esse consequenter similitudo plurium, quatenus in vna aliqua ratione conueniunt, ergo debet prę suppponi cognita ratio illa conuenientię. Et ex hoc necessariò sequitur, quòd antequam formetur hoc ens rationis, in quo dicitur consistere vniuersale, existat, & cognoscatur vniuersale, seù natura secundùm statum prę cisionis. Et potest hoc magis declarari. Hoc ens rationis, quod est similitudo rei indifferens ad plura, debet esse conceptum ad modùm entis realis, quod aliàs sit cognitum ab intellectu, ergo debet præsupponi aliquod obiectum intellectum indifferens ad plura, & consequenter natura secundùm statum præcisionis. Deductio consequentię declaratur; hoc ens rationis est indifferens ad plura per similitudinem entis realis, ad instar cuius concipitur, ergo illud ens reale debet se habere indifferenter ad plura; quomodo enim conferret huic enti rationis, quod ad suimet similitudinem concipitur, indifferentiam ad plura, nisi illam in se haberet; sicuti enim non posset illi tribuere similitudinem, qua repręsentaretur vt tale ens reale, nisi esset tale ens reale, ita neque posset tribuere indifferentiam ad plura, nisi esset indifferens ad plura. Vel aliò modo declarari potest hæc consequentia. Ens rationis inde habet, vt repræsentetur ad modum entis realis, quia intellectus vtitur specie repræsentatiua entis realis ad sibi repræsentandum non ens, hinc talis species debet dicere ordinem ad aliquod ens reale, quod realiter dicat totum id, quod similitudinariè ex falsa conceptione dicit ens rationis, ergo si intellectus fingit hoc ens rationis, quòd sit similitudo rei indifferenter se habentis ad plura, debet habere speciem ex natura sua repręsentatiuam entis realis indifferentis ad plura, qua vtatur ad conficiendum tale ens rationis, ergo illud ens reale indifferens ad plura erit vniuersale, & natura secundùm statum pręcisionis. Ex quibus manifestum fit, quàm improbabiliter dicatur, naturam secundùm statum præcisionis consistere in aliquo ente rationis.

Cognitio entis rationis prę supponit cognitionem entis realis.

5. ratio X. Sed vlterius possumus arguere inquirendo, Quidnam sit hæc res, cuius dicitur esse similitudo hoc ens rationis, in quo consistit vniuersale? dicitur enim, quòd est ens rationis fictum ab intellectu, quòd est similitudo rei. Vel ergo hæc res, cuius est similitudo, est aliquid singulare, vel aliquid vniuersale: Si quid singulare, ergo nō potest hoc ens rationis se habere indifferenter ad plura; nam totum illud quod habet, illi conuenit ex vi huius similitudinis, si igitur est similitudo rei singularis, non habebit ex vi huius similitudinis, quòd se habeat indifferenter ad plura, sed tanquam similitudo rei singularis repręsentabit tantùm aliquid singulare. Si verò est similitudo rei indifferentis ad plura; ergo ante formationem huius entis rationis precedit natura secundùm statum pręcisionis, atque adeo vniuersale, & non consistit in aliquo ente rationis,

Formatio entis rationis vniuersalis supponit vniuersale reale.

sed in aliquo ente reali.

3 concl. Vniuersale non consistit in actu intellectus.

XI. Tertiò statuendum est contra sententiam Nominalium, vniuersale, seù naturam secundùm statum pręcisionis non consistere in actu intellectus, quo intelligantur plura indiuidua, quatenus inter se conueniunt; & habent eadem prædicata communia. Licet enim verum sit, quòd huiusmodi actus intellectionis sit quid vniuersale in repræsentando; nam repræsentat plura, quatenus inuicem conueniunt, rursus etiam cum repręsentet aliquid commune pluribus indiuiduis, & cum ex natura intellectionis existat in ipsa intentionali modo id, quod repręsentatur, fit, quòd vniuersale intentionali modo existat in huiusmodi intellectione. & consequenter intellectio sit, ne dum vniuersalis in repręsentando, sed etiam esse vniuersale intentionale, sicuti dum intelligitur lapis, intellectio illa, quatenus intentionali modo in ipsa existit lapis, est lapis intentionalis. Quod tamen negamus est, quòd intellectio illa sit vniuersale secundùm propriũ esse reale, aut natura, prout dicit proprium esse in statu pręcisionis.

Vniuersale existit in intellectione intentionali modo.

1. ratio.

XII. Hoc autem, quod diximus, potest probari ex ipsa doctrina Nominalium; nam hic conceptus respicit plura, quę significat, & non quomodocunque illa significat, sed prout habent aliquod commune, in quo conneniunt, ergo prçter hunc conceptum mentis datur aliquid ex parte obiecti, quod se habeat vniuersali modo, nempe illud, quod per talem conceptum repręsentatur, & consequenter huiusmodi conceptus nõ erit Vniuersale secũdùm esse reale, quod inquirimus; & si vniuersale potest saluari ex parte obiecti, non rectè constituitur ex parte conceptus mentalis. Et potest hęc ratio amplius vrgeri. Nihil potest repręsentari in cognitione, quod non se teneat realiter ex parte obiecti, nisi fortè sit aliquid fictum ab intellectu, ergo non potest aliquid repręsentari vniuersali modo, nisi etiã ex parte obiecti vniuersali modo se habeat, in hoc enim cognitio, & obiectum proportionantur, quòd cognitio ita repręsentat, sicuti se habet obiectum. Quo stante necessariò dicendum est, quòd conceptus ille, in quo dicitur cõsistere vniuersale, qualim cuid repręsentet, non possit repręsẽtare aliquid, quod singulari modo se habeat, alioquin quomodo esset indifferens ad plura, si aliquid repręsẽtaret, quod singulari modo se haberet? indifferentia enim ex natura sua respicit plura. Quod confirmatur. Hic cõceptus se habet indifferẽter ad plura ex vi illius, quod repręsentat, ergo id, quod repręsentat debet se habere indifferẽter ad plura, & cõsequenter aliquid vniuersali modo se habẽs ex parte obiecti, cũ in vigore esse repræsẽtati habeat hãc indifferentiam ad plura. Quocirca dũ ponitur huiusmodi conceptus significans plura, & habens aliquam indifferẽtiam ad illa, debet etiam concedi aliquod se tenens ex parte obiecti, quod indifferenter se habeat ad plura, quod dũ per conceptum repræsentatur, inde hanc indifferentiam recipiat conceptus.

Quomodo ex parte obiecti detur aliquid vniuersale.

Proportio inter cognitionem, & obiectũ.

2. ratio.

XIII. Secunda ratio est. Vniuersale, vt definitur ab Arist. est talis naturæ, vt habeat aptitudinẽ ad essendũ in multis, & ex hac potentia, qua potest pluribus cõmunicari, sequitur tãquã passio, quòd possit de pluribus prædicari, & præterea, vt possit esse in multis, debet in se dicere aliquid de esse illorũ, quibus põt inesse. Nullum autem ex his potest cõuenire conceptui intellectus; non quòd habeat potentiam ad essendum in multis; cum enim hæc multitudo se teneat ex parte obiecti, quomodo põt hic conceptus esse in illis? Deinde hic cõceptus est aliquid singulare, singulari autẽ repugnat cõmunicari pluribus. Accedit quòd conceptus mentalis supponit cõstitutum obiectum in suo esse, quòd autem potest esse in obiecto nudè considerato, pertinet ad essentiam ipsius. Hinc sequitur, quòd neque possit prædicari de pluribus, non solùm quia non possit inesse, in quo fundatur prædicatio vniuersalis, sed etiam quia omnis vera prædicatio fundamentaliter accepta præcedit quamcumq; cognitionem, nec est necesse, quòd, vt possit fieri vera prædicatio secundùm esse, pręcedat cognitio de obiecto, & euidentissimum est, quòd cognitio non potest prędicari de obiecto cognito secundùm esse. Quis enim dicat Petrum esse cognitionem, quam quis habet de homine, aut esse conceptum hominis, conceptus enim supponit rem, de qua est conceptus, non verò illam constituit intrinsecè. Quare prçter hunc conceptum, debet etiam

Quomodo vniuersale importet aliquid de inferioribus.

Conceptus intellectus non potest prædicari de multis.

concedi aliquid se tenens ex parte obiecti, vniuersali modo se habens, quod huiusmodi conceptioni correspondeat, vt in sequenti sectione explicabimus.

Vera sententia aperitur.

SECTIO III.

I. Haec, quae hucusque diximus inseruiunt pro impugnatione eorum, quae ab Auctoribus aliarum sententiarum non rectè asserebantur, nunc aperiendum est, quidnam sit haec natura secundùm statum praecisionis.

1. concl. Dicendum igitur primo. In hanc praecisione interuenire realiter loquendo solùm actum intellectus, seù conceptum mentis, & ipsamet indiuidua, quae cognoscuntur. *Quid interueniat in praecisione vniuersalis.* Posui hanc conclusionem tàquam fundamentum illius, quod dicturi sumus in sequenti, & vt intelligatur, quod natura secundùm statum praecisionis debet saluari in his, quae importantur per conceptum mentis, & per indiuidua cognita; atque in hoc conueniunt nobiscum Nominales, licet in explicanda postea vniuersalitate differant, cum illam ponant in conceptu mentis, neque auctores postremae sententiae dissentient, vt patebit ex ijs, quae dicemus conclusione sequenti.

1. ratio. II. Haec autem conclusio facilè suadetur. Praecisio nihil aliud est, nisi quidam actus cognitionis, in qua quidquid interuenit, vel se tenet ex parte cognitionis, vel ex parte obiecti, *Quid importet praecisio.* cognitio enim actualis nihil aliud dicit, nisi actum cognitionis, & obiectum, quod terminet cognitionem, quibus intellectis adęquatę intelligitur cognitio actualis. Ex parte igitur cognitionis tantùm actus intellectionis interuenit, se solo enim, est manifestatiuus obiecti, nec vltra aliud requiritur. Ex parte autem obiecti solùm requiritur id, quod terminat cognitionem, non enim ex alio capite requiritur, nisi in ratione termini, vel obiecti, hoc autem tantùm potest esse aliquod indiuiduum, quoniam cum omne, quod est reale à parte rei, siue sit positū in esse siue sit possibile, sit singulare, necessariò, cum cognitio obiecti realis debeat tendere in obiectum reale, quod sit, vel possit esse à parte rei, debet tendere in singulare, vnde in hac praecisione cum sit quidā actus cognitionis realis, circa obiectum reale, interuenit tantū cognitio, & singularia cognita.

III. Et potest amplius vrgeri hęc ratio; *Confir.* non potest cognitio realis tendere in obiectum reale, nisi tendat in obiectum, quòd sit ens. Supponendo igitur, quòd hoc obiectum reale, in quod cognitio tendit, sit intra latitudinem entis creati, sequitur manifestè, quòd non possit esse aliud, quàm ipsamet singularia. *Cognitio non potest tendere nisi in singulare.* Hæc autem sequela declaratur; totum id, quod est intra latitudinem entis creati, est aliquid participatum, cum non sit tale per essentiam, & consequenter debet deriuari ab eo, quod est ens per essentiam, nempe à Deo: rursus hęc deriuatio non potest fieri sine vera productione, qua tale ens accipiat esse communicatum à Deo, atque cum omnis productio tendat semper ad rem singularem, hinc fit, quòd, quicquid est intra latitudinem entis creati, singulare sit, dum igitur cognitio tendit in aliquod reale, tendit in aliquod singulare, & consequenter etiam praecisio pro obiecto habet singularia, cum sit quidam actus cognitionis versantis circa obiectum reale.

2. ratio. IV. Secundo probatur. Quando concipitur natura secundùm statum pręcisionis, concipitur aliquid de tali natura, vt quando concipitur natura humana concipitur aliquid de homine, seù natura secundùm suum esse, ergo actus ille intellectionis habet tantùm pro obiecto indiuidua; *Cognitio praescindens vniuersale tendit in aliquod reale, naturae* antecedens certum est, siquidem in illa conceptione manifestatur natura secundùm propria constitutiua, quibus in esse talis naturae constituitur, sic dum concipitur natura humana secùndùm statum pręcisionis, in illa conceptione manifestatur animalitas, & rationalitas, quae sunt propria principia naturae humanae, vnde solùm superest declaranda consequentia. Esse naturae secundùm realitatem non reperitur extra indiuidua, sed secundùm totam id, quod dicit, est in indiuiduis, ergo, si illa cognitio tendit in esse reale naturae, iam tendit in indiuidua, atque adeò sola indiuidua se tenent ex parte obiecti.

V. Ter-

3. ratio.

Natura præcis. præcedit à parte rei.

V. Tertiò natura secundùm statum præcisionis pręcedit à parte rei fundamentaliter in indiuiduis, neque de hoc est aliqua difficultas; omnes enim concedunt, quòd indiuidua dicant fundamentaliter naturam, quæ est in statu præcisionis, vnde etiam ab ipsis pręscinditur, præcisio enim in eo consistit, quòd separantur conditiones indiuiduantes à natura, non quidem realiter, sed secundùm cognitionem; hinc autem fit quòd in hac præcisione realiter loquendo, interueniant tantùm cognitio, & indiuidua. Quod sic declaratur; Quando fit pręcisio, debet intellectus cognoscere id, quod est in indiuiduis fundamentaliter, & illud sibi repręsentare concipiendo, & separando ab indiuiduatione; ergo habet pro obiecto tantùm indiuidua, & non aliquid aliud; habet enim pro obiecto naturam, prout est fundamentaliter in indiuiduis, ita vt ante cognitionem nihil aliud pręcedat ex parte obiecti, pręter indiuidua; posita verò cognitione nihil reale ponitur ex parte obiecti; nam cognitio neque immutat obiectum secundùm esse reale, neque aliquod obiectum de nouo format, vnde dum est cognitio in actu ex parte obiecti, nihil aliud reperitur vt reale, nisi id, quòd præcedebat cognitionem, cum igitur solùm indiuidua pręcederent cognitionem, tanquam continerent fundamentaliter statum præcisionis naturæ, etiam in præcisione ad sola indiuidua, vt ad obiectum reale cognitio terminabitur.

4. ratio.

Cognitio terminatur ad illud obiectũ cuius est species, per quã &c.

VI. Denique cognitio immediatè terminatur ad illud obiectum, cuius species habet; nam species, sicuti est ratio, cur intellectus exeat in actum cognitionis, ita etiam facit, quòd terminetur ad obiectum, & terminatio ad obiectum sequitur speciem, ita vt ad illud tantùm obiectum possit terminari, cuius speciem habet, ergo illa cognitio præcisionis potest tantùm immediatè terminari ad singularia, nam intellectus indiuiduorum tantùm species habet, eas enim accipit medijs sensibus, qui solùm circa singularia obiecta versantur; & licet admitteretur intellectus agens, qui formaret species intelligibiles, quia tamen illas formaret ex ijs, quas reciperet medijs sensibus, ideo etiam illæ species essent obiectorum singularium, quia ita illas formaret, vt tantùm ordinarentur ad obiecta, quæ per sensus percipiuntur. Vnde illæ species, quæ ab intellectu agente formarentur, adhuc ordinarentur ad illud obiectum, quod per sensus percipitur, & consequenter essent species singularium obiectorum, & facerent, quòd intellectus ad singularia terminaretur, vnde nullum aliud obiectum, præter singularia potest dari, ad quod intellectio terminetur.

2. concl. Natura in statu præcisionis importat indiuidua inadæquatè cõcepta.

VII. Dicendum est secundò. Naturam secundùm statum præcisionis dicere indiuidua concepta secundùm esse inadæquatum, nempe secundùm prędicata communia. Pro quo supponendum est, quod supra diximus; naturam habere in indiuiduis suam vnitatem formalem, quę iuxta nostram sententiam vna est, & eadem in omnibus, iuxta verò aliorum multiplicatur in ipsis. Natura igitur secundùm statum præcisionis dicit hanc vnitatem formalem naturæ, quæ cum à parte rei sit identificata cum esse indiuiduali, vt constitutiuum indiuidui, ideò quando habetur natura secundùm statum præcisionis, habetur de indiuiduis id, quod est quoddam esse inadæquatum, in quo omnia conueniunt, & sunt vnum vnitate formali.

1. ratio.

VIII. Sic autem explicata conclusio probatur. Quando concipitur vniuersale præcisè, seu natura secundùm statum præcisionis, concipitur aliquid præcisè commune omnibus indiuiduis, in quo conueniunt, ergo concipitur aliquod esse inadęquatum, secundùm quod similia sunt, seù concipiuntur indiuidua, quatenus participant eandem naturam, indiuidua enim sunt similia secundùm proprium esse, non adęquatè consideratum, sed inadæquatè; nam secundùm esse indiuiduale differunt, sumendo nunc similitudinem, non pro ipsa relatione similitudinis, sed pro ratione proxima fundandi similitudinem; vnde indiuidua partim differunt, nempè secundùm esse indiuiduale, partim sunt similia, nempè secundùm esse formale; intellectus igitur præ-

Vniuersale importat aliquid cõmune omnibus indiuiduis.

cindenuo intelligit indiuidua in adę-quatè, nempè secundùm illud, in quo similia sunt, quod est natura considerata sine indiuiduatione, vnde natura secundùm statum pręcisionis dicit esse illud, quod habet in indiuiduis, cõsideratum ab intellectu absque aliqua indiuiduatione.

Confir. IX. Atque hinc elici potest confirm. nostræ sententiæ. Pręscindere nihil aliud dicit, nisi separare vnum ab alio, atque cum pręcisio fiat per cognitionem, dicit, quòd fit mediante cognitione, quæ, cum non immutet obiectum, in eo consistit, quòd obiectum consideretur ab intellectu secundùm aliquid sui, non verò secundùm totum esse. Quocirca, cum natura secundùm statum præcisionis dicat, quòd natura pręcisà se sola consideretur absque differentijs indiuiduationis, in eo consistet, quòd indiuidua considerentur ab intellectu, prout participant talem naturam, non consideratis indiuidualibus differẽtijs, atque indjuidua tali pacto considerata erunt natura secundùm statum præcisionis, cum autem indiuidua sic considerata non dicant totum suum esse, ideò sunt indiuidua secundùm esse adęquatum.

Quid dicat præscindere

2. ratio. X. Secunda ratio est. Natura secundùm statum pręcisionis dicit aliquod reale, nam verè dicit aliquod positiuum participans rationem talis entis, quomodo enim, si esset ens rationis, haberet aptitudinem ad essendum in pluribus indiuiduis realibus. Deinde cum omne ens rationis sit ad similitudinem entis realis, vnde est posterius ipso, si natura secundùm statum pręcisionis esset ens rationis, deberet supponi alia natura realis secundùm statum pręcisionis, ad cuius similitudinem conciperetur, vnde quocumque modo debet semper admitti natura secundùm statum pręcisionis, quę sit aliquid reale. Hinc autem fit, quòd debeat esse ipsamet indiuidua, quia extra ipsa non est aliquid reale, vt in probatione conclusionis præcedentis dictum fuit, ex quo inferebamus, quòd actus pręcisionis debet immediatè terminari ad indiuidua, & modò inferimus, quòd natura secũdùm statum præcisionis debeat esse ipsamet indiuidua. Verùm, quia adæquatè considerata non possunt esse natura tali pacto accepta; ideo dicendum est, quòd sit indiuidua considerata secundùm esse inadæquatum, nempè vnitatem formalẽ naturæ; quæ, quia consideratur sinè indiuiduatione, erit in statu præcisionis.

Natura in statu præcisionis dicit aliquid reale.

1. ratio. XI. Tertiò probatur. Natura secundùm statum abstractionis prædicatur in recto de suis inferioribus, vt supra de inferiori prædicatione quidditatiua; ergo debet esse aliquod reale, identificatum cum indiuiduis, seù ipsamet indiuidua considerata secundùm esse inadæquatum: hæc consequẽtia in eo fundatur, quòd non potest aliquid, quod non sit reale, prædicari in recto de aliquo reali, imò nullo pacto, quomodo enim, quod reale est, erit non ens? tunc enim sequeretur, quòd vnum contradictorium sit aliud. Deinde hæc prædicatio fundatur in identitate prædicati cum subiecto, prædicatum enim pertinet ad constitutiuum subiecti, omne autem constitutiuum identificatur cum subiecto, quod constituit; & consequenter, cum natura secundùm statum præcisionis dicat prædicatum in quid respectu indiuiduorum, debet esse aliquod identificatum cum ipsis, & esse indiuidua considerata secundùm esse inadæquatum. Et posset eadem consequentia rursus declarari considerando particulam enunciatiuam, *est*, vt cum dicitur, *Petrus est homo*, & *homo* sumitur secundùm statum præcisionis, tunc enim particula, *est*, importat, quòd Petrus in suo esse includat rationem hominis, ita enim coniungit hominem cum Petro, vt enunciet, quòd Petrus secundùm suum esse dicat rationem hominis. Sicuti enim, quòd aliquid sit ens, dicit, quòd in se habeat esse, ita quòd sit tale ens, dicit, quòd habeat in se tale esse; hinc verò fit, quòd prædicatum, prout dicitur de inferioribus indiuiduis, nihil debeat importare, quod repugnet ipsis, aut quod non sit inclusum in esse ipsorum, alioquin tolleretur veritas enunciationis, quia particula, *est*, ita coniungit pręd icatum, vt significet includi in ipso esse subiecti, natura ergo secundùm statum præcisionis dicit esse inadęquatum indiuidui.

Natura in statu præcisionis prædicatur in recto de inferioribus

Prædicatum importat aliquid inclusũ in subiecto.

XII. Quar-

XII. Quartò declaratur. Natura secundùm statum præcisionis non variatur secundùm essentialia, sed omnino retinet eandem essentiam, quam habet in cæteris statibus, vnde eadem est natura in statu præcisionis, ac in statu realis existentię, quò ad essentiam, & ratio manifesta est, quia licet variet statum, non variat tamen esse; sic etiam possibilia, & existentia sunt eiusdem essentię, quia statuum diuersitas non variat esse, solùm ergo natura in statu præcisionis differt à natura in statu realis existentię, quòd in statu præcisionis, cum se sola consideretur, non habebit aliquam diuisionem, cum idem non diuidatur à seipso, in statu autem realis existentiæ habebit diuisionem, quia cum sit coniuncta cum indiuiduatione, multiplicabitur, & erit materialiter diuisa, ergo natura secundùm statum præcisionis nihil aliud dicit, nisi indiuidua considerata secundùm esse naturę, quod participant, non verò secundùm esse indiuiduale. Hæc consequentia declaratur, quia eo ipso, quòd in indiuiduis non considerantur differentię indiuiduales, sed solùm esse naturæ, quod participant, habetur natura sine aliqua diuisione, nam eliditur cogitatione omne diuisiuum, cum sola differentia indiuidualis sit illa, quę diuidat, ergo etiam secundùm statum pręcisionis. Rursus natura secundùm esse reale, vt diximus, non alibi reperitur, quàm in indiuiduis, ergo solùm, dum considerantur indiuidua modo explicato, potest fieri status pręcisionis.

1. ratio.

Natura in statu præcisionis retinet sua essentialia.

XIII. Tertiò dicendum est. Naturam secundùm statum præcisionis obiectiuè consideratam habere vnitatem, ita vt vnitas se teneat præcisè ex parte naturę, non verò ex parte intellectus, quasi sit in actu ipsius, quia vnico actu attingat plura indiuidua, sed se tenet ex parte etiam obiecti, quia actus ille, licet feratur in indiuidua, non attingit illa, vt plura sunt, sed vt sunt vnum vnitate naturę, seù formali; est contra Nominales, & Hurtadum pręcipuè, concordat tamen cum vltima sententia, & sequitur ex dictis supra, vbi ostendimus, naturam habere eandem vnitatem formalem in omnibus indiuiduis; sed etiam probatur supposito, quòd vnitates formales multiplicarentur, vt sentiunt communiter, præter Scotistas.

3. concl. Natura in statu præcisionis habet vnitatē.

XIV. Et prima ratio est. Quando intellectus concipit naturam secundùm statum præcisionis, concipit solam naturam, non verò conditiones indiuiduales; concipit enim o[b]iectum inadæquatè, neque de hoc potest esse dubium, quomodo enim concipiet indiuiduationem, nisi illam intelligit? tunc autem non intelligit, vt experimur. Ex hoc declaratur, quod ille actus cognitionis terminatur ta[n] ... ad naturam, quæ est in indiuiduis, ... verò ad differentias indiuiduales ... formaliter loquendo, quia licet natu[ra] sit idem entitatiuè cum his differentijs, in huiusmodi tamen cognitione tunc[?] indiuidua tantùm secundùm esse naturæ terminant cognitionem, quia obiectum formaliter loquendò secundùm illud solùm terminat cognitionem, secundùm quod manifestatur, & cum manifestentur indiuidua solùm secundùm esse formale naturæ, etiam secundùm illud terminabunt cognitionem. Quo stante sic argumentor. Natura secundùm statum pręcisionis considerata secundùm proprium esse non habet in se aliquam rationem diuisiuam, ergo prout se tenet ex parte obiecti, est vna per suum esse, neque enim potest esse diuisa, cum non sit diuisio sine ratione diuisiua, neque potest tolli diuisio, nisi per indiuisionem.

1. ra[tio]

Quid ... cipiat ... tellectu ... dum p... scindit ... naturā.

XV. Et confirmatur; licèt obiectum in se materialiter consideratum dicat diuisionem, quia dicit multitudinem indiuiduorum, tamen consideratum secundùm illud esse præcisè, quo terminat cognitionem, non potest habere in seipso aliquam diuisionem, ergo ita erit vnum, vt vnitas se teneat, non ex parte cognitionis, sed ex parte obiecti in ordine ad cognitionem. Quòd autem non possit obiectum, secundùm quod est terminus cognitionis, habere in seipso diuisionem, probatur, quia tota diuisio in indiuiduis prouenit à differentijs indiuidualibus, & non aliunde, ergo si obiectum repræsentatur sine his differentijs, prout terminat cognitionem, non potest habere in seipso diuisionem. Quod rursus confirmatur. Si per impossibile in omnibus indiuiduis destruerentur prorsus differentiæ indiuiduales remanente tantùm natura à parte rei, tunc, quia tolle-

Confir.

Cur natura in pręcisione non sit multiplex.

re-

omnis ratio diuisiua, natura re- sit vna, & indiuisa in se, ergo e- quando indiuidua attinguntur se- esse inadæquatum, & cognitio ar in esse indiuiduale, iam obie- quod per talem cognitionem at- r, se habet vt vnum in ordine ad onem, vt terminus illius.

Occurritur responsioni.

Respõderi posset; Vnitatem, habent tunc indiuidua, esse secun præsentationem, quod nihil aliud, nisi quòd sint vnum in cognitione, enim dicitur, quòd sint vnum secũ- esse repræsentatum, intelligi debet od sint vnum in cognitione, quia esse repręsẽtatum formaliter dicit cognitionẽ. Sed licet verùm sit, quòd indiuidua sint vnum secundùm esse repræsentatum, seù in cognitione, cum hoc tamen stat, quòd etiam secundùm se sint vnum, quatenus se habent; vt obiectum terminãs illam cognitionem, imò ex eo, quòd sunt vnum in cognitone, sequitur, quòd sint vnum etiam prout terminant cognitionem, hæc sequela ostenditur. Id se tenet tantùm ex parte obiecti, quod repræsentatur per cognitionem, sed per cognitionem repræsentantur indiuidua vt vnum, ergo etiam sunt vnum, quatenus sunt obiectum: neque obstat, quòd sint plura materialiter, dummodo secundùm hanc pluralitatem non terminent cognitionem. Secundò argumentor contra hanc responsionem. Vel cognitio illa, in qua indiuidua sunt vnum, attingit indiuidua secundùm pluralitatem, quam habent; vel non? Primum non potest dici, quia neque in cognitione essent vnum; nam repræsentarentur per illam, vt plura; si igitur non attingit in ipsis aliquam pluralitatem, ergo quatenus terminant vt obiectum illam cognitionem, se habent vt quid vnum, quoniam quatenus sunt terminus excludunt, pluralitatem. Præterea obiectum, & cognitio debent proportionari inuicem, & obiectum nihil amplius, aut minus dicere, quàm dicat cognitio, & è contra non potest cognitio aliquid repræsentare, quod non dicat in se obiectum, alioquin falsa esset, quia non esset conformis obiecto, ergo si indiuidua sunt vnum in repræsentatione, debent etiam esse vnum in ratione obiecti, alioquin cognitio esset difformis obiecto, quod tamen falsum est, cum *Abstrahentium non sit mendacium*, vt est commune effatum, imò cum scientię sint de naturis sic abstractis, essent de obiecto falso, nempè repræsentato aliter, ac est; vnde etiam gignerent falsam cognitionem.

Indiuidua, prout terminant cognitionem abstrahentem naturam, sunt vnũ.

XVII. Secunda ratio. Natura ita est in vno indiniduo, vt sit etiam in alio; è contra verò, esse indiuiduale ita est in vno indiuiduo, vt non possit esse in alio, ex quo fit, quòd habeant diuersas formalitates natura, & indiuiduum, ergo potest intellectus vnam intelligere non intellecta alia, tunc autem vna tantùm formalitas, erit obiectũ illius cognitionis. Antecedens est certum, quando enĩ aliquid conuenit vni, quod non conuenit alteri, habet diuersam formalitatem etiam si in eadem entitate identificentur, per hoc enim solùm distinguuntur formalitates, quòd vna dicat aliquid, quod non dicit alia. Cum igitur natura dicat esse quid cõmune, & posse esse in pluribus, quod non competit esse indiuiduali, erũt diuersæ formalitates, quod patet ex eo, quòd si dicatur, *Petrus est homo*, non est propositio identica, sicuti si diceretur, *Petrus est Petrus*, & ita dicitur *Petrus est homo*, vt possit dici, *Paulus est homo*, ita vt idem homo præcisus possit de vtroque prædicari, non autem ita dicitur *Petrus est Petrus*, vt possit dici, *Paulus est Petrus*, quod signum est euidentissimum, quòd aliud dicit Petrus, & alind homo, qui est identificatus cum Petro; vnde Petreitas, & Humanitas constituunt diuersas formalitates. Consequentia principalis probatur, non solùm experientia, qua experimur, nos intelligere naturam non intellecto esse indiuiduali; sed etiã quia, quando aliqua distincta sunt, possunt vnum cognosci sine alio, & ad hoc sufficit distinctio secundùm formalitates, quia hæc distinctio importat distinctionem secundùm rationem entis, atque adeò etiam secundùm rationem cognoscibilitatis entis, vbi enim sunt distinctæ cognoscibilitates, possunt etiam esse distinctæ cognitiones, nã cognitio conformatur cognoscibilitati obiecti; Hinc autẽ deducitur, quòd intellectus cognoscit solam naturam, tanquam formalitatem contradistinctam ab esse indiuiduali, & quòd sola natura sit obiectũ illius cognitionis. Quòd si sola natura est obiectũ, ergo secundũ cognitionem separatur à

2. ratio

Diuersa formalitas naturæ ab indiuiduatione.

Distinctio formalis sufficit, vt vnũ possit cognosci sine alio.

con-

conditionibus indiuidualibus, & consequenter est vna, cum tollatur ab ipsa, vt se tenet ex parte obiecti quicquid causat distinctionem. Quod confirmari adhuc potest. Natura, vt se tenet ex parte obiecti, est ens, & consequenter, vel dicit vnitatem, vel diuisionem, ens enim semper, vel est vnum, vel multa, cum autem non possit natura considerata sine indiuiduatione esse multiplex, quia non adest vnde oriatur multitudo, debet necessariò esse vna vnitate, quę consequitur esse ipsius; si enim natura dicit ex parte obiecti suummet esse, alioquin non conciperetur natura, negari non potest, quin etiam ex parte obiecti adsit vnitas, quę est passio talis esse.

Ens semper vnum vel multa.

Responsio Hurtadi.

XVIII. Occurit Hurtadus disp. 5. Metaph. sect. 10. subsect. 7. §. 170. si consideretur natura non consideratis differentijs indiuidualibus, non correspondere vnicam formalitem, sed plures, quæ sunt tantùm vnum vnitate similitudinis, in similitudine autem inuoluitur distinctio extremorum, & quia non potest inter illas naturas consideratas secundùm suam rationem formalem distinguere, ideò illas denominat vnum. Sed hæc responsio nullius est momenti, imò falsitatem continet. Nam si natura consideretur secundùm se, præcisis differentijs indiuidualibus, vt supponimus, ità vt nullo pacto attingantur. tunc indiuidua solùm secundùm sua prædicata essentialia, quæ dicunt, prout participant talem naturam, obijciuntur intellectui, vnde id, quod attingitur ab intellectu, est sola natura secundùm prædicata quidditatiua, & consequenter obiectum talis cognitionis est vnica tantùm formalitas, non verò multiplex, cum tota multiplicitas, quæ est in indiuiduis proueniat à differentijs indiuidualibus. Confirmatur; si natura haberet, in inferioribus diuersas vnitates formales multiplicatas, ideò haberet quia ratione differentiarum indiuidualium multiplicarentur, ergo si auferantur differentiæ indiuiduales, aufertur etiam multiplicatio. Secundò vrgeo hanc responsionem; vel tunc obiectum, quando concipitur tantùm natura, non conceptis differentijs indiuidualibus, includeret multitudinem secundùm speciem, vel secundùm esse indiuiduale; non potest dici, quòd includat secundùm speciem, quia concipitur eadem natura speciei, quæ est in pluribus indiuiduis, quæ solo numero differunt, Sed neque potest dici, quòd includat diuersitatē secundùm indiuiduum, quia tunc nihil concipitur de esse indiuiduali, sine quo non potest esse differentia aliqua indiuidualis, quomodo enim aliqua distinguerentur indiuidualiter, nisi haberent esse indiuiduale. Tertiò. Natura prout terminat intellectionem secundùm statum præcisionis, dicit tantùm purum esse naturę, & nihil aliud: vnius autem naturæ est vnum esse, & habens vnitatem consequentem talem gradun entis, ergo etiam ex parte obiecti adest vnitas, quæro enim, vnde proueniat multitudo, quam inquit Hurtadus adesse ex parte obiecti? certè cùm ex parte obiecti adsit tantùm esse naturæ, & non possit ab eo prouenire multitudo aliqua, neque etiam aliunde haberi potest, vnde aderit etiam vnitas ex parte obiecti. Quod potest adhuc confirmari; esse diuisum non est essentiale naturæ, alioquin in quolibet indiuiduo deberet esse diuisa, ergo cū concipiatur natura secundùm pura essentialia, tunc ex parte obiecti nulla aderit diuisio, quia supponimus non concipi ab intellectu, quod optimè fieri potest, cum sit extra quidditatem naturæ, tunc autem natura erit in statu pręcisionis, quia erit separata ab indiuiduatione, & omnia illa prædicata, quæ in se dicet, conuenient singulis indiuiduis.

Impugnatur.

Natura præcisa dicit vnicam tantum formalitatem.

XIX. Tertiò probari potest eadē conclusio. Natura in statu præcisionis obiectiuè sumpta dicit tale esse, quod est applicabile per enunciationem singulis indiuiduis, vt quando concipio hominem nulla concepta differentia indiuiduali, sed tantùm secundùm purum esse constitutiuum hominis, tunc illud totum esse, quod se tenet ex parte obiecti ita tribuitur per prædicationem Petro, vt possit etiam tribui cæteris indiuiduis ergo natura secundùm statum præcisionis est vna, vnde dicitur, quòd vniuersale est vnum in multis. Antecedens certum est, si attentè consideretur, nam absque eo, quòd aliquo pacto varietur obiectum cognitionis, quando concipio hominem, possem id, quòd concipio per huiusmodi actum, enunciare de quolibet indiuiduo, & potest etiam

3. ratio

Quod nā esse dicat natura in statu pręcisionis.

declarari, nam homo precisè considera-tus dicit tantùm essentialia hominis ex parte obiecti, & nihil aliud, essentialia autem conueniunt cuicumque indiuiduo participanti eandem naturam. Consequentia autem declaratur, si esset multiplex, & non haberet omnino dam vnitatem, haberet multiplicitatem in ordine ad indiuidua, & consequenter si essent plures formalitates, quod prædicaretur de vno, non prædicaretur de alio. Deinde tunc essentia, quam dicit natura, non consisteret in indiuisibili, si, dum sola concipitur, absque aliquo alio, diceret multiplicitatem in se ipsa.

Exclu-ditur re-sponsio

XX. Neque valet, si dicatur, dicere vnitatem similitudinis, quia quæro, an in hac vnitate similitudinis inueniatur omnimoda vnitas absque aliqua diuisione, an interueniat aliqua diuisio? Si primum, habemus id, quod intendimus, nempè quòd natura ex parte obiecti sit omnimodè vna. Si verò dicatur, quòd includit aliquam diuisionem, tunc insto, ergo natura secundùm sua essentialia precisè considerata non consistit in indiuisibili, cum actu includat diuisionem. Quæro deinde, si est vna tantùm essentia, vnde habet hanc diuisionem diuisio enim supponit multitudinem: quomodo ergo vnica essentia, vt talis inuoluet in seipsa multitudinem? aut quomodo non habebit suam vnitatem consequentem talem gradum entis? Et addi potest hæc confirmatio.

Impossi-bilis diui-sio in na-tura præ-cisa.

Natura per ipsos, & præcipuè Hurtad. est vna omnimodè in cognitione, quia videlicet, inquit, facit, quòd homo diuisus à parte rei in indiuiduis, repræsentetur, vt vnus, & indiuisus, ergo etiam ex parte obiecti est vna. Consequentia probatur, quia cognitio id tantùm repræsentat, quòd se tenet ex parte obiecti, si igitur non repræsentat diuisionem, neque obiectum, prout est terminus illius cognitionis, habet diuisionem; nam inquiro, an illa cognitio attingat diuisionem, an non. Si attingit, ergo repræsentat, & consequenter non est vna in cognitione, quia secundùm esse repræsentatum habet diuisionem nam cognitio repræsētabit aliquid multiplex; Deinde tunc cognitio non attingit indiuiduationem, cum multitudo indiuidualis, solùm ratione indiuiduationis habeatur. Si verò non attingit diuisionem, ergo obiectum secundùm id, quòd attingitur, est vnum, atque adeo vnitas se tenet ex parte obiecti. Manet ergo, naturā secundùm statum precisionis quacumque diuisione præcissa esse vnā quia præscinditur esse indiuiduale, & intellectus, considerat solùm naturam secundùm pura essentialia.

Non nulla Corollaria ex dictis.

SECTIO IV.

I. Ex his, quæ dicta sunt, colligitur, quomodo natura secundùm statim præcisionis dicat aliquid reale ex parte obiecti, nempe quia dicit naturam, quæ est in indiuiduis per identificationem, vnde nihil aliud est, nisi ipsamet indiuidua, vt diximus, considerata ab intellectu secundùm esse inadæquatum, prout dicunt communem naturam. Ex quibus patet, quomodo scientiæ, dum considerant naturas, abstractas, considerent aliquid reale, & non nuda nomina, aut nudos conceptus, sed id, quòd repręsētatur per conceptus: hinc patet etiā, quomodo possit natura, abstractata vniuocè pdicari de pluribus, quia videlicet importat naturā, quę in seipsa vna est communicata pluribus per identificationē cum ipsis. Ex quo etiam sequitur, quomodo deffinitio nō versetur circa aliquod reale, & non puros conceptus; definit enim indiuidua secūdùm illud esse reale, in quo vnum sunt, quod est natura considerata sine indiuiduatione, vt toties dictum est. Cum autem Arist. 1. de Anim text. 8. inquit, quòd animal vniuersale, aut nihil est, aut posterius est, intelligit, quòd nihil sit extra indiuidua. aut quòd si est aliquid, sit posterius cognitione ipsis indiuiduis, quia videlicet ex eo, quòd intelligūtur plura indiuidua participare eādem naturam, cognoscimus, illam naturam esse communem, & possumus illā præscindere ab esse indiuiduali. Nec mihi probatur, quòd nonnulli interpretes iridem asserunt, nempè Aristotelem loqui de vniuersali Platonico, seù Ideali, quasi hoc sit species quædam animalis, vt sic & ideo sit posterius ipso; quia falsum esset, quòd esset species animalis vt sic, nam esset prius quacumque alia ratione animalis, & ratio generica

Natura in statu præcisio-nis est quid reale.

Quomodo defi-nitio sit circa aliquid reale.

Arist. il-lustratur

ani-

animalis in his inferioribus esset talis per ordinem ad illam Ideam. Deinde quia cum dixisset *Animal autem vniuersale, aut nihil est, aut posterius est* statim subdit, *Et quidquid itidem aliud commu niter prædicatur*. Ex quibus manifestè patet, quod loquitur de vniuersali prædicabili non de Ideali.

Quomodo vniuersale possit esse aliquid reale.

II Colligitur secundò, quomodo non obstante, quòd res omnes, quæ in mundo sunt, singulares sint, possit adhuc tamen dari aliquod reale, quod ex se singulare non sit, sed tantùm per accidens, in eo videlicet, quod reperitur coniunctum cum esse indiuiduali; & quomodo possit vniuersale esse aliquid reale, siuè consideretur secundū esse præcisum, siue prout est in indiuiduis. Si enim consideretur prout est in indiuiduis, est aliquid reale, quia est ipsamet indiuidua, quatenus participant eandem naturam, si verò consideretur secundùm esse præcisum, adhuc est aliquid reale, quia est ipsamet indiuidua, inadæquatè considerata, quatenus dicunt esse commune, in quo vnum sunt, seù quatenus dicunt naturam, merè essentialiter considera-tam.

Quomodo natura in statu præcisionis sit vna, & indifferens.

III Tertiò ex dictis deducitur, quomodo natura in statu præcisionis habeat omnimodā vnitatem, & constituatur indifferens, vt quid superius ad omnia singularia. Habet enim vnitatem ex vi præcisionis, non quasi ipsa præcisio sit ratio formalis constitutiua vnitatis, sed quia cum præcisio sit actus cognitionis tendens in obiectum, & non considerans esse indiuiduale, cum obiectum habeat tantùm diuisionem ab esse indiuiduali, hoc per cognitionem non repræsentato, obiectum secundùm illud esse, quo manifestatur intellectui, remanet vnum: nam non repræsentatur secundùm diuisionem aliquam; vnde vnitas est illa, quam habet natura ex vi sui esse, natura enim, quæ est in pluribus indiuiduis, tantùm est vna vnitate essentiæ & diuiditur indiuidualiter ratione differentiarum indiuidualium. Ex quo fit, quod si non considerentur hæ indiuiduales differentiæ, natura remaneat vna ex ui suimet esse.

IV. Ex hoc antem etiam habet, quòd constituatur indifferens respectu omnium indiuiduorum, nam de se nō est determinata ad esse indiuiduale, sed determinatur per differentiam indiuidualem, qua præcisa tollitur etiam omnis determinatio & remanet tantū natura in suo esse indeterminata, & indifferens ad hoc, vel illud, quia dicit tantùm essentialia, quæ de se, non sūt magis hæc, quam illa indiuidualiter, & consequenter erit etiam quid superius respectu inferioris, si comparetur ad indiuidua, quia de pluribus potest prędicari. Verùm hæc indifferentia non conuenit naturæ, nisi præcisè considerratæ, atque adeò solùm prout in statu præcisionis obijcitur; indifferentia tamen se tenet ex parte obiecti, quia reuera, obiectum, dum repręsentatur sine aliquo determinatiuo, secundùm illud esse, quo repræsentatur, indifferens est: in re tamen semper est determinata ratione indiuiduationis adiuncte.

Natura præcisa indiuiduatione non est determinata vt sit hęc vel illa

Quid sit quod prædicatur de inferioribus.

V Atque etiam quartò deducitur quid sit illud, quod prędicatur de inferioribus, & quid sit illud, quòd habet superioritatē, & indifferentiam respectu indiuiduorum; quia aliud est loqui de esse, quod prædicatur, & aliud de conditione, sine qua non prędicaretur, & sine qua non se haberet vt quid superius, & indifferens. Vt enim optimè aduertit Caietanus de ente, & essentia cap. 4 dubio de hac re adnexo, q. 6. Si loquimur de esse, quod prædicatur, est natura secundùm esse reale, quod habet in indiuiduis, quo constituuntur indiuidua talis essentiæ; conditio vero, sine qua non prædicaretur, est cognitio præscidens, qua nudum esse naturæ concipitur, nulla concepta singularitate, quia quod prædicatur necesse est, quòd habeat esse obiectiuū in intellectu, & consequenter, quòd si prædicatur vt quid superius, habeat etiam esse precisum. Sic eodem modo dicendum est de superioritate, & indifferentia; Natura enim secundùm proprium esse obijcitur intellectui, vt illa, quæ est quid superius, & indifferens, cognitio verò præscindens est, quid requisitum, vt habeat indifferentiam, & superioritatem. Sed hęc ex dicendis magis nota fient.

Caiet.

VI Rursus quintò colligitur, quod natura secūdū statū præcisionis sit ens rationis; natura. n. secundū statū præcisio-

Quomodo natura secundum statum præcisionis sit ens rationis.

nis duo dicit, nẽpè esse naturæ, & illud per quod formaliter constituitur in statu præcisionis. Si consideretur esse naturę; quod constituitur in statu præcisionis, certum est, vt supra etiam dictum fuit, quòd est aliquid reale, nẽpe ipsa indiuidua considerata secũdùm esse inadęquatum. Si verò consideretur id, per quod formaliter constituitur in statu præcisionis, est aliquod ens rationis, nam constituitur per id, quòd concipitur natura distincta, & separata ab esse indiuiduali. Hęc autẽ distinctio seù separatio, cum non fit à parte rei, est aliquod ens rationis, & ideo constitutiuum hujus status est ens rationis, ex quo etiam resultant alia entia rationis, nempè quòd concipiatur in natura respectus ad esse indiuiduale, & alia huiusmodi, quę ex eo habent originem, quòd fingitur ista separatio, quæ, quamuis dicant suum esse metaphysicũ, sunt tamen entia rationis, quatenus concipiuntur ad modum rerum physicarum.

Quomodo eadem omnino natura possit de quolibet indiuiduo prædicari.

VII. Ex dictis etiam soluitur difficultas, quomodo, cum de quolibet indiuiduo non possit uera prædicatione enunciari, nisi quòd realiter est in ipso, possit tamẽ eadem natura omninò vna in statu præcisionis prædicari de quolibet participante eandem naturam. In primis enim hoc facilè solueretur iuxta nostra principia; quod à parte rei natura habet in omnibus indiuiduis idem esse, & eandem vnitate formalem vt suo loco explicauimus, quę potest stare cum diuisione materiali, & si consideretur secundùm latitudinem extẽsiuã, est inadæquatè in singulis indiuiduis seorsim sumptis, & ideo licet sit vna, potest de omnibus prædicari, quia in omnibus reperitur. Sed hoc omisso, iuxta aliam etiam opinionem respondetur, quòd semper quando natura secundùm statum præcisionis de inferioribus prædicatur, illa natura quę prædicatur in ipsis realiter reperitur, & ideo semper prædicatio est vera, quòd sic ostenditur. Licet ponatur in singulis indiuiduis singulæ vnitates formales, tamen hæ vnitates formales non differunt inter se, nisi indiuidualiter, & sunt proprię huius, vel illius indiuidui tantùm per differentiam indiuidualem. Quare detractis indiuidualibus differentijs, tollitur, vt dictum est, omnis determinatio, differentia, & diuisio, seu multitudo, & consequenter remanet tantùm natura, quę erat in omnibus indiuiduis, sine vlla distinctione, aut determinatione, & consequenter vna, & eadem. Quia autem est natura indifferens, & accepta ab omnibus indiuiduis, ideo etiam habet quandam latitudinem, qua respicit omnia indiuidua, dicit enim pura essentialia, quæ in singulis reperiuntur. Verùm itã respicit omnia indiuidua, vt secundùm se tota possit esse in singulis, illis communicando totum esse suum, vnde respicit indiuisibiliter secundùm suum esse plura, acquirendo tantùm ex ui huius respectus quandam latitudinem ratione termini, seu indiuidui, cum quo identificatur, dum communicatur; & hoc pacto eadem est natura quę dicitur de omnibus, & semper prędicitur, prout est in ipsis, & cum ipsis identificatur.

In præcisione vniuersalis remanet sola natura, quę indiuisibiliter respicit omnia inferiora.

Quomodo, in præcisione, quæ nõ sunt vnum, fiãt vnum.

VIII. Hinc etiam patet, quomodo per intellectum, quę non sunt vna formalitas, fiant vna formalitas, non enim fiunt vna formalitas secundùm esse reale, nam semper remanent plures formalitates indiuidualiter multiplicatę, si loquimur de esse reali, sed per intellectum secundùm esse, quo obiectũ, seù plura indiuidua terminaut cognitionem, quod in eo consistit, quòd talis cognitio repræsentet inadæquatè illa indiuidua, vt participant talem naturam, non repræsentando esse indiuiduale, & consequenter neque etiam aliquam distinctionem; & ex eo, quòd nulla distinctio repræsentatur, sequitur, quòd obiectum terminans cognitionem se habeat vt vnum.

Difficultas.

IX. Sed hinc statim insurgit difficultas, quia videtur sequi ex hoc, quòd vniuersalitas, seù natura secundùm statum præcisionis, hoc est secundùm vnitatem, qua respicit plura, consistat in actu quodam intellectus: cognitio enim est ratio formalis, qua fit abstractio, ratio autem, per quam formaliter fit abstractio, est etiam ratio, per quam formaliter natura constituitur vna, & indifferens. Et confirmatur, quia actus ille præcisionis formaliter repræsentat, naturam sine singularibus, ergo per illum actũ formaliter habet natura, quòd sit vna, & indifferens, si quidẽ est tantũ indifferẽs

in

Solutio.

in eſſe obiectiuo,& per illũ actũ formaliter habet eſſe obiectiuum. Occurrendum tamen eſt,quòd poteſt conſiderari natura, & prout habet eſſe intentionale in intellectu, quid etiam dicitur ſimilitudo,& repræſentatio obiecti,& vt eſt aliquid extra intellectum terminãs actum cognitionis. Primo modo verũ quidẽ eſt ꝙ non ſolùm habet vnitatem, & indifferentiam, ſed etiam totum id, quod dicit, habet per cognitionem, nã non eſt aliud, quam ipſa cognitio; ſecundo modo habet formaliter vnitatẽ, & indifferentiã,ex vi ſui eſſe,quo terminat cognitionem, quia ſicuti cognitio repręſentans naturam, repræſentat naturam, vt vnam,ita debet etiam reſpõdere cognitioni obiectum repræſentatum,quod ſit vnum,cum totum id,quòd habet cognitio in eſſe repræſentatiuo, habeat dependenter ab obiecto, vt enim dictum eſt, illa cognitio repræſentat indiuidua ſecundùm eſſe inadæquatum naturæ, & ideò obiectum; ſecundùm quod terminat cognitionem, ſe habet vt vnum. Hinc cum dicitur,quòd ratio formalis, per quam fit abſtractio eſt etiam ratio formalis, per quam natura conſtituitur vna, & indifferens, hoc abſolutè negandum eſt, ſi loquimur de ratione formali indifferentiæ,& vnitatis, quia, vt diximus, ratio formalis, per quam fit abſtractio, eſt tantùm conditio, ſine qua non haberetur vnitas & indifferentia. Et licet natura ante hunc actum pręciſionis fuerit ſingularis, tamen non inde fit, quòd formaliter hic actus ponat vnitatem, ſed quòd repræſentando naturam ſine ſingularitate, ſecundùm proprium gradũ entis precisè habeat tunc ex vi ſui eſſe vnitatem ſine aliqua diuiſione. Quod poteſt ex eo confirmari, quia certum eſt, quòd ille actus pręciſionis non tribuit eſſe naturæ, quod dicit vt natura eſt, alioquin eſſet ens rationis, cum autem vnitas ſequatur eſſe, ſequitur, ꝙ ſicut ex parte obiecti, quod cognoſcitur, habetur tantùm eſſe naturæ, habeatur etiam ex parte illius vnitas,quæ conſequitur, vt paſſio tale eſſe. Quare in hac difficultate diligenter eſt aduertenda æquiuocatio, quę poteſt oriri ſi non diſtinguamus inter naturam prout habet eſſe intentionale, ſeu repræſentatiuũ in intellectu,&prout tanquam obiectum terminat cognitionem & eſt id, quod repræſentatur. Et ex hoc ſoluitur difficultas, quę tangitur in confirmatione, tota enim efficacia illius conuincit, quòd natura in eſſe obiectiuo, hoc eſt in eſſe intentionali ſit vna per cognitionem formaliter, non verò in eſſe obiecti. Sed ex eo, quòd cognitio repræſentat naturam ſine indiuiduatione, & diuiſione, habet, quòd ſit vna in eſſe obiecti tanquam per conditionem, non tanquã per rationẽ formale, ſi quidẽ ratio formalis debet eſſe intrinſeca effectui,actus autẽ in cognitionis eſt extrinſecus obiecto cognito.

Natura intẽtionaliter exiſtens habet totũ ſuum eſſe ab intellectu

Natura terminã actum præciſionis eſt realis

X Sed poſſet quis reſponderere, & inſtare ex doctrina Hurtadi cit. diſp. 5. Metaph. ſect. 7. §. 84. per actum intellectus obiectum repræſentatur vniuerſaliter, quatenus repręſentat naturam ſine indiuiduationibus, & obiectum à tali actu denominatur repræſentatum vniuerſaliter, ergo vnitas, & indifferentia, quam habet natura in ſtatu pręciſionis, conſiſtit in actu intellectus formaliter; Confirmatur. Actus præciſionis eſt ille, qui tollit à natura differentias indiuiduales. Ergo ipſe reddit naturam communem, & indifferentem, Eadem tamen doctrina ſoluitur hęc inſtantia, nam verum quidem eſt, quòd obiectum repręſentatur vniuerſaliter per talem actum pręciſionis, & conſequenter habet per ipſum formaliter, quòd ſit vniuerſale, & indifferens in eſſe intentionali, ſeu repręſentato, non tamen habet per ipſum vnitatem, & indifferentiam, ſecundùm eſſe, quod repræſentatur, ſeu in eſſe obiecti, ſed habet conſequutiuè, & tanquam per conditionem, quia ex eo, quòd cognitio non repræſentat indiuiduationes, obiectum ſecundùm eſſe, quo terminat cognitionem, eſt vnum, & indifferens.

Inſtantia Hurtadi

Quomodo natura in ſtatu præciſionis habeat in intellectu vnitatem, & indifferentiam

Natura in ſtatu pręciſionis ex vi ſui eſſe habet vnitatem & indifferentiã.

XI Denique pro tota hac difficultate aduertendum eſt, quòd quando D.Th. videtur conſtituere vniuerſalitatẽ in actu intellectus, vt opuſc. 53. cum ait loquẽs de cognitione. *Eius autẽ vniuerſalitas nõ eſt ex hoc, quod eſt in anima, ſed ex hoc, quod comparatur ad multa ſingularia ſi habentia opinata* aduertendum inquam eſt, ꝙ D.Th. tribuit cognitioni tãtũ vniuerſalitatẽ in repręſentãdo, nõ verò in eſſendo, quod clare colligitur ex ijs, quę citato loco paulo poſt habet, inquit. n. *Eſt enim illa in ſolo intellectu ſingula-*

D. Th.

Actus, præſcindens vniuerſale, eſt vniuerſale quoddã in repræſentando.

gularis, & est vniuersalis in quantùm habet rationem vniformem ad omnia indiuidua, quæ sunt extra animam, prout æqualiter est similitudo omnium ducens in omnium cognitionem, vt potest apparere in exemplo. Nam si esset vna forma corporalis repræsentans multos homines, constat, quòd illa forma, vel species, vel figura statuæ haberet esse singulare proprium, secundùm quod haberet esse in hac materia, sed haberet rationem communitatis, secundùm quod esset communis per repræsentationem plurium. Ex quibus euidẽter colligitur, quòd D. Th. tribuit tantùm cognitioni vniuersalitatem in repręsentando, non verò in essendo, & præter hanc vniuersalitatem ponit etiam naturam secundùm esse pręcisum, quæ sit vna, & indifferens ex parte obiecti, vt patet ex locis citatis sectione prima in vltima sententia.

De aptitudine naturæ. Disp. XVII.

Auctorum sententia.

SECTIO I.

I. AD vnitatem naturæ sequitur aptitudo; difficultas autẽ est, quid sit, & secundùm quem statum conueniat naturæ.

1 opin. Aptitudinem conuenire soli naturæ præcisæ. — Differunt in hac re Auctores, sicuti etiam differunt in explicanda vnitate naturæ. Prima ergo sententia est illorum, qui negant, naturam esse vnam vnitate formali in omnibus indiuiduis, qui consequenter asserunt, aptitudinem ad essendum in multis conuenire tantũ naturę secundùm statũ pręcisionis, atq; adeo tantùm per opus rationis, & desumitur hęc sentẽtia ex D. Th. opusc. 55. & 56 & de Ente, & essentia cap. 4 quem sequitur Caiet. ibid. q. 6. & 7. Capreol. in 3. dist. 5. quęst. 3. art. 3. in responsione ad arg contra 1. conclusionem, Sõc. 7. Metaph. q. 40. Alb. Mag. tract. 2. Pręd icabilium cap. 6. Suar. in Metaph. disp. 6. sect. 4. Auersa in Logica q. 8. sect. 9. Serna in Logica disp. 1. sect. 4. quęst. 7. art. 4. & communiter Recentiores pręsertim Thomistæ.

(D. Th. Caiet. Capr. Sonc. Albert. Magn. Suarez. Auersa. Serna.)

II. Hæc autem sententia per aliquot propositiones explicatur Prima est, quòd natura in statu realis existẽtiæ non habet aliquam aptitudinem, vt sit in multis. Secunda, quòd neque in statu essentię habet aptitudinem positiuam, sed negatiuè se habet, ita vt neque dicat aptitudinem ad essendum in multis, neq; habeat repugnantiam, vt sit in illis, possit tamen vtrumq;, ad differentiã status realis existentię, in quo natura habet repugnantiam, vt sit in multis. Tertia, quòd natura in statu realis existẽtiæ habeat aptitudinẽ, vt sit in vno indiuiduo, nempè in illo, in quo reperitur. Quarta Quòd hæc aptitudo fit ab intellectione, quando natura præsciuditur ab indiuiduis, ex eo ꝙ dat illi vnitatẽ, rõnis, vnde conuenit tãtùm naturæ secundùm statũ præcisionis. Quĩta. Quòd hęc aptitudo respectu naturæ, & fundamentaliter accepta est mera nõ repugnãtia negatiua quæ cõuenit naturæ secũdũ se considerata, quãdo verò fit formalis ab intellectu, tunc se habet, vel per modũ cuiusdã relationis, vel per modum cuiusdã potentiæ, qua natura cõcipitur potens ad essendũ in multis; est tamen semper aliquid rationis cum fundamento in re. (Explicatio huius sentẽtiæ.)

III. Primam autem propositionem probant. Determinatio, & indeterminatio ità adinuicem pugnat, vt sese mutuo destruãt, non secus ac affirmatio, & negatio, quoniã indeterminatio est negatio determinationis, & non possunt esse simul in eodẽ, sicut nec forma, & negatio formę, quãuis secũdùm vnicã tãtùm rõnẽ, illi cõueniat forma, nõ verò secũdùm aliã, vnde licet homo rõne aĩalitatis nõ sit rõnalis, quia tamen habet adiunctã rationalitatẽ, nõ pôt dici, quòd sit irrationalis; forma enim simpliciter excludit priuationẽ, ergo cũ natura in statu realis existentiæ sit determinata per indiuiduationẽ, non pôt hẽre indeterminationẽ, & cõsequẽter neq; aptitudinẽ, vt sit in multis, quia hæc aptitu- (Fundamenta eiusdem pro prima propositione.) (secundũ)

do dicit indifferentiam. Secundò. Non potest vna indiuisa entitas naturę esse in pluribus, sed debet multiplicari, vt sit in pluribus; ergo cum non possit dari à parte rei, nisi natura, quę sit quędam entitas, neque potest dari natura, quę habeat aptitudinem ad essendum in pluribus. *Tertiò.* Tertiò. Natura reperitur tantùm in indiuiduis, & in quolibet ipsorum est singularis; ergo si à parte rei haberet aptitudinem, aliquod singulare posset esse in pluribus, quod implicat. Nec valet responsio, quòd illi conueniat posse esse in pluribus, vt natura est, non verò, vt hæc natura, quia tunc valeret responsio, quando posset natura separari ab indiuiduatione, non potest autem separari. *Quartò.* Quartò. Si aptitudo conueniret à parte rei, deberet natura in quolibet indiuiduo habere hanc aptitudinem, & consequenter cum hæc aptitudo constituat vniuersale, tot essent vniuersalia à parte rei, quot sunt indiuidua; nec enim potest dici, quòd sit vna aptitudo in omnibus, quia sicuti natura diuiditur in pluribus indiuiduis, ita etiã debet diuidi aptitudo, & sicuti in quolibet indiuiduo reperitur totum esse naturæ, ita etiam, deberet reperiri tota aptitudo. *Quintò.* Quintò. Natura existens in indiuiduis, habet repugnantiam, vt sit in multis, ita vt neque per Dei potentiam possit natura Petri poni in Paulo; ergo illi nulla aptitudo potest conuenire; sic in tantùm materia, dum est sub vna forma, dicitur habere potentiam remotam ad aliam, in quantũ põt illam amittere, & aliã recipere, quòd si non posset aliam recipere, nullã haberet potentiam ad aliam. *Sextum.* Sextò. Vel hęc aptitudo ad essendũ in quolibet indiuiduo est vna numero, vel vna specie, aut genere. Quod sit vna numero, non põt dici, quomodo enim, quod est vnũ numero, poterit dicere ordinẽ ad plura, in quibus possit esse? Nec potest etiã dici, quòd sit vna specie, aut genere, cũ enim sequatur naturam, debet habere eandẽ vnitatem, quam habet natura, & si natura est vna numero in quolibet indiuiduo, etiam aptitudo erit vna numero, quod tamen non potest esse.

IV. Secundã propositionẽ, quòd videlicet neq; in statu absoluto illi conueniat aptitudo positiua, probant. Nã ꝙ competit naturæ in statu absoluto, siue vt cõstitutiuũ, siue sit proprietas, sẽper cõuenit, & cõsequenter in quocũque reperiatur natura, debet illi cõuenire; vnde & in quocumq; indiuiduo deberet illã habere, nõ potest autẽ, vt vidimus, hæc aptitudo in quolibet indiuiduo cõuenire. *Fundamẽtũ pro secunda propositione.* Præterea sequeretur, quòd si illi cõpeteret posse esse in pluribus, nũquã illi posset adiungi opposita repugnãtia, & cõsequenter neq; indiuiduari. Quòd autem negatiuẽ se habeat euidẽs est; nã debet quantùm est de se esse denudata ab aptitudine, alioquin sẽper illã haberet, vt dictum est; debet etiã esse denudata à repugnantia essendi in multis, alioquin non posset illi tribui aptitudo.

V. Quod autẽ spectat ad tertiã propositionẽ, illã declarant, quòd videlicet natura habeat aptitudinẽ, vt sit in illo indiuiduo, in quo reperitur, quia si in illo reperitur, debet posse reperiri; hæc autem aptitudo, dicit Auersa, nõ est aliqua potẽtia realis distincta à natura, sed est ipsa entitas naturæ, seù indiuidui; vnde quòd natura possit esse in hoc indiuiduo, nihil aliud dicit, nisi quod hoc indiuiduũ possit existere, connotã do potẽtiam causæ productiuæ, à qua illi possit communicari talis natura. *Pro tertia propositione.*

VI. Quartam propositionẽ probãt, quia hæc aptitudo ad essendũ in multis cõsequitur indifferentiam naturę, cum igitur natura recipiat ab intellectu indifferentiã, dum per ipsum denudatur à cõditionibus indiuiduãtibus, debet etiam ab ipso recipere aptitudinẽ. *Pro quarta propositione.* Præterea cum natura à parte rei nõ dicat hãc aptitudinẽ, necessariò debet hæc aptitudo fingi ab intellectu cũ fundamẽto tamẽ in re; omne enim ens, vel reale est, vel rõnis, cũ igitur hæc aptitudo realis nõ sit, alioquin à parte rei existeret, debet esse rõnis. Tertiò. Repugnãtia ad essendũ in multis cõuenit naturę, prout à parte rei existit rõne indiuiduationis, ergo nõ repugnãtia ad essendũ in multis cõuenit naturæ ex eo, quòd præscinditur ab indiuiduatione. Hinc etiã cõfirmant quintã propositionẽ, quòd videlicet hęc aptitudo fundamẽtaliter accepta sit mera nõ repugnãtia negatiua, nã dicit vnitatem formalẽ naturæ, quę, vt dictum est, de se neque petit esse in multis, neque illi repugnat, dum tamen ab intellectu concipitur, se habet per modum cuiusdam potentiæ, aut relationis, quia consistit in quodam ordine ad indiuidua. *Pro quinta propositione.*

Se-

2. opinio Tribuens naturæ secundū se aptitudinē nō actu, sed potētia.

VII. Secunda sententia, licet cōueniat cum præcedenti, in eo, quòd nō tribuat naturæ in statu realis existētiæ aptitudinē ad essendū in multis, & etiā in eo quòd illi tribuat aptitudinē prouenientē ab operatione intellectus, quatenus præscindit naturā ab indiuiduatione, tamen sicuti tribuit naturæ vnitatem mixtā ex formali, & indiuiduali, quæ cōuenit naturæ tantùm in potentia, prout natura prior est indiuiduatio, ità consequenter cum tunc non includat indiuiduatione̅, debet habere aliquā aptitudinē proportionatā tali vnitati; & in hoc differt hæc sententia à præcedenti. Verùm sicuti vnitas non cōuenit actu ipsi, sed tantū in potentia, ita etiā aptitudo tantùm in potētia, nòn actu cōueniet naturæ, & neq; illam indiuiduis cōmunicabit, sicut neq; communicat vnitatem. Citari solet pro hac sententia Fonseca 5. Met. c. 28. q. 3. sect. 2. & 3. Verùm cum postea q. 4. sect. 4. agit de aptitudine naturæ, nihil de hac meminit, sed tantùm eruitur hęc doctrina ex ijs, quæ dixerat de vnitate; sed si attēditur doctrina de vnitate, etiā hæc opinio de aptitudine desumi pōt ex Caiet. & Sōc. locis citatis in relat. sententię precedētis. Sed fortasse neq; hi auctores hanc aptitudinē admitterēt, sed in hōdi vnitate fundarēt nō repugnantiā negatiuam solā, quā pręcedens snia tribuit naturę secūdùm se consideratæ, quod ex eo colligitur, quia agentes de aptitudine non meminerunt de illa, quæ conuenit naturę tali pacto consideratæ.

Fonseca.

Caiet. Soncin.

3. opinio Natura habere aptitudinē proximā in statu præcisionis, remotā verò in statu existentiæ.

VIII. Tertia ergo sentētia procedit cum distinctione, & ponit duplicē aptitudinem, aliam proximā, aliam remotā. Remota est illa, quā dicit natura ex se, & habet adiūctā determinationē, vel ad vnum indiuiduum, vel ad plura, quę dicitur etiā aptitudo inpedita, quia ab indiuiduatione adiuncta impeditur natura, ne possit esse in pluribus. Proxima verò, quam etiam expeditam appellant, est aptitudo naturę sine aliqua determinatione, qua ad vnum, vel plura indiuidua determinetur, vnde hinc oritur indifferētia ad plura, et cōcludit, quòd est quidē eadem aptitudo, sed quatenus remota est, habet adiunctam indiuiduationem, quatenus verò proxima non habet. Natura igitur secūdū statū realis existentiæ habet aptitudinem remotam, proximam verò secundùm statū pręcisionis. Ita Scot. 7. met. q. 18. & in 2. dist. 3. q. 1. 5. Ad quæstionem igitur. Lichet. & Tart. ibid. Ant. Andreas 7. met. q. 16. Tromber. q. 18. & communiter Scotistę.

Scot.

Lychet. Tartar. Anton Andr. Tromb.

Iaciuntur fundamenta veræ sententiæ.
SECTIO II.

I. Sed antequam ad nostrā sententiā explicandam accedamus, quędā præmittēda sunt, quibus cætera, quæ dicturi sumus, innitātur, & primū est, quòd natura, in quolibet statu cōsideretur, sēper eadē est, licet rōne vnius status quædam obtineat, quę ipsi non conueniunt rōne alterius, in esse tamen naturę eādem essentiam, & eadē pr̄edicata quidditatiua semper obtinet, quia per variationē status nihil de suo intrinseco amittit, sed solùm per aliquid superadditū inmutatur in se manens eadē, sic Natura si accipiatur secundùm statū absolutū trāsit ad statū realis existentię per id, quòd superadditur indiuiduatio; transit ad statum præcisionis per id, quòd separatur ab indiuiduatione. Ex quo fit, quòd si natura secundùm se diceret illam aliquā aptitudinem, deberet illam retinere in quocumque statu, quia in vnoquoq; retinet ea oīa, quę secundùm se sibi conueniunt, imò si aliquid, conuenit naturæ in vno statu, ita tamen vt ipsi conueniat ex vi sui esse proprij, debebit etiam conuenire in quocumque statu.

Natura semper eadē in quouis statu.

II. Secundum, quod præmitti debet, est, quòd aptitudo, quę cōuenit naturæ, ita illi conuenit, vt modus, quo exercetur, sit per identificationem cū illis pluribus indiuiduis, quibus inestt; hic autē modus essendi in pluribus per idētificationem, dicit, quòd ita natura sit in pluribus indiuiduis, vt habeat idē esse, cū illis, natura nō & esse indiuiduale coeunt in vnam, & eandē entitatē materialiter loquendo, nam si metaphysicè cōsideretur, aliud est esse naturę, & aliud esse indiuiduationis, quia natura dicit suū esse formale, et suā vnitatē formalem, quæ nemine cogitante, et ex se à parte rei habet, vt possit multiplicari in pluribus, siuè per multiplicationē sui ipsius, et cum diuisione, siuè remanente eadem vnitate in omnibus, vt nos docuimus. Quocumq; tamen modo contingat, sēper habet natura secūdū esse physicū, quod in pluribus multiplicetur physico modo.

Modus, quo exercetur aptitudo naturę.

III. Rursus ex hoc modo essendi in pluribus cū identificatione sequitur, quòd aptitudo, quam habet natura ad es-

essendum in multis, sit talis, vt exercitium illius habeat annexam determinationem, qua ità determinetur, vt quatenus est in vno non possit esse in alio, nec illi conueniat posse esse in pluribus, pro ut habet exercitium essendi in vno. Ratio manifesta est, quia esse indiuiduale determinat naturam, vt sit in tali indiuiduo. Rursus cum inter esse indiuiduale, & naturam interueniat identificatio, ex vi huius identificationis habet natura quòd nō possit esse ampliùs in alio, neq; in pluribus, quia est inseparabilis à tali indiuiduatione, quia tamē natura nō est per se indiuidua, ita se habet quantum est de se, vt physicè loquendo potuerit esse cū hac, vel illa indiuiduatione, quòd valdè aduertendum est. Supponimus enī quòd Deus sit ille, qui determinat, vt effectus producēdus sit hic, vel ille, quod suo loco ostendemus; dum autem determinat, quòd sit hic, ità determinat, vt posset etiam determinare, quòd esset alius. & consequenter natura, prout à tali causa communicatur, ità recipit hāc indiuiduationem, vt nulla facta mutatione in ratione naturæ, potuerit recipere aliam, & totū hoc prouenit ex eo, quòd natura non est de se indiuidua. Semper tamen, siue cōcipiatur existens, siue possibilis, habet adiunctam aliquā determinationem indiuidualem, sed hanc, vel illam, prout à Deo determinatur. Et hoc verum est, etiam si productio causę secundæ consistat in sola effusione effectus latentis in causa, quia adhuc illud esse latens est quid participatum à Deo, & ideo ab ipso determinatum, vt sit hoc, & non illud.

Natura quatenus est in vno in diuiduo non potest esse in alio.

IV. Tertium, quòd debet animaduerti, est, quòd duplex aptitudo cōsiderari pōt, ex vi cuius natura habet, quòd possit esse in pluribus; alia Physica, & alia Metaphysica, seù Logica, si consideretur, prout subest alicui secundę intētioni. Differūt in hoc aptitudo Physica, & Logica, seù metaphysica, quod Physica est illa, qua natura physicè pluribus indiuiduis cōmunicatur; si enim physicè est in pluribus, debet posse potētia physica multiplicari in illis, atq; hęc erit aptitudo Physica. Metaphysica dicit illā potentiam, qua natura potest esse in pluribus indiuiduis tanquam aliquid superius in inferioribus, seù vt contrahibile in contrahentibus; differentiæ enim indiuiduales se habēt, vt contractiua quadam naturę metaphysice consideratę. Vtraq; tamen aptitudo retinet illū modū essendi in pluribus per idētificatiōnē quia tum in multiplicatione physica, tū in prædicatione, seù contractione sēper natura identificatur cū esse indiuiduali.

Duplex aptitudo naturæ physica, & metaphysica.

V. Verùm, quod spectat ad aptitudinem Physicam, non est existimandū, quòd dicat aliquam potentiam, quę cōueniat naturæ, & in ipsa reperiatur per modū potentiæ, nam duplici modo potest cōsiderari natura, vel in seipsa, vel in causa, & nullam aliam considerationē pōt habere, cum tota ipsius realitas, vel sit in causa, in qua realiter continetur, vel in seipsa. Si igitur natura consideretur in causa, tunc non potest illi cōuenire hæc aptitudo per modum potētię, quia non existit formali modo in causa, sed tantū virtuali, & ideo nihil aliud dicit, præter esse causæ, vnde tantùm ea illi conueniunt, quę causæ conueniunt. Si verò consideretur natura in seipsa, tunc neq; potest habere hanc aptitudinē per modum potentiæ, quia semper siuè secundùm esse actuale, siue secundùm esse possibile consideretur, est identificata cum indiuiduis, siuè actualibus, siue possibilibus, & consequenter semper habet actum, & exercitium essendi in pluribus, & semper in sua entitate est determinata ad esse indiuiduale.

Quid dicatur aptitudo Physica.

Propria sententia declaratur.

SECTIO III.

I. His animaduersis, aliquot cōclusiones propriam sententiā aperiemus. Dico igitur primò, Naturam secundùm proprium esse Physicum intrinsecè dicere, quòd sit cōtrahibilis physico modo pluribus indiuiduis, ita vt, quòd in pluribus indiuiduis sit, fundetur in tali esse naturæ. Hęc concl. facilis est, nec potest ab aliquo negari, si cum recto sensu accipiatur. Potest suaderi ex ipso actu cōmunicationis, nam actu natura reperitur in pluribus physicè modo, ergo natura physicè considerata habet ab intrinseco suo, quòd possit multiplicari, seù poni in pluribus indiuiduis. Hæc consequentia est euidens, quia ex actu Physico licet inferre potentiam physicam, omnis enim actus supponit potentiam sibi correspondentem, & actus physicus potentiam physicam, vnde si natura habet quòd reperiatur in pluribus, debet quā-

1. concl. Natura secundū proprium esse physicum est contrahibilis.

Actus supponit potentiam proportionatā.

tùm

...um est ex intrinsico suo, habere possibilitatem, vt possit in illis reperiri.

Confir.

II. Et potest amplius confirmari ratio facta. Non posset aliquid poni à parte rei, nisi in suo esse intrinseco inuolueret possibilitatem existendi, actus enim existendi supponit potentiã ad existendum, quæ in eo consistit, quòd res secundum suum esse, quod potest habere à parte rei inuoluat intrinsecam possibilitatem, & intrinsecũ ordinem ad existendum, ergo similiter non posset natura reperiri in pluribus, nisi in suo esse inuolueret possibilitatem ad essendum in illis; hoc enim requiritur ex natura obiecti vt sic cuiuscumque causæ, quòd in illo supponatur possibilitas, vt per causam efficientem possit reduci ad actum, quod etiam est verum respectu omnipotentiæ Diuinæ, vnde non posset natura per causam efficientem poni in pluribus indiuiduis, nisi haberet intrinsecã possibilitatem ad essendum in illis.

Actualitas supponit proportionatã possibilitatem.

Quod à contrario declarari potest in esse indiuiduali, cur enim quæso, quod singulare est, non potest poni in pluribus, nec etiam per Dei potentiam certè nulla ratio reddi potest, nisi quia non habet intrinsecam possibilitatem, à negatione enim actus secundùm possibilitatem, colligitur etiam negatio potentiæ, sicuti à positione actus, necessariò debet poni potentia; vnde natura Diuina, quia essentialiter singularis est, nullo pacto potest esse in plurib.

Occurritur responsioni.

III. Nec valet, si dicatur, quòd hæc possibilitas non conuenit naturæ secundùm esse physicum, sed tantùm secundùm esse metaphysicum, quia cõuenit tantũ naturæ secundũ se consideratæ, & præcisa indiuiduatione. Quia in primis redarguitur, nam, quando actus est physicus, etiã potentia, vt dictum est, est physica, actus enim, & potentia inuicem proportionantur. Deinde secundùm illud esse, quo natura est à parte rei, dicit hanc intrinsecam possibilitatem, quippe in esse realis naturæ inuoluitur, natura autem, prout est à parte rei, dicit suum esse reale. Denique esse methaphysicum, quod dicit metaphysico modo, prout est obiectiuè in intellectu, à parte rei dicit physico modo; sic homo animalitatem, & rationalitatem, quam dicit methaphysico modo, prout est obiectiuè in intellectu, dicit à parte rei physico modo, quia semper esse methaphysicum abstrahitur ab esse physico, quare si natura secundùm esse metaphysicum dicit hanc intrinsecam possibilitatem, dicit etiam secundùm esse physicum.

Esse metaphysicũ abstrahitur à physico.

Secunda ratio.

IV. Secundò declarari potest in natura Diuina. Quia natura Diuina communicatur à parte rei tribus personis, ex hac actuali communicatione arguimus, quod ab intrinseco suo petat posse communicari, atque quòd hęc communicatio fundetur in quidditate essentiæ Diuinæ; ergo arguendo à pari, cum natura creata reperiatur communicata pluribus indiuiduis, debemus inferre, quòd ab intrinseco suo habeat, quod possit illis communicari, quomodo enim reduceretur ad actũ hęc communicatio naturæ, nisi esset possibilis, & quomodo esset possibilis, nisi in ipso esse naturę inuoluatur possibilitas ad essendum in multis? certum est enim, quòd in eo debet esse possibilitas in quo est actus, si igitur natura secundum suum esse proprium habet actum essendi in multis, debet etiam secundũ esse proprium habere potentiam, & intrinsecam possibilitatem.

Natura Diuina petit ab intrinseco communicari tribus personis.

Soluitur obiectio.

V. Neq; etiã obstat, quòd ea quæ conueniunt naturæ secundũ se, debent etiam cõuenire in quocũq. indiuiduo, in quo natura existat, quia tunc verũ est, quando per indiuiduationem non tollitur, seu verũ est de ijs, quę conueniũt naturæ per modũ actus, non per modum potẽtiæ, quę actuetur per indiuiduationem, quia tunc adueniente actu recedit potẽtia, sicut id quod conueniebat naturæ per modum possibilitatis, & potentiæ, conuenit per modum actus, vt cõtingit in hac possibilitate naturæ, qua ab intrinseco habet, vt possit cõmunicari pluribus; neq. enim debet, prout est in indiuiduo conuenire cõmunicari alteri quia iã possibilitas illa est reducta ad actũ, & in exercitio posita, vnde est actu cõmunicata. Quod potest etiam declarari in possibilibus, possibilia .n. antequã existãt, habẽt intrinsecã potentiã ad existendũ, licet autẽ, dũ existũt, dicãt totũ ilud esse, quod dicunt in statu possibilitatis, tñ quia habent actualẽ existẽtiã nõ dicũt amplius potẽtiã ad vlteriorẽ existẽtiã, sic ẽt natura, dũ actu est in indiuiduo, quia est actu cõicata, nõ dicit possibilitatẽ ad vlteriorem cõicationem.

Quod conuenit naturę secundũ se per modum potentiæ, conuenit per modum actus cũ indiuiduatur.

1. Conc. Natura secundum esse physicum habet aptitudinem positiuā ad essendum in pluribus.

VI. Dico secundò. Naturā secūdùm esse physicum habere, nemine cogitāte & à parte rei aptitudinē physicam positiuam ad essendum in multis. Sequitur hæc conclusio ex præcedenti, & ex ijs, quę diximus de vnitate naturę, qua formaliter est vna, & eadem in omnibus indiuiduis, vt ostēdimus disput. 13. sect. 2. Hæc tamen aptitudo ità debet intelligi, vt non sit aptitudo excludens actum, quia à parte rei, sicuti non datur natura, quæ non sit cum sua indiuiduatione, ità neque datur aptitudo naturę ad essendum in indiuiduis, quæ excludat actum, sed debet intelligi de aptitudine, quæ habet adiunctum exercitium, & actum, quo sit in multis. Rursus neque debet intelligi, quòd hæc aptitudo, sit in natura, prout est in quolibet indiuiduo, quia tunc conueniret illi ratione indiuiduationis, ly enim prout est in indiuiduo, reduplicat esse indiuiduale; sed quia hęc aptitudo sequitur naturam, conuenit naturę, quæ est in indiuiduis; quia autem natura non est in vno indiuiduo, sed in pluribus, ideò conuenit naturæ, secundùm quòd est in pluribus indiuiduis. Pro cuius maiori declaratione aduertendum est, quòd sicuti natura potest considerari secundùm esse adæquatum, & secundùm esse inadæquatum, ita etiam eodem pacto potest aptitudo considerari, & secundùm esse adæquatum, & secundùm esse inadæquatū, & sicuti etiam natura secundùm esse adæquatum extensiuè sumptum, non est in vno, sed in pluribus indiuiduis, & secundùm quod est in vno indiuiduo dicit esse inadæquatum, ita etiam cum aptitudo ad essendum in pluribus consequatur naturam secundùm esse adæquatum, hoc est secundùm quod in pluribus reperitur: Aptitudo verò secundùm esse inadæquatum, consequatur naturam, secundùm quòd est in vnoquoque indiuiduo: sicuti natura secundùm esse inadæquatum est in singulis indiuiduis seorsim sumptis, ità etiam aptitudo, secundùm esse inadæquatum, erit aptitudo, qua natura sit in singulis indiuiduis seorsim sumptis. Sic autem explicata conclusio, probatur.

Aptitudo consideratur secūdū esse adæquatum

1. ratio. VII. Natura de facto est in pluribus indiuiduis à parte rei, inde independenter ab intellectu, ergo etiam à parte rei independenter ab intellectu habet aptitudinem vt, sit in illis: de antecedenti nulla est difficultas, nisi fortè, quis asserere vellet, quòd, indiuidua eiusdem speciei participare eandem naturam, sit opus intellectus, quod tamen ridiculum est, cum euidentissimum sit, quòd indiuidua speciei alicuius sunt realiter talia, qualia per naturam constituuntur, vnde Petrus, & Paulus, & cætera indiuidua realiter participant naturam humanam. Consequentia probatur, quia non potest haberi aliquis actus, nisi ad illum adsit potentia, & aptitudo, actus enim realiter supponit potentiam, vt etiam supra dictum est. Quare cum in naturam sit actus physicus essendi in pluribus à parte rei independenter ab intellectu, erit etiam in illa independenter ab intellectu aptitudo ad essēdum in pluribus.

Natura positiue est in pluribus à parte rei, & ideo à parte rei habet aptitudinē.

XIII. Hæc ratio efficacissima est, &, vt melius efficacia percipiatur, nonnullæ respōsiones, quæ afferri possent excludēdæ sūt. Prima igitur responsio est, quod natura non sit vna in omnibus indiuiduis, & cōsequēter, quod neque aptitudo, & ideò non detur à parte rei hæc physica aptitudo ad essendū in multis Verū hęc respōsio impugnata manet ex ijs, quę supra diximus disput. 13. sect. 2. vbi ostendimus, quòd natura secundùm esse proprium formale, est vna, & eadē in omnibus indiuiduis, & cōsequenter sicut vnitas formalis potest stare cum diuisione materiali, & entitatiua, ità etiā aptitudo physica, cū nō sit aliud, quàm ipsa natura prout potest esse in pluribus, poterit esse vna, & eadem in pluribus indiuiduis neque illi repugnabit diuisio entitatiua. Præterea deberet saluari, quomodo natura habeat actum essendi in pluribus absque aptitudine, hoc enim omninò implicat. Et licet natura non esset omnino vna, tamē non potest negari, quin sit vna secūdū speciē, & quod cum ponitur in pluribus indiuiduis, nullā sortiatur differētiā secūdū esse essentiale, ergo retinet aptitudinē, quā habet ex vi sui esse essentialis, absq. eo, quòd sit aliqua diuisio secundùm esse essentiale aptitudinis.

1. respōsio reijcitur.

Non potest dari actus absq. aptitudine ad ipsū

IX. Et potest ampliùs vrgeri hæc responsio. Natura secūdùm suū esse formale intrinsecè dicit, quòd possit communicari pluribus, ita vt, quatenus est prior indiuiduatione, dicat hāc intrinsecam posibilitem, neque enim, si nō haberet hāc intrinsecā possibilitatā cōmu-

Natura habet esse tũ essendi in pluribus ex vi intrinseca cõmunicabilitatis.

nicari,altera non.Præterea natura, quæ per intellectũ vna potest plurib.cõmuni, cari posset reduci ad actũ actuali cõmunicatione, nã potẽtia effectiua supponit in obiecto intrinsecã possibilitatẽ actus, quẽ potest inducere,& statim,ac tollitur ab obiecto hæc intrinseca possibilitas, tollitur etiã potẽtia causæ efficiẽtis, nã actus est omninò impossibilis. Ex hoc autem fit, quòd natura secundùm esse physicũ dicat aptitudinẽ ad essendũ in pluribus.Hæc sequela probatur, quia quòd dicit natura secũdùm suũ esse formale, dicit etiã natura secundùm esse physicũ,quoniã in esse physico inuoluitur esse formale naturę, tanquam cõstitutiuũ talis esse physici; si igitur in esse formali naturę inuoluit intrinsecã possibilitatem ad essendũ in pluribus,quę nihil aliud est,quàm aptitudo, etiã in esse physico inuoluet aptitudinem. Confirmatur Ideò non haberet aptitudinem per allatam responsionem secundùm esse physicum,quia diuiditur in indiuiduis & ratione huius diuisionis tolleretur aptitudo,hoc tamen improbabiliter dicitur, nam natura ità dicit aptitudinem ad essendum in pluribus,vt dicat etiam ordinem ad diuisionem indiuidualem; implicat enim, quòd dicat ordinem ad plura indiuidua, & non ad diuisionem entitatum, cum plura indiuidua constituantur in ratione plurium per entitatiuam diuisionem. Si ergo natura ità respicit plura indiuidua,vt etiam respiciat diuisionem entitatiuam, implicat, quòd ratione diuisionis entitatiuę tollatur aptitudo, quia neque actus, neque modus, quo acquiritur, destruit potentiam quæ per talem actum perficitur. Præterea si hęc aptitudo imbibitur in esse naturę intrinsece, cum diuisio entitatiua non tollat esse naturæ, neque etiam tollet aptitudinem.

Potẽtia non destruitur per actũ

Secunda respõsio ex Suarez.

X. Secundò responderi potest ex Suar. citat disput.6 in met.sect.4.nu.12. Hanc esse tantùm aptitudinem fundamentalem, quæ consistit in conditione quadam naturæ, ratione cuius illi non repugnat multiplicatio indiuiduorum, quæ potest intelligi etiam in quocumque indiuiduo, quia vnumquodque indiuiduum speciei talis conditionis est, vt illi non repugnet habere aliud indiuiduũ simile in eadem specie; vnde non est aliqua positiua aptitudo quæ respiciat plura,sed mera non repugnãtia,& hoc est fundamẽtũ,vt possit intellectus fingere in tali natura positiuã aptitudinẽ,qua possit esse in multis. Addit præterea, quòd, naturam posse pluribus cõmunicari à parte rei, non dicit vnã naturã aut aptitudinẽ cõmunẽ pluribus, sed tantũ posse existere plura indiuidua inter se similia. Verũ hęc vltima pars respõsionis coincidit cũ respõsione modò impugnata, quòd multiplicatio naturæ secundùm esse indiuiduale tollat aptitudinẽ,quod tamẽ falsũ esse, ostẽdimus quia hoc esse materiale, seù indiuiduale est posterius natura ipsamet essẽtia, & ideò nõ potest tollere ea, quæ cõueniũt essẽtię ex suo intrĩseco, cõsequẽter necq possibilitatẽ,qua potest poni ĩ pluribus.

Reijcitur.

XI. Quod autem spectat ad alteram partem responsionis neque tollit efficaciam argumenti, nam falsum est quòd posse multiplicari in pluribus dicat tãtùm meram repugnantiam negatiuam, nam dicit tale esse naturæ, quod ab intrinseco suo habeat, quòd possit esse in pluribus i sicuti, quòd aliquod sit possibile, non dicit meram repugnantiam in pluribus,sed dicit intrinsecã possibilitatem, & consequenter dicit positiuam potentiam,& aptitudinem. Quod potest ampliùs confirmari inquirendo, cur vni indiuiduo non repugnet habere aliud simile, certè nulla alia ratio potest assignari; nisi quia etiam illud alterum indiuiduum potest participare eandem naturam, quam ipsum quoque participat. Ergo huiusmodi possibilitas debet fundari in natura quæ, ab intrinseco suo possit esse in pluribus; quomodo enim participaretur à pluribus, nisi ab intrinseco diceret posse esse in pluribus.

Quòd dicat posse naturam multiplicari in pluribus,

XII. Et potest argui amplius doctrina Suarez, & inquiro ab ipso. Si comparetur natura Diuina, quæ non potest esse in pluribus indiuiduis naturæ, cum aliqua natura creata, quæ non possit esse in pluribus; vel differunt inter se hæ naturæ penes illud, quòd vna potest esse in pluribus, altera non potest esse? vel non differunt? Si primum; certè hoc non potest esse ratione alterius, nisi quia natura creata habeat intrinsecam possibilitatem,vt sit in pluribus, natura verò Diuina non habeat, cum differentia sit penes hoc. Si verò dicatur non differre, falsum omninò asseretur, quia reuera pręter quodcumque opus

Natura creata differt a diuina, quia intrinsecè est communicabilis pluribus indiuiduis.

in-

poteſt eſse in pluribus ſũdat negationẽ repugnantiæ, qua non repugnet eſse in pluribus, ergo cũ omnis negatio fundetur in aliquo poſitiuo, debet natura dicere aliquod poſitiuũ, in quo fundetur.

XIII. Sed quod magis eandem Doctrinam vrget, eſt, quia actus, & exercitiũ eſsendi in pluribus, verè eſt poſitiuũ, & phyſicũ, ergo cum cuicumque actui debeat correſpõdere potentia proportionata, debet ſupponi in natura potentia poſitiua, & phyſica, qua poſſit eſſe in pluribus; ſic quia phyſico modo aliquod indiuiduũ poteſt eſse à parte rei, ſupponitur in ipſo poſitiua, & phyſica poſſibilitas; omnis enim potentia per ordinẽ ad actum ſpecificatur, & conſtituitur talis. Nec valet ſubterfugiũ Suarez, quòd, naturã poſse eſse in multis à parte rei, nihil aliud dicat, niſi quòd poſſint produci plura indiuidua ſimilia; quia plura indiuidua eſse ſimilia, nihil aliud dicit, niſi, ꝙ eadẽ natura ſecũdũ ſuã eſſentiã ſit in ipſis, & quòd inter ſe nõ differãt, niſi ſecũdùm eſſe indiuiduale, cũ autẽ hoc eſſe indiuiduale non ponat aliquã differentiã in natura ſecũdum eſſe naturæ, ſequitur quòd eadẽ natura ſit in omnibus, & cõſequẽter quòd in ſuo eſſe intrinſeco inuoluat aptitudinẽ, vt poſſit eſſe, quomodo enim eſset, ſi non haberet aptitudinẽ ad eſsendũ? Deinde poſse produci indiuidua ſimilia, eſt aliquid à parte rei, vt ipſemet Suarez cõcedit, & hoc cõuenit naturæ nemine cogitãte, dicit enim talẽ cõditionẽ naturæ, ex vi cuius habet poſſe in pluribus multiplicari, ergo natura nemine cogitãte habet à parte rei aptitudinẽ phyſicam. Efficacia huius conſequentiæ declaratur, quia, hoc poſse in pluribus poni prouenit ex conditione naturæ; quę nã quęſo eſt huiuſmodi cõditio naturę, à qua proueniat, vt poſſit indiuidualiter multiplicari in pluribus? certè nulla alia poteſt eſse, niſi quæ reddat naturã capacẽ talis multiplicationis; Rurſus cũ natura non poſſit multiplicari, niſi ſecũdum ſuũ eſſe ſit in pluribus indiuiduis, debet hæc cõditio, quæ reddit naturã multiplicabilẽ, eſse talis, vt illã faciat potentem eſſe in pluribus, quod non per aliud fit, quàm per aptitudinẽ. Præterea poſse in pluribus multiplicari ſupponit poſſibilitatẽ in obiecto, hoc autem obiectum nõ poteſt eſse indiuiduatio, quia illi repugnat, multiplicari in pluribus, ſed ſolùm natura, atque adeo natura, vt obiectum includet poſſibilitatẽ ad poſse multiplicari, Hæc autem poſſibilitas nihil aliud eſt, niſi aptitudo ad eſsendum in pluribus. quod poteſt etiã ex eo cõfirmari, quòd cũ in quolibet indiuiduo duo ſint, nempè eſse indiuiduale, & eſse naturæ, non poteſt illi nõ repugnare habere aliud indiuiduũ ſimile ratione indiuiduationis, tũ quia non eſt ſimile ſecũdum indiuiduationẽ, tum quia ſecũdùm indiuiduationẽ differt à quocũque alio, ſed ſolùm ratione naturę, quare ab ipſa natura prouenit habere aliud ſimile; nõ poteſt autem prouenire à natura, niſi in ipſa intelligatur, quòd ſit talis aptitudo, vt poſſit eſse in pluribus.

Sicuti actus naturæ eſsendi in pluribus eſt phyſicus ita etiã ſupponit aptitudinẽ phyſicam.

XIV. Denique reijcitur hęc reſpõſio Suarez, quia inquiro, An ex intrinſecis naturæ proueniat, quòd poſſit eſſe in pluribus, vel non? Si primum, ergo cum aptitudo nihil aliud ſit, niſi potẽtia, qua aliquid poteſt eſse in pluribus, iam in intrinſecis cõſtitutiuis inuoluitur aptitudo, atque conſequenter, cũ natura ſecundùm eſse phyſicum dicat omnia intrinſeca naturę, dicet etiam aptitudinẽ. Si ſecũndũ, ergo illi repugnat poſse eſse quia totum id, quod nõ inuoluitur in intrinſecis eſsenti, repugnatę, quòd reperiatur in tali eſsẽtia. Quòd ſi in natura reperitur actus eſsẽdi in pluribus, debet etiã in intrinſecis cõſtitutiuis ipſius, reperiri potẽtia, qua poſſit eſse in pluribus Vnde nõ rectè dicit Suarez, quòd in hac multiplicatione nõ interueniat natura, quę dicat ordinẽ ad plura, quia ſi de facto natura eſt in pluribus ſecũdùm ſuum eſse eſsẽtiale, quomodo nõ dicit ordinẽ ad illa, in quibus de facto reperitur? per ordinẽ autẽ non intelligo relationẽ aliquã, quę ſit inter extrema diſtincta, ſed quòd natura à parte rei ex vi ſuę intrinſecę eſsẽtię ſit talis, vt petat eſse in pluribus, vt melius infra explicabimus, declarãdo, in quonã cõſiſtat hęc aptitudo. Et cũ Suarez, aſſerit, quòd hæc potentia multiplicationis eſt aptitudo fũdamẽtaliter accepta, verũ quidẽ eſt, ſi loquatur de aptitudine metaphyſicè, ſeu logicè cõſiderata, vt patebit ex ijs, quę infra dicemus; falsũ tamẽ, ſi intelligat de aptitudine phyſica, quia eſt formaliter aptitudo phyſicè accepta, quia per ipsã habetur proprius effectus phyſicus aptitudinis phyſicæ.

Natura ab intrinſecis ſuis principijs habet, vt poſſit eſſe in pluribus

Per ſolã aptitudinẽ phyſicãm natura poteſt eſſe in pluribus

XV. Secũdò probatur noſtra cõcluſio

Natura, quę est in vno indiuiduo, habet aptitudinem, vt sit in illo, & sic facta inductione de quolibet indiuiduo, verum est dicere, quòd natura, quæ est in illo, habeat aptitudinem ad essendum in ipso; hoc enim conceditur ab Auctoribus oppositę sententiæ, & ratio euidens est, quia si natura de facto in ipso reperitur per identificationem, debet ex se esse talis, vt possit cum tali indiuiduatione identificari, neque enim vnquam aliqua identificantur, nisi ex natura sua sint identificabilia: ex hoc autem eruitur consequentia, quòd natura adæquatè sumpta secundùm esse physicum habeat aptitudinem, vt sit in pluribus; quia natura adæquatè sumpta dicit naturam, prout est in omnibus indiuiduis, tunc autem secundùm hanc adæquationem, si est in pluribus, debet habere aptitudinem, qua sit in pluribus.

Natura habet aptitudinem vt sit in illo indiuiduo in quo est

Occurritur obiectioni.

XVI. Et solùm videtur posse huic rationi objici, quòd natura, quę est in pluribus, non est vna, sed multiplex, & ideò neque etiam interuenit vna aptitudo, quæ respiciat plura; sed iam hæc responsio reiecta est supra & etiam probauimus, loco ibidem citato, naturam esse vnam in omnibus indiuiduis. Sed præter hæc, adhuc refutari potest; nam natura, quę est in pluribus, comparatur ad plura secundùm illud esse, quo identificatur cum pluribus indiuiduationibus; hoc autem esse reale, nondum est multiplex, quia tota multitudo, quam habet, prouenit ab indiuiduationibus, vnde illud esse, quod comparatur ad illas indiuiduationes, tanquam identificabile cum ipsis, non habet in se aliquam multiplicitatem, quia nondum in ipso intelliguntur indiuiduationes, & tamen habet aptitudinem, vt possit esse in multis per identificationem cum ipsis, & est esse naturę; cum igitur indiuiduatio non tollat quæ sunt intrinseca naturę, etiam quãdo erit in indiuiduis retinebit hanc aptitudinem, qua secundùm suum esse adęquatum respiciat plura, quod esse adæquatum sit inadęquatè in vnoquoque indiuiduo, nam illud esse naturæ identificabile cum indiuiduationibus, ita est identificabile cum vna indiuiduatione, vt ratione suæ latitudinis sit etiam identificabile cum alia. Rursus natura quæ est in vno indiuiduo dicit aptitudinem, vt sit in illo per identificationem,

Natura comparabilis cum pluribus indiuiduationibus est vna.

Indiuiduatio non tollit intrinseca naturæ.

& tamen ita est in illo, vt potuerit esse alio, si Deus illi determinasset aliam indiuidualem entitatem, ergo natura quantum est de se, non est determinata vt sit in hoc, vel illo indiuiduo. ergo si sumatur secundùm totam suam latitudinem, quam potest habere, est talis rationis, vt possit esse in pluribus, quia quatenus cum vna indiuiduatione coniungitur, habet aptitudinem ad ipsam.

XVII. Tertiò probatur principaliter eadem conclusio. Natura, licet sit identificata cum indiuiduationibus, est tamen secundù se considerata prior quacumque indiuiduatione, & hæc prioritas est secundùm esse proprium naturæ, nam illud esse formale, quòd coniungitur cum indiuiduatione, est prius natura, siquidem potest concipi non concepta aliqua indiuiduatione in quo consistit prioritas naturæ; ergo natura in suo esse reali positiuo inuoluit aptitudinem ad essendum in multis. antecedens est certum, vnde superest solùm, quod declaretur vis consequentiæ, quę in eo consistit, quòd natura in esse Physico, dicit totum id, quod inuoluit in suo esse, prout est prior indiuiduatione, & licèt hæc prioritas formaliter considerata, dependeat à ratione, quatenus distinguit inter naturam, & indiuiduationem, tamen quæ sunt in rali esse, quod concipitur prius, reuera sunt à parte rei imbibita in entitate, in qua concipitur prioritas, & posterioritas; & hęc prioritas, quia est fundamentaliter in rebus, sufficiens est, vt aliqua dicantur conuenire indiuiduis ratione naturę, non ratione indiuiduationis, & hęc reduplicatio non tollit, quin talia sint à parte rei nemine cogitante, sic Petrus nemine cogitante, & secundùm esse Physicum est homo & tamen non est homo ratione indiuiduationis, sed ratione naturę. Sic etiam licèt natura Diuina identificetur cum personis, adhuc tamen non obstante hac identificatione, verum est, quòd à parte rei sit communicabilis tribus personis, quia ex intrinseco suo esse habet, quòd possit communicari. Quocirca si natura, vt prior indiuiduatione, in suo esse dicit aptitudinem, vt possit esse in pluribus, hoc ipsum etiam retinebit, cum est in indiuiduis, nec obstabit identificatio. Quòd autem habeat hanc aptitudinem, ostendi potest, quoniam

3. ratio.

Natura prior indiuiduatione.

Natura vt prior indiuiduatione habet aptitudinem ad essendum in pluribus, nec tollitur per indiuiduationem.

niam natura, vt est prior indiuiduatio ne, dicit ta ntùm essentialia naturæ, & nihil aliud; essentialia autem secundùm se dicunt vnam indiuisibilem essentiam quę potest esse in pluribus indiuiduis, ita tamen, vt ad vnum quodque determinetur per indiuiduationem, & ita determinetur, vt tota intensiuè sit in vnoquoque, licet non extensiuè; ergo natura considerata secundùm quod est prior indiuiduatione, habet aptitudinem intrinsecam, vt possit esse in pluribus, nam intrinsecum est essentialibus naturæ, quòd possint esse in multis, & consequenter dum sunt in multis retinent hanc aptitudinem, non quidem quatenus sunt in vno tantùm, sed quatenus sunt in multis, quia solùm actus essendi in multis potest saluare aptitudinem ad essendum in multis. debet enim actus esse proportionatus potentię.

XVIII. Atque in confirmationem huius rationis, potest etiam desumi ratio ex conceptu aptitudinis; aptitudo enim pręsertim physica non aliud in suo conceptu dicit, nisi esse rationem, qua natura ita afficiatur, aut qualificetur vt possit in pluribus reperiri per communicationem, vnde formaliter seipsam exhibendo reddit naturam communicabilem, sicuti enim quòd natura sit in pluribus, dicit, quòd actu sit communicata; ita etiam, quòd possit esse in pluribus, dicit, quòd sit communicabilis pluribus, & in hoc consistit aptitudo physica naturæ. Hoc autem natura habet ex vi sui esse; quod sic ostenditur; Quod simpliciter non est alteri communicabile, habet huiusmodi incõmunicabilitatem intrinsecè imbibitam, ergo neque etiam potest aliquid communicari pluribus, nisi intrinsecè in suo esse dicat communicabilitatem, & consequenter, cum de facto natura pluribus communicetur, debet secundùm suum esse proprium, & essentiale esse intrinsecè pluribus communicabilis, atque adeo dicere aptitudinem, qua possit esse in pluribus.

Quid dicat in suo conceptu aptitudo physica

XIX. Sed hic statim insurgit difficultas. Quid sit huiusmodi aptitudo Physica, quę conuenit naturę secundùm esse physicum; non enim potest esse aliquid, quod comparetur per modum potentię physicæ ad indiuiduationes, & quæ sit in natura, quia tunc diceret aliquam entitatem physicam contradistinctam ab indiuiduationibus, quod fieri non potest, cum natura sit identificata cum esse indiuiduali: vnde pro resolutione huius difficultatis, & ad maiorem explicationem aptitudinis Physicę, quam conuenire diximus naturæ secundùm esse physicum.

Dico Tertiò. Hęc aptitudo physica realiter loquendo, nihil aliud est, quàm ipsa indiuidua alicuius speciei, siue possibilia sint, siue actu existentia, quatenus dicunt intrinsecam possibilitatem. Formaliter verò dicit ipsa indiuidua considerata secundùm quod sunt eiusdem naturę, quę ex intrinseco suo talis est, vt sit possibilis in ipsis; seu faciliùs loquendo, Physica aptitudo naturę ad essendum in pluribus, est possibilitas eiusdem, qua possibilis est in pluribus. In tantùm autem dicitur possibilis natura commmunicabilis, in quantùm sunt possibilia plura indiuidua participantia eandem naturam. Atque sic explicata hæc aptitudo, facilem reddit nostram sententiam, & eneruat plures difficultates, quæ contra aptitudinem Physicam à parte rei fieri possent, pro qua tamen aduertendum est, vt etiam supra dictum fuit, quòd hęc aptitudo non est in actu primo, sed in actu secundo, & exercetur mediante identificatione naturæ cum esse indiuiduali, & consequenter dicit naturam quatenus possibilem in pluribus indiuiduis per identificationem cum ipsis.

1. concl.

Quid importet aptitudo physica.

XX. Ad probandam autem hanc conclusionem duo præstanda sunt, primum, quòd interueniat hæc possibilitas naturæ in ipsis indiuiduis; quod quidem facilè suadetur; nam sicut in statu existentiæ quicquid reale est existens dicit entitatẽ indiuiduã, seu cũ ipsa identificatur, ita etiam cum existentia proportionetur possibilitati, & id tantùm reddat existens, quod possibile est, & eo modo, quo est possibile, hinc sequitur, quòd etiam in statu possibilitatis, quicquid reale est, aut entitas indiuidua sit, aut in ipsa identificatum, & consequenter etiam natura erit tantùm possibilis vt identificata cum indiuiduis. Quòd autem habeat huiusmodi possibilitatem est euidens, nam reuera secundùm suum esse intrinsecũ non inuoluit aliquã implicantiam, & dicit tale esse, quod possit communicari, seu quod idem est, hęc

Quicquid est producibile, indiuiduum est.

na-

Natura est producibilis in pluribus indiuiduis.

natura, cum sit possibilis cū indiuiduatione, ita se habet, vt possibilis sit in pluribus per identificationem cum ipsis atque hæc possibilitas ipsi conuenit ab intrinseco; hoc enim euidenter conuincit possibilitas, quæ requiritur in obiecto, ad hoc vt ponatur in actu, quare cum natura ponatur in actu, secundùm plura indiuidua, cum quibus identificatur, etiam debet habere intrinsecè possibilitatem, per quam possit poni in actu.

Quomodo aptitudo physica naturæ sit ad essendum in pluribus.

XX. Quod autem huiusmodi possibilitas, sit aptitudo Physica ad essendum in pluribus ostenditur: nam hæc possibilitas naturæ non est secundùm vnum, sed plura indiuidua eiusdem naturę, vnde possibilitas, prout est in natura, respicit plura indiuidua & constituit ordinem illum, qui requiritur ad constituendam aptitudinem. Rursus habet etiam illud reliquum, quod requiritur ad constituendam aptitudinem; aptitudo enim Physica de se formaliter nihil aliud præstat, nisi quòd natura constituatur apta ad essendum in pluribus, hic enim est adæquatus effectus ipsius, quem potest exhibere; huiusmodi autem possibilitas est talis, vt reddat naturam potentem esse in pluribus, siquidem est possibilitas naturæ in ordine ad plura, & ex vi ipsius formaliter habet, quòd possibilis sit in pluribus. Denique hæc aptitudo est Physica, quia dicit esse Physicum, seù possibilitatem physicam naturæ, quæ physico modo, & à parte rei possibilis est.

Quid dicendum de Aptitudine Metaphysica.

SECTIO IV.

Conclusio Aptitudo metaphysica non conuenit naturæ præcise.

I QVæ hucusque dicta sunt, spectant ad physicam aptitudinē, nunc agendum de Metaphysica. Quod autem spectat ad ipsam, dicendum est, non conuenire naturę à parte rei, sed tantùm secundùm statum præcisionis. Hæc conclusio euidens est ferè ex ipsis terminis, quoniam si metaphysica est, debet metaphysico modo se habere, quæ autem metaphysico modo se habent, sunt intra abstractionem metaphysicam, & consequenter tantùm obiectiuè in intellectu; quod enim se habet metaphysico modo, dicit aliquam formalitatem, seù quidditatem abstrahentem ab omni materia signata, quod cum non possit conuenire naturę, prout existit à parte rei, nec etiam à parte rei habebit aptitudinem metaphysicam essendi in pluribus. Et quamuis in prima abstractione, qua abstrahit ab esse indiuiduali, non dum sit intra abstractionem, quam dicit obiectum metaphysicum, quia tamē hic nomine aptitudi. is metaphysicæ intelligitur omnis illa aptitudo, quam habet natura tantū in esse obiectiuo, ideò contradistinguitur ab illa aptitudine, qua physico modo est communicabilis pluribus; atque hæc aptitudo illi conuenit in prima abstractione ab esse indiuiduali.

Esse metaphysicum existit tantum obiectiue in intellectu.

II. Secundò declaratur eadem conclusio. Aptitudo metaphysica reddit naturam contrahibilem per differētias indiuiduales, nam facit, quòd natura possit esse in pluribus per modum superioris, modus autem, quo superius est in inferioribus, est mediante contractione; quocirca cum natura ratione aptitudinis metaphysicæ, possit esse in pluribus per modum superioris, debet etiam ratione illius habere quandam capacitatem, qua mediante sit contrahibilis ad plura inferiora. Hinc autem fit, quòd etiam natura debeat ratione huius aptitudinis habere quandam in determinationem, seù indifferentiam, qua non sit neque hoc, neque illud indiuiduum, possit tamen fieri hoc, & illud, & consequenter se debet habere vt potentia metaphysica, quę veniat in compositionem metaphysicam, cum differentijs indiuiduaibus, vt constituatur concretum indiuidui, quod constat ex natura apta ad essendum in pluribus, & differentia indiuiduali contrahente naturam Ex quibus omnibus licet colligere, quòd hæc aptitudo metaphysica non conueniat naturæ à parte rei, sed solùm secundùm statum præcisionis, nam natura à parte rei non se habet vt aliquid contrahibile, si quidem quod contrahitur vt superius ad inferiora, se habet vt pars metaphysica, & à parte rei habet identificationem cum contractiuo. Atque vt consurgat aliquod, quòd se habeat vt potentia metaphysica contrahibilis, debet per intellectum poni distinctio in huiusmodi identificatione. Præterea hæc aptitudo habet adnexam indifferentiam, & con-

2. ratio.

Aptitudo metaphysica reddit naturam contrahibilem.

ſequenter debet eſſe natura præciſa ab indiuiduatione, quia quando eſt cum ipſa identificata, non habet indifferentiam,& ſolùm in ſtatu præciſionis ſe habet, vt pars contradiſtincta ab indiuiduatione, hoc autẽ neceſſariò requirit aptitudine metaphyſica, vt tribuat indifferentiam, & contrahibilitatem naturæ.

1. ratio. III. Tertiò poteſt confirmari eadẽ concluſio. Natura ratione huius aptitudinis metaphyſicæ conſtituitur apta ad eſſendum in pluribus per prædicationem, ergo formaliter ſumpta debet tantùm conuenire naturæ ſecundùm ſtatum præciſionis, antecedens declatur, nam hæc aptitudo metaphyſica non poteſt alio pacto reddere naturam aptã ad eſſendum in multis, niſi modo ſibi proportionato, cum autem aptitudo ſit quid metaphyſicum, debet illam reddere aptam metaphyſico modo; eſſe autem aptum ad eſſendum in pluribus metaphyſico modo, dicit, quòd ſit aptum ad eſſendum in pluribus tãquam ſuperius in inferioribus atque adeo tanquam aliquid prædicabile de ipſis; omne enim ſuperius conſtituitur in tali ſtatu, vt poſſit de inferioribus prædicari, Hinc eſt quod Ariſt. 1. Perihermi cap. 5. & 1. Poſterior textu 25. explicat vniuerſale per prædicabilitatem de pluribus, quia per hanc aptitudinem conſtituitur in eo ſtatu vt poſſit de pluribus prædicari; diximus enim hanc prædicabilitatem ſe habere, vt paſsionem conſequentem vnitatem vniuerſalis, conſequenti etiam probatur, quia debet tantùm a ptitudo formaliter ſumpta conuenire naturæ in eo ſtatu, in quo poteſt habere prædicabilitatem, ſolùm autem in ſtatu præciſionis poteſt habere. Natura enim, v. g. humana, quæ prædicatur de Petro, Franciſco, & alijs indiuiduis eiuſdem naturæ, præciſa ab indiuiduationibus, iam eſt prædicatum commune, quod de ſingulis indiuiduis prædicatur, quòd fieri non poſſet, niſi eſſet præciſa illa natura ab indiuiduatione.

Natura ratione aptitudinis metaphyſicæ fit prædicabilis.

Ariſt.

2. Conc. Aptitudo metaphyſica eſt quid reale.

IV. Dico ſecundo. Hanc aptitudinem metaphyſicam non eſſe aliquid cõfictũ per rationẽ, ſed eſſe aliquid reale metaphyſicũ, ꝙ ita debet intelligi, non quòd negemus reſpectum rationis, quẽ dicit natura præciſa ad inferiora, ſed, ꝙ dicimus eſt, hunc reſpectum rationis nõ eſſe formaliter hãc metaphyſicam aptitudinem, ſed potius ab ipſa aptitudine habere intellectum tale fundamentum, vt poſsit fingere hunc reſpectum. Quare aptitudo dicit naturam præciſam ab indiuiduis quatenus comparari poteſt ad indiuidua, & eſse in ipſis tanquam ratio ſuperior in inferioribus. vnde ſolùm interuenit opus rationis in ſeparanda natura ab eſse indiuiduo; aptitudo verò non confingitur, ſed eſt intrinſecè imbibita in eſse naturæ, ita etiam realis eſt aptitudo.

1. ratio V. Probatur facilè noſtra cõcluſio, Nam aptitudo eſt ratio formalis, qua natura fit apta, vt ſit in pluribus, tanquam per rationem formalem; ſed natura præciſa, ex vi ſui eſse intrinſecè eſt apta, vt ſit in pluribus, ergo huiuſmodi aptitudo non eſt aliud, quàm natura præciſa. De maiori propoſitione nulla poteſt eſſe difficultas, neque enim alius effectus formalis aſſignari poteſt, quem præſtet aptitudo, niſi reddere aptam naturam ad eſſendum in pluribus metaphyſico modo: ſupereſt igitur ſolùm probanda minor. Natura ſecundùm ſeipſa ponitur in pluribus, ratio enim ſuperior ſecundùm proprium eſſe deſcẽdit ad inferiora, tanquam aliquod conſtitutiuum ipſorum intrinſecum, ergo ſi natura ſecundùm proprium eſſe ponitur in pluribus, debet ſecundùm proprium eſſe habere aptitudinem ad eſſendum in illis, quia in illo debet eſſe aptitudo, & potentia, in quo eſt actus; huiuſmodi autem actus eſſendi in pluribus eſt in natura conſiderata ſecundùm proprium eſſe. Quod inde etiam colligitur, quia natura ſe habet vt intrinſecum cõſtitutiuum inferiorum; cum igitur dicat ordinem ad plura inferiora, vt conſtitutiuum ipſorum, ſecundùm proprium eſſe eſt conſtitutiuum, etiam ex vi proprij eſſe debet habere aptitudinem, niſi enim ex vi proprij eſſe haberet aptitudinem, neque ex vi proprij eſſe conſtitutiuum illorum, conſtitutiuum enim ex ſe habet aptitudinem, vt ſit in conſtituto.

Aptitudo eſt ratio formalis qua natura fit apta fit in pluribus.

VI. Atque rurſus in cõfirmationem huius rationis alia addi poſſent Natura ſecundùm eſſe præciſum ſe habet vt quid contrahibile ab inferioribus, rurſus, quando de inferioribus prædicatur, ex vi huiuſmodi prædicationis, eſſe naturæ tribuitur vnicuique inferioris, & na- Confir.

natura est illa, quæ venit in compositionem cum esse indiuiduali, ergo dicendum est, quòd natura secundùm suum proprium esse sit apta, vt sit in pluribus. Consequutio declaratur, quia contrahibile secundùm proprium, esse quo contrahitur, respicit contractiua, & consequenter quod est contrahibile per plura, respicit ex se plura constitutiua, si igitur natura in statis præcisionis secùdùm suum esse reale, quòd dicit, est contrahibilis ad plura inferiora, in quibus sit per modum superioris, etiàm secundùm proprium esse respicit plura in quibus possit esse. quod nihil aliud est, nisi ex vi proprij esse habere aptitudinem, vt sit in illis. Deinde prædicatio supponit id, quod importatur per prædicatum esse talis naturæ, vt ex se habeat, quòd conueniat subiecto, præcipuè si prædicatio sit fundata in identitate prædicati cum subiecto, cum igitur natura in statu præcisionis, secũdùm suum esse essentiale, importet prædicatum enunciabile de subiecto, hoc est de pluribus inferioribus, debet etiam secundùm suum esse essentiale, in statu præcisionis esse talis, vt apta sit ad essendum in illis, de quibus prædicatur; quomodo enim poterit per prædicationem poni in hoc, vel illo indiuiduo, nisi ex se habeat intrinsecam aptitudinem vt sit in illo? Denique quod cum alio coniungitur secundùm proprium esse immediatè habet aptitudinem ad coniungi, atque quòd hæc aptitudo est illi intrinseca; sic quia materia secundùm seipsam vnitur formis substantialibus tanquam subiectũ, colligimus, quòd seipsa sit subiectum aptum vniri; modò etiam natura per modum superioris in compositione metaphysica vnitur cum indiuiduis seipsa, quis ergo neget, ex seipsa habere intrinsecam aptitudinem, qua cum pluribus vniatur tanquam ratio superior cum inferioribus?

Secunda ratio. VII. Secũda ratio pro nostra cõclusione est, quòd natura statim, ac separatur ab indiuiduatione, est indeterminata & indifferẽs, ergo in se includit aptitudinem ad essendũ in pluribus: Probatur antecedens. Natura, præcisa indiuiduatione, non habet aliquam determinationẽ, qua sit hæc, vel illa numero, sed est in tali statu, vt possit fieri hæc, vel illa, ergo habet indifferẽtiã, & indeterminationẽ. Neque valet, si dicatur, non habere quidẽ determinationem, sed tamen neque habere indeterminationẽ positiuã, sed tùm se habere merè negatiuè, quia verũ est; quòd in suo esse nullam habet determinationem, & rursus in suo esse est determinabilis per indiuiduationẽ superueniẽtem, vnde necesse est dicere, quòd habeat indeterminationẽ positiuã, hoc est, esse positiuũ intrinsecè indeterminatũ. Quod cõfirmatur. Natura in statu præcisionis secũdũ propriũ esse intrinsecũ est capax determinationis, ità vt intelligatur priuata determinatione, nã sicuti secũndũ esse intrinsecũ recipit determinationẽ, ità etiã secũndũ ipsũ est apta ad illã recipiendam, quòd si habet aptitudinẽ ad recipiẽdã determinationẽ, habet totã illã indeterminationem, quã potest habere; & sicut potentia materię de se est indeterminata positiuè ad quãcũque formã, quia est potentia apta ad recipiẽdã, quãcũq; formã ità etiã natura debet dici positiuè indeterminata respectu indiuiduationũ, quia est apta ad recipiendã in se quãcũque induationẽ, hoc enim commune est cuicumque potentiæ, quod positiuè indeterminata sit ad omnes suos actus; Natura autem est quędã potẽtia metaphysica respectu indiuiduationis. Cõsequentia etiã principalis argumẽti probatur. Non enim aliunde natura habet hanc aptitudinẽ, nisi ex eo, quòd indifferẽs, est, quia ex vi indifferẽtiæ ordinatur ad plura, in quibus tãquã ratio superior possit esse, quare si ex vi sui esse habet indifferentiam, etiam ex vi sui esse habebit aptitudinem.

VIII. Et potest, hoc totum amplius confirmari, quoniam etiam si naturæ in statu præcisions non concedatur indifferentia positiua, negari tamen non potest, quin sit denudata ab omni indiuiduali determinatione, hoc enim præstat præcisio. Rursus non potest negari, quòd natura considerata in statu præcisionis nõ dicat tale esse. quod sit vnibile cõpositione metaphysica cũ indiuiduatione, atq; nõ solũ cũ vnica, sed cũ pluribus, quando enim intelligitur fieri hæc cõpositio metaphysica, non intelligitur fieri mediàte aliquo ente rationis, quia est cõpositio realis, licèt metaphysica, & sicuti fundatur in idẽtitate naturæ cum esse indiuiduali, ita etiã debet concipi, quòd natura, & esse indiuiduale seipsis immediatè vniãtur, & nõ mediante ali-

Natura separata ab inferioribus est intrinsece indifferens.

Confir.

Natura in statu præcisionis est vnibilis compositione metaphysica cum cõtractiuis.

qua aptitudine ficta per intellectum. Hoc autem stante necessariò concluditur, quòd natura ex vi sui esse habeat aptitudinem ad essendum in multis, nam in statu præcisionis ex vi sui esse non habet aptitudinem, quia statim ac intelligitur non habere determinationem, & esse vnibilem cum pluribus, in hoc conceptu intelligitur esse aptam ad essendum in illis.

Confirm. secundo

IX. Quod rursus potest etiam declarari. Natura in statu præcisionis nō est determinata, vt dictum est, & est apta, vt vniatur cum determinatiuis, nempe indiuiduationibus; dicunt enim auctores oppositæ sententiæ, de se non esse determinatam neque indifferentē, sed posse esse vtrumque. Si igitur potest esse determinata, necesse est, quod sit apta, vt recipiat determinationem; Deinde, si non esset apta, quomodo illam reciperet, ergo etiam in statu præcisionis habet ex se aptitudinem. Nec potest negari hæc consequentia; quæro enim, quid sit esse aptum vniri cum indiuiduationibus, nisi esse aptum, vt sit in pluribus indiuiduis? statim enim, ac natura intelligitur vnita cum indiuidua. tione, intelligitur etiam eodem cōceptu esse in aliquo indiuiduo; si ergo est apta ex se, vt sit in pluribus indiuiduis, quomodo non habebit ex se aptitudinem? Atque hæc confirmatio etiam efficaciam sumit ex oppositione priuatiua, quæ est inter determinationem, & indeterminationē. Quod etiā cōfirmat principalē rationē; qā enim subiectū est talis naturæ, vt possit esse sub vtroq. termino oppositionis priuatiuæ, nō potest desinere esse sub vno, nisi fiat sub alio, quia neq. forma tollitur, nisi p priuationē; neq. priuatio, nisi per formā, & cum priuatio sit negatio formę in subiecto, ex vi contradictionis sequitur, quòd debeat semper inesse vel priuatio, vel forma, & consequenter vel determinatio, vel indeterminatio, quia opponuntur priuatiuè. Quo posito sic argumentor. Natura, in statu præcisionis considerata secundùm suum proprium esse, non habet indiuiduationē aliquā, qua determinetur, ego cum careat omni determinatiuo indiuiduali, habebit ex se indeterminationem, & indifferentiam, & consequenter etiam aptitudinem, quæ est aunexa semper cū indifferentia.

Natura in statu præcisionis est apta de se indeterminatione.

Semper inest subiecto priuatio, vel forma.

X. Solum huic nostræ conclusioni obstare videtur, quòd si natura ex ui sui esse in statu præcisionis haberet hāc aptitudinem metaphysicam, illam etiā haberet in quolibet indiuiduo, quia esset prædicatum quidditatiuum, quod in vnoquoque reperitur, in quo sit natura, quod tamen est falsum, quia natura, quæ est, in vnoquoq. indiuiduo, est determinata ad illud nec potest esse in alio. Sed tamen facilè remouetur huiusmodi difficultas, attendendo ea, quæ diximus etiam de aptitudine Physica, quòd videlicet natura, quando est in indiuiduis non habet aptitudinem seiunctam ab actu, sed simul cum actu. Verùm in assignanda hac aptitudine coniuncta cum actu, sicuti non assignatur seiuncta ab actu, ita etiam debet assignari cum toto suo actu, & si non assignare-tur cum actu, qui correspondet necessariò huiusmodi aptitudini, neque etiam assignaretur aptitudo coniuncta cum actu; cum ergo hæc aptitudo respiciat plura, vt assignetur hęc aptitudo cum actu sibi debito, debet assignari natura posita in pluribus indiuiduis, quia si il la aptitudo reducatur ad actum, eam trahet ad essendum in pluribus; quare hæc aptitudo secundùm suam rationem formalem naturam pluribus indiuiduis coniungit, & hac ratione non debet hæc aptitudo esse in vnoquoque indiuiduo, sed sufficit, quòd reddat naturam aptā ad essendū etiam in illo, quod præstat, dum facit, quòd naturam sit in ipso.

Occurritur obiectioni.

Natura in indiuiduis habet aptitudinē cum actu

Non intelligitur in vnó solo indiuiduo, sed in pluribus.

XI. Sed tamen posset adhuc quis instare, quòd natura est in quolibet indiuiduo secundùm totam suam essentiam, & consequenter etiam secundùm omnes suas proprietates; ergo cū hæc methaphysica aptitudo sit idem, quod natura, vel formaliter loquendo erit constitutiuum naturæ, vel eius metaphysica proprietas, & idcirco debebit esse in quolibet indiuiduo. Verùm hanc quoque instantiam facilè reijciemus, si attendamus, quomodo aptitudo huiusmodi ordinetur ad inferiora; cum enim respectus aptitudinis sit talis, vt trahat naturam ad essendum in inferioribus, sicuti ex eo, quòd respicit plura inferiora, facit naturam aptam, vt sit in omnibus illis, ita comparatus ad vnicum tantùm indiuiduum coarctat aptitudinem ad illud tantùm, nam aptitudo, prout respicit vnum indiuiduū, nō

Instantia

Solutio.

respicit aliud. Hinc autem fit, quòd aptitudo posita in exercitio, quia actu facit, quòd natura sit in indiuiduis, non autem quòd possit esse, ideo natura in vno indiuiduo considerata habeat tantùm aptitudinem ad essendum in illo, non verò in alijs, quia descendit ad illud secundùm omnia sua prædicata, sed quatenus ordinabilia ad tale indiuiduũ. Ex quo oritur illa duplex consideratio naturæ, secundũ esse adæquatũ, & secũdũ esse inadæquatum. & cũ aptitudo consequatur naturam in ordine ad latitudinem extensiuam, debet considerari, & secundùm esse adęquatum, & secundùm esse inadæquatum, cum dicitur ergo, quod aptitudo respicit plura, intelligi debet de aptitudine considerata secundùm esse adęquatum, non verò secundum esse inadæquatum: Modò sicuti natura, quæ est in vno indiuiduo, dicit esse inadequatum naturæ, ita etiam dicit aptitudinem secundùm esse inadequatum, & ideo sufficit, quòd sit aptitudo, qua constituatur natura in tali indiuiduo, nec est necesse, quòd respiciat plura. Ad formam igitur argumẽti conceditur, quòd natura descendit, ad quodlibet indiuiduum secũdum omnia sua prædicata, siue dicant constitutiuum naturæ, siuè passionem, sed tantùm eo pacto descendit, quo ordinatur ad tale indiuiduum, vnde descendit ad quodlibet indiuiduum secundùm aptitudinem, sed prout aptitudo est ordinabilis ad ipsum, quia autem, quatenus est ordinabilis ad ipsum dicit, quòd sit tantùm aptitudo ad essendum in ipso & non in alio, ideo natura descendit ad vnumquodque indiuiduum solùm secũdum aptitudinem, quam habet ad essendum in illo.

Atitudo naturæ ad vnum indiuiduum est tantũ ad ipsũ

Aptitudo naturæ secundum esse adæquatum respicit plura, vnũ vero indiuiduũ secundũ esse inadequatum.

XII. Ex dictis autẽ colligitur, huius aptitudinem fundari in ipsamet natura, quatenus habet ex intrinseco suo, quòd possit inesse pluribus per modũ rationis superioris; id autem habet natura in esse metaphysico ex eo, quòd natura secũdũ esse physicũ est intrinsecè possibilis in pluribus; quia .n. habet hanc possibilitatẽ, ideo qñ pręsciinditur ab esse indiuiduali, retinet hanc aptitudinẽ, quæ tũc se habet per modũ cuiusdã potentiæ metaphysicæ actuabilis per indiuiduationes; vnde aptitudo physica, & metaphysica coincidũt, sũt .n. realiter eadẽ aptitudo, seu possibilitas naturæ; sed differunt, quòd Physica dicit possibilitatẽ naturę immersæ in indiuiduis, Metaphysica verò possibilitatẽ eiusdẽ naturæ in pluribus indiuiduis, sed præcisã à quocũq. esse indiuiduali, ex quo fit, quòd se habeat ad modũ contrahibilis, & indifferentis. Colligitur ẽt falsũ esse, quod asserit prima sententia, nẽpe naturã in statu absoluto essentiæ, nullã dicere aptitudinẽ, nã hæc aptitudo est ipsamet natura, quatenus dicẽs possibilitatẽ intrinsecã, dicit ẽt positiuã aptitudinẽ ad essẽdũ in multis, & sicuti possibilitas, qua est ꝑ possibilis in multis, est ipsi essentialis, ita ẽt aptitudo qua potest esse in multis, cum non sit distincta à possibilitate.

In quo fundetur aptitudo metaphysica naturæ.

In quo differat aptitudo physica, & Metaphysica.

Soluuntur rationes in oppositum.

SECTIO V.

I Explicata nostra sentẽtia reliquũ est, vt rationes, quę cõtra ipsã militare videntur, dissoluamus. Ad primã igitur probationẽ, qua prima sñtia cõfirmabat suã primã propositionẽ, dicimus, ꝙ determinatio quidẽ, & indeterminatio, si sint secundũ idem, opponuntur priuatiuè, & ideò non possunt esse simul in eodẽ subiecto, vnde natura nõ potest simul esse indeterminata indiuidualiter, & habere indiuiduationẽ, quia esset determinata, & indeterminata secũdũ idẽ. Sed ẽt verũ est, quòd natura non habet in statu realis existẽtiæ hãc aptitudinẽ, quę requirat indeterminationẽ, quia diximus, huius aptitudinẽ cõuenire tãtùm naturę in statu præcisionis; à parte autẽ rei natura habet tãtũ aptitudinẽ Physicã, sed neq in actu primo, sed in actu secũdo, & exercitio: ex quo fit, quòd nõ requirat aliquã indeterminationẽ, imo debeat esse determinata ad plura indiuidua, quia hic est actus necessarius, & ꝓportionatus huius aptitudinis. Neq. huiusmodi aptitudo cõuenit naturæ secundũ ꝙ est in vno indiuiduo, sed secũdũ ꝙ est in plurib. vt iã explicatũ est: solũ hic aduertẽdũ est, ꝙ vt natura dicatur esse in pluribus, & habere actũ sibi ꝓportionatũ, & necessariũ, sufficit, vt sit in plurib. vel existẽtibus, vel possibilibus, quia existẽtia ꝑ accidẽs se habet ad exercitiũ quo natura habet actũ essẽdi in purib. nam existentia formaliter loquendo ponit tantùm rem extra causas, non verò ponit in pluribus, sed natura ex vi suęmet possibilitatis habet suum exercitiũ essendi inpluribus, quia non

Ad primũ primæ sententiæ.

Quando determinatio, & indeterminatio opponãtur priuatiuè.

Aptitudo physica naturæ non requirit indeterminationem.

est

est possibilis se sola, sed prout est in pluribus indiuiduis identificata.

Ad Secundum.

II. Ad secundam rationem dicimus; quòd entitas dicit esse indiuiduale, & materiale rei, & consequenter non potest aliqua indiuisa entitas esse in pluribus indiuiduis, quoniam idē esse indiuiduale esset in pluribus indiuiduis, quod omnino implicat; sed nec est necesse, quòd vt vna, & eadem natura sit in pluribus, aliqua indiuisa entitas sit in pluribus, quia natura non habet ex se entitatem; sed solùm ratione indiuiduationis adiunctæ; ex se verò habet tantùm suum esse essentiale, & vnitatem formalem, quæ, vt suo loco ostendimus, est eadem in omnibus, & potest vnitas formalis stare simul cum diuisione entitatiua, vt ibidem declarauimus. Cum igitur natura sit vna, & eadem in omnibus indiuiduis vnitate formali, ratione huius vnitatis habet aptitudinē, vt sit in pluribus, si consideretur secundùm esse adæquatum; aptitudinem tamen in exercitio positam, vt diximus. Hæc enim aptitudo cōsequitur naturā, non esse indiuiduale, & ideò assignando est, non penes esse indiuiduale, sed penes esse formale, sicuti sensibilitas non assignatur in homine ratione rationalitatis. Quare natura, vt sit in pluribus, debet tantùm multiplicari indiuidualiter, & materialiter, non verò secundùm suum esse. Cum autem dicitur, quòd non potest dari à parte rei aliqua natura, quæ non sit entitas quædam; verum quidem est materialiter loquendo, quia semper est coniuncta cum indiuiduatione, ratione cuius constituitur in esse entitatiuo, non tamen ex se habet, quòd sit entitas, sed semper retinet suam vnitatem formalem, quæ est eadem in omnibus indiuiduis. Et licet hæc responsio sufficienter euacuet totam difficultatem argumenti, posset tamen adhuc facilius responderi, quòd nos ponimus tantùm aptitudinem Physicā in natura physica, hæc autem aptitudo Physica nihil aliud dicit, nisi ipsum esse naturæ, quatenus est possibile in pluribus indiuiduis per identificationem cum ipsis, non potest autem negari, quòd natura sit possibilis in quocumque indiuiduo, & quòd sicuti est in pluribus, ita etiam ex vi sui esse intrinseci non habeat possibilitatem in pluribus.

Naturæ ratione vnitatis formalis habet aptitudinem.

Ad Tertium.

III. Tertia autem ratio, si rectè perpēdatur, nihil concludit, tūc.n. procederet, quando tribueremus naturæ à parte rei aptitudinem aliquā in actu primo & cū indeterminatione, sed dicimus habere quidē naturā secundū esse physicū aptitudinem suam, sed determinatam, & in exercitio positam per determinationem indiuiduationum, & ideò non debet secundùm quod est in vno indiuiduo, posse poni in alio, quia ex natura sua itā petit determinari, vt interueniat identificatio, ideò ex natura sua ēt habet, quòd qñ habet suū actū, non possit amplius illo priuari; Accedt ēt, ꝙ in vno indiuiduo non est secundū aptitudinē adæquatè sūptam, vt diximus, sed inadęquatè, & ideò sufficit, quòd natura secundū quòd descēdit ad illum, habeat aptitudinē ad essendū in ipso, nec est necesse, quòd habeat aptitudinē ad essendū in pluribus; sed sufficit, quod habeat aptitudinē ad essēdū in pluribus, prout in pluribus reperitur, quia tūc habet actū proportionatū suæmet aptitudinis. Circa quòd, hoc est valde notādū, quòd cū aptitudo secundū esse physicū nihil aliud sit, quā possibilitas naturę, atq. natura nō sit possibilis, nisi simul cum esse indiuiduali; hinc fit, quòd etiā natura simul ex vi possibilitatis habeat actum & exercitiū suæ aptitudinis, nec sit secūdū esse reale aliquid assignabile, cui conueniat aptitudo sine exercitio; atq; adeò in pluribus indiuiduis habet exercitium suæmet aptitudinis.

Aptitudo physica naturæ est cū suo actu quo non potest priuari

IV. Atq; ex dictis soluta manet etiā quarta ratio, in qua inferebatur, quòd tot essent vniuersalia à parte rei, quot sunt indiuidua, quia in vnoquoque indiuiduo est aptitudo ad essendum in pluribus. Neque enim, vt supra ostendimus in fine sect. præced., debet natura in vnoquoq; indiuiduo esse apta ad essendum in pluribus, quia natura, vt ibidem diximus, descendit ad illud cum sua aptitudine, prout est ad ipsum ordinabilis, & est tantum ordinabilis, vt habet aptitudinem ad essendum in illo: vt verò habet aptitudinem ad essendum in alijs, ordinatur ad alia, & vt toties dictū est, aptitudo ad essendum in pluribus cōuenit naturæ tantùm, vt dicit suā latitudinē extensiuā adæquatā. Deinde addi potest, nos tribuere naturæ à parte rei tātū aptitudinē Physicā, quę non est aliud, quàm possibilitas naturæ, qua est possibilis in plurib. indiuiduis, quę cū il-

Ad Quartum.

Quomodo natura descendat ad quodlibet indiuiduum cum sua aptitudine.

li cōueniat ex intrinseco suo, ēt à parte rei habet hanc Physicā aptitudinā. Atque hinc etiam patet ad instantiam ibi factam; nam natura non diuiditur secūdùm esse indiuiduale, quia tantùm indiuidualitas multiplicatur per esse indiuiduale suęmet essentię extrinsecū, quod non tollit vnitatem naturæ, vnde etiam aptitudo indiuidualiter tantùm multiplicatur, atque multiplicata non facit, naturam esse in pluribus, sed in vno tātùm. Sed hic etiam posset dici, quòd hæc diuisio non tollit aptitudinem Physicam, quia ad hanc sufficit, quòd eadē natura sit possibilis in pluribus indiuiduis, quia hæc aptitudo requirit simul diuisionem, & pluralitatem, sine qua non potest habere suum actum proportionatum.

Ad quintum.

V. Similiter etiam ad quintam dicimus, quòd natura coniuncta alicui indiuiduationi, & per ipsam determinata, non potest rursus ab ipsa separari, & & poni in alio indiuiduo: vnde secūdùm quod est in vno indiuiduo, habet repugnantiam ad essendum in alio; hoc tamen non tollit, quin natura, dum est in illo habeat aptitudinem ad essendum in ipso, quia si est, etiam habet aptitudinē ad essendum. Et ex hoc fit, quòd natura, secundùm quod est in alijs, quia habet aptitudinem ad esse dum in illis, habeat etiam aptitudinem ad essendum in pluribus, hoc tamen non militat contra nostram conclusionem, nam non tribuimus aptitudinem naturæ secundū quod existit in vno indiuiduo, sed adęquatè sumptæ nempe secundùm quod est in pluribus, quia cum habeat hanc aptitudinem in exercitio, vt toties diximus, solùm potest illam dicere, quatenus habet actum proportionatum, qui dicit, quòd natura sit in pluribus; vnde argumentum aliquid concluderet, si tribueremus naturæ, secundùm quod existit in vno indiuiduo, aptitudinem ad essēdum in pluribus in actu primo.

Natura prout existit in vno indiuiduo, non habet aptitudinem ad essendum in pluribus

Ad sextū.

VI. Ad sextam rationem respondet quòd cum huiusmodi aptitudo, siue sit Physica, siue Metaphysica, sit ipsamet natura, siuè secundùm esse metaphysicum, eandem vnitatem habet, quā habet natura, nempè formalem, cum autem instatur, quod debet esse vna numero. Respondetur, quòd hęc aptitudo consequitur naturam, quatenus dicit suum esse essentiale, non quatenus indiuiduatam, & ideo debet proportionari naturæ secundùm suum esse consideratæ: & sicuti natura, etiam dum in pluribus indiuiduis existit, est vna vnitate formali, quæ stat cum diuisione entitatiua, ita etiam aptitudo est vna in omnibus indiuiduis vnitate formali, & stat cū multitudine indiuiduali; & idcirco diximus, quòd natura habet aptitudinem ad essendum in multis cōsiderata secundùm suum esse adæquatum, nempè secundùm, quod est in multis, non verò secundùm esse inadęquatum. Et sicuti natura indiuiduatur, quando determinatur per hanc, vel illam indiuiduationem, non quia ipsi sit intrinseca indiuiduatio, sed quia cum ipsa idētificatur, ita etiam potest dici, quòd aptitudo indiuiduetur, quando trahit naturam ad essendum in vno tantùm indiuiduo, ex quòd determinata sit, vt faciat naturā communē esse in illo tantū, quæ tamen indiuiduatio ipsi intrinseca non erit, sed solùm indiuiduabitur per identificationem cum ipsa.

Aptitudo naturæ est eiusdem vnitatis cum natura.

VII. Quòd autem spectat ad fundamentum secundæ propositionis eiusdem sententiæ, quid dicendum sit, patet ex dictis; quia enim hæc aptitudo conuenit naturę secundùm se consideratæ in ordine ad plura indiuidua, ideò solùm secundùm quod descendit ad plura, debet descendere cum sua aptitudine, secundùm quod verò descendit ad vni cum tantùm, non debet descendere secundùm totam suam aptitudinem, sed solùm secundùm illam, qua apta est esse in illo, quę est aptitudo sumpta inadæquatè secundùm suam extensionem: Cœterum cum additur, quòd si haberet secundùm se hanc aptitudinem, non potest indiuiduari, quia nunquam illa posset denudari, & recipere repugnantiam ad essendum in pluribus, non video, quomodo hoc dicatur, quoniam indiuiduatio supponit aptitudinem, tanquam potentiam, per quam possit natura cotrahi ad indiuidua; quòd si natura secundùm se est contrahibilis, etiam secundùm se dicit aptitudinem, per quam possit contrahi; & cum ipsamet indiuiduatio sit actus, quo in exercitio fit aptitudo, sicuti natura recipit indiuiduationem, ita necesse est, quòd habeat aptitudinem ad illam recipiendam; nec valet instantia ibi facta, quia si haberet aptitudinem, numquam esset

Ad fundamentum secūdæ propositionis.

Quomodo natura descēdat ad indiuidua cum sua aptitudine.

ſine, illi & nunquã haberet repugnantiã ad eſſendum in multis, quia nunquam eſt ſine illa, neque enim indiuiduatio tollit aptitudinem, ſed exercet; actus enim exercet potentiam, non deſtruit, neque vnquam ponitur repugnantia ad eſſendum in multis, quę ſit intrinſeca naturæ, ſed ſolùm ab indiuiduatione, quæ eſt extrinſeca, licet identificata cum natura, quare poteſt, licet ex ſe habeat aptitudinem, coniungi indiuiduationi, imò ſi non haberet, non poſſet coniungi, & ratione huius indiuiduationis acquirere repugnantiam ad eſſendum in multis. Sicuti etiam materia, quatenus eſt ſub vna forma, acquirit repugnantiam ad eſſendum ſub alia, licet ex ſe non habeat; imò habeat aptitudinem; in hoc tamen eſt diſparitas, quia materia non fit ſub forma per indentificationem, & poteſt ab ipſa ſeparari.

Ad fundamenta cęterarũ propoſitionum. VIII. In tertia autem propoſitione nihil attingitur, quod ſit contra noſtram opinionem. In quarta verò, quãdo dicitur, quòd recipit indifferentiam ab intellectu ex eo, quòd illam præſcindit ab indiuiduatione, & ex vi huius præciſionis, remaneat natura indifferens, *Quomodo natura recipiat indifferentiam ab intellectu.* itá vt illi conueniat indifferentia ſecundùm proprium eſſe, verum quidem eſt; ſi tamen ſenſus ſit, quòd intellectus fingat hanc aptitudinem, falſum eſt, & debet omninò negari, quare cum ſecundo loco dicitur, quòd natura non dicit hanc aptitudinem à parte rei; reſpõderi debet iuxta prædicta, quòd dicit aptitudinem Phyſicam, quæ realis eſt, & ſi ſeparetur ab indiuiduatione, remanet metaphyſica aptitudo cum indifferentia, quę nullo pacto fingitur ab intellectus ſed abſtrahitur ab eſſe phyſico. Præterea, cum tertio loco dicitur, quòd repugnantia ad eſſendum in multis conuenit naturæ à parte rei ratione indiuiduationis, debet conſequenter cõuenire indifferentia ex eo, quòd natura abſtrahitur ab indiuiduatione, verũ eſt, ſi intelligatur modo explicato, quia videlicet natura ab eſſe indiuiduali ſeparata remanet cum indifferentia; hoc tamen nihil contra noſtram opinionem concludit. Atque etiam ex dictis hucuſque patet, falſum eſſe fundamentũ quintæ propoſitionis ibidem allatum.

An detur vniuerſale formale à parte rei. Diſp. XVIII.

Auctorum Opiniones.

SECTIO I

1 Non poterat commodè hæc queſtio diſputari, niſi prius explicata fuiſſet eſſentia vniuerſalis, & conſiderata natura ſecundùm ſuos ſtatus, reſolutio enim difficultatis pendet ex determinatione circa vnitatem & aptitudinem naturæ ſecundùm ſtatum realis exiſtentiæ, de quibus cum in præcedentibus diſputationibus egerimus, nunc præſens difficultas reſoluenda eſt. Quæſtio autem inſtituitur de vniuerſali formali, quia indubitatum eſt apud omnes, vniuerſale fundamentale dari à parte rei ratione ſimilitudinis, ſeù vnitatis, quæ eſt inter indiuidua. Difficultas autem in eo conſiſtit, quomodo, ſuppoſito, quòd res omnes à parte rei ſint ſingulares, vt nos quoq; ſupra diximus, ſaluetur ratio formalis vniuerſalis, ex eo quòd plura indiuidua participent eandem naturam.

II. In qua difficultate, duæ præcipuè celebres opiniones circumferuntur. Prima eſt aſſerentium, quòd quã- *Prima opinio negatiua.* uis plura indiuidua participent eandem naturam, & conueniant in eadem eſſentia, non tamen ratione huius cõuenientiæ ſaluari poteſt vniuerſale formale à parte rei, ſeù, quod idem eſt, vnitatem formalem naturæ non ſufficere ad conſtituendum vniuerſale formale à parte rei, & ideò fieri tantùm per intellectum denudantem naturam à quacumque indiuiduatione. Ità tenent Auuer. *Auer. Themis. Ammo. Auicen.* 1. de anima com. 8. & 12. met. com. 4. Themiſt. 2. Poſt. c. 35, Amon. 1. poſt. cap. 8, Auicen. 5. Metaph. cap. 1. &

par. 4. suæ Logicæ D. Th. opusc. 55. & 56 & par. 1. quæst. 85. art. 1. ad 1., & de Ente, & essentia cap. 4. Caiet. ibidem quæst. 6. & 7. Dur. in 1. dist. 3. quæst. 5. & in 2. dist. 3. quæst. 7. num. 7. Aegid. in prolog. q. 2. & in 1. dist. 12. q. 2. Soncin. 7. Met. quæst. 40. Iauel. tract. de Prædicab. cap. 1. Soto in log. quæst. 2. de vniuersal. Capr. in 3. dist. 5. art. 3. & in resp. ad argũ. contra 1. concl. Petrus Nig. in Clypeo quæst. 2. Tolet. in Log. q. 3. de vniuersal. Connimb. ibid. Ruuius ibid. q. 4. Suar. in Met. disp. 6. sect. 2. Hurt. item in Met. disp. 5. sect. 3. Auersa in log. q. 8. sect. 3. Serna in Logica disp. 1. sect. 4. q. 5. ar. 4. & alij complures, est enim hæc opinio ferè cõmunis in omnibus scholis, excepta Scotistica.

D. Th. Aegid. Durand. Aegid. Soncin. Iauel. Soto. Capr. Petrus. Niger. Tolet. Cõnimb. Ruuius. Hurtad. Suarez. Auersa. Serna.

Fundamenta aliaræ sententiæ.

III. Præcipuum autem fundamentum est, quia vniuersale formale debet esse omninò vnum, natura autem, quæ est in plurib. indiuiduis à parte rei nõ est omninò vna, nam multiplicatur in ipsis, non quidẽ quòd ponantur in ipsis plures essentiæ, sed quia habet pluros vnitates formales, alia est enim natura vnius indiuidui, & alia natura alterius. Et confirmatur. Vniuersale debet esse vnum simpliciter, alioquin si esset vnum secundùm quid, posset esse simpliciter multiplex, quia vnum secundùm quid, & multitudo non pugnãt. Natura autẽ, quæ est in sĩgulatib. nõ est simpliciter vna, si quidẽ natura v. g. Petri non est natura Pauli; est enim incommunicabilis, habet existentiã diuersã & fieri nõ posset, si natura esset simpliciter vna in omnib. indiuiduis.

Secũdò. Secũdò vnitas vniuersalis non multiplicatur in indiuiduis, alioquin quodlibet indiuiduum esset vnum vniuersaliter, vnitas autem formalis multiplicatur, ergo non sufficit vnitas formalis ad constituendum vniuersale.

Confir. Confirmatur, Vnitas vniuersalis debet esse ita propria illius, vt nulli alteri conueniat præsertim singulari, cum singulare & vniuersale opponantur tanquam communicabile, & incommunicabile; si autem vniuersale esset à parte rei, vnitas vniuersalis conueniret sin gularibus.

Tertiò. IV. Tertiò vnitas vniuersalis dicit indiuisionem plurium in aliqua ratione, quæ sit vna vniuersaliter, hoc autem non potest competere iudiuiduis ratione vnitatis formalis, quia per illam vnumquodque est tantùm indiuisum in se essentialiter. Quare vnitas vniuersalis dicit indiuisionem cum aptitudine tantùm ad diuidi, in quo differt ab vnitate numerali, quæ ineptà est, vt diuidatur.

Quartò. Quartò. Non potest vniuersale esse in rebus ratione indiuiduationis, vt patet, neque ratione naturæ, nam natura de se non est vniuersalis, quia si esset de se vniuersalis, semper in quocumque reperiretur, esset vniuersalis, & cõsequẽter etiam in quolibet indiuiduo.

Quintò. Quintò. Vniuersale debet esse constitutiuum suorum inferiorum, ex hoc autem sequitur, quòd non possit esse à parte rei, quia natura, quæ constituit vnum indiuiduum, non constituit alterum, quia cum sit alia, & alia entitas indiuiduorum, est etiam alia, & alia natura, vniuersale autem vt vnum, & idem debet esse constitutiuum omnium suorum inferiorum.

Sextò. Sextò argumentatur Hurtadus. Natura quælibet, quæ est à parte rei, prædicatur tantùm de vnico indiuiduo, nempè de illo, in quo est, nec est à parte rei natura aliqua, quæ de pluribus prędicatur, vniuersale autem de pluribus prædicatur.

Septimò. Septimò idem Hurtadus arguit. Sequeretur, quòd in Deo esset aliqua ratio indifferens ad singularitatem Dei, & ad singularitatem alicuius creati indiuidui, quòd est absurdum, quia aliqnid, nempè illa ratio, quæ est Deus, posset non esse Deus; sequela probatur, nam rationes, quæ sunt communes Deo, & creaturis, deberent constituere vniuersale, sicut constituunt rationes, in quibus solæ creaturæ conueniunt, ratio autem, quæ constituit vniuersale, debet esse indifferens ad quamcumque singularitatem.

2. opinio. V. Secunda sententia est Fonsecæ 5. Met. cap. 28. q. 5 sect. 3. §. *Est igitur vera*. Qui sicuti naturæ secundùm se consideratę tribuit vnitatem mediam inter formalem, & numeralem ità consequenter asserit, Naturas communes, esse priores indiuiduatione, ante tamen operationem intellectus, qua à suis inferioribus abstrahantur, sed prius quàm in ijs contractæ sint, esse actu, & non potentia tantùm vniuersales, non habere tamen suam vniuersalitatem existentem, nisi cum intellectui sine differentijs contrahentibus obijciuntur.

Naturã anteq̃ cõtrahetur esse vniuersalem Fonseca.

Fundamentum huius sententiæ est, quia quæ conueniunt rebus per operationem intellectus, sunt posteriora ijs, quæ

con-

conueniunt iisdem, vt existunt à parte rei, aptitudo autem naturæ, vt sit in pluribus, est prior, quàm ipsum esse in pluribus, vnde non potest naturæ conuenire per operationẽ intellectus. Præterea diuersæ naturæ habent diuersas aptitudines, vt sint in pluribus, natura enim animalis non habet aptitudinem, vt sit in lapidibus, sicuti habet vt sit in homine, cum igitur hæc, aptitudinum diuersitas non proueniat ab intellectu abstrahente naturam, nec etiam prouenit ab ipso aptitudo.

Expensio allatæ sententiæ.

VI. Sed vt hoc obiter aduertam circa hanc sententiam, quamuis in eo rectè procedat, quòd tribuat naturæ aptitudinem independenter ab intellectu, secundùm se cõsideratę, prout est prior indiuiduatione, non tamen videtur cõsequenter loqui ad ea, quæ supra dixerat de vnitate illa, quam tribuit naturæ, etiam secundùm se cõsideratæ, prout est prior indiuiduatione; Dixerat enim, quòd hæc vnitas non conuenit naturæ in actu, sed tantùm in potentia, quia de facto illam non habet, sed tantùm haberet, si reperiretur sine indiuiduatione. Modò cum aptitudo fundetur in vnitate, non videtur, quomodo possit actu habere vniuersalitatem ante opus intellectus, quia vniuersalitas non est sine aptitudine, & aptitudo non est sine vnitate; cum igitur non habeat actu vnitatem, nec poterit etiam habere actu vniuersalitatem. Deinde hæc sententia incidit in easdem angustias, quibus premebatur sententia de vnitate, cuius difficultates latè supra disp. 13 sect. 3. prosequuti sumus, hoc enim est omnino impossibile, quòd natura habeat aliquid secundùm se considerata, & quòd illud non habeat, vt in indiuiduis existit, vt ibidem latè declarauimus. Modo Doctor iste tribuit actu vniuersalitatem naturæ secundùm se consideratæ, & sectione præcedenti negauerat, naturam secundùm quod in indiuiduis existit, esse vniuersalem, quomodo enim natura in suo actu includit vniuersalitatem, & non in indiuiduis, cum descendat ad illa, secundùm totum suum esse, & totum suum actum? Sed hoc sufficiat obiter attigisse.

3 opinio Dari vniuersale a parte rei.

VI. Tertia igitur sententia asserit, dari vniuersale formale à parte rei; ita vt natura, quæ est in pluribus indiuiduis ratione vnitatis essentialis, siue formalis, sufficiens sit ad constituendum vniuersale formale hoc autem asserit hæc sententia cõsequenter ad id, quòd natura in pluribus indiuiduis sit vna vnitate formali, neque diuidatur secundùm suum esse. Ita tenet Scot. in 2. dist. 3. q. 1. & 7. Met. quęst. 17. Ant. Andreas 7. item Met. quæst. 16. Tromb. quæst. 8. Lichet. cit. loco 2. sent. Bassolis ibidem Venet. in q. Met. de vniuersal. Valles. controu ad Tyrones, Scaliger. exercit. 307. num. 2. Meurisse 2. suæ Metaph. c. 3. q. 3. & communiter Scotistæ, quam etiam opinionem sequuntur nõ pauci Recentiores extra scolam Scotisticam. Atque Scalig. loco. cit. tribuit Arist. vbi affert nonnulla loca ex primo Post, & 7. Met., quæ etiam perpendit, vt videri potest apud ipsum. Quid autem in hac difficultate dicendum sit, inhęrentes supradictis explicabimus in sequentibus.

Scot. Ant. Andreas, Trõbeta, Lychet, Bassolis Venet. Vallef. Scaliger Meurisse Arist.

Dari vniuersale Physicum à parte rei.

SECTIO II.

I. Distinximus supra duplicem aptitudinem naturæ, alteram Physicam, alteram Metaphysicam; nunc consequenter, etiam duplex vniuersale distingui debet, alterum Physicum, alterum Metaphysicum, & ratio distinctionis statim in promptu est, quia vniuersale sequitur aptitudinem, quia statim ac habetur aliquod vnum, quod habeat aptitudinem ad essendum in multis, habetur etiam vniuersale, cum nihil aliud sit, quàm vnum in multis, cum igitur reperiatur duplex aptitudo Physica, & Metaphysica, etiam duplex vniuersale correspondens huic duplici aptitudini, nempè Physicum, & Metaphysicum debet assignari. Nomine autem huius vniuersalis Physici, non debet intelligi aliqua natura, siuè substantia separata, cuiusmodi essent Ideæ, quæ attribuuntur Platoni, sed intelligitur vniuersale, quod sit immersum in rebus physicis, seù indiuiduis realibus.

Duplex vniuersale Physicum, & Metaphysicũ.

II. De hoc ergo vniuersali Physico statuimus cum postrema sententia, dari à parte rei independenter ab intellectu, ita vt consistat in natura Physica, Cõclus.

Datur vniuersale Physicum à parte rei.

ca, quæ participatur à pluribus indiuiduis, pro cuius intelligentia aduertendum est, quòd nos hic non accipimus vniuersale, prout importat respectum aliquem ad inferiora, quia certum est, quòd hic respectus non potest interuenire, nisi beneficio intellectus separantis naturam ab indiuiduis; vbi enim non est distinctio, neque potest esse relatio; quare cum à parte rei natura non distinguatur ab esse indiuiduali, neque etiam potest habere hunc respectum. Rursus ad constituendum hoc vniuersale Physicum, non intendimus, quòd requirãtur plura indiuidua existentia, sed sufficere tantùm possibilia, quia adhuc natura est in pluribus, licèt solùm vt possibilia concipiantur, erit tamen hoc discrimen, quòd si indiuidua existẽt, erit vniuersale actuale, & existens; si verò erunt tantùm possibilia, erit etiam solùm vniuersale possibile, vtroque tamẽ modo semper Physicum. Atque hæc conclusio sequitur ex doctrina tradita de vnitate, & aptitudine, quam habet natura in statu realis existentiæ.

1. ratio.

III. Sic autem explicata Conclusio probatur primò, supponendo in quo consistat essentialiter vniuersale; diximus enim supra disp. 12. sect. 1. cum cõmuni sententia, & ex doctrina Arist., quòd duo requiruntur tanquam formalia constitutiua vniuersalis, nempè vnitas, & aptitudo, quòd propterea dicitur esse *Vnum in multis; Esse id, quod est aptum pluribus inesse*; neque de hoc potest esse aliqua difficultas, admittitur enim etiam ab ijs, qui tollunt vniuersale à parte rei, stante ergo hoc constitutiuo vniuersalis, difficultas consistit in ostendendo, quomodo reperiatur in ipsis rebus à parte rei. Sed ex dictis supra facilè ostẽditur, nam probatum fuit, quòd natura in statu realis existentiæ est vna in omnibus indiuiduis secũdùm suum esse, seù vnitatẽ formalẽ, & etiam ostẽdimus illi conuenire aptitudinem ad essendũ in multis, ergo natura secũdùm statũ realis existentiæ habet cõstitutiua vniuersalis, quæ cum sint physica, & in rebus ipsis physicis, cõstituũt vniuersale Physicum.

Quomodo natura à parte rei, & parte operationis vniuersalis.

IV. Atq; hoc rursus potest breuiter declarari. Natura in pluribus indiuiduis habet suum esse physicum, ita vt quamuis entitatiuè sit diuisa, non tamen sit diuisa in suo esse esẽtiali, quo indiuidua constituuntur in esse talis, vel talis naturæ; quod sic declaratur. Si intellectus cognoscat plura indiuidua eiusdem speciei, & illa attingat secundùm esse indiuiduale cognitione intuitiua, deinde vel operãte Deo, vel aliquo alio modo species illę, quę reprçsẽtabãt illa indiuidua nõ amplius repræsẽtẽt esse indiuiduale, sed tãtù esse naturę, quęro an tũc intellectus attinget aliquã distinctionẽ inter ipsa, an nullã. Primũ, quãuis ab aliquibus asseratur, falsũ tamẽ omninoest, nam vbi est distinctio, debet etiàm esse distinctiuũ si igitur absque esse indiuiduali repræsentaretur aliqua distinctio, iam omnis distinctio inter indiuidua non esset ratione indiuiduationis, sed ab aliquo alio, quod est prorsus falsum, & absurdum. Deinde cum vnumquodque ab alio distinguatur per suum esse, & ibi interueniat tantùm idem esse specificum, quod repræsentatur, iam idem esse specificum distingueretur per suummet esse specificum se solo consideratum à seipso, quod nullo pacto intelligi potest. Præterea vel illa distinctio esset numerica, & indiuidualis, vel specifica. Primum non potest admitti, quomodo enim erit distinctio indiuidualis, si non adest esse indiuiduale; sed neque potest esse specifica, quia essent diuersę essentiæ, quod tamen est falsum. Rursus si indiuidua tali pacto repræsentata dicerent aliquam distinctionem, etiam quando natura à pluribus singularibus abstrahitur, adhuc diceret in esse obiectiuo aliquam distinctionem, quod tamen est falsum, quia est præcisa per intellectum singularitas omnis. Accedit etiam quòd multiplicatio inferiorum est tantùm secundùm esse indiuiduale, quia ratione solius indiuiduationis natura multiplicatur, cum igitur in eodem consistant multiplicatio, & diuisio, sicut ablato esse indiuiduali, aufertur omnis multiplicatio, ita etiam auferretur omnis diuisio, cum igitur non repræsentetur esse indiuiduale, sed tantùm natura, nulla tũc percipietur distinctio. Et posset vlterius hoc membrũ impugnari, sed ex his sufficienter reijcitur.

Natura comunicata pluribus indiuiduis non habet aliquam diuisionẽ in ratione naturæ.

V. Altera igitur pars eligenda est, quòd tunc intellectus nullam percipiat diuisionem, aut multitudinem in obiecto. Ex hoc autem sequitur, quòd natura secundùm quod est in pluribus indiuiduis, licèt habeat diuisionẽ, & mul-

titudinē in entitate, nō habeat tamen in suo esse, sed sit omninò vna; quę consequētia sic ostēditur; tūc intellectus non attingendo esse indiuiduale, nō attingit aliquam distinctionem, ergo natura, quæ est in indiuiduis in suo esse non dicit distinctionem, quia si diceret, certè cum intellectus attingat naturam, quæ est in pluribus indiuiduis, attingeret etiam distinctionem, cum reuera attingat id, quod est in re, & in pluribus indiuiduis. Quod rursus declarari potest. Si saltem per impossibile Deus destrueret esse indiuiduale plurium indiuiduorum, & non destrueret esse naturæ, tunc certè, quia cessaret omnis ratio distinctiua, tolleretur etiam omnis distinctio, & natura omnium indiuiduorum remaneret vna omninò, & licet hoc impossibile sit, tamen deseruit ad inuestigandam naturam rerum, & hac suppositione impossibili facta, colligitur, quòd natura, dum est in indiuiduis, non habeat aliquam diuisionem in esse proprio, licèt habeat ratione indiuiduationis, quia si haberet in suo esse, cum ex tali suppositione remaneat secundùm suum esse, remaneret etiam secundùm diuisionem, quam in suo esse includeret.

Natura a parte rei habet aptitudinem ad essendum in pluribus coniunctam cum exercitio.

VI. Quod autē spectat ad aptitudinē etiā facilè ostendi potest, quòd natura à parte rei illā habeat, nā, vt diximus, aptitudo physica, qua cōstituitur vniuersale Physicū, nō est aptitudo aliqua cū indifferētia, quia non est aptitudo in actu primò, sed in exercitio, & consequenter ita debet reddere aptā naturā ad essendū in plurib. vt etiā simul, & semel illā faciat esse in pluribus. Modo natura secūndū esse physicū cōsiderata; & secūndū q̄ est in pluribus indiuiduis, habet hāc aptitudinē ad essendū in plurib. coniunctam simul cū exercitio, ita enim natura est in pluribus indiuiduis, vt in vnoquoque habeat suā intrinsecā possibilitatem, qua possibilis sit in illo indiuiduo, & cōsequenter, cū sit in pluribus, habet possibilitatē, qua in pluribus possibilis sit: cū ergo aptitudo physica naturæ nihil aliud sit, quā possibilitas eiusdē, quia per hāc possibilitatē formaliter cōstituitur in pluribus, concludēdū est, q̄ natura secundum esse physicum habeat physicam aptitudinem.

a. ratio VII. Et possumus etiam hanc rationem confirmare addendo secundam. Quando natura ponitur in pluribus indiuiduis, licet secundùm esse entitatiuum diuidatur, tamen in suo esse essentiali nullam recipit diuisionem, ita vt diuidatur essentialiter, sed in essentia remanet vna, & eadem. Et hoc etiam admittunt Auctores oppositę sententiæ, quia licèt asserant, quòd alia sit vnitas formalis naturæ in vno indiuiduo, alia in altero, hæc tamen alietas non est secundùm essentiam, quasi sit diuersa essentia in vno ab ea, quæ est in alio, sed est tantùm alietas entitatiua proueniens à diuersa entitate, & indiuiduatione. Et potest reddi ratio à priori, qua diuisio omnis realis habetur ex diuerso esse, ita vt in eo non possit esse aliqua diuisio, in quo non est diuersum esse, quia sicuti vnitas consequitur esse tanquam passio metaphysica, ita etiam vbi non est multiplex esse, neque etiam est diuisio aliqua, quia diuisio dicit plura, seù plures vnitates, quæ inter se diuidantur, tunc autem, cum sit vnum tantùm esse naturæ, in ratione naturæ nulla potest esse diuisio. Deinde non potest in aliquo poni diuisio, nisi secundùm illam rationem, qua recipit diuisionem; vnitas tollatur; diuisio enim, & vnitas inter se opponuntur, & vna non tollitur, nisi per positionem alterius; vnitas verò non potest tolli, nisi etiam tollatur esse, cuius est vnitas, quia cum ipso identificatur tanquam passio metaphysica. Cum igitur natura, vt est in indiuiduis, retineat suum esse essentiale, & hoc esse essentiale non habeat in seipso diuisionem; secundùm quod essentiale est, sed solùm secundùm entitatem, sequitur, quòd secundùm essentiam sit vnum in omnibus, & entitatiuè tantùm diuisum. Quòd ampliùs ex eo confirmatur, quòd essentiæ non possunt diuidi secundùm suum esse essentiale, nisi essentialiter diuersificentur, cum ergo plura indiuidua eiusdem naturæ sint tantùm entitatiuè diuersificata, nō verò essentialiter, natura, vt est in ipsis, nullam patietur diuisionē sm̄ essentiā, & consequēter sm̄ ipsā erit vna.

Natura in pluribus indiuiduis non multiplicatur essentialiter.

Vnde proueniat diuisio.

VIII. Quòd autem hæc vnitas, licèt habeat adnexā diuisionē entitatiuā, sit sufficiens ad constituendum vniuersale physicum, ostendi potest, nam vnitas requiritur tantùm formaliter in illa ratione, per quam constituitur vniuersale, & non in alia; cuius ratio reddi po-

potest, quia natura vniuersalis requirit vnitatē solùm vt constitutiuū vniuersalis, constitutiuū autē intrinsecū, & essentiale in eo tantùm debet poni, qđ est cōstitutū per ipsum. Hinc cū sola natura secundùm suū esse tantùm, & non secundùm esse indiuiduale adnexū constituatur in esse vniuersali, solùm vnitas debet esse in natura, non in esse indiuiduali, & cōsequenter permanente vnitate in natura sola, etiā si diuisio fit in esse indiuiduali, remanet tota vnitas necessariò requisita ad constituendum vniuersale. Quod potest amplius confirmari. Quia ad cōstituendū vniuersale nō requiritur maior vnitas, quā possit esse in illo esse, quod cōstituitur vniuersale, impertinēs enim est alia maior vnitas, imò impossibilis, quia nulla vnitas potest esse in illo, quod non est capax eiusdē vnitatis, sed vnitas tantùm essentiæ, & nulla alia pōt esse in natura cōsiderata secundùm suū esse propriū, ergo vnitas essentiæ est sufficiens ad constituendū vniuersale formale in natura; modò sicuti multiplicatio entitatiua nō tollit esse essentiæ, nec facit, quòd eadē natura sm̄ essentiam nō sit in pluribus indiuiduis, ita neq. tollit vnitatē secundùm esse quidditatiuū, vt etiam modò dictum fuit, ergo distinctio entitatiua relinquit in natura sufficientē vnitatem ad constituendū vniuersale. Quòd aūt natura non sit capax alterius vnitatis, quàm secundùm essentiam, facilè ostenditur. Qm̄ esse vniuscuiusque, est tantùm capax vnitatis, & illius tantùm qua suummet esse redditur indiuisum in suo genere, sola autem vnitas essentialis hoc ipsum præstat respectu naturæ consideratæ secundùm essentiam.

Natura sola, vt sit vniuersalis, debet participare vnitatem in proprio esse.

Vnitas essentiæ in natura sufficit ad cōstituendū vniuersale.

IX. Confirmatur principalis ratio. Non quælibet vnitas potest esse constitutiuum vniuersalis, sed illa tm̄, quę habeat adnexam aptitudinem ad essendū in pluribus. Vniuersale enim est vnum aptum esse in multis, & sine hac aptitudine non potest haberi adæquatū constitutiuū vniuersalis; ex hoc autem fit, ꝙ vnitas secundū esse indiuiduale nō potest esse illa vnitas, quæ constituit vniuersale, quia habet repugnantiam ad essendum in multis, quocirca cum vnitas indiuidualis sit vltima vnitas, debet vnitas constitutiua vniuersalis esse aliqua alia, quæ ex natura sua sit prior indiuiduali, & quæ habeat adnexam aptitudinem. Rursus sicut vnitas indiuidualis non constituit vniuersale, ita etiam ablatio eiusdem per diuisionem indiuidualem non tollet vnitatem constitutiuam vniuersalis. quia tollet tantùm indiuidualem. Modò cum quælibet vnitas debeat semper fundari in aliquo esse, cum præter esse indiuiduale, non sit aliud præter esse naturæ, debet vnitas constitutiua vniuersalis fundari in natura, tanquam passio illius, tum quia sic erit prior natura vnitate indiuiduali, tum quia sic habebit annexam aptitudinem, quæ potest esse in pluribus. Deinde hæc vnitas erit tantùm secundùm esse essentiale, ita vt reddat esse essentiale indiuisum, sicut vnitas indiuidualis reddit solum indiuidualiter indiuisum. Rursus quando natura ponitur in pluribus, non tollitur huiusmodi vnitas, quod satis euidens est, quia non multiplicatur essentialiter, sed tantùm indiuidualiter. Cum igitur stet à parte rei hæc vnitas, quæ est constitutiua vniuersalis, & habet adnexam aptitudinem ad essendum in multis, etiam dabitur vniuersale Physicum à parte rei constitutum per hanc vnitatem, & aptitudinem.

Quæ vnitas habeat aptitudinē constitutiua vniuersalis

X. Atque hoc rursus declarari potest exēplo naturæ Diuinæ, quæ est vna, & est in pluribus personis siuè suppositis, & tamen nō est vniuersalis. Quòd si inquiras, cur nō sit vniuersalis, cum sit vna, & reperiatur in pluribus, nulla alia ratio assignari potest, nisi quia ex eo, ꝙ ponitur in pluribus personis, nō amittit suam vnitatem singularem, sed adhuc remanet vna singulariter, quæ vnitas, cū dicat repugnantiam ad essendum in pluribus, ne dū potest constituere vniuersale, sed illi opponitur, atque hæc est ratio à priori, cur natura Diuina non sit vniuersalis. Ex quo colligitur, ꝙ vbi est vnitas indiuidualis, non potest esse vniuersale, sed quærenda est alia vnitas, in qua non inuoluatur formaliter indiuidualitas, hæc autem nulla alia potest esse, quàm vnitas essentiæ, qua est indiuisa essentialiter. Rursus ex hoc colligitur, quòd vt habeatur vniuersale, debet tolli vnitas indiuidualis, quia, vt patet in natura Diuina ipsa est impedimentum, ne quod est in pluribus, vniuersale fit, ergo tantùm abest, ꝙ multiplicatio indiuidualis, qua mediate natura ponitur in pluribus destruat vnitatē constitutiuam vniuersalis, vt etiam sit remo-

Cur natura diuina nō sit vniuersalis.

Vnitas vniuersalis debet excludere indiuiduale tanquam sibi repugnante.

remotio impedimenti, vt natura illa ratione vnitatis in essentia exerceat vniuersalitatem, quia per hanc multiplicationem entitatiuam tollitur vnitas indiuidualis, quę si adesset, impediret, ne natura esset vniuersalis.

3. ratio. XI. Tertiò argumentor. Cum quælibet vnitas fundetur in aliquo esse tanquam passio illius, hinc fit, quòd quoties aliquod esse fundatur in alio esse, etiam vnitas illius fundetur in vnitate alteriùs, nempè in vnitate illius esse, in quo alterum esse fundatur v.g quia esse indiuiduale fundator in esse naturæ, seù essentiæ, etiã vnitas singularis, quæ consequitur esse indiuiduale, fundabitur in vnitate essentię, quod etiam potest confirmari, reddendo rationẽ à priori, quoniã vnitas est passio entis vt sic, inseparabilis ab ipso, sequitur, quòd sicut fundamẽtum omnis realitatis incipit à ratione vniuersalissima entis, ita etiã vnitas entis vt sic, sit fundamentum vnitatis indiuidualis, & sicuti enti vt sic superadduntur alij gradus entis, ita vt semper adueniens fundetur in eo, quod vltimo aduenerat, ita etiam adueniant alij gradus vnitatis consequentes gradus entis, qui fundentur in vnitate entis vt sic, & semper, quòd aduenit, fundetur in eo, quod vltimò aduenerat: vnde cũ esse indiuiduale adueniat vltimò naturæ, sicut ipsum fundatur in esse naturæ, ita etiã vnitas indiuidua'is fundabitur in vnitate naturæ. Et quamuis hi gradus habeantur tantùm secundùm esse metaphysicum, interueniente etiam distinctione rationis, tamen sola distinctio rationis est fabricata per intellectum, totum verò esse, quod in illis gradibus reperitur, & tota vnitas realis est, & in rebus physicis reperitur, cum indistinctione tamen reali, & hæc distinctio fabricata per intellectum nos conducit ad percipiendam intrinsecam naturam rerum, & inuestigandum, quid ipsis essentialiter conueniat.

Vnitas indiuidualis fundatur in vnitate naturæ.

XII. Ex hoc porro discursu elicitur, quòd in indiuiduis adsit vnitas essentialis, quam dicit natura, cum non possit aliquid adueniens destruere id, in quo fundatur, alioquin dum proprium fundamentum destrueret, etiã seipsum destrueret; imò nedum destruit, sed neque immutat, cuius rei ratio est, quia gradus entis, qui vt posterior aduenit, nõ immutat gradũ entis, cui aduenit secundùm esse propriũ intrinsecũ, nã omnis mutatio circa essentiã est essentialis, atque adeò destructiua præcedentis essentiæ, sic esse indiuiduale non immutat secundùm intrinseca esse naturæ, alioquin destrueret naturã; cõsequenter ergo, neque vnitas immutat aliã vnitatẽ, in qua fundatur. Hoc igitur posito considerari debet natura, vt est prior indiuiduatione, certè tunc habet suum esse positiuũ indiuisum essentialiter, & cõsequenter vnum, cũ vnitas positiua nihil aliud sit, quàm esse rei positiuũ, & indiuisum; hæc aut vnitas, quia de se potest cõiungi cũ pluribus indiuiduationibus, habet annexam aptitudinem essendi in pluribus. Ex his igitur deducitur hæc consequentia, quòd natura secundùm quod habet suum esse physicũ in pluribus, habeat vnitatem, & aptitudinem, quæ sufficiat ad constituendum vniuersale Physicũ, siquidem, vt ostensum fuit, indiuiduatio adueniens non tollit vnitatem naturę, neque secundùm suum esse intrinsecum immutat, quia sicuti possunt plures indiuiduationes fundari in eadem natura, ita cum adueniunt, non destruunt, neque immutant vnitatẽ illius.

Vnitas indiuidualis non destruit vnitatem naturæ.

4. ratio. XIII. Quartò probatur eadẽ Cõclus. Quodlibet indiuiduũ eiusdẽ naturę, sicuti habet in se naturã, ita etiam includit intrinsecã possibilitatẽ naturæ, atq. hæc intrinseca possibilitas naturæ est vna, & eadem in omnibus indiuiduis, quæ facit, naturã esse possibilẽ in vnoquoq. ipsorũ: ergo natura, q̃n existit in pluribus indiuiduis, habet talẽ vnitatẽ, per quam cõstituatur apta ad essendũ in pluribus, huiusmodi autẽ vnitas, quia habet adnexã aptitudinẽ, est sufficiẽs ad constituẽdum vniuersale, & cũ sit à parte rei, & in esse physico, constituet vniuersale Physicũ à parte rei. Quod spectat ad antecedẽs huius probationis declarari põt, q̃m certũ est, ꝙ vnũquodq. indiuiduum includit suã intrinsecã possibilitatẽ, qua possibile sit, & cũ includat esse naturæ, includit consequenter etiã possibilitatẽ naturæ. Hæc autem possibilitas naturæ est vna, & eadẽ in omnibus indiuiduis, quia facit in vnoquoque esse possibilem eandẽ naturam, ita vt præcisa indiuiduatione, & omni eo, quod est extra essentiã naturæ, nõ possit in ipsa natura assignari aliqua diuersitas; vna enim, & eadẽ essentia non potest in suis essentialibus

Eadem intrinseca possibilitas naturæ est in omnibus indiuiduis.

includere diuersitatem cum igitur hæc possibilitas faciat esse possibilem vnam aliquam essentiam, iam erit vna possibilitas naturæ in omnibus quia hæc possibilitas non est aliud, quam ipsa natura. Consequentia etiam principalis argum. nti probatur, quia possibilitas facit, quòd natura sit in eo, in quo possibilis est, si igitur vna, & eadem possibilitas reddit naturam possibilem in pluribus à parte rei, habetur per ipsam possibilitatem vnitas, qua natura reddatur apta ad essendum in pluribus. Et potest addi confirmatio eiusdem rationis; Possibilitas naturæ est talis per ordinem ad vnam ideam, & per ordinē ad vnam causam efficientem, & si consideretur ipsius essentia secundùm quòd in pluribus indiuiduis specificare potest aliquam potentiam, constituit vnam rationem obiectiuam indiuisibilem, ergo cum plura indiuidua respiciant vnā potentiam, & vnam Ideam, & dicant vnam rationem obiectiuam indiuisibilem, iam natura secundùm quod est in pluribus habebit vnitatem in sua essētia, quæ possit constituere vniuersale Physicum, vnde cum hæc vnitas sit in essentia, & sit prior vnitate indiuiduali, vt etiam supra diximus, est vnitas, quæ non tollitur per diuersas indiuiduationes.

Quinta ratio.

XIV. Quinta ratio principalis est. Natura abstracta à conditionibus indiuiduantibus prædicari potest de omnibus indiuiduis inferioribus prædicatione, quæ explicet esse reale physicum indiuiduorum, hoc enim est commune cuicumque prædicationi veræ, quòd explicet aliquod de esse subiecti; ergo debet natura, secundùm quod est in indiuiduis, habere vnitatem, & aptitudinem, quæ sufficiens sit ad constituendum vniuersale, antecedens non indiget aliqua probatione, vt enim supra diximus, natura est illa, quæ secundùm suum proprium esse de pluribus prædicatur, quia prædicatur id, quod est in inferioribus, natura autem est illa, quæ secundùm proprium esse est in inferioribus. Deductio ergo sola consequentiæ explicanda est. Eius autem vis in eo consistit, quòd prædicatio, si est vera, supponit, rem ità esse extra intellectum, sicuti enunciat, est enim iudicium quoddam intellectus indicens seipsum conformari in sua cognitione cum obiecto; veritas enim cognitionis consistit in conformitate intellectus ad obiectum. Ex hoc antem fit, quòd dum intellectus id, quod enunciet cum veritate d e vno indiuiduo, enunciat etiam de alio, illud ipsum debeat esse in vnoquoque indiuiduo, de quo enunciatur, quia in hoc fundatur veritas prædicationis; ergo cum intellectus vnum, & idem esse naturæ enunciet de omnibus indiuiduis, debet vnum, & idem esse reperiri in illis, quod autem est vnum in multis, dicit vnitatem sufficientem ad constituendum vniuersale.

Natura vniuersalis enū ciata de inferioribus supponit vnitatem eiusdem naturæ in ipsis.

XV. Nec valet, si dicatur, quòd natura, quæ de pluribus prædicatur, est quidem vna in statu realis existentiæ, quia dum descendit ad inferiora, diuiditur. Quia hæc est responsio toties impugnata, nam diximus, diuidi tantùm secundùm esse materiale, non verò secundùm proprium esse formale, & id supra euidenter ostensum fuit. Deinde argumentum non procedit de aliquo, quod acquirat natura ex vi præcisionis, sed de esse, quod dicit, & quod per prædicationem tribuitur indiuiduis ita vt ex vi significationis enunciatiuæ significetur, quòd sit in ipsis. Modò idem prædicatum obiectiuè sumptum quod exprimit esse obiecti, de quo pronertur, ita intellectus tribuit vni indiuiduo vt tribu at etiam alteri, quòd euidenter patet, quia si apprehendat hominem secundùm sua prædicata quidditatiua, & perseueret eadem apprensio, & obiectum, quod per ipsam manifestatur, potest obiectum, quod sub est huic apprehensioni, tribui cuicumque indiuiduo cum veritate, ergo vna, & eadem natura communis est à parte rei in omnibus indiuiduis. Quod rursus declarari potest. sumatur illud esse reale metaphysicum, quod dicit natura in statu abstractionis, tunc certè erit vnum, quia dicit vnam essentiam indiuisibilem; rursus hoc esse est vnibile cum indiuiduationibus per identificationem, & de se est indifferens, vt fit cum hac, vel cum illa, imò habet quādam latitudinem, qua respicit plures indiuiduationes, ità vt possit venire in compositionem metaphysicam cum illis, ergo à parte rei vna, & eadem natura est in omnibus indiuiduis, quoniā est in illis realiter illa natura, quam cō cipimus venire in compositionem, &

Occurritur responsioni.

In prædicatione naturæ de inferiorib idē prædicatum obiectiuū tribuitur omnib.

Natura vna, & eadem venit in compositionē cum omnibus indiuiduis & solum cautatiue diuiditur.

contrahi ab hac, & illa indiuiduatione quæ solùm diuiditur entitatiuè, non formaliter.

Confir. XVI. Et potest amplius hæc ratio confirmari; Vnitas, quam dicit natura in statu præcisionis, est sufficiens ad constituendum vniuersale, ergo etiam vnitas, quam dicit in indiuiduis; antecedens etiam ab auctoribus oppositæ sententiæ admittitur & necessariò verum est, quæ enim alia vnitas esset, quæ constitueret vniuersale, nisi sufficeret vnitas præcisionis? solùm ergo superest explicanda consequentia. pro qua supponendum est, quòd vnitas, quam dicit natura in statu præcisionis, non est aliqua vnitas ficta per intellectum, & adfixa naturæ, sed est realis metaphysica, quam habet natura ex eo, quod separatur ab indiuiduatione; quod satis ex illo conuincitur, quia per huiusmodi separationem tollitur ab ipsa omnis diuisio, & consequenter hac ablata remanet tantùm id, quod est vnum. Deinde verè illa natura secundùm suum esse reale metaphysicum est in se indiuisa, & consequenter debet esse vna secundùm suum esse positiuum reale, & etiam quia ad instar aliorum entium debet habere suam propriam vnitatem, tanquã passionem. Hoc ergo stante Natura in inferioribus dicit illam vnitatem, quã dicit in statu præcisionis, ergo dicit vnitatem sufficientem ad constituendum vniuersale. consequentia ista est clara; hoc verò vltimum antecedens probatur, quia indiuiduationes, quæ concipiuntur aduenire naturę consideratę in statu pręcisionis, sunt posteriores natura posterioritate In quo, ergo non possunt tollere ab ipsa aliquid, quod illi secundùm se conueniat, quatenus est prior indiuiduationibus, posterius enim non destruit, quod est prius; sed illa vnitas, qua est vna in statu pręcisionis, illi conuenit secundùm se, & vt est prior indiuiduatione, ergo per indiuiduationem non tollitur. Deinde indiuiduatio non tollit esse naturæ intrinsecè sed illud relinquit immutatum intrinsecè, ergo non tollit illam vnitatem, quã in suo esse dicit in statu præcisionis, quia hæc est identificata cum tali esse, Hęc autem vnitas cum sit secundùm esse potens in multis existere, est vnitas constitutiua vniuersalis. Denique quod semel conuenit naturæ secundùm suum esse intrinsecum, semper retinet, in quocumque reperiatur; sed illa vnitas, quam dicit in statu præcisionis, illi conuenit vt imbibita in proprio esse, ergo semper, etiam dum est in pluribus indiuiduis illam retinebit. Vbi aduertendum est, quòd hęc vnitas secundùm, quòd est in vno indiuiduo tantùm non habet secum modum existendi proportionatum, sed solùm secundùm quod est in pluribus, vt supra disp. 17. sect. 4. num. 10 explicauimus. Quod autem illa vnitas, quam dicit in statu præcisionis, sit imbibita in esse intrinseco naturæ patet: nam dicit esse naturæ secundùm quod potest poni in pluribus.

Vnitas naturæ in statu præcisionis est realis.

Natura in inferioribus dicit eã dem vnitatem, quam dicit in statu præcisionis.

Confir. secundo. XVII. Secundò confirmatur. Si intellectus prescindat naturam ab vnico tantùm indiuiduo, natura illa, quæ ab ipso pręscinditur, ne dũ potest de ipso prędicari, sed etiam de cœteris, ergo vna, & eadem natura est in omnibus indiuiduis; consequentia ista facilis est, nam quod prædicatur de aliquo, debet esse in ipso. Si igitur natura, quæ abstrahitur ab vno indiuiduo, ita prædicatur de ipso, vt possit etiam prædicari de reliquis, debet natura, quæ ab ipso abstrahitur, & quæ consequenter est in ipso, esse eadem cum natura, quæ est in cœteris. antecedens verò, in quo consistit tota difficultas, probatur, nam natura illa, quæ abstrahitur ab vno indiuiduo secundum esse obiectiuum nihil minus dicit, quam dicat natura abstracta à pluribus simul, si quidem natura abstracta à plurib. diceret tantũ essentialia naturæ, & etiã natura abstracta ab vno dicit omnia essentialia naturæ, ergo si natura à plurib. abstracta potest prædicari, et poterit prædicari ab vno abstracta, quia quod prædicatur, dicit tantùm essentialia naturæ. Deinde si natura abstrahitur ab vno indiuiduo, & postea abstrahatur ab alio, tunc natura ab vtroque abstracta coalescit in vnum esse indiuisum in se, quia non adest, per quid ponatur distinctio, cum relinquatur in abstractione diuisiuum, nempe indiuiduatio, ergo si coalescit in vnum, & idem esse, natura, quæ est abstracta à pluribus potest prędicari, poterit etiam prædicari natura abstracta ab vno. Deinde si natura abstracta ab vno non posset de alio prædicari, non aliunde prouenire posset, nisi ex eo, quòd natura abstracta ab alio indiuiduo dice-

Natura abstracta ab vno indiuiduo potest etiam de reliquis prædicari.

ret

ret aliquid, quod non diceret natura abstracta à si enim non diceret, cur non posset abstracta ab vno prædicari de alio? At si dicit aliquid, quæro quidnam hoc sit, an aliquid spectans ad essentiam naturæ? an verò aliquid, quod sit extra illius essentiam? non potest esse aliquid, quod spectet ad essentiã, quia natura à quocumque indiuiduo abstracta dicit integram essentiã naturæ; non aliquid, quod sit extra essentiam, quia, quod est extra essentiam, non prædicatur quidditatiuè de inferioribus; poterit ergo natura abstracta ab vno indiuiduo prædicari de reliquis, quia idem esse naturæ est in vnoquoque. Quòd si idem esse naturæ est in pluribus à parte rei, iam habetur vnum in multis, & consequenter vniuersale.

Natura abstracta ab vno indiuiduo dicit idem esse, ac natura abstracta ab alio.

Sexta ratio.

XVIII. Denique probatur nostra conclusio. Naturã esse in pluribus indiuiduis secundùm esse physicum cum diuisione entitatiua, est actus secundus naturæ consideratæ secundùm esse præcisum ab indiuiduis, ita vt natura secundùm se considerata præcisa quacumque indiuiduatione ex eo, quòd ex intrinsecis suis habet, quòd possit esse in pluribus, sit veluti in actu primo respectu actus existendi in pluribus; cum verò in pluribus existit, habeat exercitium sui met actus, ergo ex eo, quòd natura ponitur in pluribus cum diuisione entitatiua, non amittit vniuersalitatem, sed acquirit exercitium vniuersalitatis. Antecedens huius probationis est certum, nam, vt etiam Auctores oppositæ sententiæ admittunt, natura præcisa ab indiuiduis est vniuersalis, & quamuis aliqui constituant vniuersalitatem in aliqua relatione rationis, tamen vniuersalitatem realem seu ipsum esse vniuersale, quod est pluribus communicabile, ponunt in natura sic præcisa. Et reuera cum natura sic præcisa habeat ab intrinsecis suis principijs, quòd possit esse in pluribus, hoc enim illi competit ex vi suæmet intrinsecæ possibilitatis, dicendum est, quòd totum esse reale vniuersalis intrinsecè in ipsa natura includatur. Quòd autem hoc sit vniuersale in actu primo, ostenditur, nam vniuersale in essendo in tantùm est vniuersale, in quantum potest esse in pluribus; posse autem esse in pluribus dicit aliquid potentiale, & consistit in aliqua potentia, seu aptitudine; omnis autem potentia, & aptitudo constituit aliquem actum primum; actus enim secundus non dicit præcisam aptitudinem, aut potentiam, sed exercitium illius. Consequẽtia etiam declaratur, actus secundus nõ destruit actum primum, sed potius perficit; modò quòd natura sit in pluribus indiuiduis cum diuisione entitatiua, est exercitium, & actus secundus illius aptitudinis, & potentiæ, quam dicit natura præcisa ab indiuiduis, ergo quòd natura sit in pluribus indiuiduis, constituit vniuersale, quod erat in actu primo, in exercitio, & facit esse in actu secundo; natura enim præcisa respicit ipsum esse in pluribus, tanquam actum suæmet aptitudinis, sicuti quòd forma sit in subiecto, est exercitium, & constituit actu effectum formalem, cum forma extra subiectum sic effectus formalis in actu primo: sit cum natura sit veluti forma inferiorum, dum est ab ipsis præcisa, erit vniuersale in actu primo, dum verò est immersa in ipsis, erit vniuersale in actu secundo.

Natura dum est in pluribus cum diuisione entitatiua, acquirit actum vniuersalitatis.

Responsio.

XIX. Occurrent tamen Auctores oppositæ sententiæ sua consueta respõsione, quòd natura, dum est in inferioribus, desinit esse vniuersalis, quia amittit vnitatem, quam habet in statu præcisionis, diuiditur enim in plura, vnde in statu præcisionis erit vniuersalis in actu secundo. Sed huiusmodi responsio, quantùm spectat ad illud caput de amissione vnitatis in inferioribus, satis impugnata est supra pluribus in locis, vnde non est necesse eadem repetere. Deinde hoc certum est, & vniuersaliter verum, quòd quotiescumque aliquid dicit aliquam potentiam, & ex vi illius potentiæ constituitur tale, actus illius potentiæ est in exercitio talis, & in actu secundo, qualis erat tantùm in actu primo ex vi potentiæ, sic oculus ex ui potentiæ visiuæ est tantùm potentialiter videns, cum verò habet visionem est videns in exercitio, & ratio reddi potest, quia potentia, quantùm est ex vi ordinis, ad actum, & exercitium constituit tale in ordine ad actum quia se habet in genere causæ formalis, & illud tantùm exhibet subiecto, quòd in se formaliter continet. Quod autem est tale per ordinem ad aliquem actum, & exercitium, est tantùm tale in actu,

Impugnatur.

Actus secundus dicit in exercitio quod dicit potentia in actu primo.

pri-

primo, non in actu secundo. Modò natura in statu præcisionis est vniuersalis per potentiam & aptitudinem, & per ordinem ad actum essendi in pluribus, ita vt in tantùm sit vniuersalis, in quantum est talis capacitatis, vt possit esse in pluribus, ergo est tantùm vniuersalis in actu primo. Quod potest etiam confirmari; natura in tantùm est vniuersalis, in quantùm potest esse in pluribus, vt constitutiuum ipsorum, constitutiuũ autem, quando est extra constitutum, se habet tantùm in actu primo, quando verò est in constituto, se habet in actu secundo, & in exercitio, igitur cum natura sit constitutiua indiuiduorum, quatenus participant talem essentiam, dum erit extra indiuidua, erit in actu primo, dum verò erit in indiuiduo, erit in exercitio. Atque hoc certum est, quòd semper, quando aliquid ad aliud ordinatur, vt cum illo coniungatur, quando non coniungitur, ex vi huius ordinis est in actu primo, quando verò est coniunctum, est in actu secundo. Et hoc potest patere inductione facta in singulis.

Quomodo natura præcisa sit iterum vniuersalis in actu primo.

XX. Et rursus vrgeri potest eadem responsio. Natura ex intrinsecis suis ordinatur, vt sit in pluribus cum diuisione entitatiua; vnde non solùm respicit plura, in quibus potest esse, sed etiam respicit modum, quo potest esse in illis, vnde esse in illis cum diuisione entitatiua est modus proportionatus naturæ, quo potest esse in pluribus, ergo quòd sit in pluribus cum diuisione entitatiua non potest tollere id, quòd naturæ ex vi sui esse conuenit, cum sit terminus, & actus proportionatus aptitudinis: aptitudo enim respicit etiam diuisionem entitatiuã, quæ necessaria est vt sit in pluribus. Quod autem tali pacto esse in pluribus non tollat, quæ conueniunt naturæ secundùm se, euidens est, quia actus proportionatus non destruit subiectum, nec quę ipsi secundùm se conueniunt, cum igitur naturę secundùm se, & ab intrinseco conueniat, posse esse in multis cum diuisione entitatiua, actus essendi in multis cum tali diuisione non tollit aptitudinem naturę, neque suam intrinsecam vnitatem, imo cum hæc aptitudo, qua respicit plura, sit etiam ratio formalis, per quam natura constituitur in pluribus, si tolleretur per diuisionẽ entitatiuam, non posset amplius esse in multis, quia deficeret ratio, per quam constitueretur in multis. Deinde hæc aptitudo est intrinseca, ita vt imbibatur in esse naturæ, & illi conuenit, quatenus est constitutiuum inferiorum, imo per illam habet, quòd sit cõstitutiuum illorum; in constituto autem debent remanere ea omnia, quæ pertinent ad intrinsecum esse constitutiui. Cum igitur hæc aptitudo naturę sit vna, & respiciat multa, & remaneat in indiuiduis, concludendum est, quòd remaneat sufficiens constitutiuum vniuersalis. Hoc tamen debet intelligi de actu proportionato naturæ, quo mediante, natura est in pluribus indiuiduis, nam secundum quod est in vno tantùm indiuiduo, habet tantùm actum inadæquatum correspondentem suæ potentię, vt fusè supra explicauimus.

Esse in pluribus cum diuisione entitatiua, est actus proportionatus aptitudinis Vniuersalis.

Vniuersale metaphysicum solùm per opus intellectus haberi.

SECTIO III.

1 Ponimus alteram cõclusionem pro explicatione nostræ sententię, & dicimus, quòd vniuersale metaphysicum non datur à parte rei formaliter, sed tantùm fundamentaliter. Formaliter verò habetur tantùm per opus intellectus pręscindentis naturam ab indiuiduatione. Hęc procul dubio est sententia Scot. cit. in 2. dist. 3. q. 1. §. *Ad quæstionem igitur.* & sequenti, nam cum dixisset de natura. Quòd in rerum natura secundùm illam entitatem habet verum esse extra animam realem, & secundùm illam entitatem habet vnitatem sibi proportionabilem, quæ est indifferens ad singularitatem, ita vt non repugnet illi vnitati de se, quòd cum quacumque vnitate singularitatis ponatur, indicans his verbis, vniuersalitatem physicam. & communicabilitatem naturę, qua est vna vnitate formali in omnibus, postea sequenti §. de vniuersali metaphysico loquens, vt solueret quandam obiectionem, inquit; *Nil enim secundùm quamlibet vnitatem in re est tale quod secundùm ipsam vnitatem præcisam sit in potentia proxima ad quodlibet suppositum, vt dicatur de quolibet supposito prædicatione dicente, hoc est hoc quia licet alicui in re non repugnet esse in alea singularitate ab illa, in qua est, non tamen*

Secunda conclus.

A parte rei non datur formaliter vniuersale metaphysicum, sed tantum fundamentaliter.

Scot.

illud

illud verò dici potest de quolibet inferiori, quod quodlibet est ipsum; hoc est enim solùm possibile de obiecto eodem indifferenti actu considerato ab intellectu, quod quidem vt intellectum habet vnitatem etiam naturalem obiecti, secundùm quam ipsum idem vt prædicabile de omni singulari. Et post pauca subdit. *Est ergo in re commune, quod non est de se hoc, & per consequens ei de se non repugnat esse non hoc; sed tale commune non est vniuersale in actu, quia deficit ei illa indifferentia, secundùm quam scilicet ipsum idem aliqua identitate est prædicabile de quolibet indiuiduo.* Vult ergo hic Auctor, vniuesale metaphysicum esse fundamentaliter in rebus, seu in potẽtia, fieri autem in actu per intellectum abstrahentem naturam ab indiuidua-tione; vnde iuxta ipsius sententiam ponendum est duplex vniuersale: alterũ physicum, & alterum metaphysicum.

II. Atque non dubito, quin hæc sẽtentia sit etiam Aristotelis. nam cum primo Post. tex. 25. & lib. 2. circa finem definit vniuersale per prædicabilitatẽ de multis, proculdubio debet intelligere de vniuersali metaphysico, quod est constitutum in potentia proxima, vt possit de pluribus prædicari. Et hoc videtur Arist. simpliciter intellexisse nõie vniuersalis Cum verò 7. Met. t. 4. dicit *Vniuersale est illud, quod natum est esse in pluribus*, intelligit de vniuersali Physico, si quidem hoc à parte rei, & secundùm esse physicum reperitur in plurib. indiuiduis. Sic etiam intelligi debet, cum 5. Metaph. docet, Alia esse vnum genere, alia verò vnum specie, per hãc enim vnitatem genericam, & specificã nil aliud intelligit, nisi indiuidua, quæ eandem naturam participant; Nec valet, si dicatur, esse vnitates fundamentales, quia reuera in ipsis indiuiduis est formaliter esse naturę formali modo in ipsis existens, & consequenter cum hoc esse sit quidam gradus entis, debet etiã vnitas ipsum consequens in indiuiduis formali modo existere.

Prima ratio.

III. Hæc conclusio posita facilis est & probatur eodem pacto, quo probatum fuit, aptitudinem metaphysicam non conuenire naturæ, nisi in statu præcisionis, vnde possumus arguere. Vniuersale metaphysicum non potest haberi sine aptitudine metaphysica, quia aptitudo est constitutiua vniuersalis; ergo cum non possit haberi aptitu-

Vniuersale metaphysicum requirit aptitudinem metaphysicam.

do methaphysica sine abstractione naturę ab indiuiduis, nec etiam poterit haberi vniuersale metaphysicum sine abstractione. Deinde omne metaphysicum debet esse intra abstractionem metaphysicam, atque adeo abstrahere à materia saltem signata, hoc est ab indiuiduatione, quæ licet non sit propriè abstractio metaphysica, dicitur tamen metaphysica, quatenus vocatur metaphysicum omne id quòd habet suũ modum existendi tantùm obiectiuè in intellectu; si autem vniuersale metaphysicum debet abstrahere saltem à materia signata non potest habere esse, nisi per intellectum abstrahentẽ naturam ab indiuiduatione.

Secunda ratio.

IV. Secundò. Vniuersale metaphysicum se habet vt pars constitutiua inferiorum, ergo non potest habere rationẽ completam vniuersalis, nisi per intellectum abstrahẽtem naturam ab inferioribus. Quòd se habeat vt pars constitutiua inferiorum euidens est, quia non dicit totũ esse inferiorum, cum inferiora præter naturam dicant etiam esse indiuiduale, vniuersale autem dicit tãtùm naturam; quòd verò sit etiam pars cõstitutiua euidens, est quia dicit aliqđ de esse intrinseco indiuidui. Consequentia igitur declaratur. Vt natura habeat rationem partis respectu indiuidui, debet distingui ab esse indiuiduali, de ratione enim partis est, quòd à comparte distinguatur, natura autem non distinguitur ab esse indiuiduali, nisi ab ipso per intellectum præscindatur. Rursus natura non debet esse quęcumque pars, sed talis, vt possit venire in compositionẽ cum indiuiduatione, & constituere vnũ per se, adhoc autem requiritur, quòd se habeat per modum potentiæ metaphysicæ, quia inter ea, quæ sunt diuersa solùm actus, & potentia constituunt vnum per se, natura verò non potest habere rationem potentiæ metaphysicæ, nisi abstrahatur ab indiuiduatione; tunc enim solùm se habet tanquam potentia metaphysica.

Vniuersale metaphysicũ est pars constitutiua inferiorum.

Tertia ratio.

VI. Tertiò declaratur conclusio. Vniuersale metaphysicum debet esse constitutum in potentia proxima, vt possit prædicari de pluribus, vt dicebat Scotus, ex Arist. loc. cit. Cuius rei ratio à priori reddi potest quia debet vniuersale habere aptitudinem ad essendũ in multis metaphysico modo, modus

Vniuersale metaphysicũ debet esse in potentia proxima vt possit prædicari de inferioribus

enim

enim eſſendi debet eſſe in eodem ordine,in quo eſt eſſe, & ſi eſſe eſt metaphyſicum,etiam modus debet eſſe metaphyſicus; poſſe autem eſſe in multis metaphyſico modo,dicit poſſe eſſe in multis tanquam ſuperius in inferiorib quia nō poteſt eſſe tanquā æquale,nam non adæquatur cū vnoquoq inferiorū ſeorſim ſumpto,alioquin poſſet eſſe in illo tantū, dū autem vniuerſale reſpicit multa,debet poſſe eſſe in ſingulis,& cōſequēter vnūquodq.excedere, huōi verò exceſſus conſtituit ſuperioritatē in natura. At ſi natura conſideretur,numquā reperietur cū hac ſuperioritate,niſi in ſtatu præciſionis; ſuperioritas enim dicit naturā ita ſe habentē, vt poſſit deſcendere ad inferiora,tanquam ratio ſuperior;hoc verò nequaquā cōuenit naturæ,niſi ſeparetur ab indiuiduis. Deinde quando aliquid de alio prædicatur, ſe habet vt quid diſtinctum à ſubiecto, & nunquā eſt in ſtatu proximo prędicabilitatis tanquā ſuperioris de inferiori, niſi ſe habeat vt ratio quædā reſpiciens inferiora tanquam terminos, & hic reſpectus non poteſt haberi,niſi interueniente diſtinctione rationis. Quod rurſus poteſt declarari ex indifferētia,quā requirit natura ad hoc, vt quid ſuperius ſit prædicabilis de pluribus, quoniā, ꝙ de pluribus prædicatur,ita tribuitur vni vt etiam ſecundùm idem tribuatur alteri, quod fieri non poſſet,niſi ſe haberet indifferenter ad omnia; ſi enim eſſet prædicatum determinatum ad ali quod ex inferioribus, non poſſet alijs tribui. Cœterum hanc indifferentiā non acquirit natura, niſi per intellectū denudetur à conditionibus indiuiduantibus, quia licet de ſe indifferens ſit, tamen prout eſt in indiuiduis eſt determinata per indiuiduationes adiūctas,cum autē eſt in potentia proxima prædicādi de pluribus,debet exiſtere vt indeterminata;ꝙ ſolū acquirit, quādo obiectiuè ſine indiuiduatione exiſtit in intellectu.

Quid requiratur vt ratio ſuperior ſit in ſtatu proximo prædicabilitatis.

Soluuntur rationes primæ ſententiæ.

SECTIO IV.

1 EX dictis facile erit rationes in oppoſitū ſoluere procedūt.n. ex eo, quòd Auctores illius opinionis confundunt vniuerſale Metaphyſicum, & Phyſicū, ſed adhibita hac diſtinctione corruit omnis difficultas ibi tacta, vt patebit per ſingulas diſcurrendo. Et ad primū quidē, quid dicendū ſit, patet ex dictis, falſū eſt enim, aliam eſſe vnitatē formalē naturæ vnius indiuidui,& aliam vnitatem formalē naturæ alterius indiuidui, nam cum, vt ipſi etiam Auctores fatentur, vna ſit tantùm eſſentia in omnibus indiuiduis, ita vt natura vnius nō diſtinguatur ab alio eſſentialiter, erit etiam vna vnitas eſſentialis in omnibus. Deinde cum in quolibet indiuiduo ſit tātū eſſe indiuiduale,& naturæ, cum eſſe indiuiduale ponat tantùm diuiſionē indiuidualem, quę eſt alterius generis, ac vnitas naturæ, quomodo diſtinguētur in natura? Conſtat ergo, illam naturam recipere tantùm diuiſionem indiuidualem, quę tamen poteſt ſtare cū vnitate formali eſſentiæ.

Ad primum oppoſitæ ſententiæ.

II. Hinc etiā dicimus ad Cōfirmationē, quòd natura exiſtens in indiuiduis non eſt ſimpliciter multiplex, ſed neque ſimpliciter vna,quia vnitas ſimpliciter tollit omnem diuiſionem, ſed eſt vna,& multiplex ſecundū quid, vna quidē ſecūdùm eſſe formale, & in eſſentia, multiplex verò indiuidualiter,& ſecūdū eſſe entitatiuū;vnde cum dicitur, Naturam Petri non eſſe naturam Pauli, vt vera ſit propoſitio, debet intelligi entitatiuè,& indiuidualiter, non autē ſecundùm eſſe formale,quia ſolū eſſe indiuiduale ponit multitudinē;ꝙ autē natura Petri non ſit natura Pauli, fundatur tantùm in multitudine indiuiduali;ſic etiam exiſtentia vnius non erit exiſtentia alterius,quia exiſtentia ſequitur eſſe entitatiuū. Cum autem dicitur,quod natura Petri eſt incōmunicabilis, falſum eſt ſimpliciter, quia ſpecificatiuè conſiderata cōmunicatur nō dū Petro, ſed etiā alijs indiuiduis,quia eſt vna,& eadē in omnib. ſolū eſt incōmunicabilis alteri,prout eſt in Petro,hoc tñ non obeſt vniuerſali,quia natura nō eſt vniuerſalis à parte rei, vt diximus,prout eſt in vno ſolo,ſed prout eſt in omnibus. Quare cū natura ſit tali pacto vna,ſufficit,vt cōſtituat vniuerſale,quia cū dicimus,vniuerſale debere eſſe ſimpliciter vnū,debet intelligi, ꝙ ſit vnū ſimpliciter ſm̄ illud eſſe,quo vniuerſale eſt quia omnis vnitas,quæ nō pertinet ad eſſe ipſius,impertinēs eſt;natura autē,ſi ſit vna ſecundū ſuū eſſe formale,eſt ſimpliciter vna in ſuo eſſe, & habet totam illam vnitatem, cuius eſt capax, vt diximus ſect. 2.

Ad conf.

Natura à parte rei eſt vna ſecundum quid & multiplex ſecundū quid.

Ad secundum.

III. Ex dictis quoque soluta manet secunda ratio, nam procedit ex falso suppositо, quòd vnitas formalis multiplicetur in indiuiduis, cuius opposi tum ostendimus: multiplicatur enim tantùm vnitas indiuidualis, & sicut naturæ nihil aliud superadditur, præter esse indiuiduale, ita etiam neque alia vnitas, aut diuisio superadditur præter indiuidualem; hæc autem diuisio indiuidualis stat cum vnitate formali naturæ, quæ sit eadem in omnibus indiuiduis, vnde non sequitur, quòd vnitas vniuersalis multiplicetur in quolibet indiuiduo. Hinc etiam patet ad confirmationem, vnitas enim formalis, quæ est etiam vnitas vniuersalis, ita est propria naturæ, in qua consistit vniuersale, vt nulli alteri conueniat, nisi rationi naturæ; non conuenit autem sub ratione communitatis,& vniuersalitatis cui cumque indiuiduo seorsim sumpto, quia cum natura ex se ordinetur ad plura, non habet in illo actum sibi proportionatum, & quia descendit ad illud, prout tantùm ad ipsum dicit aptitudinem, vt supra explicauimus. Hinc patet, vnitatem vniuersalem non conuenire indi uiduis, vt talia sunt, sed ratione naturæ, quæ est immersa in indiuiduis.

In indiuiduis multiplicatur solùm vnitas indiuidualis.

Ad tertium.

IV. Ad tertiam rationem concedimus, quòd vniuersale dicat aliquam rationem, in qua plura indiuisa sint, quæ sit vna vniuersaliter, negamus autem, quòd hoc non competat indiuiduis eiusdem naturę, nam reuera, vt ostendimus, nedum quodlibet est indiuiduum in se essentialiter, sed etiam omnia inter se comparata sunt indiuisa essentialiter, quia non differunt essentialiter, sed habent vnam, & eandem essentiam naturæ, quæ solùm indiuidualiter diuiditur. Et cum subditur, quòd vniuersale dicit vnitatem cum aptitudine ad diuidi; si intelligatur de diuisione secundum esse formale, falsum est, quia numquam vniuersale potest diuidi secundùm esse formale; si verò intelligatur de diuisione entitatiua, verum est tantùm de vniuersali Metaphysico, non de Physico, quia cum hoc habeat actum, habet etiam diuisionem entitatiuam? tanquam aliquid imbibitum in actu.

Omnia indiuidua eiusdem naturæ indiuisa essentialiter.

Ad quartum.

V. Ad quartam rationem dicimus, quòd vniuersale est in rebus ratione naturæ, quæ seipsa est vniuersalis. Ad instantiam autem, quòd si natura secun-dùm se esset vniuersalis, deberet reperiri vniuersale, vbicumque reperitur natura, nedum id negamus, sed omninò necessarium esse dicimus, solùmque consequentiam deductam non admittimus, quòd videlicet vniuersale debeat esse in vnoquoque indiuiduo, sed solùm sequitur, quòd debet esse in multis, quia natura habet vniuersalitatem solùm, prout est in multis, in vno verò tantùm non habet suum actum adæquatum, ad actualem autem vniuersalitatem requiritur actus proportionatus. Cuius rei ratio reddi potest, quia natura ex vi sui esse, & possibilitatis intrinsecæ habet, quòd ipsi conueniat ratio vniuersalis. Rursus ex vi suæ possibilitatis dicit, quòd sit possibilis in multis, non in vno tantùm, ità tamen, vt secundùm se totam sit in vnoquoque, quia ergo vniuersalitas conuenit naturæ, non quomodocumque consideratæ, sed prout habet, quòd sit possibilis in multis, ideò etiam solùm habet actũ proportionatum suæ vniuersalitatis, secundùm quod est in multis.

Vbi reperitur natura, repe itur, & vniuersale.

Ad quintum.

VI. Quinta quoque ratio ex dictis soluta manet, vniuersale enim, vt vnum, & idem debet esse constitutiuum suorum inferiorum, vt pars illorum, seù ipsis communicans esse naturæ, negamus autem, vt iam patet ex dictis, quòd natura non sit vna, & eadem in omnibus secundùm suum esse essentiale, quia diuisio entitatiua, vt toties dictum est, non tollit vnitatem formalem. Ad sextam etiam negatur, quòd non detur à parte rei aliqua natura quæ de pluribus prędicetur, nam cum sit vna, & eadem in omnibus suis inferioribus, quæ de vno prædicatur, dicitur etiã de alijs, ꝙ satis ex eo patet, quòd si ab vno idiuiduo tãtũ abstrahatur natura, ab illo abstracta posset de alijs prædicari, vt latè sect.2.n.17. prosequuti sumus, requiritur tamen abstractio, vt sit in statu proximo prædicabilitatis.

Ad sextum.

Ad septimum.

VII. Neq etiam septima ratio continet aliquam difficultatem in nostra sententia, quæ negat conceptum aliquem communem, & præcisum respectu Dei, & creaturæ; imò diximus, neque etiã dari conceptum commune analogum. Solùm habet efficaciã contra sententiã Scoti ad tollendã vniuocationẽ inter Deũ, & creaturã, qua nos quoq. vsi sumus. Verũ supposita vniuocatione nõ militat amplius cõtra vniuersale à parte rei.

Quo-

Quomodo per intellectũ consurgat Vniuersale Metaphysicum Disp. XIX.

Punctus difficultatis, & varia opiniones.

SECTIO I.

1 DIximus disputatione præcedenti, vniuersale metaphysicũ non habere esse in rebus, sed tantũ fieri per abstractionẽ naturę à singularibus, qua denudatur ab omni indiuiduatione, nũc autẽ difficultas insurgit, quomodo id contingat. Certum est autem, quòd quãdo dicitur, vniuersale fieri per præcisionem, seu abstractionem, non debet intelligi de aliqua præcisione reali præcisio enim, seù abstractio dicit quandam separationem, qua vnum ab alio separatur, si igitur esset separatio realis, quantũ ex parte obiecti incideremus in opinionem adscriptã Platoni, & supra impugnatã, quæ admitteret vniuersale reale extra singularia. Solũ ergo debet intelligi de præcisione sm̃ esse obiectiuũ in ordine ad cognitionẽ, in qua vnũ cognoscitur sine altero, siue aliquid percipitur non sm̃ totũ suũ esse ad quãtũ, sed sm̃ partẽ. Verũ adhuc duplici modo potest cõtingere huiõi abstractio, videlicet vel per primã operationẽ, quæ est sĩpliciter abstractio præcisiua, vel potest fieri per secundã operationẽ interueniente iudicio intellectus, quo res abstracta negatur esse coniũcta cum eo, à quo abstrahitur, & dicitur Abstractio negatiua. Quod igitur spectat ad hãc duplicem abstractionẽ certũ est nõ fieri vniuersale per negatiuã, quia non est necesse, ꝙ negetur natura esse coniũctã suæmet indiuiduationi. sed sufficit, quòd sine ipsa cõcipiatur, quia tunc natura se habet per modum superioris, & cõtrahibilis ab indiuiduationibus.

Qua abstractione fiat Vniuersale

Duplex abstractio præcisiua, & negatiua

II. Præterea distinguunt Philosphi duplicem intellectũ, quicquid sit, an re, vel ratione distinguatur, alterum vocãt Agentẽ, alterũ *Possibilẽ*. Intellectus agens est ille, qui versatur circa species sensibiles rerũ sensibiliũ, quæ deseruiũt phantasiæ, & ex ipsis, inquiunt ipsi, format species intelligibiles spirituales, quæ deseruiũt ad intellectionẽ. Intellectus verò possibilis est ille, qui vtẽdo his speciеb. intelligibilib. spiritualib. promit suas intellectiones, quib. percipit obiecta externa; hãc distinctionẽ intellectus agẽtis, & possibilis ideò retuli, vt possit diuersitas opinionũ percipi, quæ est inter Doctores, in assignando modũ, quo fit vniuersale, nõ verò ꝙ putẽ dari hunc duplicẽ intellectũ, hoc enim examinandũ relinquo in disputationib. de Anima.

Duplex intellectus.

III. In intellectu autem possibili, licet plures actus distingui possint, duplex tamen genus cognitionis est; quod facit ad nostrum propositum, nẽpè cognitio abstractiua, & cognitio cõparatiua. Abstractiua, est illa qua solũ intellectus cognoscit aliquid simpliciter abstrahendo ab alio, seù qua vnũ præcisè sine alio cognoscit, vt si cognoscat naturam humanam sine indiuiduatione. Comparatiua est illa, qua intellectus vnum comparat cum alio, & duplici modo, prout ad rem nostram facit, potest contingere; primò quidem, si intellectus cõparat inter se plura indiuidua, & cognoscat participare eandem naturam, & hac comparatione facta abstrahat ab ipsis naturam cõmunem; cũ autẽ hæc cõparatio nihil aliud dicat nisi cognitionem indiuiduorum ad inuicẽ collatorum, & præcedat abstractionẽ, certum est quòd spectat ad modum, quo fit vniuersale ab intellectu, dubium tamẽ est, an sit necessaria, quòd idem est ac quærere, an vniuersale possit abstra-

Cognitio abstractiua & comparatiua

Duplex cognitio comparatiua.

hi ab vno tantùm indiuiduo, an verò necesse sit, quòd abstrahatur à pluribus. Altera cognitio comparatiua, quæ sub sequitur abstractionem, consistit in eo, quòd intellectus comparet naturam abstractam adinferiora. Punctus ergo difficultatis in hoc situs est. An vniuersale fiat per intellectū possibilem & per quā cognitionē fiat, videlicet, an per abstractiuam, an verò per comparatiuam.

Prima opinio. IV. In qua difficultate varias opiniones reperio. Prima igitur sententia Vniuersale fieri per intellectum agentē. asserit, quòd vniuersale fit per intellectum agentem, quatenus ex phantasmatibus rerum singulariū format speciem repræsentatiuā naturæ vniuersalis tunc enim natura depuratur ab indiuiduatione, quia præscindit à speciebus particularibus id, quod solùm naturæ communis est repræsentatiuum. Desumitur hæc sententia ex Auerr. 5. de anima comm. 6. & eam tradit Soto in Logica q. 2. vniuersalium in responſ. ad arg. Scoti concl. 1. Flandria 3. Metap. q. 3 ar. 2. & lib. 7. q. 16. art. 1. Fonseca 5. Metaph. c. 28. q. 6. sect. 1. circa finem, qui distinguit duplicem abstractionem; aliam habitualem, quam, inquit, fieri per intellectum agentem, & hoc pacto vniuersale, factū per intellectum agētē, est vniuersale habituale; alteram verò actualem, quæ fit per actum cognitionis possibilis, & hoc pacto fit vniuersale actuale. Videtur etiā eiusdē sntiæ Caie. de ente, & essentia c. 4 q. 6. §. *Ad secundū dupliciter &c.* sed fortasse intelligit, quòd intellectus agens non quidem simpliciter faciat vniuersale, sed quòd formet speciem, qua mediante possibilis intelligens naturam sine indiuiduatione formet vniuersale, quia formare vniuersale, & abstrahere naturam ab indiuiduis, non est aliud, quàm cognoscere naturā sine indiuiduatione. Et hoc modo etiam intelligit D. Th. opusc. 55. qui pro hac sententia citatur. locus autem ille primæ partis q. 85. ar. 1. ad 1 qui pro hac opinione citari solet, habet tātū, q intellectus agens à speciebus sēsibilibus abstrahat species intelligibiles. Fundamentū huius sntiæ est, quia ab illa operatione debet fieri vniuersale, à qua primò attingit, sed primò attingitur ab operatione intellectus agentis, quia ab ipso producitur species repræsētatiua vniuersalis. Præterea intellectus possibilis tantùm intelligit, vnde pduceret vniuersale intelligēdo; quod nequit esse, quia intellectio vniuersalis supponit vniuersale.

(Margin: Auer. Soto Flandria Fonseca Caiet. D. Tho. Fundamentum huius sententiæ.)

Secunda opinio. Vniuersale fieri per cognitionē comparatiuam. V. Alij autem Doctores asserunt, fieri solùm p intellectū possibilem; differunt tamen inter se, vnde secunda sententia est asserentiū, vniuersale fieri quidem per intellectū possibilē, non tamē, psimplicē abstractionē, sed requiri cognitionē comparatiuam, qua natura ad sua inferiora comparetur. Ità Sonc. 5 Metaph. qu. 27. conclus. 2. Nyph. 7. Metaph. disp. 17. Hispal. in 1. dist 5. q. 9. art. 4. Torres de Trinitate q 28. art. 1. Meurisse 2. suæ Metaph. c. 3. q. 5. Suar. in Metaph. disp 6. sect. 6. n. 8, & seq. Verùm Suarez non absolutè asserit, vniuersale fieri per notitiam comparatiuam, sed solùm vniuersale secūdùm quod est relatiuum, si verò consideretur secundùm esse absolutum, fieri per primā abstractionem. Prçterea Ruu. in Log. q. 6. de vniuers. citari etiam solent pro hac sententia Scot. 7 Metaphys. q. 11. Ant. Andreas ibid. quæst. 16. Tromb q. 2. sed Scot. in 2. dist 3. q. 1. §. *Sed contra illud* videtur sentire, quòd vniuersale fiat per cognitionem purè abstractiuam. Quòd vniuersale fiat per intellectum possibilem desumitur ex D. T. 1. p. q. 81. art. 2 ad 2. et art. 3. ad 1. & 4. Opusc. autem 55. docet, fieri per notitiam comparatiuam, ait enim de natua vniuersali. *Ejus autem vniuersalitas non est ex hoc, quod est in anima, sed ex hoc, quòd comparetur ad multa singularia se habentia opinata.* Fundant autem hanc suam sententiam primò, quia cum vniuersale dicat ordinem ad inferiora, non potest cognosci; nisi ad ipsa comparetur, cum autem vniuersale sit tale per denominationem, quatenus cognoscitur vt tale, nō potest fieri, nisi cōparetur ad sua inferiora. Præterea vniuersalitas est quædā relatio ratio nis: relatio autem rationis, cum consistat in quadam cōparatione, non potest fieri, nisi per notitiam comparatiuam.

(Margin: Sonc. Nyph. Hispal. Torres Suarez Ruuius Scot. Anton. Andreas Tromb. D. Tho. Fundamentum.)

Tertia opinio. Vniuersale fieri per cognitionem abstractiuam. VI. Tertia tamen sententia docet. Vniuersale fieri quidem ab intellectu possibili, sed tamen non requiri cognitionem comparatiuam, sed sufficere simplicem abstractionem, qua natura ab indiuiduatione abstrahatur, statim autē, ac est abstracta ab indiuiduatione, esse vniuersalē, ità Durand. in 1. dist. 3. q. 5. in resp. ad 2. & in 2. dist. 3 q. 7. n. 12. Cumel. 1. p q. 53. ar. 7. Tolet. in Log. q. 2. de Notionib. vniuers. Conimb quæs. 4

(Margin: Durand. Cumel. Tolet. Conimbricenses.)

Auer. in Log q.8. sect.11. Serna in Log. disput.1 sect.4.q.7. ar.6.& cõplures alij Recentiores qui distinguunt, aliud esse vniuersale fieri ab intellectu, & aliud co gnosci vt vniuersale; fit .n. p simplicẽ ab stractionẽ absque aliqua comparatione; non potest tamen cognosci vt vniuersale, nisi per cognitionem comparatiuam, quia debet cognosci eum ordine ad inferiora. Quid autẽ nobis dicẽdũ videat, sequẽtib sectionib. explicabimus.

Vniuersale non fit ri ab aliqua alia potentia prater quam ab intellectu.

SECTIO II.

Potentiæ appetitiuæ nõ possunt efficere vniuersale.

1 CVm vniuersale metaphysicũ in eo consistat, quòd natura abstracta à singularibus denudetur omni indiuiduatione, manifestum fit, quòd debeat fieri ab aliqua facultate animæ; quia autem huiusmodi abstractio non est realis, sed tantũ in ordine ad cognitionem, excluduntur potentiæ appetitiuæ, quæ sicuti non habent cognitionem, ita neque possunt abstrahere naturam à singularitate. Licet enim voluntas possit ferri in bonum vt sic, de quo tamen potest esse difficultas, cum voluntas amet bonum tantùm in ordine ad assecutionem, atque adeo singulare, tamen non sequitur, quòd efficiat vniuersale, vt contendunt nonnulli Recentiores, sed solùm quòd feratur in vniuersale iam factum ab intellectu, & ipsi repræsentatũ. Vnde solũ remanent potentiæ cognoscitiuę, quæ sunt intellectiua, & sensitiuæ. Quamuis autem sensitiuæ, tam internæ, quàm externæ, ministrent intellectui, ita vt beneficio ipsarum percipiat obiecta, atque etiam ipsæ apprehendant obiectum; Dicendũ tamen est, vniuersale metaphysicum nõ posse fieri ab ipsis, & consequenter tãtùm à potentia intellectiua fieri posse. Hanc conclusionem posui, vt per exclusionem potentiarum, à quibus non potest fieri vniuersale, intelligamus facilius, vnde incipiat prima radix potẽs efficere vniuersale. Indiuidua ergo percipiuntur à sensibus externis, à quibus omnis nostra cognitio deriuat, & ab his percipiuntur vt singularia; deinde cognitio defertur ad sensus internos, à quibus etiam singularia adhuc sub singularitate percipiuntur; postea trãsit cognitio ad intellectum, qui vt nunc supponimus, percipit obiecta sensata singularia potest tñ ab ipsis abstrahere naturã vniuersalẽ, & sic in intellectu incipit facultas effectiua vniuersalis.

Conclusio.

Vniuersale fieri potest solum ab intellectu.

II. Hæc conclusio facilis est, & in ipsa omnes conueniunt, & ratio est, quia licet potentijs sensitiuis conueniat apprehendere obiecta sensibilia, non tamen conuenit abstrahere, & cognoscere vnam rationem obiecti non cognita alia. Ratio autem huius impotẽtiæ reddi potest à priori, cõsiderando vnde intellectus habeat, quòd possit abstrahere; hoc enim habet non ex ui primæ cognitionis, quæ correspondet cognitioni sensitiuę, quia ex vi illius cognoscit sensus, sed habet ex vi cuiusdam cognitionis reflexæ, quę reflectendo supra suam cognitionem, quid minus cognoscit, quàm per illã cognouerat, nempe cognoscit tantũ naturã nõ intellecta indiuiduatione; hoc autem excedit facultatẽ cuiuscũq. potẽtiæ sensitiuę, quę nõ potest reflectere supra suam cognitionẽ; atq. hæc est ratio à priori, cur non possit cõficere vniuersale, quia si intellectus potest efficere ex eo, quòd habet vim reflexiuam, sensus non potest efficere, quia caret virtute reflexiua.

Prima ratio.

Potẽtiæ sensitiuæ nequeũt abstrahere.

III. Præterea hoc rursus declarari potest ẽt à priori Vt intellectus efficiat vniuersale, debet vti virtute quadam separatiua, qua separet id, quod est propriũ indiuidui, & id, quod habet cõmune cũ reliquis, hæc auẽ separatio excedit facultates sẽsitiuas, nã nõ potest fieri, nisi vnũ indiuiduũ cõferatur cũ alio, vt enim intellectus cognoscat, quid sit id, ꝙ habet cõmune cum alio, & id, ꝙ non habet cõmune, debet vnũ cũ alio conferre, hæc autẽ cõparatio excedit facultatẽ potẽtiæ sensitiuæ, quæ nõ potest vnũ cũ alio cõferre. Rursus in hac separatione interuenit discursus, quia intellectus debet secũ discurrere: hoc indiuiduũ in tali ratione cõuenit cũ alio, in tali nõ cõuenit, ergo habet hãc rationẽ cõmunẽ cũ ipso, quo discursu facto potest abstrahere id, ꝙ est cõmune Quocirca cum discursus non cõueniat potẽtijs sensitiuis, nec ẽt possunt efficere vniuersale. Atque hic discursus adeò necessarius est, vt sine ipso nullo pacto possit fieri separatio, hęc enim separatio non est volũtaria, sed cũ fũdamẽto in re: vnde qñ intellectus separat naturã ab indiuiduatione, debet attẽdere ad fundamẽtũ huius distinctio-

Secunda ratio;

Vniuersalis abstractio supponit discursũ & cognitionem comparatiuam.

nis. nõ potest autẽ attendere sine discursu, quia inde sumit fundamẽtũ, & cognoscit, naturã nõ esse idẽ formaliter cũ indiuiduatione, quia vnũ indiuiduum conuenit cũ alio in esse naturæ, nõ verò in esse indiuiduali, ex quo infert, naturam secundùm proprium esse distingui ab indiuiduatione.

Tertia ratio. Sensus omnes apprehendunt solum res cum existentia.

IV. Tertiò probatur. Sensus externi versantur tantũ circa res existentes, ita vt nullo pacto præscindãt ab existentia, ergo non possunt conficere vniuersale. Antecedens notum est experientia; experimur enim, sensus semper circa res existentes versari, quia licet sensus interni ferantur circa ea, quæ non sunt præsentia, tamen non abstrahunt ab ipsorum existentia, sic cum imaginatiua imaginatur aliquid absens, ita illud imaginatur, vt semper attingat existentiam, & totum id percipiat quod habet secundùm quod existens esset; vnde percipit illud semper in loco, & tempore; & ratio est, quia sensus in tantum exeunt in actum, inquantum mouentur ab obiectis externis, cum enim non habeant discursum, quo mediante à cognitione vnius possint deuenire in cognitionem alterius, illam tantùm cognitionem habent, quæ immediatè causatur ab obiectis externis, & nullam aliam, hæc verò cognitio est tantùm singularium, quia existentia, & externa obiecta, quibus sensus mouentur, sunt tantùm singularia, quare cum sensus versentur tantùm circa singularia, non possunt efficere vniuersale, & ex his probata manet principalis consequentia.

Confir.

V. Et potest hinc elici valida confirmatio. Dum sensus versantur circa singularia, quia versantur tantùm circa existentia, habent consequenter tantùm species singularium, ergo non possunt efficere vniuersale. Hæc consequentia probatur, nam cum vniuersale non habeat propriam speciem, neque etiam in intellectu, quia omnes species sunt rerum singularium, debet, quando abstrahitur, per alienam speciem repræsentari, à quacumque potentia efficiatur; illa ergo potentia, quæ potest efficere vniuersale, debet quoque posse sibi repræsentare obiecta per alienas species, quod non competit potentijs sensitiuis; quicquid enim percipiunt, per proprias species percipiunt, vt experimur. & ratio est in promptu, quia cognoscere res per alienas species, dicit posse habere aliquàm maiorem cognitionem, quàm sit illa, quam acquirit potentia ex eo, quòd ab extrinsecis obiectis mouetur. Quæ enim habetur mouente extrinseco obiecto est tota per proprias species; verùm cum non possit haberi maior cognitio, quàm sit ea, quæ est ab extrinseco obiecto mouente, nisi per discursum, quatenus potentia ex cognitione, quam habet ab extrinseco obiecto, venit in cognitionem alterius, sequitur, quòd potentiæ sensitiuæ, cum non habeant discursum, neque etiam intelligant res per alienas species, aut conficiant vniuersale.

Sola potentia, quæ intelligit per alienas species potest efficere vniuersale.

4. ratio

VI. Denique possumus argumentari. Sensus habent pro obiecto adæquato res sensibiles, ergo non possunt efficere vniuersale. De antecedenti nulla est difficultas, & admittitur ab omnibus, & euidens est, si quidem id constituitur in ratione potentiæ sensitiuæ, quod versatur circa res sensibiles. Consequentia verò ostenditur, nam quando efficitur vniuersale, efficitur cognoscendo, quia in hoc consistit effectio vniuersalis, quòd præscindatur natura ab indiuiduatione, & precisio in hoc consistit, quòd cognoscatur natura sine indiuiduatione; vniuersale autem, cum non sit aliquod sensibile, non potest cognosci à sensibus.

Res sensibiles obiectum adæquatum sensus.

Nulla quidditas sensibilis est.

Nec valet, si dicatur, posse efficere tale vniuersale, nempè vniuersale sensibile, quia natura rerum sensibilium, si consideretur secundùm se, non est amplius sensibilis, nulla enim quidditas est per se sensibilis, licèt sit quidditas rerum sensibilium, quia sensibilitas nedum oritur ex tali quidditate, sed etiam ex eo, quòd sit immersa in materia signata cum sua met debita extensione. Hinc corpus Christi sub Eucharistia non est sensibile solùm, quia non habet extensionem; vnde quantùm est ex hoc capite, non potest vniuersale naturæ sensibilis fieri à sensu. Accedit etiam, quòd facultas illa, quæ non potest in aliquem effectum vt sic, neque etiam potest in talem, vel talem effectum, qui continetur sub effectu, vt sic, quia etiam talis effectus participat rationem effectus vt sic; quocirca potentia illa, quæ non potest efficere vniuersale vt sic, neque etiam poterit efficere tale vniuersale, cum hoc participet rationem vniuersalis vt sic; sensus verò non possunt attingere vniuersale vt sic & consequenter nec etiam poterunt

effi-

efficere tale vniuersale. Quod autem non possint in vniuersale vt sic, euidens est, quia posse efficere vniuersale, est posse illud præcisè habere pro obiecto; cum autem vniuersale, vt sic, neque sit materiale, neque sensibile, non potest esse obiectum sensus, & idcirco neque ab ipso attingi. Possent aliæ plures rationes pro hac conclusione excogitari, sed hæ sufficiunt.

Neque vniuersale metaphysicum fieri ab intellectu agente.

SECTIO III.

Conceptus Vniuersale non fit ab intellectu agente.

I. Quamuis non videatur admodum probabiliter admitti hic intellectus agens, supposito tamen pro nunc dari, adhuc dicendum est; Vniuersale metaphysicum non fieri ab ipso, & consequenter tantùm ab intellectu possibili. Hæc conclusio videtur efficaciter conuinci ex intelligentia solius muneris, & operationis intellectus agentis; non enim alia ratione admittitur, nisi vt formet ex Phantasmatibus species spirituales, quæ deseruiant intellectioni, & in hoc consistit tota operatio illius; sed per id, quòd intellectus agens format hanc speciem intelligibilem, non format vniuersale, quia tantùm facit medium, quo vniuersale obijciatur intellectui, ergo non est dicendum, quòd conficiat vniuersale. Quòd faciat tantùm medium, quo intelligatur vniuersale, probatur. Quia tota efficacia terminatur ad illam speciem, illa autem species est quid singulare, & solùm potest esse vniuersalis in repræsentando, quatenus est repræsentatiua vniuersalis. vniuersale autem metaphysicum est aliquid vniuersale in essendo; ex vi autem huius speciei nihil ex parte obiecti resultat, quod possit esse vniuersale. Quod potest vlterius confirmari, Intellectus agens format tantùm species intelligibiles proportionatas intellectui possibili, & illas format cum mensura ad Phantasmata, quia ab ipsis determinatur ad producendas has, vel illas species, & illas producit in ordine ad intellectionem illorum obiectorum, quorum Phantasmata illa repræsentatiua sunt, quare cum phantasmata sint obiectorum singularium, etiam species productæ ex illis phantasmatibus erunt singularium; quod nisi concederetur, deberet concedi hoc absurdum, quòd intellectus non intelligeret singularia, vt talia sunt, quod tamen est contra manifestam experientiam, & sequeretur aliud absurdum, quòd neque vniuersalia possent intelligi, quia vniuersalia tanquam à terminis dependent in sua cognitione à singularibus. Sed de hoc fusius suo loco. Supposito igitur, quòd si intellectus agens producit intelligibiles species, hæ species sint singularium, hinc clarum fit, quòd non possit concurrere ad efficiendum vniuersale, quia quando semel spiritualizauit aliquas species, non habet amplius aliquam actionem circa ipsas, quia tota eius operatio, & efficacia consistit in spiritualizatione harum specierum; verùm dum spiritualizat, non efficit vniuersale, quia adhuc ex vi illius spiritualizationis intellectus possibilis intelligit singularia, & adhuc requiritur alius actus cognitionis, quo feratur in naturam tantùm, & non in indiuiduationem; ad hunc autem actum non est amplius necessarius concursus intellectus agentis spiritualizantis species, quia non sunt amplius desumendæ ex phantasmatibus.

Efficere species intelligibiles nò est efficere vniuersale.

Quod potest etiam confirmari. Vniuersale non potest effici, nisi abstrahatur id, quod vnum indiuiduum habet commune cum alio, relicto quod habet de particulari, hoc autem vt sectione præcedenti dictum est, non potest fieri, nisi cognoscantur plura indiuidua inuicem collata, vnde supponitur cognitio indiuiduorum, & consequenter species ipsorum spiritualizatæ, ergo quando fit vniuersale, cum fiat quando abstrahitur natura, intellectus agens non amplius concurrit, quia species, quæ deseruiunt ad illud efficiendum, sunt iam spiritualizatæ.

Species intelligibiles proportionatæ phantasmatibus.

II. Rursus argumentor. Si intellectus agens ex eo conficeret vniuersale, quòd format species, quibus ab intellectu possibili cognoscatur, eodem pacto deberet dici, quòd efficeret singulare, nam format species, quibus intelligantur singularia, & eandem efficientiam habet circa cognitionem vniuersalium, ac singularium, supposito tamen, quòd efficiat species, quibus intelligatur vniuersale. Nullus autem diceret, quòd efficiat singularia. Imò addo. Si formatio vniuersalis in eo consiste- 2. ratio

uerſale non efficitur, niſi per cognitionem, nō verò per formationem ſpeciei.

ſtteret, quòd intellectus agens formaret has ſpecies, cùm ipſa obiecta producant ſpecies in potentijs ſenſitiuis externis, deberet dici, quòd efficerent ſingularia, quod quàm abſurdum ſit, nemo eſt, qui non intelligat. Sed quomodo quæſo efficit intellectus agens vniuerſale, quando format has ſpecies? Certè effectio vniuerſalis in eo conſiſtit; quòd natura præſcindatur ab indiuiduatione, atque hæc præciſio eſt tantùm in ordine ad cognitionem, quod idem eſt, ac in eſſe obiectiuo, ex eo autem, quòd formantur hę ſpecies ab intellectu agente, natura non præſcinditur ab eſſe indiuiduali, quia tunc tantùm præſcinditur, quando obijcitur intellectui, & ante nulla præciſio ex parte obiecti eſt cogitabilis; præſcindi enim eſt, naturam eſſe ſine indiuiduatione ſecundùm proprium eſſe; hoc autem à parte rei non contingit, ſed tantùm in intellectione, qua cognoſcitur eſſe naturæ ſine indiuiduatione, licèt autem ex vi ſpeciei formatæ ab intellectu agente natura poſſit repræſentari abſque indiuiduatione, non tamen abſque operatione intellectus poſſibilis repræſentatur, ſed neceſſaria eſt, vt obijciatur intellectui ſine indiuiduatione.

3. ratio

III. Tertiò probatur. Vt fiat vniuerſale, neceſſarius eſt diſcurſus, vt præcedenti ſectione dictum eſt, quo intellectus cognoſcens conuenientiam, qua vnum indiuiduum conuenit cum altero, poſſit inferre, habere aliquid commune, & aliquid particulare, & tunc præſcindat, quod habet commune, ergo per intellectum agentem non poteſt fieri. De antecedenti non poteſt eſſe dubium, quia quando natura præſcinditur ab inferioribus, debet præſcindi, vt aliquid commune; ita vt cognoſcatur ab intellectu, eſſe aliquid cōmune, alioquin intellectus neſciret, ſe præſcindere aliquid vniuerſale, hoc autem non poteſt intellectus cognoſcere, niſi medio diſcurſu, & conſequenter quoties præſcindit vniuerſale, debet interuenire diſcurſus hoc autem antecedente ſuppoſito facilis eſt conſequentia, nam in diſcurſu non interuenit operatio intellectus agentis, ſed tantùm poſſibilis, & operatio intellectus agentis præcedit omnem diſcurſum, qui fiat mediantibus illis ſpeciebus, quæ producuntur ab ipſo. Quod rurſus poteſt

Quomodo efficiatur vniuerſalis, ſequitur à diſcurſu

declarari ex ijs, quę ſupra diximus, nempe vniuerſale non intelligi per propriam ſpeciem, quia propriæ ſpecies ſunt tantùm eorum, quæ ſenſu percipiuntur, nec enim aliorum obiectorum habet intellectus proprias ſpecies præterquam ſenſatorum, ergo ad illam tantùm potentiam ſpectat efficere vniuerſale, quæ poteſt applicare ſpecies ad repræſentanda aliena obiecta, ſed hoc ſpectat tantùm ad intellectum poſſibilem, quia applicantur tantùm me dia intellectione, non verò ad intellectum agentem, quia intellectus agens ſpiritualizat tantùm ſpecies, non verò ordinat ad alia obiecta.

Vniuerſale non intelligitur per propriā ſpeciem.

IV. Quarta ratio principalis eſt. Si ad intellectum agentem ſpectaret efficere vniuerſale, deberet efficere quodcumque vniuerſale. Rurſus ſi intellectus poſſibilis poteſt efficere aliquod vniuerſale, efficiet etiam quodcumque aliud, cum eadem ſit ratio de omnibus; omne enim vniuerſale fit ex eo, quòd aliqua ratio communis intelligitur non intellecta particulari, aut minus communi, vnde ſemper in vnoquoque vniuerſali eſt idem modus procedendi, & potentia, quæ poteſt efficere tale vniuerſale, poteſt etiam efficere tale vniuerſale vt ſic, & quod poteſt efficere vniuerſale vt ſic, poteſt etiam efficere tale vniuerſale. Quòd autem aliqua vniuerſalia non poſſint effici ab intellectu agente, eſt valde euidens, ſiquidem facto vno aliquo vniuerſali, quod ab intellectu poſſibili percipitur, intellectus agens nihil amplius circa tale vniuerſale operatur, quia operatur tantùm proportionando ſpecies pro intellectu poſſibili; tunc autem intellectus poſſibilis habet ſpeciem proportionatam pro tali vniuerſali, & tamen rurſus poteſt ab ipſo præſcindere aliquam aliam rationem vniuerſaliorem, & conficere aliud vniuerſale, vnde de ſe habet efficaciam, vt faciat vniuerſale, intellectus verò agens non habet efficaciam ad hoc vniuerſale, & conſequenter ad nullum.

V. Neque fundamenta oppoſitæ ſententiæ aliquid conuincunt, nam cum dicitur ab illa potentia fieri vniuerſale, à qua primum attingitur, verum eſt, ſi intelligatur de illa attingentia, qua attingitur tanquam obiectum, quia vniuerſale metaphyſicum habet tantùm eſſe obiectiuè in intellectu, non autem

ve-

Aquam potentia primo efficiatur vniuersale.

verum est de alia attingentia, si daretur autem intellectus agens, qui produceret speciem repræsentatiuã vniuersalis, non per hoc diceretur attingere vniuersale, quia tota productio versaretur tantùm circa speciem, quæ non est vniuersale, sed tantùm repræsentatiua vniuersalis, vnde non est verùm, quòd primò attingeret vniuersale, quia vniuersale est solùm attingibile tanquam obiectum cognoscibile. Cum autem dicitur, quòd intellectus possibilis debet supponere vniuersale factum, qnando illud attingit, nõ est verum, quòd debeat supponere secundùm statum vniuersalis, neq; enim debet semper supponere obiectũ in eo statu, in quo ab ipso attingitur: cum enim habeat virtutem præcisiuam; potest diuidere obiecta, quæ cognoscit, & cognoscere denuò secundùm aliquam formalitatem, vt contingit in vniuersali: dum enim intellectus habet cognitionem indiuiduorum, potest cognoscere solam naturam communem, & hoc pacto efficere vniuersale, vnde supponet vniuersale cognitnm in indiuiduis, non autem præcisum, sed ipse præscindet.

Intellectus cognoscens vniuersale, quomodo illud supponat.

Omne ens reale secundùm se, vel vniuersale esse, vel singulare.

SECTIO IIII.

Concl. Omne ens vel vniuersale, vel singulare.

I. Antequam statuamns, per quã cognitionem fiat vniuersale, ponendum est velut fundamentum eorum, quæ dicturi sumus, omne ens vel vniuersale esse, vel singulare, si secundùm se consideretur. Nomine autem entis hic non intelligimus ens physicum, & existens, quia certnm est tali pacto esse singulare, sed ens hic sumitur etiam metaphysico modo, prout in se dicit aliquam rationem entis realis. Rursus nomine vniuersalis non intelligimus aliquid rationis, siuè relationem, siuè qnod cumque aliud, sed id, quòd dicit formale constitutiuum vniuersalis, nempè vnitatem positiuam, & aptitudinem, quæ potest esse in pluribus, ita vt quicquid est ens reale, vel singulare sit, vel aliquid vuum commune multis. Hæc conclusio videtur esse contra D. Th. opusc. 55. & de ente, & essentia cap. 4. Caiet. ibid. q. 6. & 7. & alios

D. Th. Cajet.

Thomistas, qui negant dari vniuersa ie à parte rei, qui etiam docent, quòd natura secundùm se considerata, nec est vniuersalis, nec particularis, non vniuersalis, quia non posset fieri particularis. non particularis, quia non posset fieri vniuersalis, sed ab vtroque abstrahit. Verùm si diligenter attendatur doctrina D. Th. & Caiet. citatis in locis, in alio sensu sumunt rationem vniuersalitatis: nam per esse vniuersale intelligunt naturam subiectam alicui respectui, qui per rationem in ipsa consurgit, dum ad inferiora comparatur. Quicquid tamen sit, dicimus nos, quòd natura secundùm se considerata est vniuersalis, & omne aliud, quod secundùm se non est singulare, & per formam huius vniuersalitatis intelligimus vnitatem, & aptitudinem ad essendum in multis.

II. Sic autem explicata conclusio probatur duplici supposito principio. Primum, quod satis ex supradictis notum est; omnem gradum entis habere vnitatem positiuam sibi proportionatam tanquam propriam passionem, quia si ens vt sic habet vnitatem transcendentalem, qua est vnum positiuè, tanqnam propriam passionem, quilibet gradus entis superadditus debet superaddere etiàm gradum vnitatis positiuæ proportione seruata; quando enim aliqua passio consequitur aliquod subiectum vt sic, eadem passio proportione seruata consequitur etiam quæcumque, quæ inferiora continentur sub illo subiecto; vnde cùm ens vt sic consequatur vnitas vt sic, qua est vnum vt sic positiuè, ita tale ens consequetur talis vnitas, qua erit vnum positiuè, quod magis notum est, ex eo, quòd vnitas identificatur cum ente, seù est ipsum ens, quatenus indiuisum in se. Alterum autem principium est, qnòd in cipiendo à prima ratione entis habetur semper descendendo ad reliquas rationes subiectum proportionatum, in quo possit fundari communicabilitas, qua reddatur pluribus communicabile. Ens enim ex vi suæ formalis rationis habet, quòd possit esse in pluribus, alioquin quomodo reperiretur, si ex intrinseco suo non posset esse in illis? igitur debet ipsi concedi communicabilitas, & idcirco etiam

1. ratio.

Omnis gradus entis habet vnitatẽ sibi proportionatã.

Communicabilitas ex quibus gradibus entis fundetur.

cuicumque alteri gradui entis seruata proportione quoadusque deueniatur ad aliquam rationem entis, quæ reddat formaliter incommunicabile.

III. His ergo duobus principijs suppositis conficitur nostra ratio. Omne ens vel est vnum, & communicabile, vel vnum, & non communicabile pluribus, ergo omne ens aut est vniuersale, aut singulare; antecedens est notum ex illis duobus principijs præsuppositis, & declaratis; consequentia etiam euidens est ex notione vniuersalis, & singularis; vniuersale enim constituitur per vnitatem, & aptitudinem ad essendum in pluribus, quæ nihil aliud est, nisi communicabilitas quędam, qua ratio illa vna redditur potens esse in multis; singularitas verò dicit rationem, qua aliquid redditur incommunicabile pluribus, ergo cum omne ens sit vnum, & vel communicabile pluribus, vel non communicabile, erit etiam vel singulare, vel vniuersale. Quod potest rursus declarari. Posse pluribus communicari, & non posse pluribus communicari, sunt contradictoria, sicut posse esse iu pluribus, & non posse esse in pluribus; atque ex contradictorijs necesse est, alterum inesse subiecto, quod secundùm suum esse alterum ex ipsis fundat, ita vt semper hoc verum sit, quacumque alia ratione superaddita, ex vi enim illius rationis superadditæ subiecto illi metaphysico debet habere annexum alterum ex contradictorijs, quia cum immediatè se tollant, alterum ipsorum debet semper verificari, ob veritatem illius vniuersalissimi principij, *Quodlibet est, vel non est*, & sicuti hoc principium incipit verificari in prima ratione entis, & se extendit ad omnes alias seruata proportione; non alia ratione, nisi quia fundatur in ipsomet ente; ità etiam alia contradictoria, quæ fundantur in ipsomet ente, debent habere eandem latitudinem, & se extendere ad omnes rationes entis proportione seruata; sed posse esse in pluribus, & non posse esse sunt contradictoria, quæ fundantur in ratione entis, & se extendunt vsque ad illam vniuersalitatem entis, si quidem enti vt sic conuenit posse esse in pluribus, ergo debet alterum ex his contradictorijs semper verificari in qualibet ratione entis, atque cum esse vnum, & posse esse in pluribus sit constitutiuum vniuersalis; & esse vnum, & non posse in pluribus sit constitutiuum singularis, iam omnis ratio entis erit vel vniuersalis, vel singularis.

Omne ens vel communicabile vel incommunicabile.

IV. Atque hæc ratio efficacissima est, nec video, quid possit responderi; nisi fortè dicatur, quòd hæc aptitudo non conuenit his gradibus entis formaliter, sed tantùm fundamentaliter. Formaliter verò illi conuenire tantùm per rationē. Sed hæc responsio inutilis est ex nostra suppositione, in qua diximus, quòd hic non quærimus vniuersalitatem, sed aptitudinem, prout dicit respectum rationis, sed vniuersalitatem realem metaphysicā, qua mediāte habet natura, vt possit esse in pluribus, vnde sic argumentor. Illa ratio entis, quæ potest esse in pluribus, considerata secūdùm suam intrinsecam quidditatem est talis naturæ, vt de se possit communicari pluribus, ergo habet formalem, & intrinsecam aptitudinem, qua potest esse in pluribus, cum illi conueniat ex vi intrinsecæ quidditatis, ita vt si tolleretur ab ipsa, statim destrueretur huiusmodi quidditas. Secundò insto contra eandem responsionem. Ratio illa entis secundùm suum esse intrinsecum de facto reperitur in pluribus, ergo secundùm suum esse intrinsecum positiuum debet esse apta nemine cogitante, quia secundùm illud debet esse apta, secūdùm quod in pluribus reperitur, non potest autem esse apta secundū suum esse, nisi in illo includat hāc aptitudinem formalem. Tertiò. Verè, & nemine cogitante vnumquodque indiuiduum participat in se rationem entis, & consequenter ratio entis est possibilis in vnoquoque indiuiduo possibilitate sibi intrinseca, ergo si ratio illa præscindatur ab omni esse indiuidnali, & secundùm se consideretur, habebit possibilitatem sibi intrinsecā in ordine ad plura indiuidua; esse autem possibile in ordine ad plura indiuidua nihil aliud dicit, nisi ab intrinseco suo habere, quòd possit esse in pluribus. Quartò. Quando aliqua ratio entis prædicatur de pluribus inferioribus, id, quod ponitur ex vi prædicationis in ipsis, est talis ratio entis considerata secundùm suum intrinsecū reale positiuū, ergo secundùm suum intrinsecum reale positiuū debet esse apta, vt sit in multis

Occurritur responsioni.

Quomodo aliqua ratio entis intrinsece parti cipet cōmunicabilitatē.

nam

nam si non haberet hanc intrinsecam aptitudinem, neque ex vi prædicationis posset poni in multis, prædicatio enim supponit aptitudinem, & si prædicatio fit secundùm aliquid reale, debet in ipso supponi aptitudo realis, hæc enim est ratio, cur possit talis ratio ad plura descendere.

Confir. V. Confirmatur eadem ratio. Omnis vnitas, vel est communis; vel incommunicabilis, ergo omne ens, vel vniuersale, vel singulare, circa consequentiam nulla est difficultas, nam omne ens in se est vnum, cum sit in seipso indiuisum, & consequenter debet habere aliquam vnitatem, quæ proportione seruata sit passio talis entis, vt dictum est; antecedens verò declaratur, quia concepta hac vnitate, vel potest poni, in pluribus, vel non potest poni? Si potest poni in pluribus, iam est vnitas communis, atque adeò vniuersalis; si autem nequit in pluribus poni, iam est singularis, quia est incommunicabilis, extra autem hæc duo genera vnitatũ nullum aliud potest excogitari, quia posse poni in pluribus, & non posse poni opponuntur immediatè, & contradictoriè, vnde omnis vnitas debet esse fundamentum alterius ex his contradictorijs, nec potest dari, imo nec cogitari aliqua vnitas, cui alterum ex his non conueniat.

Omnis vnitas vel communis, vel incommunicabilis.

2. ratio. VI. Secunda ratio principalis desumitur ex destructione fundamenti oppositæ sententiæ. Ideò enim dicitur dari aliquod ens, quod nec sit vniuersale, nec singulare, quia natura secundùm se considerata, neque est vniuersalis, nec singularis, verum hæc doctrina falsa est, quia si consideretur natura secundùm se, vniuersalis erit, quod potest primo ostendi ex modo dictis, nam ad omnem gradum entis consequitur aliqua vnitas, vt iam patet ex dictis, de hac ergo vnitate quæro, an possit esse in multis, vel non possit esse; si potest esse, ergo natura illa ex vi suæ vnitatis habet communitatem, & vniuersalitatem. Si verò non potest esse, ergo est vnitas incommunicabilis, quod non potest dici, alioquin natura redderetur incommunicabilis, & illi repugnaret esse in multis, & esset vna indiuidualiter. Deinde natura secundùm se considerata habet suam vnitatem formalem, quæ diuersa est ab indiuiduali, vt omnes concedunt, etiam qui negant, naturam secundùm se esse vniuersalem. Modò sicuti vnitas indiuidualis constituitur per incommunicabilitatem, ità in ratione incommunicabilitatis debet contradistingui vnitas formalis ab indiuiduali, & carere hac incommunicabilitate; Rursus cum dicat aliquod esse positiuum, debet ex vi huius vnitatis conuenire illi ratio aliqua positiua opposita esse indiuiduali; hæc autem vt discurrenti patet, nulla alia potest esse, præter communicabilitatem.

Natura secundũ se est vniuersalis communicabilis.

VII. Et hæc ratio potest rursus confirmari Natura secundùm se considerata est vna, & indiuisa, & habet ab intrinseco, quòd possit esse constitutiuum formale plurium indiuiduorum, ergo ab intrinseco habet formale constitutiuum vniuersalis; antecedens est certum, quia natura illa habet vnitatem formalem, qua vna est, & indiuisa. Rursus dum ista natura potest esse in pluribus, etiam est constitutiuum illorum, omne enim indiuiduum constituitur per naturam, & esse indiuiduale; dicit enim naturam contractam per differentiam indiuidualem, vnde omnia indiuidua participant rationem formalem naturæ, atque adeò vnitatem formalem illius. Consequentia verò declaratur, quia constitutiuum vniuersalis, est vnitas, & aptitudo, & nihil vltra requiritur. Natura verò secundùm se considerata habet vnitatem formalem, rursus ex se habet, quòd possit esse constitutiuum inferiorum, & cum sit constitutiuum intrinsecum, debet esse in ijs, cum igitur ex se habeat, quòd sit constitutiuum plurium, ex se habebit etiam, quòd possit esse in pluribus, & consequenter habebit vnitatem, & aptitudinem ad essendum in pluribus.

Confir.

Natura secun. se est vna, & constitutiua plurium.

3. ratio. VIII. Præterea Natura secundùm se considerata ita comparatur ad inferiora, vt ex se habeat rationem potentiæ metaphysicæ ad constituendum vnum per se compositione metaphysica, quæ fit per identificationem rationis superioris cum inferiori, ergo secundùm se habet rationẽ vniuersalis. De antecedẽti nulla põt esse difficultas prę sertim suppositis ijs, quæ supra diximus de aptitudine, vbi ostendimus, naturã secundùm se esse aptam, vt sit in pluribus; si

Natura secundũ se habet rationẽ potẽt. metaphysicæ respectu inferiorũ.

si enim secundùm se vnitur, & identificatur cum inferioribus, etiam debet secundùm se habere aptitudinem, vt possit identificari; cum autem sit in illis constituendo vnum per se, debet etiam habere rationem potentiæ metaphysicæ, quæ nihil aliud est, nisi ab intrinseco suo petere identificari cum tali, vel tali inferiori; atque hæc exigentia est respectu plurium, nam quantum est de se vnitur, & identificatur cum pluribus, siuè cum diuisione in seipsa, siue non, nam hoc parum refert in præsenti. Consequentia etiam manifestè sequitur. nam si illa natura est vna suamet vnitate formali, quæ positiua est, quippe non distinguatur ab ipsius esse, & habet aptitudinem cum indifferentia, vt sit in multis, habet etiam totum adæquatum constitutiuum vniuersalis.

4 ratio

Omnis ratio entis vel est indiuiduatio, vel aliqua ratio superior.

IX. Denique omnis ratio entis, vel est indiuiduatio formaliter loquendo, vel aliqua ratio superior, & prior indiuiduatione; loquor autē in creatis, neque enim aliqua alia ratio entis est excogitabilis, quia indiuiduatio est vltima quæ aduenit in linea prædicamentali. Si est indiuiduatio, certè est quid singulare, imò ipsa singularitas; si verò est aliqua ratio prior indiuiduatione, ità vt non includat in se formaliter aliquam in communicabilitatem, ergo illa ratio entis erit talis, vt possit esse in inferioribus, nam rationes superiores ex natura sua sunt ordinatæ, vt sint in inferioribus, vnde in quolibet ente præcisa ratione illa formali, qua aliquid redditur hoc, remanent, solùm rationes superiores. Quod autem est commune pluribus ex se per modum rationis superioris, est vniuersale, & consequenter quicquid est extra rationem, quæ reddit hoc, seù indiuiduum, erit vniuersale.

X. Neque in oppositum valet, quòd si natura esset ex se vniuersalis, numquam posset fieri particularis, quia si ex se non esset vniuersalis, non posset fieri particularis. Vniuersalitas enim metaphysica realis, de qua nunc agimus, ex natura sua substernitur singularitati, sicuti ratio potentiæ substernitur formæ, quare vniuersalitas facit, quòd natura subordinetur singularitati tanquam potentia metaphysica contrahibilis, & si non haberet hanc vniuersalitatem, non posset secundùm se esse in pluribus. Quare tantùm abest, quòd vniuersalitas tollat, quòd non possit natura particularizari, vt etiam illam reddat particularizabilem; solùm cum natura secundùm suum esse sit vniuersalis, sequitur, quòd non possit fieri particularis secundùm suum esse intrinsecum, quasi secundùm essentialia mutetur. hoc tamen non est necessarium, vt particularizetur; sed sufficit, quòd illi superueniat singularitas tanquam actus trahens illam ad esse indiuiduale. Atque ex dictis etiam patet, quomodo natura secundùm se considerata habeat totum id, quòd requiritur ex parte obiecti, vt sit in statu proximo, in quo possit prædicari de pluribus, quia est vna potens esse in pluribus, & vt prædicetur, sufficit, si ab intellectu concipiatur, vt sit obiectiuè in ipso, vnde ad hunc statum proximum prædicabilitatis requiritur tantùm conceptio intellectus, quæ est tantùm conditio quædam, non verò aliquid, quo natura, quantùm se tenet ex parte obiecti, constituatur in statu proximo prædicabilitatis.

Vniuersalitas facit, q natura subordinetur singularitati.

Vniuersale esse intrinsecè aliquid relatiuum.

SECTIO V.

I. Hanc etiam conclusionem ponimus tanquam fundamentū nostræ sententiæ, & dicimus; quòd si consideretur vniuersale secundùm suum esse formale, constituitur formaliter per aliquid relatiuum transcendentale, ita vt in suo esse includat hunc respectū. Ità censere debēt Auctores, quos pro secunda opinione sectione prima retulimus, quàuis etiam nonnulli tribuant vniuersali tanquam formale constitutiuum aliquam relationem prædicamentalem, quam, inquiunt, esse relationem rationis; in quod etiam inclinare videtur D. Th. opusc. 55. ibidem cit. sed intelligit de vniuersali non purè metaphysicè considerato, sed logicè sumpto, quod constat ex natura, & secunda intentione, quę est aliquid rationis; nos verò hic loquimur de vniuersali metaphysico, quod habet suum esse reale metaphysicum, & hoc, dicimus, constitui per respectū trāscendentalē ad inferiora, & non esse aliquid omninò absolutum, vt volebant com-

Concl. Vniuersale importat aliquid relatiuum transcendentale

D. Th.

complures ex Auctoribus tertiæ sententiæ; qui asserebant solùm ex nostro modo imperfecto intelligendi non posse intelligi sine relatione, in se verò non includere hanc relationem.

Prima ratio.

II. Probatur autem hæc conclusio. Vniuersale in suo esse formali constituitur per vnitatem, & aptitudinem, ita vt altera ipsarum deficiente deficiat etiam esse formale vniuersalis, vt patet ex ijs, quę diximus de essentia vniuersalis; vnde si esset vnum, & non haberet aptitudinem, non esset vniuersale, sed esset aliquid incommunicabile, atque adeò singulare; si verò haberet aptitudinem, & non esset, vnum non esset aliquid commune, sed mera pluralitas, quę non constituit vniuersalitatem, vnde in definitionibus allatis ab Aristotele, quas suo loco explicauimus, vtraque ratio ponitur nempè vnitas, & aptitudo, ergo si vniuersale in suo formali constitutiuo inuoluit aptitudinem, inuoluit etiam relationem transcendentalem. Consequentia ista deberet esse nota ex terminis ipsis; statim enim patet, quòd aptitudo non est aliquid omninò absolutum, sed essentialiter ordinatur ad actum correspondentem sibi, sicuti etiam quælibet alia potentia: aptitudo enim est quędam potentia vniuersalis, qua potest esse in multis. Quod amplius declaratur; aptitudo ista vniuersalis est ratio quædam, quæ ordinat vniuersale ad essendum in multis, quod esse non potest absque eo, quòd ordinetur ad plura; quod enim potest esse in alio, ad ipsum ordinatur, sic quia forma potest esse in materia, accidentia in subiecto, & forma ordinatur ad materiam, & accidentia ad subiectum.

Vniuersale ratione aptitudinis dicit relationem transcendentalem.

Confir.

II. Et potest hoc rursus declarari. Vniuersale ex vi huius aptitudinis, se habet vt quædam potentia metaphysica contrahibilis per varias indiuiduationes, ergo ex vi illius formaliter cõstituitur vt quid relatiuum transcendẽtale, omnis enim potentia constituitur per relationẽ transcendentalem ad suum actum; modo indiuiduatio se habet veluti actus respectu vniuersalis, vniuersale verò vt potentia contrahibilis, ergo ex vi huius contrahibilitatis dicit relationem transcendentalem ad inferiora. Rursus omne perfectibile dicit ordinem transcendentalem ad suũ perfectiuum, omne contrahibile ad suũ contractiuum, ergo cum vniuersale sit quid contrahibile, & perfectibile per esse indiuiduale, debet dicere ordinem transcendentalem ad illud.

Vniuersale velut potentia, indiuidua veluti actus.

Secunda ra io.

IV. Secundò probatur principaliter conclusio. Vniuersale habet annexam prædicabilitatem de pluribus, itá vt illi conueniat, vt diximus, tanquam propria passio, vel vt alii docent, tanquam formale constitutiuum; quocũque autem modo se habeat, dummodo vniuersali conueniat vt aliquid propriũ ipsius, sequitur, quòd debeat vniuersale esse essentialiter aliquid relatiuum. Hæc sequela ostenditur, quia prædicabilitas dicit ordinabilitatem prædicati ad subiectum, actualis enim prædicatio enunciat illum ordinem, quem habet prædicatum ad subiectum, vnde fit, quòd aliqua prædicatio sit essentialis, aliqua verò accidentalis, iuxta diuersum ordinem prædicati ad subiectum, ergo prædicabilitas supponit ordinem, & relationem in prædicato, ex vi cuius fit ordinabile per actualem prædicationem ad ipsum, quomodo enim ordinaretur, nisi ad ipsum diceret ordinem? Confirmatur. Prædicatum, vt est secunda intentio, essentialiter respicit subiectum, vt est secunda intentio, ergo etiam prædicatum, prout est prima intentio, & dicit rationem formalem metaphysicam, debet dicere essentialiter ordinem ad subiectum, vt est prima intentio, & aliquid reale metaphysicum nam ordo ille prædicati, & subiecti, vt sunt secundæ intentiones, fundatur in ordine prædicati, & subiecti, prout sunt primæ intentiones, quia ordo ille dicit, quòd prædicatum ordinetur ad subiectum, quod fieri non posset, nisi ex natura sua ordinaretur, quia prædicatio vera enunciat tandũ id, quod est in rebus, vel tollit id, quod non est. Confirmatur secundo. Prædicatum ex vi prædicationis vnitur cum subiecto, in hoc enim consistit attributio prædicationis affirmatiuæ, qua prædicatum tribuitur subiecto; ergo prædicatum debet esse vnibile ex natura sua cum subiecto, ꝙ autem ex natura est sua vnibile cum altero, dicit ordinem transcendentalem ad ipsum, vt patet ex materia, & forma, quæ sunt ex natura sua vnibiles vnione physica. Vniuersale autem est vnibile cum inferioribus vnione metaphysica ad constituendam

Vniuersale est ordinabile ad inferiora

Prædicatio ordinat prædicatum ad subiectum, & cum illo vnit.

iam vnam naturam metaphysicam, ergo debet dicere, prout metaphysico modo se habet, relationem transcendentalem ad inferiora, & idcirco hinc fit, quod ab ipso consequatur tanquam propria pa^ro prædicabilitas de pluribus tanquam superioris de inferioribus.

Tertia ratio.

V. Tertia quoque ratio reddi potest desumpta ex mensura vniuscuiusque essentiæ: intellectus enim noster mensurat essentiam rerum, ita vt illud sit de vniuscuisque essentia, sine quo intellectus non potest habere cóceptum quidditatis illius, & statim ac haber, nihil vltra requiritur ad eius essentiale constitutiuum. Cuius rei ratio reddi potest, quia intellectus noster percipit essentias rerum, vnde habet in se quandam repræsentationem ipsarum, & ipsę sunt obiectum secundum proprium esse talis cognitionis, & existunt obiectiuo modo in intellectu, atque proportione seruata se habent eodem modo in suo proprio esse reali, ac in esse intentionali, seù repræsentato; hinc fit quòd totum illud requiritur ad constituendam essentiam rei, quòd necessariò debet intellectui repræsentari, vt illam intelligat, & quando non est necesse, quòd aliquid repræsentetur, neque est necessarium ad constituendam essentiā rei, quia eadā res est in esse, ac in repræsentari, & repræsentatio est quædam imago rei repræsentatæ, & hoc pacto dicitur intellectus mensurare essentias rerum, hoc est manifestando, & ostendendo, quid vnicuique sit essentiale. Verùm quia aliquando obiectum non est proportionatum ratione suæ perfectionis intelligit obiectum aliter ac est formando ens rationis, vt cum intelligit Angelos ad modum creaturæ corporeæ, non ideo tamen cessat esse mensura essentiæ horū obiectorum, sed corrigit suam conceptionem separando id, quod est de essentia, & id, quod non est de essentia, & facta hac separatione manifestat quid sit de essentia, & quid non. sic mensurat essentiā Angeli manifestando corporeitatem illam non esse de illius essentia, sed illi tribui ratione nostri intellectus, qui habet pro obiecto proportionato solùm corporea. Ex hoc autem discursu sic argumentor. Non potest intellectus cognoscere vniuersale, nisi in ipso attingat ordinem transcendentalem ad plura inferiora, ergo ordo transcendētales est essentialis vniuersali; antecedens est certum, quia vniuersale est vnū in se potens esse in pluribus, nec potest aliquo pacto explicari vniuersale, nisi explicetur per ordinē ad plura, vt patet ex ipsius definitione; definitur enim, quod potest multis inesse, & ratio manifesta est, quia vniuersale importat quandam pluralitatem, in quibus reperiatur, sic Deus non alia ratione dicitur causa vniuersalis, nisi quia potest producere plures effectus & facta inductione in omnibus, quæ dicuntur vniuersalia, semper erunt talia cum ordine ad plura, & hoc etiam patet ex nostro modo concipiendi, quia nisi in vniuersali concipiatur ordo ad plura, nunquam habetur conceptus proprius vniuersalis; consequentia verò patet ex discursu facto. Nec potest dici, quòd concipiatur vt quid relatiuum, ex nostro imperfecto modo concipiendi; tum quia si hoc esset verum, non deberet hic ordo exprimi in definitione vniuersalis, sicuti corporeitas non exprimitur in definitione Angeli, tum quia si negetur de obiecto id, quod ipsi tribuitur ex nostro imperfecto modo concipiendi, non destruitur eius essentia, si verò ordo ad plura negetur de vniuersali, destruitur eius essentia.

Intellectus mensura essentiarum.

Vniuersale nequit intelligi si-

Ne ordine transcendentali.

Confir.

VI. Et potest hoc amplius confirmari, quia vniuersale, vt tale est, se habet vt quid superius ad inferiora, se habet enim vt quid commune respectu illorum, atque hæc superioritas imbibitur ratione formali vniuersalis, sicuti imbibitur communitas; de ratione autem superioris est, quod sit quid relatiuum transcendentale respectu inferiorum; nam dependet ab ipsis in esse; si enim inferiora non essent possibilia, neque esset possibile superius; si ergo vniuersale essentialiter requirit terminum, nempe inferiora, debet esse quid relatiuum ad ipsa. Ex quibus patet, quàm improbabiliter dicatur, quòd solum ob nostri intellectus imperfectionem vniuersale concipiatur vt quid relatiuum, non verò quod in se tale sit; & quòd superius, vt superius est, non dicat relationem ad inferiora, sed solum conceptum, vt superius, vt recentior quidam respondet, in qua responsione improbanda, non amplius

Vniuersale est quid superius

immorari, quia ex dictis patet ipsius absurditas.

Naturam in prima abstractione habere unitatem sufficientem ad Vniuersale.

SECTIO VI.

Conclus.

Natura in prima abstractione habet unitatem sufficientem pro vniuersali.

I PRæmissis ijs, quæ hucusque diximus, tanquam fundamentis veræ sententiæ, nunc ponimus alteram Conclusionem, in qua dicimus, quòd natura in prima abstractione, qua abstrahitur ab indiuiduis, est vna vnitate sufficiente ad vniuersale metaphysicum. Duo autem ponit hęc conclusio: primum, quòd natura in prima abstractione habeat vnitatem; alterum, quòd hæc vnitas sufficiens sit ad constituendum vniuersale metaphysicum. Quæ quidem sunt inter se connexa, & vnum sequitur ex altero. Quod ergo spectat ad vnitatem, probatur, naturam esse vnam. In prima abstractione habetur tantùm esse essentiale naturæ distinctum secundùm rationem ab esse indiuiduali, in hoc enim consistit abstractio, quòd intellectus concipiat tantùm naturam secundùm sua essentialia, non concepta indiuiduatione, in quo inter uenit distinctio secundùm rationem, qua inuicem separantur natura, & indiuiduatio, ergo natura in prima abstractione est vna vnitate positiua, consequentia hęc ostenditur, quia natura habet suum esse, & consequenter suam vnitatem, quæ tanquam propria passio consequatur tale ens, passiones enim vnitatis, bonitatis, & veritatis, sunt inseparabiles à quocumque ente, quia cum ipso identificantur, cum igitur à natura separetur tantùm indiuiduatio, & nihil aliud, iam debet remanere in esse obiectiuo cum sua propria vnitate, quia vnitas propria consistit in esse proprio ipsius.

Natura separata ab indiuiduatione habet suã vnitatem.

Confir.

II Et potest hæc ratio magis confirmari. Natura in prima abstractione concipitur diuisa ab indiuiduatione, per quam à parte rei contrahitur, ergo debet habere in illa abstractione aliquã vnitatẽ sibi propriam. Antecedens est euidens, quia vt dictum est, in hoc cõsistit abstractio naturæ, quòd natura separetur ab indiuiduatione, & consequenter debet in esse obiectiuo remanere diuisa, consequentia verò probatur, quia vnumquodque ex eo, quòd distinguitur ab alio, constituitur vnum; vnitas enim est ratio, per quam formaliter vnũquodque ab alio distinguitur, ergo si natura in prima abstractione distinguitur ab esse indiuiduali, debet habere suam vnitatem, per quam distinguatur. Addo etiam, naturam sic obiectiuè conceptam in prima abstractione ne dum distingui ab esse indiuiduali, sed etiam à quocumque alio, quod non sit ipsa, atque sic distincta obiicitur, ergo habet vnitatem sibi propriam, secundùm quam obijciatur intellectui; nam, vt diximus modò, per suammet vnitatem vnumquodque ab alio distinguitur. Præterea si concipiatur esse indiuiduale, se solo habebit simul in illa conceptione suam vnitatem indiuiduationem, quam trahit secum vt propriã passionem: nec erit maior ratio de vno, quàm de alio.

Quod ... distinguitur, habet suã vnitatem.

III. Solùm posset responderi, quòd natura in prima abstractione non habet vnitatem formaliter, sed tantùm fundamentaliter, & solùm per cognitionem reflexam comparatiuam acquiret vnitatem formalem, sed non video, qua probabilitate id dicatur. Nam esse naturæ, quòd in prima abstractione obijcitur, se habet formali modo, & est esse formale naturæ, ergo etiam debet formali modo, & non tantùm fundamentaliter habere vnitatem, quæ est propria ipsius passio. Rursus formaliter natura illa est diuisa à quocunque alio, quod non est ipsa, diuisione formali, & non tantùm fundamentali; ergo etiam habet formalem vnitatem, quia sine formali distinctiuo non potest esse distinctio; formale autem distinctiuum, quo vnumquodque ab alio distinguitur, est propria vnitas vniuscuiusque. Denique per actum reflexum natura, prout est obiectum, nihil acquirit, præter quasdam rationes fictas per intellectum, quæ consequuntur actum reflexum; ad actum autem reflexum nõ consequitur aliqua ratio formalis vnitatis, alioquin, quicquid intelligeretur actu reflexo, haberet hanc vnitatem. Neque potest dici, quòd in hac reflexione intellectus illi adfigit vnitatem, quia non potest alicui adfigi vnitas, nisi adfigatur aliquod esse, cum vnitas dicat necessariò aliquid, quod sit vnum; natura autem per actum reflexum non

Excluditur responsio.

Natura in prima abstractione formaliter est vna.

acquirit

acquirit aliquod esse de nouo. Neque potest dici, quod adfigat vnitatem, qua natura sit vna secundùm proprium esse, quia vnitas, qua vnumquodque est vnum secundùm proprium esse, consequitur ab intrinseco talis esse, vt propria passio, non verò ab extrinseco adfigente prouenit.

2. ratio

Natura in prima abstractione est indiuisa formaliter.

IV Secundò principaliter probatur hæc pars conclusionis. Natura in prima abstractione est indiuisa formaliter, & non tantùm fundamentaliter in seipsa, ergo in prima abstractione habet vnitatem, antecedens declaratur, quia natura est in prima abstractione tantùm secundùm sua essentialia, cum autem non possit esse diuisio, nisi sint rationes diuidentes, & natura illa non habeat diuersitatem rationum, non potest habere aliquam diuisionem, alioquin idem diuideretur à seipso, vbi enim est diuisio, ibi debet esse etiam multiplex esse, quod constituat extrema diuidentia. Confirmatur. Quando interuenit diuisio, valet etiam propositio negatiua, qua vnū negetur de altero, quod est enim ab alio diuisum, non est ipsum, si autem natura in prima abstractione non haberet indiuisionē, deberet etiā tribuere fundamentū propositionis negatiuæ, qua aliquid de alio negaretur, ꝙ tamen fieri nō potest, cum interueniat tantùm ipsa natura præcisè considerata, quæ non potest negari de seipsa. Confirmatur secundò. Quando natura est in indiuiduis habet diuisionem solùm ratione indiuiduationis, à qua prouenit formaliter omnis diuisio, quā habet natura in statu realis existentiæ, ergo quando est præcisa ab indiuiduatione, nullam habet diuisionem, quoniā tollitur ab ea omne diuisiuum, per primam autem abstractionem sufficiēter separatur omnis indiuiduatio. Ex quibus sufficienter ostenditur, naturam in prima abstractione nullam habere diuisionem. Superest ergo probanda consequentia principalis argumenti. Indiuisio constituit vnum, illud enim est vnum, quod est in seipso indiuisum, cū ergo natura in prima abstractione sit in seipsa indiuisa, erit etiam vna. Rursus diuisio, & multitudo non tollitur, nisi per suum oppositum, & oppositum multitudinis, & diuisionis est tantùm vnitas, ergo si in prima abstractione natura non habet aliquam diuisionem, aut multitudinem, habebit vnitatem.

Confir.

Diuisio impossibilis est in natura prout est in prima abstractione.

V. Confirmatur principaliter ratio facta. Natura in prima abstractione secundùm suum esse essentiale terminat cognitionem abstractiuam, ergo habet in prima abstractione vnitatem positiuam formalem, quæ sit tota illa vnitas, quam potest habere; antecedens non indiget aliqua probatione, nam hoc supponitur tanquam certum, vnde sola consequentia est probanda. Omnes essentiæ rerum, se solis consideratæ, consistunt in indiuisibili, & impossibilis est quælibet diuisio in ipsis, quia per quamlibet diuisionem, aut additionem variantur, aut destruuntur, si igitur consistunt in indiuisibili, etiam sunt aliquid simplex, simplicitas autem, & vnitas perfecta idem sunt. Verùm hæc indiuisibilitas, & simplicitas non quomodocumque conuenit essentijs, sed formaliter ex vi proprij constitutiui, vnde est illis intrinseca, ergo cum natura in statu præcisionis in prima abstractione dicat suum esse proprium, dicit etiam vnitatem simplicitatis, quæ est intrinseca naturæ.

3. ratio.

Vnitas formalis naturę in indiuiduis.

VI. Tertia ratio est. Natura in statu realis existentiæ in quolibet indiuiduo habet suam vnitatem formalem, qua est vna essentialiter in seipsa, ergo etiam in statu præcisionis, & in prima abstractione habet vnitatem. Quòd natura dicat vnitatem in statu realis existentiæ, probatum est supra, vbi ostēdimus, naturam esse vnam vnitate formali, atque qui negant, habere eandem vnitatem in omnibus indiuiduis, adhuc tamen concedunt vnitatem formalem in quolibet indiuiduo multiplicatam; vnde quia hæc multiplicatio prouenit à sola indiuiduatione, separata hac indiuiduatione remanebit vnitas formalis. Ex quo probari potest consequentia. Quando præscinditur natura per primam abstractionem ab indiuiduis, relinquitur sola indiuiduatio: & abstrahitur totum illud, quod dicit natura in indiuiduis, ergo etiam abstrahitur vnitas formalis, quam dicit in indiuiduis. Et potest adhuc confirmari hæc ratio. Natura in prima abstractione est in tali statu, vt possit de inferioribus prædicari, ergo in prima abstractione est vna. Quòd in prima abstractione sit in statu prædicabilitatis, patet, quia, quando se habet, vt prædicatum prædicans de

Natura in prima abstractione est in statu proximo prædicabilitatis.

pluribus, est obiectum primę apprehensionis, prædicatum enim, & subiectum apprehendũtur p simplicẽ apprehensionẽ directã, nec est necessaria aliqua reflexio; sufficit enim, q̃ prædicatũ sit obiectiuè in intellectu; modò natura per primã abstractionem ab indiuiduis præcisa est in intellectu obiectiuè secũdũ suũ esse, q habet in indiuiduis, & quod per prædicationem tribuitur inferioribus; cum igitur sufficiat, q̃ prædicatũ sit obiectiuè in intellectu, vt sit in statu proximo prædicabilitatis, iã natura in prima abstractione erit in statu proximo prædicabilitatis. Consequentia autẽ declaratur, quia quando natura est in statu proximo prædicabilitatis de suis inferioribus, dicit vnũ, & idẽ prædicatum respectu omniũ; quod enim de vno inferiorum effertur, de alio quoque prædicatur, ergo natura, dũ est in statu proximo prędicabilitatis, est vna, atque adeo in prima abstractione.

Altera pars cõclusionis. VII. Altera autẽ pars nostræ cõclusionis, quòd videlicet hæc vnitas sit sufficiens ad vniuersale, declaratur. Certũ est enim, quòd vnitas, quã habet natura in prima abstractione, non est vnitas indiuidualis, quia hæc est semper annexa cum esse indiuiduali, in illa autẽ prima abstractione natura habet tantùm suum esse essentiale. Rursus omnis vnitas, vel est vniuersalis, vel indiuidualis; nã, vel est ordinabilis ad plura, vel non. illa vnitas, quam habet natura in prima abstractione non est singularis, ergo est vniuersalis. Deinde hæc vnitas est cõnexa cum esse quodã cõmuni pluribus, nã est vnitas naturæ, quæ ex vi sui esse est quid commune, ergo est vnitas sufficiens ad vniuersale, si quidẽ ex eo, quòd est vnitas naturæ communis, potest habere annexam aptitudinem ad essendum in multis.

Quomodo vnitas naturæ in prima abstractione sufficiat ad vniuersale.

Quæ vnitas sufficiat. VIII. Denique illa vnitas est sufficiens ad vniuersale, cuius tantùm est capax natura, sed tantũ illius vnitatis est capax, quã habet in esse obiectiuo, prout subest primæ abstractioni, ergo vnitas, quã habet natura in prima abstractione, est sufficiens ad vniuersale. Vtraque propositio declaratur, & quod spectat ad maiorem certum est, quòd natura secundùm suum esse essentiale fundat vniuersale, quatenus est participabilis à multis, cum igitur ad cõstituendu vniuersale formale requiratur vnitas, illa tantũ potest esse necessaria, cuius potest esse capax talis natura; imò hæc erit sufficientissima, & impossibile erit, quòd vniuersale requirat aliam vnitatem, quia si nõ requirit aliud esse, quàm naturæ, in quo fundatur, nec etiam requiret aliam vnitatem præter illam, cuius est capax natura. Quòd autem, vt asserebamus in minori, natura sit tantùm capax illius vnitatis, quam habet in esse obiectiuo in prima abstractione, probatur, quoniam natura existit sub tali abstractione cum illa vnitate, quæ consequitur ad eius esse, tanquam passio: vnumquodque autẽ ens est tantùm capax illius vnitatis, quę consequitur ad esse ipsius; vnitas enim ex genere suo consequitur ad rationem entis, vt passio illius, atque cõsequenter vnumquodque ens potest habere illam tantùm vnitatem, quæ vt passio potest ab ipso consequi, vnum enim subiectum non potest participare de passione alterius, & neque vnum ens de vnitate alterius; sed hæc magis clara fient sectione sequenti, in qua ostendemus, naturam in prima abstractione habere etiam aptitudinem ad essendum in multis, quam si habet, manifestum fit, quod sufficit ad vniuersale.

Naturam in prima abstractione habere aptitudinem ad essendum in multis.

SECTIO VII.

Conclusio. 1 RVrsus concludimus, quòd natura, prout existit obiectiuè in prima abstractione, nedum habet vnitatem sufficientem ad vniuersale, sed hæc vnitas est etiam coniuncta cum aptitudine ad essendum in multis, per quam constituitur vniuersale in suo esse. Hæc conclusio conformis est ad ea, quæ diximus de aptitudine, vbi ostendimus, quòd aptitudo sit aliquid reale conueniens ab intrinseco ipsi naturæ. Et potest probari cum proportione ad præcedentem ex eo, quòd natura est in prima abstractione secundùm proprium suum esse. Vnde sic argumentor. Natura in prima abstractione habet totum id, quod inuoluit in sua essentia, ergo etiam habet aptitudinem sufficientem ad constituendum vniuersale. Consequentia hæc declaratur, nam natura ab intrinseco suo habet aptitudinem, vt sit

Natura in prima abstractione habet aptitudinem sufficientem ad vniuersale.

Quando natura præscindit, non inuoluit aptitudinem sibi intrinsecam.

in mul is, est enim ex vi sui esse commu nicabilis pluribus, & intrinsecè inuoluit talem possibilitatem, qua non solû est possibilis in se ipsa, sed etiam in pluribus, quod satis patet ex eo, quòd vnum quodque indiuiduum dicit in suo esse possibilitatem naturæ, vt abundè supra declaratum fuit, & consequenter natura præcisa est possibilis cum ordine ad plura, ergo cum in prima abstractione dicat totum suum intrinsecû esse, dicit etiam aptitudinem.

Confir.

II. Et possumus in confirmationem rationis factæ etiâ arguere. Natura in prima abstractione est separata ab omni incômunicabilitate, separatur enim per abstractionê ab indiuidnatione, quę sola reddit indiuidua incommunicabilia, ergo natura in prima abstractione habet cômunicabilitatê, & consequenter aptitudiuê ad essendum in pluribus; quoniâ posse pluribus cômunicari non est aliud, nisi posse esse in illis; habet autem ex vi cômunicabilitatis, quòd possit plurib. cômunicari. Côsequentia hæc declaratur, quia natura, de facto habet, quòd pluribus cômunicetur, vnde quæso habet, quòd cômunicetur, nisi ex vi sui esse? nec enim potest dici, quòd habeat ab intellectu, quia sicuti cômunicatio physica fit independenter ab intellectu, ita etiâ metaphysica debet esse independens ab ipso, nâ cômunicabilitas metaphysica nô est aliud, quàm formalis ratio cômunicabilitatis physicæ abstracta ab omni materia.

Natura in prima abstractione separatur ab omni incommunicabilitate.

Reijcitur responsio

III Atq. hinc excluditur alia responsio', quæ posset afferri, quòd scilicet natura abstracta in prima abstractione nô habeat hanc aptitudinê; neq. hanc communicabilitatê positiuè sed ab vtraq abstranat, & se habeat negatiuè tâ respectu cômunicabilitatis, quâ respectu incommunicabilitatis, vt videtur docere, Caiet. de ente, & essentia c.4 q.6.& 7.& cum eo ferè omnes, qui negant vniuersalitatê conuenire naturæ secundùm se consideratę. Verùm contra hanc respônsionê insto. Quâdo abstrahitur natura ab indiuiduis, abstrahitur totum 'd ꝗ dicunt indiuidua, excepta indiuiduatione, ergo in natura abstracta est aptitudo metaphysica ad essendû in multis. Côsequentia probatur, nam à parte rei, natura considerata secundùm suû esse pro priû, & ab intrinseco habet, ꝗ sit physice multiplicabilis, atq. id nô illi côpetit

Caiet.

Quomodo necessario abstrahendo naturam abstrahatur etiam aptitudo.

ratione indiuiduationis, sed ratione suæ essentiæ, ergo cum abstrahatur etiâ intrinseca communicabilitas, consequenter habet in tali esse abstracto aptitudinem, vt possit esse in multis. Confirmatur; communicabile, & incommunicabile, seù quòd idem est, non communicabile opponuntur contradictoriè, aut ıaltem priuatiuè. Contradictoria verò, & priuatiua itâ se habent, quòd quando nata sunt afficere aliquod subiectum, non possit vnum remoueri ab illo nisi per positionem alterius: sic impossibile est, ꝗ forma tollatur à subiecto, nisi per priuationê, & quòd priuatio auferatur, & nô per formam. Hinc fit, quòd cum communicabilitas, & incommunicabilitas sit apta afficere naturam, & priuatiuè opponantur vt dictû est, non possit tolli incommunicabilitas, nisi perpositionem communicabilitatis, per primam autem abstractionê tollitur à natura omnis incommunicabilitas. Nec valet, si dicatur tolli tantum incommunicabilitatê positiuam, non verò priuatiuâ, quia tollitur illud, quod est fundamentum negationis, quam dicit incommunicabilitas, hoc est, non posse alteri se communicare, & consequenter tollitur omnis incommunicabilitas; Et adhuc ratio facta obtinet suâ vim, quia quoties duæ rationes positiuè opponuntur, quarû altera habet annexâ negationê alterius, itâ immediatè opponuntur, sicuti contradictoria, et vna non potest tolli, nisi per positionê alterius, sic quia materiale, & spirituale itâ opponûtur, vt vnû habeat negationê alterius, vt etiâ esse côpositû & esse simplex, & alia huiusmodi, non potest vnum ex his auferri, nisi ponatur eius oppositum positiuû, ergo cû communicabilitas, & incommunicabilitas, quæ habentur per formam positiuâ, ita se habeant, vt vna habeat annexâ negationê alterius, nô potest vna forma tolli nisi per positionem alterius positiuæ & ratio euidens est, quia immediatè opponuntur ex eo, quòd vna habet annexam negationem alterius, ex ijs autê, quæ opponuntur immediatè, vnû nô potest tolli, nisi per suû oppositû. Confirmatur præterea; cômunicabilitas, & incômunicabilitas opponuntur tali oppositione, quæ incipit ab ipsa vnitate, quæ est passio entis, vt supra dictum fuit, ens enim ex intrinseca sua ratione ita est vnum, vt illi conueniat ex ui suæ rationis formalis

Incommunicabilitas non potest tolli nisi consurgat communicabilitas.

esse

esse pluribus communicabile, si quidem de facto communicatur, ergo alterum ex his sine communicabilitas, siue incommunicabilitas debet cuicumque inesse, cum sint vniuersalissima contradictoria; & cum illa natura sic abstracta non sit incommunicabilis, erit necessariò communicabilis.

IV. Rursus eadem responsio vrgetur. Si natura in prima abstractione non haberet formam positiuam metaphysicam communicabilitatis, & aptitudis, posset de ipsa negari effectus formalis aptitudinis, & communicabilitatis, negatio enim causæ formalis infert etiam negationem effectus formalis; vnde valebit dicere, naturam in prima abstractione non esse aptam ad essendū in multis, non esse communicabilem, at si hoc verificaretur, sequeretur, quòd secundùm suum esse intrinsecum haberet repugnantiam ad posse communicari, nam quando ex vi esse intrinseci cōuenit aliqua negatio, repugnat forma, quæ tollitur per talē negationem, sic homini repugnat esse lapidem, quia ex vi sui esse habet annexā negationem lapidis. Nec valet, si dicatur, posse coniungi cū aptitudine, & merè negatiuè se habere ad illā, non verò repugnanter, sicuti etiam se habet animalitas respectu rationalitatis, nam sicuti animalitas, licet possit coniungi cum rationalitate, non sit tamen secundùm suum esse intrinsecum rationalis, ita neque natura ex eo, quòd coniungeretur cum aptitudine, fieret secundùm suum esse intrinsecum communicabilis. Deinde est dispar ratio de rationibus superioribus, quæ contrahuntur ab inferioribus, ac de ipsa communicabilitate, nam rationes, quæ contrahuntur ab inferioribus, ideò possunt merè negatiuè se habere, quia sunt quid superius, de cuius ratione est, quòd sit vnibile cum inferiori, at communicabilitas non est quid inferius natura, nec natura est quid superius vnibile cum ipsa, sed est aliquid, quod ex natura sua adæquat omne ens, quod non sit intrinsecè incommunicabile, & est ratio quædā, quæ cōuenit intrinsecè enti, cui potest cōuenire quare, aut natura debet intrinsecè dicere cōmunicabilitatem, aut repugnanter se ad illam habere. Deinde communicabilitas & incōmunicabilitas sūt rationes intrinsecè imbibitæ in vnitatē, sic incommunicabilitas intrinsecè imbibitur in vnitate indiuiduali. Ergo non potest dari natura cum sua vnitate sibi intrinseca, nisi habeat communicabilitatem, alioquin ex vi suæ vnitatis repugnanter se haberet ad cōmunicabilitatē, quia illam non haberet ab intrinseco suæ vnitatis, & cum solùm ab intrinseco possit conuenire, sequitur, quod repugnanter se habeat, si talis communicabilitas de ipsa negatur.

Cōmunicabilitas est effectus formalis, non potest negari de natura, prout est in prima abstractione.

Cur ratio superior possit esse

Quia inferiorum negatiuè se habere.

V. Sed hinc elicitur alia confirmatio eiusdē rationis. Natura debet sm̄ suū esse intrinsecū, esse apta, vt sit in pluribus, ergo debet in suo esse formali includere aptitudinē, atq. cū in prima abstractione dicat totū suū esse formale cū omni eo, quod includit, dicet hanc quoq. aptitudinē. Quod spectat ad antecedens probatur. Natura abstracta ita descēdit ad inferiora, vt ponatur in ipsis secundū totū suū esse; id enim, quod cōmunicatur indiuiduis, est propriū esse naturæ, hoc autē non posset fieri, nisi hoc esse sm̄ se intrinsecè esset aptū, vt cōmunicaretur, quod enim formaliter cōmunicatur, debet esse cōmunicabile, sic quia forma communicatur materiæ in ratione formæ, debet secundū suū propriū esse intrinsecū esse informatiua, & potest prosequi inductio in cæteris, quę alicui communicantur. Atq. hinc etiā nota fit deductio cōsequētiæ principalis, cū enim non possit haberi effectus formalis sine causa formali, si intrinsecè secundū suū esse est cōmunicabilis, debet etiā includere formā cōmunicabilitatis. Imò si intrinsecè non esset cōmunicabilis, sequeretur, quòd tantū per fictionē intellectus esset communicabilis, quoniam si ex se natura non haberet communicabilitatem, cū nihil reale ex parte obiecti ipsi addatur, quādo intellectus conciperet in ipsa hanc communicabilitatē, deberet illā ipsi affigere formando ens rationis, vnde naturam metaphysicam posse esse in pluribus, esset eus rationis.

Confir.

Natura abstracta intrinsecè communicabis.

VI. Secundò principaliter probatur conclusio. Natura in prima abstractione se habet indifferenter ad plura indiuidua, ita vt indifferentia illi conueniat secundùm propriū esse, & etiam secundùm idem esse sit contrahibilis ad esse indiuiduale, ergo natura in prima abstractione habet aptitudinem constitutiuam vniuersalis: antecedens quoad singulas partes est declarandum, & quod spectat ad indifferentiam

Natura in prima abstractione indifferens ad plura.

certum est, quòd indifferentia oritur ex ablatione determinatiui; statim enim ac aufertur determinatiuum formale, id, quod erat determinatum, remanet indeterminatum, & in differẽs. Rursus etiam certum est, quòd esse indiuiduale determinat tanquam formale determinatiuum naturam, vt sit hæc numero, ergo cum per primam abstractionem auferatur à natura esse indiuiduale, remanet natura indeterminata, & indifferens. Verùm huiusmodi indifferentia non conuenit quocumque modo naturæ, sed tantùm secundùm suum esse, quia ex ui sui esse habet, quòd non sit hæc, aut illa indiuidualiter, sed quòd possit esse; tum quia esse indiuiduale, vt determinatiuum afficit naturã; id autem remanet indifferens, quando aufertur determinatiuum, quod ab ipso determinatiuo afficiebatur. Quantũ ad alteram partem partẽ antecedentis, quòd scilicet secundùm suum esse sit contrahibilis, sequitur ex præcedenti, quia quod tanquam ratio superior est indifferens, se habet etiã vt cõtrahibile. Rursus natura est illa, quæ vnitur, vt potẽtia metaphysica cum esse indiuiduali ad faciendam cõpositionẽ metaphysicam, si igitur natura secundùm se vnitur, etiam secundùm suum proprium esse est contrahibilis. Quibus positis manifestè deducitur consequentia, quòd videlicet habeat aptitudinem metaphysicam ad essendum in pluribus, quoniam quod secundùm se est indifferens ad plura, per quæ possit determinari per vnionẽ cum illis, ordinatur ad illa plura, vt possit esse in illis. Prætereà natura in statu indifferentiæ, & contrahibilitatis se habet, vt potentia metaphysica respiciens actũ indiuiduationis sub ratione formali indiuiduationis, ergo respiciet etiã quamlibet indiuiduationem in particulari, sicuti quia materia respicit formam substantialem sub ratione actus substantialis, respicit quamlibet formã in particulari; & oculus respicit quẽlibet colorem in particulari, quia respicit colorem in communi. natura autem, quæ respicit plures indiuiduationes, vt potentia contrahibilis, habet aptitudinem ad essendum in illis. Et potest summi cõfirmatio huius rationis ex prædicabilitate, quæ conuenit naturæ existẽti obiectiuè in prima abstractione; ipsi enim, vt diximus etiam sectione præcedenti, conuenit posse prædicari de pluribus, & est constituta in statu proximo prædicabilitatis, ergo habet etiam aptitudinem ad essendum in pluribus, quoniam per prædicationem habetur exercitium aptitudinis Physicæ, & tanquam ratio superior ponitur natura in pluribus inferioribus: vnde si natura potest poni, prout est in prima abstractione, per prædicationem, debet etiam habere aptitudinem, vt possit esse. Rursus natura illa, quę est vna in prima abstractione, potest tribui huic, & illi indiuiduo. si enim abstraho hominem vt sic, potest ille homo prædicari de Petro, Paulo, & cæteris indiuiduis, ergo cum per prædicationem vniatur prædicatum cum subiecto vnione metaphysica, debet tale prædicatum ex intrinseco suo habere, quòd possit vniri cum quolibet indiuiduo, hoc autem est habere aptitudinem ad essendum in illis indiuiduis, cum quibus per prædicationem vnitur.

Natura, in prima abstractione est contrahibilis per inferiora

VII. Tertiò probatur. Natura, antequam abstrahatur ab indiuiduis, habet aptitudinem, vt sit in vnoquoque illorum, natura enim, quæ est in Paulo, habet aptitudinem, vt sit in illo, natura, quę est in Petro, habet aptitudinem, vt sit in illo, & sic de reliquis, & consequenter tota natura adæquatè sumpta habet aptitudinem, vt sit in omnibus, ergo etiam abstracta in prima abstractione habet aptitudinem ad essendum in pluribus, antecedens declaratur. Natura de facto reperitur in suis inferioribus per identificationem cum ipsis, & consequenter debet habere aptitudinem ex se, vt possit esse in illis per identificationem, actus enim supponit aptitudinem ad illum. Consequentia etiam ostenditur. Quando natura abstrahitur ab indiuiduis, retinet totum suum esse, quod habet in indiuiduis, nec aliquid relinquit præter esse indiuiduale, ergo cum nõ habeat rationem indiuiduationis aptitudinem, vt sit in illis, habebit ex vi sui esse, & consequẽter in esse abstracto sub prima abstractione illam retinebit, quia non amittit aliquid de suo esse, nec habet aliquid adiunctum, à quo impediatur, solùm enim posset impediri à ratione formali incommunicabilitatis, sed hanc non habet, quia est denudata ab omni indiuiduatione, à qua prouenit omnis incommunicabilitas. Atque pro hac sententia, omnia

1. ratio.

Natura solum est in indiuiduis, habet aptitudinem ad essendum in illis.

Natura dum abstrahitur relinquit solum esse indiuiduale.

omnia faciunt, quibus supra disput. 17. sect. 4. probatum fuit, naturam dicere secundùm se aptitudinem.

Vniuersale fieri per primam abstractionem comparatiuam.

SECTIO VIII.

Concl.

I. EX dictis colligitur totalis, & vltima resolutio difficultatis, videlicet; vniuersale fieri per primam abstractionem comparatiuam, qua comparatur ad inferiora, pro quo sciendum est, quòd cognitio comparatiua potest duplici modo contingere. Primò directè, si videlicet cognitio directa tendat in aliquod, quod cognoscat in ordine ad aliud, vt cum concipit vnum Relatiuum Patrem v. g. debet etiam illud concipere in ordine ad filium, & sic erit cognitio comparatiua, quia comparat ad aliud, nempè ad terminum. Altera verò cognitio comparatiua potest esse reflexa, si videlicet post quam intellectus aliquid cognoscit cognitione absoluta, rursus supra illud reflectat, & comparet ad aliud. Quòd autem debeat concedi cognitio comparatiua directa, manifestum est, nam quæ essentialiter ordinantur ad aliud, possunt cognitione directa apprehendi, alioquin neque possent apprehendi cognitione reflexa, cognitio enim reflexa supponit obiectum aliàs cognitum; & semper prima cognitio, quæ fertur primò in obiectum, est cognitio directa. Dicimus ergo, vniuersale fieri non per cognitionem reflexam comparatiuam, sed per cognitionem directam comparatiuam, ità vt prima abstractio, qua vniuersale fit, debeat esse necessariò comparatiua.

(Vniuersale fit per primam abstractionem comparatiua. Duplex modus cognitionis comparatiuæ.)

II. Quòd vniuersale fiat per abstractionem patet ex dictis, nam in prima abstractione natura, vt vidimus, habet vnitatem, & aptitudinem ad essendum in multis, quæ sola sufficiunt ad constituendum vniuersale metaphysicum, cum igitur vniuersale ex vi primæ abstractionis habeat totum suum constitutiuum, dicendum est, quòd fiat per ipsam. Solùm nunc restat probandum, quòd non sufficiat cognitio absoluta, sed debeat esse abstractio comparatiua. Quod sic probatur. Vniuersale non potest cognosci vt vniuersale est, nisi cognoscatur per cognitionem comparatiuam attingentem ordinem, quem dicit ad inferiora, ergo non potest fieri, nisi per cognitionem reflexam modo explicato. antecedens debet esse certum apud omnes, quia vniuersale, vt tale est, ordinatur ad inferiora ratione suæ aptitudinis, & est essentialiter relatiuum, vt supra probatum fuit sectione 5. huius disputationis. Quæ autem essentialiter relatiua sunt, vnum non potest cognosci nisi in ordine ad aliud, sic potentia non potest cognosci nisi in ordine ad actum, vel obiectum, & eadem inductio potest fieri in reliquis relatiuis, siuè transcendentalibus, siue prædicamentalibus. Nec valet, si dicatur, vniuersale non esse quid relatiuum, quia ipsum nomen, & conceptus aptitudinis statim reijcit hanc responsionem; aptitudo enim est ad aliqu id aptitudo, & essentialiter ordinatur ad suum actum. Consequentia etiam declaratur. Fieri vniuersalis metaphysici non est aliud, nisi concipi, quia per id fit, quòd separatur natura ab indiuiduatione, separatur autem, quia concipitur non concepta indiuiduatione, ergo abstrahere naturam est illam concipere, & consequenter effectio vniuersalis est conceptio illius, atque adeò cognitio, cum effectio sit abstractio, & abstractio sit cognitio.

(Vniuersale fit per abstractionem. Ratio. Non potest vniuersale fieri nisi per cognitionem cõparatiuã. Fieri vniuersalis est concipi.)

III. Respondet tamen Recentior quidam, quòd licet natura in prima abstractione habeat aptitudinem, non est tamen necesse, quòd intellectus illam concipiat, vt fiat vniuersale, sed sufficit, quòd concipiat naturam, nihil cogitando de aptitudine. Sed hæc responsio improbabilissima est, & primò impugnatur. Abstractio est formaliter cognitio, ergo si vniuersale fit formaliter per abstractionem, debet cognitio attingere etiam aptitudinem, quia aptitudo est de essentia vniuersalis, & abstractio tendit formaliter ad vniuersale vt tale. Secundò. Vel natura in prima abstractione habet formaliter aptitudinem, vel non habet? hoc secundum non potest dici, quia iam vniuersale non fieret per primam abstractionem, vnde est contra suppositum, & sectione præcedenti probatum est, quod illam habeat. Si igitur habet, ergo debet esse obiectiuè in intellectu, quia totũ id, quod habet natura, est obiectum talis abstractionis, & in ipsa reperitur, & con-

(Responsio cuiusdã recentioris. Impugnatur. Vniuersale non potest abstrahi, nisi cognitio abstrahens attingat aptitudinem.)

sequenter, cum abstractio sit cognitio, debet aptitudo cognosci. Confirmatur, ideò natura est in prima abstractione, quia vt obiectum attingitur à tali cognitione, quæ est prima abstractio, ergo etiam aptitudo, vt sit in prima abstractione, debet attingi vt obiectum à tali cognitione. Confirmatur secundò. Natura secundùm suum esse inuoluit aptitudinem, ergo si secundùm suum esse cognoscitur, debet etiam cognosci aptitudo. Tertiò. Non potest fieri vniuersale, nisi fiat secundùm aptitudinem, quia est essentiale requisitum ad vniuersale, ergò debet esse terminus abstractionis, per quam fit vniuersale, & consequenter debet eo modo terminare abstractionem, quo potest abstractio terminari, sed abstractio, cum sit cognitio, non potest terminari, nisi per obiectum cognitum, ergo si aptitudo terminat abstractionem, debet illam terminare vt aliquid cognitum. Denique vniuersale metaphysicum non habet esse in se, sed tantùm obiectiuè in intellectu, ergo fieri vniuersalis metaphysici est tantùm acquirere esse obiectiuè in intellectu, sed quod non cognoscitur ab intellectu, non est obiectiuè in ipso, ergo dum in prima abstractione vniuersale habet esse, debet esse obiectiuè in illa, etiam secundùm aptitudinem. Confirmatur. Ideò natura in prima abstractione non habet indiuiduationé, quia separatur ab illa mediante abstractione, & ideò separatur, quia concipitur natura non concepta indiuiduatione, ergò si etiam in prima abstractione conciperetur natura non concepta aptitudine, non haberet natura in illa abstractione aliquam aptitudinem.

2. ratio. IV. Secundò argumentor. Non potest vniuersale habere suum esse, nisi habeat obiectiuè in intellectu, & statim ac producitur, ex vi suæ productionis habet, quòd existat obiectiuè in ipso, sicut ex eo, quòd aliquid producitur à parte rei, ex vi suæ productionis habet, quòd existat in rebus, quia esse entis realis est existere in rebus, ergo non potest nisi per cognitionem comparatiuam fieri. Hæc consequentia declaratur, quoniam cognitio debet proportionari obiecto, & si obiectum est aliquid comparatiuum, vel relatiuum, etiam cognitio debet esse comparatiua, quæ attingat obiectum cum ordine ad aliud, ergo cum tribuere esse vniuersali sit facere illud existens obiectiuè in intellectu, quod nihil aliud est, nisi cognosci, non potest fieri existens in intellectu, nisi per cognitionem comparatiuam, cum sit quid ordinatum ad aliud. Confirmatur, quando vniuersale existit obiectiuè in intellectu, debet existere secundùm illud esse, quod explicatur per definitionem vniuersalis; hoc est aliquid dicens ordinem ad inferiora, definitur enim, ***Id, quod aptum est esse in multis***, ergo cognitio, qua mediante existit obiectiuè, seu qua fit, debet ferri in tale esse, quod explicatur per definitionem, cognitio autem, quæ fertur in obiectum ordinatum ad aliud, quia cognoscit tale in comparatione ad aliud est comparatiua.

Vniuersale metaphysicum si obiectiuè in intellectu.

Quid sit esse vniuersale.

V. Tertio probatur. Quando fit vniuersale; vel est tale vniuersale, scilicet genericum, aut specificum, vel vniuersale, vt sic, abstrahens ab vniuersali generico, & specifico; semper enim necesse est, quòd fit aliquod determinatum vniuersale; ergo nullum vniuersale potest fieri, sine fit vniuersale vt sic, siue tale vniuersale, nisi per cognitionem comparatiuam. Hæc consequentia probatur, nam antecedens notum est. Dum vniuersale fit, cognoscitur, hoc enim est fieri vniuersalis, quod acquirat esse obiectiuù in intellectu; Rursus cum vnũvniuersale non distinguatur ab alio vniuersali, nisi per ordinem ad illa inferiora, in quibus potest esse, vniuersale enim, vt sic distinguitur, & constituitur per id, quòd possit esse in pluribus, vniuersale genericum per id, quòd possit esse in pluribus differentibus specie; vniuersale specificum per id, quòd potest esse in pluribus differentibus numero, ergo non potest fieri hoc, vel illud vniuersale determinatum, nisi intellectus apprehendat illud in ordine ad illa plura, in quibus potest esse, cum formatio vniuersalis in eo consistat, quòd apprehendatur, & acquirat esse obiectiuè in intellectu. Hæc autem erit cognitio comparatiua.

3. ratio.

Semper vniuersale, quòd fit, est aliquod determinatum vniuersale.

Quædam corollaria ex dictis.

SECTIO IX.

Vnitas vniuersalis nō est ficta ab intellectu, sed realis.

I. EX dictis deducitur, vnitatem vniuersalem non esse aliquam vnitatem fictam ab intellectu, seu vt vocant rationis, quæ ab intellectu adfigatur naturæ abstractæ ab indiuiduis, vt volebant nonnulli ex Auctoribus secundæ sententiæ, neque etiam esse vnitatem extrinsecam, quæ in eo consistat, quòd natura abstracta vnico actu cognoscatur, sed dicit vnitatem realem metaphysicam se tenentem ex parte obiecti, quæ intrinsecè naturam constituit vnam, & indiuisam, nec est aliqua vnitas distincta ab vnitate propria naturæ. Quod satis ex eo patet, quia quando concipitur natura abstracta ab indiuiduis, concipitur vna ex eo, quòd se habet vt indiuisa in suo esse, atq. adeò secundùm suum esse est vna, cum autem vnitas non sit distincta ab esse vniuscuiusque, quod est vnum, & natura quoque sic abstracta erit vna ex vi sui esse formalis in se indiuisi. Deinde vnumquodque esse est tantùm capax illius vnitatis, quæ ad ipsum consequitur vt propria passio metaphysica, & hæc vnitas sufficiens est ad ea omnia, quæ illi ab intrinseco conuenire possunt, modò cum vnitas formalis consequatur naturam, vt propria passio, non erit natura capax alterius vnitatis, & hæc sufficiet ad vniuersalitatem metaphysicam, cuius etiam natura habet capacitatem. Præterea hæc vnitas formalis non est vnitas incommunicabilis, quia non est indiuidualis, sed potest stare cum aptitudine ad essendum in multis, cur ergo non sufficiet ad vniuersale? Denique cum vniuersale, seu natura secundùm suum esse intrinsecum, communicetur pluribus, & veniat in compositionem, cum pluribus indiuiduationibus ad constituenda indiuidua, debet secundùm suum esse reale metaphysicum participare rationem vniuersalis, vt in compositione metaphysica possit illam exercere.

Aptitudo vniuersalis est quid reale metaphysicum.

II. Atque hinc etiam colligitur secundò. Aptitudinem quoque ad essendum in multis non esse quid fictum ab intellectu, seu aliquam relationem rationis, vt volebat Caiet. supracit. cap. 4. De ente, & essentia q. 6 & 7: sed esse quid reale metaphysicum, quòd conuenit ab intrinseco naturæ. Pro quo aduertendum est, quòd aliud est, naturam distingui per intellectum ab indiuiduatione, & aliud, quòd per intellectum illi conueniat aptitudo; certum est enim, quòd natura solùm per intellectum distinguitur ab indiuiduatione, cum fundamento in re, posita tamen hac distinctione, non est necesse, quòd intellectus ponat aliquid aliud fictum, vt habeat aptitudinem, sed ex vi sui esse sic metaphysicè considerati habet, quòd sit quid metaphysicum potentiale contrahibile per differentias indiuiduales, atque habens ex se aptitudinem ad essendum in multis, hæc enim aptitudo non est aliud, quàm proprium esse quatenus se habet vt formale constitutiuum inferiorum potens secundùm se esse in illis. Neque in confirmationem huius doctrinę aliquid de nouo addendum est, sufficiunt enim, quæ sectione præcedenti dicta sunt, & manifestè sequitur ex ijs, quę dicta sunt in disputatione De aptitudine naturę, in qua ostendimus, quod hæc aptitudo est aliquid positiuum conueniens ab intrinseco naturæ. Ex quibus patet, secundam sententiam relatam sect. 1. huius disputationis, nullum habere fundamentum, quod sit alicuius momenti, ad hoc vt requirat cognitionem comparatiuam, reflexam ad faciendum vniuersale, procedit enim ex eo quia putant Auctores, quod vniuersale de suo formali dicat relationem rationis, aut denominationem desumptam ab ipsa cognitione, quod tamen improbabilissimè dicitur, vt iam constat ex dictis.

III. Tertiò colligitur, neque rectè Auctores tertiæ sententiæ ibidem relatæ procedere, dum asserunt, sufficere cognitionem directam absolutam ad conficiendum vniuersale, quia videlicet aliud sit efficere vniuersale, & aliud cognoscere. Ostendimus enim, falsum hoc esse, quia vniuersale, dum fit, est terminus abstractionis, quæ est cognitio obiecti abstracti, vnde cum, prout vniuersale est, terminet illam abstractionem, debet etiam vt vniuersale cognosci, & idcirco debet huiusmodi cognitio esse comparatiua. Atque hic est adnotandum, quòd semper obiectum est idem tum respectu cognitionis di- Insufficientia tertiæ sententiæ.

re-

rectæ, tum etiam respectu reflexæ, & solùm respectu huius potest acquirere aliquam denominationem de nouo, siuè sit denominatio cogniti, siuè alia, quæ solet dici secunda intentio, quare si cognitio reflexa est comparatiua respectu vniuersalis considerati secundùm esse reale metaphysicum, ratione videlicet metaphysicæ aptitudinis, quâ dicit, etiam cognitio directa, quæ tendit in tale obiectum, erit comparatiua.

Vniuersale non refertur ad inferiora relatione reali prædicamentali.

IV. Colligitur quartò. Vniuersale metaphysicum, licet posita distinctione rationis, qua ab inferioribus abstrahitur ex vi sui esse referatur ad ipsa relatione transcendentali, non tamen referri aliqua relatione prædicamentali, quæcumque ea sit, nisi accedat opus intellectus concipientis illam relationem. Et potest facilè assignari disparitas, nam ideò potest ex vi sui esse referri relatione transcendentali, quia huiusmodi relatio est ipsum esse vniuersalis considerati, quatenus ex se habet, vt possit esse in multis, at verò aliæ relationes, vt prædicati, & eiusmodi sunt aliquid superadditum vniuersali, & ideò cum non sint in natura secundùm se considerata, debent concipi in vniuersali, vt illas habeat, vt etiam docet Caiet. 1. par. q. 27. art. 1. nam cum sint tantùm obiectiuè in intellectu, nec aliud esse habeant, vt modo proportionato existant, debent necessariò concipi, quod etiam docet D. Th. loco citato. Verum tamen est, quòd, quando actu directo vniuersale cognoscitur in ordine ad inferiora, aut de ipsis enunciatur, quòd ponatur fundamentum proximum harum relationum; sic quando cognoscitur vniuersale in ordine ad singularia, ponitur fundamentum proximum fundandi relationem superioritatis, quia statim potest intellectus accedere, & per alium actum concipere huiusmodi relationem, & eodem pacto philosophandum est de cœteris relationibus. Et quia relationes non per se causantur, sed tantùm resultant posita ratione proxima fundandi, ideò hæ relationes possunt dici, quod causentur actu directo, quando vniuersale cognoscitur in ordine ad inferiora, aut prædicatur de ipsis, vt etiam docuit Scotus 5. Metaph. quæst. 11. dum ait, *Falsum est, quòd actu reflexo fiat relatio rationis, fit enim primo actu*

Caiet.

D. Th.

Quando ponatur fundamentum proximum fundandi relationem, qua refertur vniuersale.

Scot.

intellectus comparantis hoc ad illud, cum autem reflectitur intelligendo comparationem vt obiectum, tunc non causatur relatio rationis, sed concipitur. In quorum conformitatem eadem ferè docet Lych. in 1 dist. 3. q 7. & in 2. dist. 1. q. 1. §. *Secundò principaliter*, & hoc ipsum habet etiam Fonseca 5. Metaph. cap. 28. q. 7. sect. 3 dum ait, relationes huiusmodi aptitudinaliter conuenire vniuersali in prima abstractione, actualiter verò non conuenire, nisi per alium actum concipiantur. Ex quibus constat, quòd vniuersalitas, si sumatur, prout dicit relationem prædicamentalem vniuersalitatis, quia est relatio rationis, non conuenire naturæ in prima abstractione, quia nondum suo modo existit, nempè obiectiuè in intellectu, sed necessariò debet accedere alius actus, vt tali pacto existat. Atque quando Auctores aptitudinem ad essendum in pluribus vocant relationem rationis, non sunt intelligendi de aptitudine metaphysica, qua reuera vniuersale metaphysicum descendit ad constituenda inferiora, sed de aptitudine Logica, quæ consistit in illa secunda intentione, qua vt prædicatum refertur ad inferiora tanquam ad subiectum. Quare diligenter cauennda est æquiuocatio, ne confundatur vniuersalitas logica cum metaphysica, inter quas nõnulli Doctores non videntur distinguere, atque hinc prouenit tota difficultas de modo, quo fit vniuersale, seù quinam actus requiratur, an reflexus, an verò sufficiat directus.

Relationes rationis causantur a sũ directo.

Licher. Fons.

Quando relatio rationis importatur vniuersalitatem conueniat vniuersali.

V. Quintò colligitur, quomodo vniuersale habeat esse in intellectu, & an secundùm rem in ipso existat. Loquimur autem de vniuersali metaphysico, qui fit ab intellectu, vnde certum est, quod quædam indiuidua, à quibus potest abstrahi aliqua natura vniuersalis, vt sunt species intelligibiles, & intellectiones, habent esse in intellectu secundùm rem, quia in ipso subiectantur. Verùm hoc non facit ad propositum, quia in ipso existunt vt singularia physica, non verò vt vniuersale aliquod, quod fiat ab intellectu. Cum igitur solùm vniuersale metaphysicum habeat esse, quando fit ab intellectu, tunc quærimus, quomodo habeat esse in intellectu. In quo certum est, quòd quando fit, acquirit esse intentionale in ipso, si-

Quomodo vniuersale habeat esse in intellectu.

cut quodlibet aliud obiectũ quod ab ipso percipitur, quoniam, dum fit vniuersale, intelligitur etiam, vt diximus, & consequenter debet intellectus habere verbum mentis, quo repræsentetur, & sit quædam similitudo illius; ex vi autem huius similitudinis repræsentatiuæ obiectũ correspondens intentionali modo existit in intellectu. Quapropter Arist. 3. de anima cap. 8. docet, animam, dum intelligit, fieri omnia, quia videlicet acquirit in se similitudinem obiecti, qua mediante obiectum existit intentionali modo in intellectu. Si verò vniuersale consideretur secundùm esse reale metaphysicum, existit tantùm obiectiuè in intellectu, quatenus est obiectum cognitionis; neque alio modo potest existere, vt per se patet non enim potest existere realiter, nàm tunc haberet realem, & physicam existentiam extra indiuidua, quod repugnat, neque tunc esset amplius vniuersale Metaphysicum, sed Physicum.

Arist.

Anima, dum intelligit fit omnia.

VI. Rursus ex dictis colligitur sextò, in quonam statu vniuersale habeat verius esse, an videlicet in indiuiduis, an in se, an verò in statu præcisionis. Habere autem verius esse hic intelligi debet quoad modum essendi, ita vt quæratur, in quonam statu ex his tribus magis conformetur suæmet Ideæ, non verò debet esse sensus, vt intelligit Albertus Magnus Tractatu 2. Prædicabilium cap. 6. quòd sit magis purum à quocumque ipsi extrinseco, quia quicquid ipsi aduenit, non immutat eius esse quidditatiuum. In hac autem re cum distinctione procedendum est. Si enim loquamur de vniuersali Physico, verius esse habet in indiuiduis, quàm in quocumque alio statu, nam vniuersale Physicum ex vi suæ possibilitatis, & intrinsecæ essentiæ postulat, quòd sit communicatum pluribus. Si verò loquamur de vniuersali metaphysico, hoc verius esse habet, dum est obiectiuè in intellectu, quàm dum est in indiuiduis; quia in indiuiduis habet tantùm esse fundamentaliter, quod fit formale, dum natura ab ipsis abstrahitur, quia tunc se habet per modum superioris indifferentis, & potentiæ metaphysicæ contrahibilis respectu inferiorum.

In quo nam statu vniuersale habeat verius esse

Albert. Magn.

An necesse sit, quòd vniuersale abstrahatur à pluribus indiuiduis inuicem comparatis. Disputatio XX.

Auctorum opiniones.

SECTIO I.

I. Diximus præcedenti disputatione, requiri ad vniuersale formandum cognitionem comparatiuã, non quidem reflexam, sed directam; nũc adest altera difficultas, an ad vniuersale efficiendum requiratur cognitio comparatiua, qua inuicem plura indiuidua comparentur, ita vt ab indiuiduis sic comparatis abstrahatur. quod in idem recidit, an necessarium sit, quòd vniuersale abstrahatur à pluribus indiuiduis inuicem collatis, an verò sufficiat, quòd abstrahatur ab vno tantùm. De hac re ex professo parum agunt D.D. si tamen attendamus doctrinam, quam de vniuersali tradunt. Nominales, & cæteri, quos supra disp 16. sect. 1. citauimus, qui asserunt, quòd vniuersale formale non est aliud, quàm actus intellectus attingentis indiuidua confuso modo, quatenus habent similitudinem, consequenter etiam asserent, quòd vniuersale eo modo, quo abstrahitur, à pluribus indiuiduis debet abstrahi; sed hæc opinio ponens vniuersale formale in actu intellectus iã reiecta est, & alio modo nobis philosophandũ est.

Titulus quæstionis.

1. opinio

Vniuersale debere abstrahi à pluribus

II. Quidam autem ex ijs, qui putãt, vniuersale formale se tenere ex parte obiecti, volunt necessarium esse, quòd natura præscindatur à pluribus indiuiduis, ita vt interueniat comparatio inter illa, & intellectus cognoscens essentialẽ conuenientiã, concipiat hũdi similitudinem, non conceptis indiuiduális differẽtijs. Fundamentum huius sententiæ esse potest, quia vniuersale dicit quandam communitatem, & aptitudinẽ ad essen-

2. opinio

Vniuersale debere abstrahi ab indiuiduis inuicem comparatis.

dum in pluribus, ergo debet abstrahi à pluribus, quia quando ab vno tantùm abstrahitur, natura illa est tantùm illius indiuidui. Atque cum vniuersale sit prædicabile de pluribus, & id tantùm de vnoquoque prædicetur, quod est in ipso, hinc fit, quòd si vniuersale debet de pluribus prædicari, debeat etiam à pluribus abstrahi.

3. opinio. Vniuersale nō debere abstrahi à plurib.

III. Alij verò putant, quòd licèt vniuersale regulariter loquendo fiat per cognitionem comparatiuam, ità vt abstrahatur à multis, non esse tamen simpliciter necessariam hanc cognitionem, qua plura inter se conferantur, & deinde ab ipsis omnibus, vt similia sint, abstrahatur communis conceptus naturæ, sed posse abstrahi ab vno tantùm, nam statim ac est abstractum, se habet indifferenter ad omnia, & natura sic repræsentata erit applicabilis cuicumque indiuiduo; facta enim abstractione natura non est magis huius indiuidui, quàm alterius, alioquin non esset facta abstractio. Addunt tamen, quòd ad cognoscendum vniuersale, est necesse illud cognoscere in ordine ad plura, est enim illud, quod in pluribus potest esse. Ita præcipuè docent Suarez in Metaphys. disp. 6. sect. 6. num. 11. Auersa in Logica q. 8. sect. 11. concl. 3. & ferè communiter Recentiores. Verùm cum hi Auctores asserant, quòd natura, prout est in vno indiuiduo, habeat suam vnitatem formalem distinctam ab vnitate formali naturæ alterius indiuidui, ita vt vnitas formalis vnius indiuidui sit tantùm apta ad essendum in vno, non video, quomodo natura abstracta ab vno indiuiduo possit esse vniuersalis, ita vt possit esse in pluribus, quia licet sequatur, quòd abstracta à propria indiuiduatione se habet indifferenter ad hanc, vel illam indiuiduationem diuisim, non tamen fit, quòd possit esse in pluribus simul sumptis.

Suar. Auersa

Propria sententia.

SECTIO II.

I. VT consequenter ad nostra principia procedamus, alio modo nobis philosophandum est. Inprimis ergo hoc mihi manifestum videtur, quòd nullo modo possit abstrahi natura nec ab vno, nec à pluribus indiuiduis, nisi præcesserit comparatio, qua fuerint indiuidua inter se collata, & id ratione euidentissima conuincitur, nam quando vel ab vno, vel à pluribus indiuiduis natura præscinditur, distinguitur distinctione rationis natura ab esse indiuiduali; atque hæc distinctio habet fundamentum in ipsis rebus, vt igitur fiat hæc abstractio, debet intellectus cognoscere fundamentum distinctionis, quod solet dici virtualis distinctio; alioquin quomodo cum fundamento distinguet, nisi percipiat fundamentum? Inde autem intellectus habet fundamentum distinctionis inter naturam, & esse indiuiduale, quòd cognoscit naturam, quæ reperitur in Paulo, reperiri etiam in Petro, non verò idem esse indiuiduale, seu ex eo, quòd cognoscit naturam esse quid commune, non verò indiuiduationem; hoc autem fundamentum non potest percipere nisi facta collatione plurium indiuiduorum. Vnde malè Suarez loco citato sectione præcedenti ait, quòd hæc comparatio supponit præcisionem naturæ, quia de vnoquoque singulari supponit cognosci esse talis naturæ, atque adeò conceptum naturæ, vt præscinditur ab indiuiduatione: hoc enim est omninò impossibile, quomodo enim ista comparatio potest supponere naturam præcisam, si nondum intellectus cognouit fundamentum præcisionis? Neque enim potest cognoscere, esse naturæ distingui formaliter ab esse indiuiduali, nisi etiam cognoscat, hoc esse naturæ reperiri in alijs indiuiduis, quod sine comparatione, & cognitione similitudinis fieri non potest; & nisi fieret hæc comparatio, sicut non distinguit in esse indiuiduali, ita neque posset distinguere inter esse indiuiduale, & esse naturæ. Cuius rei tota ratio à priori est, quoniam intellectus noster non cognoscit intuitiuè, & per proprias species essentias rerum, sed tantùm per discursum; si enim cognosceret intuitiuè, ipsi repræsentaretur essentia, seu natura secundùm proprium esse, atque adeò cum communitate, quam ab intrin-

Abstractio vniuersalis supponit comparatione factã inter indiuidua.

Comparatio inter plura indiuidua præbet fundamentũ præcisionis

Suarez

trinseco suo habet; & si in cognitione intuitiua posset distinctio contingere, posset intellectus distinguere absque comparatione ad alia indiuidua, dum autem solùm cognoscit quidditates rerum ex discursu, nequit colligere communicabilitatem naturę, & illam distinguere ratione huius communicabilitatis ab esse indiuiduali, nisi facta comparatione inter indiuidua.

Aptitudo vniuersalis ordinatur ad inferiora.

II. Deinde etiam hoc certum est, & apud omnes receptum, quòd non potest haberi vniuersale, nisi ordinetur per suam aptitudinem ad plura, in quibus possit esse, & quamuis aliqui negent vniuersale esse relatiuum, hoc tamen fortasse non negarent de relatione transcendentali, quam nos tribuimus vniuersali, sed tantùm de prædicamentali, in quo nos etiam conuenimus; reuera enim non videtur posse concipi aptitudo, nisi concipiatur vt quid ordinatum ad inferiora. Sed quicquid de hoc sit, hoc certum est, quòd vniuersale ex intrinseca sua natura debet saltem esse ordinabile ad inferiora. Ex quo fit, quòd, vt etiam omnes concedunt, non possit cognosci vniuersale, vt vniuersale, nisi per ordinem ad multa, atque adeò per comparationem ad inferiora. Cæterùm cum efficere vniuersale sit illud cognoscere vt tale est, vt diximus disputat. præcedenti sect. 8. quia abstrahere est cognoscere, hinc sequitur, quòd nequeat abstrahi natura vniuersalis, nisi etiam simul ex vi abstractionis cognoscatur in ordine ad inferiora, atque adeò cognitione directa comparatiua; vt citata sectione dictum fuit.

Efficere & cognoscere vniuersale idem sunt.

Vniuersale non potest abstrahi, nisi sit quid potens esse in omnibus inferioribus.

III. Ex his autem deducitur aliud valdè notandum, quòd vniuersale non potest abstrahi, nisi natura secundùm se considerata se habeat, vt quid ordinabile ad inferiora omnia, & tanquam aliquid præcisum ab ipsis. Cuius rei ratio manifesta est, nam vniuersale ex natura sua est aptum esse in multis, & si sit metaphysicum vniuersale, de quo nunc loquimur, est ordinabile ad multa per prædicabilitatem, & se habet, vt potentia metaphysica contrahibilis per differentias indiuiduales, quod fieri non potest, nisi respectu omnium sit quid præcisum, quod enim est contrahibile respectu alicuius, est quid præcisum respectu illius; quare etiam quod est contrahibile respectu omnium inferiorum, debet se habere vt quid præcisum respectu omnium; vniuersale autem respicit omnia inferiora, nec magis vnum, quam alterum, cum possit esse in omnibus.

Vniuersale præcisum excludit inferiora, tanquam plura contradictoriè contradistincta.

IV. Sed hinc vlterius colligitur, quòd quando vniuersale se habet vt quid præcisum respectu suorum inferiorum, etiam se habet vt quid contradistinctum ab ipsis, & contradistinctio in eo consistit, quòd sit quid vnum commune, inferiora verò vt plura; atque excludit ex se hæc inferiora, vnde consequenter inferiora debent ex se excludere naturam, & tanquam alterum extremum distinctionis contradistingui à natura præcisa, hoc enim dicit natura præcisa, quòd sit separata à quacumque indiuiduatione, & contrahibilis per illam. Verùm cum natura præcisa, & vt præcisa comparata ad inferiora tali pacto se habeat, vt possit prædicari de ipsis, hinc fit, quòd debeat esse illa natura, quæ reperitur in ijsdem inferioribus, de quibus prædicatur, quoniam veritas prædicationis in eo consistit, quòd prædicatum insit subiecto, & si de pluribus effertur, debet pluribus inesse; vnde vniuersale est, *Quod aptum est esse in multis*. Cum igitur vniuersale de multis prædicetur, & hæc prędicatio nedum fiat successiuè, seu disiunctiuè, sed etiam simul, & coniunctim, nam homo V. g. abstractus potest simul dici de Paulo, Francisco, & cæteris indiuiduis, manifestè conuincitur, quòd natura, prout est vniuersalis debeat dicere naturam, quæ sit in omnibus.

Vniuersale debet importare naturam, quæ sit in omnibus inferiorib.

1. concl. Vniuersale metaphysicū potest abstrahi ab vno tantum inferiori.

V. His igitur præmissis tanquam fundamentis nostræ sententiæ. Dico primò. Ad vniuersale metaphysicum efficiendum non esse necesse, quòd abstrahatur ab omnibus indiuiduis, sed sufficere, quòd abstrahatur ab vno tantùm. Prima pars huius dicti certa debet esse, nam impossibile est, quòd abstrahatur; quòd si de facto non abstrahitur, cum id impossibile sit, & tamen habetur vniuersale, manifestum fit, quòd non sit necesse, abstrahi ab omnibus. Quòd autem hoc impossibile sit, manifestè conuincitur, quia non potest intellectus abstrahere naturam ab vno indiuiduo, nisi illud cognoscat, vt

Impossibile est vniuersale abstrahi ab omnib. indiuiduis.

experientia constet, ergo cum non cognoscat omnia indiuidua, non solùm quæ fieri possunt, quia sunt in infinitum multiplicabilia, sed etiam quæ de facto sunt, (quis enim cognoscit omnes homines?) impossibile est, quòd intellectus abstrahat vniuersale ab omnibus indiuiduis.

Ratio.

VI. Secunda autem pars probatur Intellectus facta illa comparatione plurium indiuiduorum, qua percipiat fundamentum distinctionis inter naturam, & esse indiuiduale, potest ab vnico tantùm indiuiduo abstrahere naturam, nempè concipiendo naturam, quæ est in illo, & non concipiendo indiuiduationem, tunc autem natura sic abstracta erit, vniuersalis, ergo sufficit, si ab vno tantùm abstrahatur. antecedens declaratur. Natura sic abstracta est vna, nam habet suum esse formale, & suam vnitatem formalem, quam habebat in eodem indiuiduo, & est omninò indiuisa. Rursus est quid commune, nam dicit totam essentiam naturæ secundùm se consideratę natura verò ex vi suæ essentiæ habet, quòd sit multiplicabilis in multis, vt supra probatum fuit, & esse per se multiplicabilem in multis, est prædicatum sequens essentiam naturæ.

Quomodo natura abstracta ab vno indiuiduo sit vniuersalis.

VII. Confirmatur. Natura abstracta ab vno indiuiduo dicit totum esse naturę secundùm se, nam natura non diuiditur vnquam in suo esse essentiali, cum consistat, sicuti quælibet alia essentia, in indiuisibili, quare etiam secundùm totum suum esse descendit ad quodlibet indiuiduum, & quamuis in vno indiuiduo tantùm inadæquatè secundùm latitudinem existat, tamen tota existit in eo secundùm esse, quod dicit in se, & quia in se non conuenit illi habere latitudinem aliquam, quia illam tantùm acquirit ratione termini, nempè indiuiduorum, in quibus potest esse, seù ratione esse entitatiui, quod in ipsis acquirit, quod se habet veluti materia respectu eiusdem naturæ, quæ se habet tanquam forma, in se verò præcisè nullam habet latitudinem, ideò quando habet omnia sua essentialia, habet totum suum esse, quod potest habere. Ex hoc autem fit, quòd abstracta ab vno indiuiduo, sit vniuersalis, quia vniuersalitas conuenit naturæ ratione sui esse; si autem abstracta ab vno indiuiduo habet totum suum esse, quod potest habere, debet habere etiam communitatem, & vniuersalitatem. Quod amplius potest declarari, inquirendo, quid haberet supra tale esse, quod dicit abstracta ab vno indiuiduo, si à pluribus abstraheretur certè nihil potest assignari, nam abstracta à pluribus indiuiduis dicit vnicum esse formale, absque aliqua diuisione, & hoc esse est essentiale, vnde consistit in indiuisibili; hoc autem esse essentiale etiam dicit, si ab vno tantùm abstrahatur, nam cum consistat in indiuisibili, nihil potest superaddi ex eo, quòd à pluribus abstrahatur, nisi sit aliquod distinctum ab ipso, quod est falsum, quia abstracta à pluribus adhuc dicit tantùm esse naturæ præcisum. Deinde si aliquid amplius acquirit, dum à pluribus abstrahitur, vel hoc est illi essentiale, vel non. Non primum, nam in quolibet indiuiduo habet omnia sua essentialia, & natura ab vnico tantùm indiuiduo abstracta dicit totam, & adæquatam essentiam, & cum consistat in indiuisibili, nulla additio ipsi fieri potest. Si secundum, tunc non dicet aliquod esse naturæ, & consequenter neque conferet ad vniuersalitatem, & communitatem naturæ, sed eodem modo se habebit natura abstracta ab vno indiuiduo, ac abstracta à pluribus.

Natura tota existit in quolibet indiuiduo.

Natura ab vno indiuiduo abstracta tam est vniuersalis, ac abstracta à pluribus.

VIII. Secundò argumentor. Non est necesse, imò impossibile, quod natura abstrahatur ab omnibus indiuiduis ergo sufficit, si abstrahatur ab vno tantùm. Antecedentis veritas constat ex dictis, ex eo videlicet, quòd intellectus non cognoscat omnia indiuidua, consequentia verò declaratur. Ideo enim esset necessarium, quòd vniuersale abstraheretur à pluribus, quia ex intrinseca ratione petit esse in pluribus, sed eadem ratione deberet abstrahi ab omnibus, quia petit esse in omnibus. Quod si semel conceditur, posse esse in aliquibus, à quibus tamen non abstrahatur, ergo neque vt possit esse in pluribus, necesse est, quòd à pluribus abstrahatur. Neque valet, si dicatur, quòd sufficit, si indifferenter abstrahatur à pluribus, sufficit, quocumque modo seruetur pluralitas in indiuiduis, à quibus abstrahitur. Non inquam hoc valet, nam ostensum est, quòd natura abstra-

Ratio.

Non est necesse, vniuersale abstrahi à pluribus ex eo quòd potest esse in pluribus.

ćta

ctà ab vno habet aptitudinem, vt possit esse in quocumque. Deinde si ex eo, quòd vniuersale petit ab intrinseco suo posse esse in pluribus, est ratio, cur requirat pluralitatem in indiuiduis, à quibus abstrahitur, cum ab intrinseco suo habeat, quòd possit esse in omnib. deberet abstrahi ab omnib. quia ratio determinatà infert effectum, & necessitatē determinatā atq. hæc exigentia, quia infert necessitatē, quòd abstrahatur vniuersale ab ijs, in quibus potest esse, inferret etiam, quòd abstrahatur ab omnibus, quia in omnibus potest esse.

3. ratio.

Natura abstracta ab vno indiuiduo habet aptitudinem in omnibus.

IX. Tertiò etiam probari potest. Natura præcisa ab vno indiuiduo habet aptitudinem, vt sit in illo, & potest de illo prædicari, ergo etiam habet aptitudinem, vt sit in omnibus, & de omnibus prædicari. De hoc antecedēti nulla potest esse difficultas, quia si natura de facto est in tali indiuiduo, & ab ipso abstrahitur, quomodo negari poterit, habere aptitudinem ad essendum in ipso? aptitudo enim, quam habet natura ad essendum in indiuiduis, est per identificationem, cum ergo natura, quæ ab aliquo indiuiduo abstrahitur, sit cū ipso identificata, habebit etiam suam aptitudinem, quoniam est apta, vt possit cum illo identificari. Præterea quod etiam possit prædicari nedum est dubium, imò impossibile est, quòd prædicetur aliqua alia natura, quæ non sit abstracta ab ipso, nam quòd prædicatur, vt vera sit prædicatio, debet reperiri in eo, de quo prędicatur. Consequentia igitur probatur, quia natura abstracta ab vnico indiuiduo caret omni indiuiduatione, & consequenter se habet per modum potentię metaphysicę contrahibilis, & cum non habeat aliquam determinationem, quia omnis determinatio, vt toties dictum est, prouenit ab esse indiuiduali, se habebit etiam vt quid indifferens, nec magis determinatum ad vnum indiuiduū, quàm ad alterum; quod autem est indifferens, & se habet vt potentia metaphysica contrahibilis per plura, vniuersale est respiciens plura.

Occurritur respōsioni.

X. Solùm posset dici, quòd illa natura abstracta ab vnico tantùm indiuiduō esset indifferens respectu huius, vel illius indiuidui diuisim sumpti, non verò respectu plurium simul sumptorum, nam tantùm posset esse in hoc, vel in illo; ità tamen vt si descenderet ad vnum, non descendere posset simul ad aliud, vniuersale autem debet simul posse descendere ad plura. Hæc tamen respōsio, si attentè consideretur, ex ijs, quæ hucusque dicta sunt, impugnata manet; nam natura secundùm se, & vt constituit vniuersale, non habet aliquam latitudinem, sed illam acquirit, quando ponitur in indiuiduis, secundùm se vero, & in statu vniuersalitatis apta est descendere tantùm secūdùm sua essentia lia cum diuisione entitatiua, seu indiuiduali; vnde natura abstracta ab vnico indiuiduo, nedum potest esse in illo sed simul in quocumque alio, si aduениat diuisio entitatiua. Deinde quid de est naturæ abstractæ ab vnico indiuiduo, quòd non possit simul esse in pluribus, cum dicat totum illud, quod diceret, si esset abstracta à plurib.? habet enim indifferentiam, & contrahibilitatem respectu cuiuscumque indiuiduationis, cur igitur facta multiplicatione indiuiduali non poterit contrahi simul ab vnoquoque? Confirmatur. Tota multiplicatio, & latitudo in inferioribus prouenit ratione indiuiduationum; natura verò abstracta quocumque modo, semper est vna, & indiuidua, indifferēter se habens ad plura, ergo potest coniungi cum diuersis indiuiduationibus, & acquiret multitudinem indiuidualē. Denique natura ex vi suæ essentiæ respicit indiuiduationem vt sic tanquam proprium contractiuum, & ità respicit, vt ex vi suæ essentiæ sit diuisibilis indiuidualiter, ergo saluata essentia naturæ, vt saluatur in natura abstracta ab vno tantùm indiuiduo, potest illa natura sic abstracta esse in pluribus cum multiplicatione indiuiduali.

Vnde natura acquirat latitudinem.

Natura ex vi suæ essentiæ est diuisibilis indiuidualiter.

XI. Sed hinc insurgit difficultas, quomodo cum vniuersale debeat posse esse in multis, ità vt ab vnoquoque præscindat, & debeat de multis prædicari, & id tantùm de aliquo prædicetur, quod est in ipso, possit abstrahi ab vnico tantùm indiuiduo, & hæc omnia participare. pro solutione. Dico secundò. Eo ipso, quòd natura abstrahitur ab vno indiuiduo, implicitè abstrahitur ab omnib. Voco autem abstractionem implicitam illam, qua intellectus non cogitat explicitè de omnibus indiuiduis sed tantùm habet in abstractione tota id, quod haberet, si ab omnibus indiuiduis

Secunda conclusio dum natura abstrahitur ab vno indiuiduo implicitè abstrahitur ab omnibus.

uiduis explicitè abstraheret. Hoc autem dictum sequitur ex dictis in probatione præcedentis, & pro ipsius explicatione supponendum est, quòd supra tradidimus de vnitate naturæ secundùm statum realis existentiæ, nempe quòd natura sit vna vnitate formali in omnibus indiuiduis, in quibus reperitur, & quòd solùm multiplicatio, & diuisio habeatur ratione esse indiuidualis; Hinc autem fit, quòd quando abstrahitur ab vno indiuiduo esse naturæ formale, secundùm suam vnitatem formalem, quamuis intellectus non cogitet de cæteris, quia concipit naturam secundùm suum esse, nulla concepta indiuiduatione, ideò etiam implicitè abstrahat à cæteris indiuiduis, quia natura, quæ est in vno, est vna, & eadem, quæ est in alio & dum illam concipit sine aliqua indiuiduatione, implicitè abstrahit ab omni indiuiduo, quia separat naturã, quę est in omnibus indiuiduis, cogitando tamen explicitè tantùm de vna indiuiduatione.

Quomodo natura abstracta ab vno indiuiduo sit abstracta ab omnibus.

XII. Quòd autem sic necessariò dicendùm sit, conuincitur ex eo, quòd natura in statu præcisionis, cum dicat tantùm vnicum esse, & vnicam essentiam, eo ipso, quòd hoc esse essentiale concipitur etiã concipitur totum illud, quod natura potest habere in statu præcisionis, in quo dicit tantùm suamet essentialia, vt distincta ab esse indiuiduali, & totum esse naturæ, quòd præscinderetur ab omnibus indiuiduis, coiret in vnam, & eandem indiuisibilem naturam, hoc autem totum habetur ex eo, quòd concipitur natura separari ab vno indiuiduo, quia intellectus concipit adæquatum esse naturæ excludens à se omnem indiuiduationem, & non magis illam, à qua abstrahitur, quàm quamcumque aliam. Deinde, vt necessariò fatendum est, illa natura potest de pluribus prædicari, imò de omnibus salua veritate prædicationis, ergo debet esse natura, quæ fit in omnibus, alioquin non verificaretur prædicatio, & cum non sit expressè abstracta ab omnibus, erit saltem implicitè præcisa. Et ex his patet, quomodo possit natura ab vno tantùm indiuiduo abstracta esse vniuersalis, etiamsi vniuersale, debeat ordinari ad plura, de quibus possit prædicari, & consequenter iisdem inesse. ratio enim euidens est ex dictis, quia dum ab vno indiuiduo abstrahitur, implicitè etiã abstrahitur ab omnibus propter vnitatem eiusdem naturæ in omnibus inferioribus. Sed quamuis non admitteretur, quòd vna, & eadem natura esset in omnibus inferioribus, adhuc tamen militaret ratio, siquidem hoc negari non potest, quòd natura secundùm se considerata non sit vna, & indiuisibilis essentia, & ab intrinseco suo potens multiplicari in pluribus indiuidualiter; cum igitur ab vno indiuiduo abstrahatur tota essentia naturæ, abstrahitur etiam totum id, quod dicuntcætera indiuidua in ratione talis essentiæ relictis indiuiduationibus, & consequenter omnimultiplicatione, quæ ab ipsis prouenit.

Salui essentialibus naturæ, habetur totũ quod in statu præcisionis potest dici.

Per quid vltimò constituatur vniuersale, an per vnitatem an verò per aptitudinem. Disp. XXI.

Varia sententia.	*Sect. I*
Vera sententia.	*Sect. II.*

Varia sententia.

SECTIO I.

1 Constat ex dictis, tum vnitatem tum aptitudinem, qua vniuersale aptum est esse in multis per modum superioris in inferioribus, intrinsecè requiri ad constitutionem vniuersalis metaphysici, de quo nunc agimus; hinc autẽ difficultas insurgit, per quid vltimò constituatur, an per vnitatem, ita vt vnitas adueniat aptitudini; an verò per aptitudinem, ità vt aptitudo adueniat vnitati. Quod autem de vniuersali metaphysico dicitur, intelligi poterit etiam de Physico cum proportione tamen. Varij igitur modi dicendi reperiuntur apud DD. Primus asserit, constitui per vnitatem vltimatè, non tamen vult, quòd vnitas adueniat aptitudini, sed quod statim ac vnitas aduenit naturæ, intelligatur vniuersalis, absque eo, quod concipiatur aptitudo. Quon videtur docere D. Th. opusc. 56 ferè circa medium, dum ait; *Et quia res per idem ens est, & unum, & e conuersò, oportet,*

Primus modus dicendi. Vniuersale vltimo compleri per vnitatem

quòd

quòd vniuersale sit vniuersale per prædictam vnitatem, itaque natura talis cognitio facit vniuersale esse actu vniuersale. Verùm si diligenter attendatur doctrina illius opusculi, non ita ponit constitutiuum formale vniuersalis in vnitate, vt excludat aptitudinē, nam paulò post ait, de homine, in vniuersali considerato *Homo est in pluribus, & prædicatur de pluribus, non tamen vnus homo in numero, sed vnnus in specie*, & post medium subdit, *Nam ex hoc aliqua intentio est vniuersalis, in quantum relationem habet ad multa*. Ex quibus patet, non rectè hanc sententiam adscribi D. Th cum ità velit, vniuersale constitui per vnitatem, vt tamen etiam constituatur per aptitudinem. Fundamentum huius opinionis est, quia statim ac natura intelligitur vna, intelligitur etiam vniuersalis metaphysicè, & est in statu tali, vt possit de inferioribus prædicari; cum igitur prædicabilitas sequatur ad esse formale vniuersalis tanquam propria passio, ex eo, quòd ex vi vnitatis habetur prædicabilitas, debet dici, quòd vnitas sit adæquata essentia vniuersalis.

Alter modus dicendi. Vniuersale vlti mò constitui per aptitudi nem additam vnitati. Scot.

II. Alter modus dicendi, quòd vniuersale non solùm requirat vnitatem, sed etiam compleatur vltimatè per aptitudinem ipsi superuenientem; Hanc autem opinionem tradit expressè Scotus in 2. dist. 3. q. 1. in responsione ad primam difficultatem contra solutionem quæstionis, vbi docet, Vniuersale non habere actu suum esse formale, nisi cum est in intellectu respiciens plura, de quibus possit prædicari, & in hoc sequuntur cæteri Scotistæ, dum volunt, vniuersale fieri per cognitionem comparatiuam, quia necesse est, quòd intellectus attingat aptitudinem, & ordinem ad plura, & comparet vniuersale ad sua inferiora. imò etiam complures ex ijs, qui putant, vniuersale fieri per simplicem cognitionem abstractiuam absolutam, docent, vniuersale constitui per aptitudinem, quamuis postea asserant, quòd in formando vniuersale non sit necesse, hanc huiusmodi aptitudinem concipi. Huic etiam opinioni suffragatur D. Th. opusc. 55 vbi speciei intellectus tribuit vniuersalitatem ex eo, quòd ordinatur ad plura, inquit eo *Enim autem vniuersalitas non est ex hoc, quod est in anima, sed ex hoc, quod comparatur ad multa singularia se habentia opinata*. Et De ente, & essentia cap. 4. docet, quòd ex eo, quòd natura habet relationem ad plura indiuidua, intellectus adinuenit rationem talis vniuersalis, nempè speciei, ex quo colligitur, quòd vniuersale constituitur per aptitudinem, & ordinem ad plura. Verùm non conueniunt inter se huius sententiæ Auctores, nam alij ponunt, vniuersale constitui vltimatè per aptitudinem realem, alij verò per aptitudinem rationis.

D. Tho.

Tertius modus dicendi medius inter recitatos.

III. Tertius modus dicendi vtrumque præcedentem amplectitur, & ait, quòd si vniuersale sumatur pro eo, quod est aptum aptitudine intrinsecè vna, & in se singulari, hoc modo aptitudo rationis est de intrinseca ratione vniuersalis, & formaliter loquendo est ipsamet vniuersalitas, atque adeò non potest sine ipsa haberi vniuersale. Si verò sumatur præcisè vniuersale pro eo, quod est vnū aptum esse in multis præscindendo à prædictis conditionibus aptitudinis, tunc vltimò constituitur per vnitatem, quia supponitur aptitudo realis naturæ, & illi aduenit vnitas, quam ponit intellectus per abstractionem, quę superaddita, vt dictum est, aptitudini reali, constituit adæquatè vniuersale, & iuxta hunc modum dicendi vnitas aduenit aptitudini. Ita docet Auersa in Log. q. 8. sec. 10. §, *Prosolutione*.

Auersa.

Vera Sententia.

SECTIO I.

Vniuersale Metaphysicum, & Logicum.

1 IN recitatis opinionibus, & varijs modis dicendi videntur confundi vniuersale metaphysicum, & vniuersale logicum, quod consistit in aliqua secunda intentione. Itaque vt hanc confusionē euitemus, distinguendum est vniuersale in Metaphysicum, & Logicum: metaphysicum, enim dicit aliquid reale se tenens ex parte obiecti, & aliquid desumptum ex esse Physico, & tractum intra abstractionem metaphysicam, quod nihil aliud est, quàm esse naturæ præcisum ab indiuiduatione. Vniuersale Logicum dicit aliquid rationis, nempè secundas intentiones, quæ reuera non sunt in rebus consideratæ secundùm suum esse formale, sed tantùm habent fundamentum in obiectis realibus, formaliter verò sunt aliquid fictum ab intelle-

tellectu. Relicto ergo hoc vniuersali Logico, quod non spectat ad metaphysicum, & quia, quod de metaphysico dicitur, proportionaliter debet dici etiam de Logico, cum vtrumque participet rationem formalem vniuersalis, alterum quidem metaphysico modo, alterum verò Logico modo, solùm resolutio versabitur circa vniuersale metaphysicum.

Vniuersale metaphysicum nō potest co stitui per vnitatē, au aptitudinē rationis

II. Loquendo igitur de vniuersali metaphysico hoc certum debet esse, quòd ad ipsius constitutionem non potest interuenire aliqua vnitas, aut aptitudo rationis, siuè relatio aliqua, sed debet constitui per prædicata realia metaphysica desumpta ex esse physico naturæ, alioquin non esset vniuersale reale metaphysicum; Atque hic maximè aduertendum est, quòd licet aptitudo, per quam constituitur, sit vna, non tamen debet esse vna numero, vt docebat Auersa, imò hoc omninò impossibile est; quod enim est vnum numero, est omninò incommunicabile, & vniuersale ex ui aptitudinis habet communicabilitatem; quomodo ergo, si esset singularis aptitudo, posset ex vi illius habere, quòd posset pluribus communicari? Verùm tamen est, quòd etiam supra diximus, quòd, quia intellectus non potest rem aliquam concipere, nisi per species rerum sensibilium, cum alias species non habeat, fit, quòd intellectus concipiat vnitatem aptitudinis admodum vnitatis singularis, licet in se sit vna vnitate formali, quam etiam dicit natura.

Aptitudo vniuersalis non debet esse vna numero.

Vniuersale metaphysicum essentialiter constituitur per aptitudinem

III. Præterea cum vniuersale, vt seruet rationem vniuersalis, debeat posse esse in multis, vt supra declarauimus, dum eius essentiam explicauimus, fit, quòd debeat habere suam communicabilitatem, qua pluribus possit communicari, cum idem sit posse esse in pluribus, & posse pluribus communicari; cum autem aptitudo sit ratio formalis, per quam potest pluribus communicari, sequitur, quòd ad essentiale constitutiuum vniuersalis requiratur aptitudo, sine qua non possit haberi completa ratio vniuersalis, vt supra etiam dictum est. difficultas ergo procedit de aptitudine metaphysica, quam diximus ab intrinseco naturæ conuenire, an videlicet hæc vltimò compleat vniuersale, an verò sit prior vnitate, ità vt vnitas sit vltimum complementum, & concipiatur aduenire aptitudini.

Concl. Vniuersale æquè completur per aptitudinem, & vnitatē.

IV. In qua difficultate respondendum est, neque vnitatem, neque aptitudinem vltimò complere vniuersale, sed vtramque simul, & æqualiter. Quod facilè explicatur. Nam vniuersale non constituitur per quamlibet vnitatem, sed per talem, eam videlicet, quæ sit vnitas communitatis, hęc enim est propria vnitas, quæ consequitur gradum entis communicabilis inferioribus. ex hoc autem fit, quòd ex vi huius vnitatis formaliter sumptæ vniuersale habeat, quòd respiciat plura inferiora, vt quid ipsi communicabile, quia cum vnitas sit formaliter vnitas communitatis, quam intrinsecè imbibit, habet, quòd sit communicabile pluribus. Cum igitur aptitudo nihil aliud sit, nisi ratio, qua vniuersale redditur communicabile, atque sit constitutiuum talis vnitatis, nam per hoc contradistinguitur vnitas vniuersalis à cæteris vnitatibus, eadem erit vnitas, & aptitudo, & idcircò cum talis vnitas, & aptitudo sint idem, æquè vltimò constituent vniuersale. Quod etiam ex eo suaderi potest, quòd vniuersale, vt tale est, ordinatur essentialiter ad inferiora per relationem transcendentalem, ergo in suo vltimo constitutiuo inuoluit aptitudinem, qua mediante ordinetur ad illa plura. Rursus cum, vt vniuersale est, dicat gradum entis, debet dicere tale esse, & consequenter talem vnitatem, quæ consequatur tale esse, & talis vnitas non erit alia, nisi illa, quæ inuoluat aptitudinem, quia vniuersale ex vi eiusdem differentiæ dicet tale esse, & vnitatem cum aptitudine, & hæc omnia erunt unica differentia constitutiua uniuersalis. Vnde cum dicitur, uniuersale constitui per duplicem rationem, nempè unitatem, & aptitudinem, non intelligitur de tali unitate, nisi forte secundùm inadæquatum conceptum distinguatur ab apitudine, sed de unitate sumpta fundamentaliter, quæ dicit esse rei; Quocirca cum uniuersale dicitur *Esse vnum aptitum esse in multis*; ly *Vnum* stat loco generis, & idem est, ac si diceretur, esse naturam, seu rationem, quæ apta sit esse in multis.

Vniuersale habet communicabilitatem ex vi vnitatis, formaliter.

V. Si tamen uelimus secundùm conceptus inadæquatos distinguere uni-

ta-

iatem ab aptitudine, & illam conside-rare, prout reddit vniuersale tali pacto indiuiduum in se, & à quocumque alio diuisum, nempè formaliter, aptitudinem verò, prout ordinat vniuersale ad inferiora; tunc si loquamur de vnitate fundamentaliter sumpta, non est aliud quàm ipsum esse rei, prout in seipsa consideratur, quia autem prius est rem esse in se, quàm ordinari ad aliud, etiam transcendentali ordine; ideò etiam dicit ordinem transcendentalem, quia habet tale esse, & quia, quæ dicunt ordinem transcendentalem, dicunt etiam aliquid absolutum, vnitas fundamentalis dicit illud absolutum, & hinc fit, quòd sit prior aptitudine, quia absolutum illud est prius relatione transcendentali, prout secundùm inadæquatos conceptus distinguitur. Si verò loquamur de vnitate formaliter sumpta, hæc posterior est aptitudine, ratio est, quia vnitas formaliter sumpta est ex genere suo passio entis, idcircò posterior ipsomet esse; cum autem aptitudo pertineat ad esse constitutiuum vniuersalis, & non sit passio, vnitas vniuersalis, seù communitatis formaliter sumpta crit passio respectu esse ipsius vniuersalis, & consequenter etiam respectu aptitudinis, quæ spectat ad esse vniu. rsalis.

Quomodo vnitas vniuersalis possit esse prior aptitudine.

Quomodo vnitas vniuersalis sit etiã posterior aptitudine.

An vniuersalia sint ingenerabilia, & incorruptibilia, seù an sit æterna. Disp. XXII.

Naturas vniuersales corrumpi simul cum indiuiduis.

SECTIO I.

I. EXplicata natura vniuersalis, atque eiusdem existentia, superest vt de attributis ipsius, atque proprietatibus agamus, præcipuum autem attributum, quod solet vniuersali tribui, est, quòd sit ingenerabile, & incorruptibile: seù quod idem est, quòd sit æternū. Et propter hanc rationem, quia scientiæ versantur circa vniuersalia, dicuntur esse de rebus æternis, vt docet Arist. lib. 6. Eth. c. 4. & lib. 1. Post. capite item 4. Difficultas igitur est, quomodo vniuersalia sint æterna, atque difficultas ex eo oritur, quòd vniuersalia non sunt aliquid extra indiuidua, vt supra disp. 11. docuimus, & ideò non possumus confugere ad aliquid separatum, cuiusmodi erant Ideæ quæ Platoni adscribuntur, cum igitur indiuidua corrumpantur, necesse est etiam, quòd corrumpantur vniuersalia, quæ sunt in illis, vnde non videtur, posse saluari, quomodo vniuersalia sint ingenerabilia, & incorruptibilia, atque æterna.

II. Vt autem ad punctum difficultatis propius accedamus, statuimus, quòd quando indiuidua corrumpuntur, etiam corrumpitur quidquid est idem realiter cum illis, quare & ipsa quoque essentia, seù natura essentialis, quæ huiusmodi indiuidua constituit, corrumpitur, & desinit esse secundùm quod erat in illo indiuiduo, vnde peremptis omnibus indiuiduis periret etiam tota essentia, & natura secundùm omnem suam extensionem, quia scilicet, vt alibi explicauimus, ipsæmet essentiæ sunt terminus productionis intrinsecus, quatenus in indiuiduis producuntur, ita etiam, quando corrumpuntur indiuidua, naturæ ipsorum debent corrumpi. Quod totum docuit Arist. in cap. de substantia, vbi docet: Quòd corruptis primis substantijs, nempè indiuiduis, est impossibile, aliquid remanere, sed necesse est, quòd etiam secundæ pereant, hoc est naturæ genericæ, & specificæ, quæ sunt naturæ vniuersales, quia primę substantiæ sunt fundamentũ cœterorum. Quomodo autem hoc nõ obstante possibilia, quatenus talia sunt, seu essentiæ rerum possibiles sint præcisa existentia aliquid reale, & dicantur esse ab æterno secundùm esse essentiæ, alibi in priori tomo explicauimus. Nunc autem firmum manet, quòd quicquid est in indiuiduis, etiam essentiæ, seù naturæ corrumpuntur ad ipsorum corruptionem.

Concl. Natura vniuersalis corrũpitur in indiuiduis.

Arist.

III. Quod potest probari. Natura, et quælibet alia ratio, quæ concurrit ad constituendum vnum aliquod indiuiduum, identificantur cum ipsomet indiuiduo, ergo corrupto indiuiduo, necesse est, quòd corrumpatur natura, et quælibet alia ratio. De antecedenti non est difficultas, nam licet Scotistæ inter gradus entis superiores, et inferiores ponant distinctionem ex natura rei, quia tamen hæc distinctio non est realis, nempe inter rem, et rem, vt solet communiter dici, idcircò stat simul cum identificatione, et vnitate entitatis, alioquin si esset distinctio in entitate, non esset tantùm distinctio ex natura rei, sed entitatiua, et realis, itaque certum est, quòd omnes rationes, quæ concurrunt ad constituendum vnum indiuiduum, habent vnam entitatem. Atque hinc consequentia probatur. Corruptio, et generatio cadunt supra entitatem; itaque cum corruptio tollat entitatem rei, tollit etiam quicquid cum tali entitate identificatur, ex quo fit, quòd impossibile sit in ijs, quæ identificantur adinuicem, vnum corrumpi, & non corrumpi alterum, quia si tollitur entitas tollitur quicquid in ipsa est. Quod rursus potest confirmari. Entitas simplex, quæ est vna per indiuisionem in seipsa, seù per simplicitatem, est etiam omninò indiuisibilis secundùm ea, quæ dicit essentialiter, seù quæ concurrunt ad constituendam quamlibet partem homogeneam ipsius, ergo implicat, quòd in ipsa corrumpatur vna ratio, & non alia, quia tunc illa entitas dimideretur in partes non quidem integrales, sed constitutiuas, seù quasi essentiales. Dixi quasi essentiales, quia indiuiduatio non est pars essentialis, se habet tamen ad modum essentialium, quia aduenit rationibus essentialibus, & ingreditur latitudinem rerum metaphysicarum constituens suum peculiarem gradum entis. Et rursus confirmatur. Si posset in corruptione indiuidui remanere vna ratio, & alia corrumpi, deberet etiam remanere entitas illius rationis, quia quicquid manet in rerum natura, habet suam propriam entitatem, quam retineret, dum aliæ rationes corrumperentur; vnde possent constituere vnum secundùm entitatem per compositionem, qua diuersæ entitates vnirentur, & ideò neque possent continuari, sed ita deberent vniri, vt retinerent propriam distinctionem entitatum. Denique si posset corrumpi indiuiduum, & remanere aliquid ipsius, posset corrumpi ratio inferior, & remanere ratio superior, quia vel remanent omnes rationes in actu, & tunc remanet totum esse indiuiduale, vel aliquid corrumpitur, & tunc cum omnes rationes sint vel superiores, vel inferiores, aut remaneret ratio superior sine inferiori, aut contra ratio inferior sine superiori, quæ omnia implicant; vnde quæro quid corrumpatur, quando indiuiduum corrumpitur, certè debet corrumpi aliquod esse physicum, atque adeò etiam prædicata, per quæ constituebatur; modo ablato constituto, eo modo, quo aufertur, debet etiam auferri constitutiuum; tunc ergo vel debet auferri ab indiuiduo per corruptionem, aut totum esse, aut esse indiuiduale, aut aliquod prædicatum essentiale, & tunc remanebit aut aliquid essentiæ sine indiuiduatione; aut ratio inferior sine superiori, vel è contra ratio superior sine inferiori; cum ergo non possit remanere aliqua ratio sola siuè superior, siuè inferior, aut è contra, aut natura sine indiuiduatione, aut indiuiduatio sine natura, dicendum est, totum esse indiuidui perire.

IV. Secundò argumentor. Quicquid est in indiuiduo, est aliquid participatum, & sumendo aliquod indiuiduum, quod immediatè à Deo recipiat esse per creationem, vt est anima rationalis, totum esse, quod habet, participat à Deo, & etiam cætera indiuidua, quæ non sunt immediatè à Deo, sed à causis secundis, adhuc participant esse à Deo, quatenus Deus, vt causa prima concurrit ad ipsorum productionem; omne enim esse, præter Deum, participatum est, ergo quando aliquod indiuiduum destruitur, tollitur totum esse, quod in seipso habet, & consequenter nihil de illo remanet. Hæc consequentia probatur, nā quando destruitur aliquod indiuiduum, cessat illa communicatio, qua ipsi esse

Margin notes: s. ratio. — Cur. de entitate indiuidua corrupta nō possit aliquid remanere. — Corruptio, & generatio cadunt supra totā entitate. — Entitas simplex indiuisibilis in seipsa. — Totū esse indiuidui est participatum.

par

participatum cõmunicabatur, cum igitur omne eſse indiuidui ſit participatũ; ceſsante communicatione, ceſsabit etiam omne eſse participatum. Atque in confirmationem eiuſdem rationis addi poteſt, quòd quando deſtruitur indiuiduum, tollitur adæquatè exiſtentia ipſius, ſicuti quando producitur adæquatè ponitur, ergo ſiue exiſtentia ſit diſtincta à re, quæ exiſtit, ſiuè indiſtincta, quia tamen eſse indiuidui eſt in actu per exiſtentiam tanquam per cauſam formalem, qua ponitur in eſse, ablata exiſtentia debet auferri totum eſse indiuidui. Maneat ergo firmum, quòd quando indiuidua corrumpuntur, nihil de ipſis remanet, ſed ſecundùm totum eſse, etiam naturæ, ſeù eſsentiæ deſtruuntur. Verùm hinc augetur difficultas propoſita, quomodo ſcilicet naturæ vniuerſales, cum ſint tantùm in indiuiduis, quia & ad ipſorum corruptionem corrumpantur, ſint nihilominus ingenerabiles, & incorruptibiles.

Corruptio tollit adæquatè exiſtentiam.

Reijciuntur variæ reſponſiones, & vera explicatur.

SECTIO II.

Reſp. iuxta Ariſtotelem.

I. POteſt propoſitæ difficultati ſatisfieri iuxta ſententiam Ariſt. & aliorum Philoſophorum putantium, Mundum fuiſse ab æterno, & etiam perpetuò duraturum. Rerum naturas poſse conſiderari ſimpliciter, vel prout ſunt determinatæ ad hoc, vel illud indiuiduum; ſi hoc ſecundo modo accipiantur, quia vnumquodque indiuiduum corruptibile eſt, ſaltem in aliquibus ſpeciebus, imò in omnibus ferè exceptis nonnullis, quæ ominò incorruptibilia putauerunt Philoſophi illi, vt cælum, intelligentias, & ſi quæ ſunt alia, idcirco etiam naturas tali pacto conſideratas corruptibiles eſse. Quia tamen ità corrumpuntur indiuidua, vt ſemper aliquod ipſorum actu remaneat, ideò natura ſimpliciter conſiderata incorruptibilis eſt, & ęterna, quia per qualemcumqne corruptionem indiuiduorum ipſa ſemper manet in aliquo indiuiduo; quod verò ſit hoc, vel illud parum refert ad naturam in vniuerſali conſideratam. Verùm licet hæc reſponſio in horum doctrina ſaluet ęternitatem vniuerſalis, quia tamen nititur falſo principio ſecundùm Fidem catholicam, & conſequenter etiam ſecundùm veritatem, quia veritas philoſophica non aduerſatur Fidei Catholicæ, idcirco neque ſecundùm veritatem ſaluat, quomodo vniuerſalia ſint æterna, & incorruptibilia.

Arguitur falſitatis.

II. Secundò reſpondet Soncin. 7. Met. quæſt. 40. in reſponſ. ad 5. & lib. 9. quæſt. 4. in ſolutione fundamenti oppoſitæ ſententiæ; qui docet, Vniuerſalia non eſse incorruptibilia per aliquam formam dantem eſse incorruptibile, ſed ideò dici incorruptibilia, quia non corrumpuntur per ſe, ſed tantùm ad corruptionem indiuiduorum. Verùm neque hæc reſponſio ſoluit difficultatem. Et vrgeri poteſt, quia etiam ſi non corrumpantur per ſe, adhuc tamen verum eſt dicere, quòd corrumpantur, & conſequenter, quod non ſint æterna, ſed ex natura ſua corruptibilia, quod tamen falſum eſt, quia cum ſint obiectum ſcientiarum, debent eſse æterna, & incorruptibilia; & ſi ſemel quocumque modo corrumpuntur, deſinit conditio intrinſeca, & neceſsaria ad conſtituendum obiectum ſcientificum; & inſtari poteſt: Corruptibilitas, et Incorruptibilitas immediatè opponuntur, et vna adæquatè tollit aliam, quia hæc eſt natura differentiarum immediatè oppoſitarum, quòd vna adæquatè tollat aliam, ergo ſi ſemel in naturis ponitur corruptibilitas, auſertur ab ipſis omnis incorruptibilitas, et conſequenter vniuerſalia ſunt ſimpliciter corruptibilia.

2. reſp. Soncin.

Reijcitur.

Vniuerſalia corrumpuntur ratione indiuiduorũ.

III. Preterea naturis vniuerſalibus conuenit per ſe eſse in indiuiduis, et in illis produci, ita vt adæquata poſſibilitas ipſarum per ſe, et formaliter includat eſse indiuiduale, ergo cum natura vniuerſalis per ſe petat eſse in indiuiduis, atque in illis corrumpatur, petet per ſe poſse corrumpi. Et confirmatur. Corruptio cadit ſupra entitatem rei, et natura vniuerſalis habet eandem entitatem, quam habet eſse indiuiduale, nam cum ipſo identificatur, ergo ſi natura vniuerſalis eſt eadem entitas, ac natura indiuidualis, et entitas indiuidualis eſt per ſe corruptibilis, etiam natura vniuerſalis, ex eo, quòd eſt identificata cum indiuiduis, erit per ſe

Vniuerſalis natura eſt per ſe corruptibilis.

corruptibilis. Rursus quòd corrumpitur, secundùm suum esse intrinsecum corrumpitur, & impossibile est, aliquid corrumpi, & non desinere secundùm suum esse intrinsecum, ergo si semel naturæ vniuersales in indiuiduis corrumpuntur, debent secundùm suum esse intrinsecum corrumpi, quod autem secundùm suum esse intrinsecum corrumpitur, debet etiam esse intrinsecè corruptibile, hoc est secundùm suum esse intrinsecum, atque adeo cum omnia, quæ secundùm esse intrinsecum conueniunt, per se conueniant, natura vniuersalis erit per se corruptibilis.

3 resp. Suarez. Serna. IV. Tertiò respondet Suarez in Met. disp. 6. sect. 7, dub. 4. Serna in Logica disp. 1. quæst. 8. arr. 3. & est communis responsio. Naturas vniuersales posse considerari, & secundùm existentiam, & secundùm essentiam, seu esse potentiale, quod idem est, ac esse possibile. Si considerentur secundùm existentiam esse quidem corruptibiles; si verò considerentur secundùm essentiam, seu esse potentiale esse incorruptibiles, & æternas. Quod si objicias, hanc etiam incorruptibilitatem, & esse tali pacto æternum conuenire indiuiduis, siquidem etiam ipsa secundùm esse possibile neque corrumpuntur, neque generantur, sed ab æterno fuerunt possibilia, & ideò hanc non esse propriam incorruptibilitatem rerum vniuersalium; Respondet Suarez. Hoc quidem verum esse secundùm rem, esse tamen diuersitatem in modo concipiendi, nam vniuersalia eo ipso, quòd abstrahuntur à singularibus, abstrahuntur etiam à loco, & tempore, & ideò neque circa ipsa versantur actiones, seu corruptiones.

Reijicitur. V. Sed neque hæc responsio satisfacit Nam si verum est, quòd eadem est ratio, vt ipse Suarez concedit de vniuersalibus consideratis secundùm esse potentiale, seu possibile, ac de indiuiduis loquendo secundùm rem, ergo secundum rem aut vtraque sunt corruptibilia, aut vtraque incorruptibilia, & sic non saluatur propria incorruptibilitas vniuersalis secundùm rem. Deinde argumentor. Etiam in statu possibilitatis naturæ vniuersales sunt identificatæ cum indiuiduis, & in tantùm sunt possibiles, in quantùm sunt identificatæ cum aliquo esse indiuiduali, sicut enim quod actu existit est necessariò singulare, ita etiam quod potest existere, vt habeat esse tale, quod sit aptum ad existendum, debet esse singulare possibile; ergo quicquid dicitur de indiuiduis secundùm statum possibilitatis, debet etiam dici de naturis vniuersalibus, cum sint cum indiuiduis identificatæ. Et confirmatur. Variatio statuum secundùm esse possibile, vel actuale, non variat ea, quæ ab intrinseco conueniunt, sed naturæ, dum est in indiuiduis existentibus secundùm suum esse intrinsecum considerata, vt ostensum fuit in impugnatione præcedentis responsionis, conuenit posse corrumpi, ergo ex se habet, quòd possit corrumpi, & variatio statuum solùm facit, quòd in statu possibilitatis conueniat producibilitas, & in statu realis existentiæ corruptibilitas, sicuti etiam conuenit indiuiduis. Denique si naturæ vniuersales considerentur secundùm esse potentiale, non sunt in se, sed tantùm in causa, & habent tantùm potentiam obiectiuam, quæ nihil aliud dicit, nisi illud esse, quod potest res habere à causa, posse concipi ab aliquo intellectu, & illi objici; non tamen ex hoc fit, quòd res habeat esse aliquod in seipsa, at vniuersale secundùm quod est in se, est incorruptibile, & æternum, & ideo non potest intelligi de vniuersali secundùm esse potentiale. Atque hic est aduertendum, quòd Suarez confundit vniuersale secundùm esse potentiale, seu possibile cum vniuersali secundùm esse abstractum, vt satisfaciat obiectioni, quam ipse mouerat, quod tamen perperam facit, nam vniuersale secundùm esse abstractum, seu vniuersale metaphysicum est posterius ipsomet statu possibilitatis, quod euidenter conuincit ipsa abstractio, siquidem abstractio dicit, quòd natura separetur ab indiuiduis, & consequenter supponitur, quòd sit in ipsis, hoc autem debet esse saltem secundùm statum possibilitatis, si non sit secundùm statum existentiæ; cum igitur vniuersale abstractum debet abstrahi vel ab indiuiduis existentibus, vel possibilibus, necessariò debeat esse posterius statu possibilitatis. Deinde quod est in statu possibilitatis, debet posse reduci ad actum; vniuersale autem metaphysicum se solo spectatum numquam

Eadem ratio de indiuiduis possibilibus ac de existentibus quo ad corruptibilitatem.

Vniuersale metaphysicum est posterius statu possibilitatis.

Naturæ possibiles adhuc identificatæ sunt indiuiduis.

po-

potest reduci ad actum realis existentiæ.

Vera responsio D. Th.

VI. Vera igitur responsio est, quæ desumitur ex D. Th. p.par. q. 16 art. 7. in responsione ad 2. pro cuius explicatione aduertendum est, quòd quando dicitur, vniuersale esse æternum, & incorruptibile, debet intelligi de vniuersali metaphysico formaliter sumpto, & prout habet esse abstractum, non verò de vniuersali Physico, dicitur enim vniuersale esse æternum, & incorruptibile secundùm quod est obiectum scientiarum; est autem obiectum secundùm quod habet esse abstractum; scientiæ enim versantur tantùm circa obiecta, quæ abstrahant saltem à materia signata, nempè indiuiduatione. Vniuersale igitur sic abstractum dicitur æternum, seù semper esse, & incorruptibile secundùm suum proprium esse intrinsecum, non quia participet aliquam intrinsecam rationem, per quam formaliter constituatur, & positiuè in esse æterno, & incorruptibili, quia esse tali pacto æternum, & incorruptibile, dicit habere, aut saltem posse habere actuale esse, æternitas enim positiua, & incorruptibilitas est tantùm in ordine ad existentiam; seù æternitas est ipsa continuata existentia, vniuersale autem omnino præscindit ab existentia; sed dicitur æternum, & incorruptibile, quia nec vnquam incœpit, nec potest vnquam incipere, nec vnquam consequenter desinere, quia non habet in sé per quid possit incipere, aut desinere; nec est aptum, vt circa ipsum versetur corruptibilitas, aut incœptio; vnde est solùm æternum, & incorruptibile per solam remotionem corruptibilitatis, & incœptionis, non verò per positionem incorruptibilitatis, & æternitatis; quare cum æternitas duo dicat, & positiuum, quo aliquid est æternum, & indefectibile; & negationem, quam fundat de corruptibilitate, & incœptione, vniuersale habet negationem, non verò positiuum. Hanc autem negationem fundat vniuersale in suo proprio esse ex eo, quòd est præcisum ab indiuiduatione; quia enim in tali statu non habet totum illud esse, quod est simpliciter necessarium ad existendum, consequenter neque potest circa ipsum versari incœptio, aut corruptio. Et hinc est, quòd D. Th. citato loco, cum distinxisset duos modos essendi semper, & vbique; nempe vel quia, quod est, habeat in se, vnde se extendat ad omnem locum, & omne tempus, vel quia non habet vnde se extendat ad aliquem locum, & tempus, concludit. *Et per hunc modum* (nempe secundum) *quodlibet vniuersale dicitur esse vbique, & semper, in quantum vniuersalia abstrahuntur ab hic, & nunc.*

Quòdnam vniuersale sit æternum &c.

Cur dicatur æternum.

Incorruptibilitas cadit supra existentiã.

VII. Cæterùm quia incorruptibilitas propriè cadit supra existentiam; supponit enim, quòd aliquid habeat esse, & secundùm hoc nequeat corrumpi, & hoc verum est, nedum si sumatur secundùm esse positiuum, sed etiam secundùm negationem, quam dicit; hæc enim negatio non est quæcumque negatio corruptibilitatis, quia tali pacto etiam nihilum posset dici incorruptibile, sed est negatio, quę habet pro fundamento tale existere, quod non sit capax corruptibilitatis; idcirco non puto, aliquo pacto posse vniuersale cum aliqua proprietate dici incorruptibile. Et idem puto etiam dicendum esse de eiusdem æternitate, si tali ratione, quia videlicet non est capax ad existendum, dicatur æternum. Æternitas enim dicit durationem rei indefectibilem, vnde cum non possit haberi duratio sine existentia, & semper æternitas versetur circa singulare, sicut etiam quælibet alia duratio, idcircò ex hoc capite non potest conuenire vllo pacto æternitas propriè dicta vniuersali. Quòd enim dicatur æternum, quia non habet per quid se extendat ad aliquam durationem, valdè impropriè, & cum magna abusione terminorum appellatur æternum.

Vniuersale non est propriè æternũ, &c.

Quomodo alio modo vniuersale cũ aliqua proprietate dicatur ęternũ.

VIII. Itaque supponendo quòd vniuersale non dicatur aliquo pacto propriè incorruptibile, nisi forte incorruptibile sumatur pro æterno, existimo, quando vniuersale dicitur ęternum, posse aliquo pacto positiuè, & cum aliqua proprietate intelligi, si videlicet alio modo explicetur. Æternitas igitur in sua proprietate considerata, & durationem indefectibilem, & immutabilitatem importat: non enim in quæstionem voco, an immutabilitas sit de conceptu formali æternitatis, an extra ipsam, sed sufficit mihi, quòd id, quod est æternum, eo ipso, quòd est æternum, sit etiam immutabile, quicquid sit, an possit distincto conceptu conci-

pi immutabilitas, & ratio formalis adæquata æternitatis. Omnimoda igitur immutabilitas est aliquid importatum ab eo, quod est æternum, quia æternum est. Cum ergo vniuersale dicitur æternum, non debet intelligi secundùm durationem indefectibilem, sed secundùm immutabilitatem, & hoc pacto positiuo modo est æternum, quia secundùm suum esse intrinsecum metaphysicum est omnino immutabile, cum dicat essentiam naturæ; omnis autem essentia in suo esse intrinseco est immutabilis, atque id habet ab intrinseco. Atque si hoc pacto æternum sumatur, potest conuenire etiam vniuersali physico, vt tale est, quia essentiæ quoque physicæ sunt ab intrinseco omnino immutabiles, & ideo quodlibet indiuiduum quoad speciem est semper idem cum alio, nec contingit vnquam aliqua variatio, quæ omnino impossibilis est. Et si à posteriori volumus arguere, explicatio vera esse comprobatur; nam scientiæ non aliam æternitatem requirunt in obiecto, præter immutabilitatem, quia solùm requirunt obiectum, vt sit semper idem, secundùm quod est obiectum; hæc autem immutabilitas facit obiectum omnino inuariabile, vnde cum ob exigentiam scientiarum, ad quarum certitudinem ordinatur æternitas vniuersalis, non requiratur alia æternitas, præter immutabilitatem, dicendum est, quòd hæc sola æternitas ipsi conueniat, & non alia. Deinde quia, si cũ aliqua proprietate, seruata tamen proportione, & secundũ esse positiuum loqui velimus, nulla alia ratio æternitatis potest tribui vniuersali, præter prędictam.

Quæ æternitas requiratur scientiæ in obiecto.

Non posse vniuersale produci separatum ab indiuiduis, etiam per Dei potentiam ex dictis deducitur.

SECTIO III.

Concl. Neque per Dei potentiam pòt produci vniuersale separat ab indiuiduis. Soncin.

1 Ex dictis deducitur, neque per Dei potentiam posse vniuersale metaphysicum poni à parte rei. Si enim vniuersale metaphysicum, vt sectione præcedenti diximus, non dicit totum id, quod requiritur ad existendum, non potest vllo pacto poni à parte rei. Hoc autem corollarium euidens est ex ipsis terminis, & traditur à Soncin. 7 Metaphys. quæst. 41. quamuis ex aliis fundamentis procedat. Sed possumus hoc declarare. Vniuersale enim metaphysicum, eo ipso quòd metaphysicum est, debet esse abstractum ab indiuiduis, & habere esse tantùm obiectiuè in intellectu: ergo non potest seruare rationem vniuersalis metaphysici, & poni à parte rei, quia tunc non haberet amplius rationem vniuersalis metaphysici. Et confirmatur. Vniuersale metaphysicum debet esse ex natura sua aptum, vt possit esse in multis tanquam superius in inferioribus: & debet posse de illis prædicari, si autem vniuersale metaphysicum poneretur à parte rei, non posset esse in pluribus, tanquam ratio superior in inferioribus, nec posset de illis prædicari. Quòd autem non posset esse in multis tanquam ratio superior in inferioribus, colligitur ex eo, quia esse in multis ad modum superioris in inferioribus dicit esse in illis tanquam constitutiuum intrinsecum; si autem vniuersale metaphysicũ positum à parte rei poneretur in pluribus, deberet poni in ipsis, vt quid ab illis realiter distinctum, & consequenter supponeret, quòd ea, in quibus poneretur, haberent iam suum esse, per quod ab ipso distinguerentur, & ideò non posset esse intrinsecum constitutiuum. Deinde neque posset prædicari; nam prædicatio vniuersalis de suis inferioribus, fundatur in identitate naturæ communis cum indiuiduis, si autem poneretur vniuersale metaphysicum à parte rei, cum nullo identificaretur, sed esset distinctum à quocunque, quod non esset ipsum, & ideo de nullo posset prædicari vt vniuersale.

Vniuersale metaphysicum existit tantũ obiectiue in intellectu

11. Præterea eo ipso, quòd aliquod ponitur à parte rei, habet suam propriam entitatem, qua entitatiuè est indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio, ergo si vniuersale metaphysicum poneretur à parte rei per Dei potentiam, haberet suum esse entitatiuum, quo esset indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio entitatiuè, atque adeo vnum indiuidualiter, quia distingui entitatiuè ab alio est distingui, nedum secundùm essentiam, sed etiam secundùm aliquod vlterius, & ideo indiuidualiter, cum omnis distinctio aut sit secundùm essentiam, aut secundùm esse indiuiduale. Et potest confirmari

2. ratio. Vniuersale metaphysicũ positũ a parte rei, redderet indiuiduum

hæc

hæc ratio. Quod ponitur à parte rei per quæcumque causam, est terminus actionis singularis, quia cùm omnis causa, quæ operatur, singularis sit, præsertim Deus, cui singularitas est essentialis, etiam quæcumque actio, quæ à tali causa proueniat, debet esse singularis, nam proportionatur suomet principio, ergo quicquid producitur, debet esse singulare, quoniam actio singularis est tantùm ad terminum singularem. Si igitur vniuersale metaphysicum per Dei absolutam potentiam poneretur à parte rei, non esset amplius vniuersale, sed fieret particulare, quod omninò implicat, nisi superaddatur indiuiduatio.

3. ratio III. Tertiò argumentari possumus ex identificatione vniuersalis cum suis inferioribus, constituit enim simul cum quolibet indiuiduo vnicam simplicem entitatem, idque habet ex natura sua, ergo cum Dei potentia non possit immutare naturas rerum, neque etiam potest separare ea, quæ inuicem identificantur, quia sunt rationes, quæ ex vi suæ essentiæ petunt inuicem identificari. Si autem produceret vniuersale metaphysicum à parte rei, separaret naturam superiorem ab inferiori, cum qua obtinet vnam simplicem entitatem, quod omninò implicat, quia est vnica simplex entitas. Et confirmatur; si posset producere vniuersale metaphysicum, & præcisum, posset etiam à parte rei separare esse naturæ ab esse indiuiduali, non enim est maior ratio, cur possit se solo existere esse naturæ, & non esse induiduale, cum vtrumque sint gradus entis concurrentes ad vnam entitatem completam. Rursus posset separare gradus intermedios ab inferioribus, & superioribus, tunc autem posset existere indiuiduatio absque aliquo alio, rationalitas absque aliquo alio, atque adeò ex natura sua distinguerentur tanquam res, & vna simplex entitas coalesceret ex pluribus rebus, quæ omnia absurda sunt, nec vllo pacto intelligi possunt, imò vna simplex entitas coalesceret ex pluribus entitatibus.

Vniuersale simul cū indiuiduatione ex natura sua constituit simplicē entitatē inseparabiliter.

Accidēs separatū ab omni subiecto non esset vniuersale.

IV. Hinc elicitur, quòd etiam si Deus produceret accidens separatum ab omni subiecto, vt potest contingere in ijs, quæ habent propriam entitatem, aut accidens in subiecto positum, separatum conseruaret, vt contingit in Eucharistia, non ideò Deus poneret vniuersale metaphysicum à parte rei, quia huiusmodi accidens non esset vniuersale, cum non posset prædicari de pluribus, vt superius de inferioribus, nec esse constitutiuum ipsorum, vt etiam adnotauit Soncin. cit. q. 41. lib. 7. Metaphys. Non tamen eidem Auctori assentior asserenti ibidem, quòd tunc tale accidens non esset vnum vnitate numerali, sed tantùm transcendentali, quia adhuc vnitas transcendentalis præcisè considerata est vnitas vniuersalis, cum dicat aptitudinem, vt sit in pluribus, tunc autem tale accidens non haberet hanc aptitudinem, sed esset omninò incommunicabile, & eandem vnitatem haberet, ac si esset in subiecto, nam haberet eandem omninò entitatem, & consequenter eandem vnitatem, & idcirco etiam ex hoc capite tale accidens non esset vniuersale, sicuti etiam eadem ratione supra diximus, quòd si Deus per replicationem poneret idem accidens in pluribus subiectis, quia esset idem numero, non esset aliquod vniuersale.

Soncin.

Tale accidens esset vnū numero.

V. Similiter ex dictis deducitur Soncin. loco citato procedere ex falso supposito, dum negat, posse per Dei potentiam fieri vniuersale à parte rei, ex eo, quòd non potest natura reperiri sine quantitate; hoc enim tantùm procedit de vniuersali corporeo, & materiali, quod solùm aptum est affici quantitate. Deinde supposito, quòd quantitas sit accidens distinctum à substantia realiter, vt ipsi Thomistæ docent, non apparet ratio aliqua, cur non possit Deus naturas corporeas producere sine quantitate. Deinde etiam falsum est, quod ait ibidem, quòd ex eo, quòd animal non possit haberi sine esse carnis, & ossis, non possit haberi sine qualitatibus sensibilibus, & consequenter sine quantitate, nam esse carnis, & ossis non dicit aliquid accidentale, sed aliquid substantiale; & dato quod diceret aliquid accidentale, adhuc accidentia per Dei potentiam possent esse sine quantitate, si quantitas est accidens distinctum realiter à cæteris. Similiter etiam falsum est, quòd ex eo, quòd non potest esse animal sine sensibilitate, non possit esse sine quantitate, quia sine quantitate non posset ab obiectis sensi-

Expenditur doctrina Soncin.

bili-

bilibus immutari. Non enim sensibilitas consistit essentialiter in quantitate, sed in quidditate ipsius animalis sensibilis; quantitas verò est tantùm requisitum non ad constituendam sensibilitatem, sed solùm ad actualem sensationem, & ad hoc, vt possit sensus ab obiectis extensis immutari.

De prædicabilitate Vniuersalis, & actu eiusdem essendi in pluribus. Disp. XXIII.

Explicatur Prædicabilitas vniuersalis.

SECTIO I.

I. Diximus in explicanda natura vniuersalis, prædicabilitatem esse passionem propriam vniuersalis, quatenus vniuersale est vnum aptum esse in multis, ex eo enim, quòd aptum est esse in multis, sequitur, quòd de multis possit prædicari, quia autem actualis prædicatio ponit vniuersale in pluribus, ideò intelligentia de ipsa prædicabilitate pendet ab actu, quo vniuersale est in pluribus. Imò cum prædicatio enunciet id, quod est, adhoc, vt sit vera, sequitur, quòd prædicatio vniuersalis de suis inferioribus debeat dicere actum ipsius, quo est in pluribus, atque licèt vniuersale, vt de pluribus possit prædicari, debeat esse abstractum ab ipsis, tamen ista abstractio etiam debet supponere actum, quo sit in pluribus, alioquin prædicatio falsa esset. Ideò hoc totum in hac disputatione explicabimus, cum vnum sine altero nequeat adæquatè intelligi.

Quænam prædicabilitas sit passio vniuersalis.

II. Quod igitur spectat ad prædicabilitatem, vt sit propria solius vniuersalis, non debet sumi pro quacunque prædicabilitate, vt etiam supra admonuimus; nam etiam passio prædicatur de subiecto, æquale de æquali, indiuiduum de indiuiduo, inferius de superiori, & tamen nullum ex his prædicatur, vt vniuersale. Prædicabilitas ergo, quæ est propria vniuersalis, debet esse essentialis, & in quid, quia vniuersale est essentiale suis inferioribus; rursus debet esse prædicabilitas constitutiui de cõstituto, quia inferiora constituuntur in tali esse per naturas vniuersales, & quia vniuersale non est constitutiuum totale inferiorum, sed partiale, & constitutiuum commune pluribus, idcircò debet esse prædicabilitas superioris de suis inferioribus, quæ etiam solet dici prædicabilitas directa, & hæc est propria solius vniuersalis.

III. Quia autem natura est illa, quæ de inferioribus prædicatur, ita vt esse naturæ vniuersalis tanquam intrinsecum constitutiuum per prædicationem inferioribus tribuatur, vt docent etiam D. Th. opusc. 56. & De ente. & essentia cap. 8. Caiet. ibid post q. 6. dub. *Quid de inferioribus prædicetur*. Capreol. in 3. d. 5. quæst. 3. art. 3. & nos etiam supra explicauimus, hinc fit, quòd ista prædicabilitas, quæ est passio vniuersalis, debeat esse passio naturæ. Cæterùm quia vniuersali Metaphysico tantũ conuenit posse de pluribus prædicari, idcirco prædicabilitas huiusmodi erit proprietas naturę præcisę ab indiuiduis. Verùm quia natura secundùm se considerata potest de inferioribus prædicari, idcircò hæc proprietas non erit passio realiter distincta à natura præcisa, sed erit passio metaphysica distincta tantum secundùm suam formalitatem, sicuti etiam passiones entis distinguuntur ab ente.

Prædicabilitas vniuersalis consequitur ad ipsã naturã. D. Th. Caiet. Capr.

IV. Difficultas modò est, an sit quid distinctum ab aptitudine, qua potest esse in pluribus, an verò sit ipsamet aptitudo. Et quidem videtur, quòd non sit distincta, quia sicuti prędicatio ponit naturam vniuersalem in inferioribus tribuendo iisdem quicquid dicit natura, ita prædicabilitas dicit, quòd possit poni, hoc autem etiam formaliter præstat aptitudo; facit enim, quòd natura possit esse in illis. Vnde Scot. q. 15. vniuersal. quem sequitur etiam Hurtadus in Log. disp. 3. sect. 1. cum censeat, prędicabilitatem esse formaliter vniuersalitatem, etiam tenetur asserere, quòd prædicabilitas sit idem, quod

An prædicabilitas vniuersalis sit distincta ab eiusdem aptitudine.

Scot. Hurtad.

apti-

Prædicabilitatē esse idem cum aptitudine Auersa. Serna.

aptitudo ad essendum in multis, quia per hanc aptitudinem formaliter, vt diximus, constituitur vniuersale. Verùm alij, & complures præcipuè verò Auersa in Log. quæst. 8. sect. 14. Serna in Logica disp. 1. sect. 4. quæst. 8 art. 1. distinguunt duplicem aptitudinem, aliam, qua natura potest esse in pluribus, & aliā, quæ potest de pluribus prædicari.

Duplex aptitudo alia qua natura pôt esse i pluribus, alia qua potest de pluribus prædicari.

V. Et quidem ità dicendum esse non dubito, quod vt planè teneatur, aduertimus, quòd aptitudo, ad essendum in pluribus absoluta est à quocumque ordine, quem dicat ad intellectum, & solùm respicit illa plura, in quibus potest esse, quòd enim natura sit in pluribus, habet omninò independenter ab intellectu; & consequenter si independenter ab intellectu habet actum, habebit etiam independenter ab ipso aptitudinem, quia semper actus proportionatur potentiæ, & è contra potentia actui. Aptitudo verò ad prædicandum de pluribus non est absoluta ab ordine ad intellectum, sed essentialiter includit relationem ad ipsum; sicuti enim actualis prædicatio nequit fieri sine operatione intellectus enunciantis vnum de alio; ità neque prædicabilitas in actu primo potest haberi sine ordine ad intellectum, quatenus potest prædicare, & enunciare.

Quid sit prædicabilitas.

Prædicabilitas igitur, prout se tenet ex parte naturę, nihil aliud est, quàm ipsa natura, quatenus dicit ordinem ad intellectum; natura enim ex se habet aptitudinem, vt sit in pluribus præciso quocumque opere intellectus; verùm quia secundùm se totam est cognoscibilis, est & cognoscibilis secundùm hanc aptitudinem; supposita ergo præcisione naturæ, & eiusdem identificatione cum inferioribus, sic præcisa obijcitur intellectui ex vi suæ aptitudinis tanquam aliquid, quod possit tribui indiuiduis per affirmationem, & iudicium intellectus, sic igitur considerata, dicit formaliter prædicabilitatem, quæ, vt patet ex dictis, consistit in quodam ordine transcendentali ad intellectum, & coniungibilitate per modum affirmationis cum inferioribus.

VI. Solùm potest dubitari in ordine ad quem actum dicatur prædicabilitas, Prædicabilitas enim respicit actum prædicationis, qui duplex est, alius secundùm essentiam, alius secundùm existentiam; primus enunciat aliquid esse tale essentialiter, alter enunciat, quòd res sit talis à parte rei, hoc est, quod actu existat, Aliqui igitur volunt, quòd prædicabilitas vniuersalis sit in ordine ad actum prædicationis secundùm existentiam, alij verò ad actum prædicationis secundùm essentiam.

Duplex actus prædicationis.

Auersa autem cit. sect. 14. quæst. 8. suæ Logicæ vult, prædicabilitatem dici cum ordine ad vtrumque actum essentiæ scilicet, & existentiæ.

Auersa.

Verùm hoc non potest probari; quia per ordinem ad illum actum tantùm dicitur prædicabilitas, qui per prædicationem exprimitur, actus enim commensuratur potentiæ, & è contra, nec aliam actum potentia respicit, nisi illum, per quem fit in actu; modò quando vniuersale prædicatur de inferioribus, quia huiusmodi prædicatio fundatur in identitate illius cum inferioribus, & exprimit tantùm conuenientiam, qua vniuersale conuenit inferioribus, idcircò per ordinem ad hunc actum tantùm dicitur prædicabilitas. Huiusmodi autem actus est tantùm actus essentiæ, quia essentialiter vniuersale conuenit inferioribus, vt intrinsecum constitutiuum, & prædicatio semper est essentialis, nec vnquam vniuersale prædicatur, nisi vt prædicatum intrinsecum, vnde prædicabilitas vniuersalis respiciet semper actum prædicationis secundùm essentiam.

In ordine ad quē actū prædicationis dicatur prædicabilitas.

Quòd si aliquando interueniet etiam existentia, quia tamen ex vi illius prædicationis formaliter non exprimitur actus existentiæ, sed tantùm essentiæ, ideò existentia non respicietur à prædicabilitate vniuersalis, sed per accidens se habebit, quòd prædicatio cadat supra subiectum, quòd existat, vel sit in statu possibilitatis.

VII. Ex dictis colligitur, subijcibilitatem non esse proprietatem vniuersalis, vt docet etiam Serna in Logica. Disput. 1. sectione 4. quæst. 8. articulo 2. quia videlicet est terminus oppositus vniuersalitatis; vniuersale enim vt tale dicit ordinem ad ea, in quibus potest es-

Subijcibilitas nō est proprietas vniuersalis.

se, & de quibus potest prædicari; hæc autem sunt illa, quæ ipsi subijciuntur; vnde ratione subiicibilitatis respiciuntur ab vniuersali. Terminus autem relatiuè oppositus non potest esse passio sui correlatiui. Vnde cum dicitur, quòd ea omnia sunt passiones vniuersalis, quæ important specialem modum intelligibilitatis ipsius, & subijcibilitatem importare talem modum; responderi debet, id esse verum de ijs modis intelligibilitatis, qui conueniunt vniuersali vt tale est; subijcibilitas autem non conuenit ipsi, vt vniuersale est.

Explicatur actus essendi in multis natura vniuersalis.

SECTIO III.

Actus vniuersalis essendi in multis.

I. Actus, quo natura vniuersalis ponitur in multis, est actus identitatis, quo cum multis identificatur, vt enim supra diximus, natura est in pluribus per identificationem. Cum igitur vniuersale, vt tale est, constituatur per aptitudinem, qua vt vnum quid commune potest esse in multis, sequitur, quòd actus essendi in multis debeat esse terminus, ad quem ordinetur aptitudo vniuersalis. Verùm hic difficultas oritur de quonam actu debeat intelligi, quando dicitur vniuersale constitui per ordinem ad actum essendi in multis.

Triplex actus essendi in multis.

Tripliciter enim actus essendi in multis potest considerari, vel secundùm essentiam, quo videlicet natura est in multis, vt quid spectans ad essentiam illorum; qui actus est prior quacumque ratione existentiæ. Alius est actus existentiæ realis, quo videlicet natura existere potest in multis à parte rei. Denique tertius actus est actus existentiæ obiectiuæ, quo natura secundùm esse obiectiuum ponitur in multis. Difficultas ergo est, per ordinem ad quem ex his actibus dicatur aptitudo vniuersalis.

Quis actum essendi in multis dicat vniuersale.

Opinio Auersæ

II. Auersa in Logica q. 8. sect. 12. docet, quòd aptitudo naturæ vniuersalis non dicitur per ordinem ad actum essentiæ, seu identitatis, qua mediante, vt quid vniuersale natura identificatur cum singularibus, sed dici per ordinem ad actum existentiæ. Fundamentum est; quia aliud est dicere, naturam vniuersalem constitui per actum essendi in pluribus, quoad existentiam, & aliud constitui per aptitudinem ad talem actum. Primum dici non potest, quia etiamsi non actu existat, adhuc tamen est vniuersalis; secundùm autem est verum, quia dum tali pacto natura concipitur apta, verè concipitur vniuersalis. Neq; ante actum identitatis essentialis debet excogitari aliqua alia aptitudo, quia hic actus pertinet ad ipsam essentiam, neque essentia est prior essentia: si autem excogitaretur ista aptitudo, quæ præcederet actum identitatis, excogitaretur essentia prior essentia, cum igitur solùm cogitetur aptitudo ad existendum, aptitudo vniuersalis erit talis per ordinem ad actum existentiæ; sic dicitur Petrus est aptus existere, non autem est aptus esse homo. Econtra verò Fonseca 5. Metaphys. cap. 28. q. 5. sect. 1 asserit, aptitudinem vniuersalis dici per ordinem ad actum essentiæ, seu identitatis, qua natura vniuersalis, vt quid essentiale identificatur cum inferiorib. *Opinio Fonsecæ*

III. Quod igitur spectat ad decisionem huius difficultatis, recolenda est distinctio illa vniuersalis physici, & metaphysici. Diximus enim, quòd vniuersale physicum dicit ipsam naturam, quatenus manens vna in sua essentia, & vnitate formali, communicatur pluribus indiuiduis. Vniuersale Metaphysicum dicit eandem naturam, sed præcisam per cognitionem ab inferioribus; ex quo colligitur differentia, quæ inter vtrumque intercedit, quòd videlicet vniuersale physicum dicit essentialiter actum ipsum essendi in pluribus per identificationem tanquam essentiale constitutiuum ipsorum, quia dicit essentialiter naturam communicatam inferioribus, non verò ab ipsis contradistinctam, quare in eo consistit formaliter, quòd sit vnum actu in multis positum. Vniuersale autem metaphysicum non dicit naturam communicatam actu pluribus, sed quę possit communicari, & hoc vniuersale metaphysicum est veluti actus primus respectu vniuersalis physici. *Discrimen inter vniuersale physicum, & metaph.*

IV. Ex his ergo statuendum est, quòd vniuersale physicū non potest constitui per ordinem ad actum essendi in multis per identitatē, nam formaliter cōsistit in hoc ipso actu; vnde nullo pacto potest hic actus esse terminus alicuius or- *Vniuersale physicū non constituitur per ordinē ad actum essēdi in pluribus.*

ordinis, per quem constituatur vniuersale. Quod verò spectat ad actum existentiæ, neque vniuersale potest constitui per ordinem ad ipsum, & ratio manifesta est, quia hoc vniuersale consistit formaliter in actu, quo natura physico modo reperitur in pluribus, vnde non constituitur per aliquam aptitudinem, atque adeo nec per ordinem ad aliquem actum, sed per ipsum actum.

Accedit etiam, quòd aptitudo ad existendum est propria indiuiduorum, non autem naturæ secundùm se consideratæ; solùm enim natura mediante indiuiduatione potest existere, secundùm se verò solitariè non habet aptitudinem ad existendum, imò implicat, quòd possit existere, ergo vniuersale physicum non potest constitui per ordinem ad actum existentiæ; hic enim ordo non est proprius naturæ, sed indiuiduorum.

Vniuersalem metaphysicū constituitur per ordinē ad actū essendi in pluribus essentialiter.

V. Si autem loquamur de vniuersali metaphysico, licèt verum sit, quòd hoc constituatur per ordinē ad actū essendi in pluribus, quia constituitur per aptitudinem, tamen adhuc falsa est sententia Auersæ, quod dicat ordinem ad actum existentiæ, sed constituitur per ordinem ad actum essentiæ, & identitatis cum inferioribus. Nam ordo ad actum existentiæ non est proprius vniuersalis metaphysici, sed tantùm indiuiduorum, vt dictum est. Deinde cum vniuersale metaphysicum sit aliquid præcisum ab inferioribus, debet constitui per ordinem ad illum actum, quem vt sic præcisum respicit; natura autem præcisa ab inferioribus respicit actum essendi in inferioribus. præterea natura debet dicere ordinem ad illum actum, in ordine ad quem ratione suæ aptitudinis est in potentia, sed est in potentia ex vi suæ aptitudinis ad actum identitatis, ergo per ordinem ad ipsum cōstituitur. Quòd ratione suæ aptitudinis sit in potētia ad actum identitatis, declaratur, nam ratione aptitudinis constituitur vt quid cōtrahibile superius respectu inferiorum, & per hoc essentialiter constituitur in esse vniuersalis metaphysici, vnde ordinatur ad actum contrahibilitatis; contrahibilitas autem in eo consistit, quòd ponatur natura in inferioribus per identitatem. Confirmatur. Natura abstracta ab inferioribus est quid essentialiter perfectibile per differentias indiuiduales, & vnibile cum ipsis, ergo vnio, & perfectio erit actus illius aptitudinis, quæ cum consistat in identificatione naturæ cum inferioribus, consequenter aptitudo naturæ dicet ordinem ad hunc actum, non autem ad actū existentiæ, quia ante quamcumq; existentiā habetur hic actus, & aptitudo ad ipsam. Denique existentia est semper contingens respectu indiuiduorum, & naturè, quæ est in ipsis, potest intelligi vniuersalis, absque eo, quòd intelligatur aliqua existentia, siue vt terminus alicuius ordinis, siuè quocumque alio modo. Imò addo, si per impossibile aliqua plura indiuidua alicuius naturæ haberent statum possibilitatis, & esset impossibile, quòd existerent à parte rei, adhuc illa natura esset vniuersalis, quia posset esse in pluribus secundùm statum possibilitatis.

Ad fundamētū Auersę.

VI. Hinc patet, falsum esse fundamētum Auersæ, nam si loquamur de natura considerata secundùm essentiam physicam, seù prout constituit vniuersale physicum; sicut hoc vniuersale non constituitur per aptitudinem, & consequenter nec per ordinem ad aliquem actum, sed per ipsum actum, ità non est necesse, quòd hic actus præcedatur ab aliqua aptitudine: quia natura habet hunc actum ex vi suæmet intrinsecæ possibilitatis, & essentię. At si loquamur de vniuersali metaphysico, hoc quidem constituitur per aptitudinem; verùm nedum possumus concipere hanc aptitudinem præcedere actum essendi in multis per identitatem, sed hoc omninò necessarium est, vt fiat tale vniuersale; debet enim natura separari ab inferioribus, & ex eo, quòd separatur, remanet apta, vt possit esse in illis per identitatem, vt consideranti patet, vnde actus, quem respicit est essentialis, seu secundùm identitatem; sed hic aduertendum est, quòd si huiusmodi actus consideretur, vt est explicabilis per prædicationem, quia quando natura per prædicationem tribuitur inferioribus, dicitur habere obiectiuam existentiam in multis, ideò potest dici, quòd aptitudo vniuersalis metaphysicis, quia hoc solum de pluribus prædicatur, etiam sit per ordinem ad actum obiectiuæ existentiæ. Verùm quia prædicatio non potest haberi nisi

Actus essendi in pluribus vniuersalis physici non supponit præcedētem aptitudinē.

Actus essendi in pluribus vniuersalis metaphysici supponit aptitudinem.

nisi medio actu identitatis, cum in ipso fundetur, idcircò aptitudo erit per ordinem ad actum identificationis immediatè, & mediatè ad actum prædicationis.

Explicatur contractio naturæ vniuersalis ad inferiora.

SECTIO III.

I. AD plenam notitiam huius actus, quo vniuersale ponitur in pluribus, explicanda est ipsa contractio, quia per ipsam habet natura vniuersalis, quòd in pluribus ponatur, & tanquam aliquod superius descendat ad inferiora; hæc autem contractio vel potest considerari secundùm esse reale, vel secundùm esse obiectiuum; propriè secundùm esse reale non est contractio, sed identificatio, qua natura, vt dictum est, cum inferioribus identificatur; contractio verò dicit, quòd vnum tanquam limitatiuum adueniat alteri, & ideò supponitur aliqua distinctio inter contrahibile, & contrahens, & idcircò hæc contractio non potest conuenire vniuersali physico, quia hoc neque habet aptitudinem, neque est quid contrahibile, sed est quid contractum, sed solùm vniuersali Metaphysico, quod se habet in potentia ad esse indiuiduale, & cum vniuersale Metaphysicum habeat esse tantùm obiectiuè in intellectu, ideo tantùm secundùm esse obiectiuum potest contingere propria contractio.

Contractio nō cōuenit propriè vniuersali physico, sed metaph.

II. Verùm adhuc contractio secundùm esse obiectiuum duplici modo potest considerari. Primò secundùm purum esse Metaphysicum, & tunc dicit tantùm, quòd natura, & indiuiduatio vniantur tanquam partes metaphysicæ ad constituendum vnum indiuiduum, itá vt natura se habeat tanquam potentia, indiuiduatio verò tanquam actus. Alio etiam modo potest considerari contractio secundùm esse logicum, & tunc natura per modum prædicati tribuitur indiuiduis, aut speciebus, & coarctatur ad vnumquodque ipsorum. Verùm vniuersale Metaphysicum ex vi suæ aptitudinis respicit tantùm immediatè contractionem primo modo sumptam, tanquam illam, per quam habet actum essendi in pluribus, contractionem verò logicam non respicit propriè, vt vniuersale, sed tantùm prout in ordine ad indiuiduum intellectus habet rationem prædicabilis. Ex his ergo patet; quid sit contractio; est enim coniunctio naturæ ab inferioribus præcisę cum ipsismet inferioribus, ex vi cuius natura vniuersalis limitatur, vt sit hæc, aut illa, seù vt sit communicata huic indiuiduo, & non alteri, seù huic speciei, & non alteri, atque ideò mediante contractione acquirit suam latitudinem extensiuam actualem, qua ad plura extenditur, & quam, dum est præcisa, ratione suæ communitatis potest habere.

Duplex modus contractionis secundum esse obiectiuum.

Vniuersale metaphysica ratione suæ aptitudinis respicit solam contractionem metaph.

Quid sit contractio.

III. Hinc etiam potest declarari, quomodo in hac contractione natura diuidatur, & tamen remaneat tota in quolibet indiuiduo, imò iuxta nostra principia eadem in omnibus; Et ratio reddi potest, quia quando natura dicitur diuidi à differentijs indiuidualibus, non intelligi tur, quòd diuidatur secundùm suam essentiam, aut vnitatem formalem, quia secundùm illam consistit in indiuisibili, sed cum tota diuisio proueniat ab indiuiduatione formaliter, solùm diuiditur secundùm esse indiuiduale, seù secundùm esse entitatiuum, quòd habet natura simul eum indiuiduatione, & si diuidatur à differentijs secundùm esse differentiale, vnde diuidi non est aliud, quàm multiplicari. Cum igitur diuisio non contingat secundum esse naturæ, & quælibet indiuiduatio trahat ad se totam naturam, quia tota est vnibilis cum tali indiuiduatione, ideò tota est in quolibet indiuiduo. Et potest hoc totum explicari exemplo animæ rationalis, quod licèt non omninò simile sit, rem tamen valdè declarat. Anima rationalis, quia dicit ordinem ad informandum corpus extensum, & constans ex diuersis partibus heterogeneis, & quia est indiuisibilis, ideò est tota in toto, & tota in qualibet parte, dans esse animatum vnicuique, vt propria forma ipsius, & respectu omnium partium habet suam totalitatem informationis, & suam extensionem, qua extenditur ad omnes partes, quas potest informare. Ita natura vniuersalis secundùm suum esse essentiale consistit in indiuisibili, & ordinatur, vt sit in pluribus inferioribus tanquam constitutiuum essentiale, & ideò habet ex vi suæ essentiæ, quòd sit tota in quolibet

Quomodo natura in contractione diuidatur.

in-

indiuiduo, & in omnibus habeat suam totalitatem, qua extendatur ad omne, id, in quo intrinsecum constitutiuum potest reperiri.

Quomodo vniuersale sit prius, & etiam posterius singularib.

IV. Ex dictis autem colligi potest, quando vniuersale sit prius, & posterius singularibus. Si enim natura vniuersalis consideretur secundum essentialia, tunc prior est singularibus, nam se habet vt quædam ratio superior, & magis vniuersalis, ratio autem superior dicitur prior inferiori. Duplici autem modo posset natura comparari ad indiuidua, vel ad omnia collectiuè sumpta, vel ad singula seorsim; si primo modo comparetur: tunc licèt sit prior quatenus est fundamentum, in quo indiuidua fundantur, non tamen habet prioritatē, quæ in communitate fundetur, quia vniuersale non est magis commune, quàm sint indiuidua omnia collectiuè sumpta, & ideo non potest habere hanc prioritatem, quia semper huiusmodi prioritas importat quandam ampliorem communitatem. At si comparetur ad singula seorsim sumpta, tunc nedū habet prioritatem, qua tanquam fundamentum est prior, sed etiam habet prioritatem amplioris communitatis, quia magis patet, quàm vnumquodque indiuiduum: sic etiam eadē ratione ens dicitur prius substantia, quia comparatum ad substantiam vniuersalius est, & ideo inter naturam, & quodlibet indiuiduum non valet conuertentia secundùm subsistendi consequentiam, licet enim verum sit. Est hoc indiuiduum, ergo natura, non tamen econtra. Est natura, ergo hoc indiuiduum. Atque hæc est prioritas, quam ponit Arist. in Postprædicamentis capite secundo, quæ solet dici prioritas naturæ, quæ etiam ex eo colligitur, quòd possumus habere conceptum naturæ absque eo, quòd concipiamus indiuidua.

Arist.

Quomodo vniuersale physicū sit prius indiuiduatione.

V. Atque hæc, quæ dicta sunt de prioritate, nedum possunt intelligi de vniuersali metaphysico, sed etiam de vniuersali physico, quia si consideretur natura secundùm quod est in pluribus indiuiduis, sicuti habet illam communitatem à parte rei, ita etiam habet suam prioritatem. Verùm non est hæc prioritas formalis, sed fundamentalis, quoniam non potest aliquid prioritate formali esse prius altero, nisi ab ipso sit distinctum; natura autem à parte rei non est distincta ab indiuiduis. Si verò loquamur de posterioritate, hæc non potest conuenire vniuersali physico; nā semper ex vi sui esse prius est indiuiduatione, quia si loquamur quoad essentiam, certè prius est indiuiduis, quia ideo possibilia sunt indiuidua ex eo, quòd possibilis est natura, & ablata possibilitate naturæ à priori tolleretur possibilitas indiuiduorum, quia tolleretur intrinsecum constitutiuum ipsorum. Si verò loquamur in ordine ad existentiam quamuis natura habeat, quòd possit existere, aut existat ratione indiuiduationis adiunctæ, tamen non dependet ab illa tanquam ab aliquo à priori, quia non est ratio formalis, per quam existat, hoc enim formaliter præstat existentia, nec existentia prius afficit indiuiduationem, quàm naturam: solùm ergo dependet tanquam ab aliquo à posteriori, nempe à quodam complemento sui esse, quod necessariò requirit, vt existat, sicuti etiam genus dependet à differentia, nec tamen hinc fit, quòd differentia in ordine ad existentiam sit prior. Solùm potest indiuiduatio dici prior, quatenus magis propinqua est existentiæ, cum sit vltima ratio complens rem in ordine ad posse existere.

Quomodo vniuersale existēt à natura dependeat ab indiuiduatione.

Quomodo vniuersale metaph. sit posterius indiuiduis.

Quod verò spectat ad vniuersale metaphysicum, hoc posterius est indiuiduis, tum secundùm essentiam, tum etiam secundùm existentiam. Est posterius secundùm essentiam, quia est aliquid se habens per modum superioris contrahibilis: & veluti potentia metaphysica respectu indiuiduationis. Et quamuis inuoluat etiam naturam, ratione cuius habet aptitudinem, & cœtera, quæ ipsi in ordine ad inferiora conueniunt, & secundùm hæc sit prius, secundùm tamen conditiones illas, per quas constituitur in statu abstractionis, vt quòd concipiatur, vt quid distinctum ab inferioribus, posterius est, etiam secundùm esse metaphysicum, vt tale est reduplicatiuè sumptum, quia hoc esse metaphysicum, supponit esse physicum eiusdem, atque adeò indiuidua, in qui bus sit. Est etiam posterius secundùm existentiam, quia habet tantùm existentiam obiectiuam in intellectu ex eo, quòd abstrahitur ab inferioribus; & consequenter cum supponat indiuidua, à quibus abstrahatur, est etiam posterius ipsis. Quocirca vniuersale metaphysi-

cum

cum non est posterius secundùm ea, quæ ipsi conueniunt ex vi naturæ, & essentiæ, sed secundùm ea, quæ habet ratione status præcisionis.

De diuisione vniuersalis Disputatio XXIV.

Vniuersale diuidi in quinque Prædicabilia.

SECTIO I.

Diuisio vniuersalis in quinq. prædicabilia.

I. Vulgatissima est diuisio illa vniuersalis in quinque Prædicabilia, nempe Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens, quam tradidit Porphyrius in sua Isagoge, & communiter explicari solet à Dialecticis citato loco, præsertim Alberto Magno tractatu secundo, capite nono, Auicenna capite sexto suæ Logicæ. Tartar. & alijs interpretibus. Præterea Scotus. quæst. duodecima, Alexand. & Suessan. capite tertio,& quarto lib. 1. Topicorum, Ruu. quæstione nona Vniuersal. Tolet. in Prædicabilibus quæstione tertia de vniuers. Conimbr. quæstione sexta, Fonseca in Metaphys. libro quinto cap. 28. quæstione vndecima, sectione secunda, Suarez in Metaphys. disputat. sexta, sectione octaua, Auersa in Logica quæstione octaua, sectione 16. Serna in Logica disputat. 3. sectione secunda, quæstione sexta, articulo secundo, & alijs compluribus, & communiter Recentiores, exceptis nonnullis, qui sequuti sententiam Caietani, de qua infra dicemus, recipiunt allatam diuisionem tanquam sufficiētem, & adæquatè complectentem quodlibet vniuersale.

Porph. Alber. Magn. Auicen. Tartar. Scot. Alexan. Suessan. Ruuius. Tolet. Soto. Conn. Fonseca. Suarez. Auersa. Serna.

Vniuersale & prædicabile

II. Vt autem sufficientiam huius diuisionis intelligamus, prout communiter solet assignari. Aduertendum est, quòd vniuersale, & quodcunque Prædicabile debet esse in eo, quod prædicatur, quia loquendo de vera prædicatione, fundatur in eo, quòd prædicatum insit subiecto, atque hoc etiam ex vi vniuersalis vt sic, quòd vt suo loco dictum fuit, debet esse vnum in multis.

debet esse in eo de quo prædicatur.

Quòd autem aliquid sit in alio, potest primò dupliciter contingere, vel tanquam aliquod substantiale, seu essentiale illius, vel tanquam aliquid accidētale, aliquo enim ex duobus his modis debet inesse, cum adæquatè diuidant modum essendi in alio, fundantur enim in contradictione, vel enim aliquid est de essentia, vel non est de essentia; si est de essentia, certè est in ipso tanquam aliquid essentiale, si verò non est de essentia, & tamen est in alio, non potest esse, nisi tanquam aliquod accidentale, quia id est accidentale, quod non est de essentia. Vnde iam habemus duos modos, quibus aliquid sit in alio. Hi autem adhuc subdiuiduntur; nam quod est in alio tanquam de essentia ipsius, potest multipliciter se habere, vel enim dicit totam essentiam indiuidui, vel tantùm partem, si dicit totam essentiam indiuidui, constituitur species. Si autem dicit tantùm partem, potest adhuc multipliciter se habere, nam vel dicit aliquid vlterius contrahibile per aliquam differentiam essentialem, & sic constituitur genus, quæ est pars quædam potentialis respectu totius essentiæ, vel dicit rationem contractiui, & rationem actus complentis potentiam metaphysicam, & per hoc constituitur differentia. Atque ex vi huius membri, quod dicit aliquid esse in alio, tanquam essentiale ipsius constituuntur tria prima prædicabilia, nempè Genus, species, & Differentia. Verùm hic aduertendum est, quòd dantur quædam genera, quæ solent dici subalterna, quæ participant simul rationem generis, & speciei, prout ad diuersa comparantur, non tamen constituunt diuersum prædicabile à tribus prædictis, sed prout participant rationem generis reducuntur ad genus, prout verò participant rationem speciei reducuntur ad speciem.

Duplex modus essendi in alio.

Multipliciter pot aliquid esse in alio vt quid essentiale.

III. Restat igitur alterum membrum primæ diuisionis, quod erat id, quod est in alio tanquam aliquid accidentale; atque hoc etiam subdiuidi potest;

Eſſe in alio vt quid accidentale dupliciter contingit.

teſt; Nam, vel hoc accidentale conſequitur eſſentiam vt talis eſt, & habet connexionem per ſe cum eſſentia ex eo, quòd ſequatur ex intrinſecis principijs, vel non habet: ſed merè accidentaliter ſe habet. Si primo modo ſe habet, conſtituit quartum prædicabile, quod eſt Proprium; ſi verò ſe habet ſecundo modo, conſtituit quintum prædicabile, quod eſt accidens. Atque hæc eſt tota ratio ſufficientiæ, quæ quidem efficaciſſima eſt, & ſi diligenter perpendatur nullum erit prædicabile, quod non reducatur ad aliquod ex his, vt facilè inductione conſtare poterit, ſemper tamen attendendo ad primam rationem diuiſionis, ex vi cuius omnia prædicabilia ad hęc alia membra ſubdiuidentia reducuntur.

Prædicatio directa, & indirecta, & quid vtraq. ſit.

IV. Et poteſt eadem ratio rurſus alio modo explicari, ſupponendo, quòd duplex ſit prædicatio. Alia directa, & alia indirecta. Directa eſt illa generaliter loquendo, in qua prædicatum ſe habet tanquam forma ſubiecti, ſubiectum verò tanquam materia. Cuius rei ratio poteſt aſſignari, quia prædicatio eſt quædam explicatio, ſeù iudicium quoddam intellectus manifeſtatiuum ſubiecti, & explicans, quid in ſe ſit, aut quomodo ſecundùm eſſe ſe habeat; vnde quia quod ipſi per intellectum tribuitur ſe habet vt quoddam conſtitutiuum, nam prædicatum ſe habet, vt id, quod conſtituit ſubiectum in tali eſſe, omne autem conſtitutiuum ſe habet vt forma conſtituti ſaltem metaphyſica, ideo prædicata dicũtur formæ metaphyſicæ. Igitur prędicatio directa erit illa, in qua prædicatùm ſe habebit vt forma ſubiecti. Econtra verò prædicatio indirecta erit illa, in qua id, quòd ſe habet ex natura ſua vt ſubiectum, ſtat loco prædicati, & e contra, quod ex natura ſua ſe habet vt forma, ſtat loco ſubiecti.

Quænam ſit propria, & naturalis prædicatio.

V. Ex his ergo duabus prædicationibus directa tantùm ſe habet, vt propria, & naturalis prædicatio: indirecta verò non eſt propria. Quia igitur prædicatio debet eſſe conformis naturis rerum, intellectus enim, dum per iudicium aliquid manifeſtat, debet ſe exigentiæ obiecti conformare; in hoc enim conſiſtit perfectio cognitionis; hinc fit, quòd quando diuidunntur prædicabilia debẽt diuidi ſecundùm diuerſos modos prædicationis directę, & ſicuti non debet attendi in hac diuiſione prędicatio falſa, ita neque indirecta, quia licet non ſit falſa ſecundùm ſubſtantiam, eſt tamen aliqualiter difformis obiecto ſecundùm modum, quia quod ex natura ſua ſe habet vt forma, facit ſubiectum, & e contra, quod eſt aliqualis falſitas. Si igitur attendatur prædicatio directa, quinque tantùm naſcuntur prædicabilia, quia ſunt tantùm quinque modi diuerſi prędicationis directæ, ad quos omnia prędicata poſſunt reduci, quod ſic declaratur ex analogia ad ipſam formam.

Prædicabilia diuidenda iuxta diuerſos modos prædicationis directæ.

Omnis igitur forma comparata ad ſubiectum, vel eſſentialis eſt, hoc eſt pertinens ad conſtitutionem rei, vel accidentalis, ſi eſt eſſentialis, vel dicit totum eſſe ſubiecto eſſentiale, ſeù vt ita dicam, formam totius, & hoc pacto conſtituitur ſpecies, vel dicit tantùm partem, & tunc vel ſe habet, vt vlterius perfectibilis per aliam formam eſſentialem; & conſtituitur genus; vel non eſt vlterius perfectibilis per aliam formam eſſentialem, & conſtituitur differentia, ſeù quod idem eſt conſideratur in ratione actus metaphyſici comparati ad potentiam metaphyſicam, & tunc conſtituitur differentia. Si verò forma ſit accidentalis vel poteſt eſſe propria ſubiecti conueniens ex intrinſeca eſſentia, & conſtituitur Proprium; vel poteſt eſſe communis pluribus ſubiectis; & conſtituitur quintum Prædicabile, quod eſt Accidens.

Vniuerſale, & prædicabile aliquid abſtractum à ſubiecto.

VI. Tertiò poteſt etiam eadem ſufficientia declarari ſupponendo; quod vniuerſale, ſeù Prædicabile debeat eſſe aliquid abſtractum à ſubiecto, de quo prædicatur, quod nedum ſequitur ex ratione vniuerſalis, ſed etiam ex ratione prædicabilis, dicit enim prædicabile aliquod commune, quod poteſt per prędicationem pluribus tribui, non poſſet autem eſſe quid commune pluribus, applicabile cuicumque, niſi eſſet quid abſtractum: vel igitur à ſubiecto abſtractionis abſtrahitur aliquid cum ipſo identificatum, & ſpectans ad conſtitutionem, vel aliquid quod ſe habeat tanquam forma accidentalis. Primo modo abſtrahitur tota quidditas illius, quę etiam ſolet dici totum eſſentiale, & hoc conſtituit ſpeciem, hoc autem totum eſſentiale poteſt conſiderari ſecundùm partes, quę proportionaliter ſe habent ad partes compoſiti phyſici,

al-

altera videlicet vt materia, altera vt forma; quæ se habet vt materia constituit genus, quæ autem se habet vt forma, constituit differentiam. Rursus si quod abstrahitur se habet vt forma accidentalis, vel est conuertibilis cum eo, à quo abstrahitur, & constituitur Proprium, vel non est conuertibilis, & constituitur Accidens commune, & sic habetur sufficientia quinque Prædicabilium.

In quo sensu debeat admitti prædicta diuisio.

SECTIO II.

An hæc diuisio sit rectè tradita.

I. Vidimus, diuisionem traditam vniuersalis in quinque Prædicabilia esse sufficientissimam, tanquam eam, ad cuius membra omnia prædicabilia reducuntur. Nunc superest videndum, an non solùm sufficiens sit, sed an etiam sit rectè tradita; pro quo, est explicandus sensus, in quo debet accipi. Vt igitur sumatur metaphysico modo, per illa quinque Prædicabilia non debent intelligi intentiones secundæ prædicabilitatis, hoc est Genereitatis, Speciestatis, & aliarum rationum, quas intellectus fingit, tanquam relationes rationis, sed debent intelligi ipsæ primæ intentiones, seu naturæ, quæ de inferioribus prædicantur, & substernuntur secundis intentionibus. Nam secundæ intentiones non spectant ad metaphysicum, sed ad Logicum, & ideò diuisio illa, si sumatur secundùm secundas intentiones, dialectica est, & non metaphysica; si verò cadat supra naturas subiectas secundis intentionibus, metaphysica est, quia versatur circa ens reale metaphysicum. Et quia diximus vniuersalitatem, quæ consistit in vnitate, & aptitudine conuenire intrinsecè naturæ abstractæ, sicuti etiam prædicabilitatem, & esse quid reale positiuum, nempe ipsam naturam tali, vel tali pacto consideratam; idcircò etiam naturæ, quæ subijciuntur secundis intentionibus, habent suam realem, & intrinsecam prædicabilitatem, qua possunt constituere hæc quinque metaphysica prædicabilia; quæ reuera metaphysica sint, & realia. Consistit autem prædicabilitas huiusmodi in ipso esse naturæ, quæ secundæ intentioni substernitur, quatenus est aptum pluribus inesse, & dicit ordinem ad intellectum, quatenus est enunciabile de tali subiecto.

Fit secundùm primas intentiones.

Cur prædicta diuisio non procedat de secundis intentionibus

II. Deinde hoc omisso, quod videlicet secundæ intentiones non spectent ad metaphysicum, sed ad Logicum, adhuc ista diuisio non potest intelligi de secundis intentionibus; quoniam huiusmodi secundæ intentiones sunt quidem entia rationis, sed tamen habent suum fundamentum in naturis, quibus adfiguntur, & sicut intellectus non potest illas suo libito fingere, sed debet cognoscere fundamentum, quod est in natura, & eas tali fundamento proportionare, ita neque potest assignare aliquam rectam diuisionem circa ipsas, nisi in ordine ad fundamenta: quia sicuti per ordinem ad suum fundamentum sunt tales, vel tales secundæ intentiones, ita etiam per ordinem ad ipsum debent distingui. Hinc cum non possit fieri diuisio harum secundarum intentionum, nisi in ordine ad naturas, quibus tribuuntur, prius debent diuidi naturæ, antequam tradatur diuisio circa secundas intentiones, & idcircò diuisio tradita de quinque prædicabilibus, vt in recto sensu accipiatur, debet intelligi de naturis, quæ substernuntur secundis intentionibus, & hoc pacto spectabit ad metaphysicum.

Non est diuisio immediata, sed mediata

III. Præterea quamuis hæc diuisio complectatur omnia prædicabilia, posset tamen videri non rectè tradita; quia possent reduci quinque prædicabilia ad pauciora, si videlicet diuisio tradatur per capita generalia; si verò fit in omnia illa membra, in quæ potest fieri, tunc neque videtur rectè tradita, quia possent assignari plura membra diuidentia, posset enim Proprium adhuc subdiuidi, sicuti etiam differentia. Quocirca vt rectè procedat diuisio, non est accipienda tanquam immediata, sed tanquam mediata, & quæ procedat per illa capita generalia, ad quæ omnia Prædicabilia possent reduci; si enim procederet tanquam immediata, deberet seruari ille ordo, quem tradidimus in assignanda eiusdem sufficientia, videlicet, vt primò diuideretur in prædicabile, quod est de essentia, & in prædicabile, quod est accidentale; Deinde vtrumque Prædicabile subdiuideretur iuxta illum processum, quem ibidem retulimus.

Quo modo reducatur ad immediatam.

Cur tali pacto sit tradita diuisio.

IV. Sed nunc restat explicandum, cur tali pacto tradita sit. Suar. cit. disp. 6. sect. 8. num. 10. refert rationem communem, quia videlicet ità expedit, quia distinctio horum membrorum erat necessaria, & sufficiebat ad coordinanda prædicamenta. Et addi potest, non fuisse diuisionem traditam eo modo, quo fuit assignata eiusdem sufficientia, quia vt deueniretur ad hæc quinque membra, debuissent multiplicari plures diuisiones, quæ vitantur, dum prædicabile immediatè partitur. in hæc membra. Erat autem necessarium deuenire ad hæc quinque capita, vt omnia prædicabilia reducerentur ad quædam determinata capita, quæ respectu subiecti, de quo prædicarentur, aliquid determinatum præstarent; nam cum se habeant tanquam forma respectu subiecti, debent etiam explicare aliquem formalem effectum, & determinatum. Si autem per pauciora membra, & vniuersaliora tradita fuisset, videlicet si diuisum fuisset prædicabile in essentiale, & accidentale, nimis indeterminatus, & confusus fuisset effectus, quem vt forma subiecto pręberet, Quod autem neque in plura membra diuisio esset distribuenda, declaratur ex eodem capite, quia prædicabile est quædam forma subiecti, cum igitur non possit in plura membra distribui, nisi quinque tradita subdiuiderentur fit, quòd attendendo modum prædicabilitatis, & modum, quo prædicabile se habet ad subiectum tanquam forma, non fuerit necesse, vlterius illa quinque membra subdiuidere, nam facta quacumq; alia subdiuisione, adhuc membra subdiuidentia seruarent respectu subiecti eandem habitudinem formæ, quam seruaret membrum diuisum; sic si differentia, aut proprium subdiuiderentur, membra sub diuisa, quando compararentur tanquam forma cum subiecto, se haberent, vt differentia, aut vt Proprium, & solùm secundùm esse materiale differentię, & Proprij differrent, sic rationalitas, & irrationalitas, quæ sunt tales differentiæ, comparatæ tamen cum subiecto tanquã formæ ipsius habent eundem modum afficiendi subiectum, & eandem habitudinem prędicati. Diuisio igitur est tradita secundùm diuersos modos, quibus prædicatum tanquam forma se habet respectu subiecti, qui cum quinque sint, qui dicant modos determinatos, nec sint formali modo vlterius diuisibiles, ideo in illa quinqne membra est facta diuisio.

Resp. communis. Suarez.

Prædicabilia ideo quinque quia sunt quinque primi modi determinati prædicandi.

V. Alio etiã modo potest reddi ratio, cur hæc diuisio tradita sit per huiusmodi quinq. membra & non per plura, aut pauciora, supponendo, quòd indiuiduum, est primum fundamentum totius prædicationis, & ideò in distributione prædicabilium debuit ostendi ordo ad ipsum, quia etiam si postea prædicabilia de alijs enuncientur, quæ non sint indiuidua, seruant tamen ad ipsa eandem habitudinem. Hinc fit, quòd tot debeant distribui prædicabilia, quot sufficiant ad explicandum esse indiuidui, per iudicium enunciatiuum; erunt autem sufficientia, si explicent partes metaphysicas, quæ se habent, vt primæ in aliquo genere, atque iuxta hunc processum quinque consurgunt prædicabilia. Quod vt explicemus, aduertendum est, quòd esse metaphysicum partiri debet in suas partes cum proportione ad esse physicum compositum, sic intelligimus potentiam metaphysicam cum proportione ad physicam, actum metaphysicum cum proportione ad physicum. Sic ergo si indiuiduũ metaphysico modo volumus partiri, debemus diuidere cum proportione ad partes, quę sunt in physico indiuiduo. In indiuiduo ergo physico, vt etiam adnotauit Soto q. 5. vniuersal. quinque possunt distingui. Ipsum totum, seũ compositum; Partes totius essentiales, quæ sunt materia, & forma, proprietates, & accidentia communia. Sic ergo in distinctione, qua indiuiduum diuiditur metaphysicè, & in ordine ad formas abstractas, quæ se habent vt prædicata cõmunia, seruata proportione, ad indiuiduũ physicum, quinq; possunt distingui, quæ constituunt quinque Prædicabilia, nempè aliquid correspondens composito, seu toti, quod est species, quę dicit totam rei essentiam, & aliquod compositum metaphysicum. In hoc autem cõposito metaph. siuę specie distinguũtur partes essẽtiales, Genus videlicet, quod proportionaliter correspondet materię physicæ, & se habet vt materia metaphysica, & differentia, quæ se habet vt forma metaphysica. Rursus possunt etiam distingui proprietates, & accidentia communia, siuè physica, siuè metaphysica, & hoc pacto constituenda sunt

Tot prædicabilia cõstituenda, quot sufficiunt ad explicandũ esse indiuidui.

Esse metaph. diuiditur in suas partes cũ proportione ad physicas

Soto.

Per quinq. capita adequatur totũ esse indiuidui.

quinque Prædicabilia. Constat ergo ex dictis in quonam sensu accipienda sit diuisio; vt non solùm sit sufficiens, sed etiam rectè tradita.

Indiuiduum vagum non constituere sextum Prædicabile.

SECTIO III.

I. VT magis prædicta diuisio confirmetur difficultates, quæ ipsam impugnare videntur, diluendæ sunt. Præcipua difficultas, quæ contra ipsam fieri posset, desumitur ex indiuiduo vago, quod videtur constituere sextum Prædicabile; nam huiusmodi indiuiduum uagum v. g. quidam homo prædicatur de pluribus, potest enim prædicare de Petro, Paulo, & cæteris indiuiduis naturæ humanæ, vnde constituit prædicatum commune, quod sub nullo ex his quinque Prædicabilibus comprehenditur; non enim indiuiduum vagum se habet vt Genus, non vt species, non vt differentia, non vt Proprium, neque vt accidens, sed habet proprium modum prædicandi de suis inferioribus, ergo debet constituere sextum prædicabile. Propter hoc Caietanus Cap. de Specie constituit sextum prædicabile, nempè indiuidui vagi, quod quia habet modum distinctum prædicandi à cæteris, vt dictum est, debet etiam constituere diuersum prædicabile. Sed nihilominus non est reijcienda communis sententia, quæ amplectitur tanquam sufficientem explicatam diuisionem, & negat, vllo pacto indiuiduum vagum constituere sextum Prædicabile. Ita præcipuè Auctores cit. initio sect. I. qui diuersimodè præsentem difficultatem soluunt.

An indiuiduum vagũ constituat sextum prædicabile & Ratio dubitandi.

Sententia affirmatiua. Caiet.

Opposita sententia communis.

II. Pro illius autem solutione aduertendum est; quòd indiuiduum vagũ potest sumi dupliciter, vel enim potest sumi in abstracto, vel in concreto. In abstracto dicit ipsam indiuiduationem vagè sumptam, quæ videlicet non sit neque hæc, neque illa determinatè. secundo modo dicet indiuiduationem vagè sumptam afficientem naturam, seu coniunctum illud ex natura communi, & indiuiduatione vagè sumpta. Si autem in concreto sumatur adhuc dupliciter potest considerari; nam potest importare aliquid commune singulis indiuiduis sicuti v.g. concretum accidentis vt sic potest importare aliquid commune omnibus concretis, quæ sub ipso ponuntur, vt album vt sic in communi sumptum importat aliquid commune omnibus albis; vel potest importare non aliquid commune, sed aliquid indiuiduale indeterminatè tamen sumptum, quod possit stare pro hoc, vel illo indiuiduo.

Indiuiduum vagum in abstracto & in concreto.

Indiuiduum in concreto dupliciter accipitur.

III. Diuersas autem responsiones adhibent Auctores. Et prima est Suar. citat. disp. 6 Metaph. sect. 8. num. 24. Indiuiduum posse considerari, & secundùm illud, quod addit supra ens, & secundùm id, quod dicit de formali. Si primo modo accipiatur, quia nihil addit positiuum supra ens, sed tantùm negationem diuisionis, ideò hac ratione non potest nedum constituere prædicabile à cæteris distinctum, sed neque ad aliquod ex his prædictis pertinere, nam negatiuum non pertinet ad prædicabilia positiua, cum hæc se habeant ad modum formæ respectu subiecti; si verò altero modo consideretur, tunc neque constituit diuersum prædicabile, quia dicit tantùm vnitatem transcendentalem cuiuscumque entitatis, transcendentia autem non constituunt aliquod prædicabile.

Cur indiuiduum vagum non constituat propriũ prædicabile. Prima responsio.

Suarez.

IV. Sed hæc responsio est reijcienda, nam supra ostensum fuit, quòd transcendentia participent propriè rationem vniuersalis, cum dicant conceptum communem pluribus, & quidditatiuum. Deinde non video, quomodo Suarez asserat, indiuiduum de suo formali dicere vnitatem transcendentalem, vnitas enim transcendentalis consequitur ens vt sic, & est communis cuicumque rationi entis, & sicut quælibet ratio, & formalitas est essentialiter ens, ita etiam debet habere tanquam essentialem passionem vnitatem transcendentalem, etiam si sola, & præcisè consideretur; non autem habet, si præcisè consideretur, vnitatem indiuidualem, alioquin natura in statu præcisionis esset vna indiuidualiter. Præterea vnitas transcendentalis, ideò est transcendentalis, quia transcendit per omnes species vnitatis, quæ autem sunt tales vnitates, non sunt vnitates transcendentales; modo vnitas indiuidualis

Reijcitur.

Indiuiduum nõ dicit vnitatẽ transcendentalem.

est

est talis vnitas speciei, vnde licet participet vnitatem transcendentalem entis, addit tamen aliquid supra ipsam, nempè esse talis vnitatis. Quod confirmatur. Vnitas transcendentalis debet imbibi in qualibet alia vnitate, sicuti ratio entis transcendentalis imbibitur essentialiter in qualibet ratione entis, ergo vnitas essentialis, & formalis deberet imbibere indiuidualem vnitatem, si vnitas indiuidualis esset transcendentalis. Denique indiuiduatio supponit naturam completè constitutam in suo esse, & illi aducnit tanquam contractiuum, quo contrahatur ad esse indiuiduale, & facit compositionem metaphysicam, ergo dicit aliquam rationem entis, non quidem transcendentem, quia transcendentia, non sunt posteriora cæteris rationibus, sed priora: cum igitur hæc ratio indiuidui possit de pluribus prædicari, quæritur, cur non constituat distinctum prædicabile.

Altera ei Fonseca. Conimb. Tolet.

V. Alij vt Fonseca 5. Met. cap. 28. quæst. 11. sect. 2. §. *Deinde quia*. Conimb. in Log. quæst. 6. Vniuers. in resp. ad 3. Tolet. quæst. 3. Prædicab. in resp. ad 4. asserunt, quòd indiuiduum vagum non constituit sextum Prædicabile, quia non prædicatur de pluribus secundùm eandem rationem. Duo enim dicit indiuiduum vagum, & naturam & indiuiduationem, sed modum essendi naturæ particularem indeterminatè sumptum, non potest autem à differentijs contrahentibus naturam desumi vnus aliquis conceptus communis vniuocus. Verùm neque huiusmodi responsio plenè satisfacit, hoc enim videtur gratis dictum, quòd à pluribus indiuiduationibus non possit abstrahi conceptus communis, cum enim omnes eundem effectum formalem præbeant naturæ, nisi assignetur ratio, cur non possit ab ipsis abstrahi conceptus communis, quicquid dicitur, gratis videtur dictum. Quòd autem asserunt, indiuiduum vagum significare conceptum complexum, nam aliquis homo significat sub disiunctione hunc hominem, aut illum, hoc quidem verum est, si indiuiduum vagum importet non conceptum communem, sed aliquid particulare indeterminatè, si autem negent importare conceptum communem, de hoc est reddenda ratio.

Insufficiens.

ad resp. Ruuij

VI. Itaque Ruuius q. 9. Vniuers. in resp. ad 2. concedit indiuiduum vagum importare conceptum communem, quia omnes indiuiduationes in eo conueniunt, quod sint modi particulares, & substantiales determinantes speciem, atque adeò ratio modi in communi considerata, quam importat indiuiduatio, vniuoca est respectu omnium indiuiduorum. Non tamen, inquit ipse Ruuius, constituit distinctum prædicabile, quia licèt non prædicetur in quid, sicuti species, prædicatur tamen modo simili, & consequenter reducitur ad prædicabile speciei, quia cum sit modus naturæ, debet pertinere ad idem prædicabile, ad quod pertinet natura. Cæterùm hæc responsio, licèt subtilis videatur, tamen vera non est, nam falsum est, vt infra ostendemus, quòd in ratione indiuiduationis habeant aliquid commune. sed etiamsi haberent conceptum communem, non tamen posset hic conceptus reduci ad prædicabile speciei, & ratio est, quia prædicabile speciei dicit prædicationem in quid, ergo cum nullo pacto indiuiduum vagum formaliter sumptum possit prædicari in quid, nullo modo pertinebit ad prædicabile speciei.

Prædicatio indiuidui vagi nō reducitur ad prædicabile speciei.

VII. Accedit etiam, quòd prædicabile speciei dicit talem modum prædicandi, qui fundatur in natura, & quidditate rei, prout excludit à se indiuiduationem, atque hic modus adæquat prædicabile speciei, vnde cum prædicabilia constituantur per diuersos modos prædicandi, solùm id, quod participat hunc modum, potest pertinere ad prædicabile speciei; ille autem conceptus communis, si daretur, quia non excluderet à se indiuiduationem, non tunderet hunc modum prædicandi. Rursus vel ille conceptus communis prædicaretur vt species, vel vt aliquid speciei, Non vt species, quia species prædicatur, vt quid contrahibile per indiuiduationem, indiuiduum autem non est cōtrahibile per indiuiduationem; sed neque vt aliquid speciei, quia quæcumque indiuiduatio est omninò extra constitutionem speciei. Confirmatur. Indiuiduatio habet diuersum modum essendi, ac habeat species, ergo si prædicabilia multiplicantur iuxta diuersum modum prædicandi, cum modus prædicandi sequatur modum essendi, si dicitur conceptum commu-

Indiuidua non participat modum prædicandi speciei, & quid ille dicat.

nem,

nem, deberet constituere diuersum prędicabile à specie. Denique indiuiduatio est complementum naturę specificæ, non secus ac differentia est complementum Generis, & est etiam quidam gradus entis, ergo sicuti differentia constituit diuersum prędicabile à Genere, ita etiam indiuiduatio deberet distinctum prædicabile à specie constituere. Confirmatur. Proprium constituit distinctum prædicabile à specie, & tamen consequitur ab essentia ipsius, ergo multò magis deberet constituere indiuiduatio, si diceret aliquem conceptum communem.

Reijcitur resp.

VIII. Solùm posset responderi, quòd indiuiduatio vt sic dicit suam propriam rationem specificam materialem respectu talis, vel talis indiuiduationis, & ideo hac ratione participare modum proprium prędicandi speciei. Sed hoc omninò impossibile est; nam quod participat rationem specificam materialem, debet participare aliquam naturam contrahibilem per differentias indiuiduales, quia in hoc formaliter consistit ratio naturæ specificæ, at indiuiduatio non potest contrahi per indiuiduationem: contractiuum enim debet esse diuersum à contrahibili, & esse extra rationem illius, at quomodo potest indiuiduatio esse formaliter diuersa ab indiuiduatione, & esse perfectibilis per ipsam. Deinde si indiuiduatio posset contrahi per alias indiuiduationes, posset ab his indiuiduationibus contractiuis indiuiduationis vt sic abstrahi conceptus communis indiuiduationum contractiuarum, & rursus hic conceptus esset per alias indiuiduationes contrahibilis, vnde progrederemur in infinitum.

Indiuiduatio non est côtrahibilis per indiuiduationem.

IX. Vt igitur difficultatem dissoluamus, iuxta diuersam acceptionem indiuidui vagi loquendum est. Si enim indiuiduum vagum sumatur, prout importat aliquod particulare, & non commune omnibus indiuiduis, indeterminatum tamen, tunc dicendum est, n[illegible] constituere aliquod prædicabile, neque [illegible]d quodquam de prædictis pertinere, q[illegible] non est aliquid commune pluribus; vni[illegible]rsale autem, seù prædicabile debet [illegible]sse aliquid commune, quia prædicabil[illegible] dicit aliquid abstractùm ab indiuiduo, [illegible] quod se habeat veluti forma ipsius, vt [illegible] patet ex supradictis. Potest autem indiuiduum vagum de pluribus prædicari propter suam indeterminationem ratione cuius est applicabile ad hoc, vel illud indiuiduum. Cum enim dicitur *Quidam homo*, significatur quidem vnum aliquod indiuiduum, indeterminatum tamen, quod sit quidem hoc indiuiduum disiunctiuè, non tamen hoc demonstratiuè, sed vel hoc, vel illud, & idcircò posito indiuiduo vago, potest accedere demonstratio, & determinatio, & fieri, quòd indiuiduum, quod erat vel hoc, vel illud applicabile, sit hoc, & non illud. Ex quo colligitur, quòd quando indiuiduum vagum prædicatur de indiuiduis, ex vi illius prędicationis non exprimitur aliquid, quod se habeat veluti forma respectu subiecti, sed tantùm prædicatum; quòd erat indeterminatum, & sub distinctione, ex vi prædicationis fit determinatum, & sub demonstratione ex eo, quòd cadit supra subiectum determinatum. Vnde quando indiuiduum vagum prædicatur de indiuiduis, est ferè prædicatio identica, & solùm aliquantulum recedit ab identica, quatenus prædicatum non dicit determinationem, quod dicit subiectum. Et quia prædicatum solùm secundùm expressionem non dicit hanc determinationem, secundùm esse autem dicit, nam cum dicitur. *Petrus est quidam homo*, ly *Quidam homo* ratione copulę cum Petro dicit indiuiduum illum hominem, qui est Petrus, & consequeuter dicit in obiecto determinationem indiuidui, licèt non exprimat, & consequenter obiectiuè sumpta est prędicatio identica. Prædicabilia autem non continent sub se, quod prędicatur identicè.

Indiuiduum vagum, vt importat aliquid particulare indeterminatum nô pertinet ad aliquod prædicabile, neq propriû côstituit.

Cur indiuiduû vagû licèt nô dicat aliquid cômune possit de pluribus prædicari.

X. De alijs verò acceptionibus indiuidui, videlicet prout dicit aliquid abstractum, aut prout dicit aliquod concretum, seù commune, cum sit eadem ratio de abstracto, & concreto, est etiam eadem ratio de ratione indiuiduationis in communi sumptæ, ac de indiuiduo in concreto, prout importat aliquid commune, & quod de vno dicitur, debet dici proportionaliter de alio. Loquendo igitur de indiuiduo tali pacto considerato, negari non potest, quin indiuiduationes habeant aliquas rationes communes transcendentes, quia cum sint aliquid reale, vt modo supponimus, participant rationem

Indiuiduatio, vt talis habet aliquid cômune cum cæteris entibus.

en-

[..]mis, & cœteras rationes transcendentes. Deinde neque potest negari, [..]n habeant aliquid non transcendens, [..]quo conueniant cum cœteris rebus, quę non sunt indiuiduationes, in hoc enim conuenit indiuiduatio cum cœteris rebus, quòd sit proprietas naturæ, seû esse physici existentis. Indiuiduatio enim dicit vnitatem, qua vnum quodque indiuiduum est indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio; cum igitur vnitas ex genere suo sit passio, & proprietas entis, etiam vnitas indiuidualis erit passio entis, & in hoc conuenit cum cœteris proprietatibus; imò nedum conuenit indiuiduatio cum cœteris proprietatibus, vt proprietas entis est, sed etiam conuenit cum cœteris vnitatibus in ratione vnitatis. Verùm hucusque non habetur aliquid commune, per quod indiuiduatio constituat peculiare prædicabile, prout enim dicit vnitatem, & esse proprietatem entis spectabit ad prædicabile Proprii, non tamen vt indiuiduatio est, quia tali pacto considerata non dicit esse proprietatem vt sic, neque vnitatem vt sic, sed talē vnitatem, nempè indiuidualem. vnde difficultas in hoc sita est, an à pluribus indiuiduationibus possit abstrahi aliquis conceptus communis in ratione indiuiduationis, qui tanquam forma constituat concretum indiuidui, vt sit commune omnibus indiuiduis.

Non datur aliquid cōmune in diuiduis in rōne indiuiduationis.

XI. Pro cuius solutione dicimus, non posse haberi huiusmodi conceptum communem, qui dicat rationem aliquam communem in ratione indiuiduationis abstractam ab omnibus indiuiduationibus. Cuius rei ratio breuiter assignari potest, nam de hoc sumus latius infra tractaturi, cum agemus de esse indiuiduali, quia si haberetur hic conceptus communis, deberet posse fieri particularis in hac, vel illa indiuiduatione; vnde deberet esse ratio quædam contrahibilis per differentias indiuiduales, hoc autem implicat, nam quod est contrahibile per differentias indiuiduales, non est intra rationem indiuiduationis, sed essentię specificæ, vnde etiam D. Th. 1. par. quæst. 30 art. 4. in corpore docet, quòd non detur iste communis conceptus secundùm rem, sed solùm secundùm rationem, hoc est secundùm aliquam secundam intentionem; ait enim. *Et ideo dicendum est, quòd etiam in rebus humanis, hoc nomen personæ est commune communitate rationis, non sicut genus, vel species, sed sicut indiuiduum vagum*; & paulò post subdit *Sed indiuiduum vagum, vt aliquis homo significat naturam communem cum determinato modo essendi, qui competit singularibus, vt scilicet sit per se subsistens distinctum ab aliis.* Cum igitur indiuiduum vagum non possit dicere aliquam rationem obiectiuam communem secundùm rem, neque potest pertinere ad aliquod prædicabile, aut distinctum constituere.

Supposito cōceptu cōmuni indiuidui vagi, neq propriū constituit, neq. ad aliquod prędicabile spectat.

XII. Sed quicquid sit de hoc, & supposito, quòd illam diceret, neque adhuc posset sextum prædicabile constituere, aut ad aliquòd de prædictis quinque pertinere. Quod declaratur, supponendo, quòd supra dictum fuit, nempè ad hæc prædicabilia pertinere illa tantùm prædicata, quæ possunt prædicari prædicatione directa; illam autem esse prædicationem directam, in qua ex natura sua prædicatum se habet vt forma respectu subiecti. Rursus etiam supponi debet indiuiduum, vt tale est, constituere primum fundamentum, in quo prædicationes omnes directæ fundantur, est enim illud, quod ex natura sua subijcitur cuicumque prædicato, quod de toto ipsius esse prædicatione directa enunciari potest. Quibus stantibus fit, quòd non possit dicere aliquod prædicatum, quod respectu prioris fundamenti se habeat ex natura sua vt forma, indiuiduū enim formaliter, vt tale est, dicit primum fundamentū, circa quod versantur prædicata, quæ se habēt vt forma respectu subiecti, vnde nō potest esse forma respectu eiusdem fundamenti, quia idem esset forma respectu sui ipsius, & subiectum, & cum non possit prædicari prædicatione directa, nec etiam poterit dicere aliquod prædicabile.

Indiuiduū, vt tale constituit primum fūdamētum prædicationis directæ.

XIII. Solùm videtur, posse responderi, quòd licèt indiuiduum, vt tale est, dicat primum fundamentum, circa quod versantur prædicata, quæ dicuntur de subiecto prædicatione directa, si tamen ratio indiuiduationis vt sic comparetur ad hanc, vel illam indiuiduationem, tunc potest se habere vt forma respectu subiecti, quia ratio communis se habet vt forma respectu particularis, & consequenter etiam indiuiduum vt sic se habebit vt forma

Occurritur resp.

re-

Indiuiduum, cũ sit primũ fundamentum prædicationum, nunquam se potest habere vt forma subiecti. Arist.

respectu talis, vel talis indiuidui. Nihilominus hæc responsio non euacuat vim argumenti, nam semper verum est, quod primum fundamentum prædicationis, circa quod versantur ea prædicata, quæ se habent, vt forma respectu subiecti, non est ex natura sua aptum, vt in prædicatione possit se habere tanquam forma, quia si haberet, se tanquam formam; non esset primum fundamentum cœterarum prædicationum, vnde Aristot. cap. de substantia docet, quòd prima substantia ex natura sua non est apta prædicari de aliquo, sed est fundamentum cœterorum, quæ prædicantur; cum igitur etiam indiuiduatio comparata ad diuersas indiuiduationes adhuc dicat rationem formalem primi fundamenti omnium prædicationum, non potest aliquo pacto se habere vt forma, imò ex hoc, quòd sit primum fundamentum, sequitur, quòd non possit comparari vt ratio communis ad diuersas indiuiduationes, tãquam ad diuersas rationes particulares.

Prædicatũ quod se habet vt forma, dicit diuersam rationem formale a subiecto.

XIV. Et potest tota hæc doctrina confirmari. Quando aliquod prædicatum se habet vt forma respectu alterius, debet dicere diuersam rationem formalem ab ipso, & consequenter etiam quando comparatur vt ratio communis ad rationem particularem, quando autem indiuiduum vt sic prædicatur de indiuiduis, prædicatum formaliter sumptum dicit rationem indiuiduationis, & prædicatur de subiecto, vt dicit etiam rationem indiuiduationis, ergo non potest esse prædicatio, in qua prædicatum se habeat vt forma subiecti. Accedit etiam, quòd indiuiduum vagum, vel notatur signo particulari, vt cum dicitur *Quidam homo*, vel etiamsi non notaretur tali signo, implicitè tamen notatur, & intelligitur, idem enim est, si dicatur *Indiuiduum homo*, ac si diceretur, *Quidam homo*. Ex hoc autem fit, quod indiuiduum vagum, quocumque modo sumatur, non possit constituere prædicabile aliquod, aut ad aliquod ex ipsis pertinere, quia omne prædicabile, vt tale est, dicit aliquid commune, & absolutum à quocumque signo particularitatis, ita vt possit affici signo vniuersali; non enim potest dici, *Omnis quidam homo*, & ratio est, quia indiuiduum, cum nullo pacto possit sumi, nisi dicat rationem formalem indiuiduationis, & cum indiuiduatio ex natura sua sit ratio particularizans, ideò non potest affici signo vniuersali, quod est destructiuum particularizationis. Licet enim possit dici *Omnis indiuiduus homo*, tamen ly *Omnis* stat distributiuè pro hoc, & illo homine, non tamen colligit in vnam rationem communem hoc, & illud indiuiduum, vt indiuidua sunt, & ideò præcisa distributione, & sumpto vno termino simplici non, potest affici signo aliquo communitatis.

Prædicabilia debent absolui à quocumque signo particularitatis, & affici signo vniuersali.

Expediuntur nonnulla alia difficultates.

SECTIO IV.

I. Satis fusè pertractauimus difficultatem de indiuiduo, nunc pressius nonnullæ aliæ, quæ eundem numerum prædicabilium vrgent, dissoluendæ sunt, quas omnes hac vnica sectione complectemur. Primo igitur sese offert numerus prædicamentorum; videtur enim, quòd omnia ista prædicata, quæ importantur per prædicamenta possint constituere propria prædicabilia: vnde cum decem sint prædicamẽta, erunt etiam decem prædicabilia. Verùm respondetur, quòd alio modo proceditur, quando diuiduntur prædicamenta, ac quando diuiduntur prædicabilia, & ex hoc discrimine oritur, quod decem sint prædicamenta, quinque verò prædicabilia. Discrimen autem est, quòd in diuisione prædicamentorum considerantur res secundùm quod sunt primò diuersæ, & possunt constituere aliqua suprema genera, ex hac autem consideratione oriuntur tot prædicamenta. At in diuisione prædicabilium non attenditur res, quę prędicatur, sed modus prædicandi, quia consideratur prædicatum, prout est, quædam forma subiecti, vt dictum est, & prout dicit talem modum se habendi respectu subiecti, & ideo consurgunt tantùm quinque Prædicabilia, quia tantùm sunt quinque modi diuersi, quibus prædicatum dicit habitudinem ad subiectum. Hinc autem fit, quòd omnia prædicamenta pertineant ad hæc quinque Prædicabilia, nam si comparantur ad sua inferiora, se habent vt Genus; atque etiam inferiora ipsorum vel se habebunt vt Genus, si ad alia inferiora

Prima difficultas cur non sint tot prædicabilia, quot prædicamenta.

Discrimẽ in diuisione prædicamentorum & prædicabilium.

com-

comparentur, vel vt differentia, si comparentur ad superiora, vel species, si considerentur vt quædam tota. Si verò vltima nouem comparentur cum substantia, se habebunt vel vt Proprium, vel vt Accidens. Substantia verò non potest comparari cum accidentibus, quia non prædicatur de ipsis prædicatione directa. Atque hinc patet, quomodo ex multiplicatione prædicamentorum non debeant multiplicari prędicabilia.

Secunda difficultas.

II. Altera difficultas oritur ex transcendentibus; nam transcendentia prędicantur de inferioribus, & in quid, & tamen non continentur sub aliquo ex his quinque Prædicabilibus, non enim sub duobus vltimis, vt per se patet; non sub differentia, quia ens non est differentia alicuius generis, non sub specie, quia non constant ex genere, & differentia, neque sub genere, quia transcendentia non sunt genus. Solent ferè communiter breuiter se expedire, illa quinque prædicabilia solùm complecti prædicata illa, quæ vniuersalia sunt, transcendentia autem non esse vniuersalia. Differunt autem in reddenda ratione, nam aliqui dicunt, non esse vniuersalia, quia transcendentia sunt, aliqui verò, vt præcipuè Suarez. cit. disp. 6. sect. 8. num. 12. quia non sunt vniuoca.

Cur transcendentia non constituant propriu prædicabile.

Communis respōsio.

Suarez. Reijcitur

III. Cæterùm hęc responsio nobis probari non potest, nam docuimus & ens vniuocum esse respectu accidentis, & substantiæ, & participare rationem vniuersalis, quia reuera est ratio communis potens esse in pluribus. Sed licèt non essent vniuersalia, cum tamen possint de pluribus, vt quid commune prædicari, non videntur excludenda à numero prædicabilium, nam dicere, quòd prædicabilia non complectantur nisi vniuersalia, idem est, ac si dicatur, non complecti omnia prædicabilia, quia alia dantur prædicabilia, quæ per ipsos non sunt vniuersalia. Itaque posset responderi, quòd primum prædicabile generis amplectitur omnes illas rationes communes, siuè propriè genera sint, siuè non, quæ de pluribus plusquam numero differentibus prædicantur, & licèt ad rationem generis propriè sumpti requiratur, quòd sit pars speciei, & omninò extra differentiam, hoc tamen non est necessarium ad genus, prout constituit prædicabile, quia cum prædicabilia constituantur tantùm per ordinem ad prædicationem, ad saluandam rationem generis vt prædicabile est, sufficit, vt sit quid contrahibile ad vlteriorem perfectionem essentialem, atque adeò respiciens plura formaliter diuersa, de quibus prædicetur. Melius tamen respondetur, transcendentia non constituere aliquod prędicabile, quia in omnibus prędicabilibus reperiuntur, & consequenter cum diuiditur prædicabile, quia prædicabile est ens, diuiditur etiam consequutiuè ens, & cætera transcendentia, & ideò nō possunt secum afferre aliquem peculiarem modum prædicabilitatis, qui adueniat prædicabili vt sic, quia sunt aliquid superius ipso prædicabili, & ideò transcendunt per omnia prædicabilia sine aliquo proprio modo prædicabilitatis.

Aliaresponsio.

Quænam complectatur Genus vt prædicabile.

Melior responsio

Tertia difficultas.

IV. Tertia difficultas est de definitione, quæ est quoddam prædicatum, & potest, cum de definito, tum de quolibet contento sub definito enunciari, & tamen non continetur sub aliquo ex quinque prædicabilibus. Communiter solent respondere. Definitionem esse prædicatum complexum, hic autem diuidi prædicabilia, quæ important prædicata incompleta. Verùm hæc responsio non videtur omninò satisfacere. cur enim prædicata complexa non continebuntur sub latitudine prædicabilis vt sic, præsertim, cum idem sint secundùm rem, ac prædicata incompleta? si enim homo continetur sub prædicabili, cur non continebitur animal rationale? si album continetur sub prędicabili accidentis, cur non continebitur homo albus? Itaque mihi dicendum videtur, quòd diuerso modo loquendum est de definitione, prout comparatur ad ea, quæ continentur sub definito, ac de definitione comparata ad definitum. Si definitio comparetur ad ea, quæ continentur sub definito, continetur etiam sub eodem prædicabili, sub quo continetur definitum, quia tunc habet eundem modum prædicandi, ac definitum respectu inferiorum, vnde quando prædicatur de Petro, Paulo, & alijs indiuiduis animal rationale, est prædicatio speciei de suis inferioribus, quia definitio continet totum esse speciei. Si verò definitio comparetur ad definitum

Cur definitio non cōstituat proprium prædicabile.

Communis respōsio.

Reijcitur

Prędicata cōplexa reducuntur ad prædicabilia.

Definitio comparata ad inferiora pertinet ad prædicabile definiti.

tũc prædicatio ſe habet, ac quando partes ſimul ſumptæ prędicantur de toto; Definitio enim, cum ſit tradita per genus, & differentiam, dicit partes metaphyſicas definiti. Hinc autem fit, quòd cum in definitione reperiantur partes definiti ſeparatæ, quòd non habeat vnicum ſimplicem modum prædicandi, ſed mixtum ex modo prędicandi ipſius generis, & differentię, & ideo non ad vnicum prędicabile debet reduci, ſed ad multiplex videlicet genus, & differentiam. Quòd ſi conſideretur mixtus ille modus prædicandi non poteſt pertinere ad aliquod prædicabile, nedum quia mixtus eſt, ſed etiam quia tunc prædicatum non poteſt ſe habere vt forma reſpectu ſubiecti, quod neceſſario requiritur ad prædicabile, non enim partes ſunt forma totius niſi ſeorſim conſiderentur; ſed potius totum ſaltem in abſtracto ſumptum importat formam partium ſimul ſumptarum, vnde quando definitio prædicatur de definito, idem ſub expreſſiori conceptu prædicatur de ſeipſo, definitio enim dicit totum id, quod dicit definitum, & idcirco non poteſt definitum ſe habere, ut ſubiectum, definitio verò vt forma ſubiecti, quia definitio non relinquit aliquid in definito, quod ſtet loco ſubiecti, & non ſe teneat ex parte prædicati, vnde idem eſſet forma, & ſubiectum. Denique prædicabilia debent eſſe aliquid commune reſpectu plurium, definitio autem comparata ad definitum caret hac communitate, et ex hoc etiam capite, prout dicit hunc mixtum modum prædicandi, non poteſt ſpectare ad aliquod prædicabile, neq; ipſum conſtituere diſtinctum.

Prædicatio definitionis de definito eſt mixta, & pertinet ad plura prædicabilia, non autem ad vnum, & quare.

V. Quarta difficultas, quæ videtur numerum prædicabilium augere prouenit ex exiſtentia; nam ipſa quoque conſtituit prædicatum, quod ſub nullo ex quinque prædicabilibus continetur. Tolet quæſt. 3. Prædicab. in reſp. ad 4. reſpondet, quòd exiſtentia non importat aliquod aliud prædicatum præter Verbum *Eſt*, vnde cum quæritur, an res ſit, non tam quæritur aliquid prædicatum, quàm ipſum ſubiectum, an ſit in rerum natura, de quo poſtea efferuntur illa quinque Prædicabilia; ſed non rectè, quia illa quinque Prædicabilia efferuntur de ſubiecto etiam non exiſtente, præſertim ſi loquamur de quatuor primis: Deinde neque etiam negari poteſt, quin exiſtentia non importet aliquam ſaltem formalitatem, quæ ſit ratio, qua res prouatur in actu, & quæ ſit prædicatum quoddam metaphyſicum, quod poſſit de rebus exiſtentibus efferri, ita vt res ipſæ ſe habeant vt ſubiectum, exiſtentia vt forma.

Quarta difficultas.

Cur exiſtentia non conſtituat propriũ prædicabile.

Reſponſio Toleti.

Reiicitur.

VI. Itaque reſpondendum puto, quòd quando exiſtentia prædicatur de re aliqua, ſit prædicatio accidentis metaphyſici de ſubiecto, cum enim vnaquæque res creata contingenter exiſtat, exiſtentia formaliter accepta cum non ſit diſtincta à re, quæ exiſtit, ſe habet tanquam accidens metaphyſicum reſpectu illius, atque hoc prędicatum ſub quinto Prædicabili, nempe ſub accidenti continetur. Atque eodem modo Philoſophãdum eſt etiam de cœteris prædicatis, quæ omnino contingenter ſe habent reſpectu ſubiecti, ſiuè ſint formę phyſicæ, ſiue metaphyſicæ. Atque hinc etiam patet, non eſſe introducendum ſextum prædicabile, vt quidam volunt, ex myſterio Incarnationis, quia etſi omnes tres Perſonæ diuinæ poſſint Incarnari, & tunc homo prædicaretur de pluribus perſonis, nam valeret *Pater eſt homo, Filius eſt homo, Spiritus ſanctus eſt homo*, atque vnio naturæ humanæ non eſſet purè accidentalis, ſed facta in perſona, adhuc tamen eſſet verum, quòd hęc prædicatio pertineret ad quintum Prædicabile, nempè ad Accidens, nam in diſtinguendis prædicabilibus, non debet attendi res, quæ prædicatur, neque vnio ipſius cum ſubiecto, de quo prædicatur, ſed modus, quo prædicatum ſe habet ad ſubiectum, qui ſi accidentalis eſt, hoc eſt ſi facit, quòd prædicatum conueniat ſubiecto contingenter, pertinet hoc etiam prędicatum ad quintum prędicabile, quia hic eſt modus proprius prædicandi illius. Natura igitur humana comparata ad Deum, ſeù ad perſonas Diuinas omnino contingenter illi conuenit, quia contingens eſt, quòd Verbum fuerit incarnatum, vnde etiamſi vnio ſit facta in Perſona, adhuc tamen verum eſt, quòd tali perſonæ contingenter conuenit, eſſe hominem, ſicuti etiam cuicunque alteri Diuinæ, quę Incarnaretur. Sic etiam licèt materia, & forma conſtituant vnum per ſe, & vniantur vnione ſubſtantiali, adhuc tamen

Vera reſponſio.

Qualis ſit prædicatio exiſtẽtiæ, & ad quod prędicabile reducatur.

An ex myſterio Incarnationis introducẽdũ ſextum prædicabile.

Quid accidẽtis individuo ac prædicabilium

ve-

verum, est, quòd forma contingenter se habeat ad materiam consideratam secundùm esse, quia est omninò extra esse illius, nec vt proprietas consequitur ab ipsa, & omninò contingens est, quòd materia habeat hanc, vel illam formam. Atque ex mysterio Incarnationis non esse introducendum sextum Prædicabile adnotauit etiam Vasq. tertia parte disp. 68. cap. 4. sed hoc suo loco melius discutiendum est. Vasquez

5. difficultas. VII. Atque hæ sunt difficultates, propter quas videbatur debere augeri numerus prædicabilium; nunc vltima difficultas superest, propter quam videntur pauciora prædicabilia esse statuenda nam Arist. 1. Top. cap. 4. tradit quatuor tantùm esse prædicata, nempè Genus, Definitionem, Proprium, & Accidens, ergo cum omne prædicabile præter modum prædicandi inuoluat etiam proprium prædicatum, tria tantùm erunt prædicabilia, quia definitio, vt vidimus, non potest constituere aliquod prædicabile. Communiter, vt Soto q. 5. Vniuers. Rou. q. 9. Tol. q. 3. prædicab. & alij respondent, quòd ibi Arist. distinguit prædicata in ordine ad propositiones Dialecticas, quæ de subiecto communi, hoc est de specie cuiuscumque prædicamenti formari possunt; hęc autem prædicata sunt quatuor, nam vel prædicatum adæquatur cum subiecto, & hoc est definitio; vel dicit aliquid vniuersalius, sed quidditatiuũ, & est genus; vel consequitur ab essentia subiecti, & est proprietas; vel illi contingenter conuenit, & erit Accidens. Non assignauit autem speciem, quia species est subiectum, & non potest esse prædicatum; sed neque differentiam enumerauit distinctum prædicatum, quia illam comprehendit sub genere, nam cap. 3. eiusdem libri dixerat. *Differentia, cum generalis sit, cum genere ordinanda est*. Patet igitur diuersum modum tenuisse Aristot. ibi in diuidendis prædicatis, ac seruetur in diuisione prædicabilium, & iam ex supradictis constat, cuicumque prędicabili, ne dum secundùm modum prædicandi, sed etiam secundùm rem, quæ prædicatur, correspondere proprium prædicatum.

(Cur non quatuor prædicabilia iuxta quatuor prædicata tradita ab Arist.)

(Arist. illustratus Soto, Rouius, Tolet.)

Quotuplex sit vniuersale. Disputatio XXV.

Auctorum sententia.	*Sect. I.*
Explicatur vera sententia.	*Sect. II.*

Auctorum sententia.

SECTIO I.

I. IN præcedenti disputatione vidimus, vniuersale vt sic partiri adęquatè in quinque prędicabilia, vbi etiam explicauimus, in quo sensu accipienda sit prædicta diuisio; nunc difficultas insurgit, an omnia ista quinque prædicabilia seorsim considerata constituant singula vniuersale diuersum essentialiter ab alio, seu quod idem est, an tot sint vniuersalia, quot sunt prædicabilia. pro cuius explicatione instituimus præsentem disputationem, in qua quærimus, quotuplex sit vniuersale. Vt autem multiplicetur vniuersale, non est sufficiens, quòd multiplicentur prædicata, quia prędicata se habent tantùm materialiter, & plura sunt, quàm quinque, sed debet multiplicari ratio formalis constituentiua vniuersalis, & sicuti, vniuersale vt sic consistit in vnitate, & aptitudine, vt multiplicetur, non sufficit multiplicatio naturæ, in qua fundatur vnitas, & aptitudo, sed debent multiplicari rationes, quæ constituant tales diuersas aptitudines, & vnitates. Vnde non conueniunt inter se Auctores in assignando numero vniuersalium, sed in varias abierunt sententias. (Quid requiratur vt multiplicetur vniuersale.)

II. Prima igitur opinio communis est ferè apud omnes, asserit autem, quòd sicuti quinque sunt prædicabilia, ità etiam quinque sunt species vniuersalis. Sequuntur hanc sententiam Scot. quæst. 8. Prædicabil. Tart. quæst. 2. Ant. And. ibid. & cæteri Scotistæ, Soto q. 4. Vniuers. concl. 3. & q. de Genere in resp. ad primum Tolet. quæst. 3. de subiecto lib. Prædicab. Connimb. in Porph. quæst. 6. Vniuers. & complures alij, quibus etiam accedunt Fonseca lib. 5. Met. cap. 28 quæst. 12, sect. 2. (1. opinio admittens quinque vniuersalia. Scot. Tartar. Anton. Andr. Soto. Tolet. Conimb. Ruuius. Fonseca.)

Serna. Auersa.

Serna in Logica disp. 3. sect. 2. quæst. 6. art. 3. & Auersa in Log. quæst. 8. sect. 16. Addunt autem, esse species infimas, quia omnia, quæ sub vna continentur habent eundem modum prædicandi. Fundamentum huius sententiæ est, quia omnia quinque prædicabilia habent diuersum modum prædicandi, ergo cum non sint quid commune in suo modo prædicandi, constituent etiam diuersam rationem vniuersalitatis. Quod potest etiam confirmari. Prædicabilia ratione modi prædicandi habent singula diuersam prædicabilitatem, ergo cum prædicabilitas sit passio vniuersalis, & passio conformetur essentiæ, aderit in singulis prædicabilibus distincta ratio vniuersalitatis.

3 opinio Vnicũ esse tãtum vniuersale.

III. Altera opinio est præcedenti extremè opposita, asserit enim, quod vnicum sit tantùm vniuersale essentialiter, & quòd quando ponuntur plura vniuersalia, aut Prædicabilia, differunt tantùm secundùm magis, & minus, non verò essentialiter. Ita opinantur quidam Recentiores. Quorum fundamentum

Fũdamẽtũ ipsius.

esse potest, quia vniuersale in sua ratione formali dicit tantùm vnitatem, & aptitudinem, in hac autem vnitate, & aptitudine non videntur posse distingui rationes formales diuersæ, per quas constituantur vniuersalia diuersa essentialiter; quod ex eo suadetur, quia hæc vnitas, & hæc aptitudo constitutiua vniuersalis consurgit ex eo, quòd natura aliqua abstrahitur à materia signata, seu indiuiduatione, modus autem abstrahendi semper est idem, & solùm abstractio differt secundùm magis, & minus, ex eo videlicet quòd abstrahit aliquam rationem, quæ magis, vel minus distat, hoc est per pauciores, vel plures gradus entis à materia signata.

3 opinio admittes vniuersalia.

IV. Tertia opinio veluti media est, & neque quinque vniuersalia correspondentia quinque prædicabilibus admittit, neque vnicum tantùm, sed duo nempe vniuersale genericum, & vniuersale specificum. Desumitur autem

Auerr.

hæc sententia ex Auerr. in Porphyr. introduct. ad Prædicament. capite de Genere vbi ait; *Vera definitio ipsius generis est, quòd ex duobus vniuersalibus ipsum sit illud, quod vniuersalius est*. Præterea ex Simplic. in Prædicam. com.

Simpl. Boet. Ammon.

9. Boet. ibid. com. 6. Ammon. in Anteprædicament. cap. 3. atque etiam

Porph. in.

Porphyrius ipse in Antepræedicam. interrog. 25. hanc quoque sententiam insinuauit D. Th. opusc. 56. circa principium, vbi loquens de natura; ait, *In quantum est participabilis a pluribus differentibus specie, intelligit eam sub intellectu generis, & si solùm participabilis est à pluribus differentibus numero, intelliget eam sub intellectu speciei*. Atque hanc puto esse veram sententiam, vt in sequentibus explicabimus.

Explicatur vera sententia.

SECTIO II.

I. Adhuc vniuersale secundùm illam duplicem acceptionem, quam supra tradidimus, considerandum est, nempè secundùm esse physicum, quòd videlicet habet in ipsis rebus, & secundùm esse metaphysicum, quod habet tantùm ex eo, quòd natura præscinditur per operationem intellectus ab indiuiduis. Si ergo loquimur de vniuersali physico hoc tantùm vnum est ipsum

Vniuersale physicum vnicũ est.

considerando secundùm esse formale, quia si velimus loqui de eodem materialiter considerato, tot sunt vniuersalia physica, quot sunt naturæ, quæ existunt, vel possibiles sunt. Quod autem secundùm rationem formalem, sit vnicum tantùm, facilè ostenditur; nam consistit in natura physica, quæ est à parte rei, quatenus est vna in multis indiuiduis suamet vnitate formali, & essentiali; vnitas autem, & aptitudo essendi in illis est tantùm vnius rationis; nam semper est secundùm naturam completam, quę possibilis est in pluribus indiuiduis, vnde vnitas est semper secundùm naturam infimæ speciei, & aptitudo semper secundùm plura indiuidualiter considerata; cum igitur aptitudo, & vnitas formaliter considerata sit eiusdem rationis in quolibet vniuersali physico, etiam ipsum erit tantùm vnius rationis formaliter consideratum.

Vniuersale metaphysicum est duplex genericũ, & specificũ.

II. De vniuersali verò metaphysico quod habet esse tantùm obiectiuè in intellectu, dicimus, quòd est tantùm duplex, videlicet specificum, & genericum, non verò adæquari cum numero prędicabilium. Hæc conclusio ostendi potest excludendo tria vltima prædi-

cabi-

Vniuersale met. importat naturam præscindentē ab indiuiduatione

cabilia, & declarando, quomodo non constituant vniuersale diuersum à specifico, & generico. Pro quo supponendum est, quòd non potest haberi vniuersale metaphysicum, nisi habeatur aliqua natura, quæ præscindat ab indiuiduatione, vt patet ex supradictis, cum enim de ratione vniuersalis sit, quòd sit vnum potens esse in pluribus, vt quid indifferenter se habens, debet necessariò ab his pluribus, in quibus potest esse, præscindere. Quare Differentia Proprium, & Accidens non possunt habere rationem vniuersalis, nisi quatenus præscindunt ab aliquibus inferioribus, in quibus possunt esse, vt ratio superior, & communis, atque intrinsecum constitutiuum ipsorum. Ex quo sequitur vnum valdè notandum, quòd quando differentia comparatur cum genere, aut cum specie, non possit habere rationem vniuersalis, & ratio euidentissima est, quia respectu generis, non se habet vt quid superius respiciens plura, neque vt quid contrahibile ad ipsa, cum potius sit contractiuum generis, nam se habet vt quid præcisum ab ipso genere; atque etiamsi comparetur ad speciem, non se habet vt ratio superior respectu illius, neque vt quid commune respectu plurium, quæ omnia necessaria sunt ad vniuersale. Similiter etiam Accidens, & Proprium non possunt habere rationem vniuersalis, si comparentur cum suis subiectis, quia vel sunt accidentia physica, vel metaphysica; quocumque modo se habeant, nunquam habebunt prædictas conditiones, nempè quòd sint aliquid commune præcisum, & contrahibile, neque quòd respiciant plura vt constitutiuum intrinsecum, vt per se consideranti patet; tam Accidens enim, quàm Proprium sunt extra rationem subiecti, & vnum accidens, siuè proprium siuè commune respicit non plura, sed vnum subiectum in quo simul possit esse, vnum quidem accidens specie, vnum subiectum specie, & vnum accidens numero vnum subiectum numero.

Differentia nō habet rationē vniuersalis respectu generis, aut speciei.

Propriū & accidens non sunt vniuersalia respectu subiecti.

III. Quo stante sequitur, quòd hæc prædicabilia non possunt esse vniuersalia, prout dicunt proprium modum prædicabilitatis, quia hic modus est in ordine ad subiectum, vel ad aliquid aliud, quòd non se habeat, vt quid inferius, vt contingit in differentia. Accedit etiam, quòd cum vniuersale se habeat, vt superius, & intrinsecum constitutiuum suorum inferiorum, prædicatur de ipsis simpliciter in quid; hæc verò tria prædicabilia iuxta proprium modum prædicandi non prædicantur in quid simpliciter: nam differentia, quæ prædicatur vt quid essentiale, non prædicatur in quid præcisè, sed in quale quid. Quocirca solùm possunt constituere aliqua vniuersalia, quatenus possunt comparari ad aliqua sua inferiora. Modò cum hæc inferiora debeant esse inter se diuersa, vt sint plura, in quibus possit esse natura vniuersalis, inquiro, an sint diuersa solo numero, aut indiuiduatione, an aliqua maiori diuersitate, quæ sit secundùm essentiam? si sunt diuersa sola indiuiduatione, ecce quomodo hæc tria prædicabilia constituunt vniuersale specificum, vniuersale enim specificum est illud, quod ordinatur ad plura solo numero diuersa. Si verò differunt secundùm essentiam, illa prædicabilia constituent vniuersale genericum, si quidem vniuersale genericum est illud, quod ordinatur ad plura, quæ sunt diuersa secundùm essentiam; quare tria vltima prædicabilia erunt solùm vniuersalia, prout comparantur ad sua inferiora, Differentia quidem ad plures differentias, Proprium ad plures proprietates, Accidens ad plura accidentia. Et hoc verum est siuè considerentur in abstracto, siuè in concreto, quia concreta horum prædicabilium in communi accepta, & comparata ad inferiora, erunt tantùm vniuersalia, prout dicunt formam in communi, quę comparatur ad inferiora concreta dicentia formam in particulari.

Tria vltima prædicabilia nō sunt vniuersalia, prout dicūt proprium modū prædicabilitatis.

Quomodo tria vltima prædicabilia cōstituūt vniuersale aut genericum, aut specificum.

IV. Atque hinc potest ostendi, vniuersalia non posse esse plura, quàm duo. Quoniam vniuersale formaliter acceptum consistit in vnitate, & aptitudine ad essendum in multis, vnde se habet semper tanquam vnum in multis, atque adeò in hac vnitate, & aptitudine non potest distingui, nisi per ordinem ad illa multa, in quibus potest esse. Cum enim vniuersale vt sic dicat, quòd sit communicabile pluribus, sicuti non potest intelligi huiusmodi

Quomodo vniuersalia nō possint esse plura, quā duo.

communicabilitas; niſi plura intelligantur, ita neque poteſt intelligi talis communicabilitas, niſi intelligantur talia plura, & conſequenter poteſt tantùm vniuerſale diſtingui ex diſtinctione cognita in illa pluralitate inferiorum, quibus poteſt communicari. Hæc autem inferiora poſſunt eſſe tantùm duplicis generis, nam hæc eſt ipſorum adæquata diuiſio, quòd videlicet alia differant ſola indiuiduatione, alia verò eſſentia, vt conſideranti patet. Vnde etiam vniuerſale poteſt eſſe tantùm duplex. Atque confirmari poteſt hæc ratio. Vniuerſale, vt ſuo loco oſtendimus, eſt aliquod relatiuum tranſcendentale, ergo debet conſtitui, & diſtingui per ordinem ad ſuum terminum, nempè ad inferiora, in quibus poteſt eſſe, ſed inferiora ſunt tantùm duplicis rationis, nempè alia differentia indiuidualiter, alia eſſentialiter, ergo etiam vniuerſale erit tantùm duplex.

Obiectio

V. Solùm poſſe obijci videtur, quòd eſſentialis diuerſitas non eſt vnius rationis, ſed diuerſæ, nam alia eſt maior, alia eſt minor, alia ſecundùm rationes magis vniuerſales, & alia ſecundùm rationes minus vniuerſales, ex quo etiam fit, quòd poſſent plures, & plures abſtractiones fieri, quarum vna ſit ſemper alia vniuerſalior. Sed hæc difficultas nullius eſt momenti.

Solutio.

Quia quæcumque differentia, quæ ſit maior numerali, eſſentialis eſt, & hę duæ diuerſitates ſunt inter ſe contradiſtinctæ, quòd verò in diuerſitate eſſentiali reperiatur alia, & alia diuerſitas eſſentialis, nihil obſtat, vna enim diuerſitas eſſentialis non eſt diuerſa ab altera ſecundùm modum diuerſitatis, ſed ſecundùm magis, & minus, & ſecundùm eſſe materiale, & in hoc habet locum ſecunda ſententia; quòd enim vna ſit ſecundùm rationes magis vniuerſales, alia ſecundùm minus vniuerſales, facit tantùm magis, vel minus differre intra eundem modum diuerſitatis, omnis enim talis diuerſitas facit differre eſſentiali modo. Quod ex eo declaratur; nam omnes rationes, & omnes gradus entis à prima vſque ad indiuiduationem excluſiuè conſtituunt vnam completam eſſentiam, quæ ſufficit ad conſtituendam vnam aliquam entitatem, quæ ſi comparetur cum alia, quælibet differt tantum eſſentialiter. Ex quo fit, quòd,

Vna diuerſitas eſſentialis nō differt ab alia, niſi ſecūdum magis, & minus.

quando diuerſi gradus huius eſſentiæ cum aliis gradibus alterius eſſentiæ comparantur, differant quidem eſſentialiter, ſed tanquam partes, ideò omnis diuerſitas, quæ contingat ſecundùm rationes vniuerſaliores, erit intra eundem modum diuerſitatis, & conſiderata quantùm eſt ex parte extremorum, erit ſecundùm partes eſſentiæ, & conſequenter retinebunt eundem modum diuerſitatis, quem dicit tota eſſentia, ſi cum alia, quantùm poteſt fieri diuerſa, comparetur. Quocircà ex hoc capite non ſunt multiplicanda vniuerſalia.

VI. Quod autem hæc duo vniuerſalia diſtinguantur eſſentialiter, & non ſolùm ſecundùm magis, & minus, vt volebat ſecunda ſententia, etiam oſtenditur.

Vniuerſale genericum, & ſpecificū diſtinguūtur eſſentialiter.

Quia, quamuis vtrumque ſit vnum in multis, tamen quia iſta multa, in modo contrahendi, quo vniuerſale contrahunt, diuerſa ſunt, & in ſeipſis includunt diuerſam pluralitatem formaliter, idcircò cum vniuerſale ſit quid relatiuum tranſcendentale, cum inferiora; ad quæ ordinatur, ſint diuerſæ rationis, etiam ipſum vniuerſale erit diuerſæ rationis, vtpote conſtitutum per ordinem ad talia inferiora. Hinc eſt, quòd quando vniuerſale contrahitur per inferiora, quæ ſunt indiuiduationes, contrahitur incommunicabiliter, ita vt prout eſt ed vnum contractum, reddatur incommunicabile alteri.

Vnde colligatur talis diſtinctio.

Quando verò contrahitur ad inferiora, quæ ſint eſſentialiter diuerſa, contrahitur, vt quid adhuc communicabile, quia adhuc remanet communicabile ſaltem pluribus indiuiduis. Deinde vniuerſale ſpecificum habet modum eſſendi in pluribus per modum totius afferens totiam eſſentiam completam naturæ, quam communicet indiuiduo. Vniuerſale verò genericum eſt in inferioribus per modum partis metaphyſicæ; Itaque cum hæc duo vniuerſalia habeant diuerſum modum eſſendi in ſuis inferioribus, conſtituunt diuerſa vniuerſalia eſſentialiter.

VII. Atque hæc ſententia deſumitur ex doctrina Ariſt. nam 5. Met. cap. 6. tex. 12. enumerans diuerſam vnitatem, & eam veluti in ſuas ſpecies diſtribuens ait, *Alia numero, alia genere, alia ſpecie, alia analogia vnum ſunt.* Cum igitur vniuerſale ſit vnum vnitate communi,

Cōfirmatur ex Ariſt. doctrina.

muni, atque vniuoca, vt iam constat ex supradictis, sequitur, quòd neque vnitas numeralis defectu communitatis, neque vnitas analogica defectu vniuocationis, possint constituere vniuersale, solùm ergo ex doctrina Arist. remanet vnitas generica, atque specifica, per quas constituatur Atque quid simile habet etiam lib. 1. de Partibus animalium cap. 5. dum ait, *Nam alia proportione, alia genere, alia specie rationem complent communitatis*. Atque hoc ipsum colligitur, quia quotiescumque disputat contra Ideas, quas adscribit Platoni, tanquam contra quædam vniuersalia, supponit, quòd vniuersale possit tantùm dicere aliquid specificum, aut genericum. Atque idem Aristot. in Antepræd. cap. 2. docet, aliud esse *Dici de subiecto*, & aliud *Esse in subiecto*. dici enim de subiecto conuenit tantùm prædicatis essentialibus, vt cum animal dicitur de homine. Esse verò in subiecto dicitur de accidentibus, & cæteris, quæ non sunt prædicata essentialia. Cum autem vniuersale dicatur de subiecto, quippe prædicatur de pluribus tanquam de subiecto, necesse est, quòd sit prædicatum quidditatiuum comparatum ad inferiora, atque adeò vel genericè se habeus, vel specificè.

Quænam vnitates aptæ ad constituendum vniuersalem.

Vniuersale dicitur de subiecto.

VIII. Ex dictis autem facilè expediuntur fundamenta aliarum sententiarum; nam ad fundamentum primæ patet ex dictis, quomodo ex diuersitate modi prædicandi, quem important tria vltima prædicabilia, non constituantur diuersa vniuersalia, nempè, quia prout dicunt talem modum prædicandi, non ordinantur ad inferiora, sed ad subiectum. Cum verò dicitur, quod prædicabilitas est passio vniuersalis, atque quòd multiplicata prædicabilitate, debet etiam multiplicari vniuersale, respondetur, quòd non quælibet prædicabilitas est passio vniuersalis, quia prædicatum latius patet, quàm vniuersale, cum dentur multa prædicata, quæ non sunt vniuersalia. Illa ergo solùm prædicabilitas erit passio vniuersalis, quæ respicit inferiora, & fundatur in ratione superiori, quæ ordinetur ad inferiora, vt constitutiuum ipsorum. Ad fundamentum verò secundæ sententiæ dicimus, quòd ex eo, quòd vniuersale abstrahitur à materia signata tantùm, aut aliqua vlteriori abstractione, variatur vnitas, & aptitudo ipsius, quia cum aptitudo sit quid relatiuum transcendentale, ex eo quòd terminus sint inferiora diuersa tantùm indiuidualiter, aut diuersa essentialiter, quia variatur terminus aptitudinis, variatur etiam aptitudo, & modus, quo vniuersale est in inferioribus; vnde variatur etiam essentialiter vniuersale, vt iam patet ex supradictis.

Ad fundamenta aliarum sententiarum.

Non omnis prædicabilitas est passio vniuersalis, & quæ nam illa sit.

Qualisnam sit diuisio, qua vniuersale diuiditur in Genericum, & specificum. Disput. XXVI.

Quid in hac re sentiant Doctores.

SECTIO I.

I. Valdè confusè hæc quæstio pertractari solet, vt autem ex ipsorum doctrina elici potest, in hoc complures conueniunt, & ferè omnes exceptis Scotistis, quòd si consideretur vniuersale, prout dicit naturam subiectam secundæ intentioni, non sit diuisio generis in species, quia hæc prædicabilia nihil habent commune vniuocum; si enim haberent aliquid vniuocum, esset hoc ratio entis; hoc tamen est falsum, quia est quid analogum; hoc autem non admittunt Scotistæ, qui docent, ens esse quid vniuocum respectu suorum inferiorum, & consequenter concedunt omnia prædicabilia conuenire vniuocè in ratione entis. Verum quia ratio entis non est ratio vniuersalis, aut prædicabilis, vt magis distinctè procedamus diuersas opiniones referemus.

II. Prima igitur sententia affirmat vniuersale vt sic, nedum esse genus vniuocum respectu generis, & speciei, sed etiam respectu cæterorum prædi- 1. opinio

Vniuersale esse genus ad quinque prædicabilia, & diuisione esse vniuocam. Scot. Tartar. Soto Conimb Louanięns. Ruuius Tolet. Hurtad. Serna Aue. sa. Anton. Andr.

cabilium, quare cum vniuersale vt sic diuiditur in illa quinque membra, est diuisio generis in suas species. Ita tenet Scot. q. 8. Prædicab. Tartar. quęst. 2. Sot. q. 4. vniuersal. concl. 3. & q. de gener. in resp. ad 1. Connimb. 6. in Præfat. quæst 3. Louanien s. cap. de Proprio Tolet. q. 2. Prædicab. Ruu.. q. 7. Vniuers. Hurt. in Logica disp. 7. sect. 1. Serna in Logica disp. 2. Sect. 2. q. 8. ar. 6. §. *Pro solutione huius*, Et communis est, apud Scotist. Ant. Andr. & alios, ac etiam sequuntur plures Recentiores. Fundamentum præcipuum huius sententię est, quia vniuersale eodem nomine, & ratione dicitur de his quinque prædicabilibus, omnis enim definitio, quæ de vniuersali tradi potest, etiam conuenire potest singulis prędicabilibus, vt quod sit vnum aptum esse in multis, ergo cum vniuoca sint illa, *quae nomen est commune, & secundùm illud nomen ratio substantia est eadem*, hæc prædicabilia vniuocè conuenient in ratione vniuersalis; vnde cum vniuersale, quod de ipsis dicitur, respiciat plura specie diuersa, erit genus vniuocum ad ipsa

Secunda senteotia Non esse diuisionē generis in suas species. Bœt. Ammon. Auicen. Simpl. Albert. Magn. Petrus Niger Bruxellés

III. Altera autem sententia negat, vniuersale vt sic posse esse verum genus vniuocum ad cœtera vniuersalia, seu ad quinque Prædicabilia. Ita Boet. & Ammon. in definit. generis apud Porphyr. Auicen. in sua Log. cap. 7. Simpl. in Prædicam in definit. æquiuocorum Alb. mag. tract 2. Prædicab. cap. 9. Pet. Nig. 2. parte Clyp. q. 16. Bruxell. q. 2. Prædicab. & alij complures; quorum præcipuum fundamentum est, quia si vniuersale diuideretur in quinque, aut pauciora prædicabilia tanquam verum genus in species, sequeretur, quòd genus, quatenus genus est, esset species suæmet speciei, siquidem vt genus est cōtineretur sub primo prædicabili, quod est species ipsius vniuersalis, quod in quinque prædicabilia diuiditur. Ex quo excluditur illa responsio, quā dicitur quòd secundùm diuersos respectus esset genus, & species, siquidem secundùm quod diuideretur in suas species, hoc est in quinque Prædicabilia, haberet formalē rationem generis, & etiam secundùm eandem rationē poneretur sub prædicabili primo, nempe genere, quia sub ipso debet collocari omnia genera. Pręterea arguunt ex eo, quòd aptitudo, qua constituitur vniuersale est quid negatiuum, negationes autem non possunt habere verum genus, & veras species. Hinc Arist. 1. de partibus animal. cap. 3. docet, quòd priuatio, quatenus priuatio, nullā habet differentiam, quia fieri non potest, vt vlla sit species non entis: Verùm hæc ratio procedit ex falso fundamento, quòd supra refutauimus, quòd aptitudo sit aliquid negatiuum. Arguunt etiam, quia aliqua prædicabilia prædicantur prædicatione accidentaria, & denominatiua, aliqua verò prædicatione essentiali, hæ autem prædicationes nihil habent vniuocum. Fonseca autem 5. Metaph. cap. 28. q. 12. Sect. 2. nititur conciliare has duas opiniones, quòd videlicet hęc postrema procedat de vniuersali fundamentaliter considerato, prima verò de vniuersali relatinè sumpto, quod consistit in aliqua relatione rationis, & sic vtraque est vera.

Arist. Fonsecæ. opinio

Vera Sententia.

SECTIO II.

I. CVM secundæ intentiones ad materiam metaphysicam non spectent, eas missas facimus, & quando inquirimus, an huiusmodi diuisio vniuersalis sit generis in species, consideramus tantùm illum conceptum realem obiectiuum, quem importat natura communis vt sic metaphysicè considerata, in qua, diximus, saluari formalem rationem vniuersalis metaphyci; quælibet enim natura abstracta ab indiuiduis intrinsecè participat rationem vniuersalis vt sic, quam tanquam aliquid positiuum imbibit in suo esse: hæc autem ratio, qua formaliter natura vniuersalis est, potest adhuc ab ipsa præscindi, & tunc habebimus conceptum obiectiuum positiuū, & realc metaphysicum de vniuersali vt sic communissimè sumpto, & illud esse, quod per hunc conceptum importatur, est illud quod diximus diuidi in duplex vniuersale genericum, & specificum, & de hoc inquirimus, quanam diuisione diuidatur, quando diuiditur in genericum, & specificum.

Quomodo accipienda diuisio.

II. Sed antequam hoc decernamus, non erit ab re statuere, quomodo ratio prædicabilitatis, vt sic, dicatur de illis quinque prædicabilibus. Itaque

Prima cō clus.

dicen-

Prædicabilitas dicitur de quinque prædicabilibus.

dicendum est, prædicabilitaté, vt sic, dici vniuocè de illis quinq; prædicabilibus, quod tamen ita intelligi debet, nō quòd immediatè dicatur de ipsis, sed cum proportione ad diuisionem, quam tradidimus de prædicabilibus, ita vt primò prædicabilitas vt sic diuidatur in prędicabilitatem essentiali modo factam, & in prædicabilitatem accidentali modo; deinde prædicabilitas essentiali modo facta alia sit generica, alia specifica, vel differentialis. Accidentalis verò, vel respiciat subiectum proprium, vel commune; an autem hæc diuisio prædicabilitatis vt sic sit generis in species, aut qualis nam sit, patebit ex his, quæ dicemus de vniuersali. Quando autem primò diuiditur in essentialem, & accidentalem, certum est, esse generis in species, quia fit per differentias immediatè oppositas. Sicuti etiam quando accidentalis diuiditur in eam, quæ respicit subiectum proprium, & commune, cum etiam hæ sint differentiæ oppositæ, & immediatè diuidentes genus, vt etiam patet, quando accidens diuiditur in proprium, & commune.

An sit genus.

Prima ratio.

III. Quod autem ratio prædicabilitatis vt sic, sit quid commune vniuocum respectu omnium prædicabilium, probatur. Quoniam cuicumque Prædicabili considerato secundùm naturam ab Intrinseco conuenit positiuè, nemine cogitante, quòd possit de ijs prædicari, respectu quorum est prædicabile. Rursus tota diuersitas, quam vnumquodque habet in prædicando, prouenit ratione differentiarum; ergo datur vnus conceptus communis vniuocus prędicabilitatis respectu omnium prædicabilium, consequentia est certa, nam si habent in ratione prædicabilitatis aliquod cōmune, & aliquod diuersum, ita tamen vt tota diuersitas proueniat à differentijs, cum diuersitas differentiarum non tollat vniuocationem rationis communis, iam supposita veritate antecedentis, aderit vniuocatio in ratione communi prædicabilitatis.

Prædicabilia omnia conueniunt perfectè in ratione prędicabilitatis, & differunt in modo prędicandi.

IV. Quod autem spectat ad antecedens probatur eius prima pars, nam natura, quam importat quodlibet prædicabile, potest esse in eo, de quo prædicatur, in hoc enim fundatur veritas prędicationis, quòd prædicatum fit in subiecto, vnde ratio illa, quæ per tale prædicatum ponitur in subiecto, ex natura sua erit talis, vt possit esse in illo; atque adeo quòd secundùm suum esse reale dicat ordinem ad intellectum, vt quid ex natura sua enunciabile de tali subiecto, in hoc enim consistit prædicabilitas, quapropter, vt dicebamus, prædicabilia omnia secundùm suam naturam considerata vindicant sibi ab intrinseco positiuam prædicabilitatem. Altera autem pars, quòd videlicet in prædicabilitate communiter sumpta non sit diuersitas, sed quòd tota proueniat ratione differentiarum, etiam ostenditur, nam vnum prædicabile in tantum habet diuersam prædicabilitatem ab alio, in quantum per aliquid sibi proprium differt, ergo tota diuersitas prouenit ratione differentiarum.

Secunda ratio.

V. Secundò declaratur. Omnia prædicabilia intrinsecè participant rationē formalem prædicabilitatis, & præter rationem hanc habent, quòd in peculiari modo prædicandi inuicem differant, ergo habent rationem communem prædicabilitatis vniuocam; consequentia probatur, quia hæc diuersitas, quæ habetur ratione modi prædicandi, stat cum aliquo communi omnibus prædicabilibus, nempè ratione prædicabilitatis vt sic, & est coarctatiua illius, ergo ratio prædicabilitatis vt sic est vna in omnibus prædicabilibus. Nec valet, si dicatur, non esse perfectè vnam, quia si concipiatur tantùm id, quod in ratione prædicabilitatis est commune, verè concipietur aliquid perfectè vnum; nam quæro, an præcisè in illa ratione communi reperiatur diuersitas, an non. Primum non potest dici, quia diuersitas potest tantùm prouenire ex ijs, quæ sunt propria cuiuscumque prædicabilis, ratio autem communis, vt talis est, non potest imbibere quę sunt propria prædicabilium, alioquin non esset illud præcisè, quod commune est; si igitur nullam dicit diuersitatem, ergo est perfectè vna.

Diuersitas prædicabilium est ratione differentiarū, & stat cū cōmuni cōceptu prædicabilitatis.

Confir.

VI. Confirmari potest hæc ratio. Prædicabilia habent aliquid, in quo simul communicant, & aliquid, in quo non communicant, ergo si præscindatur illud, in quo communicant habebitur conceptus vniuocus; probatur consequentia, nam illud, in quo communicant præcisè conceptum, non potest includere diuersitatem aliquam; quia implicat, prædicabilia inuicem communicare in eo, in quo habent diuersitatem; so-

Prædicabilia in aliquo cōmunicant, in aliquo verò non communicant.

lùm

lùm enim in eo communicant, in quo non differunt, ergo illud, in quo communicant, erit perfectè vnum in omnibus, atque adeò vniuocum. Rursus ab omnibus prædicabilibus potest abstrahi vnus conceptus communis, qui dicat explicitè vnam tantùm rationem formalem simplicem, nempè posse esse in alio, vt quid enunciabile de ipso; hæc autem ratio explicita sic præcisè considerata potest dici æqualiter de omnibus prædicabilibus, ita vt totum id, quod dicitur de vno, dicatur vt manens idem etiam de altero, ergo erit conceptus vniuocus.

Tertia ratio.

VII. Tertiò. Ratio prædicabilitatis vt sic est vna ratio formalis intrinsecè participata ab omnibus prædicabilibus, ergo etiam vniuocè participata: Antecedens est clarum, nam prædicabilitas dicit illam rationem præcisam, quam dicunt naturæ, prout de aliquo sunt enunciabiles. Consequentia ostenditur, quia, vt alibi dictum est, omnis ratio formalis secundùm suam quidditatem consistit in indiuisibili, nec potest secundùm rationem essentialem habere magis, & minus, alioquin esset diuisibilis; ergo quando descendit ad inferiora, descendit æqualiter secundùm se totam ad singula, alioquin si descenderet magis perfectè ad vnum, quàm ad alterum, descenderet diuisibiliter, quod implicat cum indiuisibilitate ipsius. Confirmatur, si descenderet diuisibiliter, deberet secundùm aliquid formale descendere ad vnum, secundùm quod non descenderet ad aliud; hoc autem implicat; nam ratio illa non esset vna, sed multiplex, quoniam haberet aliquid formale, quo descenderet ad vnum, & non ad aliud, atque adeò, prout ad diuersa descendit, esset diuersa formaliter; vbi autem non est eadem omninò formalitas, sed diuersa, non est vna, sed multiplex ratio formalis.

Prædicabilitas est indiuisibilis ratio intrinsecè participata à prædicabilibus.

Secunda conclusio. Diuisio vniuersalis in genericum & speci ficum non est generis in species propriè dictas.

VIII. Quod verò spectat ad diuisionem vniuersalis in Genericum, & Specificum. Dicendum est. Non esse diuisionem generis in species propriè dictas. Probatur conclusio. Quando aliquid diuiditur, tanquam verum genus in veras species, debet diuidi per differentias oppositas, sed quando diuiditur vniuersale in Genericum, & Specificum non diuiditur per differentias oppositas, ergo non est diuisio generis in species; maior huius argumenti est indubitata, vnde vt ipsius efficaciam compleamus, est solùm probanda minor. Quòd igitur esse specificum, & esse genericum non sint differentiæ oppositæ ex eo ostenditur, quòd oppositę differentię se inuicè destruunt, diuidunt enim Genus, quòd si non se inuicem, & ab eodem subiecto excluderent, non diuiderent Genus; quod etiam potest constare facta inductione per singulas differentias, quæ diuidunt genus; sed esse genericum vniuersalis, & esse specificum non sunt differentiæ, quæ se inuicem excludāt ab eodem subiecto, nā esse genericum includitur in esse specifico, quoniam species in se includit vniuersalitatem genericam, & propriam addit, qua vniuersalitas Generica determinetur.

Non est talis diuisio per differentias oppositas.

IX. Et quamuis posset responderi, quòd quando Genus reperitur in aliqua specie, non habet amplius suam vniuersalitatem genericam, quia prout est in illa, non respicit plura specie diuersa, nō tamen hoc tollit efficaciam argumenti, nam semper verum est, quòd natura generica ex intrinseco suo præcisè considerata habet talem vniuersalitatem, & quòd etiam ex intrinseco suo ordinatur, vt sit pars speciei, quòd sufficienter concludit, quòd non possunt esse differentiæ oppositæ diuidentes genus; quia quæ semel sunt differentiæ oppositæ, numquam possunt venire in compositionem vnius speciei. Confirmatur. Genus præcisè consideratum, prout habet totam suam vniuersalitatem, & comparatum ad species, de quibus prædicatur, se habet vt pars respectu illarum, & venit in compositionem earumdem, hoc autem non potest conuenire differentijs oppositis, alioquin non essent oppositæ, nec vna ex natura sua aliam excluderet ab eodem subiecto.

Occurritur responsioni.

Vniuersalitas generis ordinatur ad vniuersalitatem specificam.

Secunda ratio.

X. Atque hinc secundò argumentor. Differentiæ, quæ diuidunt genus in varias species ita se habent respectu illius, vt immediatè ipsi adueniant, sed ratio, qua cōstituitur vniuersale genericū & ratio, qua cōstituitur vniuersale specificum, nō immediatè adueniunt vniuersali, ergo non possunt se habere, vt differentiæ diuidentes genus in varias species. Maior est certa, & sequitur ex natura diuisionis, qua genus debet diuidi, dum enim diuiditur, distribuitur in varias species, & ad illas descendit per contractionem, qua à differentijs

Differentiæ diuidentes debent immediatè aduenire diuiso.

diui-

diuidentibus contrahitur, hoc autem non potest esse, nisi differentiæ diuidẽtes immediatè adueniãt Generi, quomodo enim poetst contrahi, & descendere ad varias species, nisi immediatè afficiatur ab ipsis differentijs contrahentib. Præterea genus, est quędam potentia metaphysica respiciens oẽs differentias, tanquã actus, per quos perficiatur, ergo debet immediatè vniri cũ ipsis. Minor etiã eiusdẽ argumẽti euidẽs est, quia specificũ vniuersale habet suã propriã differẽtiã, quæ aduenit generi, vnde vniuersali vt sic aduenit ratio vniuersalis specifici tamen mediãte vniuersalitateGenerica.

3. ratio. XI. Tertiò probatur. Nunquam differentiæ, quæ diuidunt genus, ita se habent, vt vna subordinetur alteri, & sit perfectibilis per illam, sed quamuis vna differeutia adhuc sit contrahibilis per aliam, numquam tamen differentia, per quam contrahitur, simul cum ipsa diuider idem genus, hoc enim est omninò impossibile, quia nisi differentiæ ex æquo se habeant, non possunt d uidere genus; si enim vna supponit alteram aduenisse generi, quando illam contrahit, iam supponit genus diuisum. Deinde si perficit eandem differentiam, quomodo potest simul cum ipsa diuidere aliquam rationem communem? diuidere enim rationem communem, est illam distribuere in diuersas species. Modò vniuersale genericum subordinatur vniuersali specifico, & per ipsum perficitur quoniam vniuersale specificum habetur tantùm formaliter ratione differentiæ, & includit etiam vniuersale genericum, quod perficitur per rationem vniuersalis, quæ habetur ratione differentiæ.

Differẽtiæ diuidẽtes nõ subordinãtur inter se, neq. vna perficitur per aliam.

XII. Præterea possumus eandem rationem confirmare. Ratio communis, quæ per varias differentias diuiditur in varias species non descendit ad vnam differentiam mediante alia, ita vt ratio communis, prout coniungitur cum vna differentia, coniungatur etiam cum alia, quia sic non constituerentur species diuersæ, sed vna, & eadem, quæ per diuersas rationes subordinatas cõpleretur. Sed vniuersale Genericum, & Specificum, ità se habent, vt coniungantur simul cum vna, & eadem ratione communi vniuersalis vt sic, atque vniuersale vt sic, secundùm quod coniungitur cum vniuersali generico, coniungatur etiam cum specifico, & constituant vnã rationem vniuersalis cõpleti, quæ in se includit rõnẽ vniuersalis vt sic, vniuersalis Generici; & specifici. Quomodo ergo potest esse diuisio generis in species?

Confir. Ratio cõmunis nõ descẽdit ad vnam differentiã mediante alia.

XIII. Est igitur huiusmodi diuisio rationis communis in suos gradus, quos potest in seipsa simul recipere propter subordinarionem, quam inter se habent, vniuersalitas enĩ generica subordinatur specificæ, & vna aduenit alteri, quod satis ex dictis constat, sic quando esse tale corpus specie aduenit corpori genericè considerato, quia vniuersalitas specifica inuoluitur in ratione talis corporis, & generica in corpore vt sic, vniuersalitas specifica aduenit genericæ. Hoc tamen non obstante, adhuc ratio diuisa est vniuoca, qnod tamen ita debet intelligi, non quia ratio vniuoca in plures species vniuersalis diuidatur, sed quatenus vnusquisque gradus vniuersalitatis æqualiter participat rationem vniuersalis vt sic, nam si considerentur gradus genericus, & specificus formaliter sumptus, prout dicit formam generis, qua constituitur species, hoc est differentiam, verè vterque participat totam rationem vniuersalis vt sic, cum habeat, quòd possit esse in multis ex vi proprij gradus formaliter sumpti, atque in vtroque saluatur perfecta vnitas communis, & aptitudo. Er conceptus ille communis vniuersalis est vnus simpliciter, & præcisus à quibuscumque differentijs, & dicit vnam simplicem rationem formalem indiuisibilem, & consequenter quando descendit ad hos gradus, debet descendere æqualiter, & ad vnumquodque secundùm suam omnimodam perfectionem, quod satis ex eo patet, quia definitio vniuersalis vt sic æqualiter competit cuicumque gradui.

Qualisnam sit hæc diuisio.

Quomodo ratio diuisa adhuc sit vniuoca.

XIV. Verùm licet hæc probabiliter dicta sint, potest tamen etiam secundùm aliam considerationem defendi, quòd quando diuiditur vniuersale in genericum, & specificum, sit diuisio generis in suas species. Pro quo aduertendum est, quòd potest vniuersale considerari in concreto, & in abstracto. In concreto quidem dicit ipsam naturam, quæ intrinsecè vniuersalis est, & hoc pacto est aliquid vnum aptum esse in multis, quia dicit esse naturæ, quod per vniuersalitatem imbibitam apta est, vt possit de multis prædicari illis

Quomodo defendi possit esse diuisione generis in species.

inexistendo. In abstracto verò dicit illam rationem, quæ à tali natura vniuersali abstrahitur, & per quam formaliter habet, quòd possit poni in pluribus, quæ est ratio formalis constitutiua talis naturæ in esse vniuersali, si igitur vniuersale in concreto sumatur, habent locum ea, quæ diximus, quòd videlicet sit diuisio vniuersalis in diuersos gradus vniuersalitatis, et in hoc sensu procedunt argumenta facta, quia videlicet eandem sortitur diuisionem, quam sortitur natura imbibens vniuersalitatem, generica autem, et specifica natura, etiam formaliter sumptæ sunt diuersæ partes, seù gradus subordinati, qui constituunt vnam naturam.

XV. Si verò loquamur de vniuersali secundò modo accepto; in abstracto scilicet, tunc potest dici, quòd sit diuisio generis in suas species, quod ex eo ostenditur, quia sumendo rationem vniuersalilatis, vt sic in abstracto prout dicit vnitatem, & aptitudinem, si compararetur ad vnitatem specificam, & genericam immediatè per has differentias diuiditur; nam valet dicere, quòd vnitas, & aptitudo vt sic, alia facit naturam aptam esse in pluribus specie diuersis, & alia, quæ facit naturam aptam esse in pluribus solo numero diuersis, atque vtraque differentia immediatè aduenit vnitati, & aptitudini vt sic, neque est necesse, quòd prius intelligatur aduenire vniuersali vt sic vnitatem genericam, sed potest illi immediatè aduenire vnitas specifica. Quid enim vetat, quòd vnitas vniuersalis vt sic non coniungatur immediatè cum tali vnitate vniuersali nempè specifica.

Quomodo vniuersalitas vt sic immediatè desce dat ad genericã, & specificã

XVI. Quod potest rursus confirmari, & declarari. Si consideretur differentia infima vt contradistincta à genere, habet suam vniuersalitatem propriam, qua solùm potest respicere plura solo numero diuersa; ratio etiam generica, vt contradistincta à specie habet, quòd respiciat plura specie diuersa. Cum igitur non possit dari talis ratio vniuersalitatis, nisi detur vniuersalitas vt sic, debet cum vtraque ratione esse coniuncta vniuersalitas vt sic, & consequenter vniuersalitas vt sic erit immediatè coniuncta cum vniuersalitate generica, & immediatè cum specifica, & consequenter hæ duæ vniuersalitates immediatè diuident genus. Confirmatur quia non solùm immediatè diuident genus, sed etiam se inuicem excludent ab eodem subiecto, nam ratio generica præcisè, & ratio differentialis præcisè excludunt quamcumque aliam vniuersalitatem, implicat enim, quòd ratio differentialis speciei infimæ habeat in se vniuersalitatem genericam, & econtra, quòd ratio generica, vt talis est, habeat vniuersalitatem differentiæ speciei infimæ. Itaque hoc pacto considerata erit diuisio generis in species.

Ratio generica, & specifica habet sua propria vniuersalitatem.

Explicantur argumenta aliarum sententiarum.

SECTIO III.

I. Prima sententia, quam sectione prima retulimus, probabat simpliciter loquendo, vniuersale esse verum genus ad quinque prædicabilia, & arguebat, quia ratio formalis ipsius æqualiter dicitur de omnibus. Quid autem huic argumento, quatenus contra nostram sententiam militat, respondendum sit, patet ex dictis. Si enim loquimur de tribus vltimis prædicabilibus, de his ratio communis vniuersalis non dicitur, nisi quatenus comparantur ad sua inferiora, tunc autem reducuntur ad Genus, vel Speciem; si autem comparemus vniuersale ad Genericum, & Specificum in concreto sumptum, verum est quidem, quòd respectu ipsorum vniuersale se habet, vt quid vniuocum, non tamen vt genus, sed vt ratio communis diuisa in suos gradus, cur autem non se habeat vt genus, constat ex rationibus supra adductis, nempè quia non diuiditur per differentias immediatè oppositas, & immediatè diuidentes genus.

Ad fũdamentũ primæ sententiæ.

II. Difficilius est fundamentum secundæ sententiæ, quòd videlicet genus poneretur sub propria specie tanquam species talis speciei. Solent communiter respondere, quòd potest genus poni sub aliqua ex suis speciebus tanquam sub genere per accidens, & quòd solùm non potest poni per se; quod sic declarant. Vniuersale secundùm quod diuiditur in quinque, aut pauciora prædicabilia, quia continet sub se genus,

Ad fũdamentũ secundæ sententiæ.

cõmunis resp.

nus, non est essentialiter genus: dicitur autem tantùm genus denominatione accidentali per secundam intentionem genereitatis illi superadditam, & ideò cum sit genus accidentaliter, potest poni sub aliqua ex suis speciebus tanquam sub genere.

Impugnatur.

III. Cœterum huiusmodi responsio non euacuat difficultatem, nam vniuersale, prout prædicatur de pluribus vniuersalibus, seu prædicabilibus, quæ specie differunt, se habet vt genus respectu illorum, atque adeò etiam respectu generis, & tamen tali pacto consideratum, prout se habet vt genus respectu suorum inferiorum, ponitur sub ipso genere, quod est species ipsius, ergo id, quod per se genus est, ponitur sub propria specie tanquam sub genere. Deinde genus, quod est primum prædicabile, ne dum dicit genereitatem, sed etiam naturam, quæ substernitur genereitati, atque hæc natura continet sub se omnes naturas, quæ substerni possunt genereitati, tanquam species naturæ subijcibilis tali genereitati: Modò natura vniuersalis vt sic, quæ diuiditur in Genus, & cœtera vniuersalia, se habet vt genus respectu eorum, in quę diuiditur, siquidem natura, quæ substernitur genereitati, est tale vniuersale, & natura, quæ substernitur specietati, est tale vniuersale. Rursus est natura apta subijci genereitati, ergo ponitur vt species sub natura, quæ substernitur genereitati.

Vniuersale se habet vt genus respectu generis.

Vera responsio.

IV. Igitur respondendum est, quòd in ratione vniuersalis vt sic possunt duo considerari, nempe natura vniuersalis, quæ communis est omnibus vniuersalibus vt sic, & natura prædicabilis, quæ communis est omnibus prædicabilibus. Deinde modus prędicandi, quo potest prædicari de suis inferioribus, nępè de omnibus vniuersalibus, & de omnibus prædicabilibus. Iuxta hanc autem duplicem considerationem potest fieri, quòd ponatur sub aliqua ex suis speciebus, quod sic ostenditur. Vniuersale si consideretur, vt dicit rationem communem vniuersalitatis, & etiam Prædicabile rationem communem prædicabilitatis, est quid magis vniuersale, quàm sit vniuersale genericum; & respicit etiam alia vniuersalia specie diuersa, & ideò potest se habere vt genus ad alia vniuersalia, & prædicabilia; si tamen vniuersale consideretur in abstracto, vt dictum est sect. præcedenti. Si verò hoc idem vniuersale, & prædicabile consideretur, prout dicit talem modum prædicandi, tunc non latius patet, quàm aliqua ipsius species, nempè genus, & ideò potest poni tanquam sub genere sub aliqua specie ipsius. Et vt magis hæc responsio percipiatur, aduertere oportet, quòd vniuersale considerari potest, tum materialiter, tum formaliter. Formaliter dicit ipsam rationem formalem vniuersalitatis, nempe vnitatem, & aptitudinem; qua aptum est esse in pluribus, & præscindit ab omni determinatione, quam dicunt inferiora, in quibus potest esse. Et hoc pacto sumptum est determinabile, & contrahibile per rationes determinatas vniuersalis, quæ important talem, & talem modum vniuersalitatis, à quo ipsum omnino præscindit, cum dicat tantùm posse esse in pluribus præcisè; vnde cum determinatur ad hanc, vel illam aptitudinem, determinatur ad tale vniuersale, atque diuiditur tanquam genus in varias species; & tunc genus prædicabile se habet vt species vniuersalis, quia importat talem modum vniuersalitatis; & ponitur sub vniuersali præcisè, & formaliter accepto tanquam sub genere talis vniuersalis. Materialiter vniuersale dicit aliquam naturam, seu quidditatem; vniuersale enim importat suam peculiarem quidditatem, qua à cœteris entibus, & rationibus metaphysicis contradistinguitur: vnde sicuti ab ipsis contradistinguitur, ita etiam cum ipsis conuenit in eo, quòd sit natura, seù quidditas, & cum hæc conuenientia stet etiam cum diuersitate, constituitur quædam determinata natura: atque secundùm hanc rationem collocatur sub genere tanquam species quædam ipsius. Genus enim, quod est primum prædicabile importat naturam vt sic vniuocam determinabilem per diuersas differentias, atque hanc dicit de suo formali, vnde quęlibet determinata natura determinabilis per diuersas differentias essentiales ponitur sub ipso tanquam species quædam; & proinde vniuersale cum dicat talem

Quomodo vniuersale possit esse genus primi prædicabilis, & poni sub ipso tanquam species.

Quid importet genus vt primum prædicabile.

Quæ in vniuersali considerari possint.

naturam determinabilem per tales differentias, erit species illius. quamobrem vniuersale in ratione vniuersalis est genus generis, sed illius naturæ, quam importat genus, prout ipsa fundat talem peculiarem modum vniuersalitatis, nempe illum, quo respicit plura essentialiter diuersa: est autem species generis materialiter prout dicit talem naturam, seu in ratione naturæ. Et licet sit simul talis natura, & vniuersale, ita vt in sua vltima differentia vtrumque imbibat, namen alia est ratio formalis vniuersalis præcisè accepta, & alia est ratio naturæ, quia ratio vniuersalis se habet vt quid contrahibile per talem, & nalem modum vniuersalitatis, ratio verò talis naturæ se habet vt contractiuum naturæ vt sic, & ideò secundùm diuersas rationes vniuersale est genus primi prædicabilis, & species eiusdem, quod nullo pacto implicat.

V. Quòd si dicas, vniuersale vt vniuersale, est diuisibile per diuersas differentias vniuersalitatis, atque adeo vt tale est genus, & vt tale ponitur sub membro diuidente. Respondeo, esse quidem genus, vt vniuersale est, respectu vniuersalitis generice, & specificæ; quia tamen in ipso incipit prima ratio vniuersalitatis, ita vt in ratione vniuersalis non habeat aliquid superius; ideo in ratione vniuersalis non ponitur sub genere, sed in ratione talis naturæ; quod enim ponitur sub genere, debet dicere determinato modo id, quod dicit genus modo indeterminato, atque adeo non potest esse prima ratio alicuius naturę, quatenus ponitur sub genere, cum dicat complementum naturæ inchoatæ in genere. Similiter genus quodcumque considerari potest, & prout dicit naturam prædicabilem de pluribus differentibus specie, & prout dicit talem modum vniuersalitatis. Secundùm priorem acceptionem est genus vniuersalis, quatenus quædam natura est diuisibilis per vlteriores differentias; posteriori autem modo est species vniuersalis, quia importat determinatiuum illius. Et ex his constat, quomodo nihil absurdi sequatur ex eo, quòd vniuersale sit genus primi prædicabilis, & econtra primum prędicabile sit genus illius, quia id contingit secundùm diuersas rationes. In cæteris autem argumentis nihil momenti tangitur; nam ad secundum ibi responsum fuit: tertium vero falsum assumit, quòd prædicationi accidentali, & essentiali nihil vniuocum possit conuenire; nam licet accidentale, & essentiale non conueniant inter se in essentia, quę prędicatur, conueniunt tamen in hoc, quòd vtraque sit natura, quæ possit de pluribus prædicari, atque hęc conuenientia vniuoca est. Hęc autem de toto vniuersali, siue vnitate essentiali sufficiant.

Quid requiratur, vt aliquid ponatur sub genere.

DE VNIVOCATIONE.

AD VNITATEM essentialem consequitur vniuocatio, quæ quandam specialem rationem vnitatis essentialis importat; quæ enim sunt vnum essentialiter, possunt esse vniuoca. Et quamuis in rigore loquendo omnis vnitas essentialis sit etiam vnitas vniuocationis, quia scilicet importat quamdam rationem quidditatiuuam pluribus communem, qua consequenter vna est, & vniuoca, cum tamen consideretur etiam secundùm rationes essentiales, quædam imperfecta vnitas, quæ dicitur analogiæ, ideo vniuocatio importat specialem modum vnitatis, ab eo contradistinctum, qui solet tribui vnitati analogiæ; & hunc in præsenti considerabimus.

Quid sit Vniuocatio. Disput. XXVII.

Explicatur definitio vniuocorum.

SECTIO I.

I. ANtequam ad explicandam definitionem vniuocorum accedamus, ne videamur ea, quæ ad logicum spectant cum metaphysicis confundere, recognoscenda est illa distinctio, quam de Vniuocis tradunt Logici, & Metaphysici. Alia enim vocant Vniuoca vniuocantia: & alia Vniuoca vniuocata. Hoc autem discrimen est, quòd Vniuoca vniuocantia sunt ipsa nomina, quibus explicantur, quæ in eadem ratione conueniunt: Vniuoca vniuocata sunt ipsamet obiecta, quatenus vniuocè, seu in eadem ratione conueniunt. Vnde duplici etiam modo considerari possunt Vniuoca, vel prout vniuocantia sunt, & tunc spectant ad Logicum, quia consistunt solùm in voce, quatenus significatiua rationis communis; & ideo in hoc sensu illa ommittimus; & solùm consideramus, vt sunt vniuoca vniuocata, quia tali pacto dicunt aliquam rationem obiectiuam, & spectant ad metaphysicum, tanquam importantia peculiarem rationem vnitatis essentialis. Agit Arist. de Vniuocis in Antepraedicament. atque ea in concreto definit; hoc enim familiare est apud ipsum, vt ferè omnia in concreto consideret, quia tali pacto notiora sunt respectu nostri modi intelligendi.

Vniuoca vniuocantia, & vniuoca vniuocata.

Arist.

II. Definiuntur igitur ab Aristot. Vniuoca in Antepraedicam. ***Vniuoca ea dicuntur, quorum & nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata eadem est.*** Seu facilius ***Vniuoca sunt illa, quæ habent idem nomen, & eamdem rationem substantiæ significatam per nomen.*** Vbi aduertendum est, Arist. definijsse Vniuoca vniuocata simul cum Vniuocis vniuocantibus, seu ipsam rationem vniuocam simul cum nomine, vt patet, cum dixit ***Quorum nomen est commune, & ratio substantiæ est eadem.*** Hoc autem pacto definiuit, quia agebat de ipsis in ordine ad Logicam, & ideò principale intentum fuit explicare vocem vniuocam; tradidit nihilominus etiam rationem formalem vniuocorum, dum explicauit significatum nominis vniuoci. Si tamen consideretur sola ratio formalis vniuocationis, per accidens est, quòd habeat vnum nomen; neque enim si, quæ vniuocè conueniunt, diuersis nominibus explicarentur, tolleretur eorumdem vniuocatio; quia tamen nomina accommodantur rebus, atque illas proportionato modo explicant medijs conceptibus, ideo stante hac proportionata accommodatione debetur Vniuocis vnum no-

definitio Vniuocorum.

nomen, cum dicant vnam rationem obiectiuam.

Quomodo particula Nomen in definitione accipienda. Arist. Ammon. Simpl.

III. Prima autem particula, quæ in hac definitione indiget explicatione est vox illa *Nomen*, non enim debet accipi, prout est particula quædam orationis contra distincta à verbo; sed debet sumi in sensu logico, prout est vox significatiua alicuius rei, vt docet Aris. 1. Periher. cap. 3. vt etiam notant Ammon. & Simpl. in definitione Æquiuocor. quamuis, si in rigore loqui velimus, pro solo nomine substantiuo sumi posset, nam nomen vniuocum debet esse impositum ad significandam vnam rationem communem, quæ sit in pluribus: omnis autem ratio communis se habet veluti forma illius, à quo participatur, vnde, & aliquo nomine substantiuo, prout cōtra distinguitur à Verbo, explicari potest; quia tamen etiam per verbum exprimi potest, ideo sumitur nomen in significatione logica pro quæcumq; voce significatiua: Sed hæc logicis relinquenda sunt.

Quid importet particula Ratio.

IV. Ideò magis metaphysico modo procedentes altera particula, quæ indiget explicatione est ly *Ratio*, pro qua primum aduertendum est. Hanc rationem debere esse aliquid commune cum respondeat nomini, quod est commune pluribus. Verùm hinc oritur discrimen inter Auctores, qui non conueniunt inter se, an hæc ratio sit aliquid à parte rei, an verò tantùm aliquid obiectiuè in intellectu existens. Qui enim ponunt vniuersale formale à parte rei, etiam asserunt significare aliquid obiectiuum in intellectu. Sed hoc parum refert ad præsentem materiam, & sufficit statuere quòd ly *Ratio*, importet explicationem rei, non quidem mentalem, aut vocalem, sed obiectiuam, quod idem est, ac si diceretur ipsum esse formale vniuocū, quatenus vt quò est explicatiuum sumet ipsius: quæ quidem ratio in aliquibus est definitio, nempe in ijs, quæ possunt definiri; cui explicationi consentit etiam Aris. qui 2. Phys. cap. 3. definitionem, seù *Quorum quid erat esse rei* vocat *Rationem*, & similiter etiam 5. Metaph. cap. 8. Quia tamen dantur aliqua Vniuoca, quæ non possunt definiri, vt sunt rationes simplices, ideo vniuersaliter non potest intelligi de definitione, sed debet intelligi de quidditate, seù de esse rei formali, prout est manifestatiuum, vt quo, sumet ipsius.

Arist.

Quid particula substantiæ.

V. Altera etiam particula nempe *Substantia* addita est ad declarandum, de quanam ratione intelligeretur. cum dixit, *Rationem substantiæ esse eandem*; vt videlicet ly *Ratio* contraheretur ad importandum esse quidditatiuum rei. Hic enim non debet sumi substantia pro re per se subsistenti, sed in eo sensu, in quo eam accepit Aris. 5. Metaph. tex. 15. explicans, quot modis accipiatur substantia: inquit enim, *Item quòd quid erat esse, cuius ratio definitio est, & hoc vniuscuiusq; substantia dicitur*. Verùm hæc ratio substantiæ debet esse accommodata nomini, hoc est debet nomini correspondere, quatenus per ipsum significatur. Neq; hęc particula superflua est, quia definiuntur vniuoca vniuocata simul cum vniuocantibus; necesse autem est; quòd ratio vniuoca importetur per nomen; neque enim substantia dicitur vniuoca ad hominem, & leonem, quatenus animalia, sunt, quia nomen substantiæ non importat rationem animalis. Præterea in hac correspondentia consistit connexio, quæ est inter vniuoca vniuocantia, & vniuoca vniuocata.

In quo consistat ratio vniuocationis.

VI. Ex dictis autem colligatur, in quo consistat ratio ratio formalis constitutiua vniuocationis vniuocatæ. Consistit enim in eadem ratione substantiæ: hoc est importat quamdam rationem formalem communem pluribus, quæ in seipsa est vna, habens suam propriam identitatem: statim enim ac huiusmodi ratio intelligitur, percipitur vniuocatio. Vnde etiam constat, vniuocationem esse vnitatem quamdam importantem suam communitatem, & vniuersalitatem, atq; adeo esse passionem entis eo modo, quo est vnitas vniuersalis. Ex hoc autem colligitur Vniuoca rectè diuidi in Physica, Metaphisica, & Logica à Scot. in 1. dist. 3. quæst. 3. §. *Contra istam positionem est*, & a Nominal. præsertim Gabr. ibid. dist. 2. quæst. 9. quicquid in oppositum dicant nonnulli Recentiores. Nam ratio substantiæ, in qua consistit vniuocatio, vel dicit aliquam rationem abstractam ab omni materia, tum sensibili, tum intelligibili, vt est ratio substantiæ, ratio accidentis; & tunc habetur vniuocatio metaphysica: vel dicit aliquam naturam physicam constitutam in vltima specie, vt est na-

Vniuoca Physica, Metaphysica, & Logica.

Scot. Gabr.

tura

tura humana quatenus inuoluit animã, & corpus, & tunc quia ratio ſubſtantiæ eſt quid phyſicum, etiam vniuocatio erit phyſica. Vel deniq; dicit vniuocum vniuocans, ex tunc eſt vniuocatio Logica. Vniuocatio autem vniuocata, ſi accipiatur in communi, prout abſtrahit ab hac, vel illa, eſt intra abſtractionem metaphyſicam, cum abſtrahat à quacumq; materia, & ideo hic ſolùm de ipſa agimus tanquam de quadam vnitate.

Quædam difficultates circa eamdem definitionem enodantur.

SECTIO. II.

An Vniuocatio ſaluetur in vno indiuiduo.

I. VT melius allata definitio intelligatur, quædam dubia mouenda ſunt, ex quorum ſolutione pendet perfecta intelligentia. Et prima difficultas eſt, an ratio vniuocationis ſaluetur in vno tantùm indiuiduo. Et quidem ſaluari videtur, nam dicit rationem vnam, & nomen vnum; vniuocatio autem conſiſtit in vnitate nominis, & rationis ſubſtantię: & partem affirmatiuam tradit Tolet. in Logica in explicat. definitionis Vniuocor. Sed oppoſitum eſt tenendum; quia licèt in vnico indiuiduo ſaluetur vnitas nominis, & rationis ſubſtantiæ; non tamen ſaluatur communitas, quæ neceſſaria eſt ad vniuocationem: vnde dicuntur. *Vniuoca eſſe illa, quorum nomen eſt commune*: quòd non poteſt intelligi, niſi prout comparatur ad plura, quibus conueniat, & cum ratio ſubſtantiæ debeat correſpondere nomini, debet ipſa quoq; communis eſſe. Preterea æquiuoca nequeunt intelligi, niſi plura intelligantur conuenire in ſola vnitate nominis, & eſſe diuerſa in ratione ſubſtantiæ, ergo cum Vniuoca opponantur æquiuocis ex eo, quòd habent ſimul cum nomine vnitatem ſubſtantiæ, plura erunt neceſſaria ad conſtituendam vniuocationem. Et confir. Quando habetur ratio ſubſtantiæ communis pluribus, vel vt communis eſt, ſeù prout dicit vnitiatẽ communitatis dicit vniuocationẽ, vel non; ſecundum ō poteſt dici, quia illa ratio, vt comparatur ad plura, cum deſcendat ad illa æqualiter, non poteſt eſſe analoga, ergo erit vniuoca, ergo ſemper ratio vniuoca debet dicere aliquam communitatem. Conſequentia iſta probatur. Quæ enim ſemel in aliqua ratione formali inuoluuntur, ita vt per ipſa conſtituatur in tali eſſe, numquam ſine ipſis reperiri poterit, quia quoties aliquid vt tale inuoluit aliquam rationem, illam inuoluit in ſuo conſtitutiuo formali; & proinde ſemper ipſam requirit.

Tolet.

Non ſaluatur.

Cur Ariſ. definierit: Vniuoca in plurali.

II. Et ex hoc quoq; colligitur ſolutio alterius difficultatis. Cur videlicèt Ariſ. definierit Vniuoca in plurali. Ideo enim definiuit, quia ſicuti ad conſtituendam vniuocationem requiruntur plura, ita etiam ad ipſam explicandã requiritur pluralitas participantium eamdem rationem communem: & hoc eſt de ratione cuiuſcunq; commutatis, vt non poſſit intelligi, niſi intellectis pluribus. Quòd ſi quæras, cur definierit in concreto, & non in abſtracto. Reſp. Ariſ. tanquam Logicum hic egiſſe de vniuocis, & vt Sect. præcedenti dictum fuit, eius principale intentum erat explicare vniuoca vniuocantia: cum autem nomina pręcipuè inſtituta ſint ad explicandas res, prout ſunt in ſeipſis, ideo cum in ſeipſis ſint quid concretum, per modum concreti illa definiuit, explicauit tamen rationem formalem ipſorum. Accedit, quòd in abſtracto ſunt intra metaphyſicam abſtractionem, vnde cum Logicus non pertingat ad ipſã neq; etiam poteſt definire vniuoca in abſtracto. Quare Ariſ. definiuit Vniuoca participantia, quæ dicuntur illa, quæ participant eamdem rationem, non verò vniuoca participata, quæ dicunt formam, quæ ab inferioribus participatur.

Cur ea definierit in cõcreto.

An ſub hac definitione comprehendantur denominatiua.

III. Tertia difficultas eſt, an in hac definitione comprehendantur denominatiua, illa videlicet, quæ conueniunt in aliqua forma accidentali, vt eſſet cycnus albus, & paries albus; quæ etiam ſub alijs terminis proponi ſolet, an nimirum in vniuocis ratio ſignificata per nomen debeat eſſe eſſentialis ijs rebus, de quibus dicitur. In qua difficultate prima ſententia affirmat; ita enim tenet Ammon. in Anteprædicam. in explicat. Vniuocor. Et fundamentum huius ſententiæ eſt, quia etiam in his eſt idem nomen commune, & eadem ratio ſubſtantiæ importata per nomen, nam albedo v. g. tam eſt in pariete, quàm

Sententia affirmatiua.

Ammon.

in

Sententia negatiua Auer. Foet. Fonseca Ruuius

in cycno, & vtriq. idem nomen albi conuenit. In contrarium tamen sunt Auer. in Epitome cap. de Vniuocis. Boet. in caput 1. Prædicam. Fonseca 5. Metaph. cap. 28. quæs. 12. sect. 2. §. *Primum quidem*, &c. Ruuius in Logica in explicat. definit. Vniuocor. & alij. Fundant autem hanc sententiam, quia Aris. in Antepradicamentis distinguit Denominatiua ab Vniuocis, & Cap. de substant. ait, quòd accident a non prædicantur de substantia secundùm substantiam seù quidditatiuè, cum tali pacto prædicari sit proprium secundarum substantiarum, & differentiarum, & 2. Topicor. cap. 2. loco 1. distinguit prædicari vniuocè, & denominatiuè, ait enim, quòd Genus prædicatur de specie vniuocè, & non denominatiuè. Alij verò ponunt duplicem vniuocationem, aliam essentialem, & aliam accidentalem, & aiunt, hæc denominatiua comprehendi sub vniuocis accidentalibus. Auersa verò in Logica quæs. 15 Sect. 1. ait, quòd si nomen vniuocationis accipiatur magis propriè, significat rationem essentialem vniuocatis, & in hoc sensu videtur Aris. eam accepisse: si verò accipiatur magis latè, tunc significat quamcùnq; rationem pluribus communem, siue accidentalem.

Aris.

Aliorum placita.

Auersa

Denominatiua non comprehenduntur sub hac definitione

IV. Sed non video, quo modo possit admitti, quòd denominatiua sub hac definitione comprehendantur, seu quòd *Ratio substantiæ*, quam importat vniuocatio, possit esse accidentalis vniuocatis. Vniuoca enim dicunt rationem communem, quæ sit ratio substantiæ, prout ratio substantiæ dicit, *Quod quid esse rei*, seu quidditatem, vt explicauimus ex Aris. At quomodo potest quidditas rei accidentali modo se habere respectu illius, cuius est quidditas: si autem ratio constitutiua vniuocationis non potest acccidentali modo se habere, quomodo dantur vniuoca accidentalia, seu denominatiua? quare dicendum existimo, quòd ratio accidentalis potest quidem constituere vniuocationem respectu accidentium inferiorum, vt albedo vt sic respectu diuersarum albedinum, quia tunc ratio substantiæ se habet vt ratio quidditatis inferiorum; respectu verò concretorum, non potest dici vniuocè, quia nō est quidditas ipsorum, sed dicetur solùm denominatiuè quia accidentia sunt accidentales affectiones ipsorum. Quòd si subiecta accipiantur reduplicatiuè, quia tunc ratio communis caderet supra ipsas formas accidentales præcisè, diceretur quidem vniuocè, & posset dici, Homo vt albus est, conuenit vniuocè cum pariete, vt item albus est, quia vterq; participat eamdem rationem vniuocam albedinis, non tamen dicitur vniuocè respectu hominis albi, & parietis albi, quia tunc non importat quidditatem ipsorum, vt modo dictum est.

An ratio vniuoca debeat ab inferioribus perfectè præscindere

Auersa

V. Vltima difficultas est, an ratio vniuoca debeat perfectè præscindere à differentijs inferiorum. Negat Auersa supracit. quia, inquit ipse, species & genera important rationes vniuocas, & tamen non perfectè præscindunt à suis inferioribus. Sed procedit ex falso supposito, quòd nimirum genera, & species non perfectè præscindant, cuius falsitatem ostendimus suo loco in priori tomo, cum egimus de conceptu entis obiectiuo, tum etiam cum de genere comparato ad differentiam. Vnde dicendum est, debere perfectè præscindere, vt nullo pacto inuoluat in seipsa differentias. Ratio autem est, quia debet esse vna, & eadem ratio communis; si autem includeret in se differentias, cum istæ sint inter se diuersæ, etiam ratio communis diceret diuersitatem: omnis autem diuersitas in rationibus formalibus ponit multiplicitatem etiam rationis formalis, cū quælibet diuersitas ponat nouam rationem formalem. Ex quo colligitur, falsam esse illam distinctionem de vniuocatione perfecta, & imperfecta, quòd perfecta dicat vnam rationem formalem præcisam omnino à differentijs; imperfecta verò dicat rationem non omnino præcisam, hoc enim dici non potest, quia si semel vniuocatio constituitur per rationem omnino præcisam ab inferioribus, quoties cumq; variatur hæc ratio, variatur etiam formaliter vniuocatio.

An sola vnitas rationis formalis saluet vniuocationem. Disput. XXVIII.

Auctorum sententiæ.

SECTIO I.

I. AD perfectam explicationem vniuocationis formaliter sumptæ valdè facit decisio præsentis difficultatis, cum enim ratio vniuoca sit vna communis pluribus, difficultas superest, an formaliter constituatur per solam vnitatem an verò requiratur etiam, quòd ratione communitatis dicat formaliter habitudinem ad descendendum æqualiter ad inferiora, ita vt ista æqualitas pertineat ad formale constitutiuum vniuocationis. Et quamuis vniuocatio vtrumque dicat, nimirum tam rationem communem esse vnam, quàm æqualiter descendere, nec vnum sit ab alio separabile, dubitatur tamen, an vt habeatur conceptus vniuocationis, necesse sit, vtrumque concipere, an verò sufficiat concipere vnitatem rationis communis. Supponimus autem quòd ratio vniuoca, quatenus talis est, debeat esse vna, vt in præcedenti disputatione docuimus. Quod si Arist. 7. Phys. tex. 31. dixit in genere latere multas æquiuocationes, non intellexit, quòd habeat æquiuocationes, quatenus genus vniuocum est, quasi vt genus est, dicat diuersas rationes substantiæ, quemadmodum dicunt æquiuoca, sed intellexit, quòd importet æquiuocationes ratione differentiarum, ita vt natura specifica physica, quatenus appellatur nomine generis, ratione differentiarum æquiuocè se habeat.

Punctus difficultatis.

Quomodo in genere lateant æquiuocationes Arist.

II. Prima ergo sententia docet, ad formale constitutiuum vniuocationis non sufficere vnitatem rationis communis præcisè, sed vlterius requiri æqualitatem participationis, quia fieri potest, quòd ratio in se considerata, & præcisa sit vna, prout verò descendit ad inferiora, habeat diuersitatem, & in ipsis non sit vna. Hanc opinionem refert Suarez suppresso nomine, & eam sequitur in Metaph. disp. 2. sect. 2. num. 6. Vult enim, Ens habere vnum conceptum obiectiuum præcisum ab inferioribus, & tamen esse analogum, quia inæqualiter ad ipsa descendit, atque hoc passim docet, præsertim in eodem opere Metaphysicæ. Desumitur etiam ex Iauel. 4. Metaph. quæst. 1. vbi docet, quòd ens secundùm se consideratum neque est analogum, neque vniuocum, quia ad concipiendam rationem vniuocam requiritur, quòd concipiatur ordo ad inferiora.

1. opinio

Ad vniuocationē non sufficere vnitate rōnis cōmunis.

Suarez.

Iauel.

III. Fundamentum huius sententiæ est, quia per inæqualitatem participationis tollitur vniuocatio, quia tunc eadem omnino ratio non est in inferioribus, sed descendit per prius, & posterius, & vnum est tale cum proportione ad aliud; neque de hoc est dubitatio aliqua, si enim ponitur inæqualitas in eadem ratione formali, ponitur etiam analogia: vnde solùm difficultas est, quòd stante hac inæqualitate participationis possit ratio communis esse vna, & præcisa. Ideo Suarez pluribus id probat de ente, & conatur ostendere, quòd ens dicat conceptum vnum præcisum, quare stante analogia ipsius, quam supponit, sequitur, quod possit dari ratio formalis, quæ sit vna, & analogicè descendat, & consequenter ad constituendam vniuocationem non sufficiat vnitas rationis participatæ, sed requiratur vlterius æqualitas participationis. Verùm cum rationes ipsius probent tantùm vnitatem conceptus obiectiui entis, illas omittemus, quia nos quoque concedimus, ens habere vnum conceptum obiectiuum, & præcisum, sed ex hoc inferimus esse vniuocum.

IV. Altera autem sententia asserit, quòd ad constituendam vniuocationem sufficit, quòd ratio communis præscindat ab inferiorib. & sit vna nullam in se includens diuersitatem: non quidem quasi possit ratio vniuoca, seu ratio, quæ à seipsa excludit omnem diuersitatem, inæqualiter participari, sed quia, licèt æqualiter participetur, hæc tamen æqualitas participationis non est for-

2. opinio Ad conceptū vniuocationis sufficere vnitatē rōnis cōmunis.

formale constitutiuum vuiuocationis, sed quid consequens. Hæc sententia communis est apud Thomistas, quam tradit D. Th. 4. Metaph. lect. 1. & 1. de Cęlo tex. 2. Albert. in Anteprædicam. in exposit. Vniuocor. quam etiam sequuntur nonnulli Recentiores; qui cum asserant, ens esse analogum respectu suorum inferiorum, consequenter affirmant, non dicere vnam rationem præcisam ab ijsdem inferioribus.

D. Th. Albert.

Posterior sententia vt vera confirmatur.

SECTIO. II.

1. concl. Ratio in se vna æqualiter etiã participatur ab inferioribus.

I. PRo declaratione posterioris sententiæ, quam verissimam puto, pono primam conclusionem. Implicat, quòd aliqua ratio formalis sit in se vna, & non descendat æqualiter ad inferiora. Prob. autem conclusio. Implicat, rationem, quæ sit multiplex in inferioribus, seu quæ in ipsis inuoluat diuersitatem, abstrahi ab ipsis vt vnam, ergo etiam implicat rationem, quæ in seipsa secundùm statum præcisionis sit vna, & nullam diuersitatẽ dicat, in inferioribus non esse perfectè vnam, sed includere diuersitatem. Consequentia tenet ex conuertentia consequentis ad antecedens: si quidem, si aliquid, quod est vnum in se, potest esse diuersum in inferioribus, seu diuersimodè participari, etiam quod est diuersum in inferioribus, seu quod diuersimodè participatur, potest esse vnum in se. Anteced. etiam prob. Quando ab inferioribus abstrahitur aliqua ratio, abstrahitur ea ratio, quæ est in ipsis, & secundùm id, quod dicit in ipsis, ergo si in inferioribus dicit diuersitatem, debet etiam abstrahi cum diuersitate.

Ratio multiplex in inferiorib. non pôt abstrahi vt vna.

Confir.

II. Confir. Quando abstrahitur ab aliquo inferiorum ratio communis, & deinde etiam ab alio abstrahitur eadem ratio communis, vel per vtramque abstractionem idem omninò abstrahitur, vel aliquid abstrahitur per vnam, quod non abstrahatur per aliam. Si idem omnino abstrahitur per vtramque, ergo etiam in inferioribus erat omnino eadem ratio sine aliqua diuersitate, quia abstrahitur illa ratio communis, prout erat in singulis. Si non est omnino idem, quod per vtramque abstractionem abstrahitur, ergo neque ratio abstracta est vna, cum aliquid habeat in vna abstractione, quod non habet in alia. Secundò etiam confir. Vel ratio communis, quæ in se est vna vt pręcisa, habet postea diuersitatem in inferioribus ratione sui, vel ratione inferiorum: necessarium est enim, quòd ratione alterius ex his proueniat diuersitas; si ratione sui habet diuersitatem; cum etiam præcisa habeat quicquid ipsi conuenit ratione sui ipsius, etiam præcisa dicet diuersitatem, & non erit vna. Si verò ratione inferiorum. ergo iam inferiora non sunt inter se diuersa in ratione communi, sed solùm ratione differentiarum, quod non tollit æqualitatem participationis in ratione communi. Rursus quando inferiora habent diuersitatem in ea ratione, in qua conueniunt, huiusmodi diuersitas reperitur in tali ratione conuenientiæ. & consequenter non potest ab illa abstrahere, non enim idem abstrahere potest à seipso, & consequenter cum hæc diuersitas etiam faciat differre inferiora, non potest illa ratio abstrahere à dierentijs: ratio autem, quæ à differentijs non abstrahit, numquam potest esse in se vna.

Quomodo ratio quę dicit diuersitatẽ in inferiorib. nõ possit esse in se vna

III. Secundò prob. Non potest idem manens idem, modò dicere diuersitatem, modò non dicere, ergo non potest ratio, quæ præcisa est vna, quando est in inferioribus dicere diuersitatem. Anteced. est certum, quia non potest idem diuersificari à seipso. Consequentia autem tenet, quia ratio communis descendit ad inferiora secundùm totum id, quod dicit in seipsa, & non secundùm aliquid aliud, quia ex se nihil dicit præter id, quod in se includit, vnde cum maneat eadem, quando ad inferiora descendit, si pręcisa non dicit diuersitatem, neque etiam potest dicere, quando est in inferioribus. Confir. si ratio, quæ præcisa non dicit diuersitatem, in inferioribus postea diceret, esset vna, & non vna, quod non potest admitti; si quidem contradictoria de eodem verificarentur. Sequel. autem ostenditur, quia inferiora in ea ratione, in qua non sunt perfectè vnum, non sunt vniuoca; & in ea ratione, in qua sunt vniuoca, sunt etiam perfectè vnum, ergo si daretur ratio, quæ præcisa

2. ratio.

Ratio cõmunis, quæ semel est in se vna vbicumq; Et retinet suã vnitatẽ.

esset vna, & in inferioribus diceret diuersitatem, inferiora illa secundùm eamdem rationem non essent vnum, quia non essent vniuoca, & essent vnum, quia ratio illa præcisa est vna.

Ratio in se vna debet descendere cum æqualitate ad inferiora, quia indiuisibilis.

IV. Tertiò argumentor. Quando ratio præcisa est vna, habet vnitatem sibi proportionatam, ergo non potest esse vna in seipsa vt præcisa est, quin etiam æqualiter descendat ad inferiora. Quod debeat habere vnitatem sibi proportionatam, dubium esse non potest, quia vnumquodque, quando est vnum, habet illam vnitatem, quæ sibi ab intrinseco conuenit? Quòd verò ex hoc sequatur, quòd debeat necessariò cum æqualitate descendere ad inferiora, facilè ostenditur. Cum enim talis ratio præcisa sit quædam formalitas, seu quidditas, debet habere eam vnitatem, quæ conuenit quidditatibus; hæc autem est vnitas indiuisibilitatis, quia rerum essentiæ, quemadmodum docet Arist. 8. Metaphys. tex. 10. sunt sicuti numeri, atque consistunt in indiuisibili. (Arist.) Modò si ratio præcisa est vna, debet se habere modo indiuisibili, atque adeo si secundùm se descendit ad inferiora, debet descendere retinendo suam indiuisibilitatem. Si autem descendit secundùm suam indiuisibilitatem, debet indiuisibili modo descendere, atque adeo secundùm totum id, quo descendit ad vnum, descendere etiam ad alterum: neque enim ratione suæ indiuisibilitatis aliquid in se de nouo admittit, neque aliquid patitur à se detrahi.

Resp.

V. Posset tamen quis respondere iuxta doctrinam Suarez, quod licèt ratio in se sit vna, quia tamen descendit per priùs ad vnum, & per posterius ad aliud, hinc fit, quòd rationе huius prioritatis, & posterioritatis perfectiori modo reperiatur in vno, quàm in altero. Sed hæc responsio reijcitur ex rationibus hucusque allatis, & præsertim tertia; nam si descenderet per prius, & posterius, ita vt posteriori modo reperiretur in vno, quàm in alio, pateretur diuisionem, quia in vno inferiorum haberet aliquid minus, quàm haberet in alio, quia esset in isto imperfectiori modo; quomodò ergo haberet indiuisibilitatem, quæ necessariò reperitur in qualibet ratione formali, quæ sit vna? Præterea quando ratio ista descendit per prius, & posterius cum inæqualitate perfectionis, si secundùm ipsam comparentur inter se inferiora, vel erunt omnino eadem in tali ratione, vel diuersa; si primum, ergo descendit ad ipsa cum æqualitate: si verò aliquo modo diuersa, tunc sequitur, quòd non sit eadem ratio, sed multiplex: omnis enim diuersitas secundùm rationes formales multiplicat ipsas rationes formales; vnde non poterit dici, quòd ratio, quæ in se, vt præcisa est, habet vnitatem, descendat per prius, & posterius cum inæqualitate perfectionis.

Impugnatur.

Inæqualitas perfectionis per cù destruitur vnitas rationis formalis.

2. concl. Vniuocatio de formali dicit solam vnitatem rationis cõmunis

VI. Secunda conclusio. Vniuocatio de suo formali dicit tantùm vnitatem rationis communis, non vero æqualitatem participationis, sed æqualitas participationis se habet veluti passio consequens vniuocationem. Secunda pars conclusionis facilis est, quia si æqualitas participationis non pertinet ad formale constitutiuum vniuocationis, & tamen ratio vniuoca non potest nisi æqualiter participari, ita vt omni, soli, & semper conueniat, sequitur, quòd debeat esse passio ipsius. Prima autem pars desumitur ex Arist. in definitione Vniuocorum, in qua, dum explicat naturam ipsorum, ponit solum vnitatem rationis communis, nec aliquid vlterius requirit: si autem requireretur æqualitas participationis debuisset in ipsorum definitione explicari. Atque etiam sequitur ex conclusione præcedenti, quia si necesse est, quòd ratio, quæ est vna, descendat æqualiter, etiam ex vi vnitatis constituetur vniuocatio. (Arist.)

1. ratio.

VII. Deinde in speciali probatur. Vniuoca, & æquiuoca opponuntur, & consequenter per rationes oppositas constituuntur; ergo si æquiuoca constituuntur per multiplicitatem rationum formalium, & vnitatem nominis, vniuoca constituentur per vnitatem eiusdem rationis communis. Confirmatur. Vniuoca per hoc recedunt ab æquiuocis, quod recedunt à pluralitate diuersarum rationum, & accedunt ad vnitatem, ergo quando habetur perfecta vnitas in aliqua quidditate, habetur etiam perfecta vniuocatio. Confir. secundo. Vel quando ratio est perfectè vna, includit diuersitatem in seipsa, vel non; si includit, ergo non est perfectè

Vniuocatio cõstituitur per opposita rationẽ æquiuocationis.

vna, vt supponitur: si verò non includit, ergo est vniuoca, quia ibi adest vniuocatio, vbi abest omnis diuersitas. Tertiò adhuc confirmari potest. Analoga sunt media inter vniuoca, & æquiuoca, ergo vniuoca constituuntur per solam vnitatem rationis communis. Consequentia probatur, nam analoga dicunt rationem partim eamdem, partim diuersam; ergo ratio, quæ ab hac recedit, ab analogia quoq; recedit, & transit ad vniuocationem, si recedit ab ipsa per omnimodam vnitatem.

2. ratio

VIII. Secundò prob. Quando aliqua plura secundùm vnam aliquam rationem perfectè conueniunt, sunt inter se vniuoca secundùm illam rationem: sic quia homo, & leo perfectè conueniunt in ratione animalis, sunt etiam vniuoca secundùm talem rationem, ergo sola vnitas est ratio formalis constitutiua vniuocationis. Anteced. est certum, quia non aliunde cognoscimus esse vniuocationem inter plura; nisi ex perfecta conuenientia in aliqua ratione. Conseq. prob. Perfecta conuenientia est constitutiua vniuocorum in concreto, ergo eadem perfecta conuenientia præcisa erit sufficiens constitutiuum rationis vniuocæ in abstracto: abstractum enim dicit solam formam separatam à subiecto; perfecta autem conuenientia, si separetur, nihil aliud dicit, nisi vnitatem alicuius rationis, quando enim ratio conuenientiæ à pluribus præsciinditur; non remanet nisi ratio conuenientiæ perfectè vna, quia separatis differentijs remanet illa conuenientia sub ratione alicuius formalitatis nullam habentis diuersitatem; & ex vi huius vnitatis, sicuti habetur perfecta conuenientia in abstracto, ita etiam vniuocatio.

Vniuocatio consistit in perfecta conuenientia.

3. ratio.

IX. Et rursus declaratur. Quando inquirimus, per quid formaliter constituatur vniuocatio, loquimur de ratione participata vniuocè ab aliquibus inferioribus, quæ est vniuocatio abstractè considerata. Tria enim in vniuocatione possunt considerari. Ratio participata, Participatio; & Participantia talem rationem. Participantia vniuocè aliquam rationem per hoc sunt vniuoca, quia in illa ratione perfectè conueniunt; Participatio verò dicit ipsam passiuam communicationem, qua ratio communis inferioribus communicatur, quæ vniuoco modo fit, si æquali modo communicetur omnibus. Ratio verò participata, quæ est ipsa vniuocatio in abstracto, in nullo alio potest consistere, quàm in perfecta vnitate rationis communis; & sicuti ex eo, quòd ratio est communis, sequitur, quòd à pluribus possit participari, ita ex eo, quòd est perfectè vna, & indiuisibilis, sequitur, quòd possit æquali modo participari, atque adeo æqualitas participationis consequitur vnitatem, & proinde est posterior ratione formali vniuocationis. Quod amplius confirmari potest. Illud in vnaquaque re pro essentia ponendum est, ex vi cuius primò intelligitur essentia illius, quod verò posterius est, atque ipsi soli conuenit, debet constitui tanquam passio; at in ratione vniuoca habetur vnitas, & indiuisibilitas, & etiam habetur æqualitas participationis, & ex vi vnitatis indiuisibilis sufficienter intelligitur vniuocatio, ergo hæc sola debet constitui pro formali constitutiuo. Si enim est vna, sequitur etiam, quòd æqualiter participetur, atque adeo vnitas est prima ratio, & conceptus vniuocationis. Fundamentum autem Suarez pro opposita sententia non est magni momenti, quia vel ens non est perfectè vnum; vel si est perfectè vnum vt nos docuimus in priori tomo, est etiam vniuocum, vt ibidem fusè probatum fuit.

Quemodo æqualitas participationis cōcurrat ad rōnē vniuocationis.

Tria in vniuocatione cōsiderantur

Incidens dubium expeditur.

SECTIO III.

I. CVm dictum sit, ad saluandam vniuocationem sufficere vnitatem rationis communis, difficultas insurgit, quid per hanc rationem communem intelligatur: difficultas autem inde procedit, quia in vniuocatione duplex ratio communis interuenit, alia, quæ se tenet ex parte obiecti, quæ nimirum importat aliquam naturam participatam ab vniuocatis cum omnimoda vnitate, seu æqualitate, quia in suo esse constituuntur, vt esset ratio animalis respectu omnium animaliū. Altera verò est ratio se tenes ex parte intellectus nostri, quę nō est aliud, quā ipsa met intellectio seu cōceptus intellectus, quo concipit rōnem cōmunē se tenentē ex parte obiecti, qui-

In vniuocatione duplex ratio mētalis, & obiectiua

Quæ ex his requiratur ad vniuocationem, & an mentalis sufficiat.

quidē conceptus, quamuis in se sit vnus, & singularis, dicitur tamen communis quia repræsentat ipsa vniuoca omnia secundùm illam communem, & perfectam conuenientiam, quam habent ratione vniuocationis.

Opinio Ferrar.

II. Ferrar, ergo 1. contra Gent. cap. 34. §. *Vnum dumtaxat est*, docet, ad vniuocationem sufficere vnitatem rationis, & nomine Rationis intelligendum esse conceptum formalem, seù mentalem, correspondentem nomini, quòd vnum, & idem tribuitur vniuocis: ait enim in definitione Vniuocorum *Rationem* non sumi pro conceptu obiectiuo, sed pro conceptu formali. Quòd primo probat, quia particula *Ratio* in definitione vniuocorum accipitur pro definitione, & sensus est, quòd ea sint vniuoca, quæ habent idem nomen, atq; eamdem definitionem; definitio autem est in mente, est enim oratio explicans quodquid erat esse rei. Deinde substantiæ materiales, & immateriales in re nullam habent conuenientiam, & intellectus tamen concipit vniuocationem inter ipsas, quod non aliunde prouenit, nisi quia intellectus colligit aliquam conuenientiam formādo vnum conceptum mentalem applicabilem tam substantiæ materiali, quàm immateriali; hic ergo conceptus mentalis saluat vniuocationem, cum in alio saluari non possit. Et citat etiam D. Th. 1. par. quæs. 13. ar. 4. & in 1. dist. 2. quæs. 2. & quæs, 7. de Potentia ar. 6. in quibus locis docet, quòd ratio significata per nomen est conceptus, quem format intellectus de re significata per nomen. Postea autem subdit, hanc vnitatem conceptus formalis, seu mentalis saluare vniuocationem logicam, & hanc vnitatem conceptus mentalis concomitari aliquando vnitatem conceptus obiectualis.

D. Th.

III. Hæc tamen doctrina Ferrar. mihi satisfacere non potest; & falsum existimo id, quòd vltimo loco attulimus, nimirum aliquando ad vnitatem conceptus mentalis consequi etiam vnitatem conceptus obiectiui. Si enim ponitur vnitas conceptus mentalis, ita vt sit vnus nedum secundùm suam entitatem, sed etiam secundùm esse repræsentatiuum, ex eo videlicet, quòd repræsentet vnicum obiectum, necessariò semper etiam conceptus obiectiuus ipsi correspondens erit vnus. Cum enim conceptus mentalis habeat totam suam repręsētationem in ordine ad obiectum à quo desumitur, quomodo fieri potest, quòd repræsentatio sit omnino vna terminatiuè accepta, & conceptus obiectiuus ipsi correspondens non sit vnus? cum enim, quòd repræsentatur, sit terminus repræsentationis, dicere, quòd conceptus mentalis in repræsentando sit vnus, & conceptum obiectiuum non esse vnum, idem esset, ac si diceretur conceptum obiectiuum esse vnum, & non esse vnum. Deinde etiam si conceptus mentalis non est vnus repræsentatiuè, seù terminatiuè, impossibile est etiam, quòd conceptus obiectiuus ipsi correspondens sit vnus ob eamdem scilicèt rationem, quia esse repræsentatiuum conceptus mentalis est in ordine ad obiectum, atq; ab ipso desumitur: vnde debet esse debita correspondentia inter vtrumq; conceptum, ita vt eodem modo se habeant in esse repræsentatiuo proportione seruata, ac in esse repræsentato. Quamobrem non potest vnus esse multiplex, nisi sit etiam multiplex alter, & posita vnitate in vno, debet etiam poni in altero.

Aequalitas correspondētiæ inter cōceptū mentalē, & obiectiuum.

IV. Hinc autem deduco. Ad vniuocationē concurrere quidem vnitatem conceptus mentalis, sed tamen ita concurrere, vt etiam concurrat vnitas conceptus obiectiui: imò vnitatem conceptus formalis dependere ab vnitate conceptus obiectiui, ita vt ab ipsa desumatur. Et quidem quòd ad vniuocationem concurrat vnitas conceptus obiectiui, planè certum est, quia inquiro, cur aliqua sint vniuoca, aliqua verò sint æquiuoca, quamuis vtraque habeant vnum, atq; idem nomen: quòd si respondeat Ferrar. esse aliqua vniuoca, & aliqua non, quia ex aliquibus potest intellectus colligere vnum conceptum mentalem applicabilem indifferenter vnicuique ex vniuocatis; rursus inquiro, cur ex aliquibus non possit hunc conceptum colligere, & ex aliquibus possit, videlicet ex omnibus animalibus possit colligere conceptum vnum animalis, qui indifferenter de quocumque animali dicatur, & vnico nomine significetur, & non possit colligere vnum conceptum canis ex cœlesti, & terrestri: certè non aliud responderi potest, nisi quia animali,

Ad vniuocationem concurrit vnitas conceptus, tum mentalis, tū obiectiuus.

omnia habent quamdam intrinsecam conuenientiam, qua in esse animalis conueniunt, quam solam potest intellectus concipere præscindendo à differentijs, quibus determinatur. Æquiuoca autem non habent, & ideò non potest intellectus huiusmodi conceptum ab ipsis colligere. Deinde si conceptus mentalis est vnus, atq; indifferēter cuicūq; vniuocorum conuenit, oportet etiam, quòd vnam, atq; eamdem rationem repræsentet in quocumque vniuocorum alioquin si diuersas repræsentaret, ita vt vnam repræsentaret in vno, & aliam in alio, non esset vnus in repræsentando, nec indifferenter applicaretur cuicumque vniuocorum, quia prout repræsentaret id, quòd est in vno, non posset alteri applicari, alioquin repræsentaret id, quòd non esset in ipso. Quare cum vnam, atque eamdem rationem repræsentet in omnibus vniuocis, oportet concedere etiam ex parte obiectorum vnum conceptum obiectiuum, qui importet illam rationem. Quòd verò vnitas conceptus mentalis dependeat ab vnitate conceptus obiectiui etiam certum existimo, nam quando intellectus promit suum conceptum formalem, supponit in aliquo priori obiectum, atque conceptus mentalis ordinatur ad repræsentandum obiectum, ab ipso desumens esse repræsentatiuum, quòd nō est aliud, quàm quędam imago obiecti vnde cū ab ipso desumatur esse repręsentatiuum, ab eodem quoq; debet desumi vnitas, vel multiplicitas conceptus mentalis secundùm esse repræsentatiuum.

Vnitas cōceptus mentalis desumitur ab obiecto

V. Cœterùm quamuis vnitas conceptus mentalis concurrat ad vniuocationem, non tamen concurrit tanquam constitutiuum; sed si loquamur de Vniuocatione metaphysica, sufficienter saluatur in sola ratione communi obiectiua, quæ sit eadem in omnibus vniuocatis. Atque hoc satis ex eo confirmatur, quòd esse metaphysicum se tenet ex parte obiecti, importat enim formalitatem aliquam desumptam ab esse physico, quam præcisam concipit intellectus; vnde cum esse metaphysicum sit ex genere suo aliquid obiectiuum, vniuocatio quoq; metaphysica debet importare rationem communem obiectiuam: conceptus autem mentalis est aliquid physicum, nempe actus intellectus existens à parte rei, & ideò non potest concurrere ad constituēdam vniuocationem metaphysicam. Præterea Vniuocatio metaphysica est vniuocatio in essendo, conceptus autem mentalis est solùm vniuocus in repræsentando, & ideò non potest pertinere ad constitutionem vniuocationis metaphysicæ. Quòd rursus declaratur, quoniam aliqua in essendo sunt vniuoca, vel simpliciter, vel secundùm aliquam rationem genericam; aliqua verò non sunt vniuoca, oportet ergo concedere ex parte ipsarum rerum aliquam rationem, per quam constituantur secundùm esse reale in ratione vniuoci, non enim haberi potest realis effectus formalis absq; ratione formali, hæc autem ratio præcisè accepta importabit vniuocationem metaphysicam, quemadmodum etiam importat illud esse metaphysicum, in quo sunt vniuoca: non enim vniuocatio metaphysica est extra ipsum esse vniuocum. Quòd etiam confirmari potest, quoniam nomini vt significatiuo correspondet ex genere suo ex parte obiecti res significata, ergo nomini vniuoco, cum vniuoco modo significet, debet correspondere ex parte obiecti aliquid vniuoco modo se habens in essendo, quia sicuti significatio correspondet esse significato, ita etiam modus significandi, & ideò modo significandi vniuoco correspondebit modus essendi vniuocus, qui constituet vniuocationem in essendo, & metaphysicam.

Vniuocatio metaphysica consistit in sola ratione communi.

VI. Si verò loquamur de vniuocatione logica ad hanc quidem constituendam concurrit vnitas nominis communis, sed præter ipsam requiritur etiam vnitas rationis, quòd sanè expressit Arist. dum definiuit Vniuoca esse illa *Quorum, & nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accomodata eadem est*. Ideò autem præter vnitatem nominis requiritur etiam vnitas rationis, quia nomen est vniuocum quatenus significat vniformiter plura vniuocata, quia autem non est significatiuum nisi prout ipsi substernitur res significata, ideò ad vniuocationem logicam requiritur tum vnitas nominis, tum vnitas rationis significatæ per nomen, si enim tollatur vnitas rationis, tunc nomen non habet quid significet, & proinde neq; vniuoco

Ad vniuocationem logicam cōcurrit vnitas nominis & rationis.

modo

modo significare potest. Atque hinc deducitur, Rationem, quæ concurrit ad constituendam vniuocationem logicam, non esse conceptum mentalem, nisi forte quatenus se tenet ex parte nominis; sed esse cóceptum obiectiuum. Nomen enim concurrit ad vniuocationem vt significatiuum, & ideò ratio

Ratio, qua constituitur vniuocatio logica, est cóceptus obiectiuus.

est res significata, est enim terminus significationis; res autem significata est conceptus obiectiuus, non autem mentalis. Quòd etiam docuit Arist. in definitione Vniuocorum, dum intelligit de illa ratione, quæ nomini accommodatur, hoc est correspondet, vt per ipsum significata; vnde ponens exemplum de hac ratione, subdit: *Vt animal, & homo, atq; bos; communi enim nomine horum vtrumque animal nuncupatur, & est ratio substantiæ eadem. Si quis enim assignet vtriusque rationem, quid vtrumq; est, quo animal est, eamdem assignabit rationem.* Vbi notanda sunt verba illa, *Quo animal*, vult enim id, quo tam bos, quàm homo constituuntur in esse animalis, esse rationem, quæ concurrit ad constituendam vniuocationem: quis autem non videt, importari per ipsam conceptum obiectiuum animalis? Quòd etiam confir. quia hanc rationem, quæ constituit vniuocationem, vocat rationem substâtiæ hoc est quidditatis; si igitur hæc ratio est ratio quidditatiua vniuocorum, nullo modo potest esse conceptus mentalis, quia ipse non est aliquid de quidditate vniuocorum. Et licèt nomina sint signa conceptuum mentalium, non tamen conceptus mentales sunt id, quòd significatur, cum ipsi quoq; significent; sunt enim expressiui ipsorum obiectorum, & ideò cum voces significent res, illas significant mediis conceptibus animæ, & proinde conceptus animæ se tenent ex parte significatiui, non autem rei significatæ. Et ideò cum ad vniuocationem logicam requiratur res significata, requiritur etiam conceptus obiectiuus.

Quomodo cóceptus obiectiuus concurrat ad vniuocationem Logicam.

VII. Verùm hic aduertere oportet, quòd conceptus obiectiuus non concurrit quomodocunque ad constituendam vniuocationem logicam, sed vt significabilis per vnicum nomen commune: inde autem habet, quòd sit significabile vnico nomine, quia habet suam vnitatem metaphysicam, atque communitatem, qua vnus, & idem in pluribus reperitur: sicuti enim nomen concurrit vt significatiuum, ita etiam conceptus communis concurrere debet vt significabile. Conceptus verò mentalis concurrit vt expressiuus conceptus obiectiui, & vt se tenens ex parte nominis, nimirum in ratione significatiui. Ex quibus colligitur, in Vniuocis hæc omnia sibi æqualiter correspondere, nomen, cóceptum mentalem, & conceptum obiectiuum, ita vt quodlibet ipsorum debeat habere omnimodam vnitatem, atq; ex vnitate vnius conceptus licèt colligere vnitatem alterius, imò etiam ex ipso nomine, si tamen formaliter accipiatur, nempè secundùm significationem; neq; enim nomen æquiuocum est vnum in ratione significationis cum diuersimodè significet. Hoc tamen discrimen interuenit, quòd ab vnitate conceptus obiectiui veluti à priori colligitur vnitas conceptus mentalis, & nominis, ex vnitate verò ipsorum veluti à posteriori vnitas conceptus obiectiui.

Nomê, & cóceptus tum mentalis, tum obiectiuus vniuocorum sibi correspondent in vnitate.

Ad rationes Ferr.

Neq; rationes Ferrar. sunt magni momenti, nam definitio accipitur, & pro mentali, & pro obiectiua; Ratio autem, quando ponitur in definitione vniuocorum, stat pro definitione obiectiua, aut aliqua parte quidditatis. Inter substantias autem materiales, & spirituales adest realis conuenientia, non quidem secundùm esse adæquatum, sed inadæquatum, & hanc concipit intellectus tanquam quid vniuocum se tenens ex parte obiecti. Nec ei suffragatur D.Th. in locis ibi citatis, quia licèt ratio sumatur pro conceptu mentali, prout correspondet nomini, sumitur tamen etiam pro obiectiuo, & in definitione vniuocorum stat pro obiectiuo, non enim est ratio quæcunque significata per nomen, sed ratio substantiæ.

DE VNITATE ANALOGIAE.

EXPLICATIS, quæ pertinent ad vnitatem essentialem, seu communitatis, ex quã diximus consurgere Vniuersalem naturam, seu vnitatem vniuersalem in prædicando, atq; ijs quoq; quæ spectant ad vniuocationem, æquum est, vt ad analogiam accedamus: quæ quoniam ipsa quoque aliquam conuenientiam importat, & in aliqua ratione saltem secũdùm attributionem, aut proportionẽ vna fundatur, videtur constituere aliqualem speciem vnitatis secundùm essentiam, qua mediante in analogatis reperiatur; ex quo etiam fit, quòd licet recedat ab vniuocatione, non tamen omnino recedat, sicuti recedit æquiuocatio; sed habeat aliquam similitudinem cum ipsa. Vnde eius tractatio hic congruè subijcitur, quæ quidem valdè difficilis est propter varium conceptum, quem de ipsa formant Auctores, & propter varios modos, quibus in ea explicanda vtuntur. Nos autem Veritatem indagantes, quantum fieri poterit, facilitati consulemus.

De Nomine Existentia, & Modis Analogiæ. Disputatio. XXIX.

Explicatur nomen Analogia, & eius existentia statuitur.

SECTIO. I.

I. ANtequam ad grauiores difficultates accedamus, præmittendum est, quid nomine Analogiæ Importetur, ne ignorata nominis significatione in æquiuoeo laboremus. Est igitur Analogia vox græca, quæ diuersas habet significationes; Nam primò significat congruentiam rei ad aliquid relatæ, vt cum dicimus aliquid magnũ respectu alicuius, quamuis respectu alterius sit paruum. Aliquando significat comparationem, vt interpretatur Cicero lib. de Vniuer. ait enim. Quæ Græcè ἀναλόγια, Latinè comparatio proportione dici potest. Aliquando significat conuenientiam, seù proportionẽ, vt idem Cic. interpretatur & Quintil. lib. 1. Denique significat aliquam parilitatem rationis. Arist. n. 5. Eth. dicit Analogiam esse. ἰσότητα λόγου, hoc est conuenientiam rationis. A philosophis tamen Analogia sumitur pro proportione. Ab hoc autem nomine Analogia fit Analogum, & est illud, quòd participat hanc proportionem.

Quid significet analogia. — Cicero — Quintilian. — Arist.

II. Cum igitur hoc nomen Analogiæ proportionem significet, vt plenè eius significatio teneatur, videndum est, quid sit proportio. Pro quo sciendum est, quòd proportio oritur ex cõparatione, qua duæ quantitates, ad inuicem cõparantur, illa enim conuenientia, quàm habent ad inuicem, proportio solet appellari. Vnde definitur ab Euclide lib. 5. def. 3. *Proportio est duarum magnitudinum eiusdem generis, quatenus ad quantitatem pertinent mutua quadam habitudo.* Verùm sicut ipsa quantitas non solùm dicitur de mole corporea, sed etiam transfertur ad perfectionem, tum essentialem, tum accidentalem rei, nam dicitur ipsa perfectio esse tanta, vel tanta, hinc fit, quòd etiam ad hanc perfectionem transferantur ea, quæ consequuntur quantitatem, licèt minus propriè, sic æqualitas, & inæqua-

Quid sit proportio. — Euclides

litas

litas magnum, & paruum dicuntur de perfectionibus rerum, & eodem modo dicitur etiam proportio. Analogia ergo apud philosophos imporat: hanc huiusmodi proportionem, quæ est secundùm naturas rerum.

Aliud proportio, aliud proportionalitas.

III. Sed hic aduertendum est, quòd apud Mathematicos, aliud est proportio, aliud proportionalitas. Proportio enim reperitur inter duos terminos, quando comparantur ad inuicem, siue secundùm rationem æqualitatis, siue inæqualitatis, siue aliquo alio modo, vt cum duo palmi quantitatis comparantur, ad alios duos palmos, vel ad vnicum, tunc habitudo illa dicitur proportio. Proportionalitas verò consistit in quatuor terminis, itaut duo comparentur ad inuicem; & eodem modo seruata proportione duo se habeant inter se, sicut alij duo; vnde *Proportionalitas erit habitudo duarum proportionum, quæ reperiuntur inter binos, & binos terminos*, vt si dicatur; ita se habent quatuor ad duo, sicut sex ad tria, quia vtraq; proportio est dimidietatis. Hæc autem proportio, & proportionalitas transfertur ad naturas rerum, & pro proportione intelligunt philosophi quancumque conuenientiam, quæ sit inter duo, dummodo non sit perfecta conuenientia, quia tunc non est proportio, sed vniuocatio.

Existentia analogiæ.

IV. Hinc autem colligitur, dari istam analogiam, quia aliqua sunt inter se similia secundùm aliquam proportionem, vt cum pratum dicitur ridere propter quandam similitudinem, quam vultus hominis ridentis habet cum prato florido; illa autem proportio, quæ est inter hominem ridentem cum prato florido, dicitur Analogia. Atque si inductio fiat inter res naturales, plures huiusmodi proportiones reperiuntur. Vnde dubium non est, quin admittenda sit analogia in rebus. Atque hæc proportio inducit quandam vnitatem, non quidem perfectam, sed tamen proportionis, vnde etiam Arist. 5. Meth. cap. 6. tex. 12. enumerans modos, quibus aliqua dicuntur vnum, recenset etiam modum Analogiæ; ait enim. *Item alia numero, alia genere, alia specie, alia Analogia sunt vnum*, Ratio autem est, quia omnis conuenientia dicit aliquam vnitatē, cum accedat ad aliquam identitatem, proportio verò dicit aliquā conuenientiam, ideo etiam aliquam vnitatē.

Arist.

Analogia quid medium inter vniuocationem, & æquiuocationem.

V. Atque, ex his colligunt philosophi, vt etiam supra innuimus, quòd analogia sit quid medium inter æquiuocationem, & vniuocationem, quia neque dicit omnimodam diuersitatem, neque omnimodam vnitatem, sed aliquam tantum conuenientiam, vnde inhærentes definitionibus, quas Arist. tradidit de Æquiuocis, & de Vniuocis, proportionaliter definiunt Analoga quòd sint illa. *Quorum nomen est cōmune, & ratio subiltam importata per tale nomen partim est eadem, partiū est diuersa.* Quam viam definiendi indicauit D. Th. 1. p. q. 13. ar. 5. in corpore dum ait. *Neque in his, quæ Analogicè dicuntur, est vna ratio, sicuti est in vniuocis, nec totaliter diuersa, sicuti est in æquiuocis*. Ex his igitur, quæ hucusque dicta sunt, constat, quid nomine Analogię importetur apud philosophos; quot autem modis possit cōtingere explicabimus sect. sequenti.

Arist.

Quid sit analoga.

D. Th.

Quot modis contingat Analogia.

SECTIO II.

I. Circa assignationem modorum, quibus contingit analogia, aliqua diuersitas est inter DD. quæ ex eo prouenit, quòd non conueniunt in doctrina, quam tradunt de Analogis. Nos autem frequentiores modos colligemus, remittentes eorum examinationem infra ad sua loca, quando de ipsis disputabimus. Primo ergo solet diuidi analogia in eam, quæ prouenit ex proportione; & in eam, quæ fundatur in attributione ex eo, quòd aliqua sint talia per attributionem ad aliud; vnde sub hoc posteriori modo analogiæ comprehenduntur ea, quæ ab antiquis solebant dici Æquiuoca à cōsilio. Æquiuoca enim sunt in duplici differentia; alia enim sunt æquiuoca à casu, quæ cū diuersitate substantiæ habent à casu, & fortuito idem nomen, vt canis marinus, & canis terrestris, alia verò sunt æquiuoca à consilio, quia licèt habeant diuersam rationem substantiæ, consultò tamen obtinuerunt idē nomen propter ordinem aliquē, quem vnum habet ad aliud, quæ etiam nunc nomine analogorum comprehenduntur.

Diuisio prima analogiæ. Proportionis, & Attributionis.

Duplex genus æquiuocorum à casu, & à cōsilio

Ammō. Simpl. Ferrar.

II. Verùm hæc diuisio non est conformis doctrinæ Peripateticæ, & veterum philosophorum, nam illi vt Ammon, Simpl. & communiter Græci expositores in Antepraedicamentis nomine analogorum intelligunt tantùm ea, quæ fundantur in proportione, vt etiam testatur Ferrar. 1 contra gent. cap. 34. §. *Ad euidentiam secundi dubij*, & Colligitur ex Doctrina Arist. 5. Metaph. cap. 6. tex. 12. vbi explicans, quæ dicantur vnum secundùm analogiam, ait *Secundùm Analogiam verò quæcunq; se habent vt ad aliud* super quæ verba Alex. ait *Analogia verò, idest proportione vnum id ejus definit, quòd se vt aliud ad aliud habet Nam cum aliquid sic se ad quidquam habet vt aliud ad aliud, ea ob huiusmodi similitudinem proportione sunt vnum.* Sed manifestiùs 1. Eth. cap. 6. contradistingit analoga ab ijs, quæ ab vno, vel ad vnum dicuntur, quæ solent communiter analoga attributionis appellari. Nam cum dixisset, quòd bonum non est quid commune propter vnam aliquam ideam, quærit, quomodo bona particularia, vt honor, prudentia, voluptas, & alia huiusmodi dicantur bona, & inquit. *At quonam modo dicuntur, non enim ipsa similia sunt, quæ nomine eodem fortuito nuncupantur*, (hoc est æquiuocis à casu) *Dicuntur ne igitur, quia sunt ab vno, aut ad vnum omnia conferuntur, an comparatione potius rationum*, (hoc est analogia, nam vt supra visum est 5. Eth. vocat analogiam. (*Comparationem rationis*) *Etenim vt est in corpore visus, sic est in anima mens, & aliud item in alio*. Hic igitur Arist. distinguit analogiam ab ijs, quæ sunt talia, vel ab vno, vel ad vnum; vnde constat, quòd hæc analogia attributionis, non est analogia iuxta doctrinam Peripateticam. Verùm quia communiter analogia ponitur, & vsus nomen analogiæ ipsi accomodauit, ideò & nos quoque de ipsa agemus.

Quid nomine analogorum intelligant Peripatetici.

Arist.

Alex.

Analogia attributionis non est analogia secundum Peripateticos.

Duplex analogia proportionis.

III. Quia autem aliud est proportio, & aliud proportionalitas, vt sect. præcedenti explicatum est, ideò analogia, quæ fundatur in proportione, dup. modo potest contingere, & primo quidem, si fundetur in sola proportione vnius ad alterum, vt pedis alicuius rei ad pedem animalis, quæ dicitur analogia proportionis, seu inæqualitatis, quia inæqualiter ratio illa, in qua fundatur proportio, participatur ab extremis. Secūdo autem modo cōtingit hæc analogia, si fundetur in proportionalitate, & hunc solùm modum videtur cognouisse Arist. vt patet ex locis citatis, vbi semper explicat analogiam per proportionalitatem, vt etiam adnotauit Caiet. cap. 1. de Nominum Analogia, qui est Tract. 5. Tom. 3. opusculorum. Quid autem sit dicēdum de his duobus modis, videbimus infra.

IV. Sed circa modum Analogiæ proportionalitatis vnum occurrit maximè considerandum, quòd huiusmodi Analogia, quæ requirit saltem quatuor terminos, non fundatur in terminis, quasi in ipsis sit aliqua proportio inter se, sed solùm fundatur in proportionibus, quę sunt inter terminos, vt cum dicitur, ita se habent quatuor ad duo, sicut sex ad tria, analogia proportionalitatis non fundatur in numeris, sed in illis duabus proportionibus, quibus ad inuicem comparantur, videlicet in proportione numeri quaternarij ad binarium, & in proportione numeri senarij ad ternarium: Quod etiam aduertit Ferrar. loco cit. nempe lib. 1. Contra gent. cap. 34 §. *Sciendum vlterius*, vbi addit. Quòd ex vi huius analogiæ non est similitudo inter res, sed tantùm inter proportiones rerum, est enim (vt ita dicam) proportio reflexa, hoc est fundata supra alias proportiones.

Analogia proportionalitatis fūdatur in proportionibus.

V. Ex quo hinc obiter colligitur, quòd licèt verum sit dicere; ita se habet Deus ad suum esse, sicut creatura ad suum, non hinc sequitur, quòd in ratione entis sit aliqua analogia proportionis inter Deum, & creaturam; quia vt dictum est, hæc analogia proportionalitatis non ponit proportionem in rebus, quæ ad inuicem comparantur, sed solùm inter proportiones illarum, quia hęc comparatio fieri potest etiam in rebus vniuocis, vt etiam, cum ageremus, quomodo ens dicatur de Deo, & creaturis, animaduertimus; sic etiam valet dicere, ita se habet homo ad suum

Excluditur analogia inter Deū, & creatu as.

esse

esse, sicut lapis ad suum, & tamen si consideretur homo secundùm esse genericum, & etiam lapis vniuocè conueniunt, nempe in ratione corporis, si verò considerentur secundùm proprium distinctiuum, neque vniuocè conueniunt, neque adest aliqua analogia proportionis; Vnde manifestè patet, quòd hæc Analogia non est secundùm res, sed secundùm proportiones earum. Quòd quamplures non animaduertentes, præsertim ex Thomistis, ex hoc motiuo posuerunt proportionis analogiam inter Deum, & creaturas in ratione entis. Sed neque inter Deum, & creaturas est vera analogia proportionalitatis ratione harum proportionum, & ratio euidens est, quia quando dicitur, ita se habet Deus ad suum esse, sicut creatura ad suum, sicuti Deus non distinguitur à suo esse, neque etiam ratione, nec etiā creatura à suo, nisi per rationē, ita neque inter Deum, & suum esse est vera proportio, sicut neque etiam inter creaturam, & suum esse; cum igitur non sint veræ proportiones, vera enim proportio requirit distinctionem extremorum; ita neque potest fundari vera analogia proportionalitatis. Quod etiam declarari potest, quia non potest in Deo considerari aliqua ratio, quæ non sit id, per quod Deus est diuersus à creatura; & nō pertineat ad formale constitutiuum Dei. Vnde si adest aliqua analogia inter Deum, & creaturas, esset in ratione Dei, & in ratione creaturæ, tunc autem cessat ratio analogiæ, vt in priori tomo diximus, quia creatura non participat cum proportione aliquid, quòd sit in Deo, sed diuersam omnino rationem, neque est metaphysicè talis, qualis est Deus formaliter secundùm aliquam suam perfectionem, sed est talis propriè. Ad Analogiam autem, proportionis requiritur metaphora, vt dicemus. Illa ergo comparatio, quæ secundùm proportionem potest fieri inter Deum, & creaturam, est sicuti illa, quæ potest fieri inter res diuersas, vt etiam si diceretur: sicuti se habet homo ad suum esse, ita lapis ad suum, vt ibi etiam diximus, secundùm aliquas rationes adesse commune nomen, non quidem per analogiam, sed quia vtimur nominibus, quibus

Quicquid cōsideratur in Deo, pertinet ad proprium constitutiuum illius.

explicamus res creatas, ad explicanda, quæ sunt in Deo, quòd si interueniret analogia, deberet nomen per prius significare, quòd est in Deo, quia Deus esset perfectius analogatum, & creatura tantùm metaphoricè esset talis, sicut risus prius significat risum, qui est in homine, quàm risum prati.

VI. Quòd autem spectat ad analogiam proportionis, seu inæqualitatis, potest pluribus modis contingere, prout diuersimodè proportiones inter res ipsas reperiri possunt. Videtur autem quòd sufficienter diuidatur in duplicem modum, vt etiam aduertit Tol. in Logica in Prædicam. cap. 1. Quæst. vnica, nempè secundùm formam, & secundùm operationem. Nomine autem formæ debet intelligi, non ipsa forma physica, sed quodcumque esse rei, quòd ipsa habet permanenter, sicuti nomine operationis debet intelligi id, quòd vt actio consequitur esse; siue sit actio moralis, siue purè physica. Sufficientia autem patet ex eo, quia quicquid est, vel pertinet ad actum primum, vel ad secundum, siue operationem, vnde etiam omnis proportio vel est secundùm formam, vel operationē, atque ad eo vniuersaliter loquendo analogia proportionis his duobus modis tantùm potest contingere.

Quot modis contingat analogia proportionis.

VII. Altera autem, quàm vocant analogiam attributionis, quam diximus iuxta mentem Arist. esse æquiuocationem à consilio, etiam duplex est; nam alia est vnius ad aliud, vt medicinæ ad sanitatem, alia est duorum, vel plurium in ordine ad vnum tertium, vt medicinæ, & vrinæ in ordine ad sanitatem. Quàm distinctionem tradit Caiet. de nominum Analogia cap. 2. ex D. Th. Verùm vterque ex his modis Analogiæ adhuc multipliciter considerari potest; cum enim consistat in eo, quòd aliqua dicant ordinem ad aliud, hic ordo potest fundari in causa effectiua, sic medicina ordinatur ad sanitatem, vel in causa finali, vel denique in materiali. Quàm etiam diuisionem tradit Cajet loco modo cit §. *Quadrupliciter autem*. Verùm aduertendum hic est, quòd hæc diuisio non multiplicat modum analogiæ formalem, sed tantùm materialem, quoniam sicuti quòd or-

Quotuplex analogia attributionis.

D. Th. Caiet.

do fundatur in hac, vel illa forma, non variat rationem formalem ordinis, sed tantùm rationem materialem, Ita etiam cum hæc analogia fundetur in habitudine, & ordine, variato ordine materialiter tantùm, etiam analogia variabitur tantùm secundùm esse materiale.

In quo consistat ratio formalis Analogiæ. Disputatio. XXX.

Expenditur Prima Sententia.

SECTIO. I.

I. Videtur ferè communiter receptum apud Recentiores, quòd ratio analogiæ consistat in transcendentia, qua ita ratio aliqua transcendit per inferiora, vt imbibatur in ipsorum differentijs. Vnde iuxta hanc opinionem omnes rationes transcendentales sunt etiam analogæ. Amplectitur hanc opinionem Hurtad. in Logica Disp. 9. Sect. 4. subsect. 5. pro cuius explicatione supponit, quòd licèt in conceptu transcendenti, quando præcisus concipitur, nulla inueniatur differentia, neq; in ipso concipiantur inferiora, tamen quando côcipitur aliquod inferior, inuenitur in ipso côceptus transcendens, quia ex vi transcendentiæ non potest ab illo inferiori separari. Hinc colligit discrimen aliud inter transcendens, & non trascendens quòd transcendens per inferiora perficitur essentialiter, vnde inferiora, quę constant ex ratione transcendentali, & propria, non dicunt duos conceptus, quia transcendens, quando est in inferioribus, non dicit conceptum distinctum ab ipsis: Non sic in non transcendentibus, quia non transcendentia non perficiuntur essentialiter per inferiora; quia inferiora, licèt intrinsecè perficiant rationem superiorem, tamen se habent sicuti forma respectu materiæ, & non sunt de essentia illius. Hinc colligit fundamentum suæ sententiæ. Quia conceptus ille transcendens, neque est omnino idem, neque omnino diuersus; non omnino idem, quia quando concipitur in inferioribus, non habet eamdem omnino perfectionem, quàm habet in alio; non omnino diuersus, quia quando secundùm rationem communem concipitur, nullam includit dissimilitudinem; & ideò constituit analogiam,

Sententia Recētiorum, analogiā consistere in transcēdentia.

Hurtad

II. Verùm contra hanc sententiam sentiunt omnes illi, qui putant, ens esse vniuocum respectu substantiæ, & accidentis, vt sunt Scotistæ, cum Scoto in 1. dist. 3. q. 1. & dist. 8. quæst, 3. & alij, quos suo loco citauimus; atq; duo in ipsa sunt reprehendenda, primum est fundamentum; alterum ipsa opinio. Et quòd spectat ad fundamentum licèt verùm sit, quòd non possint concipi inferiora absq; transcendentibus; tamen cum possint concipi rationes transcendentes sine inferioribus, vt suo loco probatum est, vt hęc etiam sententia concedit, non rectè asseritur, quòd inferiora, quæ constant ex ratione transcendenti, & ex propria, nō constent ex duplici conceptu; nam quòd semel potest concipi, vt distinctum ab alio, habet suum conceptum obiectiuum distinctum; cur igitur trāscendentia non habebunt conceptum distinctum ab inferioribus? sic videmus, quòd in rebus physicis ea distinguntur physicè à quocumque alio, quæ possunt ab alijs separari, & separata côsistere, ergo etiam distinguuntur metaphysicè, quæ semel secundùm esse obiectiuum ab alijs separari possunt, & separata consistere. Nec rectè dicitur, quòd transcendentia sint distincta, quando sine inferioribus concipiuntur, & non sint amplius distincta, quando in inferioribus concipiuntur, sicut non rectè diceretur, quòd materia quando est separata à forma ab ipsa distinguatur realiter, quando verò est ipsi vnita, identificetur cum ipsa. Quod enim semel ab alio distinguitur, semper distinguitur, quia distinctio conuenit ex vi proprij esse.

Reijcitur eadē sententia.

Scotus

Trāscē-dētia habent proprium cōceptum.

III. Atque etiam denuo instari potest. In non transcendentibus conceptus superiores non alia ratione distincti sunt ab inferioribus, etiam quando sunt in ipsis, nisi quia sunt ali-

quid commune; & ita sunt in vno, vt sint etiam in alio; vnde possunt concipi absque eo, quòd coocipiantur inferiora; hoc ipsum autem contingit in conceptibus transcendentibus, nam & ita sunt in vno inferiorum, vt possint etiam esse in alio, & sunt aliquid commune, & possunt concipi sine inferioribus. Cur ergo etiam ipsi, quando sunt in inferioribus, non erunt conceptus distincti. Confirmatur conceptus transcendentes habent intrinsecam rationem communitatis, habent intrinsecam ipsam transcendentiam, quas rationes retinent etiam, dum sunt in inferioribus, & ab ipsis inferibus, vt talia sunt, participantur; Quomodo ergo ab intrinseco suo non erunt conceptus distincti? Quod enim ait Hurtad. quòd non potest concipi ratio inferior sine trascendenti, hoc prouenit non ex indistinctione, sed ex transcẽndentia; neque distinctio, vel indistinctio, attendi debet penes aliquid extrinsecum, sed penes esse rei, quæ distinguitur, vel non distinguitur.

Conceptus inferiores non perficiũt intrinsecè rõnẽ transcẽdẽtẽ sed sunt extra ipsam.

IV. Rursus falsum est, quod supponit tanquam certum, quòd conceptus inferiorum, vt talia sunt, ne dum intrinsecè perficiant rationes transcendentes, sicuti rationes inferiores perficiunt rationes communes non transcendentes, sed quòd etiam sint de intrinseca ratione illarum; quia inferiora, licèt intrinsecè imbibant rationes transcendentes, tamen sunt extra ipsas, sicut sunt extra rationes non transcendentes, & adueniunt illis, vt contractiua; Si ergo rationes inferiorum non sunt de intrinseca quidditate non transcendentium, neque etiam erunt de intrinseca quidditate transcendentium. Deinde transcendentia possunt concipi sine inferioribus, quotiescumque autem potest aliquid concipi sine alio, hoc non est de intrinseca quidditate illius. Rursus quandocumque aliquid est de essentia alterius, vbicumque hoc reperitur, reperitur etiam illud; si igitur rationes inferiorum essent de essẽntia transcẽdentium, vbicumque reperirentur transcendentia reperirentur etiam rationes inferiorum, vnde in vnoquoque inferiorum reperirentur rationes omnium inferiorum.

V. Sed neque ipsa opinio vera est; & ex suismet fundamentis ruit, nam rationes transcendentes, præcisè consideratæ, vt dicitur in fundamento huius sententiæ, nullam inuoluunt dissimilitudinem, sed dicunt vnum conceptum; in inferioribus verò dicunt dissimilitudinem, ergo eadem ratio modò non esset analoga, & modò esset analoga; non esset analoga, quia præcisè considerata non inuolueret rationem formalem analogiæ; esset autem analoga, quia in inferioribus diceret dissimilitudinem. Atque hoc amplius explicari potest, vel illa dissimilitudo, quam dicit transcendentia in inferioribus, est propria ipsorum transcendentium, vel prouenit tantùm ratione differentiarum. Si primum, ergo etiam ratio præcisa dicit dissimilitudinem, quia quando aliquid præscinditur, habet totum id, quod ex se dicit in inferioribus. Vnde alij melius philosophantes asserunt, quòd ratio etiam præcisa dicit diuersitatem; verùm tunc analogia non habetur ex vi transcendentiæ, sed ex vi inæqualitatis, quia videlicet ratio communis, cum inuoluat diuersitatem, inæqualiter participatur. Verùm an possit dari huiusmodi ratio analoga, disputabimus infra. Si verò secundum admittatur, & dicatur, quod illa dissimilitudo prouenit ratione differentiarum, tunc non potest constituere analogiam, quia diuersitas, quæ habetur ex differentijs non ponit analogiam in ratione communi; alioquin nulla ratio communis esset vniuoca, quia in inferioribus habet diuersitatem ratione differentiarum.

Falsitas relatæ opinionis

Diuersitas rõne differẽtiarum nõ ponit analogiam.

VI. Deinde falsitas huius sententiæ etiam ostenditur ex ratione transcendentiæ, nam transcendentia solùm ex suo conceptu formali dicit, quòd aliqua ratio communis imbibatur, etiam in vltimis differentijs inferiorum, & quòd per omnia transcendat, hic autem conceptus non est conceptus analogiæ, quia ex se formaliter non dicit aliquam proportionem plurium, neque aliquam inæqualitatem participationis, per quam aliquid sit partim idem, partim diuersum. Confir. Analogia non potest concipi, nisi concipiatur aut aliqua proportio, aut aliqua attributio, aut aliqua ratio, quæ sit partim eadem partim diuersa, vbi autem in-

Alio modo falsitas opinionis ostẽditur

Transcẽdentia in vno saluatur, analogia requirit plura.

teruenit diuersitas, necesse est, quòd interueniat multitudo, quia idem non potest esse diuersum à seipso, quocunque igitur modo concipiatur analogia, semper debet interuenire aliqua pluralitas; sed transcendentia potest optimè concipi vna tantùm re concepta, vt si concipiam substantiã absque eo, quòd aliquid aliud concipiam, habeo transcendentiam, nam concipio rationem entis imbibitam in vltima ratione substantiæ. Vnde si per impossibile esset tantùm substantia, & nihil aliud, hoc enim potest esse per præcisionem intellectus, tunc certè non esset analogia, quia tunc ratio entis, quam dicunt esse Analogam, non haberet respectu cuius esset analoga, & tamẽ esset transcẽdens ergo transcendentia non est idem formaliter, ac analogia.

Transcendentia potest stare cũ vniuocatione.

VII. Quod amplius potest declarari; nam transcendentia potest stare simul cum æqualitate rationis communis quoad participationem respectu inferiorum, ergo potest stare sine analogia, sed cum vniuocatione; hæc consequentia est euidens: antecedens verò abundè constat ex ijs, quæ supra diximus de vniuocatione entis, cum enim ibi probatum sit; quòd ens sit vniuocum respectu substantiæ, & accidentis, & cum certum sit, esse transcendens, fit, quòd transcendentia possit stare simul cum vniuocatione, & potest etiam quantùm patitur præsens materia rursus confirmari; nam potest intellectus concipere æqualitatem participationis simul cum transcendentia; neque in hoc inuoluitur aliqua implicantia: quia optimè potest concipere inferiora perfectè conuenire secundùm differentias ipsas, non quatenus dicunt ipsas rationes differentiales, sed quatenus dicunt rationes transcendentes; quando autem aliquid non implicat secundùm esse obiectiuum, neque simpliciter implicat adesse in re, quia, quæ in esse obiectiuo non implicant, nec etiam implicant secundùm suum esse intrinsecum. Et potest rursus confirmari ex ratione entis, prout consideratur in pluribus substantijs specie diuersis, tunc enim ens adhuc est transcendens, quia imbibitur in vltimis differentijs, & tamen æqualiter participatur, nec habet aliquam analogiam, quia omnes substantiæ æquè perfectè participant rationem entis. Quod amplius ex eo patet, quia participant rationem entis mediante ratione substantiæ, quæ est vna indiuisibilis, & vniuoca, cum igitur eadem ratio substantiæ sit in omnibus, erit etiam eadem ratio entis.

Trãscẽdẽtia nõ reperitur cũ omni analogia.

VIII. Denique contra hanc sententiam possumus arguere, quòd cum quærimus, in quonam consistat ratio formalis Analogiæ, loquimur de analogia in communi, prout comprehendit omnes analogias; hæc autem ratio formalis analogiæ non potest esse ratio transcendentiæ, quia vt euidens est, analoga attributionis non dicunt aliquam transcendentiam; imò nec analoga omnia proportionis, nam quæ transcendentia intercedit, quando vnum habet proportionem ad aliud, quæ est quidem secundùm diuersas rationes formales, sed tamen habentes aliquam proportionem ad inuicem? Hæc enim proportio potest contingere secundùm vltimas differentias rerum. Deinde nulla analogia proportionalitatis, quam solam videtur agnouere Arist. vt Sect. 1. præcedentis Disp. vidimus, potest consistere in transcendentia, quia, vt diximus, consistit in habitudine plurium proportionum, seu in proportione proportionum, quæ nullam includunt transcendentiam. Addi etiam potest, quòd omnia transcendentia dicunt vnam rationem formalem, seu vnum conceptum obiectiuum communem pluribus, analoga autem, vt infra ostendemus, non possunt habere aliquam rationem formalẽ obiectiuam, quæ inuoluat aliquam communitatem. Vnde ipsamet transcendentia ex natura sua debet excludere analogiam.

Secunda sententia examinatur.

SECTIO. II.

I. ALtera sententia asserit, rationem formalem Analogiæ consistere in quadam habitudine plurium inter se, vel in ordine ad aliud Verùm quia hæc explicatio nimis ampla est; quoniam possunt reperiri habitudines plurium inter se, vel in ordine ad aliud tertium, inter quæ tamen non sit ex vi illius habitudinis analogia; ideo coarctat hanc suam expli-

ca-

Aliorum scatētua Analogiā cōsistere in habitudine.

cationem, quòd intelligi debeat, si sit analogia proportionis, de illa habitudine, qua ratio communis per prius, & posterius ab inferioribus participatur; si verò sit analogia attributionis, de illa habitudine, qua aliqua ordinantur ad aliquam formam, à qua denominantur, licèt illam non participent intrinsecè. Quod autem spectat ad priorem habitudinem dicitur constituere analogiam proportionis, quatenus facit, quòd aliqua ratio participetur per prius, & posterius, quia ex vi huius prioritatis, & posterioritatis participatur inæqualiter, vnde est partim eadem, & partim diuersa. Dicuntur autem inferiora participare per prius, & posterius, quia vnum participat dependenter ab alio. Atque hæc habitudo dicitur constituere analogiam inæqualitatis.

II. Atque hæc sententia, ita inualuit apud moderniores Philosophos & Theologos, vt omnes in ipsam conueniant, atque nedum in controuersiam vertatur, sed tanquam certa supponatur; & pro principio habeatur, cum dicitur, quòd illa ratio est analoga, quæ per prius, & posterius participatur, ita enim conueniunt omnes in explicanda analogia; vnde non est necesse citare aliquos Auctores, nam omnes ita censent, cum agunt de analogia, ac etiam quando tractant de conceptu entis. Solus Hurtad. in Logica Disp. 9. sect. 4. subsect. 4 non ad probat hunc primum modum habitudinis, quo constituitur analogia inæqualitatis: & antea Caiet. tom. 3. opusc. tract. de Nominum analogia cap. 1. aduertit, hęc quæ dicuntur analoga inæqualitatis, verè non esse analoga, sed à Logico, & Metaphysico, qui considerat conceptus, dici vniuoca, à Physico verò æquiuoca; propter quod Arist. dixit 7. Phys. tex. 13. In genere latere æquiuocationes, quia videlicet ratione differentiarum æquiuocè se habent: vnde constat, quòd ipsa vniuoca habent hanc inæqualitatem perfectionis, quæ prouenit ratione differentiarum, seu formarum physicarum, quæ dicitur prioritas, & posterioritas secundùm perfectionem: quod etiam adnotauit Auerr. 12. Metaph. com. 2. dicens, quòd cum vnitate generis stat prioritas, & posterioritas, quæ sub genere sunt: ex quo desumpserunt moderniores philosophi occasionem, vt introducerent hanc analogiam secundùm prius, & posterius; Verùm hoc prius, & posterius posuerunt non ratione differentiarum, sed in aliqua ratione communi à pluribus participata. At verò quando antiquiores vocabant analoga ea, quæ se habebant per prius, & posterius in perfectione, intelligebant de priori, & posteriori ratione differentiarum: Vnde conclu dit Caiet. loco cit. *In huiusmodi analogis quomodo inueniat vnitatur, abstractio, prædicatio, comparatio, demonstratio, & alia huiusmodi, non oportet determinare, quoniam vniuoca sunt secundùm veritatem, & vniuocorum canones in eis seruandi sunt.*

Hurtad.

Caiet.

Analoga inæqualitatis non sūt verè analoga.

Arist.

In genere latent æquiuocatio es.

Auer.

III. Ex his ergo constat, moderniores philosophos hanc inæqualitatem perfectionis, quam antiqui assignabant ratione differentiarum, non rectè transtulisse in rationem communem. Quicquid tamen sit, præsens sententia nobis probari non potest. Et quòd spectat ad primam habitudinem, qua constituitur analogia proportionis, & ratio communis per prius, & posterius descendit; non potest intelligi, quomodo constituat analogiam; nam duplici modo potest intelligi hæc habitudo, vel quòd sit habitudo, qua vnum dependenter ab alio participet eandem rationem. Vel quòd vnum participet perfectiori modo eandem rationem, quàm participet alterum. Neutro autem modo id conuenienter dicitur; quoniam primo modo non videtur, quomodo ista dependentia constituat analogiam, quia ex se dependentia non ponit analogiam; alioquin vbicumque reperiretur, etiam adesset analogia, quod tamen constat, esse falsum. nec etiam talis dependentia, quòd videlicet vnum dependeat ab eo secundùm rationem communem, quia neque hæc dependentia ponit inæqualitatem in ratione communi, quid enim obstat, quòd ratio communis independenter sit in vno, & dependenter in alio, & sit cum æqualitate participationis? quòd si est cum æqualitate, iam non est amplius analoga. Et potest hæc ratio confirmari; nam effectus vniuocus est talis dependenter à causa vniuoca, & sicuti quoad existentiam de-

Reijcitur hæc sententia.

Quomodo ex dependentia nō colligatur analogia.

dependet ab actuali influxu causæ; ita quoad possibilitatem intrinsecam, atque adeo essentiam dependet à possibilitate causæ, & tamen hæc dependentia non tollit vniuocationem inter effectum, & causam. Rursus nec potest dici, quòd ponatur analogia ex eo, quòd ratio cõmunis per prius descẽdat ad vnum, & per posterius ad aliud, nam etiam genus summum prius descendit ad genus subalternum, quàm ad speciem infimam, & solùm est in illa mediante genere subalterno, & tamen hinc non oritur aliqua analogia: ratio autem generalis est, quia prius, & posterius ex intrinseca sua formalitate non põnit inæqualitatem, vbi autem nõ est inæqualitas, nõ potest esse analogia.

Prius, & posterius non ponit ínequalitatem.

IV. Si verò dicatur, quòd hoc prius, & posterius est secundùm perfectionem eiusdem rationis, tunc quidem constitueret analogiam, sed est implicantia, quòd vnum comparatum ad alterum, sit magis perfectum secundùm eandem rationem communem: & potest implicantia facilè ostendi, nam si est eadem ratio, quomodo potest in inferioribus esse magis, & minus perfecta? maior enim, & minor perfectio non potest intelligi sine diuersitate: si autem ponitur diuersitas, non potest esse eadem ratio, quia diuersitas ponit multiplicitatem, sine quà non potest intelligi. Confir. non potest vnum esse perfectius altero secundùm aliquam rationem, nisi habeat aliquid superadditum, ratione cuius dicat maiorem perfectionem; sed hoc aliquid superadditum debet esse necessariò aliquid, quod sit extra illam rationem communem, ergo non potest prius, & posterius, magis, & minus esse secundùm eandem rationem communem. minor declaratur, nam hoc, quod est superadditum, non potest esse illa ratio, prout dicit rationem communitatis, seu in qua fundatur communitas; quia hæc ratio reperitur in quolibet extremorum, ergo erit aliquid extra illam, quia erit aliquid, quod peculiariter reperitur in vno extremo; vnde ista inæqualitas proueniet ratione differentiarum. Atque rursus eadem minor confir. quod enim est in vno extremo, & non in alio, est extra rationem communem vtrique; ideo enim differentia est extra genus, quia est in vno extremo, & non in alio, in quo est genus, sed hæc maior perfectio est in vno extremo, & non in alio, ergo erit extra rationem communem.

Idẽ non põt esse magis perfectũ quã alterũ secundum eadẽ rõnẽ cõmunẽ

V. Secundò impugnatur eadem sententia, vel ista prioritas, & posterioritas, seu ista dependentia, est secundùm esse formale rationis communis, vel secundùm esse contractum ad aliud, ita vt dependentia, seu posterioritas non inuoluatur in quidditate illius, sed tantùm illam dicat ex eo, quòd est immersa in aliquibus alijs rationibus, quibus diuiditur veluti per differentias. primum non potest dici, quia quælibet ratio, si consideretur secundùm suum esse formale non est aliquo pacto distincta à seipsa, vnde cum in seipsa non inuoluat distinctionem, nec etiam potest inuoluere dependentiam, aut prioritatem, & posterioritatem; prioritas enim, & posterioritas, sicuti etiam dependentia dicit multitudinem: Quare admittenda est altera pars, quòd silicet prioritas, & posterioritas habeatur ex vi aliarum rationum, quibus ratio communis diuiditur. Verùm tunc sequitur, quòd dependentia, & prioritas, & posterioritas non habeatur ex vi rationis communis, sed differentiarum: vnde neque constituet analogiam in ratione communi; neque huiusmodi ratio ex se habebit, quòd per prius, & posterius descendat.

Prioritas, & posterioritas non habetur ex vi eius de rat onis communis.

VI. Tertiò. possumus argumentari inquirendo, an illud prius, & posterius fundetur in ratione communi, vel non; hoc non potest admitti, alioquin, cum hæc habitudo non sit secundùm rationem communem, nec etiam analogia erit secundùm ipsã. Rursus inquiro, an hæc ratio, quæ dicit in seipsa prioritatem, et posterioritatem, sit distincta ab ijs, ad quæ descendit, ita vt possit præscindi, vel non. Neque hoc secundùm potest dici, quia si huic rationi conuenit descendere, per prius, et posterius, necessariò debet esse quid distinctum, et præcisum ab ijs, ad quæ descendit; si autem est distincta ab inferioribus, sequitur, quòd non possit ipsi conuenire ex se descendere per prius ad vnum, quàm ad aliud, atque adeo nec etiam possit conuenire analogia. Sequela declaratur, quia ratio illa, vt distincta ab inferioribus, in se

Ratio cõmunis nõ exigit per prius, & posterius descẽdere.

est

eſt vna, & ſimplex, & dicit vnam ſolam formalitatem, ex vi autem huius formalitatis non habet, quòd petat per prius deſcẽdere ad vnum, & per poſterius ad aliud, quia eſt eadem reſpectu omnium inferiorum, nec pôt aliquid exigere reſpectu vnius, quod nõ exigat reſpectu alterius. idem enim exigit ſemper idẽ, & ſi hæc exigentia prouenit ab eius eſſe intrinſeco, cuicũq; cõparetur, illã habebit.

Precluditur effugium.

VII. Scio, poſſe reſponderi, quòd huiuſmodi rõ nõ perfectè præſcindit à ſuis inferiorib. & ideo poteſt dicere in ſe aliquã diuerſitatẽ, & rõne illius exigere per prius deſcendere ad vnũ, quã ad aliud. Sed hæc reſpõſio non eneruat vim argumenti. Si enim inuoluit diuerſitatẽ, debet etiã inuoluere rationes, quæ sũt formalia conſtitutiua diuerſitatis; hæ autem rationes erunt rationes differentiales: vnde adhuc ratione differentiarum habebitur hoc prius, & poſterius. Deinde cũ hac diuerſitate ſtat etiã aliqua vnitas, alioquin non eſſet communitas, hæc autem ratio vnitatis, & communitatis debet eſſe diſtincta à quacũq; ratione, quæ ponat in ipſa diuerſitatem; quia quæ ponit diuerſitatem, non poteſt habere eandem cõmunitatem: quod autẽ habet cõmunitatẽ, & quòd nõ habet, ex intrinſeca ſua ratione habent, quòd ſecundùm eſſe obiectiuum diſtinguãtur: tunc ſumo hanc rationem, prout dicit communitatem; certè cum ſic præciſè nullã in ſe dicat diuerſitatẽ, pugnat enĩ diuerſitas cum communitate, ex ſe non poterit exigere per prius ad vnũ, quã ad aliud deſcendere. Cũ igitur in ipſamet ratione, quatenus cõmunis, nõ ſit prius & poſterius, nec etiam erit prout eſt in inferioribus; vnde nec etiam illud prius, & poſterius, quod aliquando inter inferiora reperitur, conſtituet analogiam; quia in tantùm conſtitueret, in quantum poneret inæqualitatem in aliqua ratione communi.

Altera pars eiuſdẽ ſententiæ reijcitur.

VIII. Quod verò ſpectat ad alterã habitudinem, in qua dicitur conſiſtere formaliter alterũ genus analogiæ, neq; poteſt hæc pars probari, nam dicitur, quòd hæc habitudo ſit aliquorum ad aliquam formam, quam non quidem participent, ſed tamen denominẽtur ab ipſa extrinſeca denominatione. Verùm reperiuntur aliquæ, imo plures huius generis habitudines, quę tamen non conſtituunt analogiam, obiectũ namq; dicit ordinem ad cognitionem tanquã terminus illius, & denominatur cognitum illa extrinſeca denominatione, & tamen nulla interuenit analogia, quæ fundetur in hac habitudine, & idem cõtingit etiam in alijs obiectis, & potentijs, quæ recipiunt denominationem ab ipſarum actibus, & tamen non adeſt aliqua analogia. Rurſus cauſa dicit ordinem ad effectum, & actionem, & denominatur efficiens, & tamen non fundat aliquam analogiam.

IX. Confirmatur. Ipſa denominatio non pôt fundare analogiam, ſed illã ſupponit; ideo enim hæc analoga, quæ extrinſecè dicũtur formã participare, denominantur, quia ſunt analoga, non verò per denominationem conſtituũtur in eſſe analogo, omnis enim denominatio ex natura ſua nõ cõſtituit eſſe, ſed ſupponit, & ipsũ explicat. Igitur ſolũ remanet habitudo ad formam extrinſecam, quæ poſſit cõſtituere hanc analogiam. Verũ neque per hoc rectè explicatur formalis ratio analogiæ, nam amplius patet hæc habitudo, quàm analogia, & dantur multæ aliæ habitudines ad aliquid tanquam ad formam extrinſecam, quæ tamen non conſtituunt analogiam aliquam.

Denominatio nõ fundat analogiã, ſed ſupponit.

X. Rurſus contra vtramq; partem huius ſententię poſſumus arguere, quatenus pro tali, vel tali analogia aſſignat talem, vel talem habitudinem, tanquam conſtitutiuum: ſi enim talis analogia conſtitu retur per talem habitudinem, deberet analogia vt ſic conſtitui per habitudinem vt ſic. Sicuti quia relatio conſtituitur per talem reſpectum ad terminum talem, ita relatio vt ſic conſtituitur per reſpectum vt ſic ad terminum in communi conſideratum. Et ratio à priori reddi poteſt, quia ſpecies ſeruat proportionem ad genus, & in eodem ordine, in quo eſt ſpecies, eſt etiam genus ob correſpondentiam, quam habent ad inuicem; & quia differentia contrahit genus, quod ſolùm poteſt contrahi per aliquam rationem, qua intrinſecè genus perficiatur; vnde differentia facit tale determinatè, determinando genus ad aliquam perfectionem magis determinatam. Ex quo colligitur, quòd poſſumus à poſteriori arguere, quòd quando aliquid in ſpecie determinatum conſtituit aliquid in ſpecie de-

Analogia nõ cõſtituitur per habitudinẽ vt ſic, nec talis analogia per talẽ habitudinem.

terminata, quòd est tale secundùm genus, constituit illud secundùm esse genericum. Vnde verum remanet, quòd si talis habitudo constituit talem analogiam, habitudo vt sic constituat analogiam vt sic, quod tamen esse falsum, manifestè patet, cum sint plurimæ habitudines sine aliqua analogia.

Vera sententia declaratur.

SECTIO III.

Analoga proportionis, & attributionis nõ habent aliquam rõnē cõmunem.

I. Reiecta vtraque sententia, vt insufficienti, quid dicendum sit, in hac sect. aperiemus. In primis ergo existimo, quòd non possit aliqua ratio assignari, quæ communis sit analogiæ proportionis, & analogiæ, quam vocant attributionis, in qua vnum analogatum intrinsecè participat formam, cœtera verò dicunt tantùm ordinem, seu attributionem ad ipsam; nam si dicatur, quòd conceptus obiectiuus communis vtrique sit ratio inæqualiter participata, seu partim eadem, partim diuersa, statim hoc reijcitur, quia quæ dicunt attributionem, quantùm est ex vi attributionis, nullo pacto participant formam: vnde non potest dici, quòd sit inæqualiter participata, nec quòd sit partim eadem, partim diuersa; quòd enim dicant attributionem ad formam, non facit, quòd participent aliquo pacto formam. Accedit etiam, quòd ratio, secundùm quam constituitur analogia, multoties est physica, vt est sanitas. forma autem physica vbicumque est, secundùm se totam est, nam debet esse secundùm entitatem, quæ non potest diuidi. Imo etiam hoc locum habet in metaphysicis formis, cum etiam ipsæ in indiuisibili consistant. Vnde malè dicitur, quòd analoga, quę solùm dicunt attributionem, sint talia per attributionem, qualia reddit forma, quia neutra sunt talia eodem modo, sicuti licèt Pater dicat ordinem ad filium, nullo tamen pacto est filius, sed neque alia ratio excogitari potest, quæ communis sit vtrique generi analogiæ, & ideo hanc solent communiter assignare, quod videlicet ratio substantiæ partim sit eadem, partim diuersa.

II. Ratio autem à priori, cur non possit assignari aliqua ratio communis analogiæ proportionis, & analogiæ attributionis est, quia analoga attributionis, licèt nunc analogorum nomine comprehendantur, sunt tamen æquiuoca à consilio; æquiuoca autem, & analoga non possunt habere aliquid commune, siquidem non minùs inter se differunt, quàm vniuoca, & analoga, inter quę tamen non potest esse aliqua conuenientia, quæ possit constituere vnum conceptum communem obiectiuum. Præterea analoga, & æquiuoca ex natura sua contraponuntur secundùm rationem analogiæ, & æquiuocationis, ergo nõ possunt habere aliquem conceptum communem in ratione analogiæ, quia quod ab alio contradistinguitur secundùm rationem, qua contra distinguitur, non habet aliquid commune cum eo, à quo contradistinguitur. Accedit etiam, quòd ęquiuocatio excludit analogiã, quomodo ergo põt dari communis ratio, quę sit analoga respectu analogię, & æquiuocationis?

Æquiuoca, & analoga nõ possũt habere aliquid cõmune.

III. Quare nunc præscindendo, an analoga attributionis dicant veram analogiam, nam hoc examinabimus infra, Dicendùm est, veram rationem analogiæ consistere in proportione duarum rationum diuersarum, aut plurium, quã habent ad inuicem. Dixi rationum diuersarum, quia proportio, quæ est secũdùm easdem rõnes, non est vera proportio, sed vnitas, & constituit vniuocationē. Proportio ergo, vt sit vera proportio, requirit distinctionem extremorũ, ita vt comparentur ad inuicē, quatenus diuersa sunt: si autem comparentur secundùm eamdem rõnem essentialē cõmunem, vt homo, & leo secundũ rõnem animalis, non comparantur, prout dicũt proportionem ad inuicē, sed prout sũt vnum in eadem rõne cõmuni. Quòd autem in hac proportione diuersarũ rationũ consistat analogia, dubium non est, quia ex se analogia importat proportionē, & vbicumq; est proportio, est etiã analogia. Solùm difficultas esse potest, an sit prima analogia; an verò detur aliqua alia ratio, in qua prius reperiatur analogia.

Analogia vt sic cõsistit in proportione.

IV. Nihilominus quòd sit prima ratio analogiæ probatur, nã illa est ratio prima analogiæ, quæ primò recedit ab vniuocatione, & etiam ab æquiuocatione; si enim non esset prima

ra-

Proportio diuersarũ rationũ est prima ratio analogiæ.

ratio analogiæ, nec etiam primò recederet, nam recederet ex vi rationis alterius prioris, sed proportio diuersarum rationum primò recedit ab vniuocatione, & æquiuocatione, ergo est prima ratio analogiæ. Superest vt ostendamus minorem. Vniuocatio, & æquiuocatio opponuntur inter se ex genere suo, & sicut æquiuocatio dicit diuersitatem rationum, ita vniuocatio ex opposito dicit vnitatem rationis. Analogia verò est quid medium, vnde nec debet dicere vnitatem rationis, nec diuersitatem. Illa ergo ratio, quæ primò recedit ab vnitate rationis, & à diuersitate, recedet primò ab vniuocatione, & æquiuocatione. Cœterùm non potest primò recedere ab vnitate, nisi per pluralitatem, quia vnitas non tollitur, nisi per pluralitatem: rursus cum rationes formales non plurificentur, nisi per diuersitatem formalem, necessariò vbi est recessus ab vnitate rationis formalis, debet esse multiplicitas secundùm diuersas rationes, atque hic erit primus recessus ab vnitate. Rursus stante diuersitate rationum, non potest fieri recessus ab æquiuocatione, & ab omnimoda diuersitate, nisi per aliquam rationem, quæ tollat aliquo pacto diuersitatem; non potest autem esse vnitas, quia hæc omnimodè tollit, sed debet esse aliquid, quod compatiatur diuersas rationes formales, hoc autem nihil aliud esse potest, nisi proportio, qua diuersæ rationes sunt inter se aliquo pacto similes.

Proportio est formaliter analogia.

V. Secundò hoc ipsum declaratur, & confirmatur. Illa est prima ratio analogiæ, in qua primò saluatur ratio analogiæ vt sic, & in illa est prima ratio analogiæ, quæ est formaliter analogia, sed huiusmodi proportio diuersarum rationum est formaliter analogia, ergo est prima ratio analogiæ. Maior declaratur. certum est, quòd quandocumque aliquod est aliqua ratio formalis, ratio illa primò, et per se reperitur in illo, quia neque est extra illud etiam metaphisicè consideratum, alioquin idem esset extra seipsum; sic rationalitas non est extra differentiam constitutiuam hominis, quia ipsa est ratio formalis rationalitatis, et inductio fieri potest per cœtera omnia. Minor probatur, proportio plurium inter se non dicit formaliter vniuocationem, neque æquiuocationem, et dicit formaliter aliquam similitudinem, ergo ista similitudo non potest esse aliud formaliter, nisi analogia. Confir. Quia certum est, quòd in proportione interuenit aliqua analogia, ergo ipsamet proportio est formalis ratio analogiæ. conseq. declaratur, quia si non esset formalis ratio analogiæ, sed talis analogia, deberet in se habere aliquam rationem superiorem, in qua saluaretur ratio analogiæ vt sic, non adest autem, quia proportio secundùm se tota est proportio; quare si ex vi proportionis formaliter sumptæ non habetur ratio nec analogia, nullo modo in ipsa proportione erit analogia.

Quomodo analogia sit quid medium inter vniuocationē, & æquiuocationē.

VI. Atque tali pactò saluatur, quomodo ratio analogiæ sit quid medium inter vniuocationem, & æquiuocationem; & quomodo dicat conceptum obiectiuum partim eundem, partim diuersum; est enim diuersus, quatenus dicit diuersas rationes obiectiuas, est idem, nempe secundùm proportionem, quia proportio, cum ex intrinseca sua ratione ponat aliquam similitudinem, dicit etiam aliquam vnitatem. Neque videtur, quid contra hanc explicationem obijci possit, quod sit alicuius momenti nam, & conceptus obiectiuus correspondet significationi nominis, quod importat proportionem; & omnes concedunt, quòd in proportione reperiatur analogia. Quòd verò sit prima ratio analogiæ, sequitur ex eo, quòd est formaliter analogia, vt dictum est. Solùm videtur hinc sequi, quòd analoga, quæ vocant attributionis, non sint vera analoga, sed hoc libenter concedimus, nam infra ostendemus, non esse propriè analoga, quæ extrinseca denominatione sunt talia.

An Analoga habeant vnum conceptum communem obiectiuum præcisum. Disp. XXXI.

Auctorum placita.

SECTIO I.

Punctus difficultatis.

I. ANtequam referamus Auctorum sententias, titulus quæst. declarandus est, & punctus difficultatis aperiendus. cum igitur inquirimus, an possint analoga habere vnum conceptum obiectiuum communem præcisum; sensus est, an ratione illius conuenientiæ, quam habent ex vi proportionis, possit concipi aliqua ratio obiectiua, quæ in se non inuoluat differentias inferiorum analogorum, sed in se habeat quamdam communitatem, quæ omnibus analogis communis sit. Verùm quia analoga debent necessariò ab vniuocis distingui, vt ratio ista distingueretur, deberet inæqualiter descendere ad inferiora, & secundũ maiorem perfectionem ad vnum, quàm ad alterum: Quæritur ergo in præsenti, an possit dari huiusmodi ratio; quæ sit vna, & præcisa, & inæqualiter descendat, quia si inæqualiter descendit, erit necessariò Analoga.

Prima sententia affirmatiua.

II. Prima igitur sententia concedit, posse analoga habere huiusmodi conceptum communem præcisum ab inferioribus, & inæqualiter descendentem, Ita tenent Capreol. in 1. dist. 2. q. 1. Soncin. 4. Metaph. q. 4. in resp. ad 2. Iauel. q. 1. Soto in Log. in Anteprædicam. cap. 4 q. 1. Suarez in Metaph, Disp. 2. sect. 2. & Disp. 28. sect. 3. num. 18. & Disp. 32. sect. 2. num. 1. Hurtad. in logica Disp. 9 sect. 5. Auersa in logica q. 15. sect. 3. Serna in Logica disp. 3. sect. 1. quæst. 1. art. 5. & fauent huic sententiæ ij omnes, qui putant, ens esse analogum, & habere tamen conceptum præcisum ab inferioribus, quos supra retulimus suo loco. Hoc sententia præter fundamenta, quibus innititur sententia asserens, ens esse analogum, & habere vnum conceptum ab inferioribus præcisum, nulla alia peculiaria habet. Potest tamen fundari vniuersaliter, quia posita ratione aliqua communi, quæ tamen non æqualiter descendat ad inferiora, non ponitur aliquod vniuocum, nec aliqua implicantia apparet, quòd cum hac vnitate rationis obiectiuæ stet inæqualitas participationis. Deinde addi potest aliud fundamentum, quod indicat Hurtad. loco cit. Quando concipiuntur analoga inferiora conceptu confuso, qui repræsentet conuenientiam ipsorum; vel concipiuntur secundùm rationem aliquam communem, vel secundùm rationes particulares si concipiuntur secundùm rationem communem, ergo iam habent vnum aliquem conceptum obiectiuum sibi communem. Si verò concipiuntur secundùm rationes particulares, ergo non concipiuntur secundùm rationem conuenientiæ. Quod etiam conf. quando plura concipiuntur, vt plura, secundùm rationes quidditatiuas, concipiuntur cognitione æquiuoca, hoc est repræsentante obiecta æquiuoca, ergo vt concipiantur analoga, vt analoga, debent concipi secundum aliquam rationem communem, & vnam. Rursus vel analoga; quando concipiuntur, sunt plura simpliciter, vel aliquo pacto vnum; si primum, non cognoscuntur vt analoga, sed vt merè æquiuoca, quia analoga sunt aliquo pacto vnum: si secundum, ergo habent aliquam rationem obiectiuam vnitatis: tunc ergo poterit hæc ratio præscindi, & se sola concipi, & hoc pacto habebunt aliquem conceptum vnum, & comunem.

Fundamẽta huius sententiæ.

Capr. Soncin. Iauel. Soto. Suarez Hurtad. Auersa. Serna.

Altera sententia opposita.

III. Verùm his non obstantibus, secunda sententia negat, analoga posse habere conceptum, qui sit communis, & præcisus ab inferioribus, sed aiunt, statim ac aliquis conceptus est ab inferioribus præcisus, vt communis ipsis, esse vniuocum. Hanc sententiam sequuntur. Caiet. opusc. de Nominum analogia cap. 5. Zimara in Tab. verbo *Analogia*. Fonf 4. Metaph. cap. 2. q. 2. sect. 4. & 8. Vasquez. 1. par. Disp. 114. cap. 2. num. 6. & alij; cui

Caiet. Zimara Fonseca Vasq.

etiam sententiæ suffragantur ij omnes, qui putant, ens esse analogum, sed non habere conceptum vnum obiectiuum, quòd præcipuè tradit Nyphus 1. Metaph. Disp. 2. cap. 4. Soncin. 4. Metaph. quæst. 4. ad 1. Atque hæc sententia valdè confert ad explicandam analogiam, & eam distinguendam ab vnivocatione.

Niphus. Soncin.

Analoga non habere vnum conceptum communem præcisum.

SECTIO. II.

Analoga non habent cõceptum communem præcisum.

I. POnimus nostram conclusionem cum secunda sententia, & statuimus, quòd analoga non habeant vnum conceptum obiectiuum communem, & ab ipsis inferioribus præcisum. Atque hoc potest declarari ex natura analogiæ. Neque enim potest dari huiusmodi conceptus, nisi in ipso includatur ratio formalis analogiæ, quomodo enim conceptus ille erit analogus, nisi includat rationem analogiæ? si autem ponitur vnus, non potest illam includere, nam analogia dicit proportionem, & proportio non est ad seipsum, sed ad aliud; vnde cùm ratio, quæ in se est vna, non possit dicere multiplicitatem, ideò nec etiam dicet proportionem, ablata autem proportione non remanet amplius analogia. Quòd etiam potest confirmari. Analoga inferiora in tantum dicunt proportionem adinuicem, in quantum dicunt diuersas rationes, quæ habeant inter se aliquam similitudinem proportionis, non verò vnitatis, ita vt proportio saluetur in pluralitate ipsorum, ergo si ponitur vna ratio communis, ista non potest ampliùs includere proportionem, & consequenter nec analogiam.

Præcluditur effugium.

II. Posset tamen aliquis respondere, quòd illa ratio non est perfectè vna, sed implicitè inuoluit inferiora, vnde etiam implicitè, & veluti in actu signato inuoluit proportionem, quæ fit postea explicitè, & in actu exercito, quando hæc ratio imbibitur in inferioribus. Sed hæc responsio nihil proficit; nam nunc sumo argumentum oppositæ sententiæ. Vel quando concipitur hæc ratio imperfectè vna, concipiuntur inferiora secundùm quòd plura sunt, vel secundùm quòd sunt vnum. Si primum, ergo cum non possint esse plura, nisi prout dicunt diuersas rationes, iam non concipiuntur secundùm vnum aliquem conceptum communem, & præcisum; est enim implicantia, quòd concipiantur secundùm rationem pluralitatis, & quòd dicat talis cõceptus vnam rationem obiectiuam. Si verò secundum, ergo non concipiuntur secundùm quod analoga sunt, quia sunt analoga, quatenus sunt plura dicentia inter se proportionem, in vnitate autem non potest esse proportio. Confirmatur: analogia est formaliter proportio formalis, sed in ratione, quæ est vna secundùm esse obiectiuum, non est proportio formalis, imo nulla, quia proportio essentialiter est ad alterum, ergo nulla erit proportio. Secundò confirmatur; idem semper est formale constitutiuum eiusdem rei, ergo si analogia, prout est in analogatis, dicit proportionem, qua vnum ordinetur ad aliud, etiam secundùm esse obiectiuum debet dicere. Tertia etiam confirmatio addi potest deficiente ratione formali constitutiua, deficit omnino etiam constitutiuum; modo si in hoc conceptu obiectiuo communi analogo deficit formalis proportio, etiam omnino deficiet constitutum, nempe analogia, quæ constituitur per proportionem formalem, ex quo sequitur hoc absurdum, quòd ratio abstracta, vt est abstracta, non dicat intrinsecè analogiam, vt verò est in inferioribus dicat, & illa constituat in esse analogo.

In vnitate nõ reperitur proportio.

III. Deinde quòd dicitur in eadem responsione, quòd huiusmodi ratio communis non est perfectè vna, hoc numquam intelligere potui. Quæro enim, an secundùm suum esse intrinsecum, dicat vnam tantùm rationem formalem, vel plures: si primum, quomodo nõ est perfectè vna, cum non sit aliquid per quòd tollatur vnitas? Si secundum, quomodo est aliquo pacto vna: quòd enim dicitur, dicere plures rationes implicitè, nihil prodest, nam stante hac implicita conuenientia, vel habent hæ rationes suam multiplicitatem, vel non: si habent, ergo non obstante implicitate adest propria pluralitas: si verò non habent, ergo non tollitur perfecta vnitas, cum

Non datur imperfecta vnitas. altera impugnatio

non

non ſit aliquod, per quod tollatur. Præterea inſto; vnitas non poteſt tolli niſi per multiplicitatem, & hæc ex natura ſua perfectè tollit vnitatem, ex quo fit, quòd vnitas, & multiplicitas conſiſtant in indiuiſibili, vnde ſi altera ab altera tollitur, adequatè etiam tollitur, ergo non poteſt dari aliquid, quòd non ſit perfectè vnum; aut perfectè multiplex, ſi enim excludit omnem pluralitatem, erit perfectè vnum, quia includet adæquatam rationem vnitatis, ſi verò dicit aliquo modo pluralitatem, erit perfectè multiplex, quia includet totam rationem multiplicitatis, cum ratio multiplicitatis conſiſtat in indiuiſibili. Quòd etiam confirmari poteſt ex indiuiſione, & vnitate phyſica; nam metaphyſica ad modum phyſicæ concipitur; & vtraque conſtituitur per eamdem rationem formalem in ſuo eſſe, & ſolùm differunt, quòd vna eſt in phyſica entitate, altera in metaphyſica formalitate. Non poteſt autē haberi vnitas entitatis phyſicæ, niſi ſit perfecta vnitas, nec pluralitas, niſi ſit perfecta diſtinctio, quia vnitas conſiſtit in identitate entitatis, pluralitas verò in diuerſitate entitatis, ergo neque etiam poteſt haberi vnitas metaphyſica, niſi ſit identitas formalitatis, & tunc erit perfecta vnitas, nec poteſt haberi pluralitas, niſi habeatur diuerſitas rationum formalium; hæc autem facit perfectam pluralitatem; debet enim eſſe formalis diuerſitas, ſicuti & formaliter debet identitas interuenire.

IV. Secunda ratio, deſumitur ex ratione vnitatis, quam deberet habere huiusmodi conceptus, ſi eſſet vnus, & præciſus; neque enim poteſt eſſe vnus, niſi habeat rationem vnitatis ſibi congruentem in tali genere, quia vnumquodque, quòd eſt vnum in aliquo genere, habet rationem formalem vnitatis in tali genere; ſic quòd eſt vnum in genere phyſico, habet rationem vnitatis phyſicam, quæ debet conſtituere vnum eſſe phyſicum, ita vt ſi ſit vnum vnitate entitatis, debeat habere vnam ſimplicem entitatem phyſicam, & conſequenter quòd eſt vnum metaphyſicum, debet habere rationem formalem conſtitutiuam vnitatis metaphyſicæ, & dicere vnam ſimplicem formalitatem. Quo ſtante,

Quòd eſt vnum, habet rationem vnitatis ſibi cōgruentem Et cum vnitate non ſtat anologia

ſequitur, quòd non poſſit eſſe capax alicuius analogiæ, quia eo ipſo, quòd eſt vna ſimplex formalitas, & communis in ſeipſa, non poteſt includere aliquam diuerſitatem, aut diſſimilitudinem, per quam conſtituatur analogia, nam diſſimilitudo in rationibus formalibus metaphyſicis non poteſt haberi, niſi per conſtitutiua diſſimilitudinis, quę ſunt in abſtractione metaphyſica; ſi autem ponitur vna ſimplex formalitas, non poteſt haberi aliqua diſſimilitudo ſecundùm eſſe metaphyſicum, quia diſſimilitudo eſt inter plures formalitates; Quare illa ratio ſic abſtracta erit vniuoca, cum ſit perfectè vna, & careat omni diſſimilitudine.

V. Tertiò argumentor, omnis ratio metaphyſica conſiſtit in indiuiſibili, ſi eſt vna, nec poteſt tolli indiuiſibilitas, niſi ponatur multiplicitas rationum formalium, ergo omnis ratio, quæ eſt vna metaphyſicè, eſt vniuoca, & implicat, quòd æqualiter deſcendat ſecundùm maiorem, vel minorem perfectionem. Hæc ratio efficaciſſima eſt, & euidenter concludit noſtram conclusionem; vnde ſingulæ partes ſunt declarandæ: & quòd ſpectat ad antecedens communiter recipitur, & ſequitur ex illo, quòd eſſentiæ rerum ſunt ſicut numeri, ita vt conſiſtant in indiuiſibili, & per quamlibet variationem etiam ipſæ eſſentialiter varientur, quod deſumitur ex Ariſt. 8. Metaph. tex. 10. & poteſt etiam oſtendi; Nam quælibet vnitas ſimplicitatis nedum dicit indiuiſionem, ſed etiam indiuiſibilitatem in eo genere, in quo eſt; vnde ſimplicitas ſecundùm entitatem phyſicam dicit, quòd illa non poſſit diuidi in plures entitates; & in genere metaphyſico dicet indiuiſibilitatem metaphyſico modo, atque adeo illa ratio conſiſtet in indiuiſibili, alioquin deberet poſſe diuidi in plura, & diuiſio deberet fieri ſecundùm rationes metaphyſicas; ſi autem poſſet diuidi, iam non eſſet vna ſimplex ratio, ſed multiplex. conſeq. etiam prob. quia vbi eſt ſimplicitas, ſi ratio deſcendit ad inferiora, debet modo indiuiſibili, & ſecundùm ſe totam deſcendere ad omnia, quia non poteſt aliquid relinquere, ſecundùm quòd non deſcendat, alioquin eſſet diuiſibilis, ſi autem

Rationes metaphyſicæ conſiſtunt in indiuiſibili.

ſecundùm ſe totam ad omnia deſcendit, iam deſcendit æqualiter, nec perfectiori modo eſt in vno, quàm in alio.

Quid requiratur vt aliquid ad inferiora inæqualiter deſcendat.

VI. Confirmatur ratio facta. Non poteſt ratio communis quantùm eſt de ſe inæqualiter deſcendere, niſi aliquid ex ſe dicat in vno, quòd nõ dicat in altero, alioquin ſi æqualiter, quòd in vno dicit, etiam in altero dicit, æqualiter deſcendet, ſed hoc non poteſt ſtare cum indiuiſibilitate, nam ſi ratio communis deſcendit, vt indiuiſibilis, quomodo poteſt habere ex ſe aliquam perfectionem in vno inferiorum, quam non habeat in altero? nam ſi aliquid amplius dicit in vno ex ſe quàm dicat in alio, debet in eo, in quo modo minus perfecto reperitur, eſſe diminuta, quòd tamen repugnat naturæ indiuiſibili.

Ratio cõmunem inæqualiter deſcendere, non ſtat cum eiusdem indiuiſibilitate.

Præterea ſi ratio communis eſt perfectior in vno, quàm in alio, debet diſtingui ſecundùm ſe, prout eſt in vno à ſeipſa, prout eſt in alio ratione maioris illius perfectionis; omnis autem diſtinctio, quæ fit ſecundùm rationes formales, eſt eſſentialis, & ponit diuerſitatem, vnde non erit vna, & eadem ratio communis in omnibus, ſed erunt rationes diuerſæ, & conſequenter cum analoga debeant inæqualiter participare rationem communem, ſe quitur, quòd non poſſint habere conceptum communem obiectiuum. Rurſus ſi haberent rationem communem obiectiuam, & eſſet indiuiſibilis, deberet ſecundùm quòd communis eſt, & indiuiſibilis, poſſe comparari ad inferiora ſingula; ſi autem comparatur tali pacto, etiam tali pacto poterit deſcendere, atque adeo æqualiter. Accedit, quòd ſi deſcenderet inæqualiter, etiã inferiora deberent habere aliquid, ratione cuius exigerent illam inæqualitatem participationis, & ipſa ratio communis exigeret inæqualiter deſcendere, quia cum ſe habeant vt contrahibile, & contractiuum, & relatiuo modo, quòd conuenit vni in ordine ad aliud, debet ſeruata proportione etiam alteri conuenire, at ratio communis, ſi eſt vna, non poteſt exigere deſcendere perfectiori modo ad vnum, quàm ad aliud, ſed quicquid exigit reſpectu vnius, exiget & reſpectu alterius, præſertim cum de ſe ſit indifferens reſpectu omnium.

Poſita ratione communi præſcindente ab inferioribus, ſimul ponuntur, quæ neceſſaria ſunt ad vniuocationem.

VII. Vltimò argumentari poſſumus, vniuocum eſt illud, quòd ſecundùm idem nomen, & ſecundùm eandem rationem reperitur in pluribus, definiuntur enim vniuoca, vt dictum eſt, in Antepradicamentis, *Vniuoca ſunt illa, quorum nomen eſt commune, & ſecundùm illud nomen ratio ſubſtantiæ eſt eadem*, ita vt participetur ſecundùm eandem rationem à ſuis inferioribus, atque ſingula repræſentet ſine ordine, ſeu ſine attributione vnius ad aliud, quatenus in ipſis ratio vniuoca ſeruatur, ſi autem ponitur vnica ratio communis præſcindens ab inferioribus, ſtatim ponuntur hæc omnia, quæ requiruntur ad vniuocationem, ergo implicat, quòd analoga habeant hunc conceptum obiectiuum communem, & præciſum. Minor per ſingulas partes declaratur. Nam quæ habent eundem conceptum cõmunem obiectiuum, habent idem nomen, & eandem rationem ſubſtantiæ, ſiquidem ſi conceptus eſt vnus, & communis, debet poſſe eſſe idem in pluribus: Rurſus non poteſt eſſe vnus communis, niſi ſecundùm eandem rationem à pluribus participetur, ita vt in omnibus ſeruetur eadem ratio; quia hoc eſt de ratione conceptus comunis, vt ſecundùm ſe in pluribus poſſit eſſe; quòd ſi non poteſt eſſe ſecundùm propriam rationem, nec etiam ſecundùm ipſam poteſt eſſe communis. Denique ſi conceptus poteſt eſſe vnus in multis, ſeu communis, etiam erit in multis ſine aliqua dependentia, quæ ex ſe proueniat, aut ſine aliquo ordine; nam vbi eſt vnitas ſecundùm rationem formalem, non poteſt, ſecundùm eandem eſſe dependentia, quia dependentia eſt inter diuerſa: Rurſus ſi ratio communis, prout eſt in vno dicit dependentiam ex ſe, aut ordinem poſterioritatis, dicet etiam prout eſt in alio, quia quando conceptus cõmunis eſt vnus in multis, quòd dicit in vno, dicit etiam in alio; & ſi aliquid ex ſe diceret in vno, quòd non diceret in alio, iam non eſſet eadem in multis, nec eſſet vnus conceptus obiectiuus cõmunis, quia hoc eſt ſufficiens fundamentum ad diſtinguendas diuerſas rationes formales, quia in vna poteſt aliquid concipi; quòd non poteſt in alia.

VIII. Neque rationes oppoſitæ ſen-

Solutio rationū oppositum.

sententiæ sunt alicuius momenti: Nam quòd spectat ad principale fundamentum, iam ex dictis in prob. nostræ sententiæ corruit propter suammet incompossibilitatem; patet enim, impossibile esse, quòd aliquis conceptus communis sit vnus, & quòd descendat inæqualiter ad inferiora; aut cum aliquo ordine prioritas, & posterioritatis, sed ex vi suæ indiuisibilitatis statim habet, quòd æqualiter descendat. Ad cæteras autem rationes, quæ ibi afferuntur, vt cum inquiritur, an quando concipiuntur analoga, vt analoga, concipiantur rationes inferiores, an verò aliquid commune. Resp. non concipi aliquod commune, sed rationes particulares; non tamen concipiuntur æquiuoca, quia simul concipitur proportio, quam habent adinuicem; cum enim ista proportio intrinseca sit rationibus inferiorum, non possunt inferiora concipi, nisi etiam concipiatur proportio: neque concipitur aliqua ratio communis, quia concipiuntur plures rationes, quia non potest haberi proportio sine pluralitate, nec alia grauis difficultas vrget hanc nostram sententiam, nisi recurratur ad conceptum entis, qui cum præcisus sit, est analogus: sed nos ex præcisione deduximus; quòd sit vniuocus respectu substantiæ, & accidētis; de Deo autem etiā dictum fuit, quòd non est ens, sed aliquid supra ens.

Non dari analoga metaphysica inæqualitatis.

IX. Atque ex dictis concluditur, si metaphysicè loqui velimus, non dari Analoga inæqualitatis, in quibus reperiatur vna ratio communis, quæ per prius, & posterius participetur, seu cum inæqualitate perfectionis, sed veram rationem analogiæ, consistere in proportione duarum, aut plurium rationum, quām habent ad inuicem, vt Disp. præcedenti explicatum est; Cum autem veteres Auctores ponunt hanc analogiam inæqualitatis, intelligunt de rebus physicis, quæ in ratione generis conueniunt, & sunt diuersæ ratione differentiarum, & vna magis perfecta, quàm alia. Re vera tamen, si metaphysicè considerentur, vniuoca sunt, quia conueniunt in vnica ratione, seu conceptu obiectiuo, qui æqualiter ab omnibus participatur, vt etiam diximus cit. Disp. præcedenti Sect. 1. Vnde colligitur etiam, quomodo possit admitti illa distinctio analogiæ, & vniuocationis, in physicam, & metaphysicam, quam tradunt Scotistæ, & cuius etiam meminit. Soncin. 4. Metaph. q. 4. per vniuoca enim physica intelliguntur ea, quæ sunt sub eadem specie specialissima, quia hæc sola perfectè conueniunt in eadem natura physica, cœtera verò, quæ differunt essentialiter, sunt analoga physica, quia ratione differentiarum habent diuersitatem. Vniuoca verò metaphysica sunt illa, quæ dicunt vnum conceptum præcisum, & communem pluribus, Analoga verò, quæ habent aliquam proportionem secundùm aliquam rationem metaphysicam.

Soncin.

Quid vniuoca, quid analoga physica: quid item vniuoca: & quid analoga metaphysica.

De Analogia proportionis. Disput. XXXII.

Expeditur prima difficultas.

SECTIO I.

Definitio analogorum proportionis.

I. Analoga proportionis, quæ solùm verè sunt analoga iuxta mentem Arist. vt initio diximus, debent consequenter participare rationem propriam analogiæ, quam diximus, consistere in proportione diuersarum rationum, quam habent adinuicem. Horum autem definitio colligitur ex Arist. 1. Æth. cap. 6. & 2. Poster. Tex. 23. & 5. Metaph. tex. 12. & lib. 12. tex. 22. & traditur à Caiet. Tract. de nominum analogia cap. 3. videlicet. *Sunt illa, quorum nomen est commune, & ratio secundùm illud nomen est similis secundùm proportionem.* Circa quām definitionem aduertendum est, non esse veram definitionem, sed solùm quandam descriptionem, explicantem tamen naturam ipsorum; in hac enim definitione ponitur ipsum nomen, & ratio significata per nomen, nomen autem, & res significata per nomen non faciunt vnum per se, & ideo neque etiam constituunt aliquid definibile, propria definitione. Si tamen consideretur

Arist.

Caiet.

retur hæc analogia obiectiuè sumpta, tunc quidem suo modo, & iuxta subiectam materiam definiri potest.. Quòd videlicet sit *Proportio mutua aliquarum rationum*. Tunc enim *Proportio* stat loco generis; cœtera verò adduntur loco differentiæ, vt declaretur, quænam proportio sit.

Vera analogia coalescit ex nomine, & proportionibus quæ subsunt eidem nomini.

II. Verùm tamen est, quòd hæc proportio non est formaliter analogia, sed tantùm fundamentaliter, & ratio assignari potest, quia hæc analogia dicit quandam communitatem, quam cum non possit habere ex vi alicuius obiectiui conceptus, vt dictum est, debet aliquo alio modo obtinere, hoc autem fit mediante nomine, quatenus ipsi subest mutua illa proportio, vnde vera analogia formaliter sumpta coalescit ex nomine communi, & proportionibus, quæ subsunt nomini; nomen enim conducit ad concipienda analoga vnico conceptu, quatenus adinuicem proportionaliter se habent; si enim deficit nomen, proportiones nondum vniuntur inter se, & ideo analogia caret illo conceptu communi, quo accedit ad vniuocationem, & recedit ab æquiuocatione.

Analogia requirit extrema, quæ habeant esse diuersa.

III. Stante ergo hac ratione constitutiua analogiæ, sequitur, quòd analogia ex vi sui constitutiui nedum requirat extrema, sed etiam quòd illa extrema dissimilia sint quo ad esse, licèt proportionaliter se habeant, & ratio reddi potest ex natura proportionis, quæ inter ea, quæ similia sunt, secundùm quòd talia sunt, non potest reperiri, sed solùm inter dissimilia, quatenus habent aliquam commensurabilitatem, sic si palmus quantitatis compararetur ad alterum palmum, non diceretur habere proportionem ad ipsum, sed illi esse similem æqualiter; si verò compararetur ad quantitatem bipalmarem, poterit habere proportionem, si cœtera concurrrat. Sic igitur quando duo similia sunt in aliquo prædicato essentiali, tunc non possunt ratione illius prædicati habere proportionem, quia non sunt dissimilia, sed sunt vnum. Ex his ergo patet, quid sit formaliter analogia proportionis, & per quid constituatur, & quomodo ab vniuocis, & æquiuocis distinguatur. Rursus etiam constat, quomodo analoga, & secundùm eandem rationem conueniant, & simul differant: differunt enim, quia fundantur in diuersis rationibus, quarum vnaquæque est ratio, cur suum analogatum ab alio differat, vt constat in vultu hominis ridente, & floriditate prati, tam enim risus, quàm floriditas inter se differunt: conueniunt etiam per eandem rationem, quatenus per illam habent proportionem ad inuicem, sic pratum habet proportionem ad hominem ridentem ratione floriditatis.

Quomodo analoga secundùm eandem rationē conueniant, & differant.

Analogia secundùm res & secundùm proportiones, an sit duplex.

IV. Explicata igitur natura huius analogiæ diligentius nunc examinanda est illa diuisio, quam supra Disp. 29. sect. 2. tradidimus, qua hæc analogia diuiditur in eam, quæ est proportionis, seu in eam, quæ est secundùm res, quatenus sunt proportionatę ad inuicem, & in eā, quæ est secundùm proportiones, & difficultas est, an sint duæ species analogiæ an vnica, quæ sit secundùm proportiones rerum. Et quidem multi ex ijs, qui admittunt conceptū communem obiectiuum analogorum inæqualiter participatum, consequenter distingunt duplicem analogiam proportionis, aliam secundùm res, & aliam secundùm proportiones, & asserunt, quòd analogia proportionis secundùm res sit illa, in qua aliqua ratio communis à pluribus participetur inæqualiter; analogia verò proportionalitatis sit, quando duæ proportiones comparantur adinuicem.

Sententia affirmatiua.

Solam analogia secundùm proportiones esse verā analogiā Arist.

V. Nihilominus vera sententia est, non dari has duas huiusmodi species analogiæ, sed esse vnicam tantùm, nempe illam, quæ est secundùm proportiones. Hæc est sententia Arist. qui, vt vidimus Disp. 29. Sect. 2. vbicumque agit de analogia, illam explicat secundùm proportiones, non secundùm res, vt 1. Eth. cap. 6. & 5. Metaph. tex. 12. & alibi. Caiet. etiam Opus de nomi num analogia cap. 3. non aliam analogiam proportionis ponit, nisi hanc, cui opinioni etiam subscribit Suar. in Metaph. Disp. 28. sect. 3. num. 10. & 11. quamuis postea ponat analogiam attributionis, in qua omnia analogata participent rationem communem. Atq; potest hæc sentētia efficaciter probari, nam hæc analogia per se fundatur in rebus, non quomodocumque consideratis, sed quatenus habent proportionē adinuicē, vnde consistit in ipsarum pro-

Caiet.

Suar. ea.

Non potest dari analogia quæ non sit secundùm proportiones.

portione, qua præcisa tollitur omnis analogia, ergo analogia est solùm secundùm proportiones, non secundùm res ipsas. Conseq; ista declaratur, quia quando res ipsæ habent aliquid, quo mediante adinuicem proportionantur, hoc ita se habet respectu ipsarum, vt possit conferri eadem proportione cum ipsis, & ratio illa, per quam res inuicem proportionantur, ita se habet respectu subiecti, in quo est, sicuti se habet alia ratio in alio subiecto, cum quo interuenit proportio, nec aliter potest proportio contingere, ergo si analogia hæc requirit proportionem, non potest dari aliqua analogia proportionis, quæ sit secundùm res ipsas, & non secundùm proportiones rerum.

VI. Confirmatur totum hoc fundamentum. Proportio rerum adinuicem, in qua fundatur analogia, est mutua, & consistit in eo, quòd se respiciant secundū illam rationē proportionis, qua proportionaliter se habent, sed non possunt proportionaliter se habere, nisi quatenus, quod præstat vnum respectu alicuius, præstet etiam alterum proportionali modo, sic oculus, & mens non dicunt proportionem ad inuicem, nisi quatenus consideratur, quòd oculus est illud, quo corpus cognoscit, mens verò est illud, quo anima cognoscit; vnde proportio consistit in cognitione, qua vtrumque facit suum subiectum cognoscere, ergo analogia fundatur in proportione proportionum, seu dicit ipsas proportiones, vt fundamentum, non verò res ipsas.

Analogia fundatur in proportionibus

VII. Alio etiam modo potest hæc sententia fundari. Hæc analogia proportionis requirit diuersa extrema, quæ sint vnum proportione. Rursus hæc etiam extrema debent dicere rationes diuersas, non similes, vt supra dictum est. Modo, vel ista extrema comparantur adinuicem, prout dissimilia sunt, & diuersa, vel prout vnum exercet proportionaliter, quòd exercet alterum, seu quòd idem est, prout dicit rationem proportionis: Si primū; non possunt constituere aliquam analogiam; quia dissimilia, quatenus dissimilia sunt, non se habent analogicè, sed merè æquiuocè, quia ratio substantiæ est omnino diuersa; si secūdum, tunc ratio analogiæ, quæ fundatur in similitudine ipsorum, fundatur in propor-

Extrema fundant analogiam prout se proportionaliter exercent.

tionibus, atq; adeo non potest dari analogia, quę non sit secundùm proportiones. Quòd etiam confirmatur; posita quaeunq; proportione, quæ sufficiens sit ad constituendam analogiam, potest talis proportio explicari per quatuor terminos; ergo est proportio proportionum, & fundat analogiam secundùm proportiones rerum, non secundùm res. Conseq. est euidens, quia illa est proportio secundùm proportiones, quæ per quatuor terminos explicatur. Anteced. prob. quia proportio analogiæ debet esse inter duas rationes diuersas, hæ autem rationes possint vtraque conferri cum suo subiecto, hinc autem fiunt duæ comparationes inter quatuor terminos. Vnde, si quis obijceret, quòd possunt duo habere proportionem adinuicem, & ideò dari analogia, quæ fundetur tantùm in duobus terminis; nihil obest, quia tunc analogia fundabitur in illis duobus terminis, prout dicunt proportionem ad inuicē, at hæc proportio non potest intelligi, cum sit secundùm diuersas rationes, nisi quia vna ratio proportionali modo, vt dictum est, præstat proprio subiecto, quòd alia præstat alteri; tunc autem interueniunt quatuor termini, & vnaquæq; ratio potest comparari ad subiectum proprium proportionali modo; vnde proportio, quam habent ad inuicem, in eo consistit, quòd vna proportionali modo se habent ad suum subiectum, sicuti altera ad suum.

VIII. Ex dictis autem colligitur, non posse esse analogiam inter vniuoca, aut inter ea, quæ intrinsecè participant conceptum eundem obiectiuum defectu terminorum, quia non sunt quatuor termini; nam si considerentur prout dicunt illum conceptum obiectiuum; cum iam conceptus obiectiuus sit quid commune omnibus, habet rationem vnius tantùm termini, & si participetur à duobus, deficit vnus terminus, nec potest fieri comparatio secundùm proportiones. Quare hic obiter aduertimus, quòd si Deus esset ens, & non aliquid eminentius ente, sed idem prędicatū entis diceretur de Deo, & creaturis, non posset interuenire hæc analogia proportionis, quia tūc deesset cōparatio defectu proportionum, nam essent tantùm tres termini, nēpe Deus, & creatura, & ratio entis, quę ad Deum,

Analogia non potest esse inter quæ habent eūdem cōceptum obiectiuum.

&

& creaturam compararetur.

Quę nam proportio constituat analogia.

IX. Colligitur secundò. Non quamlibet proportionem statim constituere analogiam, sed illam tantùm, quæ facit, quòd diuersi termini, seu proportiones subsint eidem nomini, quatenus dicit aliquid, quòd in pluribus extremis cum proportione reperitur; diximus enim; quòd proportio, seu conuenientia secundùm proportiones est fundamentum huius analogiæ; completur verò, & vltimò constituitur per nomen, quatenus dicit id, quòd significat, à pluribus non æqualiter participari, sed tantùm cum proportione; vnde adsunt plures conuenientiæ secundùm proportiones, quæ tamem non constituunt analogiam defectu nominis communis. Sic etiam cum dicitur, ita se habet hilaritas vultus ad hominem, sicuti floriditas ad pratum, licèt habeatur habitudo proportionum, non dum habetur analogia defectu nominis communis, sed debet addi in ratione risus.

Analoga conuenit ebus pro vt subsūt nostræ cōceptioni, & quomodo.

X. Colligitur tertiò Analogiam formaliter non conuenire rebus secundùm se consideratis, & prout præcisè sunt à parte rei, sed tantùm prout subsunt nostræ conceptioni; non quidē quasi per nostram conceptionem acquirant esse analogum, vt analogia sit ens rationis, est enim analogia quid reale, sed quia illa proportio, quæ est in rebus, & quàm habent ex intrinseca sua ratione, non est completa, nisi quatenus sub vna communitate nominis concipitur; cum autem nomen non habeat ordinem immediatè ad res, nam illas significat mediante nostra conceptione, atque analoga non sint complete talia, nisi mediante communitate nominis: hinc fit, quòd solùm mediante nostra conceptione habeatur perfecta ratio analogiæ, quia solùm mediante nostra conceptione proportiones illæ subduntur vni communitati nominis.

Quomodo inter accidēs, & substātiā possit admitti analogia

XI. Quartò colligitur, quomodo possit admitti, substantiam, & accidens analogicè se habere secundùm rationē entis: non enim verum est, si intelligatur, quòd analogia sit secundùm rationem entis communissimā, quia, vt dictum est suo loco, hæc æqualiter participatur; sed verùm est, si intelligatur de differentijs, seu modis constitutinis ipsius, quibus contrahitur ad esse substantiæ, & ad esse accidentis. Analogia autem, & proportio in hoc consistit, quòd vtraque ratio, seu modus essendi facit ens esse tale ens; & sicut modus contractiuus entis ad substantiam facit, quòd ens sit per se; ita modus contractiuus accidentis facit, quòd sit quid inexistens, vnde analogia non est secundùm rationem entis sed secundùm modos essendi, vt etiam supra suo loco explicatum est, vnde hęc analogia non obest vniuocationi entis secundùm suam rationem abstractissimam. Neque tamen hæc est analogia propriè sumpta, quia analogia propriè sumpta requirit metaphoram in vno extremorum, vt sect. seq. dicem. sed est potius quædam comparatio diuersarum rationum ad diuersa subiecta, posset tamen interuenire analogia, si esse proprium accidentis consideretur vt quoddam esse metaphoricum substantiæ quatenus quòd non est per se, non dicitur propriè esse.

Resoluitur alia difficultas.

SECTIO II.

Caiet.

Duplex analogia alia cum metaphora, alia sine metaphora vtrimą; sētentia

I. Altera difficultas est, an in hac analogia ratio illa, secundùm quàm contingit proportio, possit esse in singulis extremis propriè, an verò requiratur, quòd sit tantùm in vno propriè, in alijs verò metaphoricè. Caiet. enim de nominum Analogia cap. 3. distinguit duplicem analogiam, alteram, in qua ratio importata per nomen reperitur in vno analogorum propriè, in alijs verò per metaphorā, vt risus, qui propriè reperitur in homine, metaphoricè in prato: aliam verò, in qua ratio importata, per nomen reperitur propriè, & sine aliqua metaphora in singulis analogatis, vt principium, quòd dicitur de corde respectu animalis, & de fundamento domus: Atq; hanc sententiam sequuntur complures Recentiores, & præcipuè Auersa in log. quæst. 15. Sect. 3. §. *Aliqui verò.* Quia ita se habet gubernatur ad nauim, sicuti se habet Rex ad Ciuitatem, & tamen ratio gubernatoris propriè dicitur de vtroque,

& ratio analogiæ ſundatur in ipſis. Præterea ens eſt analogum proportionis reſpectu ſuorum inferiorum, & tamen vnumquodque ipſorum propriè eſt ens, non metaphoricè. Denique quia optimè ſaluatur analogia ſine Metaphora, ſi ratio importata per nomen cum proportione in pluribus reperiatur.

Suarez.

II. Econtra verò Suarez in Metaph. Diſp. 28. ſect. 3. num. 11. cenſet, non poſſe ſaluari analogiam proportionis ſine Metaphora, ſed debere ſemper rationem importatam per nomen eſſe in vno analogatorum propriè, in cæteris verò Metaphoricè, ita vt vnum ſit abſolutè tale, alterum verò, prout ſubſtat proportioni, quam habet ad aliud. Vt autem, quid ſit dicendum, aperiamus. Eſt aduertendum, quòd aliud eſt loqui de nomine, & eius impoſitione, & aliud eſt de ratione importata per nomen; fieri enim poteſt, quòd ex impoſitione debeat nomen ſignificare plura propriè, & non ex aliqua metaphora, vt poteſt contingere in aliquibus analogis, tunc autem nomen dicetur propriè de pluribus analogatorum. Verùm hoc non facit ad noſtrum propoſitum, difficultas enim procedit de ratione importata per nomen.

Nulla analogia ſine metaphora; altera ſententia.

III. Dicendum eſt, quòd poteſt tantùm eſſe propriè in vno analogatorum, in alio verò tantùm Metaphoricè, & per quandam proportionem. Atque hoc oſtenditur. Quia, ſi res ſignificata, quæ eſt propriè in vno, eſſet etiam propriè in alio, eſſet vna, & eadem ratio in omnibus analogatis, tunc autem poſſet abſtrahi ab ipſis conceptus communis præciſus, & vnus, nempe illa ratio, quod eſt contra rationem analogiæ, quæ non poteſt dicere vnum conceptum, alioquin eſſet vniuocus, vt ſupra probatum eſt. Quòd autem diceret vnum conceptum præciſum patet, quia quod ſignificatur per nomen, & eſt in vno analogatorum propriè, non poteſt eſſe propriè in alio, niſi ſit in illo ſecundùm ſuam rationem formalem, ſi autem eſſet in illo ſecundùm ſuam rationem formalem, iam ea ratio formalis poterit ab vtroque præſcindi, & cum omnis ratio formalis conſiſtat in indiuiſibili, erit vniuoca, & æqualiter deſcendet.

3. ſent. et vera oſtenditur.

Analogia ſine metaphora impo[illegible] vn. concept. præciſ.

IV. Secundò argumentor. Analogia proportionis fundatur in proportione duorum adinuicem, ergo non poteſt, quod dicit in vno propriè, dicere propriè in alio, ſed poterit dicere tantùm Metaphoricè. Antecedens eſt certum; conſeq. verò declaratur, quia ſi quod eſt in vno propriè, & importatur per nomen, eſſet etiam in alio propriè, non eſſet in illo ſecundùm proportionem, quia proportio excludit proprietatem: rurſus adeſſet inter ipſa aliqua conuenientia ſecundùm illam rationem formalem, quæ importatur per nomen, vbi autem eſt conuenientia in eadem ratione formali, non eſt proportio, ſed vnitas eiuſdem prædicati, proportio enim dicit quidem aliquam conuenientiam, non tamen in eadem ratione formali. Atque hinc elici poteſt Confir. Ad analogiam proportionis requiruntur quatuor termini, ſed ſi ratio eadem importata per nomen eſſet propriè in duobus analogatis, non adeſſent quatuor termini, ergo non poteſt eſſe propriè in vtroque analogato, ſed in vno erit propriè, in alio ſecundùm proportionem. Hinc etiam definiuntur. *Quorum nomen eſt vnum, & ratio importata per illud nomen eſt eadem ſecundùm proportionem*, quòd ſi eſt eadem ſecundùm proportionem, quomodo eſt propriè in vtroque? eſſet enim eadem ſecundùm proprietatem, atque adeo ſecundùm formalitatem, non autem proportionaliter. Maior huius Conſ. non indiget probatione, quia de hoc dictum eſt ſupra; nihilominus poteſt adhuc declarari, nam hæc analogia fundatur in proportionibus, quia non eſt ſecundùm res ſimpliciter, ſed ſecundùm proportiones ipſarum, vnde requirit duplicem terminum, ad quem ſint proportiones iſtæ. Rurſus requirit etiam alios duos terminos, qui comparentur ad hos alios duos. Vnde ſi quis diceret ita ſe habet animal ad leonem, ſicuti ſe habet ad hominem, non haberentur proportiones, quia non proportionaliter ſe habet, ſed eodem omnino modo, quia animal non conſtituit duplicem terminum, ſed vnum tantùm; requiruntur ergo, vt ponantur proportiones, quatuor termini, quorum duo proportionaliter ſe habeant ad alios duos, ita vt bini ſe habeant inter ſe, ſicuti alij bini ſe habent ſeruata tamen proportione. Minor

Analogia ſine metaphora ponit vnitatem, non proportionem.

Analogia requirit quatuor terminos.

verò

verò, quòd si ratio importata per nomen, quæ propriè est in vno, sit etiam propriè in alio, sequatur, quòd sint tantùm tres termini, ostenditur; nam ex vna parte adsunt tantùm illi duo termini, in quibus reperitur talis ratio, ex alia verò adest tantùm ratio importata per nomen, quæro ergo; an sit vna, vel multiplex secundùm se considerata, si est vna, ergo sunt tantùm tres termini; si autem est multiplex, ergo cum sint diuersæ rationes, non potest dici, quòd ratio; quæ est in vno propriè, sit etiam propriè in alio, sed alia ratio erit in ipso.

Nomen significans propriè in vno, quod significat propriè in alio, importat eamdem rationem communem.

V. Atque tandem hinc possumus vlterius arguere. Hæc analogia proportionalitatis fundatur in diuersis analogatis, quatenus dicunt diuersas rationes similes secundùm proportionem, ergo non potest ratio importata, per nomen, quæ est propriè in vno, esse etiam propriè in alio. Antecedens patet ex supradictis in declaranda natura huius analogię, neque enim potest fundari in eadem ratione, quia tunc non esset hęc analogia secundùm proportiones. Conseq. prob. quia nomen, si quòd significat propriè in vno, significaret etiam propriè in alio, non significaret rationes diuersas, sed eandem; vnde analogata non dicerent similitudinem proportionis; ideo enim vnum est simile alteri, quia habet diuersam rationem habentem tamen proportionem. Rursus nomen significat analogata, prout habent proportionem ad inuicem, ergo debet significare, prout habent diuersas rationes proportionaliter se habentes.

Proportiones debent esse propriè in analogatis.

VI. Secundò dicendum est; rationes proportionum esse formaliter, & intrinsecè, in analogatis, sic risus est formaliter in homine: ratio verò proportionis, quàm habet pratum ad risum, est etiam formaliter in prato. Hoc dictum non indiget probatione, nam satis patet, quòd proportiones debent esse in ijs, quæ proportionata sunt, quia ex se sunt similia, & vnum secundùm proportionem refertur ad aliud, quod fieri non posset, nisi haberent sibi intrinsecam rationem proportionis. Atque per hoc hęc analoga distinguũtur ab ijs, quæ dicuntur analoga attributionis, quia in his vnum tantùm participat formam analogiæ intrinsecè; alia verò non participant intrinsecè, sed tantùm dicunt habitudinem ad illud analogatum, in quo intrinsecè reperitur forma: Analoga verò proportionis omnia intrinsecè participant suã formam analogiæ, quia in his forma analogiæ est forma proportionis.

VII. Argumenta verò in oppositum nihil officiunt huic sententiæ, pro quorum solutione aduertendum est, quòd significatio nominum multoties, imo vt plurimum pendet ab vsu, de quo etiam Horat. initio Poetices ait: *Quem penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi*. Ex quo factum est, quòd quędam nomina, quæ primòm translatiè vsurpata sunt, nunc ex frequenti, & communi consuetudine non amplius translata habeantur, sed propria, & hoc pacto contingit in nomine principij, nam cum principium philosophicè sumptum sit, *Primum a quo aliquid progreditur*; hinc vsus obtinuit, quòd etiam, quæ quocunque modo antecedunt aliud, principia dicantur absque eo, quòd interueniat aliquis ordo progressionis, in quo formaliter consistit ratio principij: atque ex communi vsurpatione huius nominis principij, quæ prius metaphoricè dicta sunt talia, non amplius censeantur esse metaphoricè talia, sed propriè. Cum autem dicitur, quòd gubernator nauis, & Rex analogicè se habent, & tamen participant propriè rationem gubernatoris. Verùm quidem est, si loqnamur de ratione gubernatoris vt sic, propriè participari, & intrinsecè; attamen secundùm rationem gubernatoris vt sic non adest analogia, sed vniuocatio: analogia verò proportionis consistit in ratione talis gubernatoris, quia sicuti se habet nauta in gubernanda naui, ita se habet rex in gubernando regno. Verùm ad completam analogiam adhuc requiritur, quòd regnum assimiletur naui, aut contra nauis regno, vt interueniat metaphora. Atque vniuersaliter hæ omnes rationes huiusmodi soluendę sunt, videlicet semper, quando per nomen importatur eadem ratio in pluribus, ibi non adesse analogiam proportionis, sed vniuocationẽ; quando verò importantur diuersæ rationes, tunc alterum dici tale metaphoricè. Sic etiam de ente dictum est suo loco, quòd sit vniuocum respectu

Horat.

Nomina, quę prius translata postea propria existimata.

Principia dicuntur de aliquibus propriè, & de aliquibus non propriè dicitur.

Quomodo gubernator dicatur de nauta, & Rege.

ſuorum inferiorum, non verò analogum. Ex quibus etiam patet, quòd non poteſt ſaluari, quòd eadem ratio ſit cum proportione in pluribus, ſi in ſingulis propriè reperiatur; quia, vt dictum eſt in probatione noſtrę ſententię, proportio excludit proprietatem, & dicit metaphoram nominis, ſi nomen ſit commune: quia ſemper nomen ſignificat diuerſam rationem in vno analogato ab ea, quam ſignificat in altero; vnde ſi ex prima ſua impoſitione ſignificat vnam propriè, aliam ſignificabit metaphoricè.

De Analogia attributionis. Diſputatio XXXIII.

Explicatur natura huius Analogiæ.

SECTIO I.

I. Ea, quæ appellantur analoga attributionis, ſunt æquiuoca à conſilio, vt ſupra etiam diximus, ita tamen vt ab intrinſeco habeant, quòd talia ſint, non autem ab aliquo extrinſeco, quia igitur ab Auctoribus modernioribus analoga appellantur, ideo etiam nos de ipſis tanquam de analogis agimus. Definiuntur autem à Caiet. opuſc. de nominum analogia cap. 2. *Analoga ſecundùm attributionem ſunt, quorum nomen eſt commune, & ratio ſecundùm illud nomen eſt eadem ſecundùm terminum, & diuerſa ſecundùm habitudinis ad illum.* Et quidem nullum dubium eſt, quòd ratio non ſit eadem in termino; & diuerſa in habitudine ad ipſum. Sed an per hoc conſtituatur aliqua vera analogia, examinabimus. Interim ſiue ſint vere analoga, ſiue non, pergemus naturam ipſorum explicare. Conſtat ergo ex dictis, quòd ad conſtituendam hanc analogiam ad vnius duo termini requiruntur, quia habitudo, ſiue attributio, in qua conſiſtit, ſine pluralitate terminorum ſaluari non poteſt. Ex his autem terminis vnum dicitur principale analogatum, quia eſt ille, ad quem cœteri dicunt habitudinem, cœteri verò dicuntur minus principalia analogata. Præter autem hos terminos requiritur ratio analogiæ, ſeu forma aliqua, qua hi termini conſtituantur in eſſe analogo, quæ quidem debet reperiri formaliter, & intrinſecè in principali analogato, vt minus principalia analogata dicant habitudinem ad ipſum. an autem poſſit reperiri intrinſece in alijs analogatis, videbimus infra. Deinde requiritur etiam habitudo, quia principaliter analogia in hac conſiſtit habitudine, qua ablata, ſtatim perit tota ratio analogię: cœtera enim, quæ diximus requiri, ſe habent vt fundamentum. ſed neque ſufficit habitudo, ſed inſuper requiritur nomen commune quia ſine communitate nominis, ſiue ſint analoga, ſiue æquiuoca à conſilio, non habent completam rationem analogiæ; hoc autem nomen debet ſuo modo importare formam, quam diximus neceſſariò reperiri formaliter in principali analogato.

II. Ad hanc autem analogiam requiruntur nonnullæ conditiones, quarum prima eſt, quam etiam tradit Caiet. loco cit. quòd videlicet principale analogatum ponatur in definitione cœterorum; vnde quia medicina, & animal dicuntur ſana analogicè, & medicina eſt talis per ordinem ad animal, quatenus participat formam ſanitatis, non poteſt definiri medicina, quatenus ſana, niſi in ordine ad ſanitatem, quæ eſt in animali; & rationem huius conditionis ibidem indicat Caiet., quia videlicet minus principalia analogata non ſunt talia, niſi per habitudinem ad principale analogatum; quare cum illa, quæ ſunt talia per ordinem ad aliud, non poſſint definiri, niſi terminus, quem reſpiciunt, ponatur in ipſorum definitione, ſequitur, quòd principale analogatum, quod eſt terminus attributionis, debeat ingredi de-

Marginal notes: Quid ſit analogia Attributionis. Caiet. — Analogia attributionis requirit pluralitatem terminorum — Principale analogatū, & minus principale analogatum. — Forma analogiæ, Habitudo, & Nomen. — Caiet. — Principale analogatū ponitur in definitione cœterorum.

definitionem minus principalium analogatorum.

Caiet.

III. Altera conditio, quam ibidem notat Caiet. est, quòd ratio, in qua fundatur analogia, sit vna, seu quòd forma termini, quem analogata minus principalia respiciunt, sit vna; quod ita intelligi debet, quòd si analogia consideretur in particulari, etiam forma analogiæ sit vna in particulari; si verò consideretur in vniuersali, etiam forma, sit in vniuersali vna. Et ratio huius conditionis reddi potest, quia licet etiam in analogia particulari nomen analogorum sit commune, & videatur importare rationem quandam communem omnibus analogatis, tamen analogia reuera constituitur tantùm per id, quòd forma importata per nomen sit tantùm in principali analogato, & quòd in minus principalibus sit habitudo ad ipsum; qua sola habitudine intellecta, intelligitur etiam analogia: sic ex eo, quòd sanitas sit in solo animali, & in medicina, & vrina sint habitudines ad ipsam absque eo, quòd in ipsis multiplicetur forma sanitatis, intelligitur statim analogia attributionis, quia cum consistat in attributione, sufficit si intelligatur tantùm attributio.

Ratio, in qua fundatur analogia attributionis debet esse vna.

IV. Tertia etiam conditio requiritur ad constituendam hanc analogiam, nempe quòd forma, in qua fundatur, sit talis naturæ, vt sit apta denominare denominatione extrinseca; huius ratio statim manifesta fit ex dictis, nam hæc analogia constituitur per attributionem minus principalium analogatorũ ad magis principale, in quo reperitur formaliter forma importata per nomen commune: cum igitur in analogis, siue etiam æquiuocis nomen debeat esse commune omnibus analogatis, seu æquiuocis, hinc fit, quòd nomen, quod importat formam, quę est in principali analogato, debeat tribui etiam minus principalibus; hoc autem fieri non posset, nisi forma esset talis naturæ, vt esset apta denominare denominatione extrinseca, quia dum minus principalia analogata recipiunt à tali forma denominationem propter talem habitudinem, debet etiam formà esse apta, vt communicet extrinsecam denominationem.

Forma analogiæ debet denominare denominatione extrinseca.

V. Ex hoc sequitur, quòd non quælibet forma sit apta, vt in ipsa fundetur huiusmodi analogia, sed tantùm forma accidentalis, quæ sit extra constitutionem rei, quod est valde in tota philosophia aduertendum; si enim sit forma, quæ ex natura sua pertineat ad essentiam rei, tunc non est apta, vt denominet extrinseca denominatione: sic rationalitas, quia spectat ad intrinsecam constitutionem hominis, non potest aliquid denominare extrinseca denominatione; & ratio est, quia denominat vt quid essentiale constitutiuum; cum igitur formæ, quæ spectant ad constitutionem rei, non possint denominare extrinseca denominatione, neque possunt constituere analogiam attributionis. Solùm igitur formæ accidentales, quia sunt aptæ denominare extrinseca denominatione, possunt fundare hanc analogiam.

Quænam forma possit hác analogiã fundare.

VI. Quarta conditio, quæ requiritur ad hanc analogiam est, quòd eadem sit denominatio omnium analogatorum, seu quòd eodem modo denominentur analoga non solùm comparando minus principalia inter se, sed etiam illa comparando cum principali analogato, quòd autem eodem modo cadat denominatio super omnia analogata; idem est ac quòd eodem significationis modo denominentur; vnde cognitio, quia alio modo denominat principium cognoscitiuum, nempe cognoscens, & alio modo denominat obiectum nempe cognitum, non constituit hanc analogiam. E contra verò quia sanitas eodem modo denominat animal, & medicinam, ideo constituit analogiam, animal enim ab ipsa dicitur sanum, medicina etiam dicitur sana, vnde in vtroque est idem modus denominationis. Ratio autem huius conditionis reddi potest, quia in analogis nomen debet esse vnum; cum autem vnitas nominis formaliter sumpta non dependeat à sono, sed à significatione, nomen, quod non habet eundem modum significandi, non erit vnum. Atque ex hucusque dictis manet explicata natura horum analogorum: solùm examinandæ sunt nonnullæ difficultates, vt quæ dubia esse possent, certa fiant; sed prius aduertendum est, cur hæc analoga præsertim ab Arist. locis infra citandis sect. 3. dicantur ab vno, & ad vnum. Facilis est responsio, nempe quia omnia denominantur ab vna

Analoga omnia debet eodem modo denominari.

Arist.

Cur hæc analoga dicantur ab vno, & ad vnū.

forma dicuntur ab vno; dicuntur verò ad vnum habita ratione minus principalium analogatorum, quæ sunt talia per ordinem ad vnum terminum.

Minus principalia analogata non posse participare intrinsecè rationem, seu formam analogiæ.

SECTIO II.

Minus principalia analogata non necessariò intrinsecè formā analogiæ.

I. Circa hanc analogiam occurrit prima difficultas, an possint minus principalia analogata participare intrinsecè, & formaliter rationem illam, in qua fundatur analogia; quòd enim non sit necessarium, certùm est apud probatos Auctores, quamuis in oppositum sentiant nonnulli Recentiores nullo tamen fundamēto, nam dantur quædam huiusmodi analoga minus principalia, quæ non participant intrinsecè formam analogiæ, vt medicina, vrina, quæ non participant rationem formalem sanitatis intrinsecè. Et ideo quæstio procedit, an possint participare, ità vt participare non sit contra rationem huius Analogię. Et quidem circa hanc difficultatem aliqui existimant non esse contra analogiam attributionis, quòd participent intrinsecè rationem analogiæ, vnde distinguunt duplicem speciem, aliam, in qua minora analogata participant intrinsecè formam analogiæ, alteram in qua non participant intrinsecè, sed tantùm dicunt attributionem ad ipsa, & distinguunt maius analogatum à minoribus non per hoc, quòd hæc non participent intrinsecè formam, sed quia sunt talia, etiamsi intrinsecè participent, per habitudinem ad principale analogatum, hoc verò est tale simpliciter ex se, & non per habitudinem ad aliud. Ita sentiunt Alens. 7. Metaph. tex. 5. Caiet. prima par. quæst. 17. art. 1. §. *Memento hic* & art. 6. §. *ad hoc breuiter dicitur*. Ferrar. 1. contr. Gent. cap. 34. §. *Ad primum*, & §. *Aduertendum*. Capreol. in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 1. concl. 9. Riccard. dist. 19. art. 1. quæst. 2. Bannes 1. part. quæst. 13. art. 6. Suar. in Metaph. disp. 28. sect. 3. num. 14. & idem repetit Disp. 23. sect. 2. num. 14. Auersa in Logica quæst. 15. sect. 3. quamuis putet magis propriè seruari analogiam attributionis, si minus principalia analogata extrinsecè tantùm participent. Desumitur etiam ex D. Th. in 1 dist. 19 Quæst. 5. art. 2. ad 1.

Quædam ex minoribus analogatis participare intrinsecè formā analogiæ, quædā verò nō participare. Prima opinio.

Alensis. Caiet. Ferrar. Capr. Riccar. Bannes. Suarez. Auersa. D. Th.

II. Hinc deducunt, minus principalia analogata, quando intrinsecè participant formam analogiæ, esse talia proprijssimè, ad differentiam illorum, quæ non participant intrinsecè, quæ solùm impropriè appellantur analoga. Rursus, vt adnotauit Caiet. citat. 6. art. ex D. Th. quæst. 2. de verit. ar. 11. in definitione minorum analogatorum, quando intrinsecè participant formam, non debet poni maius analogatum, sicuti debet poni, quando non participant intrinsecè; atque etiam nonnulli concedunt, quòd quando intrinsecè forma participatur à minoribus analogatis, datur vnus conceptus communis omnibus, vt præcipuè Suarez. Fundamentum autem præcipuum huius sententiæ consistit in eo, quòd ens est analogum attributionis respectu Dei, & creaturæ; respectu substantiæ, & accidentis, nam creatura est ens per attributionem ad Deum, accidens per attributionem ad substantiam; & tamen tam creatura, quàm accidens sunt intrinsecè entia; sic idem potest dici de bono, & alijs, in quibus aliqua sunt talia intrinsecè, & tamen dicunt attributionem ad aliud.

Discrimē inter minora analogata, quādo intrinsecè participāt formā & quādo intrinsecè nō participāt.

III. Oppositam autem sententiam tradunt alij complures, & idem Caiet. opusc. de Nominum analogia cap. 2. circa finem §. *Quadrupliciter autem*. Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quæst. 1. sect. 6. §. *Tertium discrimen*; vbi in hoc distinguit analoga attributionis ab analogis proportionis Tolet. in Anteprędicam. cap. 1. Cumel 1. par. quęst. 13. art. 6. quæst. 2. Serna in Logica disp. 3. sect. 1. quæst. 1. art. 4. §. *Conditiones*. Imò D. Th. 1. part. quæst. 16. art. 3. & alij complures, qui censent, hoc esse proprium constitutiuum huius analogiæ, quòd minus principalia analogata non participent intrinsecè formam analogiæ. Atque suppositis ijs, quæ supra diximus, quòd analoga non possunt habere vnum conceptum communem præcisum ab inferioribus, ad probanda est hæc sententia, tanquam necessariò consequens ex illa doctrina.

Opposita sententia. Caiet. Fonseca. Tolet. Camel. Serna. D. Th.

IV. Pro explicatione autem, aduertendum est, quòd etiam si hæc mino-

Minora analogata tamen intrinsecè habent fundamentũ analogiæ.

minora analogata non participent formaliter formam analogiæ, tamen intrinsecè participant aliquid in quo fundatur analogia; quòd licèt non sit forma analogiæ, est tamen ratio, cur minora analogata constituantur in esse analogo; atque semper necessarium est, quòd hoc interueniat; nam quoniam hæc minora analogata non possunt nec habere nomen commune, nec constitui in esse analogo, nisi dicant attributionem ad principale analogatum, debent habere aliquid sibi intrinsecum, ratione cuius sibi conueniat talis attributio; hic enim ordo est intrinsecus minoribus analogatis, sic medicina dicit attributionem ad sanitatem, & constituitur in esse analogo, quia licet non participat intrinsecè sanitatem, participet tamen intrinsecè virtutem effectiuam sanitatis; sic etiam vrina intrinsecè habet, quòd sit signum sanitatis.

Quid significet denominatio minorum analogorum.

V. Secundò est aduertendum, quòd spectat ad denominationem, qua minora analogata denominantur, licèt desumatur à forma, quæ est intrinsecè in maiori analogato, & eodem modò significet, ac si caderet supra maius analogatum, tamen non significat ipsam formam, sed rationem illam, in qua imbibitur attributio ad maius analogatum, quod ita certum existimo, vt putem, non aliter posse saluari hanc analogiam; & ratio reddi potest: nam in analogis præsertim secundùm attributionem, licèt nomen sit vnum, debet tamen significare in obiecto diuersitatem, alioquin non significaret analogicè, in tantum enim analoga ista habent inter se diuersitatem, in quantum in vno est forma intrinsecè, in alio verò est tantùm habitudo ad ipsam; si igitur in omnibus analogis significaret formam, licet in vno esset intrinsecè, in alijs non, quantum esset ex vi rei significatur non importaret analogiam. Deinde quando medicina dicitur sana, significatur aliquid reale in ipsa, quod non potest esse nisi habitudo, quam habet ad sanitatem. Nec obstat, quòd quando medicina dicitur sana, importetur aliquod concretum, sicuti importatur, quando dicitur animal sanum, quia verum quidem est, quòd importatur concretum, sed constans ex diuersa forma, atque hoc prouenit ex ipsa analogia, quòd nomen importet diuersa concreta ex diuersis formis constantia, quia debet importare diuersitatem, quod maximè verum est in his analogis, quæ sunt æquiuoca à consilio, & sicuti nomen in purè æquiuocis importat diuersas rationes sine vlla habitudine, ita etiam in his æquiuocis importare debet diuersas rationes, sed cum habitudine.

Nomen huius analogiæ importat diuersa concreta cu habitudine.

Quod minora analogata participent intrinsecè formam est cõtra rationé analogiæ alioquin vniuocè côuenient.

VI. His itaque prænotantis dicimus, esse contra rationem analogiæ, quòd minora analogata participent intrinsecè formam analogiæ, & quæ est formaliter in principali analogato. Hoc autem prob. nam inquiro, an forma, in qua fundatur analogia, sit physica, vel metaphysica. Si physica, sequeretur, quòd ratio significata per nomen esset eadem in omnibus analogatis, si quidem eadem forma significata per nomen esset in illis; tum etiam quòd vniuocè conuenirent, quoniam non potest reperiri in aliquo forma, nisi in ipso ponat rationem specificam, per quam constituitur in esse talis formæ; omnis enim forma habet suam propriam rationem specificam, qua constituitur in tali infima specie, quæ autem sunt in eadem infima specie, conueniunt vniuocè; quia species præsertim infima est vniuoca. Confir. omnes formæ, vel sunt eiusdem speciei, vel diuersæ; alterum enim ex his semper necessarium est, quia fundatur in contradictione, nempe in eo, quòd sit eiusdem speciei, vel non sit eiusdem speciei, ex contradictorijs autem necesse est semper alterum inesse. Modò vel forma, quæ est in minoribus analogatis est eiusdem speciei cum ea, quæ est in maiori analogato; & tunc ratione illius formæ minora analogata conuenient vniuocè cum principali analogato, nam conuenient in eadem forma physica, quæ sit eadem specie infima. Si verò est diuersæ speciei, ergo est alia forma, & non ea, quæ in maiori analogato fundat analogiam.

VII. Si autem respondeant, quòd sit forma Metaphysica, hoc non potest esse, quia huiusmodi analogia fundatur tantùm in forma physica; nam fundatur solùm in forma accidentali, quæ sit apta denominare extrinseca denominatione, forma autem Metaphysica ex genere suo, cum semper sit essentialis subiecto, in quo est, pertinet ad constitutionem rei; vnde non est apta, vt denominet extrinseca denominatione. Præterea adhuc sequeretur, quòd analoga, quatenus talia sunt, conuenirent vniuocè, nam conuenirent in eadem forma metaphysica, quæ cum consistat in indiuisibili, debet æqualiter participari, & secundùm se totam ab ijs omnibus, à quibus participatur; alioquin diuideretur, si secundùm aliquid descenderet ad vnum, secundùm quod non descenderet ad aliud, vt latè supra prosequuti sumus, cum probatum est, non posse analoga habere vnum conceptum obiectiuum communem; vnde etiam ex hoc sequeretur, quòd analoga haberent vnum conceptum obiectiuum communem ab illa forma desumptum, quam singula intrinsecè participarent; quod tamen impossibile esse, supra ostendimus.

Dicere attributionem, & participare formam intrinsecè impli gat.

VIII. Secundò etiam probari potest nostra sententia. Attributio, quam debent dicere minora analogata ad maius, non patitur, quòd participent intrinsecè formam maioris analogati, ergo debet tantùm forma esse in maiori analogato. Antecedens declaratur. Certum est, quòd analoga dicunt attributionem ad maius analogatum, quatenus analoga sunt; rursus, si intrinsecè participarent formam, essent analoga, quatenus participarent; verùm quatenus participarent hanc formam, non possent dicere attributionem, vnde sequitur, quod quatenus analoga non diceret attributionem. Quod autem quatenus dicerent formam, non possent dicere attributionem, probatur; quia eadem esset cum forma, quæ est in maiori analogato, siue sit physica, siue Metaphysica. nam haberet idem esse formale alioquin non saluaretur, quòd esset eadem forma. Si igitur prout est in minori analogato, non diceret hanc attributionem, neque etiam diceret, prout est in minori, cum in vtroque dicat idem esse formale vnde etiam dicere, vel debet non dicere eandem attributionem.

Precluditur effugium.

IX. Sed posset responderi, hanc formam petere per prius descendere ad principale analogatum, deinde cum attributione ad illud ad minus principalia analogata, idque habere ex intrinseca sua ratione. Verùm huiusmodi responsio non soluit argumentum, nam ista forma, vel descendit ad maius, & minora analogata secundùm idem esse formale, vel secundùm diuersum, hoc secundum dici non potest, quia tunc non dependeret vt eadem forma, sed vt diuersa. Si igitur descenderet secundùm idem esse formale, ergo quicquid dicit in vno ex vi sui esse formalis, debet etiam dicere in altero, & si in vno dicit attributionem, debet etiam dicere in alio, & si non dicit in vno, neque etiam poterit dicere in alio. Deinde si minora analogata, quatenus intrinsecè participant eandem formam cum minori analogato, dicerent attributionem ad ipsam, certè deberent respicere minus, prout dicit eandem formam, ita vt for ma esset ratio formalis termini; ex hoc autem sequitur hoc absurdum, quòd eadem forma præcisè considerata, abstrahendo à subiecto, peteret dicere attributionem ad seipsam, & esse terminum suæmet attributionis, quod nullo pacto potest intelligi; quomodo enim idem potest fundare attributionem realem ad seipsum, cum attributio realis requirat nedum distinctionem realem terminorum, sed etiam essentialem? quia aliud est fundare attributionem, & aliud esse terminum attributionis.

Si minora analogata participarēt intrinsecè formā, non depēderēt a maiori

X. Denique si eadem forma esset intrinsecè in minoribus analogatis, non posset assignari ratio, cur dependerent à maiori, neque cur essent minus principaliter talia, quæ omnia necessariò ipsis conueniunt. Huiusmodi autem sequel. prob., quia si eadem forma est in maiori, & minori analogato, non est maior ratio, cur minus analogatum dependeat a maiori, quam è contra, neque e-

nim

etiam potest dici, quòd in minori analogato non sit tam perfecto modo, quia hoc non sufficit, vt dependeat, quoties enim est eadem essentia, non potest esse dependentia secundùm essentiam. Deinde dependentia, quæ est in minori analogato, facit, quòd sit tale per ordinem ad principale; si autem in ipso esset forma eadem, esset tale ex se. Sed neque posset saluari, cur essent minus principalia analogata, quia æquè essent talia ex se, sicut maius analogatum, ita vt si per impossibile principale analogatum non esset possibile; adhuc minus principalia essent talia, ergo non sunt minus principaliter talia quia ideo sunt minus principaliter talia ex eo, quòd sunt talia non ex se, sed per attributionem ad maius analogatum.

Resp. Caiet. ad fundamētū oppositæ sententiæ. XI. Ad Fund. oppositæ sententiæ respondet Caiet. opusc. cit. quòd scilicet cum dicitur, minora analogata debere esse tantùm extrinsecè talia, non esse intelligendum, quòd sint simpliciter, hoc est, solùm extrinsecè talia, sed solùm quatenus dicuntur talia per attributionem ad maius analogatum, in quantum maius analogatum est; vnde licet accidens sit intrinsecè ens tamen in quantum denominatur ens à substantia, quatenus est ens subiectiuum, est extrinsecè ens, quia nullo pacto accidens est ens subiectiuum. Verùm hæc responsio non

Reiicitur. soluit argumentum, tum quia si tali pacto intelligatur forma analogiæ, non erit amplius ens vt sic, sed substantia, quia ens subiectiuum, vt tale est, dicit, quòd sit substantia, tum quia accidens non dicit ordinem ad substantiam, vt ens est, sed vt accidens est; vnde analogia erit inter substantiam, & accidens, vt talia sunt: verùm cum non habeant in hoc nomen commune, non erit analogia, quia deberet accidens denominari substantia. Melius

Verior respons. ergo resp. iuxta nostra principia negando, ens esse analogum respectu accidentis, & substantiæ, quòd si quis instet, accidens dicere attributionem ad substantiam, verum quidem hoc est; sed non dicit attributionem in ratione entis, sed in ratione accidentis, non tamen constituitur analogia attributionis, quia secundùm has rationes non habent nomen commune, vt dictum est. Deinde quia ratio substantiæ est forma Metaphysica, quæ non est apta denominare extrinseca denominatione, & ideo neque est apta ad constituendam hanc analogiam, solùm analogicè se habent analogia proportionis, ratione modi essendi, vt suo loco explicatum est.

XII. Solùm posset obiici, quòd Arist. 4. Metaph. tex. 2. dicit, quòd ens dicitur sicuti sanum, ergo cum sanum dicatur analogicè analogia attributionis, etiam ens tali pacto dicitur. Resp. Arist. ibi non considerasse ens, prout dicit quoddam prædicatum metaphysicum positiuum, & transcendens, sed solùm voluisse ostendere, quot modis contingat aliquid dici ens, vnde considerauit tantùm nomen entis, non autem conceptum obiectiuum, & dixit, quòd eo fere modo dicitur ens, sicuti dicitur sanum in ordine ad sanitatem: sicuti enim aliquid dicitur sanum, eo quòd conseruet sanitatem, aliud ex eo quòd iuuet &c. ita etiam, inquit ipse, non solùm aliquid dicitur ens, ex eo quòd sit substantia, aut passio ipsius, nempe accidens; sed etiam quia est generatio substantiæ, aut quia est corruptio, aut quia est priuatio, vnde cum his modis contingat aliquid dici ens, sequitur, quòd respectu horum, quæ non sunt intrinsecè entia, dicatur vt sanum; quia hæc dicuntur entia per quandam habitudinem ad ipsum ens; vnde cautè procedendum est, non enim intelligit, se habere vt sanum respectu eorum, quæ sunt intrinsecè entia, quia non teneret comparatio, cum nulla per attributionem dicantur sana, nisi quæ non sunt intrinsecè sana; sed tantùm intelligit respectu eorum, quę non sunt intrinsecè entia.

Arist. Occurritur obiectioni, & quo sēsu ens dicatur sicuti sanum.

Analoga attributionis non participare rationem vera Analogia.

SECTIO III.

I. Communiter Recentiores existimant, esse verè analoga, & præsertim

fertim Suarez. in Met. Disp. 28. sect. 3. & etiam ij omnes Veteres, quos sect. præced. citauimus pro prima, & secunda opinione, & de ipsis vt de analogis agit Caiet. opusc. sæpius citato de Nom. analog. cap. 2. ita enim vsus obtinuit, vt sub analogorum nomine comprehendantur. Et motiuum fuit, quia non videntur omnino diuersa, cum habeăt habitudinem ad principale analogatum, & habeant eundem terminum; vnde non videntur debere collocari sub æquiuocis, sed optimè in ipsis saluari, quòd ratio significata per nomen commune, sit partim eadem, partim diuersa. Vnde Caiet. citat. loco dixit, esse, *Eandem secundum terminum, diuersa verò secundùm habitudinem ad ipsum*; atque tali pacto nunc communiter omnes philosophantur, neque in dubium vertunt, an sint verè analoga.

analoga tribu- tionis, vt e analo a ex Re entiorū entētia. uarez. Caiet.

II. Nihilominus antiqui philosophi ea sub æquiuocis comprehendebant, vt etiam aduertit Tolet. in Log. cap. de Æquiuocis, & nos etiam supra adnotauimus, & præsertim Arist. vt etiam aduertit Fonsec. 4. Metaph. cap. 2. quæst. 1. sect. 6. vocat hæc analoga *Ab vno*, & *Ad vnum*, 4. Metaph. tex. 2. atque ea distinguit ab analogis, & præsertim 1. Eth. cap. 5. vt supra dictum est. Quare secundùm Arist. non participant veram rationem analogiæ, sed sunt ex illis æquiuocis, quæ dicuntur à consilio, ita tamen, vt supra etiam dictum est, ab intrinseco habeant, quòd possit illis commune nomen accomodari. Vnde aduertendum est, quòd non alia ratione possunt extrahi ab æquiuocis, & constitui intra genus analogiæ, nisi ratione illius attributionis, quam habēt ad principale analogatum, quæ si non sufficit ad constituendam veram analogiam, neque etiam hæc analoga erunt verè analoga.

Opposi- tū ex an ti juis phi lo sophis Tolet. Fonseca. Arist.

III. Quòd autem non sufficiat hæc attributio ad constituendam veram analogiam, facilè prob. nam vel comparantur minora analogata inter se, vel cum principali analogato; si primum, & considerantur præcisè secundùm illam attributionem, & prout ordinantur ad principale analogatum, quantùm est ex vi huius ordinationis nullam habent attributionem ad inuicem; sed solùm proportionem, vt dicemus infra. Vnde quantum est ex hoc capite, non habent, nisi nomen commune, nec habent aliquid, per quod constituant aliquam nouam analogiam, quæ sit verè analogia distincta ab analogia proportionis. Si verò comparentur cum principali analogato, in qua habitudine consistit hæc analogia, tunc nullam habent similitudinem, neque secundùm proportionem inter se. Vnde non potest dici, quatenus adinuicem comparantur, quod ratio sit partim eadem, partim diuersa, quid enim habet habitudo medicinæ cum sanitate, ratione cuius habeat cum ipsa aliquam similitudinem? Cum igitur debeant esse analoga, quatenus adinuicem comparantur, & nullam habeant similitudinem, neque etiam erunt analoga.

Attribu- tio non sufficit ad uerā analogiā

IV. Secundò hoc ipsum probat Analoga debent recedere ab æquiuocis, & etiam ab vniuocis, ita vt sint quid medium; recedunt autem, quia habent aliquam similitudinem, non verò perfectam, at hæc, quæ dicuntur analoga attributionis, quantum est ex vi attributionis, non possunt habere hanc imperfectam similitudinem, ergo neque possunt esse verè analoga. Min. conf. hæc imperfecta similitudo, vel est maior similitudo, quàm sit similitudo proportionis, vel minor, si est maior, debet esse secundùm eandem formam, quia nullus gradus similitudinis supra proportionem potest excogitari, præter similitudinem secundùm eādem formam. Si autem est similitudo secundùm eandem formam, iam erit similitudo vniuoca, quia aderit vnitas conceptus obiectiui æqualiter participati. Sed neque potest dici, quòd sit minor similitudo, quàm proportionis, quia nullo pacto potest intelligi aliqua similitudo, nisi ad minus intelligatur aliqua proportio.

Analoga recedere ab vniuo cis, & æquiuocis & quomodo. Analoga attributionis nō recedāt.

V. Rursus analogia vt sic, seu prima ratio analogiæ constituitur per proportionem, vt supra prob. est, ergo cum hæc attributio nullam importet proportionem, neque etiam importabit veram analogiam. Vnde etiam Caiet. volens saluare, quomodo ratio importata per nomen sit partim eadem, recurrit ad terminum, quòd videlicet sit eadem secundùm terminum; quod tamen neque saluat rationem analogiæ,

Caiet.

Quod ratio si ea dem secundum terminu, non sufficit ad analogiã.

quia est tantùm eadem, prout est in vno analogatorum; ad analogiam autem requiritur, quòd sicuti ratio importata per nomen partim est diuersa, prout est in omnibus analogatis, sit etiam partim eadem, prout est in pluribus, alioquin tali pacto etiam in æquiuocis ratio, prout est in vno ipsorum, est eadem. Et sicuti æquocatio secundùm rationem importatam per nomen ponit omnimodam differentiam inter æquiuocata; ita ratio importata per nomen analogum, debet ponere aliquã conuenientiam inter analogata, quòd fieri non potest, si ratio sit eadem tantùm secundùm terminum. Ex quibus patet solutio fundamenti oppositæ sententiæ, & similiter Caiet. licèt explicauerit cit. cap. 2. de Nominum analogia id, quòd re vera est, non tamen rectè explicasse analogiam, quia per hoc, quòd posuit terminum eundem, non posuit aliquam conuenientiam inter analogata. Neque obstat, quòd Arist. 4. Metaph. initio cap. 2. docet, sanum in ordine ad sanitatem non dici æquiuocè, nam dicit, quòd ens dicitur sicuti sanum, & quòd non dicitur equiuocè, quia ibi loquitur de pura equiuocatione, in qua communitas nominis nullum habet fundamentum in æquiuocis: in his autem equiuocis communitatis habet fundamentum in ipsis, nempe habitudinem, quam habent ad formam. Hinc etiam Arist. distinguit hæc æquiuoca, quæ fortuitò talia sunt, & non à consilio, ab iis, quæ dicuntur ab vno, vel ad vnum, vt patet ex cit. 1. Eth. cap. 5. vbi quærens de diuersis bonis particularibus, quomodo dicantur bona, inquit, *At quonam modo dicuntur; non enim ipsa similia sunt qua nomine fortuito nuncupantur, eodẽ. Dicuntur ne igitur, quia sunt ab vno, aut ad vnum omnia conferuntur, an comparatione potius rationum?* Cum igitur negat, sanum dici æquiuocè, negat de ijs equiuocis, quæ sunt talia fortuitò, nam infra dicit, sanum dici ad vnum.

Arist.

Occurritur obiectioni.

Deducuntur nonnulla corollaria.

SECTIO IV.

Minora analogata inter se cõparata habent analogiam proportionis.

I. EX dictis primò sequitur, quòd si minora analogata comparentur inter se stante communitate nominis habeant analogiam proportionis supposito eo, quòd supra diximus, quod denominatio, quam sortiuntur à principali analogato, significet in ipsis illam attributionem, saltem fundamentaliter sumptam, quam habent ad principale analogatum. Dari autem hanc analogiam proportionis, euidenter ostenditur, nam quando minora analogata sunt plura, conueniunt inter se in hoc, quòd habeant singula suã habitudinem ad maius analogatum, vt vrina, & medicina conueniunt in hoc, quòd habeant attributionem ad sanitatem, altera quidem signi, altera verò causæ effectiuæ; potest igitur fieri comparatio, quòd sicuti se habet habitudo vrine respectu sanitatis ad vrinam, ita se habet habitudo medicinæ ad medicinam in ordine ad eandem sanitatem. Vnde consurgunt duæ proportiones secundùm diuersas rationes, in quibus potest fundari analogia proportionis, quam diximus consurgere ex vi proportionum diuersarum rationum.

II. Colligitur secundò habitudines, quæ sunt in minoribus analogatis in ordine ad principale posse esse diuersas, & etiam eiusdem rationis, licet quidam Recentior oppositum doceat. Quòd autem possint esse diuersæ, notum est, nam medicina dicit diuersam habitudinem ad sanitatem ab ea, quam dicit vrina, & tamen vtraq; est minus principale analogatum respectu sanitatis. Potest autem habitudo esse eiusdem rationis, quia licèt videatur constitui vniuocatio, si sit eiusdẽ rationis, tamen nõ cõstituitur, quia analogia hęc attributionis non est inter minora analogata, quia sicut inter se cõparata, non dicunt attributionem, ita neq; dicunt analogiam; analogia enim attributionis est inter maius analogatum, & minus, vnde etiam si habitudo eiusdem rationis ponat vniuocationem inter minora analogata, non tamen tollit analogiam inter principale analogatum, & minus principale. Deinde licèt respectus sit in eodem genere, vt in genere signi, vel causæ, non hinc fit, quòd habeant minora analogata eundem respectum, quia si analogata considerantur, prout sunt diuersa secundùm speciem, adhuc habitudines ipsarum different in ratione talis, vel talis signi, & secundùm habitudi-

Habitudines minorum analogatorum ad principale analogatũ aliquando eiusdem rationis, aliquãdo diuersæ.

nem talis, vel talis signi constituentur in esse analogo; hinc neque sequetur inter ipsa, quatenus minora analogata sunt, aliqua vniuocatio. Atque hinc vlterius elicitur, vt etiam aduert. Caiet. citat. opusc. de Nom. anal. cap. 5. quòd licèt ab analogis minoribus possit abstrahi vnus conceptus communis importans attributionem vt sic, hic tamen conceptus non est ille, qui importatur per nomen analogum; nomen enim analogum v. g. sanum importat peculiarem habitudinem minorum analogatorum in particulari, dum enim sanum dicitur de vrina, & medicina, non importat habitudinem vt sic ad sanitatem, sed talem, & talem habitudinem, quæ est in his analogatis ad sanitatem, videlicèt habitudinem talis signi, & habitudinem causæ effectiuæ, hoc.n. importatur, quando medicina dicitur sana, aut vrina, sicuti etiam in analogis proportionis nomen analogum importat peculiares proportiones analogatorum, quatenus tamen adinuicem se respiciunt, vt similes sunt.

Caiet.

Conceptus communis a attributionis abstractus a minoribus analogis nó importatur per nomen analogū.

III. Sequitur tertiò ex dictis, quòd nomen analogum debeat significare proportionaliter maius analogatum, secundariò verò minora analogata; & ratio est, quia minora analogata mutuantur illam denominationem à principali ex vi habitudinis, quàm habent ad ipsum; & quamuis hoc nomen significet in ipsis fundamentum attributionis, quam habent ad principale analogatum, reuera tamen est denominatio desumpta in ordine ad formam extrinsecam; nomen autem primariò significat formam, & id, quod est intrinsecè tale, quàm quòd est tale per habitudinem ad id, quòd est intrinsecè tale, cum sit primariò impositum ad ipsum significandum. Atque hoc etiam extendi potest ad analoga proportionis, quando in altero reperitur forma propriè, & in alio impropriè; tunc enim nomen prius significat id, quòd est tale propriè, quàm quòd est tale per metaphoram, vt risus prius dicitur de homine, secundariò de prato, & etiam euidens est ratio, quia in Metaphoris nomen transfertur à propria, atque adeò à primaria significatione ad impropriam, atque adeo secundariam. Quòd si nomina, quæ de Deo dicuntur, prius significant, quæ sunt in creaturis, secundariò verò sunt applicata ad significanda ea, quæ sunt in Deo, vt aduertit. D. Th. 1. par. quæst. 13. ar. 6. id non est propter aliquam analogiam, quàm dicimus 1. tom. non interuenire, neque quia ratio importata per nomen perfectiori modo sit in Deo, aut magis propriè in creatura: sed quia ea, quæ sunt in Deo, accomodamus nostro intellectui, & ijsdem conceptibus, quibus res creatas concipimus, nobis repræsentamus. Neque enim alio pacto quicquam de Deo possemus intelligere; sic intelligere Dei imaginamur tanquam aliquod intelligere simile nostro, cum reuera sit alterius rationis, hinc factum est, quòd stante huiusmodi modo concipiendi introducta sit analogia inter ea, quæ sunt in Deo, & ea, quæ sunt in Creaturis. Ex quo patet, non rectè dici, quòd quædam nomina analoga prius imposita sint ad significanda minora analogata, licèt primariò significent ex se maiora analogata, quia id primariò nomen significat, ad quòd significandum primariò ordinatum est.

Nomen analogū principaliter dicitur de maiori minus principaliter de minori analogato.

Extenditur eadem doctrina ad analoga proportionis.

D. Th.

IV. Quartò sequitur: non rectè eos procedere, qui asserunt, ens respectu inferiorum esse analogum, tum proportionis, tum attributionis, vt.n. aliquid sit analogum attributionis, debet esse extrinsecè tale, & consequenter secundùm rationem, quàm in se habet, æquiuocè se habere ad principale analogatum, e contra verò analoga proportionis debent intrinsecè proportionaliter participare rationem importatam per nomen; vnde si semel aliquid est vno modo ex his analogum, non potest esse alio modo, neq; aliqua inferiora entis possunt esse talia per attributionem ad aliud, quia intrinsecè sunt talia, & propriè: vnde excludunt omnem attributionem, per quàm dicantur entia, quia à propria forma intrinseca sortiuntur hanc denominationem. Imò cum sint propriè talia excludunt etiam analogiam proportionis. Atque hinc etiam concluditur, non esse admittendam analogiam illam mixtam, quàm nonnulli ponunt, quę videlicèt in eo consistat, quòd aliquid sit proportionaliter tale, & quòd etiam sit tale per attributio-

Non potest idē esse analogum attributionis, & proportionis.

nem

nem, quia esse tale per attributionem non dicit aliquo pacto participare formam intrinsecè.

Explicantur quædam aliæ Difficultates circa analogiam. Disput. XXXIV.

Analoga non posse concipi vno conceptu confuso, vt eadem inter se.

SECTIO I.

Punctus difficultatis.

I. CErtum est ex dictis, analoga non posse habere vnum aliquem conceptum obiectiuum communem præcisum ab inferioribus, alioquin essent vniuoca, vt prob. est, quod multò magis debet asseri de æquiuocis à consilio, quæ vocantur analoga attributionis, cum secundùm esse intrinsecum sint omnino diuersa, Nihilominus adhuc potest inquiri, an habeant conceptum aliquo modo vnum, seu an quatenus analoga sunt, sicuti confunduntur in vnica voce; ita etiam confundantur in vnico conceptu, vnde sortiantur conceptum confusum, qui sit vnus, omnia ipsa analogata in confuso repræsentans; & hoc pacto posset dici quodammodo, quòd conceptus analogorum abstrahat ab analogatis, non quidem conceptu distincto, quia tunc esset vniuocus, sed confuso.

Caiet.

Eius sententia de vnitate conceptus.

II. Caiet. Opus. de Nominum Analo. cap. 5. §. *Sed hoc falsissimum est.* docet, quòd analoga, siue attributionis, siue proportionis confundantur quidem in significatione vnius vocis licèt difformiter, non tamen esse confusionem plurium conceptuum in vnico conceptu, & §. sequenti *Cautum tamen* ait, quòd potest esse quædam confusio conceptuum in identitate proportionali, ita vt eorum diuersitas confundatur, non quidem in vnam rationem communem, nec quia illæ rationes omnino sint eædem, aut omnino vniantur, quia sic tolleretur analogia; sed quia proportionaliter adunentur, ita vt talis conceptus eas rationes, vt easdem proportionaliter significet, & vt easdem proponat considerandas, annexa tamen inseparabiliter diuersitate.

III. Vt autem quid dicendum sit, explicemus, hoc vt certum tenendum est, analoga vniri in vnitate nominis, quia, vt vidimus, requirunt nomen cōmune, hæc autem vnitas nominis nedum debet esse materialis, sed etiam formalis; hoc est, quòd habeat eandem significationem, & eumdem modum significandi, vt supra etiam indicauimus, quòd ita intelligi debet, non quòd significatio sit eadem ex parte rei significatæ, quia hoc esset contra rationem analogiæ, quæ requirit rationes saltem particulariter diuersas; sed quòd sit eadem ex parte nominis, hoc est, quòd in eadem significatione sumatur, quando tribuitur vni, & quando tribuitur alteri, quamuis postea in obiecto correspondeant rationes diuersæ; & ratio huius vnitatis quo ad significationem est, quia si haberent diuersam significationem, se haberent vt multiplex nomen, vnde deficerent analoga ab vnitate nominis, quòd nequaquam fieri potest. — Analoga coadunatur in vnam significationem nominis formalē.

IV. Quòd autem spectat ad coadunationem conceptuum obiectiuorū, hoc aduertendum est: quòd aliud est confundi, seu in vnum conuenire, & aliud est connecti; confundi enim dicit, quòd ita, quæ ex se distincta sunt, permisceantur, vt non amplius appareant distincta, sed induant rationem vnius, neque enim intellectus potest percipere, quòd aliqua remaneant inter se distincta, & secundùm rationes distinctas repræsentētur, & quòd in vnū confundantur, apparet enim statim implicantia. Repræsentari verò vt connexa excludit omnem confusionem extremorum, & dicit, quòd repræsententur distincta secundùm proprias rationes; habeant tamen insuper aliquam rationem, per quam connectantur adinuicem, vt autem secundùm esse obiectiuum sint connexa, sufficit, quòd ha- — Quid cō ceptus confundi, & quid cōnecti.

beant

beant aliquam habitudinem, seu dependentiam; ex vi cuius vnũ non possit concipi sine alio: quia in hoc consistit connexio secundùm esse obiectiuum.

Analoga attributioni non possunt cõfundi in vnum cõceptum.

V. Hinc ergo; si loquamur de analogis attribuitonis, non potest dici, quòd confundantur secundùm esse obiectiuum aliquo modo, quia hæc analogia, qualiscumque sit, consistit in attributione vnius ad alterum, ita vt vnum participet formam intrinsecè, alterum verò dicat habitudinem ad ipsum; non potest autem concipi huiusmodi attributio, nisi distinctè concipiantur analogata secundùm proprias rationes, nempe principale analogatum, prout dicit formam, in qua fundatur analogia, & minus principale, prout dicit habitudinem ad formam, sic autem conceptis analogatis non concipitur aliquid confusum, sed concipiuntur distinctæ rationes analogorũ. Quòd etiam conf. quia hæc analoga nullam habent inter se conuenientiam, neque etiam proportionis, comparando minora analogata cum maiori, sed merè æquiuocè, & habeat quoad suas proprias rationes, licèt superaddant attributionem, ergo non possunt repræsentari vt eadem aliquo conceptu confuso, siue distincto, quia nullum habent fundamentum identitatis. Quòd autem spectat ad connexionem secundũ esse obiectiuũ ex parte maioris analogati non potest interuenire necessaria connexio, nisi concipiatur vt terminus attributionis, quam dicit minus analogatum, secundùm suam formam verò potest absolutè concipi absque aliqua connexione cum minori analogato; quid enim obstat, quòd non concipiatur animal vt sanum, non concipiendo, neque medicinam, neque pulsum, neque vrinam, aut aliud minus analogatum? certè experientia ostẽdit, id posse fieri, neque alia probatio necessaria est. De minoribus autem analogis aliter philosophandum est, nam hæc, vt talia sunt, dicunt essentialiter attributionem ad maius analogatum, vnde non possunt concipi sine connexione habitudinis cum illo, tanquam cum termino suæ attributionis.

Maius analogatum non est necessariò cõnexum cum minoribus. at minora cõnectuntur cum maiori.

Neq; analoga proportionis coadunantur in vnum cõceptum

VI. De analogis etiam proportionis idem statuendum est, quia licèt habeant vnitatem, & conuenientiam proportionis, hęc tamen conuenientia non coadunat in vnicum cõceptum obiectiuum, siue distinctum, siue confusum; & quidem de conceptu distincto sufficienter supra prob. fuit. De confuso verò ostenditur, quia proportio, sine qua non possunt concipi analoga sub ratione analogi, requirit distinctam repręsentationem rationum obiectiuarum diuersarum, nam proportio essentialiter est inter diuersa, & fundatur in peculiaribus rationibus analogorum. Si ergo non concipiuntur analoga secundùm suas rationes determinatas, non potest concipi proportio, sed statim, ac concipiuntur rationes particulares analogorum concipiuntur rationes distinctæ, & non aliquid confusum. Præterea vt repræsententur analoga, quatenus analoga sunt, debẽt repræsentari propriè rationes ipsorum, quas in seipsis includunt; hęc autem sunt inter se diuersę: quomodo ergo vnico conceptu obiectiuo possunt, vt eadem secundùm proportionem, repræsentari? si enim ipsamet proportio cõsistit in diuersis formalibus rationibus, cum obiectiuus conceptus, vt sit verus, debeat conformari rebus. neque etiam possunt repræsentari sub ratione proportionis, nisi etiam repræsententur per diuersos conceptus obiectiuos, & nullo pacto poterunt repræsentari, vt eadem proportionaliter in eodem obiectiuo conceptu, sic si quis concipit pratum ridens, & etiam hominem ridentem, certè debet formare distinctos conceptus obiectiuos, in quibus tamen repræsentetur proportio, sicuti est in rebus. Quòd etiam amplius conf. quia quotiescumque intellectus concipit aliquid determinatũ, habet etiam necessariò conceptum obiectiuum, aliquod determinatum repræsentantẽ, ergo non potest cõcipere aliquid determinatum, nisi concipiat aliquid distinctum quantum est ex parte obiecti, & consequenter, quia dum concipit analoga, concipit aliquid determinatum, debet etiam concipere aliquid distinctè Conseq. hæc ostenditur, quia dum concipit aliquid determinatum, debet ipsi repręsentari aliquod esse, quòd sit hoc, & non aliud cum igitur vnumquodque per suum esse constituatur aliquid distinctum à cæteris, hinc fit, quòd intellectus conci-

Non potest concipi aliquid determinatum, nisi cõcipiatur aliquid distinctum.

piens

piens alioquod esse determinatum, cõcipiat aliquod distinctè ex parte obiecti, vnde nunquam cognitio poterit esse confusa, quantum est ex parte obiecti, dummodo obiectum secundùm suum esse formale repræsentetur, sed dicetur confusa, vel distincta ex parte sui ipsius, prout magis, vel minus clarè repræsentat obiectum.

Analog. proportionalia inuicem connex. VII. De connexione verò, si considerẽtur hęc analoga, quatenus dicunt proportionem, ex vi ipsius proportionis habẽt mutuã connexionem; cum.n. proportio sit essentialiter ad aliud, non potest aliquid intelligi quòd habeat proportionem, nisi cũ alio cõferatur, vnde ex vi conceptus ipsius debet etiã aliud concipi; si verò loquimur de rationibus importatis per nomen analogum consider atis secundùm se præcisa proportione, sed solùm prout sunt fundamentum proportionis, neutra quantum est ex hoc capite habet connexionem cũ alia; quã enim cõnexionem habet actus ridendi, qui est in homine, cum floriditate, quæ est in prato, ita vt ex vi vnius debeat altera intelligi? Deniq; si considerantur vt significatæ per nomen analogum, tunc illa ratio, quæ significatur propriè per ipsum nomen non habet connexionem cum alio analogato, neq; necessariò intelligitur dependenter ab illo, si verò significetur metaphoricè, tunc necessariò habet connexionẽ cum ratione, quæ significatur propriè per idem nomen, quòd .n. est tale metaphoricè, non potest intelligi nisi cum ordine ad illud, quòd est tale propriè, sic non potest intelligi pratum ridere, nisi cũ ordine ad risũ, qui est in homine.

Caiet. VIII. Atq; ex dictis colligitur, quid dicendum sit de conceptu formali, seu actus intellectus repræsentãte analoga Caiet. enim cit. Opusc. cap. 4. §. *Conceptus quoq; mentalis*, ait, quòd oportet, distinguere duplicem conceptum formalem, perfectum, & imperfectum. Perfectus necessariò est multiplex, quia debet multiplicari iuxta numerum analogorum, vt perfectè singula repręsententur: imperfectus verò est vnus, quia omnia vnico imperfecto conceptu repræsentari possunt. Sed hæc doctrina non potest probari; nam si verum est, quòd intellectus potest vnico actu intelligere plura, vt plura, nihil obstat, quòd nõ habeat vnicum mentalem conceptum perfectè repræsentantem omnia analogata ad modum plurium. Si verò non potest vnico actu plura, vt plura intelligere, ille imperfectus conceptus repræsentans analoga omnia simul, mihi omnino impossibilis videtur, nam nemo concedit, nec potest intelligi, quòd repræsentẽtur analoga, vt talia sunt, nisi intellectus attingat rationem formalẽ analogiæ; hæc autem non potest attingi, nisi etiam rationes particulares analogorum attingãtur, quia in illis intrinsecè imbibitur; quòd si repræsentantur rationes particulares analogorum, cũ hæ multiplices sint, vt plura repræsentantur, & iam supra dictum est, quòd non potest intelligi analogia, nisi etiam intelligatur pluralitas, vnde non potest haberi hic conceptus imperfectus, quia deberet repræsentare plura, vt plura. Deinde quęro, cur sit imperfectus; an quia non repræsentat adequatè totam rationem analogiæ? Verùm cum hæc cõsistat in indiuisibili, sicuti, & quælibet alia ratio formalis, non potest aliquo pacto intelligi, nisi adequatè intelligatur, quia vel percipitur ratio formalis, vel non: si primum adequatè intelligitur; si secundùm, nullo pacto. Quare dicendum puto: quòd sicuti necessariò analoga debent concipi per plures conceptus obiectiuos, ita etiam necessariũ fit, quòd interueniant plures conceptus formales, vel vnus distinctus æquiualẽs pluribus, seu repræsentans distinctè totum id, quòd repręsentarent plures cõceptus.

Conceptus formalis analogorum perfectus est multiplex, imperfectus vnus.

Reij itur hæc doctrina.

Quomodo Analogum de analogatis prædicetur.

SECTIO II.

I. **A**Nalogum prædicari de suis analogatis, nemo dubitare potest; tamen difficultas consurgit, an sit prædicatio communis de inferioribus, an verò sit tantum vox cõmunis, & nihil vltra Caiet. de Nom. anal. cap. 6. docet, quòd prædicatur vt quid superius de inferioribus, non tamen vt quid omnino vnum, sed vt vnum proportione, & abstrahens ab inferioribus quo modo abstrahens ab inferioribus. & Fundamentum est, quòd ad prædicationem, siue vniuoci de suis vniuocatis, siue æquiuoci de suis æquiuocatis, siue analogi de suis analogatis qua-

Analogũ prædicari de analogatis vt superius de inferioribus, fecit Caiet.

ruor ad minus interueniunt, vt cum animal prædicatur de homine, & leone, interuenit ratio hominis, & ratio leonis natura animalis, quæ est in homine, & natura animalis quæ est in leone. Quãdo canis prædicatur de marino, & terrestri, interueniunt ratio canis marini, & canis terrestris, & nomen canis marini, & nomen canis ter restris; sic etiam quãdo risus prædicatur de homine, & de prato, interuenit ratio hominis, & ratio prati, & risus: qui est in homine, & risus, qui est in prato. Hoc tamen discrimen est, quòd in vniuocis ratio, quæ est in vno, est omnino eadem cum ratione, quæ est in alio, in æquiuocis verò est omnino d uersa; in analogis verò est aliquo modo eadem secundùm proportionem, & se habet aliquo modo, vt quid superius respectu inferioris. Atq; hanc sententiam sequuntur omnes illi, qui putant, ens esse analogum respectu suorum inferiorum; Imò illi tribuunt nonnulli aliquam maiorem vnitatem, hos autem hic nõn referimus, quia suo loco iam citauimus, & quantum est ex parte entis, nulla nobis circa hoc remanet difficultas.

In analogis attributionis quãdo analogum prædicatur de ipsis, adest sola communitas nominis.

II. Quòd ergo spectat ad punctum difficultatis, si loquamur de ijs, quæ ponuntur communiter analoga attributionis, censeo, quando analogum prædicatur de ipsis, adesse solam communitatem nominis, non verò alicuius conceptus quocumq; modo superioris; atq; hoc sequitur ex supradictis, vbi ostendimus, reuera esse æquiuoca à consilio, nec participare aliquam rationem analogiæ: vnde consequenter debent habere solam communitatem vocis, & rationes omnino diuersas, non verò conceptum aliquem aliquo modo superiorẽ. Quòd etiam prob. vbi nulla est conuenientia, ibi non potest esse prædicatum aliquod secundùm esse obiectiuum, quòd sit cõmune, quia cõmunitas prædicationis fundatur in conuenientia extremorum, & vbi est perfecta communitas, nempe vniuoca, vbi est perfecta conuenientia; vbi autem nulla est conuenientia, nulla etiam erit communitas; sed inter analoga attributionis, prout minora analogata comparantur ad maius analogatum, nulla est conuenientia ergo neque etiam aliqua communitas Minor declaratur, maius analogatum, vt tale est, dicit formam, in qua fundatur analogia; minora verò analogata, quatenus talia sunt, dicunt habitudinem ad ipsum, prout dicit talem formam, certum est autem, quòd si habitudo, & forma comparantur ad inuicem secundùm suum esse formale, nullam habent conuenientiam, sed omnimodam dissimilitudinem, ergo quando nomen analogum prædicatur de maiori, & minori analogato, nullum prædicatum importat, quòd habeat aliquam rationem communitatis.

Neq; de analogis proportionis aliquid superius prædicatur de inferioribus, sed sola vox.

III. Atque idem etiam dicendum existimo de analogis veris, nempe proportionis, quòd videlicèt adsit tantùm in prædicatione communitas nominis, non verò alicuius prædicati. Quòd licet difficile videatur, ostenditur tamen destruendo fundamentum oppositæ sẽtentiæ. Ideò enim daretur aliqua communitas, quæ prædicaretur, quia videlicèt inter hæc analoga interuenit proportio: & ratione huius proportionis aliquo modo vnum sunt, hoc .n. est totum fundamentum oppositæ opinionis. Verùm, si res attentè consideretur, inuenicimus, quòd ipsamet p roportio destruit omnino communitatem rationis, & tollit omnem superioritatem prædicati, vnde nulla potest interuenire, quia si adesset, solùm ratione proportionis adesset. Quòd autem proportio tollat superior itatem, & communitatẽ prob. quia superioritas, & communitas, vt tales sunt, dicunt vnitatem, nam in eo consistit superioritas, & communitas, quòd sint rationes dicentes prædicatũ potens ad essendum in multis, contra verò proportio, vt talis, dicit multitudinem, & diuersitatem, nam in eo consistit formaliter, quòd sint rationes diuersæ proportionaliter se habentes, & proportionaliter se habent ex eo, quòd sunt rationes diuersę, & eo ipso quòd cessat diuersitas, non potest amplius haberi proportionalitas.

Quicquid est, aut est perfectè vnũ aut perfectè multiplex. Altera ratio.

IV. Secundò prob. quidquid est, aut est perfectè vnum, aut perfectè multa, nam vnum, & multa opponuntur contradictoriè, si quidem multitudo dicit negationem vnitatis, nec potest tolli vnitas, nisi per positionem completę pluralitatis; nec potest poni, nisi per ablationem totius pluralitatis; & sic etiam contingit in pluralitate, non potest tolli pluralitas, nisi per posi-

tionem completæ vnitatis; hec potest poni, nisi auferatur tota vnitas. Modò inquiro, an in illa superioritate, quam ponit proportio, sit vnitas, vel non. Si est vnitas, est perfecta vnitas, & consequenter erit aliquid vniuocum superius, quia posita perfecta vnitate rationis communis, habetur vniuocatio. Si autem non est vnitas, ergo erit perfecta pluralitas, quomodo autem potest esse aliqua superioritas, cum nequeat hæc reperiri sine communitate, & communitas sine vnitate? Et potest vrgeri amplius hæc ratio, nam superioritas, quæcumque sit, quæ ponitur ex vi proportionis, vel est secundùm esse physicum, vel secundùm aliquam formalitatem metaphysicam. Primum non potest dici, nam esse physicum dicit aliquam entitatem completam in esse entis, & aliquam formam physicam, vnde si ratio superior esset secundùm aliquod physicum, diceret vnam aliquam formam physicam, quę esset in singulis analogatis, & consequenter conuenirent analoga in aliqua vltima specie, quæ esset conuenientia vniuoca. Sed si est secundùm aliquod esse metaphysicum, dicet aliquod metaphysicum prædicatum commune, atque adeo aliquam formam metaphysicam; cum autem omnis forma metaphysica consistat in indiuisibili, sequitur, quòd dicat prædicatum vniuocum, quia ratione indiuisibilitatis necesse erit, quòd æqualiter participetur: vnde recurrunt difficultates omnes, quas supra prosecuti sumus de vnitate; conceptus obiectiui. Quòd etiam conf. quia inter præscindere, & non præscindere nullum datur medium; vnde si interuenit aliqua superioritas, debet dicere aliquid ab analogatis pręcisum; inquiro autem, an præscindat ab inferioribus, vel non pręscindat, si ab inferioribus præscindit, ergo est aliquod prædicatum ab ipsis distinctum, & consequenter non est aliquod ex inferioribus, vnde, & habet suam vnitatem, & communitatem, quæ æqualiter descendit. Si verò non præscindit, nec etiam potest habere superioritatem, quia non potest esse absque præcisione.

Superioritas neque est respectu analogorum secundum formam physicam, neq; secundum esse metaphysicum.

V. Tertiò. quotiescumq; aliquid prædicatur conuertibiliter de aliquo non est aliquid superius ad ipsum, sic quia visibile prędicatur de homine, non est aliquid superius ipso homine; econtra verò quia animal est aliquid superius; non prędicatur conuertibiliter; non .n. *omne animal est homo*, sicuti valet *omnis homo est animal*; sed quando nomen analogum prædicatur de aliquo analogo, id, quod substat tali nomini prędicatur conueritbiliter de suo analogato, ergo nō potest prædicari cum aliqua superioritate; minor conf. quando prædicatur nomen analogum de analogato non potest tali nomini aliquid subesse, quòd non sit in analogato, alioquin prædicatio esset falsa, quia aliquid tribueretur analogato, quòd non esset in ipso, hoc autem non potest esse aliud, nisi ratio proportionis, per quam analogatum cōstituitur in esse analogi: hæc autem ratio proportionis est peculiaris tali analogato, vnde etiam prædicatur conuertibiliter; sic quando dicitur pratum ridere, quia nomine risus importatur floriditas, quàtenus habet proportionem cum risu hominis, fit, quòd illud quòd substat nomini analogo, conuertibiliter dicatur de prato.

Quando nomen prędicatur de [illegible]

[A]nalogo quod substat nomini, prędicatur conuertibiliter. Tertia ratio.

VI. Ad fund. oppositæ sententiæ patet ex dictis; non .n. sufficit proportionis conuenientia ad ponendum aliquā superioritatem: imò ex vi suæ rationis formalis illam tollit. Vnde colligitur quòd in qualibet analogia nulla alia est communitas, præter cōmunitatem nominis cum sua significatione; quòd si præcisè consideretur ratio, quæ subest nomini, prędicatur conuertibiliter cum analogatis; quando verò prædicatur de ipsis, applicatur diuersis rationibus obiectiuis, seu diuersi cōceptus obiectiui illi substāt pro diuersitate analogatorū, qui conuertibiliter dicuntur cū analogatis. Quocirca nomen est sēper talis naturæ quòd possint ipsi substitui diuersæ rationes obiectiuæ, habētes tamē proportionem adinuicem, quæ postea singulæ absque aliqua præcisione, aut superioritate dicantur, & in hoc consistit modus prędicādi analogorū de suis analogatis.

In omni analogia nihil superius cōmune præter nomen.

Resoluuntur nonnullæ aliæ difficultates.

SECTIO III.

I AD complemētum huius doctrinæ, quædam aliæ difficultates soluendæ sunt, quas vt pote minoris momenti, vnica sect. complectemur. Et primò quidem dubitatur, quomodo in ana

Quomodo [illegible] analogo per

fit fieri compa-ratio.

analogo possit fieri comparatio, ita vt stante hac comparatione vnum analogatum perfectius participet rationem analogam, quàm participet alterum. Et quidem, qui asserebant, analoga participare vnam rationem cõmunem, facilè se expediebant; asserebant.n. quòd ratio communis perfectiori modo descendebat ad vnum, quàm ad alterum. Nos verò, qui non admittimus hanc rationẽ inæqualiter participatam, maior vrget difficultas, præsertim cum analoga, vt talia sunt, nullo pacto habeant conceptum communem, quomodo.n. si cõparantur secundùm rationes diuersas, vnum dicitur magis perfectum, quàm alterum? magis enim, & minus non variat speciem.

Caiet.

Duplex comparatio: secundum magis, & minus.

II. Sed facilis est responsio, si, vt etiã not. Caiet. Opus. sæpius cit. de Nomin. analog. cap. 8. distinguamus duplicem comparationem, seu modum comparationis; loquendo hic non de comparatione intellectuali, sed de obiectiua; cũ.n. comparatio fiat ad minus inter duo in aliquo, secundùm quòd similia sunt, tot modis contingere potest comparatio, quot modis contingit similitudo, cum igitur similitudo alia sit secundùm vniuocationem; alia verò secundũ proportionem, etiam duplex comparatio contingere potest, nempè secundùm vniuocationem, & secundùm analogiam; & hæc, quæ est secundùm analogiam, potest fieri in sola proportione rerum, & in diuersis rationibus, quatenus tamen conueniunt proportionaliter; non enim quando fit huiusmodi cõparatio, ita comparantur, quasi idem sint, sed comparantur extrema; quia vnum proportionaliter habeat id, quòd habet aliud.

III. Atque hinc etiam facilè elicitur, quomodo vnum possit esse magis perfectum altero in illa ratione, secundam quàm fit comparatio, hoc enim magis, & minus non sumitur secundùm identitatem specificam, aut genericam, siue quamcumq; aliã vnitatẽ; sed secundùm proportionem, sicuti secundùm proportionem fit comparatio, & sensus est, quòd ratio illa, quæ importatur per nomen analogum, ponit maiorẽ perfectionem in suo analogato, quàm ponat altera in alio analogato, seruata tamen proportione, non verò seruata vnitate rationis, atq; hæc etiam comparatio fit inter res diuersas omnino, sic dicimus, vnam formam esse perfectiorem alia, licèt specie differant, quia, seruata proportione, vna dicit maiorẽ perfectionem, quàm altera, sic dicimus, melius esse, fieri Pontificem, quàm Regem, quòd tamen debet semper intelligi seruata proportione; sic dicimus hominem constitui per doctrinam perfectiorem, quàm lapidem. Quo posito facilè explicatur, iuxta nostra principia, quomodo vnũ analogatum sit perfectius altero, vt tale est, nam semper ratio importata per nomen e in vno propriè, in alio autem metaphoricè, certum autem est, quòd perfectiori modo aliquid est in alio, quando in ipso reperitur propriè, quàm in illo, in quo tantùm metaphoricè reperitur.

Vnum analogi perfectius altero secundum proportionem.

IV. Altera difficultas est de diuisione analogi in sua analogata, an videlicèt possit diuidi aliquid præter ipsum nomẽ in suas significationes, seu res significatas. Caiet. præcit. Opus. cap. 9. ait, quòd potest diuidi ratio illa communis, quatenus est vna proportionaliter, quia cũ constituatur ex pluribus rationibus, in eas diuidi potest: Verùm ait, hanc non esse diuisionẽ analogi in sua analogata, quia analogata nõ sũt ipsæmet rõnes in quas ratio vna proportionalis diuiditur, quia hæ rõnes in ipsius analogi cõstitutione intrinseca claudũtur; sed analogata sunt illa, quæ participant has rõnes. Rursus inquit, analogum posse diuidi quoad significatũ, quòd est vnum proportionaliter in partes subiectiuas, seu in diuersos modos, quibus analogi ratio participatur; nam dum ratio analogi analogatis tribuitur, constituitur diuersus modus participationis, & hoc est diuisio analogi in sua analogata. Notat autem triplicem differẽtiam, quæ interuenit inter hanc diuisionẽ, & diuisionem vniuoci. Prima est ex parte diuisi; nam in diuisione vniuoci id, quòd diuiditur, est omnino vnum secundùm rationem, in diuisione verò analogi est vnum secundùm proportionem. Secunda ex parte diuidentium, quia diuidentia respectu vniuoci sunt extra rationẽ vniuocam, diuidentia verò respectu analogi nõ sũt extra illã. Tertia ex parte partium subiectiuarum, quæ diuisio subijciuntur, quia quando diuisum est vniuocum, vna pars subiectiua non est perfectior altera, nec prior, aut poste-

Caiet.

Eius sententia de diuisione analogi in sua analogata.

rior; cum verò diuisum est analogum, vna pars est prior, & posterior altera.

Reijcitur doctrina Caiet.

V. Sed hæc Doctrina Caiet. mihi non placet. Vnde impugnari potest quoad primam partem, nempe, quòd ratio analoga, quatenus est vna proportione, possit diuidi non in analogata, sed in rationes analogatorum, quod enim non est vnum, non potest diuidi, si quidem diuisio ponit multitudinem, & aufert vnitatem, fit enim transitus ab opposito in oppositum, nempe ab vnitate in multitudinem; sed ratio analogi non est vna, siquidem consistit in proportione, quæ essentialiter includit pluralitatem rationum. Confir. si esset aliqua ratio analogi, quæ diuideretur in rationes participatas ab analogatis, sequeretur, quòd analogata haberent vnum conceptum communem præcisum, nempe illam rationem, quæ vt communis diuideretur, vt enim ratio aliqua diuidatur, requiruntur rationes diuidentes, & ratio diuisa, quæ debet esse distincta a rationibus diuidentibus: hoc autem non potest interuenire in analogia, in qua sunt tantùm rationes analogatorum, quæ secundùm se distinguuntur, nec habent aliquid commune, in quo sint vnum, & quod possit diuidi. Denique cum dicitur, quòd analoga sunt vnum proportione, non intelligitur, quòd habeant rationem aliquam vnam, & diuisibilem; sed quòd rationes proportionales præstēt proportionaliter idem respectu sui analogati.

Significatum nominis analogi non est vnū.

VI. Quod etiam spectat ad significatum, non mihi prob. potest, quòd diuidatur in sua analogata, quia etiam significatum, vt diuideretur, deberet esse vnum; significatum autem non est vnum, quia deest ratio, quæ tribuat vnitatem; requireretur enim ratio aliqua formalis constitutiua vnitatis, & diuisibilis in rationes analogorum, quæ cum desit, vt vidimus, nec etiam potest significatum analogi esse vnum. Confir. Nomen analogum non significat aliquid præscindens ab analogatis, sed immediatè significat analogata sub disiunctione, nam non datur hoc commune abstrahens, ergo non adest significatum analogi, quod possit diuidi in analogata. Denique hæc est ratio fundamentalis huius sententiæ quò ad vtramque partem, nempe quia vbi non est communitas, & vnitas, non potest esse diuisibilitas: analoga autem, neque secundùm analogata, neque secundùm rationes analogatorum habent aliquid commune, vnum, sed solùm habent conuenientiam proportionalem. Atque hæc sunt quæ spectant ad analogiam, solùm dubitari posset, an analogum possit esse medium demonstrationis: Rursus an possit esse ratio formalis obiectiua alicuius scientiæ. Sed hæc non spectat ad declarandam naturam analogiæ, sed potius ad tractatum de scientia. Ideo has difficultates alio remittimus.

Nomen analoga significat immediatè analogata.

DE INDIVIDVATIONE.

ALTERVM gradum vnitatis aggredimur, nempe indiuiduationem, quæ ficuti importat vltimum gradum vnitatis, ita etiam est omnium maxima vnitas. ita vt sit ratio vnitatis omnino completa; alij enim vnitatis gradus, quia superiores sunt, patiuntur secum aliquam communitatem, & quo magis vnitas ad inferiores gradus descendit, eò minori communitati commiscetur, & maior euadit; vndè, cum ad vltimum gradum descendit, omnem communitatem excludit, & est vnitas maxima, quæ haberi possit, quia supra ipsam non est excogitabilis alia ratio vnitatis, per cuius additamentum possit maior euadere. Plura autem circa ipsam examinanda sunt, & quæ magnam continet difficultatem, quæ omnia suo ordine discutiemus,

De existentia, & essentia indiuiduationis.

Disputatio XXXV.

Multiplex acceptio indiuidui, & eiusdem existentia.

SECTIO I.

I. Concretum indiuiduationis est Indiuiduum, quod veluti per quamdam formam ab ipsa constituitur; quia autem quò ad nos concreta notiora sunt abstractis, ideo ab ipsius cognitione ad cognitionem indiuiduationis ascendere oportet. Sed priùs oportet videre, quid ex vi nominis indiuiduum importet, & quot modis sumatur, vt decernamus, in qua nam significatione accipiendum sit, vt ad indiuiduationem, cuius naturam inquirimus, nobis sternat iter. Quatuor igitur modos enumerat D. Damascen. in sua Dialect. cap. 11. qui- D. Dam. bus accipi potest. Cum enim indiuiduum, quantum est ex vi nominis, importet id, quod indiuisum est, idem enim sonat, ac non diuisum; ideo quot modis aliquid indiuisum dici potest, tot etiam dicitur indiuiduum. Primus significat id, quod omnino indiuisibile est, nec vllo pacto in partes diuidi potest, quia illis caret, vt punctum, temporis instans, & vnitas numeri.

Quid ex vi nominis dicat indiuiduum.

Indiuiduum pro re indiuisibili in partes.

Hic tamen sensus non est ille, in quo modò debet sumi, prout ad præsentem materiam facit, quia iuxta hanc significationē importat tantùm indiuisibile quantitatiuum: neque indiuiduo, de quo modo agimus, repugnat habere partes, in quas possit diuidi; sic gutta aquæ est quoddam indiuiduum aquæ, & tamen in diuersas partes diuidi potest. Altero igitur modo accipi potest, nimirum pro eo, quod egrè diuidi potest, quemadmodum est adamans, & alia huiusmodi. Verùm neque hic modus aptus est nostræ consideratiomi, tum quia non importat indiuiduum, seu indiuisibile simpliciter, tum quia intra limites indiuidui quantitatiui continetur, & solùm importat indiuisionem secundùm esse quantitatiuum, non verò rationem vniuersalem indiuiduationis.

Pro re ægrè diuisibili.

Tertio igitur modo indiuiduum accipitur pro specie infima, quę in alias species diuidi non potest, & ideo indiuidua dicitur, seu athoma, vt homo, aut equus. Qui tamen modus valdè improprius est; non enim importat rationem indiuidui sim-

Indiuiduum pro specie infima.

simpliciter, sed solùm secundùm quid, nempe secundùm essentiam, & solùm secundùm essentiam species infima dici potest indiuidua. Iuxta quod, etiam Arist. 7. Metaph. tex. 43. vocat species infimas indifferentes, hoc est indiuiduas, seu indiuisibiles, dum docuit, in diuisione generis semper procedendum esse, donec ad indifferentia deueniatur. Denique indiuiduum quarto modo accipitur pro eo, quod quidem diuidi potest, sed si diuidatur, non retinet pristinam speciem, vt est, hic homo, qui si diuidatur in animam, & corpus, neutra pars est homo. Verùm, neque hic modus propriam acceptionem indiuidui importat, licet enim conueniat talis acceptio indiuiduo, non tamen conuenit, quatenus indiuiduum est, nam etiam species si diuidatur in genus, & differentiam, aut in suas partes physicas, non retinet amplius eamdem naturam; deinde plura sunt indiuidua, quæ etiam si diuidantur in suas partes, retinēt eamdem speciem, vt sunt omnia indiuidua quantitatiua, quæ constant ex partibus homogeneis; rursus etiam alia indiuidua diuidi nullo pacto possunt, vt sunt indiuidua animæ rationalis, & alia huiusmodi.

Arist.

Quarta acceptio Indiuidui.

II. Vt igitur veram acceptionem indiuidui inueniamus; sciendum est, dari quasdam naturas, quæ in pluribus reperiuntur, vt manifesta experientia patet: sic enim natura humana reperitur in pluribus, vt sunt singuli homines; atque etiam eadem inductio in cæteris naturis fieri potest. Cum autem hæ naturæ in pluribus reperiantur, nesse est, vt habeant aliquam cōmunicabilitatem, qua cōmunicētur, & plurificentur secundùm esse entitatiuum; & proinde sunt aliquo modo diuisibiles, quia licet non diuidantur secundùm suā essentialia, diuiduntur tamen secundùm esse physicum, in quo reperiuntur à parte rei. Quia autem hoc esse, in quo reperiuntur, est ita vltimò terminatum secundùm communicabilitatem, vt nequeat pluribus communicari, quæ sub se tanquam inferiora contineat, & in quæ diuidatur aliquo alio modo proportionaliter ad illud, quo diuiditur natura, quando pluribus communicatur; ideo hic habemus veram acceptionem indiuidui, per quam nimirum importatur aliquid taliter indiuisum, vt sit incommunicabile pluribus tanquam superius, quemadmodum communicatur natura. Vnde debet accipi in significatione opposita vniuersali, & communi; quia sicuti vniuersale importat aliquid communicabile, & quod in pluribus potest esse, ita indiuiduum importat aliquid incommunicabile, & quod in pluribus non potest esse. Et iuxta hanc acceptionem accepit Arist. indiuiduum 3. Metaph. tex. 14. quando dixit. *Numero enim vnum dicere, aut singulare, nil differt; ita enim singulare dicimus, quod vnum numero est: vniuersale vero, quod in his*. Indiuiduum enim, & singulare idem sunt: dicitur autem indiuiduum, quatenus non reperitur diuisum in pluribus inferioribus: singulare verò quatenus est seorsim à quocumque alio.

Quædam naturæ pluribus cōmunicabiles.

Vera acceptio indiuidui.

Arist.

III. Iuxta autem hunc modum acceptionis, adhuc dupliciter sumi solet. Aliquando enim accipitur pro indiuiduo substantiæ completo, & simul accidentibus ornato, vt esset Petrus, aut aliquis alius indiuiduus homo, aut hic lapis, aut quodlibet aliud cuiuscumque naturæ substantialis, quod à parte rei cum suis accidentibus existat, atque proprietatibus indiuidualibus. Et de hoc indiuiduo locutus est Porphyr. in cap. de specie, inquiens. *Indiuiduum autem dicitur Socrates, & hoc album, & hic veniens Sophronisci filius, si solus sit ei Socrates filius*. Deinde subdit rationem, cur dicantur indiuidua. *Indiuidua autem dicuntur huiusmodi; quoniam ex proprietatibus consistit vnumquodque eorum, quarum collectio numquam in alio eadem erit*. Quibus explicat indiuiduum substantialis naturę ex indiuidualibus proprietatibus accidentalibus, quibus ita afficitur, vt earum collectio incommunicabili modo se habeat, nec in aliquo alio reperiatur. Altero verò modo accipitur pro quacunque entitate physica, quæ à parte rei incommunicabiliter respectu plurium existat, siue sit substantialis, siue accidentalis; & hoc modo omnia accidentia, quæ sunt in subiecto, habent singula propriam indiuiduationem, qua in esse indiuidui constituuntur: vndè indiuiduum illud substantialis naturæ affectum indiui-

Indiuiduū proprie dictum; duplicitèr sumitur.

Porph.

dua-

dualibus proprietatibus; coalescit ex pluribus indiuiduis hoc posteriori modo acceptis, quia constat ex pluribus entitatibus indiuidualibus.

ulti- ex mo is qu diui- ... sub- stantia- natu e signi- catur

IV. Rursus indiuiduum substantialis naturæ affectum suis indiuidualibus proprietatibus diuersimodè se habet, non quidem quò ad modum essendi, sed solùm quò ad modum, quo significatur: diuersimodè enim significari potest. Vel enim indeterminato modo accipitur, ita vt non importet indiuiduum determinatum, sed hoc, vel illud, & dicitur *Indiuiduum vagum*, vt *Quidam homo, quidam equus*. Vel afficitur signo aliquo demonstratiuo, quo mediante aliquid certum, & determinatum indiuiduum demonstretur, & dicitur *Indiuiduum signatum*, vt *Hic homo*. Vel proprio nomine exprimitur, vt *Petrus*, & dicitur *Indiuiduum Nominatum*, quia nimirum nominatim exprimitur. Vel denique exprimitur per circumlocutionem, & dicitur *Indiuiduum circumlocutum*, vt *Sophronisci filius*, tunc enim per circumlocutionem describitur Socrates. Hæ autem diuersæ acceptiones desumuntur ex Porphyr. supracitato, & conuenire possunt, vt patet, vni, atque eidem indiuiduo; Potest enim exprimi per circumlocutionem, & proprio nomine, & potest etiam aliquo signo demonstratiuo determinatè ostendi. Et cum ipsum quoque sit quoddam indiuiduum, potest vagè significari, ita vt indiuiduum vagum de ipso dicatur.

V. Atque quod indiuiduum secundùm talem acceptionem propriam, qua nimirum importat aliquid incommunicabile pluribus, detur à parte rei, nemo negabit. Licet enim Thomistæ negent indiuiduationem in Angelis eo, quòd ipsam volunt desumi à materia, qua carent omnino Angeli, concedunt tamen, vnumquemque angelum singularem esse, nec posse pluribus communicari. Vndè accepto in hoc sensu indiuiduo, certum est apud omnes, quodcumque ens, quod à parte rei existit, indiuiduum esse. Hoc autem constat ex ijs, quæ supra diximus de Vnitate essentiali. Disp. 11. sect. 2. vbi ostendimus, non dari vniuersale à parte rei extra indiuidua, sed quicquid est, indiuiduum esse. Quod etiam nunc breuiter declarari potest; quicquid e-

Q. ie. quid exi stit, indi- uiduū est

nim à parte rei existit, habet suam physicam entitatem, quæ quidem in se ita determinata est, vt non communicet cum entitate alterius, nec vllo pacto pluribus communicari possit, quæ sint plura eiusdem rationis, ita vt in vnoquoque ipsorum tota reperiatur, quemadmodum contingit in natura specifica, quæ tota reperitur in quolibet inferiorum: non enim alio pacto multiplicari potest, quàm per diuisionem, qua in seipsa diuiditur; verùm si in seipsa diuiditur, non potest esse tota in quolibet eorum, in quæ diuiditur. Huius autem rei ratio à priori est, quia omnis communicatio, qua aliquid pluribus communicatur, fit per diuisionem: diuisio autem duplici modo contingere potest, vel secundùm essentiam, cum scilicet aliquid per differentias superuenientes diuiditur in varias species, vt cum animal diuiditur in Rationale, & Irrationale; vel secundùm entitatem, cum scilicet aliqua natura non est ampliùs essentialiter diuisibilis, sed solùm in diuersas entitates diuidi potest, quæ sint omnes eiusdem rationis. Nulla autem alia diuisio excogitari potest, qua aliquid pluribus, & secundùm se totum singulis communicetur; nam quando diuiditur in partes siue essentiales, siue integrales, non interuenit talis communicatio, neque enim secundùm se totum reperitur in singulis partibus; neque enim homo reperitur in sola anima, aut corpore; aut tota quantitas bipalmaris in palmari; & ideò talis diuisio non est communicatio, sed mera diuisio. Ex his autem duabus diuisionibus, per quas aliquid communicatur secundùm se totum pluribus, entitatiua vltima est, quia cum debeant fieri per aliquod additamentum, quo superaddatur diuisio aliquod esse, non potest excogitari aliqua diuisio huiusmodi, nisi adsit esse, quod diuisio superaddatur. Posito autem esse entitatiuo, per quod fit diuisio entitatiua, quælibet res habet suum intrinsecum esse adeo completum, vt non possit aliquid aliud recipere, sed ad summum vniri potest cum aliqua alia entitate, tunc tamen ipsi non communicatur ea communicatione, qua in ipsa reperiatur, vt intrinsecum constitutiuum, quemadmodum debet cōmunicari id, quod se habet, vt quid

Vnde physica entitas habeat i comunicabilitatem.

Duplex diuisio, entitatiua, & essentialis

Entitatiua est vltima diuisio.

com-

commune: quare nihil adeſt, quo fiat vlterior diuiſio ſupra entitatiuam, & ideo vltima eſt. Cum ergo vltima ſit, ſequitur, quòd vnumquodque eſſe entitatiuũ indiuiduum ſit, & incommunicabiliter exiſtens, vt pote quia non poteſt per vlteriorem diuiſionem communicari.

Qualiter ſe habeant gradus in conſtituendis eſſentijs.

VI. Præterea rurſus declarari poteſt. Certum enim eſt, dari quaſdam naturas pluribus communicabiles, cum de facto videamus in pluribus reperiri; vt eſt natura humana, natura equina, & aliæ huiuſmodi. Hæ autem naturæ conſtant ſuis gradibus eſſentialibus metaphyſicis, qui quidem concurrunt ad conſtituendam vnam integram eſſentiam, & tali pacto ſe habent, vt vnus ſubordinetur alteri, & vniantur tanquam ſuperior, & inferior. Inferior autem gradus confert aliquod complementum ſuperiori in ordine ad eamdem eſſentiam, atque huiuſmodi complementum magis determinat ſuperiorem, ita vt quò inferior eſt, eò magis determinatum complemẽtum conferat. Hoc ergo ſtante, neceſſe eſt, quòd dentur ea, quibus huiuſmodi naturæ communicabiles cõmunicentur: atque etiam aliquod complementũ vltimũ, quia cum gradus, quò inferior eſt, eò magis determinato modo compleat, deuenietur ad aliquem, qui ita determinatè complebit, vt non relinquat capacitatem ad vlterius complementum. Hinc autem neceſſariò deueniẽdum eſt ad eſſe incommunicabile, tum quia debet poni vltimũ complementũ, quo ad eſſe intrinſecum; hoc autem vltimum cõplementum erit neceſſariò eſſe indiuiduale, quia debet eſſe quid incõmunicabile; in tantum enim gradus ſuperiores ſunt capaces vlterioris complementi, in quantum ſunt communicabiles plurib. quia illud recipiũt, dum cõmunicantur: vnde cum vltimum complementum debeat tollere capacitatem ad vlterius cõplementum, debet reddere incõmunicabile. Tum etiam ſi natura pluribus cõmunicatur, ne procedatur in infinitum, deueniri debet ad aliqua, quæ ſint incommunicabilia, atque adeò ad indiuidua, quia ſi communicatur pluribus, quæ adhuc ſint communicabilia, adhuc alia plura concedenda erunt, quibus hæc communicentur; & ſic etiã de iſtis dicendum eſſet, ſi adhuc ſunt communicabilia, & ſemper ad alia procedendum, quouſque ad incommunicabilia deueniatur. Si verò ponatur natura incommunicabilis, iam eſt ex ſe indiuidua. Atque cum eo ipſo, quòd aliquid habet ſuum eſſe entitatiuum, habeat etiam quò ad eſſe intrinſecum ſuũ vltimum complementum, vt ex iam dictis patet, atque entitas phyſica, eo ipſo, quòd talis eſt, ſit ab intrinſeco pluribus incommunicabilis, ſequitur, neque per Dei potentiam poſſe poni aliquid à parte rei, quod non ſit indiuiduum, quia eo ipſo, quòd eſt à parte rei, habet ſuum eſſe entitatiuum. Confirmata ergo manet exiſtentia indiuidui, atque adeo etiam indiuiduationis, quia ſi datur concretum, neceſſariò concedendum eſt etiam abſtractum, quo conſtituatur concretum.

Quomodo exiſtentia indiuiduorum colligatur ex communicabilitate naturæ.

Neq; per Dei potentiã poteſt poni in actu aliquid nõ indiuiduum.

Quid dicat eſſentialiter indiuiduum.

SECTIO II.

I. VT eſſentiam, & quidditatem indiuiduationis inueniamus, adhuc indiuiduum in concreto conſiderabimus, cuius natura, vt tale eſt, percepta, facilè erit, indiuiduationis quidditatem ſtatuere. Et quamuis dubium ſit, an poſſit quidditatiua definitione definiri, tum quia Ariſt. 7. Metaph. tex. 53. docet, Indiuidua non poſſe definiri, & quamuis loquatur ſolùm de indiuiduis ſubſtantiarum ſenſibilium eo, quòd corruptibilia ſunt, & poſſunt non eſſe, hoc tamen ad quodlibet indiuiduum creatum extendere poſſumus, quia ex fide habemus, quòd fallem poteſt per annihilationem deſinere: tum etiam, quia dubium eſt, an poſſit dari aliquid commune omnibus indiuiduis, quatenus indiuidua ſunt, de quo inferius tractabimus, ratione cuius poſſint omnia vnica definitione complecti: vnde licet Ariſt. poſſet explicari, quòd velit, non poſſe ipſam naturam indiuidui, quatenus in ipſo eſt definiri, quia prout in ipſo corruptibilis eſt, adhuc tamen ex hoc alio capite dubium remanet. Licet, inquam dubium ſit, an poſſit indiuiduum rigoroſa definitione definiri, certum tamen eſt, quòd poteſt ita definiri, quamuis fortè non ſit definitio propriè dicta, vt perfectè ipſius quidditas explicetur: quod modo nos in præ-

Ariſt.

Dubiũ An indiuidua poſſit definiri.

præsenti sect. præstabimus.

Diuersæ defin. tiones indiuidui.

II. Diuersas igitur definitiones assignare solent Doctores, quas ex Porphyr. cap. de specie colligunt, quarum prima est, *Indiuiduum est illud, cuius proprietatum collectio in nullo alio reperiri potest*; quam desumunt ex illis verbis ipsius Porphyr. quæ sic habent *Indiuidua autem dicuntur huiusmodi, quoniam ex proprietatibus consistit vnumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio eadem erit*. Altera autem definitio tali pacto se habet. *Indiuiduum est illud, quod de vno tantum prædicatur*; quam similiter ex Porphyr. colligunt, dum docens, genus generalissimum prædicari de generibus, & speciebus sub se contentis, & subalternum de speciebus, & indiuiduis sub se contentis: speciem autem de solis indiuiduis, statim subdit *Indiuiduum de vno solo particulari*. Tertiò etiam definitur *Esse id, quod continetur sub specie*, nempe specialissima, quæ pariter desumitur ex Porphyr. dum ait, *Continetur igitur indiuiduum quidem sub specie, species autem sub genere*. Denique quartam definitionem tradit D. Th. 1. par. quæst. 29. art. 4. quæ talis est, *Indiuiduum est, quod est indistinctum in se, ab alijs verò distinctum*. quo modo definiendi explicat simul, & vnitatem, quam habet in se, & etiam incommunicabilitatem, ratione cuius non communicat cum alijs, sed ab ijs distinguitur.

Porph.

Soto.

Per has definitiones definitur esse reale indiuidui,

III. Quòd autem spectat ad has definitiones Soto quæst. vnica de Specie in respons. ad 5. docet, per has definitiones non definiri indiuiduum secundùm esse reale, seu primò intentionale, sed prout subestat secundæ intentioni, ita vt secunda intentio sit ratio, ratione cuius definiatur, quia inquit ipse. *Indiuiduum non est definibile secundùm esse reale*. Verùm oppositum tenendum est, & ipsæmet definitiones manifestè indicant, explicari ipsum esse reale indiuidui, nam cum in prima dicitur, quòd *Indiuiduum sit illud, cuius proprietatum collectio in nullo alio reperiri potest*, certum est hoc conuenire esse reali indiuidui, proprietates enim indiuidui sunt in ipso indiuiduo secundùm esse reale, & important aliquid reale de ipso: vnde cum in hac definitione explicentur proprietates reales indiuidui, oportet concludere, quòd per ipsam definiatur indiuiduum secundùm esse reale. Præterea in secunda quoque definitione, de qua est maior difficultas, definitur aliquid reale; nam cum dicitur, *Indiuiduum esse id, quod de vno tantum prædicatur*, per hanc definitionem explicatur id, quod prædicatur, tanquam aliquid, vt quod. Cum autem veritas prædicationis in eo fundetur, quòd illud ipsum, quod prædicatur, sit realiter in eo, de quo prædicatur, seu importet illud esse reale, quod est in eo, de quo prædicatur, necesse est, cum indiuiduum prædicetur de vno tantùm prædicatione vera, vt importet id reale, quod est in eo, de quo prædicatur. Tertia pariter definitio explicat indiuiduum secundùm esse reale, quia cum dicitur esse id, *Quod continetur sub specie*, explicatur ratio illa, per quam formaliter habet indiuiduum, quòd ponatur sub specie; ratio autem huiusmodi dicit esse indiuiduale, quia in tantum ponitur sub specie, in quantum importat ipsam speciem coarctatam ad esse magis determinatum, seu ad esse incommunicabile: vnde cum indiuiduum ponatur sub specie ex eo, quòd est incõmunicabile, ponitur ratione esse indiuidualis. Quod etiam ex eo patet, quia posito esse indiuiduali, indiuiduum statim ponitur sub specie absque eo, quòd aliquid aliud intelligatur, quia est aliquod inferius; & eo ablato non amplius ponitur; quare cum per hanc definitionem exprimatur id, quod ponitur sub specie, exprimetur esse reale indiuidui. Deniq. quarta quoq. definitio, quam tradit D Th. cadit supra esse reale indiuidui; quia dum dicitur esse *Id, quod est indistinctum in se, & distinctum ab alijs* importatur esse reale ipsius, quia secundùm proprium esse intrinsecũ ab alijs distinguitur, & in eodem esse inuoluit indiuisioné: & sicuti diuisio est realis primi intentionalis, ita etiam id, quod diuiditur.

In quo fundetur veritas prædicationis.

Difficultas contra allatas definitiones.

IV. Verùm quod spectat ad essentiam indiuidui, an nimirum per has definitiones rectè explicetur, ex eo statim videtur non rectè explicari, quia essentia indiuidui est vna, atq; vnaquæque ex his definitionibus aliquid diuersum ab alia explicat, vndè aut non

re-

rectè explicant indiuiduum, aut saltem inadæquato modo. Quod igitur spectat ad primam definitionem, certum est, non cadere supra indiuiduum vniuersaliter sumptum, sed solùm supra indiuiduum substantiæ affectum suis connaturalibus accidentibus, & proprietatibus: vnaquæque enim entitas se sola considerata participat suum esse indiuiduale, & nihilominus non habet hanc collectionem proprietatum, quæ eadem in nullo alio reperiri possit. Vnde ex hoc capite fit, quòd non possit colligi aliquid, quod pertineat ad constitutionem indiuidui vt sic: insinuatur tamen aliquo pacto incommunicabilitas, sed solùm secundùm collectionem proprietatum, dum dicitur, talem collectionem in nullo alio reperiri posse. Deinde contra ipsam quoque obijci posset, quòd t alis definitio alteri quoque possit applicari, nam etiam de natura, prout præscindit ab indiuiduatione, dici potest, quòd sit id, cuius collectio proprietatum non potest in aliquo alio reperiri, neque enim extra ipsam naturam reperiri potest. Quòd siquis dicat, definitionem intelligi de talibus proprietatibus, id necessariò fuisset explicandum, & tunc obscura esset definitio, quoniam non explicari possset, quænam essent hæ proprietates, nisi per ordinem ad indiuiduum, & cõmitteretur circulus. Accedit etiam, quòd dum indiuiduum explicatur secundùm accidentales proprietates, non explicatur secundùm suum esse intrinsecum, sed solùm secundùm quædam signa, quæ indicant indiuiduum.

Insufficientia primæ definitionis.

V. Secunda autem definitio videtur magis accedere ad naturam indiuidui: traditur enim per prædicabilitatem, quę ex genere suo est quædam passio illius, quod prædicatur: passio autem cum sit necessariò connexa, cum subiecto, inducit nos optimè in cognitionem illius, vt risibilitas in cognitionem hominis. Sed contra talem definitionem facit doctrina Arist. quam tradit in Anteprædicam. cap. 2. vbi docet, Indiuiduum de nullo prædicari, ait enim *Simpliciter autem quæ sunt indiuidua, & vnum numero, de subiecto nullo dicuntur*. Si ergo indiuiduum de nullo prædicatur, quomodo definietur rectè, *Esse id, quod de vno solo prędicatur?* Accedit etiam, quòd ratione quoque conuinci videtur, non rectè definiri: quæro enim, an hoc vnum, de quo prædicatur, sit diuersum ab ipso, an non; si primum, tunc concedendum esset, quòd aliquid prædicetur de aliquo, in quo non est; indiuiduum enim non est in alio; deinde cum à quocumque distinguatur, quòd non est ipsum, neque cum alio communicet, non potest de aliquo alio prædicari. Si autem admittitur secundum, iam prædicabitur de seipso; dicere autem, quòd indiuiduum prædicetur de seipso, non est explicare eius naturam, quia idem est, ac si dicatur, indiuiduum esse indiuiduum, quod est explicare idem per idem: atque hoc ipsum dici potest de quocunque, quòd non sit indiuiduum, nam vnumquodque prædicatione identica de seipso prędicari potest. Rursus. In qualibet prædicatione debet interuenire prædicatum, & subiectum, atque cum subiectum subijciatur prædicato, necesse est, vt prædicatio seruet debitam naturam prædicationis, in qua prædicatum se debet habere vt formam, subiectum verò tanquam id, quod formæ substernatur, & proinde debent importare diuersas rationes; indiuiduum autem non habet aliquid, quod sibi in prædicatione substernere possit, cum in linea prædicamentali sit vltimum, & primum fundamentum cuiuscunque prædicationis, & ob hanc causam Arist. dixit, Indiuiduum non posse de aliquo prædicari.

Arist. Indiuiduũ de nullo pr̄dicatur.

VI. His tamen non obstantibus existimo, per hanc definitionem aliqualiter naturam indiuidui explicari. Et potest definitio applicari tam indiuiduo vago, quàm indiuiduo simpliciter accepto. Quamuis enim vagum possit de quolibet indifferenter prædicari, nam *Aliquis homo* dicitur tam de Petro, quàm de Paulo, aut quocumque alio indiuiduo naturę humanæ, nihilominus non potest prædicari coniunctim de omnibus, quemadmodum prædicatur natura communis, sed disiunctiuè, aut de hoc, aut de illo, ita vt dum de vno prædicatur, non possit prædicari de alio, quia ratione prędicationis determinatur, vt stet tantùm pro illo, & ex natura sua habet, vt pro vno tantùm supponere possit vagè tamen, & indeterminatè. Et hoc pacto indiuiduum vagum

Quomodo secũda se conda definitio indiuidui.

gum de vno solo prædicatur. Et potest etiam definitio applicari indiuiduo simpliciter accepto, vt indiuiduum est; & tunc debet intelligi, quòd prædicetur de vno tantùm, nempe de seipso prædicatione identica. Per hunc autem modum definiendi non intenditur, quòd indiuiduum possit prædicari de seipso prædicatione illa, in qua saluatur vera natura prædicationis; sed solùm intenditur explicare conditionem ipsius, in qua à communi natura contradistinguitur; licèt enim natura communis de seipsa prædicari possit prædicatione identica, adhuc tamen potest de pluribus prædicari vera, & naturali prædicatione, indiuiduum autem solùm de seipso prædicatione identica. Vnde cum dicitur, indiuiduum de vno solo prædicari, idem est ac si diceretur, non habere aliquam prædicationem, in qua saluetur vera natura prædicationis; sed si prædicatur, posse tantùm identicè de seipso prædicari.

Nó prædicari de aliquo, nisi de seipso, explicat à posteriori naturam indiuidui.

P r quod exprimitur natura ipsius, nimirum incommunicabilitas; cum enim ad communicabilitatem consequatur prædicabilitas de pluribus, quia vnumquodque prædicari potest de eo, in quo reperitur; si indiuiduum non potest de aliquo, sed solùm de seipso prædicari oportet, vt nulli communicari possit: & hoc pacto accepta definitio explicat à posteriori per prædicabilitatem solùm de seipso naturam indiuidui, quòd ratione incommunicabilitatis de nullo prædicari potest vera, & naturali prædicatione, sed solùm identica de seipso.

Expenditur tertia definitio indiuidui.

VII. Tertiam autem definitio, qua definitur indiuiduum *Esse id, quod ponitur sub specie*, nempe specialissima, explicat naturam indiuidui indirectè tamen, non autem directè: importatur enim per huiusmodi definitionem aliqua conditio indiuidui, quæ consequitur ab intrinsecis principijs ipsius. Cum enim indiuiduum secundùm suum gradum formalem importet contractiuum speciei infimæ, qua species ita vltimò completur: vt non sit capax vlterioris determinationis, sequitur, quòd debeat collocari immediatè sub ipsa: hoc enim conuenit cuicunque constituto ex determinabili, & determinatiuo, sic quia species constituitur ex genere, & differentia ponitur sub genere: indiuiduum ergo, cum constituatur ex specie, & indiuiduatione tanquam ex ratione formali, & determinatiua, debet collocari sub specie infima. Quapropter *Esse id, quod ponitur sub specie infima* explicabit à posteriori naturam indiuidui, tanquam per id, quod ab ipsius ratione formali consequitur.

Esse id, quod ponitur sub specie, explicat à posteriori naturã indiuidui.

VIII. Quarta denique definitio, quam ex D. Th. attulimus, est melior cœteris, & propius veram rationem essentialem indiuidui attingit. Dum enim dicitur, *indiuiduum esse illud, quod est indistinctum in se, & distinctum ab alijs*, explicatur vnitas ipsius incommunicabilis; indiuisio enim importat vnitatem rei; Vnitas autem ex genere suo est passio entis, ita vt in conceptu adæquato ipsius imbibatur; vnde talis vnitas erit passio talis entis, & in conceptu ipsius, vt tale est, imbibetur, quare esse quoque indiuiduale importabit suam peculiarem vnitatem, qua indiuisum in se constituetur, & ex hac indiuisione consequetur diuisio à quocumque alio. Vnde cum hæc definitio tradatur per primam passionem, quæ etiam est de conceptu adequato essentiæ, magis accedit ad declarandam naturam indiuidui, quàm cœteræ. Quia tamen esse indiuisum in se, & diuisum ab alio conuenit vnicuique enti, quod in se vnum sit, ideo definitio non debet intelligi de quacumque indiuisione, aut diuisione, sed de vltima, & entitatiua, qua sit indiuisum in ordine ad communicabilitatem, ita vt non possit pluribus communicari: hoc enim pacto explicatur incommunicabilitas indiuidui.

Esse indiuisum in se, quomodo sit propriũ indiuidui.

IX. Ex his autem plura colliguntur, quæ per se conueniunt indiuiduo, & in his definitionibus explicantur. Primum est, vt indiuiduum nequeat de aliquo prædicari prædicatione, in qua saluetur vera natura prædicationis, ita vt prædicatum se habeat veluti forma subiecti, sed si prædicatur, de vno tantùm, nempe de seipso, identicè prædicari possit. Alterum autem est, quòd collocetur immediatè sub specie infima ex eo, quòd formaliter importet contractiuum ipsius. Tertium, quòd sit indiuisum in se vltima diuisione, seu entitatiua, & eadem diuisione diuisum ab alijs. Hæc enim omnia per

Quędam per sé cõuenientia indiui-duo.

se conueniunt indiuiduo, atque ipsi soli, non tamen sunt formale constitutiuũ illius: quod manifestum fiet, si per singula discurremus. Et quod spectat ad primum, potest esse solùmmodo passio illius. *Prædicabilitas* enim ex genere suo supponit esse, in quo fundetur: vnde talis prædicabilitas debet supponere tale esse; cum igitur indiuiduum de nullo prædicetur vera prædicatione naturali, oportet, quòd in ordine ad prædicationem tali pacto se habeat ratione sui proprij esse, atque adeo de nullo prædicari naturali prædicatione, sed solùm de seipso identicè consequetur tanquam proprietas ad esse indiuiduale. Similiter etiam secundùm, poni nimirum sub specie infima erit tantùm proprietas indiuidui; nam poni sub aliquo supponit aliquid quod ponatur, atque adeo indiuiduum habere debet proprium esse, ratione cuius exigat poni sub specie infima; cur enim quæso exigit poni potiùs sub specie infima, quàm sub alia? certè nihil aliud responderi potest, nisi quia importat esse contractiuum speciei infimæ; quòd si importat contractiuum speciei infimæ, iam habet proprium esse, à quo consequatur poni sub specie infima. Præterea neque tertium, nimirum illa indiuisio potest esse formale constitutiuum indiuidui, sed solùm passio, quia indiuisio non dicit aliud, quàm vnitatem; vnitas autem est ex genere suo passio, & talis vnitas est passio talis entis; diuisio verò ab alio consequitur ab vnitate, & ideo multò minus potest esse essentiale constitutiuum rei.

Quæ concernunt prædicabilitatem indiuidui non spectat ad ipsius cõstitutiuũ.

Neque poni sub specie infima.

Neque indiuisio entitatiua.

X. Sed quamuis hęc non sint essentialia constitutiua indiuidui, nihilominus facilè ex ipsis colligitur essentiale constitutiuum, ex omnibus enim ipsis desumitur incõmunicabilitas quædam, cum qua sint necessariò connexa; nam quòd non possit indiuiduum de aliquo prædicari prædicatione naturali; sed solùm de seipso, non aliunde prouenit, quàm ex eo, quòd non habet aliquid inferius sub se, cui communicetur; atque ideo taliter se habere respectu prædicationis prouenit ab incommunicabilitate, qua redditur pluribus incommunicabile. Similiter poni immediatè sub specie infima, prouenit ex ipsa; cum autem species infima importet vltimũ determinabile, oportet vt determinatiuum sit incõmunicabile. Rursus esse indiui[sum] in se, & diuisũ à cæteris vltima diuisione non in alio fundari potest, quàm in incommunicabilitate, quia si esset communicabile pluribus, posset in illis diuidi, atque adeo non esset indiuisum vltima indiuisione; nec etiam esset ab alijs diuisum vltima diuisione, quia si pluribus communicaretur, daretur aliqua vlterior diuisio, qua in illa plura diuideretur. Cum igitur ex his omnibus passionibus colligatur incommunicabilitas, tanquam ipsarum communis radix, oportet statuere, quòd ipsa sit formale constitutiuum indiuidui; id enim pro formali constitutiuo statuendum est, quod est communis radix passionum. Indiuiduum ergo de suo formali, vt tale est, importabit quamdam rationem determinatiuam naturæ communis, qua illud esse naturæ, ita compleatur, & terminetur, vt reddatur pluribus incommunicabile, atque se solo, & seorsim à quocumque alio existens. Indiuiduatio verò in abstracto erit huiusmodi ratio vltimò determinatiua naturæ, & incommunicabilitatis. Atque ex his sufficienter explicata manet natura indiuidui.

Esse incommunicabile formale constitutiuum indiuidui.

Dari principium formale indiuiduationis.

SECTIO III.

I. CVm declaratum sit, quid dicat formaliter indiniduum, nunc remanet dissoluenda difficultas, an detur aliquod principium formale indiuiduationis: nomine autem principij formalis intelligitur illa veluti forma, qua constituitur indiuiduum in esse indiuidui, seu illud, à quo habet indiuiduum, quòd formaliter sit tale. Solet autem in hac difficultate referri sententia Nominal. & etiam Durand. tanquam eorum, qui negent huiusmodi formale principium indiuiduationis; verùm non rectè ipsis talis opinio adscribitur; quia quamuis doceant, quòd natura à parte rei sit seipsa indiuidua, non intendunt tollere omnino principium formale indiuiduationis, sed solùm non esse opus aliquo super-

Sentẽtia Nominal.

addito, vt natura indiuiduetur; sed statim, ac ponitur à parte rei, ex vi proprij esse, habere indiuiduationem: quorum sententiam fusius infra suo loco referemus, cum inquiremus, quodnam sit principium indiuiduationis, & an sit aliquid superadditum naturæ: vnde non negant absolutè principium indiuiduationis, sed volunt, non esse extra naturam existentem à parte rei.

Sententia Thomist.

Thomistæ autem, cum doceant principium indiuiduationis esse materiam signatam, illud solùm consequenter admittunt in rebus materialibus, aut quæ ad materiam ordinantur; in rebus autem spiritualibus, vtpotè Angelis, non admittunt, & volunt, huiusmodi entia non esse indiuidua, sed solùm singularia, ex vi tamen suæ naturę: an autem in hac natura admittant principium singularitatis, an non, id non explicant; credo tamen admittere, sed quòd non sit extra ipsam naturam.

II. Cæterùm præscindendo modo ab eo, quòd principium indiuiduationis sit quid superadditum naturæ, an verò non sit aliquid superadditum: rursum sumendo illud generaliter pro eo, quòd reddit naturam incommunicabilem pluribus, & ita vltimò secundùm esse terminatam, vt vltima diuisione entitatiua diuidatur, absolutè dicendum est, dari principiũ formale indiuiduationis respectu cuiuscumque rei existentis, siue spiritualis, siue materialis, quò ita incommunicabiliter constituatur, vt habeat suam propriam entitatem, qua cum nullo alio communicet, sed in se seorsim à quocunque alio existat.

Cõclusio.

Datur principium formale indiuiduationis.

Hoc autem optima, certa ratione conuincitur, quia si datur effectus formalis, debet etiam dari causa formalis, impossibile enim omnino est, effectum formalem existere absque sua causa formali, quia non est aliquid diuersum ab ipsa. Cum igitur habeamus à parte rei entitates indiuiduas, incommunicabiliter existentes, iam habemus effectum formalem indiuiduationis, oportet ergo ponere principium, seu causam formalem illius, nimirum aliquam rationem, siue intra, siue extra naturam, qua tales entitates constituantur in esse indiuiduo. Atque hoc locum habet, ne dum in rebus materialibus, sed etiam in substantijs spiritualibus secundùm sententiam quoque Thomistarum, nam Angeli quoque in ipsorum sententia habent suam entitatem incommunicabiliter existentem, atque in esse entitatiuo omnino singulares sũt & proinde participant esse formale indiuidui, quod nihil aliud dicit, quàm incommunicabilitatem, & illam proprietatem, qua secundùm esse vnumquodque ab alio separatur: quòd sanè conuenit etiam angelis; nam ipsi quoque ita inuicem separantur, vt esse vnius non sit esse alterius, atque habeant quasdam proprietates, quæ formaliter, vnicuique esse appropriãtur, & incommunicabiliter conueniunt; vnde singulares sunt non minus, quàm cæteræ entitates, atque adeo etiam indiuidui, cum in ipsis saluetur esse formale indiuidui. Vnde oportet in ipsis quoque concedere principium formale indiuiduationis, quodcumque illud sit siue intra, siue extra naturam.

Impossibilis effectus formalis absque causa formali.

Quid importet formaliter esse indiuiduale.

III. Præterea hoc etiam declarari potest ex ipsa natura, considerata secundùm sua essentialia; natura enim secundùm sua essentialia præcisè, quamuis secundùm suum esse proprium sit determinata ad talia prædicata quidditatiua, non est tamen determinata, vt sit huius, vel illius indiuidui, sic natura humana ex se præcisè considerata, non est magis natura Petri, quàm Pauli, sed indifferenter se habet ad vnumquodque indiuiduum; ergo cum à parte rei euadat natura huius, vel illius indiuidui, oportet concedere aliquod determinatiuum, quo determinetur, vt sit talis indiuidui, hoc autem erit principium formale indiuiduationis. Sic etiam, quia genus ex se non est species; sed indifferenter se habet ad plures species, necesse est, quòd determinetur ad esse specificum per principium formale constitutiuum speciei, quod est differentia. Et hoc insuper confirmatur ex communicabilitate naturę communis, est enim natura, secundùm sua essentialia communicabilis pluribus, quemadmodum etiam videmus de facto reperiri in pluribus. Quæro ergo, cuinam communicetur? statim enim ac conceditur aliquid communicabile, oportet etiam concedere terminum communicabilitatis, seu id, cui communicatur. Si dicatur

Secunda ratio.

Natura ex se nõ est determinata ad esse indiuiduale.

com-

communicari indiuiduis, ergo inferam ipse, cum nihil possit communicari sibi ipsi, sed debeat alteri communicari, oportet, quòd in indiuiduis, præter esse naturæ, sit aliquod aliud esse, ratione cuius terminare possint communicationem: hoc igitur esse, quòd termi nat communicationem, cum reddat indiuiduum incommunicabile, erit principium formale indiuiduationis.

IV. Atque hæc ratio ad angelos quoq; transferri potest; quamuis enim ponantur omnes differre specie, vt Thomistæ volunt, nec posse solo numero multiplicari, de quo non est modo disputandum, fatendum tamen, quemlibet habere suam naturam, quæ importet essentialia, & insuper habere aliquam proprietatem, qua formaliter tale esse illi, approprietur, ita vt ex vi talis appropriationis habeat, quòd sit esse talis angeli, & non alterius. Hoc autem non potest habere ex vi alicuius gradus essentialis, quia omnes gradus essentiales spectant ad constituendam naturam, non autem ad appropriandum esse; ergo debet concedi aliqua indiuidualis proprietas, per quam approprietur esse tali angelo. quòd præsertim verum est, quia non tota illa essentia angeli est propria, sed etiam inuoluit aliquos gradus communes cæteris angelis, imo aliquos etiam communes cæteris substantijs, & ideò si debent spectare ad esse talis angeli, oportet, vt ipsi approprietur per aliquam indiuidualem proprietatem, cuius effectus formalis sit appropriare: gradus enim essentiæ ex vi sui effectus formalis constituit essentiam, non autem appropriat. Quòd si dicas, vltimum gradum essentiæ, per quem vnus angelus constituitur, & specie differt ab alio, appropriare naturam ipsi, quia sicuti est proprius vnius tantùm angeli, ita etiam vim habet appropriandi; hoc est contra naturam graduum essentialium, quia cum habeant constituere essentiam ex vi sui effectus formalis, non possunt habere ex vi eiusdem determinare indiuidualiter, seu singularizare, atque appropriare. Præterea si hic gradus vltimus appropriat, & singularizat, ergo participat rationem formalem indiuiduationis, non secus ac participat ipsa indiuiduatio, quia exhibet eumdem esse ctum formalem; vbi autem est idem effectus formalis, oportet vt sit etiam eadem ratio formalis. Denique inquiro, an hic vltimus gradus, qui est proprius vnius tantùm angeli, singularizet tantùm ex vi sui effectus formalis, an verò aliquid aliud præster. Si solùm singularizat, ergo non est aliud, q̃ forma le principium indiuiduationis. Si autem non solùm singularizat, sed etiam aliquid aliud præstat, tunc adhuc participabit rationem formalem principij indiuiduationis, & cum exhibeat diuersos effectus formales, poterit in intellectus distinguere diuersas rationes, & diuersos gradus, qui correspondeant his diuersis effectibus formalibus.

Angeli supra naturam essentialē habent suas proprietates indiuiduales.

V. Tertiò argumentor. Si compararentur indiuidua inter se, quamuis aliqua differant in essentia, aliqua tamen non differunt, sed solùm quo ad esse entitatiuum, & singularitatem. Illud autem, in quo conueniunt, importat esse reale essentiale eorumdem, ex eo, quòd ponit vnitatem essentialem inter ipsa, & constituit in esse talis naturæ; illud ergo, per quod tantùm numericè differunt, debet importare aliquid reale, quia illa distinctio numerica est realis, nemine cogitante conueniens indiuiduis secundùm esse physicum, & debet importare aliquid de esse indiuidui, quemadmodum importat ipsum esse, per quòd conueniunt; atque cum non sit integrum esse, nisi fortè physico modo, & entitatiuè consideretur, erit aliquis gradus cæteris superadditus, seu aliquid superadditum essentiæ, quòd erit principium formale indiuiduationis, vtpotè quia reddit incommunicabile, & indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio vltima diuisione. Quòd etiam locum habet in angelis: in his enim similiter adest conuenientia, per quam inter se conueniunt; verùm cum distinguantur inter se, oportet etiam ponere in ipsis aliquod distinctiuum, quòd sit proprium cuiuscumque angeli: & quamuis ponantur omnes distingui specie, & secundùm essentiam, adhuc tamen distinguntur secundùm esse entitatiuum physicum, ita vt entitas cuiuscumqe sit propria illius, & non alterius, non secus ac contingit in materialibus, atque sit hæc numero; & cum entitas formaliter non dicat

Tertia ratio.

Ad ultima par tim con ueniunt artim distingu atur.

Angeli distingui ur indiuiduali ter.

dicat essentiam, illam enim in se imbibit, & tamen tota est propria cuiuscũq; angeli, non autem tota essentia, quæ in eadem entitate imbibitur, sed solùm aliquis gradus, ex hoc autẽ præter distinctionem essentialem conuincitur aliqua alia distinctio, siquidem non distinguuntur secundùm totam essentiam, sed solùm secundùm aliquem gradum, & tamen distinguũtur secundùm totam entitatem, quæ inuoluit eamdem essentiam: hæc autem distinctio non alia esse potest, quàm indiuidualis, & ideò in ipsis ponendum est distinctiuum indiuiduale, quod non est aliud, quàm principium formale indiuiduationis, siue sit extra naturam, siue intra, aut quocumque alio modo se habeant. Ex his ergo, quæ hucusque diximus, constat, quomodo detur vniuersaliter in omnibus principium indiuiduationis, quo res in esse indiuiduali constituantur.

An accidentia sint principium indiuiduationis.

Disput. XXXVI.

Accidentia esse principium indiuiduationis; quorumdam opinio.

SECTIO I.

Punctus difficultatis.

I. CVm visum sit, dari indiuiduationem, seu principium, quo indiuidua in esse indiuidui constituantur, hic statim sese offert quæstio, quodnam sit huiusmodi principium indiuiduationis. Et quia principium indiuiduationis aliud est effectiuum, quod efficit indiuiduationem, & aliud formale, quod est illud, quod importat rationem indiuiduationis; hic, vt iam ex supradictis patet, quæstio non procedit de principio effectiuo, quia certum est, esse illam causam efficientem, quæ dat esse, cum enim, quicquid existit, singulare sit, non potest aliqua causa communicare esse, nisi illud indiuiduum communicet, & ideo nisi etiam simul cum esse communicet indiuiduationem; sed procedit de principio formali. Et quia principium formale indiuiduationis accipi potest, & Physicè, & Metaphysicè, ita vt physicè dicat illud esse physicum, quo res à parte rei constituitur in esse indiuidui: metaphysicè verò dicat quandam rationem, seu formalitatem, in qua consistat propria quidditas indiuiduationis; modò quærimus de principio formali physico, nam postea agemus etiam de metaphysico: quam distinctionem, quamuis non sit adeo frequens apud Auctores, existimamus necessariò adhibendam esse, vt melius declarari possit principium istud indiuiduationis. Cum autem diuersę sint Doctorum opiniones, & nonnulli diuersimodè loquantur de substãtia, ac de accidentibus, ideò plures difficultates occurrunt, & primò quidem circa substantiam, an indiuiduetur per accidentia.

Principium formale indiuiduationis physicũ, & metaphysicũ

II. Et quia cum quærimus, an principium formale indiuiduationis respectu substantiarum sint accidentia, duplicem sensum habere potest, quorum primus est, an tota illa collectio, quę est in singulis substantijs, cui etiam quædã extrinseca annectuntur, vt locus, sit principium indiuiduationis; quo pacto etiam proportione seruata, quæstio locum habet in substantijs spiritualibus creatis, cum ipsæ quoq; habeant sua spiritualia accidentia: alter verò est, an aliquòd speciale accidens exerceat rationem talis principij, & tunc quæstio locum habet solùm in substantijs materialibus, quia solùm de quantitate quæstio procedit, nam de cœteris pro certo habetur, quòd nullum ipsorum seorsim potest esse principium formale indiuiduationis: ideo iuxta hunc duplicẽ sensum, duplex etiam extat opinio affirmatiua, quarum prima asserit, Totã collectionem accidentium esse principium formale indiuiduationis substantiarum. Cui opinioni videtur suffragari Porphyr. cap. de specie, dum inquit. *Indiuiduum autem dicitur Socrates, & hoc album, & hic veniens Sophronisci filius, si solus sit ei Socrates*

Prima opinio collectionem accidentium esse principium formale indiuiduationis.

filius

stitus. Deinde, quasi subdens rationem formalem, per quam sint indiuidua, pergit. *Indiuidua autem dicuntur huiusmodi, quoniam ex proprietatibus consistit vnumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio eadem erit*. Per proprietates autem intelligit accidentia, quæ sunt in vnoquoque indiuiduo, vt talis videlicèt color, qualitas, quantitas, figura atque alia huiusmodi.

Porphyr.

III. Huius etiam opinionis est Boet. cap. de Specie, & 1. de Trinit cap. 1. quinimo etiam D. Damascen. cap. 30 suæ Dialecticæ, vbi ita habet. *Quod autem particulare est, indiuiduum, & personam, & hypostasim nuncuparunt vt Petrum, & Paulum. Hypostasis porro substantiam cum accidentibus habere, ac per se subsistere debet, & sensu, hoc est actu considerari. Nec verò fieri potest, vt duæ hypostases accidentium ratione, ac numero inter se non differant. Illud denique sciendū est, characteristicas proprietates accidentia esse, quibus tanquam certis notis hypostasis exprimitur*, His ergo videtur tribuere accidentibus distinctionem indiuiduorum, atque adeo etiam velle, vt per ipsa in esse indiuiduali constituantur. Præterea cap 42. id ipsum clarius docet. Cum enim non distinguat inter indiuiduum, & hypostasim, vult ad constitutionem hypostasis concurrere etiam accidentia: ait enim. *Illud enim nosse conuenit, quòd nec substantia forma ex pars per se subsistit, nec substantialis differentia, nec species, nec denique accidens, verùm sola hypostases, hoc est indiuidua, in quibus tum substantia, tum substantiales differentiæ, tum species, tum accidentia considerantur*. Et post pauca. *Ad eundem quoque modum accidentia in ipsis, idest in hypostasibus considerantur, vt quæ quamlibet hypostasim ab eiusdem speciei hypostasibus disiungant*. Rursus ponit collectionem illam accidentium tanquam eam, quæ sola distinguat inter indiuidua eiusdem speciei; nam in lib Primar. instit. cap. 4. ait. *Quâ autem re hypostasis ab eiusdem speciei, atq; natura hypostasi differt, ea omnis, & ἑτεροιώδης, idest aduentitia differentia, & qualitas, & proprietas hypostatica, & proprietas characteristica, idest insignita dicitur id est accidens. Vt inter vnum, & alterum hominem hoc interest, quod hic longus, ille breuis est, hic albus, ille ater, hic valet, ille ægrotat, hic pater est, ille filius: atque hæc omnia, cæteraq; eiusdem generis aduentitię sunt differentiæ, & qualitates hypostaticæ, atque characteristicæ proprietates, & assumptitiæ*. Nullum autem aliud fundamentum pro hac opinione reperio, præter illud, quòd tantùm est in his auctoritatibus, quòd nimirum collectio ista accidentium distinguat indiuidua, & vnum faciat innotescere diuersum ab alio, & ideo debeat constitui pro principio indiuiduationis.

D. Damascen.

IV. Secunda autem opinio est Gotfred. quodlib. 6. quæst. 16. & quodlib. 7. quæst. 5. qui tribuit quantitati esse principium indiuiduationis respectu substantiæ materialis. Et in eo fundatur, quòd quotiescumque aliquid per se primò conuenit alicui, non potest alteri conuenire, nisi ratione ipsius, quemadmodum quia per se albedini conuenit disgregare visum, non potest alicui conuenire, nisi ratione albedinis. Cum autem diuidi in partes eiusdem rationis conueniat per se primò quantitati, non potest alicui conuenire, nisi ratione quantitatis; verùm quando natura specifica materialis multiplicatur in plura indiuidua, diuiditur in partes eiusdem rationis, quia omnia indiuidua sunt eiusdem rationis, non secus ac sint plures partes quantitatis: vnde oportet, quòd talis diuisio conueniat substantiæ ratione quantitatis. Præterea tota distinctio indiuiduorum reducitur in distinctionem quantitatis; non enim vna forma differt indiuidualiter ab alia, nisi quia recipitur in diuersa parte materiæ: quòd si inquiras, vnde habeatur diuersa pars materiæ, non aliud responderi potest, nisi quia est sub diuersa parte quantitatis, & hoc pacto tota distinctio reducitur ad quantitatem; cum autem distinctiuum sit etiam constitutiuum, sicuti quantitas distinguit indiuidualiter, ita etiam erit principium constitutiuum indiuiduationis.

Secunda opinio.

Principium indiuiduationis esse quantitatem.

Gotfred.

Accidentia non esse principium indiuiduationis.

SECTIO II.

Commu nis sententia.

Accidentia non esse principium in diuiduationis.

Scot. Baßolis. Lychet. Auersa. Meuris.

Prima conclusio.

Collectio accidentium non est pricipiũ indiuiduationis.

1. HÆ tamen opiniones communiter reijciuntur, quia licèt Thomistæ admittant quantitatem in consortium principij indiuiduationis, nō tamen soli tribuunt esse principium indiuiduationis totale, quemadmodum vult secunda sententia, quam præcipuè impugnat Scot. in 2. dist. 3. quæs. 4. Baßolis, & Lychet. ibid. Auersa in Logica quæst. 9. sect. 4. Meurisse 2. Metaph. cap. 3. quæst. 6. conclus. 6. & alij infra citandi sequenti disput. qui impugnant sententiam Thomistarum. Nos autem agētes de principio Physico indiuiduationis, seorsim binis cōclusionibus vtrāque sententiam reijciemus. Prima ergo conclusio. Illa collectio accidentium, quę est in vnoquoq; nō est principium indiuiduationis. Hanc conclusionem adeo certam puto, vt ex ipsis fere terminis notā existimem, sed nihilominus probatur, & prima ratio efficacissima desumitur ex natura substantiæ. Substantia ex natura sua prior est accidente prioritate cognitionis, & naturæ, ita vt ex genere suo accidens sit posterius substantia: non enim inter accidēs & substantiam, spectata essentia eorumdem, tenet conuertentia secundùm subsistendi consequentiam, optimè enim potest esse substantia absque accidente, quia non dependet ab ipso, vnde non valet; est substantia, ergo est accidens, non autem potest esse accidens absque substantia, quia natum est essentialiter ab ipsa dependere. Cum autem hæc prioritas conueniat substantiæ ex genere suo, & posterioritas ex genere suo accidenti, necesse est, quòd eadem proportio prioritatis, & posterioritatis seruetur inter quamlibet substantiam, & quodlibet accidens, ita ut vnaquæq; substantia sit prior suis accidentibus. Substantia ergo indiuidua erit prior natura accidentibus, quibus afficitur, quia eamdem proportionem seruat indiuidua substantia ad sua accidentia indiuidua, quàm seruat substantia vt sic ad accidens vt sic. Cum autem substantia indiuidua sit prior quibuscumque accidentibus, quæ habet, quomodo formaliter indiuiduabitur per collectionem accidentium? impossibile est enim, quòd aliquid constituatur in esse per id, quod seipso posterius est, alioquin concedendum esset, quòd idem esset seipso prius, & posterius: in eo signo enim, in quo est constitutum, est etiam constitutiuum, cum nequeat constitutum subsistere absque constitutiuo, vnde nullo pacto potest constitutiuum esse posterius cōstituto.

Substantia ex genere suo prior accidente.

Secunda ratio.

Res per eamdem actione habet esse, & indiuiduationem.

11. Et possumus rursus ex eodem capite arguere addendo secundam rationem. Vnaquæque entitas ex vi suæmet productionis est singularis, & indiuidua, ita vt actio illa, quæ tendit ad communicandum esse, tendat etiam ad conferendam indiuiduationem: ergo non potest substantia formaliter per accidentia indiuiduari. Quod spectat ad antecedens, si rectè perpendatur, certissimum apparebit. Nam per nullam productionem poni potest vniuersale à parte rei ab indiuiduis separatum, hoc enim vniuersale implicat, vt supra suo loco ostensum fuit; sed quicquid existit à parte rei, singulare est, & indiuiduum, habet enim certam, & determinatam entitatem physicam, quę cum nullo alio communicat, omnino incommunicabili modo se habens: hoc autem habet ex vi suæ productionis, quia eo ipso formaliter, quòd terminat productionem, habet talem entitatem incommunicabiliter se habentē ex vi ipsius productionis, siquidem productio est communicatiua talis entitatis, & proinde vnaquæque res ab eo accipit indiuiduationem, à quo accipit esse; ex quo fit, quòd principium formale indiuiduationis debeat haberi ab illa productione, qua res ponitur in actu. Consequentia etiam declaratur. Productio enim, quæ tendit ad substantiam, non tendit ad collectionem accidentium, & ideo cum substantia debeat habere suam indiuiduationem ex vi suæmet productionis, non potest eam habere per accidentia, ita vt accidentia sint principium formale indiuiduationis; alioquin sequeretur, quòd accidentia terminarent productionem substantiæ, quoniam indiuiduatio simul cum ipsa terminat productionem, quòd cum fieri non

possit, concludendum est, non posse accidentia esse principium formale indiuiduationis.

Tertia ratio.

III. Hinc tertiò argumentor alia ratione, quæ ex his duabus elicitur. Certum est enim, quòd substantia alia actione producitur ab ea, qua producũtur accidentia, cum sint termini adeo diuersi, vt neque in aliquo genere conueniant: vnde necessariò specificãt productiones valde diuersas. Rursus cum substantia sit prior natura accidente, productio quoque illius erit prior productione accidentis; atque adeo non dependebit ab illa; quod enim prius est, non dependet à posteriori. Hoc ergo stante poterit Deus producere aliquam substantiam, aut aliquam productam conseruare destructis omnibus accidentibus, cum neq; productio illius, neque conseruatio dependeat à productione, aut conseruatione accidentium; tunc autem inquiro, an huiusmodi substantia esset indiuidua, an non: hoc secundùm dici non potest, quoniam esset terminus actionis singularis, existẽs à parte rei, & haberet propriam entitatem certam, & determinatam, & quæ non esset communicabilis pluribus, sed indiuisa in se, & diuisa à quocumq; alio vltima diuisione, quòd non est aliud, quàm esse indiuiduum. Si ergo esset indiuidua, ergo indepẽdẽter ab accidentibus habet indiuiduationem, & consequenter non sunt accidẽtia principium formale illius. Atq; si quis dicat, non posse substantiam materialem existere absq; accidentibus, à quibus forma dependet in conseruari tanquam à dispositionibus, hoc facilè reijcitur, quia cũ substantia sit prior accidẽtibus productione, atq; existentia, non potest in existendo ab accidẽtibus dependere, quia licèt requirãtur tanquam dispositiones ad formam naturali modo introducendam, non tamen absolutè dependet ab ipsis, ita vt non possit à Deo conseruari independenter ab accidentibus. Rursus si dependet, non est hæc dependentia in genere causæ formalis, & ideò quæcunque alia sit, potest suppleri à Deo. Sed quicquid sit, an substantia dependeat in existendo ab accidentibus, hoc certum est, quòd alia actione producitur, & quod productio ipsius sit prior productione accidentium, vnde poterit saltem intellectus concipere substantiam materialem, vt terminantem propriam productionem, non conceptis accidentibus: tunc autem procedit idem argumentum, an scilicèt concipiatur substantia indiuidua, an non. Debet enim necessariò concipi indiuidua, quia concipitur vt terminus actionis singularis, habens propriam entitatem, & determinatam, atque incommunicabiliter se habentem; vnde dependenter ab accidentibus, in esse obiectiuo subsistit indiuiduatio.

Substantia alia actione, quàm accidentia. — *Est indiuidua independenter ab accidentibus.* — *Occurritur responsioni.*

Quarta ratio.

IV. Quartò probatur. Substantia materialis est subiectum accidentium sustentatiuum, atque accidentia dependent ab ipsa in sui productione, atque existentia, tanquam à causa materiali concurrente ad productionem, & conseruationem; quapropter supponere debent in ipsa substantia, totum id, quòd requiritur, vt constituatur in actu completo, quo possit materialiter causare; non enim effectus per seipsum formaliter exhibere potest causæ id, quòd ipsa requirit, vt possit talem effectum causare; quia, antequam habeat totum suum complementum, non potest causare, nec effectus potest exhibere per seipsum formaliter, aliquod complementum, nisi sit causatus. Rursus non possunt accidentia esse principium formale indiuiduationis, nisi existant, quia non alio modo possunt esse principium indiuiduationis, nisi seipsa exhibendo, quamdiu autem non existunt, non possunt se exhibere, quia non habent esse in se, sed solùm in causa. Hoc ergo præsupposito, sic conficio rationem. Causa non potest causare, nisi actu existat, & consequenter nisi sit indiuidua, quòd præcipuè patet in causa materiali, quæ causat seipsam tanquam subiectum exhibendo, atque adeo debet exhibere suum esse entitatiuum determinatum, & incommunicabili modo se habens, ergo cum accidentia causentur à substantia, sicuti supponunt in ipsa existentiam, ita debent etiam supponere indiuiduationem, cum vna non sit sine alia, & vtraque requiratur ad causandum: non enim possunt per seipsa illam formaliter conferre, cum sit prærequisitum se tenens ex parte virtutis causatiuæ. Quòd etiam confirmari

Accidentia supponunt in substantia totum quod requiritur ad causandum, atque adeo indiuiduationem.

potest, inquirendo, quando accidentia indiuiduent substantiam, an scilicet antequam causentur, an verò postquam causata sunt. Primum dici non potest, quomodo enim, quod non est, exhibebit suum effectum formalem, cum solùm illum exhibere possit, se ipsum exhibendo. Sed neque etiam dici potest secundum, nam quando causantur supponitur substantia indiuidua, cum non possit causare, nisi sit indiuidua, atque adeo non sunt necessaria accidentia, vt indiuiductur.

5. ratio. V. Quintò rursus argumentor ex conditione substantiæ indiuiduæ: est enim substantia indiuidua idem, quòd substantia prima, de qua Arist. cap. de Arist. Substan. inquit, quòd *Neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est*, quia scilicet non recipitur in aliquo, quod ipsi subiectetur, neque de aliquo prædicatur. Ex quo fit, quòd primæ substantię, vt tales sunt, sint primum fundamentum, in quo cætera omnia fundentur, præsertim gradus superiores, quos important secundæ substantiæ, quæ in primis fundantur: rursus etiam, quòd sint ea, de quibus omnia prædicantur; vnde Arist. ibid. docet, has primas substantias omnibus alijs in prædicatione subijci, inquit enim. *Primę substantia eò, quòd alijs omnibus subijciuntur, & omnia alia de illis prædicantur, vel in ipsis sunt, propriissimè substantię dicuntur*. Quinimo gradus essentiales, quos important secundæ substantiæ, prædicantur in recto de primis substantijs, atque in ipsis intimè imbibuntur; & proinde citato cap. docuit Arist. quòd non existentibus primis substantijs, impossibile est aliquid aliorum esse. Ex quo sequitur, quòd indiuiduæ substantiæ, siue primę debeant, vt tales importare aliquid, quod directè ponatur in prædicamento substantię, atque quod veniant in complementum eiusdem substantialis naturæ simul cum substantijs secundis. Hinc autem deducitur consequentia, quòd nequeant accidentia esse principium formale indiuiduationis; non enim accidentia collocari possunt in prædicamento substantiæ, neque etiam simul cum ipsa substantia, at substantia indiuidua collocatur in prędicamento substantiæ vt indiuidua, atque adeo simul cum ipsa ponitur etiam principium formale indiuiduationis tanquam constitutiuum primæ substantiæ. Rursus substantia indiuidua, vt indiuidua, est fundamentum secundarum substantiarum ratione ipsius indiuiduationis; at accidentia non sunt fundamentum secundarum substantiarum, neque secundæ substantiæ dicuntur de illo concreto ex accidente, & substantia, vt tale est, quemadmodum dicuntur de substantia indiuidua præcisè quocumque accidente, nam Petrus præciso omni accidente adhuc est homo. Denique prima substantia, vt talis, neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est, idque habet ratione indiuiduationis formaliter, quia ipsi indiuiduationi repugnat formaliter esse in subiecto, & ideò exhibita substantiæ secundæ facit, quod nequeat esse in subiecto: at accidentibus nedum repugnat esse in subiecto, sed id necessariò exigunt.

Primæ substãtię sunt fundamẽtũ cæterorum.

Substantia prima poni tur directè in prædicamento

VI. Atque amplius possumus hāc rationem vrgere ex eo, quòd substantia prima, cum ponatur per se, & directè in prędicamento; oportet, vt importet vnum per se, quia entia per accidens, seu quæ sunt vnum per accidens, non ponuntur per se in prędicamento, sed reducuntur ad prædicamenta ratione entium per se. Vnde oportet, quòd ex principio formali indiuiduationis, & natura, quæ indiuiduatur, fiat vnum per se, vt directè poni possit in prædicamento. Quapropter cum ex accidentibus, & substantia materiali non fiat vnum per se, non possunt accidentia esse principium formale indiuiduationis. Rursus, Cum collectio accidentium, & substantia materialis efficiant vnum per accidens, necessariò supponunt vnum per se, quia vnum per accidens ex genere suo supponit vnum per se ex parte eorum, quæ concurrunt ad efficiendum vnum per accidens; Concretum ergo ex substantia, & accidentibus, cum sit vnum per accidens, debet supponere vnitatem per se ex parte substantiæ; huiusmodi autem vnitas non potest esse alia, quàm indiuidualis, quia substantia illa, quę venit in talem concretionem non est substantia vniuersalis, & communis, sed certa, & determinata; vnde debet habere suam determinatam, & pluribus communicabilem entitatem. Substantia indiuidua dicit vnũ per se

VII. Sextò rursus argumentor,

Col-

6.ratio. Collectio ista accidentium, quæ reperitur in substantijs materialibus, est variabilis remanente eadem indiuidua substantia, ergo indiuiduatio substantiæ non potest desumi formaliter ab accidentium collectione. Consequentia ista est euidens, quia non potest variari causa formalis, nisi etiam varietur effectus formalis; vnde nec potest variari formale constitutiuum indiuidui, nisi etiam varietur indiuiduum. Quod igitur spectat ad antecedens, facilè probatur, nam quamuis aliquod accidens non possit variari, plura tamen variari possunt, quod sufficit, vt ipsa collectio censeatur variata: & de facto plura accidentia variantur in indiuiduis substantialibus, & quodlibet indiuiduum modò habet vnam, modò habet aliam collectionem accidentium. Quinimo posset Deus destruere omnia accidentia, quæ sunt in vno indiuiduo, & alia eiusdem rationis, sed diuersa numero producere remanente eadem substantia, non enim hæc accidentia numero habent necessariam connexionem cum tali numero subiecto, sed solùm contingentem, vnde posset etiam Deus accidentia vnius indiuidui ponere in alio, & viciβim accidentia huius ponere in illo, ita vt fieret mutua commutatio accidentium. Quòd autem in his casibus remaneat eadem numero substantia, etiam certum existimo, quia non fit mutatio substantiæ, sed quæ erat prius, perseuerat, nec de nouo aliqua producitur, sed continuatur eadem conseruatio eiusdem substantiæ, quæ prius conseruabatur; nec fieri potest, quòd vna substantia euadat alia, sed si numericè variatur, necesse est, vt destruatur, & alia producatur; vnde cum tota mutatio sit solùm penes accidentia, concludendum est, quòd mutatis accidentibus remaneat eadem numero substantia. Et insuper in confirmationem addere possumus, quòd potest Deus replicare eamdem collectionem accidentium, ita vt collectionem accidentium vnius substantiæ per replicationem ponat in alia substantia loco propriorum accidentium: aut replicare potest eamdem substantiam non replicatis accidentibus, sed alijs de nouo productis, tunc autem continget, quòd eadem numero substantia, & indiuidua sit cum diuersa collectione accidentium, aut quòd diuersæ numero substantiæ habeant eamdem collectionem accidentium, ex quo manifestè desumitur, quòd nequeat substantia indiuiduari per collectionem accidentium.

Remanet idē indiuiduū substantiæ variata collectione accidentium.

7.ratio. VIII. Denique inquiro, an accidentia ista sint indiuidua; certè oportet fateri, indiuidua esse, & incommunicabilia: quomodo enim indiuiduarent, nisi essent indiuidua, & continerent rationem formalem indiuiduationis? Si enim communicabile addatur communicabili, adhuc remanet communicabile, vt contingit, quando differentia aduenit generi, tunc enim constituitur species, quæ adhuc est pluribus communicabilis: vnde si accidentia sunt principium formale indiuiduationis, & non sunt indiuidua, sed communicabilia, adhuc relinquerent naturam communicabilem, nec indiuiduarent. Et nedum debet esse indiuidua tota illa collectio accidentium, sed quodlibet ex ipsis; quia dum in vnum colliguntur, nisi essent indiuidua, esset solùm collectio plurium rerum vniuersalium, non verò aliquid indiuiduum. Si ergo sunt indiuidua, quæro, vnde habeant indiuiduationem; certè cum extra ipsa non sit aliud, quàm substantia, à qua tamen indiuiduari non possunt, oportet concedere, quòd sint indiuidua ex seipsis, & non per aliquid aliud. Si autem sunt indiuidua seipsis, cur non poterit substantia seipsa indiuiduari? maior est enim ratio de substantia, quàm de accidentibus, cum principaliter sit, & non dependeat ab accidentibus; accidentia autem dependeant ab ipsa. Possent in confirmationem huius conclusionis afferri etiam alia argumenta, vt quòd sub diuersa collectione accidentium adhuc ipsa entitas substantiæ secundùm esse intrinsecum diuidatur vna ab alia, & adhuc intrinsecè sit indiuidua. Quòd Verbum diuinum in Incarnatione assumpserit secundùm hypostasim naturam humanam indiuiduam, & consequenter ipsum etiam principium formale indiuiduationis tanquam constitutiuum imbibitum in natura indiuidua; accidentia autem non assumpsit secundùm hypostasim, sed solùm in hypostasi, nempe non tanquam quid formaliter vnitum hypostaticè, sed solùm

Accidētia indiuidua ex seipsis in hac opinione.

vt quid existens in eo, quod fuit vnitum hypostaticè, quod manifestè indicat, non esse principium formale indiuiduationis; atque alia huiusmodi, sed sufficienter confirmata est conclusio, præsertim cum apud scholasticos communiter pro certa habeatur.

2 concl. Quãtitas nõ est pri[n]cipiũ i[n]diuiduationis.

IX. Secunda conclusio. Neque sola quantitas est principium formale indiuiduationis. Pro hac conclusione faciunt rationes omnes, quas pro præcedenti attulimus proportionaliter applicatæ; si enim procedunt indifferenter de omnibus accidentibus, seu de tota collectione illorum, procedunt etiam de quantitate, supposito, quòd sit accidens speciale habens suam propriam entitatem à cœteris distinctam. Sed specialiter etiam probatur. Nam si quantitas esset principium formale indiuiduationis, tunc substantia esset tantùm denominatiuè, non autem verè indiuidua, & intrinsecè; quod tamen dici non potest; siquidem entitas ipsa substantiæ est indiuidua, ita vt ratio indiuiduationis cadat supra ipsam entitatem; quod ex eo manifestè colligitur, quia entitas illa substantiæ est secundùm suum esse intrinsecum producta, atque certa, & determinata, & secundùm idem esse incommunicabiliter se habet, ac etiam entitatiuè est in seipsa indiuisa, atque diuisa à quocunque alio vltima diuisione. Hinc autem sequitur, quòd quantitas nequeat esse principium indiuiduationis ipsius, quia nequit verè, & intrinsecè indiuiduare, sed tantùm denominatiuè, vt modò dicebamus. Quòd autem nequeat nisi denominatiuè indiuiduare, probatur, nam in tantùm posset indiuiduare, in quantum tanquam accidens se exhiberet subiecto, & contineret rationem formalem indiuiduationis: hoc autem est indiuiduare solùm denominatiuè, quia quando accidens, se exibendo subiecto, illi tribuit suum effectum formalem, ex vi talis effectus formalis subiectum solùm denominatiuè constituitur tale; non enim esse accidentis imbibitur in intrinseco esse subiecti, sed solùm illi adhæret per accidentalem vnionem, & ideo solùm denominatiuè reddit tale: sic albedo reddit subiectum album, non quia euadat album secundùm suum esse intrinsecum; sed solùm, quia recipit in se albedinem, atque adeo solùm denominatiuè.

Entitas substantiæ intrinsecè indiuidua.

Accidẽs reddit subiectũ tale solum denominatiuè.

X. Posset tamen responderi ex doctrina Gotfred. Quantitatem non esse principium indiuiduationis, quasi tribuat esse intrinsecum indiuiduale, quia hoc habeat ex vi proprij esse; sed solùm quia distinguit indiuidua, quæ existunt, cum enim sint omnia eiusdem rationis, non possunt distingui, nisi ratione quantitatis. Verùm hæc responsio facilè impugnari potest, nam vel quantitas est principium formale indiuiduationis, vel non. Si primum ergo deberet constituere in esse intrinseco indiuiduali: quia principium formale indiuiduationis nedum distinguit, sed etiam constituit in esse indiuiduali. Si non est principium indiuiduationis iam nullo pacto potest indiuiduare substantiam, quia ad indiuiduandum requiritur ratio formalis indiuiduationis. Deinde si quantitas solùm distinguit, & non constituit in esse indiuiduali, concedenda est aliqua alia ratio indiuiduationis, qua intrinsecè constituatur in esse indiuiduali, cur ergo hæc ratio non poterit etiam distinguere? Confir. quoniam per id, aliquid distinguitur, per quod etiam constituitur, idem est enim constitutiuum, & distinctiuum, vnde etiam materialis substantia per id debet distingui à cœteris indiuiduis, per quod constituitur in esse intrinseco indiuiduali; quod si quantitas non constituit, vt vidimus, neque etiam potest distinguere à cœteris indiuiduis: aut si distingueret, deberet etiam constituere in esse intrinseco indiuiduali. Confir. secundò, quoniam considerata substantia, prout est sub diuersis quantitatibus, verè substantialis entitas vnius secundùm esse intrinsecum non est substantialis entitas alterius, ita vt vna non communicet cum alia secundùm proprium esse intrinsecum, ergo oportet concedere intrinsecas differentias indiuiduales, secundùm quas distinguantur in esse intrinseco nõ enim possunt distingui in esse entitatiuo intrinseco, nisi per differentias intrinsecas distinguentes; nec enim vna entitas ponere potest intrinsecam distinctionem in alia: sed si distinctio est secundùm esse intrinsecum, oportet etiam, quid in esse intrinseco imbibatur differentia distinguens.

Responsio.

Impugnatio.

Princi[pium] indiuiduatio[nis] simul distinguit, & constituit in esse indiuiduali.

Substantiæ indiuiduæ secundum esse intrinsecũ distinguuntur.

XI. Se-

6 ratio. XI. Secundò probatur eadem conclusio. Vna quantitas distinguitur ab alia, atque huiusmodi distinctio nedum est secundùm esse entitatiuum, sed peculiarem gradum distinctionis importat, nempe secundùm esse quantitatiuum. Hic autem peculiaris gradus distinctionis consequitur talem essentiam quantitatis; ex eo enim, quòd quantitas importat rationem partium extra partes, sequitur distinctio quantitatiua, seu secundùm extensionem partium; quemadmodum contingit etiam in cæteris rebus, quæ habent suum peculiarem modum distinctionis, sic vna substantia distinguitur ab alia secundùm esse substantiale, quia talis modus distinctionis consequitur ad ipsius essentiam; aliqua distinguuntur tantùm indiuidualiter, quia non important diuersum esse essentiale: aliqua essentialiter, quia eorum distinctio fundatur in diuerso esse essentiali, & eodem modo diuersi gradus distinctionis consequuntur diuersas essentias rerum, ita vt quilibet sit proprius vnius tantùm essentiæ, nec alteri, nisi ratio ne ipsius conueniat. Verùm distinctio entitatiua est transcendens, & conuenit cuicunque enti: radicatur enim in ipso esse rei: & idcirco cum ratio entis in vnoquoque reperiatur, distinctio quoque entitatiua tanquam radicata in esse rei in omnibus reperitur. Quia autem esse rei potest considerari physico, & metaphysico modo, hæc quoque distinctio physica est, & metaphysica, prout ad esse rei consequitur: & quando contingit secundùm esse physicum, tunc propriè entitatiua dicitur, quia est secundùm integram entitatem. Substantia autem secundùm proprium esse physicum independenter à quantitate habet suam distinctionem entitatiuam, non secus ac reperitur in quantitate; quantitas enim præter modum diuisionis quantitatiuæ sortitur etiam distinctionem entitatiuam communem omnibus entibus. Cum autem huiusmodi distinctio entitatiua reperiri possit absque diuersitate essentiali, vt contingit, aut in duabus quantitatibus, aut in duabus substantijs eiusdem rationis, atque sit secundùm totum integrum esse rei, & reddat entitatem incommunicabiliter se habentem, sequitur, quòd sit diuisio indiuidualis, vtpote quia participat omnes conditiones talis diuisionis, atque est vltima, & minor essentiali. Quamobrem cum substantia ex vi proprij esse entitatiui habeat huiusmodi distinctionem indiuidualem, oportet etiam, quòd ex vi proprij esse habeat proportionatum distinctiuum, quod aliud esse non potest, quàm principium formale indiuiduationis. Atque hæc ratio efficax est, & rem à priori declarat; ostendit enim, quomodo ex vi ipsius entis concedenda sit in vnoquoque diuisio entitatiua secundùm esse physicum, atque adeo indiuidualis. Et confirmari potest totus hic discursus: quoniam substantia ex vi sui esse entitatiui, secundùm quod subijcitur quantitati, & cæteris accidentibus, habet vnitatem entitatiuam, quæ est vnitas signata, & determinata, ita vt sit hæc, & impossibile sit, quòd non sit hæc, signata hac determinata singularitate, ergo ex vi sui esse entitatiui independenter à quantitate habet suam indiuiduationem.

Distinctio entitatiua cõmunis omnibus entibus.

Distinctio entitatiua est indiuidualis.

XII. Aliud etiam efficax argumentum ex mysterio eucharistiæ desumi potest; vnde tertiò sic arguo. In consecratione panis hæc numero substantia secundùm proprium esse entitatiuum transubstantiatur in corpus Christi, remanente eadem numero quantitate cum cæteris accidentibus, supposito, quòd quantitas importet propriam entitatem à cæteris distinctam. Verùm postquam facta est transubstantiatio, potest corpus Christi desinere esse sub illis speciebus, & tunc Deus reproducere potest sub illa quantitate eamdem numero substantiam, quæ conuersa fuit in corpus Christi, vel etiam aliam numero diuersam de nouo producere. Si autem producat aliam substantiam, iam diuersæ substantiæ numero erunt cum eadem numero quantitate; hoc autem manifestè indicat, quantitatem non esse principium formale indiuiduationis, alioquin posita eadem quantitate, necessariò poneretur eadem indiuidua substantia, impossibile est enim, quòd ad eamdem causam formalem non sequatur idem effectus formalis. Quod si dicas, stante eadem quantitate, semper substantiam, quæ sub illis speciebus à Deo producetur, quæcunque sit, 3 ratio.

Eadē sub quantitate potest esse diuersa substantia.

fu-

futuram eamdem numero, quia ab eadem quantitate indiuiduabitur, hoc facilè redarguitur; nam simpliciter potest Deus producere aliam substantiam panis, quæ habeat diuersam entitatem ab ea, quæ conuersa fuit in corpus Christi, & cognoscit determinatè hanc entitatem, ita vt possit velle illam determinatè producere: producat ergo ipsam determinatè absque vllo accidente: potest enim producere, cum productio substantiæ non sit dependens à productione accidentium, vt patet, cum absque productione accidentium producitur substantia sub speciebus sacramenti eucharistiæ, & eam ponat sub speciebus panis; non enim est aliqua implicantia, cur non possit ponere, cum ex se sit capax quantitatis, & cœterorum accidentium, neque hæc numero determinatè exigat; tunc autem diuersa substantia numero erit cum eadem quantitate. Quod adhuc confirmari potest, quia illa substantia, quæ producitur sub speciebus, est indiuidua ex vi suæ productionis; omnis enim productio terminatur ad rem indiuiduam, vnde sicuti res accipit esse à producente, ita etiam accipit indiuiduationem, & tamen illa substantia producitur absque productione quantitatis, ergo cum producatur cum indiuiduatione, & absque quantitate, non habet indiuiduationem formaliter à quantitate.

Potest Deus diuersam numero substantiam panis producere sub speciebus eucharistiæ.

Substantia quæ producitur sub speciebus eucharistiæ individua ex vi suæ productionis.

XIII. Quartò argumentor. Quantitas nullum exhibere potest complementum substantiæ, quod sit intra genus substantiæ, ergo nullo modo potest esse principium formale indiuiduationis. Circa antecedens; si attentè consideretur, nulla adest difficultas, effectus enim formalis quantitatis non est substantificare, sed extendere, aut etiam iuxta aliorum opinionem, conferre partes; atque est alterius ordinis à substantia, ita vt constituat diuersum prædicamentum, & efficiat solùm vnum per accidens cum substantia: omne autem complementum substantiæ, quod est intra genus substantiæ; debet substantificare, hoc est conferre aliquam rationem substantiæ, & debet esse eiusdem ordinis, siue prædicamenti, & efficere vnum per se; quare non potest quantitas conferre aliquod complementum substantiæ, quod sit intra eumdem ordinem. Hinc autem deducitur etiam probatio principalis consequentiæ; Cum enim quantitas nequeat complere substantiam intra eumdem ordinem, neque etiam potest esse principium formale indiuiduationis. Principium enim indiuiduationis substantiæ debet importare aliquod complementum intra idem genus, ita vt efficiat vnum per se cum reliquo esse substantiali: substantia enim prima, siue indiuidua dicit vnum per se, atque nihil aliud addit supra substantiam secundam, nisi quòd sit determinata, & hæc numero designabilis, atque incommunicabilis: Cum autem hoc totum sit effectus formalis indiuiduationis, oportet, vt indiuiduatio de suo formali importet tale determinatiuum, quo substantia secunda fiat hæc numero, & trahatur ad incommunicabilitatem. Tale autem complementum debet necessariò esse intra eandem seriem graduum substantialium; est enim quidam gradus ipsius substantiæ, quo vltimò determinatur; substantia enim secunda habet in esse suo substantiali quamdam indeterminationem, ratione cuius indifferenter se habet ad hanc, vel illam substantiam numero, & ideo est adhuc determinabilis: & cum omne esse debeat intra suum ordinem habere totum illud complementum, quod potest habere, oportet, vt substantia secunda habeat suum complementum intra rationem substantiæ, quia nondum intra rationem substantiæ est plenè completa. Plura alia addi possent in confirmationem huius conclusionis, sed quæ dicta sunt sufficiunt, quia corollariè deducitur ex præcedenti, & nonnulla alia infra attingemus.

4. ratio.

Quantitas non complet sub stantiam intra eudem ordine.

Indiuiduatio substantiæ importat complemẽtum intra rõnẽ substãtiæ.

XIV. Tertia conclusio. Quamuis collectio accidentium non sit principium formale indiuiduationis formaliter loquendo; iuxta tamen regularem ordinem est consequtiuè principium illius, seu vt quid consequens ex principio formali indiuiduationis, & cum ipso connexum, illud indicat respectu substantiæ. Dixi iuxta regularem ordinem, quia de potentia absoluta potest Deus eamdem collectionem accidentium ponere in pluribus indiuiduis substantiæ, vel successiuè, vel simul per replicationem. Declaratur autem

3. concl.

Quomodo collectio accidẽtiũ dici possit principiũ indiuiduationis.

hæc

hæc concluſio, quoniam accidentia ordinata ſunt, vt afficiant ſubſtantiam: & illam accidentali modo compleant, vnde debent ipſi proportionari, ita vt ſubſtantiæ indiuiduæ correſpondeant accidentia indiuidua, vnde ex vi huius proportionis habent accidentia indiuidua, quòd neceſſariò indicent ſubſtantiam indiuiduam. Cœterùm quamuis contingat indiuidua ſubſtantiæ eſſe ſimilia in aliquo, aut pluribus accidentibus, non tamen in omni, atque nunquam omnia accidentia ita in quolibet indiuiduo combinantur, vt in modo combinationis ſimilia omnino ſint, ſed ſemper aliquam differentiam ſortiuntur. Rurſus, quia accidentia affixa ſunt ſubiecto propter informationem, ſicuti ſubiectum incommunicabiliter ſe habet, ita etiam accidentia, non ſolùm enim poſſunt pluribus inferioribus communicari, ſed neq; etiam pluribus ſubiectis. Quapropter ſtante hac differentia in ipſorum collectione, atq; eorumdem incommunicabilitate, ſequitur, quòd ratione proportionis, quã ſeruant cum ſubiecto, nedũ indicent ſubiectum indiuiduum, ſed etiam quòd vnum diſtinguatur ab alio indiuidualiter, & incommunicabiliter ſe habeat. & hoc pacto collectio accidẽtium eſt principium indiuiduationis.

Satisfit rationibus in oppoſitum.

SECTIO III.

I. PRima opinio, quam ſect. 1. retulimus, nullum aliud fundamentum habet, præter auctoritatem Porphyr. & D. Damaſceni: Et quod ſpectat ad Porphyr. auctoritatem reijci poſſet tanquam illius, qui non rectè in hoc philoſophatus eſſet; nihilominus facilè explicari poteſt, quòd ibi non conſideret præcisè indiuiduum ſubſtantiæ, ſed indiuiduum ſubſtantiæ, prout naturali modo exiſtit ornatum ſuis connaturalibus accidentibus. Quod indicat, dum ponit exemplum de Soctate, & hoc albo, ex quo colligitur, quòd pro indiuiduo ſumat totum illud concretum ex ſubſtantia, & accidentibus, prout importat quoddam totum incommunicabiliter omnino ſubſiſtens. De hoc autem indiuiduo ait, conſiſtere ex proprietatibus, quarum collectio in nullo alio reperitur: non explicat autem an intelligat de ſolis proprietatibus accidentalibus, an etiam de reliquis, vnde poteſt explicari, quòd intelligat de omnibus proprietatibus indiuidualibus, ſiue accidentales ſint, ſiue ſubſtantiales, quamuis præcipuè attendat accidentales ſenſibiles, tanquam eas, quæ magis indicant eſſe indiuiduale.

Porph. illuſtratur. Indiuiduũ pro cõcret. ex ſubſtã tia, & accidẽtibus.

II. Et eodem modo ſumit indiuiduum D. Damaſcen. Vnde cum in prima auctoritate num. 3. ſectionis primæ allata docet, Hypoſtaſim debere habere accidentia; & duas hypoſtaſes habere accidentia numero diuerſa, ideo docet, quia ſubſtantia prima afficitur ſuis connaturalibus accidentibus, cum autem incommunicabiliter ſubſiſtat, accidentia quoque, quæ in ipſa recipiuntur, incommunicabiliter ſe habent, & ideo diuerſæ ſubſtantiæ primæ habent diuerſa accidentia numero, quia vna non poteſt habere accidentia alterius. Cum autem ſubdit, quod characteriſticæ proprietates ſunt quædam accidentia, quibus tanquàm certis notis hypoſtaſis exprimitur, vult, quòd accidentia indicent eſſe indiuiduale, non autem conſtituant; quod ſatis indicant verba ipſius, dum vult per accidentia tanquam per quædam ſigna exprimi hypoſtaſes, ſi enim per illa hypoſtaſes ſignificantur, iam ſupponuntur conſtitutæ; per aliquid aliud in ſuo eſſe. Ex ſecunda autem auctoritate cap. 52. nihil plus habetur, quàm ex præcedenti, nam priori loco docet, quòd in hypoſtaſibus conſiderantur tum genera, tum ſpecies, tum ſubſtantiales differentiæ, tum etiam accidentia, quia hæc omnia reperiuntur in ſubſtantiis primis, prout connaturali modo exiſtunt. Cum autem ait, accidentia diſtinguere hypoſtaſes inter ſe, intelligit, quòd diſtinguant in ordine ad noſtram cognitionem; quia non habemus aliud, vnde eas diſtinguamus, quam accidentia, vtpote quia noſtra cognitio eſt tantùm per ſenſus, & ex his alia intellectus colligit. Atque eodem modo intelligendus eſt, cum cap. 4. Inſtitut. docet ea; quibus diſtinguuntur hypoſtaſes inter ſe, eſſe aduentitias differentias & proprietates characteriſticas, ſiue accidentia: loquitur enim de illis

D. Damaſceni auctoritates explicantur.

Cur ſubſtãtiæ debẽt ſingulæ habere diuerſa accidẽtia.

Quomodo accidẽtia diſtinguã hypoſtaſes.

proprietatibus indiuidualibus, ex quibus nos colligimus distinctionem hypostasum, & ibi sumit hypostases secundùm esse sensibile, & prout ratione ipsius in ordine ad nostram cognitionem distinguuntur; quod totum indicat exemplum, quod ibi affert, inquiens, vnum hominem distingui ab alio secundùm albedinem, vel nigredinem; sanitatem, aut morbum, & secundùm alia huiusmodi accidentia. Ex quibus patet etiam ad rationem ex ijsdem auctoritatibus deducta, falsum est enim, quòd accidentia distinguant indiuidua substantiæ secundùm esse intrinsecum substantiale, sed à posteriori tantùm indicant distinctionem secundùm esse substantiale.

Obiectio

III. Verùm obijciet aliquis: Indiuidua substantiæ non possunt inter se distingui substantialibus differentijs, ergo debent distingui accidentalibus, & consequenter accidentia erunt principium formale indiuiduationis. Anteced. prob. quoniam si distinguerentur substantialibus differentijs, differrent essentialiter; omnis enim substantialis differentia est essentialis. Sed respondetur.

Solutio.

Quando differentia substantialis sit essentialis, quando non.

Substantiam posse considerari secundùm esse formale, & secundum esse materiale: secundùm esse formale importat quidditatem substantialis naturæ, qua substantialis natura in esse constituitur, & in hac consistunt rationes genericæ, & specificæ. Differentia ergo secundùm esse substantiale formaliter essentialis est, quia tunc importat aliquem gradum quidditatis substantialis naturæ. Substantia autem, seu natura substantialis materialiter accepta importat entitatem substantialem, in qua imbibitur natura substantialis secundùm propriam quidditatem, & differentia substantialis secundùm hoc esse materiale non est essentialis, sed solùm substantialis entitatiua, quia non contingit secundùm quidditatem, sed solùm secundùm entitatem. Cum ergo dicimus, indiuidua substantiæ distingui ex vi proprij esse, intelligimus de esse entitatiuo, non autem de esse formali quidditatiuo.

Ad primũ secũdæ sententiæ.

IV. Ad primum pro secunda sententia respondetur concedendo, quando aliquid per se primò conuenit alicui non posse conuenire alteri, nisi ratione ipsius. Cœterum conuenit per se primò quantitati diuidi in partes eiusdem rationis quantitatiuo modo, & ideo hoc non potest alicui conuenire, nisi ratione quantitatis: at diuidi in plura entia eiusdem rationis entitatiuo modo conuenit per se primò cuicunque naturæ specificæ, quia illi conuenit, vt communicabilis est, & ratione physicæ entitatis, in qua à parte rei potest reperiri, hæc autem diuisio non est propriè in partes eiusdem rationis, sed in indiuidua, quia indiuiduũ quoque potest aliquando adhuc diuidi in partes eiusdem rationis; & est plurificatio naturæ communis.

Quę diuisio sit propria quantitatis.

Quia diuidi in partes eiusdem rationis, supposito quòd quantitas sit accidens à cœteris distinctum, non conuenit præcisè quantitati, sed cuilibet entitati materiali extensæ, alia est enim ponenda diuisio in partes eiusdem rationis, & alia diuisio quantitatiua. Ad secundum verò dicitur, falsum esse, quòd tota diuisio indiuiduorum reducatur in diuisionem quantitatis, neque enim vna pars materiæ differt ab alia indiuidualiter ex eo, quòd sit sub diuersa parte quantitatis, sed quia habet diuersam entitatem, & similiter etiam vna forma ab alia, quia habet diuersam entitatem, non autem quia recipitur in diuersa parte materiæ; ideo enim potest recipi in diuersa parte materiæ, quia habet diuersam entitatem. Quamobrem totum, quod assumitur in illo argumento falsum est.

Ad secundum.

An materia signata sit principium indiuiduationis. Disp. XXXVII.

Materiam signatam esse principium indiuiduationis ex Thomistarum sententia.

SECTIO I.

1 opinio Materiam signatam esse principiū indiuiduationis. D. Th. Caiet. Capr. Argent. Ferrar. Soncin. Iauel. Albert. Suessan. Aegid. Bonam. Bannes, Zumel. Serna. Auer.

I. QVid nomine materiæ signatæ intelligatur, patebit ex ijs, quæ mox dicturi sumus, dum referemus varios modos, quibus Thomistæ explicant suam sententiam. Est autem celebris sententia inter scholas, quòd materia signata sit princeipium indiuiduationis, & eam tradunt Thomistæ communiter tanquam Arist. Ita enim docet D. Th. 1. par. quæst. 3. art. 3. ad 3. & quæst. 50. art. 4. & 3. par. q. 77. art. 2. & in 4. dist. 12. quęst. 1. art. 1. questiuncula 2. & Opus. de Indiuiduatione, quod est 29. in ordine Et de Ente & essentia cap. 2. & alibi sæpe hanc sententiam aut insinuat, aut supponit. Caiet. 1. par. quæst. 19. art. 1. & De ente & essent quęst. 5. Capr. in 2. dist. 3. quæst. 1. art 1. conclus. 2. Argent. ibid. quęst. 2. art. 1. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 21. Soncin. 7. Metaph. quæst. 33. & 34. Iauel. 5. Metaph. quæst. 15. Albert. lib. de intellec. Suessan. 5. Met. disp. 5. Ægid. quodlib. 1. quęst 11. Bonamicus lib. 6. de motu cap 18. Bannes 1. par. quæst. 3. ar. 2. Cumel. ibid. q. vnica Serna in Log. dip. 3. sect. 5. q. 3. ar. 1. & communiter omnes Thomistæ: & hanc quoq. opinionem tradit Auer. 5. Metaph. com. 12. & 1. de Cœlo com. 95. & Disp. contra Algazel. in solut. dub. 8.

II. Vt autem suam sententiam tanquam peripateticam confirment, afferunt diuersas auctoritates Arist. quib. videtur docere, indiuiduationem prouenire à materia, nam 3. Metaphys tex. 11. docet, vnitatem numericam, seu indiuidualem esse secundùm quantitatem; vnde deducunt ipsi, quòd materia signata quantitate sit principium indiuiduationis Eius verba sunt. *Vnum autem est, quod indiuisibile est, omne verò indiuisibile, aut secundùm quantum, aut secundùm speciem*. Rursus 5. Metaph. tex. 11. cum docuisset, reperiri diuersa genera vnitatum, quarum alterum est vnitas indiuidualis, declarans postea, quænam sint vnum indiuidualiter, seu numero ait, esse ea, quæ habent vnam, & eamdem materiam *Numero quidem* (inquit) *quorum materia vna*. Pręterea etiam lib. 7. eiusdem operis tex. 28. tribuit materiæ distinguere indiuidualiter. cum enim docuisset, quòd generans sufficiens est, vt causet formam in materia, statim subdit *Tota verò iam talis forma, in his carnibus, & ossibus Callias, & Socrates, & diuersa quid propter materiam (diuersa etenim) idem autem specie, indiuisibilis namque forma est*. Ecce ergo, quomodo diuersitatem numericam inter Socratem & Calliam adscribit materiæ. Et tex. 34. loqnens de definitione hęc habet. *Singulare verò ex vltima materia iam Socrates est*. Et iu conformitatem eiusdem doctrinæ locutus est etiam 12. Metaphys. tex. 49. vbi colligit vnitatem primi mobilis ex vnitate primi Motoris, & vnitatem primi Motoris conuincit ex eo, quòd multiplicari numero non potest, quia non habet materiam: non conuinceret autem hæc ratio, nisi materia ita conferret distinctionem indiuidualem, vt sine ipsa haberi uon posset. Discursus Arist. tali pacto se habet. *Quod autem cælum sit vnum* (nempe primum mobile) *manifestum est, si enim plures sint Cæli, vt homines, principium vniuscuiusque* (nempe primum mouens) *erit specie vnum, numero multa: at quæcumque numero multa materiam habent. Vna etenim, & eadem multorum ratio est, veluti hominis, Socrates verò vnus. ipsum verò quid erat esse primum non habet materiam, cum actus sit; vnum ergo tum ratione, tum numero primum mouens immobile ens est: & id igitur, quod semper*

Arist.
3. Metap tex. 11.
5 Met. tex. 12.
7. Met. tex. 28.
tex. 35.
12. Met. tex. 49.

continuoque mouetur ; vnum ergo tantùm cœlum est . Deinde 1.de Cœlò tex. 92. ponit diſcrimen inter Cœlum in vniuerſali ſumptum , & hoc cœlum particulariter acceptum , quòd cœlum in communi acceptum importat formam ; hoc verò Cœlum materiam . *Alterum igitur* (ait) *est hoc cœlum, & cœlum ſimpliciter ; & hoc quidem vt ſpecies , & forma ; illud verò vt cum materia mixtum* . Et poſtea etiam ſubdit. *In omnibus enim ſic videmus, quorumcunque ſubſtantia in materia est , plura , & infinita ea eſſe, quæ eiuſdem ſunt ſpeciei*. Vbi vides , quomodo ratione materiæ agnoſcat multitudinem indiuidualem . Et tex. 93. & 94. eiuſdem libri docet, mundum eſſe tantùm vnum , nec poſſe multiplicari, quia conſtat ex vniuerſa ſui materia : quod verum non eſſet, ſi abſque materia haberi poſſet multiplicatio indiuidualis . Si ergo materia eſt cauſa multiplicationis indiuidualis , erit etiam principium indiuiduationis , quia idem eſt diſtinctiuum , & conſtitutiuum .

1 de Cœl. tex. 92.

tex. 93. & 94.

Fūdamẽta huius ſententiæ

III. Atque hinc Thomiſtæ eliciunt commune fundamentum , & præcipuum ſuæ ſententiæ ; quia nimirum illud eſt principium indiuiduationis , quod eſt principium multiplicationis , & diſtinctionis numeralis ; materia autem eſt principium huiuſmodi diſtinctionis , & multiplicationis , quandoquidem quæ materiam non habent, non poſſunt ſolo numero multiplicari, & locum hic habet illud principium , quòd *Quando negatio eſt cauſa negationis , affirmatio quoque eſt cauſa affirmationis* ; vnde ſi ablatio materiæ tollit poſſe indiuidualiter multiplicari , poſitio materiæ conferet indiuidualem multiplicationem . Præterea forma eſt principium naturę vniuerſalis, vnde cum natura vniuerſalis opponatur particulari, debet aliquid oppoſitum formæ eſſe principium naturæ particularis ; huiuſmodi autem eſt materia . Tertiò cũ principium indiuiduationis debeat conferre incommunicabilitatem , debet ipſi repugnare poſſe communicari, huiuſmodi autem eſt materia ſignata quantitate , quia ita eſt propria vnius indiuidui, vt non poſſit eſſe alterius : Quartò diſtinctio numeralis, ſeu indiuidualis non eſt formalis , ſed ſolùm materialis , ergo non poteſt deſumi, niſi à ſola materia . Denique in coordinatione prædicamentali metaphyſica indiuiduum , vt tale eſt, habet rationem primi ſubiecti , quod cœteris omnibus ſubijcitur , ergo ratio formalis indiuiduationis debet deſumi à primo ſubiecto phyſico , quòd eſt materia .

IV. Quia autem difficile eſt percipere , quomodo materia ſit principium indiuiduationis , ideo Thomiſtæ varios dicendi modos excogitarunt , quibus ſuam ſententiam explicarent . Conueniunt autem omnes, quòd nomine materię, quæ eſt principium indiuiduationis , ſit materia prima , quę eſt primum ſubiectum . Quia autem principium indiuiduationis debet eſſe ita proprium cuiuſcunque indiuidui , vt neqùeat alteri conuenire : prima autem materia , quantum eſt de ſe, conuenire poteſt omnibus , quia omnes formas indiffe renter reſpicit , ideo volunt , non quomodocunque accipiendam eſſe, quando eſt principium indiuiduationis , ſed prout ſignata eſt , quia tali pacto eſt propria illius indiuidui . Variè autem explicant hanc ſignationem , & quomodo poſſit eſſe principium indiuiduationis . Primus ergo dicendi modus ſatis frequens apud Thomiſtas aſſerit, quòd materia ſignata importet materiam affectam quantitate , ita vt tam materia , quàm quantitas concurrant ad indiuiduandum . ſic autem explicat ; Indiuiduum nimirum duo importare ; quorum primum , & principale eſt , quòd ſit incommunicabile , cum per hoc diſtinguatur ab vniuerſali , & conſtituatur in eſſe primę ſubſtantiæ , de qua Ariſt. ait *Quòd neque in ſubiecto eſt , neque de ſubiecto dicitur* : alterum autem eſt, quòd diſtinguatur ab alijs numeraliter : addunt etiam nonnulli , quòd ratione huius diſtinctionis debeat in ſe habere vnitatem , quę ſit de genere quantitatis , ita vt ſimul cum alio conſtituat numerum de genere quantitatis . Vt autem indiuiduum hæc duo habeat , debet ad ipſum conſtituendum concurrere tam materia , quàm quantitas : materia quidem tanquam ea , quæ confert incommunicabilitatem , quantitas verò tanquam ea , quæ confert diuiſionem numeralem . Ita tradunt Cap. ſupracitato loco , & art. 3. illius quæſt. in reſponſione ad argumenta contra 2. Concluſ. Ferrar. cita-

Quid per materiam, quæ eſt principiũ indiuiduationis Thomiſtę intelligãt.

Primus modus dicendi.

Capr. Ferrar.

Soncin. Serna D.Th. ta illo cap. 21. lib. 1. contra Gent. Soncin. supracitatis quæstionibus, Serna loco citato. Et ita etiam docet D. Th. opusc. illo de Indiuiduatione, & super Boet. de Trinit. vbi tribuit diuisionem, indiuiduorum quantitati interminatæ & in Opus de principio indiuidnationis ait, esse principium indiuiduationis concomitanter ad materiam, & inseparabiliter quò ad certas particulas temporis, & loci. Quòd si obijcias, quòd materia de sui natura communis est. Respondet. *Sciendum est, quod impossibile est formam vniri materia, quin fit particularis, & quòd eam sequatur quantitas determinata: per quem modum non est vltra communicabilis materia alicui alteri forma, quia hac quantitas cum alia forma reperiri non potest cum eadem determinatione; & ideo materia non est communicabilis secundum eamdem rationem, sicut forma est, vt dictum est. Ratio enim materia sub forma aliqua est alia à ratione sua sub alia forma, quia certificatur ratio sua per determinationem quantitatis, quæ in diuersa proportione, & dimensio ne requiritur ad diuersas formas.* Hæc autem si diligenter perpendas, reperies totam incommunicabilitatem, quam materia confert indiuiduo, haberi ratione solius quantitatis, & in ipsam pœnitus resolui; quòd hic obiter adnotare volui pro maiori intelligentia huius opinionis.

V. Hanc quoque sententiam eodem pacto explicat. 3. par. quæst. 77. ar. 2. in corpore, vbi sic habet. *Est enim de ratione indiuidui, quòd non possit in pluribus esse; quod quidem contingit dupliciter; vno modo, quia non est natum esse in aliquo, & hoc modo forma immateriales separatę per se subsistentes sunt etiam per seipsas indiuidua. Alio modo ex eo, quòd forma substantialis, vel accidentalis est quidem nata in aliquo esse, non tamen in pluribus, sicut hac albedo, qua est in hoc corpore. Quantum igitur ad primum materia est indiuiduationis principium omnibus formis inhærentibus, quia cum huiusmodi formę, quantum est de se, sint nata in aliquo esse, sicut in subiecto, ex quo aliquis earum recipitur in materia, qua non est in alio, iam nec forma ipsa sic existens potest in alio esse, quantum autem ad secundum dicendum est, quòd indiuiduationis principium est quantitas dimensiua: ex hac enim aliquid natum est esse in vno solo quòd illud est in se indiuisum & diuisum ab omnibus alijs: diuisio autem accidit substantiæ ratione quantitatis, vt dicitur in 1. Phys. & ideo ipsa quantitas dimensiua est quoddam indiuiduationis principium huiusmodi formis, in quantum scilicet diuersa forma numero sunt in diuersis partibus.* Hæc D.Th. quæ ideo ad verbum referre volui, vt constet de ipsius sententia, cum aliter à nonnullis Thomistis explicetur.

Fundamentum primi modi dicendi. VI. Fundamentum autem huius modi dicendi est, quia primum in vnoquoque genere est causa cæterorum ex 10. Metaph. tex. 2. vnde cum materia sit primum non receptibile in alio, erit causa cæteris, cur in alio recipi non possint. Cum ergo indiuiduum dicat incommunicabilitatem, ratione cuius non potest recipi in alio, oportet, quòd hanc incommunicabilitatem habeat ex materia, tanquam à primo irreceptibili in alio: forma enim de se est receptibilis, & ideo communicabilis. Quòd si dicas, indiuiduo conuenire incommunicabilitatem, qua nequit tanquam superius communicari pluribus inferioribus cum identificatione cum ipsis, hanc autem incommunicabilitatem conuenire etiam formæ, quia nequit recipi in pluribus per modum inferioris. Vrget Soncin. indiuiduo materiali repugnare esse in multis tam per essentialem identitatem, quam per informationem, quia opponitur secundæ substantiæ, seu substantiæ in vniuersali, quæ est in alio tum per informationem, nempe in primis substantijs, tum per essentialem identitatem, nam dicuntur de primis per essentialem identitatem; vnde secundæ substantiæ, & in subiecto sunt, & de subiecto dicuntur. Quare cum indiuiduo repugnet esse in alio per informationem ratione materiæ, ideo materia erit principium indiuiduationis. Quod autem concurrat quantitas ex eo probat, quia ipsa est principium indiuisionis, qua aliquid non diuiditur in seipso in partes, & diuisionis, qua diuiditur ab alio.

Secundus modus dicendi. VII. Secundus modus dicendi partim conuenit cum præcedenti, partim verò discrepat. Asserit enim, quòd materia prima est quidem radicale principium indiuiduationis, quia cum sit primò irreceptibilis in alio, est radix,

lex, cur indiuiduum nequeat recipi in alio: verùm non est principium proximum, & totale, quia materia prima est eadem in omnibus indiuiduis, principium autem indiuiduationis est proprium singulis. Deinde materia non potest conferre distinctionem indiuiduo, quia solus actus distinguit. Quare debet ad principium indiuiduationis concurrere etiam forma, tanquam principium proximum respectu essentialis incommunicabilitatis, & materia sola respectu irreceptibilitatis: materia verò signata quantitate respectu distinctionis, ita vt quantitas concurrat tanquam vera causa dispositiua; forma enim est illa, quę terminat, & actuat materiam, vnde cum indiuiduare sit actuare, forma, quæ est actus, indiuiduabit vt principium proximum, præsertim quia ipsa facit hoc aliquid; & variata forma in eadem materia, variatur indiuiduum, & cum diuidatur ratione quantitatis, ideo quantitas determinat materiam ad hoc indiuiduum. Hinc materia, quæ concurrit ad indiuiduationem, est materia sigillata, hoc est determinata à quantitate pro hac forma substantiali. Ita docet Cumel. supracit. & concludit cum Capr. & Ferrar. locis supracit. quòd si daretur indiuiduum substantiæ absque quantitate, esset indiuiduum quò ad incommunicabilitatem, non verò quòad diuisionem materialem ab alio.

Zumel.

VIII. Tertius verò dicendi modus ita procedit: nimirum, quòd materia signata, quæ est principium indiuiduationis sit materia capax huius quantitatis, & non alterius; quòd sic declaratur. Agens videlicèt particulare continuè appropriare materiam ad hanc formam inducendam; vnde in primo instanti generationis, quando fit compositum, in illo priori naturæ, quo compositum terminat generationem, sequuntur naturali ordine omnia accidentia, & materia ita est appropriata illi composito, vt non sit capax alterius quantitatis, quàm eius, quàm requirit tale compositum. Vnde materia signata nihil addit supra materiam, nisi capacitatem huius quantitatis, & non alterius; huiusmodi autem capacitas non est aliud, quàm potentia receptiua huius quantitatis, & potentia receptiua nihil addit in recto realiter distinctum, sed addit aliquid reale, solùm tamen secundùm rationem distinctum. Hinc materia signata non est aggregatum ex materia signata, & quantitate, sed dicit materiam in recto, & connotat in obliquo quantitatem secundùm certas dimensiones. Ita explicat hanc materiam signatam Caiet. de Ente, & essent. quęst. 5. & sequitur Bannes 1. par. quæst. 3. art. 2. in dubitat. circa articulum. Argent. etiam in 2. dist. 3 quæst. 2. ar. 1. eamdem ferè doctrinam amplectitur, dum vult, indiuiduum formaliter non includere quantitatem, sed materiam signatam importare modum receptum à quantitate, nempe signationem, ita vt quantitas sit solùm id, quo radicaliter contingit, plura solo numero differentia in eadem specie reperiri.

Tertius modus dicendi.

Caiet. Bannes. Argent.

IX. Verùm Caiet. 1 par. quæst. 29 ar. 1. §. *De substantia autem materiali, &c.* hanc suam explicationē reprobauit, & aliam addidit, quæ continet quartum modum dicendi. Asserit autem, quòd materia dupliciter comparari potest ad quantitatem, nempe vt causa materialis, & vt receptiua illius, quantitas enim recipitur in materia tanquam in subiecto: altero autem modo comparari potest ad ipsam tanquam principium, & radix illius, præhabens in virtute ipsam quantitatem. Primò modo non potest esse principium indiuiduationis, quia potentia illa materiæ ad quantitatem non est de genere substantiæ, sed de genere quantitatis, & ideo non potest esse principium indiuiduationis rei substantialis. Sed est principium indiuiduationis secundò modo, nempe vt est radix, & principium quantitatis; quia distinctio numeralis, qua vnum indiuiduum substantiale distinguitur ab alio, non est distinctio quantitatiua, sed fundamentum quantitatiuę distinctionis, vnde etiam principium distinctionis, & indiuiduationis debet esse fundamentum, & radix quantitatis. Hoc autem conuenit materiæ: quod etiam dicendum est, quia in illo signo, in quo compositum terminat generationem ante adhæsionem accidentium, oportet, esse singulare, & indiuiduum, quòd fieri non potest absque constitutiuo, & hoc constitutiuum nō potest esse aliud quàm materia, vt præhabens quanti-

Quartus modus dicendi. Caiet.

tatem. Quòd si quis obijciat, quòd distinctio numeralis materialis conuenit primò quantitati, & consequenter non potest alijs conuenire, nisi ratione quantitatis, respondet, quòd materia in illo priori, antequam habeat quantitatem, præhabet quantitatis naturam, magis autem est præhabere, quàm participare, & ideò, quæ præhabent, possunt exhibere eumdem effectum, quem exhibent illa, quæ quantitatem participant. His ergo modis Thomistæ conantur suam sententiam defendere.

Materiam signatam non esse principium indiuiduationis.

SECTIO II.

Opposita opinio.

I. HÆc tamen sententia, quocunque modo explicetur, solet communiter extra scholam Thomisticam impugnari, & non solùm eam reijciunt Scot. in 2. dist. 3. quæst. 4. & ibid. cœteri Scotistæ Anton. Andreas, Lichet. Tartaret. Bassolis atque alij, sed etiam Durand. in 1. dist. 35. quæst. 3. num. 5 & sequent. & in 2. dist. 3. quest. 3. D. Bonauent. ibid. 2 par. distinct. ar. 2. quæst. 3. Riccar. ar. 4. quæst. 1. Rubio quæst. 4 qui hanc sententiam Thomistarum excomunitatam vocat. Maior. quæst. 1 Marsil. quæst. 3. ar 1. Carthusian. quæst. 2. circa finem. Ægid Roman. quæst. item 2. ar. 1. in resolutione dub. 1. Rada tomo 2. controuer. 3. ar. 4. Perer. lib. 6. cap. 11. Piccolomineus lib. 3. de materia prima cap. 12. & sequentibus Zabarel. lib de constitut. Indiuidui cap. 4. Molina 1. par. quæst 50. ar. 4. Vasquez ibid. disp 181, cap. 3. Valentia tom. 1. disp 4. quæst 1. puncto 3. Fonseca 5. Metaph. cap. 6. quæst. 4. sect. 2. & 3. Suarez in Metaph. disp. 5. sect. 3 Ragusœus in Peripateticis disputationbus disp. 20 cap 20 & sequentibus Auersa in Logica quæst. 9. sect. 5. & 6 Meurisse 2. Metaph. cap. 3. quæst. 6. conclus. 4. & alij complures, præsertim Nominales, quos infra suo loco referemus, dum eorumdem opinionem recensebimus.

Anton Andreas. Lychet. Tartaret. Bassolis. Durand. D. Bonauent. Riccard. Rubio Maior. Marsil. Carthus. Ægid. Rada. Perer. Piccolom. Zabarel. Molina. Vasquez Ragusæus. Auersa. Meurisse.

Summa doctrinæ Thomist.

II. Vt igitur iudicium de hac Thomistarum sententia feramus, totam eorumdem doctrinam ad quædam capita reducemus. Per has autem propositiones potest commodè explicari, quarum prima est, quòd materia prima sit principium indiuiduationis quò ad incommunicabilitatem. Secunda verò, quòd quantitas sit principium indiuiduationis quoad distinctionem indiuiduorum, si secundùm esse interminatum sumatur; si verò accipiatur secundum certas, & determinatas dimensiones, esse principium indiuiduationis quò ad certas circumstantias loci, temporis, & alias huiusmodi. Tertia, quòd materia sit principium indiuiduationis, nihil importet reale distinctum supra ipsam materiam. Quarta, quòd materia signata dicat, vt talis est, potentiam, & receptibilitatem huius numero quantitatis. Quinta, quòd materia signata, vt talis, dicat esse principium, & radicem quantitatis determinatæ. Et quamuis non omnes Thomistæ conueniant in his propositionibus, vtpote quia aliquæ contrariæ sunt, tota tamen doctrina, quam continent, desumitur ex modis, quibus sententiam suam explicant, & à nobis modo examinanda est, vt plenè hanc Thomistarum sententiam perpendamus.

de principio indiuiduationis.

III. Ponimus ergo primam conclusionem contra primam ipsorum propositionem. Materia prima non est principium indiuiduationis quò ad incommunicabilitatem ita, vt indiuiduum sit incommunicabile ratione solius materiæ. Prob. Duplici enim modo potest contingere incommunicabile esse, sicuti etiam dupliciter contingit communicari alteri; quòd enim communicatur, vel communicatur alteri tanquam superius inferiori, vel per vnionem cum altero, siue tanquam cum subiecto, siue quocumque alio modo. Incommunicabilitas, qua aliquid non potest alteri communicari per vnionem secundùm esse entitatiuum, non est incommunicabilitas propria indiuidui, ita vt per ipsam in suo esse constituatur, sed solùm illa, qua nequit alteri communicari tanquam superius inferiori; constituitur enim in esse indiuidui per illam incommunicabilitatem, qua opponitur communicabilitati naturæ communis, quia cum indiuiduatio coarctet naturam communem, vt sit hæc numero, oportet, vt per incommunicabilitatem determinet,

Prima conclusio Materia non est principium indiuiduationis quo ad incommunicabilitatem

Quæ incommunicabilitas sit propria indiuidui.

qua

& coarctet illam incommunicabilitatem naturæ communis, qua pluribus communicari potest: vt autem tali pacto determinet, necesse est, vt sit in communicabilitas opposita communicabilitati naturæ. Hinc autem fit, quòd cum communicabilitas naturæ communis respiciat plura, vt inferiora, incommunicabilitas, per quam constituitur indiuiduum, debeat esse incommunicabilitas, qua reddatur incommunicabile pluribus tanquam superius inferioribus. Quòd præsertim verùm est, quia indiuiduum ratione indiuiduationis est terminus vltimus naturæ communis terminans ipsius communicabilitatem, & ideo importare debet incommunicabilitatem, qua natura reddatur pluribus incommunicabilis. Hinc rursus posita hac incommunicabilitate, quamuis nihil aliud ponatur, intelligitur indiuiduatio, quia habetur vltimus terminus terminans incommunicabilitatem naturæ communis, ratione cuius opponitur indiuiduo. Atque quod ad esse indiuiduale non requiratur incommunicabilitas, qua nequeat alteri per vnionem secundùm esse entitatiuum communicari, siue fiat vnio per receptionem, siue aliquo alio modo; patet non solùm quia aliqua entitas indiuidua, vt sunt accidentia, & formæ possunt recipi in hoc, aut in illo subiecto saltem de potentia Dei absoluta, & humanitas Christi, quamuis indiuidua, potuit vniri Verbo diuino hypostaticè; sed etiam quia vniuersale, & natura communis non dicit talem communicabilitatem, quæ possit vniri alteri secundùm esse entitatiuum; neque enim præcisa indiuiduatione habet esse entitatiuum, sed solùm esse inchoatum in ordine ad esse entitatiuum, & proinde neque debet habere communicabilitatem, quæ fundetur in esse entitatiuo. Rursus esse entitatiuum importat esse physicum existens, & habetur etiam ratione indiuiduationis, vnde cum natura communis, neque existat, neque existere possit, nisi prout indiuidua, & nequeat habere illam communicabilitatem, quæ fundatur in indiuiduatione, vt pote quia talis communicabilitas nequit subsistere, nisi vbi est suum adæquatum fundamentum, consequenter nequit habere communicabilitatem, quæ fiat secundùm esse physicum entitatiuum. Quare cum indiuiduum ex vi indiuiduationis debeat solùm dicere incommunicabilitatem correspondentem communicabilitati naturæ communis, solùm importabit incommunicabilitatem, qua nequeat per modum superioris pluribus communicari.

Incommunicabilitas secundùm esse entitatiuū non est de ratione indiuidui.

IV. His autem positis pro nostra conclusione, talis conficitur ratio. Materia ex eo, quòd est primum irreceptibile in substantijs materialibus, non potest per seipsam formaliter tribuere indiuiduo illam incommunicabilitatem quam importat, vt indiuiduum est; ergo non potest esse principium formale indiuiduationis quò ad incommunicabilitatem. Consequentia ista est euidens, quia intantum ponitur materia principium indiuiduationis quò ad incommunicabilitatem, in quantum eam potest conferre, alioquin non potest esse principium indiuiduationis. Quòd autem non possit conferre incommunicabilitatem, quam importat indiuiduum, facilè probatur suppositis, quæ modo diximus: incommunicabilitas enim indiuidui est respectu plurium, ita vt faciat, quòd non sit communicabile pluribus per modum superioris, vnde est etiam incommunicabilitas, quæ cadit immediatè supra naturam communem consideratam secundùm essentiam. Materia autem, dum recipit in se formam, quamuis faciat ratione suæ irreceptibilitatis, quòd forma, prout est in ipsa, & ipsum compositum non possit recipi in alio tanquam in subiecto, non tamen facit, vt sit incommunicabile pluribus per modum superioris; nam non posse recipi in alio tanquam in subiecto in composito prouenit ex eo, quòd per se subsistat, nec indigeat subiecto substentante; in forma verò, prouenit ex eo, quòd est iam recepta in subiecto, & ideò non potest recipi in alio subiecto, nisi ab eo separaretur, in quo est recepta; nō autē prouenit ex eo, quòd natura, quæ erat communis pluribus sit determinata ad vnum, & sit hæc numero designabilis: incommunicabilitas autem indiuidui debet prouenire ex eo, quòd natura communis sit facta hæc numero designabilis, atque determinata ad vnum.

Materia non confert incommunicabilitatem indiuiduo.

V. Con-

Confir.

V. Confirmari adhuc potest ratio ista. Incommunicabilitas indiuidui terminat communicabilitatem naturæ communis, & cum sit vltimus terminus, facit, quòd natura sit determinata ad vnum eorum, in quibus poterat reperiri in ordine ad existentiam: & ex eo, quòd est determinata ad vnum, habet, quòd nequeat pluribus communicari eo modo, quo est ipsi communicata, vnde cum sit communicata alicui inferiorum per modum superioris: habet, quòd nequeat communicari amplius per modum superioris. Cæterum ex eo, quòd forma, & compositum habeant irreceptibilitatem in subiecto ratione materiæ, non per hoc tamen habent, quòd sint determinata ad vnum eorum, in quibus tanquam quid commune poterunt esse, quia compositum nullo pacto potest esse in subiecto, & multò minus per modum superioris, forma verò licèt possit esse in subiecto, non tamen per modum superioris in inferiori; vnde neutrum ipsorum ratione materiæ habent terminum communicabilitatis, quem debet importare principium indiuiduans; sed neque ex eo, quòd forma sit vnita subiecto, seu forma, & compositum ratione irreceptibilitatis habent, quòd nequeant communicari per modum superioris, sed solùm quòd non possint esse in subiecto, & ideo non possunt ratione materiæ habere principium indiuiduationis.

Irreceptibilitas in subiecto non confert Incõmunicabilitaté indiuiduo.

Confir. secunda.

VI. Confirmatur secundò. Quando forma, vel aliquid aliud recipitur in subiecto, recipitur in eo secundùm esse physicum, & entitatiuum indiuiduale; ita vt tale esse physicum indiuiduale, quamuis non in aliqua prioritate temporis, in aliquo tamen priori signo præsupponatur ad receptionem, quia receptio est alicuius esse receptio, & implicat fieri receptionem, nisi adsit id, quod recipiatur. Antequam autem intelligatur receptio in subiecto, intelligitur posse recipi in subiecto. ergo indiuiduatio non habetur quò ad incommunicabilitatem ratione materiæ ex eo, quòd ratione ipsius habeatur irreceptibilitas in subiecto. Consequentia ista est clara, quia si ratione materiæ haberetur indiuiduatio, quò ad incommunicabilitatem; non posset haberi talis incommunicabilitas antequam haberetur irreceptibilitas, atque adeo antequam; quod recipitur in subiecto, esset actu in eo receptum, & solùm dum potest recipi, sicuti nondum haberet irreceptibilitatem, sed solùm posset habere, ita etiam solum posset habere indiuiduationem, quare cum antequam recipiatur habeat indiuiduationem, non habetur indiuiduatio quò ad incommunicabilitatem ratione materiæ.

Receptio in subiecto præsupponit in aliquo signo id, quod recipitur.

Restat ergo, vt probemus antecedens. Et quidem, quòd illud, quod in subiecto recipitur, secundùm esse physicum entitatiuum, & existens recipiatur, certum existimo, nam recipitur tanquam actus informans, ita vt subiectum concurrat in genere causæ materialis substentando id, quod in se recipit, quis autem non videt, quòd informatio non fit nisi secundùm esse physicum entitatiuum, eo quòd substentatio, atque causatio materialis non terminatur, nisi ad existentiam illius, quod in subiecto recipitur? omnes enim causæ, quando causant, tendunt ad existentiam rei, quia causatio ex genere suo ponit rem in actu, vnde quando concurrit subiectum recipiendo, & substentando, debet concurrere in genere causæ materialis ad existentiam rei. Hinc autem sequitur altera pars antecedentis; nimirum hoc esse, quod recipitur in subiecto, esse indiuiduum, ita vt sit tale independenter à subiecto. Cum enim recipitur in subiecto secundùm esse physicum entitatiuum, recipitur secundùm illud, ad quod terminatur productio; omnis autem productio terminatur ad aliquid indiuiduum, quia semper ponit in actu certam, & determinatam entitatem, & tanquam hanc numero designabilem, ita vt non possit pluribus per modum superioris cõmunicari: vnde cum recipiatur in subiecto id, quod producitur, oportet, vt recipiatur aliquid indiuiduum, & incommunicabile. Atque huius rei conuincens argumentum, desumitur ex speciebus sacramentalibus eucharistiæ; sunt enim extra subiectum, & consequenter respectu subiecti non habent incommunicabiliter, sed

Quod recipitur in subiecto recipitur secundù esse entitatiuum indiuiduale.

Indiuiduatio stat cum receptibilitate in subiecto.

possunt illi communicari, & tamen sunt indiuiduæ, vt per se euidens est; vnde necessaria sequela concluditur, quòd incommunicabilitas, quam dicit indiuiduum, non habeatur ratione irreceptibilitatis in subiecto, atque adeo neque ratione materiæ, ex eo, quòd ipsa sit primum irreceptibile in subiecto.

Resp.

VII. Posset tamen aliquis ex doctrina Soncin. respondere, quòd indiuiduum nedum dicit incommunicabilitatem per modum superioris respectu inferioris, sed etiam per modum formæ respectu subiecti, quandoquidem dicit incommunicabilitatem, quæ adæquet communicabilitatem vniuersalis: vniuersale autem nedum est communicabile alteri per modum superioris, sed etiam per modum actus suo subiecto: siquidem substantia secunda, & est in subiecto, & de subiecto dicitur. Verùm friuola est huiusmodi responsio, & statim corruit ex ijs, quæ diximus; nam indiuiduatio, & consequenter incommunicabilitas indiuidui potest stare cum receptibilitate in subiecto, vt constat in accidentibus eucharistiæ, de quibus modò dicebamus, & quod recipitur in subiecto, vt iam probatum est, præsupponitur indiuiduum. Neque ad indiuiduum requiritur aliqua alia incommunicabilitas præter illam, qua redditur incommunicabile pluribus per modum superioris, vt etiam supra ostendimus. Et falsum est, quòd in hac responsione assumitur, nempe vniuersale esse in alio, tanquam in subiecto. tota enim communicabilitas naturæ communis exhauritur per id, quòd communicatur suis inferioribus, quibus solùm communicatur per modum superioris, & per essentialem identificationem cum ipsis, seu tanquam essentiale constitutiuum eorundem; vnde cum sit in ipsis, tanquam essentiale constitutiuum; potest quidditatiuè de ijsdem prædicari; & de ipsis dici tanquam de subiecto, quia in prædicatione subijciuntur naturæ communi: & similiter ex hoc capite secundæ substantiæ dicuntur esse in subiecto, vt exprimatur, quomodo sint in primis tanquam essentiale constitutiuum, & quibus primæ tum in prædicatione, tum in coordinatione prædicamentali, tanquam prima basis subijciantur, non autem quia importetur aliquis alius modus essendi in primis substantijs supra essentialem identificationem: vnde cum secundæ substantiæ non sint communicabiles subiecto, sed solùm per modum superioris inferioribus, indiuidua substantiæ non exigunt incommunicabilitatem respectu subiecti, sed solùm respectu inferiorum. Sed dato, quòd secundæ substantiæ communicarentur per modum actus subiecto, adhuc allatam responsionem vrgeo, quia communicarentur non subiecto, quod sit materia prima, sed suis inferioribus, quia talis communicatio exhauriret totam communicabilitatem ipsarum, & inferiora haberent rationem subiecti, & proinde adhuc tota communicatio fieret per modum superioris inferioribus: & ideo sicuti natura communis diceret communicabilitatem, qua communicari possit inferioribus tanquam subiecto, ita indiuiduum diceret solùm incommunicabilitatem, qua nequeat communicari inferioribus per modum actus respectu subiecti; non autem dicit irreceptibilitatem in subiecto physico, quod sit materia physica.

Impugnatio.

Quà cõmunicabilitaté dicat natura cõmunis.

Irreceptibilitas in subiecto non constituit indiuiduum.

2. ratio.

VIII. Secundò principaliter argumentor. Materia, si esset principium indiuiduationis quò ad incommunicabilitatem, id ei conueniret ratione propriæ essentiæ, sed ratione propriæ quidditatis non habet, vt possit esse principium indiuiduationis quò ad incommunicabilitatem, ergo non erit principium indiuiduationis. Maior huius argumenti conceditur etiam ab auctoribus oppositæ sententiæ; nam docent, quòd materia ex eo est principium indiuiduationis, quòd est primum irreceptibile; & quòd sit primum irreceptibile, habet ex vi suæ essentiæ; quia in tantum est primum irreceptibile, in quantum est primum subiectum substantiale: esse autem primum subiectum substantiale importat essentiam materiæ. Vnde restat solùm probanda minor, nimirum repugnare materiæ, esse principium indiuiduationis quò ad incommunica-

Repugnat esset materiæ esse principium indiuiduationis quo ad incõmunicabilitaté.

bi-

bilitatem. Pro quo suppono implicare, quòd principium indiuiduationis quò ad incommunicabilitatem imbibat communicabilitatem, quæ possit pluribus communicari, quia cum reddat incommunicabile, necesse est, vt sit incommunicabile vt quo, & consequenter excludat à se communicabilitatem tanquam rationem destructiuam incommunicabilitatis, alioquin, cum exhiberetur, redderet simul communicabile, & incommunicabile, & simul indiuiduaret, & non indiuiduaret, quæ omnia absurda sunt. Rursus si irreceptibilitas materiæ indiuiduaret quò ad incommunicabilitatem, ea posita necessariò haberetur indiuiduatio, quia non potest poni constitutiuum exhibitum, nisi etiam ponatur constitutum. Hoc ergo supposito, sumo materiam primam secundùm suam essentiam præcisè consideratam, tunc cum importet rationem primi subiecti, importat etiam irreceptibilitatem intrinsecè imbibitam, tanquam eam, quæ illi conuenit essentialiter, & ratione cuius repugnat esse in subiecto, & tamen adhuc est communicabilis pluribus inferioribus, nempe multiplici materiæ solo numero differenti; atque hæc communicabilitas est directè opposita incommunicabilitati indiuiduali, ergo ex eo, quòd est primum irreceptibile non habet, vt possit esse principium indiuiduationis quò ad incommunicabilitatem. Consequentia ista colligitur ex modo dictis, quia si materia indiuiduaret ratione suæ irreceptibilitatis, necesse esset, vt tanquam principium, *ut quo*, indiuiduans excluderet ab essentia sua communicabilitatem oppositam incommunicabilitati indiuiduali, quam tamen non excludit. Rursus posita hac irreceptibilitate necessariò poneretur indiuiduatio, vnde cum reperiatur in materia secundùm essentiam considerata, neque tamen adsit indiuiduatio, quandoquidem ex vi suæ essentiæ est quædam quidditas communicabilis pluribus, & per contractionem indiuiduabilis, oportet concludere, quòd ista irreceptibilitas non sit principium, quo materia reddat indiuiduum. Accedit etiam, quòd si materia indiuiduaret ratione irreceptibilitatis, sicuti est essentialiter irreceptibilis, ita esset etiam essentialiter indiuidua: quomodo ergo posset communicari pluribus per modum superioris?

Principium indiuiduationis debet esse incommunicabile vt quo.

IX. Hinc deduco tertiam rationem, quæ euidentissima est; innititur enim duobus principiis, quæ omnino certa sunt, & nota ex ipsis terminis. Certum enim est, impossibile esse, causam formalem alicui exhiberi, seu principium formale, absque eo, quòd habeatur effectus formalis prouueniens à tali causa, siue principio, quod ex ipsis terminis declaratur, siquidem effectus formalis non est aliud, quàm causa formalis, prout exhibita, non enim ab ipsa distinguitur, cum causet seipsam exhibendo. Alterum autem principium est, quòd naturæ illæ substantiales, quæ coalescunt ex materia, & forma, & sunt quædam composita substantialia, vt natura humana, natura equina, & aliæ huiusmodi, si considerentur secundùm essentiam in communi, præscindendo ab indiuiduatione, sunt communicabiles pluribus, ita vt habeant communicabilitatem oppositam incommunicabilitati indiuiduali. quod similiter est ex se euidens, quia, si hæ naturæ reperiuntur de facto communicatæ pluribus, necessariò debet dici, quòd sint communicabiles. Ex his autem principiis deducitur nostra ratio: Ex primo quidem infertur, quòd si materia est principium indiuiduationis, quò ad incommunicabilitatem, ex eo quòd est primum irreceptibile, impossibile est, quòd alteri secundùm esse suum irreceptibile exhibeatur, & non illud reddat indiuiduum quò ad incommunicabilitatem: indiuiduat enim tanquam principium formale indiuiduationis, & per suam irreceptibilitatem formaliter, vnde aut concedendum est, posse dari causam formalem iam exhibitam sine effectu formali; aut impossibile esse, vbi est materia exhibita, non adesse indiuiduationem; vnde cum primum impossibile plane sit, alterum est admittendum. Rursus ex eodem principio deducitur, quòd si reperitur exhibita materia secundùm rationem primi subiecti, absque eo, quòd indiuiduet, siue formam, siue com-

3. ratio.

Implicat causa formalis exhibita sine effectu formali.

Materia se ipsam exhibet, vt primum irreceptibile absque eo, quod indiuiduet.

compositum, necessariò concludendū est, materiam ratione suæ irreceptibilitatis non esse principium formale indiuiduationis quò ad incommunicabilitatem. Ex altero autem principio deducitur, dari materiam exhibitam secundùm rationem primi irreceptibilis, absque eo quod indiuiduet; natura enim substantialis, quæ constat materia, & forma, habet materiam sibi exhibitam in ratione primi irreceptibilis, quia concurrit tanquam primum subiectum ad ipsius constitutionem: vnde etiam ei repugnat posse recipi in subiecto non alia ratione, nisi quia inuoluit materiam. Atque si talis natura in communi secundùm suam essentiam consideretur, adhuc inuoluit eamdem materiam, non enim absque materia consistere potest talis naturæ essentia; habet suam irreceptibilitatem, ratione cuius ei repugnat recipi in subiecto, & tamen non est indiuidua, cum sit communicabilis pluribus per modum superioris. Clara ergo deducitur consequentia, quòd non sit principium indiuiduationis quò ad incommunicabilitatem ex eo, quòd sit primum irreceptibile, quandoquidem reperitur exhibita vt primum irreceptibile, & reddens id, cui exhibetur irreceptibile in subiecto, absque eo quòd indiuiduetur.

4. ratio. X. Quartò argumentor; Materia in communi considerata secundùm suam essentiam se habet specifico modo, & importat quamdam quidditatem communicabilem pluribus per modum superioris inferioribus; quidditas enim materiæ reperitur in hac, & in illa materia; vnde etiam de ipsis quidditatinè prædicatur tanquam essentiale constitutiuum; & proinde quantùm est ex vi suæ essentiæ non solùm non est indiuidua, sed indiuiduabilis; non enim communicari posset pluribus indiuiduis, nisi indiuiduaretur. Et hoc autem sequitur, quod, quantum est ex vi suæ essentiæ, non possit esse principium formale indiuiduationis, quò ad incommunicabilitatem, quia si esset tale principium, esset ratio formalis indiuiduationis, & incommunicabilitatis, & consequenter non posset indiuiduari, neque esset pluribus communicabilis; posse enim indiuiduari dicit rationem oppositam formali rationi indiuiduationis, & quamdam communicabilitatem, quæ excludit incommunicabilitatem indiuidui. Deinde indiuiduatio posset recipere indiuiduationem, vt indiuiduetur; quod est falsum, nam quod est tale vt quo, & formaliter, non est capax eiusdem rationis formalis, sic rationalitas non est capax rationalitatis, nec albedo albedinis, quia contradictinum, & determinatum debet esse semper diuersum à contrahibili, & determinabili. Similiter forma substantialis, considerata secundùm essentiam, est pluribus communicabilis, cum de facto in pluribus solo numero differentibus reperiatur; vnde eadem ratio est de ipsa, ac de materia. Quamobrem cum non minus materia, quàm forma, quantùm est ex vi suę essentię, indigeant principio aliquo formali indiuiduationis quò ad incommunicabilitatem, oportet concedere aliquid commune, quod vtrique exhibeat indiuiduationem; & proinde sicuti forma non potest indiuiduare, quia est pluribus communicabilis, nec etiam materia, cum sit ipsa quoque pluribus communicabilis.

Materia secundū suam essentiam, pluribus communicabilis.

Tam ma te ia quã forma ex vi sua essentia in gene indiui duatione

XI. Quòd si quis respondeat, materiam non quomodocumque sumptam indiuiduare, sed prout est hæc numero, facilè reijcitur hæc responsio, nam si indiuiduat, vt est primum irreceptibile, vt dicunt Thomistæ, oportet, quòd indiuiduet ratione suæ essentiæ, quia in sua essentia includit esse irreceptibile, atque cum in communi sumpta adhuc dicat esse primum irreceptibile, & nihilominus cum non sit minus communicabilis pluribus, quàm forma, sicuti forma non potest esse principium, ex eo, quòd est communicabilis pluribus, ita neque etiam poterit esse materia, quamuis sit primum irreceptibile. Rursus si indiuiduat, prout est hæc numero, cùm ex vi suæ essentiæ non sit hæc numero, sed pluribus communicabilis, & consequenter nec ratione irreceptibilitatis, debet concedi aliquod principium formale, quo indiuiduetur, & quod non sit irreceptibilitas in subiecto; vnde consequenter materia non erit principium indiuiduationis, vt est primum irreceptibile. Verùm si conceditur hoc principium indiuiduationis respectu materiæ, quòd ei conueniat non ex vi suæ essentiæ, sed

Occurritur ei, ò quoni

esse pluribus cō municabile est & cōpossibile cū principio indiuiduationis.

vt

vt est hæc numero, poterit hoc idem principium concedi ex parte formæ, imo necessariò concedendum erit, quia sicuti conceditur ex parte materiæ, ex eo quòd est pluribus communicabilis, ita necesse erit concedere ex parte formæ, cum ipsa quoque sit pluribus communicabilis, nec indiuiduetur ratione irreceptibilitatis materiæ.

Confir.

XII. Et addi potest confirmatio, qua & præcedens ratio confirmetur, & magis allata responsio vrgeatur, materia cōsiderata secundùm suam entitatē physicam, & prout est hæc numero, non potest pluribus communicari, & ideo dicitur esse indiuidua seipsa, & posse etiam aliud indiuiduare: at forma quoque substantialis, considerata secundùm suam certam, & determinatam physicam entitatem, habet, quòd non possit pluribus communicari, ergo debet poni, quòd sit ex seipsa indiuidua, cum eadem sit ratio. Quòd si quis cum Soncin. respondeat naturam singularem requirere, vt non possit alteri communicari tanquam supposito, atque id ei conuenire ratione materiæ, facilè reijcitur, nam falsum est, quòd naturæ singulari repugnet communicari alteri tanquam supposito, quia hoc solùm conuenit supposito, vt tale est, quod satis indicat humanitas Christi, natura enim humana Christi fuit singularis creata, tum quia fuit terminus actionis singularis, tum etiam quia Verbum non assumsit naturam humanam communi, sed naturam indiuiduam, quæ erat hæc numero, & tamen talis natura erat communicabilis alteri tanquam supposito. Deinde etiam falsum est, quod huiusmodi incommunicabilitas habeatur ratione materiæ, habetur enim ratione suppositalis subsistentiæ, nam similiter natura humana Christi inuoluebat materiam, & tamen non habuit hanc incommunicabilitatem.

(Eadē ratio de indiuiduatione circa materiam, & formam.)

(Natura indiuidua adhuc cōmunicabilis supposito.)

Secunda Conclusio.

XIII. Secunda quoque propositio quam deduximus ex sententia Thomistarum, falsa est: vnde contra ipsam ponimus secundam conclusionem, in qua statuimus, Quantitatem non esse principium indiuiduationis substantiæ materialis quò ad distinctionem. Hæc autem conclusio procedit, supposito quòd quantitas habeat suum proprium esse accidentale distinctum ab ipsa substantia, quia si esset cum ipsa identificata, alia ratio esset, nam sicuti tunc substantia distingueretur per suum proprium esse, ita etiam distingueretur ratione quantitatis, quam in proprio esse inuolueret. Hinc autem sequitur, quòd quantitas terminata non sit principium indiuiduationis quò ad illas circumstantias temporis, & loci, quia adhuc substantia sicuti habet suam totalem indiuiduationem independenter à quantitate, ita etiam habet omnes circumstantias, quæ consequuntur indiuiduationem; & solùm verum esse potest, quòd habeat aliquas ex his circumstantijs ratione quantitatis, si eas consideremus secundùm esse sensibile, & dimensibile.

(2. concl. Quantitas non est principium indiuiduationis quò ad distinctionem.)

XIV. Quòd autem quantitas nequeat esse principium indiuiduationis, quò ad diuisionem, probatur primò. Quantitas non est principium indiuiduationis quò ad incommunicabilitatem, ergo neque quò ad indistinctionem. Antecedens traditur ab auctoribus huius sententiæ, quam impugnamus, dum dicunt indiuiduationem quò ad incommunicabilitatem haberi à materia, quia ipsa sola est primum irreceptibile, & ratione etiam ostenditur, nam quantitas quoque ratione suæ essentiæ, est pluribus communicabilis, & ideo ratione illius non potest esse principium indiuiduationis. Si verò sumatur, prout est hæc numero designabilis, tunc oportet assignare, per quid sit hæc numero, & idem etiam poterit assignari proportionaliter ex parte substantiæ; deinde etiam si conferret incommunicabilitatem indiuiduo, prout est hæc numero, non tamen conferret, vt quantitas, & proinde non esset à quantitate, sed ab aliquo alio. Accedit etiam, quòd si conferret etiam incommunicabilitatem, esset principium totale indiuiduationis, quod fieri non potest, vt supra disp. praecedenti probatum est. Nunc ergo probatur consequentia. Incommunicabilitas, indiuidui facit, vt id, in quo reperitur, non communicet cum alio: hoc enim est reddere incommunicabile, tollere communicationem cum alio: vnde incommunicabilitas indiuidui facit, quòd in di-

(1. ratio.)

(Quod nō dat incommunicabil tatē indiuiduo, neq. dat distinctionem.)

(Incōmunicabilitas ponit diuisionē ab omni alio.)

diuiduum non communicet cum alio secundùm esse indiuiduale. Quid autem queso est non communicare cum alio secundùm esse indiuiduale, quàm distingui ab ipso indiuidualiter? quando enim aliquid non communicat cum alio, eo ipso quòd non communicat, distinguitur, quare id, quod tribuit individuo incommunicabilitatem, tribuit etiam distinctionem indiuidualem: & idcirco, si quantitas non potest tribuere indiuiduo incommunicabilitatem, nec etiam tribuere poterit distinctionem indiuidualem.

Confir. XV. Atque hoc totum confirmari potest ex illo principio apud omnes recepto: quod *Idem sit constitutiuum, & distinctiuum*; vnumquodque enim, vt patet inductione, per suum esse ab alio distinguitur, & talis est distinctio, qualis est esse, si enim esse est specificum distinctio quoque est specifica; si genericum, distinctio est generica, & omnino distinctio sequitur esse rei, vnde id, quod constituit esse, ipsum quoque distinguit ab omni alio. Hinc indiuiduum ab eo habet suam distinctionem indiuidualem, à quo intrinsecè constituitur in esse indiuidui, quia dum constituitur, separatur à quocunque alio indiuiduo, quod non est tale numero designabile. Cum autem ratione esse incommunicabilis, non verò ratione quantitatis constituatur in esse intrinseco indiuiduali, non poterit à quantitate habere suam distinctionem. Quod amplius declaratur: quantitas non potest esse intrinsecum constitutiuum indiuidui secundùm esse indiuiduale, quia cum sit accidens, nequit intrinsecè constituere substantiam; quæro ergo, an vna substantia secundùm suum esse intrinsecū indiuidualiter distinguatur ab alia; an non? Hoc secundum dici non potest, quia reuera intrinseca entitas vnius substantiæ nō est entitas alterius, & vna destrui potest alia remanente, & diuiduntur inter se substantiæ loco, & tempore, quod contingere non potest, nisi indiuidualiter secundùm proprium esse intrinsecum distinguerentur; videmus enim, hæc contingere non posse in eadem indiuidua substantia. ergo, oportet etiam in ipsa cōcedere intrinsecum distinctiuum, quo intrinseco modo distinguatur, & ideo distinctio indiuidualis non desumetur à quantitate.

Distinctio est à cōstitutiuo intrinseco.

Vna substātia distinguitur ab alia secundum propriū esse intrinsecum.

XVI. Secundò probatur eadem conclusio proportionaliter applicando argumentum factum disputatione præcedenti, vt probaremus, quantitatem non esse principium quò ad totalem indiuiduationem, quod sanè magnam efficaciam habet, & procedit ex prioritate substantiæ respectu omnium accidentium: ex vi enim suæ essentiæ substantia prior est quocunque accidente etiam quantitate, vtpote quia non dependet ab accidente, & potest subsistere sine ipso, cum sit ens per se subsistens: accidens autem dependet à substantia, cum sit ens indigens substentatione, & essentialiter inhærens. Ex hac autem prioritate substantiæ colligitur, quòd prior etiam sit indiuidualis distinctio substantiarum indiuiduali distinctione accidentium; si enim substantia vt sic comparetur ad accidens vt sic, obtinet suam prioritatem ex hoc capite, quia substantia vt sic est per se subsistens, accidens verò inexistens, & indigens substentatione: & etiam si comparetur substantia indiuidua ad quodcunque accidens indiuiduum, etiam quantitatem, adhuc substantia indiuidua per se subsistit, & accidens, siue quantitas indiuidua indiget substentari, vnde cum militet eadem ratio, substantia indiuidua erit prior quantitate indiuidua. Rursus eamdem correspondentiam, & proportionem, quam seruat substantia vt sic ad accidens vt sic, seruant etiam substantiæ inferiores ad accidentia inferiora: ergo si substantia vt sic est prior accidente, etiam substantiæ determinatæ secūdùm suum determinatiuum erunt priores accidentibus secundùm eorumdem determinatiuum consideratis: & consequenter etiam distinctio, quæ habetur à determinatiuis substantiæ erit prior distinctione, quæ habetur à determinatiuis accidentis. Denique substantia vt sic, non est possibilis, nisi prout reperitur in substantiis indiuiduis, quia est solùm possibilis in ordine ad existentiam, & non potest existere, nisi prout est in substantia indiuidua: & proinde in eo signo, in quo concipitur substantia possibilis, necesse est concipere substantiam indiuiduam. Cum ergo in substantia possibili, prout concipitur in primo signo suæ possibilitatis, saluetur essentia substantiæ, & totum id, quod

a ratio.

Indiuidualis distinctio substātiæ prior est quantitate.

possibile concipitur, substantiale sit, in substantia illa indiuidua possibili inuoluetur etiam prioritas respectu quantitatis, & consequenter distinctio illa indiuidualis, quam dicunt substantiæ præscindendo ab existentia, erit prior distinctione quantitatis. Et proinde cum distinctio indiuidualis substantiæ sit prior quantitate, atque consequenter distinctione ipsius, non poterit quantitas conferre substantiæ indiuiduationem quò ad distinctionem . . . .

3. ratio. XVII. Tertiò argumentor præcipuè, quòd quantitas interminata non sit principium formale indiuiduationis quò ad distinctionem. Non enim quantitas potest distinguere indiuidua substantię inter se, nisi in ipsa ponatur distinctio: vt enim duo indiuidua substantialia distinguantur, necesse est, vt interueniant duæ quantitates, nempe vna ex parte vnius indiuidui, & altera ex parte alterius; distinctiuum namque necessarium est ad distinctionem ex parte vtriusque extremi. Verùm statim ac vna quantitas concipitur distingui ab alia, concipitur etiam terminata: terminus enim in quantitate consurgit ex diuisione, qua vna quantitas diuiditur ab alia; & proinde solùm quantitatis terminatæ est distinguere. Ac accedit etiam in confirmationem huius rationis, quòd quantitas nequit distinguere indiuidua, nisi seipsam illis exhibeat, & in tantum distingueret, in quantum reciperetur. Verùm in nullo indiuiduo substantiali potest recipi quantitas interminata, sed sicuti de facto quantitas cuiuscunque indiuidui est terminata, ita etiam quantitas, quæ recipitur in quocumque illorum, quia eadem est, quæ recipitur, ac quæ de facto in ipsis perseuerat: & si per quantitatem distinguerentur, certè illa, quæ in ipsis modo est causaret distinctionem. hæc autem est quantitas terminata, & ideo soli posset tribui indiuiduare substantiam quò ad distinctionem: sed neque hoc necessarium est, vt iam patet ex supradictis.

Quantitas intermin. non potest distinguere.

4. ratio. XVIII. Quartò quoque possumus argumentari procedendo iuxta principia Thomistarum, & cum Scot in 2. dist. 2. quęst. 4. ostendendo, quantitatem non posse esse principium indiuiduationis quò ad distinctionem. Docent enim, quòd omnis distinctio indiuidualis est à materia, & ideo in angelis non admittunt distinctionem, quæ sit solùm indiuidualis, quia in ipsis non est materia, sed solùm sunt actus, & veluti quædam formæ; omnis autem distinctio, quæ est secundùm formam, volunt esse essentialem, & specificam, & proinde contendunt omnes angelos specie differre. hinc etiam docent, non posse dari plura accidentia solo numero diuersa separata à subiecto, & quantitate, quia tunc differrent secundùm formam; ita præcipue docet D. Th. 1. part. quæst. 50. art. 4. & quæst. 75. art. 7. Hac ergo doctrina præsupposita sic conficio argumentum. Quantitas non potest ponere distinctionem indiuidualem tanquam principium formale ipsius, nisi in se illam contineat saltem vt quo, quia causa formalis debet formali modo continere effectum, & sicuti ad causandam distinctionem indiuidualem inter plura indiuidua requiruntur plures quantitates, ita debent hæ quantitates indiuidualiter distingui, alioquin exhiberent formali modo, quod non habent; sic albedo non potest facere viride, & eadem inductio in cæteris fieri potest, sed stante doctrina Thomistarum, non potest quantitas habere in se distinctionem indiuidualem, ergo neque potest tanquam principium formale illam causare. Minor probatur, nam per Thomistas, omnis distinctio, quæ non est secundùm materiam, sed secundùm formam, est essentialis, & formalis etiam in accidentibus, vt modò vidimus; vnde cum quantitas sit quædam forma, distinctio, quæ est secundùm quantitatem, est secundùm formam, atque adeo, aut non possunt dari duæ quantitates ex se distinctæ, aut si dantur, plusquam numero distinguentur, nimirum essentialiter, & ideo non poterunt distinguere indiuidualiter.

Scot.

Doctrina Thomistarum de distinctione indiuiduali.

D. Th.

Iuxta principia Thomistarum quantitas non pot causare distinctionem indiuidualem.

XIX. Respondet autem Caiet. q. 5. de Ente, & essent. in responsione ad 6. committi fallaciam, & fieri transitum à distinctione formarum ad distinctionem formalem. Alia enim est distinctio formarum, quæ contingit secundum duas formas; & alia est formalis, quæ contingit secundum quidditatem rei. Distinctio formarum non semper est essentialis, sed aliquando potest esse solùm numerica: distinctio

Resp. Caiet.

ve-

vero formalis semper est essentialis. Duæ ergo quantitates, cum sint eiusdem rationis, non distinguuntur formaliter, sed tanquam duæ formæ, & distinctio est solùm indiuidualis. Atque hac responsione existimat, se plenè satisfecisse argumento Scoti. & quidem si Scotus absolutè procederet in hoc argumento, omnino argumentatio ipsius corrueret, quia continet hæc responsio veram doctrinam, quia tamen contrariatur principijs Thomisticis, adhuc vrget argumentum contra ipsorum sententiam de indiuiduatione. Si enim Caiet. concedit, duas quantitates differre tanquam duas formas solo numero, atque habere hanc distinctionem ex se, ergo falsum est, quòd omnis distinctio numeralis sit à materia, & quòd omnis distinctio secundùm formam sit essentialis: Vnde poterunt extra subiectum duo accidentia solo numero differre tanquam duæ formæ: & in angelis poterit dari sola multiplicatio indiuidualis, quia licet angeli sint actus, & formæ, different indiuidualiter tanquam duæ formæ: & hoc pacto corruunt illa principia, in quibus fundant totam doctrinam de indiuiduatione. Quòd si rursus aliquis dicat, duas quantitates differre numero per ordinem ad duplicem materiam, quam possunt informare, iam quantitas sumet suam distinctionem indiuidualem à materia, & consequenter illam præsupponet in materia, quomodo ergo ipsa quantitas erit principium indiuiduationis quò ad distinctionem respectu substantiæ, cum ipsa recipiat talem distinctionem à substantia. Certè hæc doctrina nullo pacto potest subsistere; vnde concludendum, quantitatem non causare distinctionem indiuidualem tanquam formale principium illius.

Reijcitur — *Alia responsio impugnata.*

Tertia Conclusio.

XX. Docebant insuper Thomistæ, quòd materia signata quantitate esset principium indiuiduationis: atque hanc sigillationem nihil addere supra materiam, quod sit ab ipsa realiter distinctum; atque hoc totum continebatur in tertia propositione: contra quam ponimus tertiam conclusionem, in qua statuimus, materiam ratione huius signationis, siue sigillationis non posse esse principium indiuiduationis. Prob. autem primò. Materia quantum est de se, quamuis secundùm esse physicum consideretur, & prout habet certam, & determinatam entitatem non potest esse principium indiuiduationis, ergo neque ratione alicuius signationis, siue sigillationis, quam habeat à quantitate. Antecedens conceditur à Thomistis, ideo enim requirunt hanc sigillationem, vt saluent, quomodo materia possit esse principium indiuiduationis, atque etiam certum omnino est; nam materia secundùm vnam, eandemque entitatem potest reperiri sub diuersis formis, & in pluribus compositis: vnde si absolutè secundum proprium esse entitatiuum esset formale principium indiuiduationis necesse esset, quòd omnia illa composita substantialia, in quibus est eadem materia, essent vnum numero, quia posito eodem principio formali indiuiduationis, debet poni idem indiuiduum: quod cum falsum sit, oportet dicere, materiam secundùm se absolutè non esse principium indiuiduationis. Sed etiam consequentia apertè deducitur. nam hæc sigillatio materiæ nihil importat supra materiam realiter distinctum: & proinde si aliquid reale importat, necesse est, quòd sit quid inclusum intra entitatem materiæ. Deinde si talis sigillatio esset extra entitatem materiæ, dum materia indiuiduat ratione huius sigillationis, indiuiduatio nôn esset ab ipsa materia, sed ab aliquo alio, vnde de hoc quærendum esset, quidnam esset, & quomodo posset indiuiduare, & an esset accidens, an verò substantia. Hinc autem sequitur, quòd ista sigillatio sit omnino ficta; nam intra entitatem cuiuscunque rei nihil aliud includi potest, nisi illud, quod spectat ad intrinsecam constitutionem ipsius, & quicquid extraneum est, ita vt importet aliquid, sine quo possit esse rei subsistere, impossibile est, quòd intra entitatem illius claudatur, quia eo ipso, quòd clauditur fit idem esse, quomodo autem potest esse vnum, atque idem esse, si est quid ipsi extraneum, & non spectans ad intrinsecam constitutionem? Ex quo deducitur, quòd nihil extraneum possit claudi intra entitatem materiæ, sed necessariò, quicquid intra ipsam clau-

3 concl. Materia signata cum est principium indiuiduationis.

Materia secundùm se nô potest esse principium indiuiduationis.

Nihil extraneum clauditur intra alicuius entitatem.

Cur materia ratione sigillat omnis nequeat esse principium indiuiduationis.

clauditur, sit de esse ipsius, & proinde aliquid de ipsa materia. Quod ergo spectat ad hanc sigillationem, si clauditur intra entitatem materiæ, erit aliquid spectans ad esse materiæ: at materia secundùm totum suum esse adæquatum, etiam in indiuiduo sumptum, est indifferens, vt sit sub hac, vel illa forma. & consequenter vt sit in hoc, vel in illo composito, & proinde etiam eadem sigillatio, si est quid inclusum intra entitatem ipsius, vnde si materia secundùm se absolutè non est principium indiuiduationis, nec etiam poterit esse ratione sigillationis, cum militet eadem ratio.

Sigillatio materiæ ficta.

XXI Sed verius dicendum, est hanc sigillationem esse omnino fictam, nec aliquid materiam habere intra se, ratione cuius ita sigilletur, & determinetur, vt sit principium talis indiuidui, & non alterius: nam intra se ipsam nihil aliud includet, nisi quod spectat ad suimet constitutionem; huiusmodi autem sigillatio non spectat ad constitutionē materiæ, quæ ex vi sui esse est indifferens, vt sit cum hac, aut cum illa forma, & proinde, non potest intra eamdem entitatem aliquid includere, quo sigilletur, & determinetur ad indiuiduandam hanc numero formam, & hoc numero compositum: hoc enim esset contra naturam materiæ, quæ sicuti petit esse indifferens ad quamlibet formam, ita etiam ei repugnat intra eamdem entitatem habere aliquid, quo ad hanc, vel illam formam sigilletur, & determinetur, præterea si materia ratione huius sigillationis determinaretur, vt indiuiduaret hoc indiuiduum, cum vna, & eadem materia sit in pluribus indiuiduis successiuè necesse esset, vt variaretur huiusmodi sigillatio; at quando materia ponitur in diuersis indiuiduis, manet omnino inuariata secundùm proprium esse intrinsecum: impossibile est enim, quòd ea, quæ in aliqua entitate includuntur, varientur inuariata eadem entitate. Quomodo ergo fieri potest, quòd eadem omnino entitas materiæ ponatur sub diuersis formis, & varietur sigillatio materiæ, & sigillatio non sit aliquid extra entitatem eiusdem materiæ? Quamobrem concludendum est, hanc sigillationē esse omnino fictam; quod etiam si ponatur aliquid superadditum, quo determinetur, tunc non amplius materia erit principium indiuiduationis, sed illud superadditum, quia sicuti determinat materiam, vt sit huius indiuidui, ita determinabit totum indiuiduum.

Confir.

XXII Et totus hic discursus confirmari potest, inquirendo, an huiusmodi sigillatio importet aliquid essentiale materiæ, an verò aliquid accidentale. primum non potest dici, quia materia quantùm est ex vi suorum essentialium est indifferens vt sit cum quacunque forma, & ideo quantùm est ex vi illorum non potest habere aliquam sigillationem. Sed si est aliquid accidentale, tunc esset aliquid supperadditum quia nihil accidentale potest includi intra entitatem materię, quicquid enim inuoluitur in qualibet entitate, pertinet ad adæquatam essentiam illius rei, vnde cum non sit relatio, quia non refert materiam, sed determinat; necesse est, vt sit extra entitatem illius. Deinde neque potest esse ratio vnde materia habeat, vt possit indiuiduare substantiam, quia militat ratio, quam supra attigimus, quòd substantia etiam secundùm suum esse indiuiduale sit prior quocunque accidente, & ideo non potest quò ad indiuiduationem dependere ab ipso, & consequenter neq; ab hac sigillatione materiæ, si quidem est accidens. Quapropter cum materia nequeat indiuiduare, secundùm se absolutè considerata, neque poterit ratione alicuius sigillationis, quam recipiat à quantitate.

Sigillatio materiæ, neque vt quid ipsi essentiale, neque vt accidentale admitti potest.

Secunda ratio.

XXIII Secundò principaliter probatur conclusio, ostendendo, impossibile esse, materiam recipere hanc sigillationem à quantitate. Si enim non potest eam recipere, certè neque poterit indiuiduare, quare si impossibile est huiusmodi sigillatio, impossibile etiam erit, quòd materia signata sit principium indiuiduationis. Quòd autem huiusmodi sigillatio sit impossibilis, probatur, nam ista quantitas, qua materia sigillatur, aut est terminata, aut interminata. Non interminata, quia de ipsa militat eadē ratio, ac de materia absolutè secundū suā entitatē accepta; sicuti enim materia, nō potest esse principiū indiuiduationis, quia indifferenter se habet ad oēs formas: ita quātitas quoq; interminata indifferēter se habet ad omnes formas, & ideo neq; potest

Impossibile est materiā sigillari à quantitate.

Quantitas terminata adhuc cõmunis pluribus indiuiduis, & ideò non potest sigillare.

potest materiam sigillare & determinare: hinc est, quòd materia considerata, prout est affecta quantitate interminata, adhuc indifferenter se habet ad diuersas formas. Neque verum est, quòd materia possit sigillari à quantitate terminata, quod sic ostenditur; intantum enim posset quantitas terminata sigillare materiam, in quantum talis quantitas est propria talis indiuidui, itaut non possit esse alterius, alioquin eadem esset ratio de ipsa, ac de interminata. Cæterùm hoc totum, fundatur in falso supposito: falsum namque est, quantitatem terminatam ita esse propriam vnius indiuidui, vt non possit esse alterius. Ponatur enim aliqua quantitas determinata, quæ sit alicuius indiuidui substantialis, potest Deus facere, vt sit alterius, vt si conseruando illam quantitatem, & cætera accidentia destruat illam substantiam, quæ sub illis accidentibus reperitur, & aliam producat, quod præsertim contingere potest in substantijs homogeneis, quæ habent partes eiusdem rationis; non enim in hoc apparet aliqua implicantia, cum omnia indiuidua substantiæ sint omnino eiusdẽ rationis. Imo potest Deus conseruare materiam cum eadem quantitate terminata, & destruere formam, producendo aliam eiusdem rationis, nunc autem eadem materia cum eadem quantitate terminata erit cum diuersis indiuiduis substantialibus, ergo non ita est propria vnius, vt non possit esse alterius, sed indifferenter se habet ad plura. Cuius rei etiam euidens argumentum desumitur ex mysterio Eucharistiæ. ibi enim remanet eadem quantitas terminata, quæ erat cum pane, & vino; potest autem facere Deus; vt desinat esse sub illis speciebus Corpus, & Sanguis Christi, conseruando ipsas species, & producere sub illis aut diuersam substantiam specie, aut diuersam solo numero, aut etiam reproducere eamdem materiam cum diuersa numero forma; tunc autem eadem quantitas terminata erit cum diuersis indiuiduis, & proinde falsum est, quòd ita sit addicta vni indiuiduo, vt non possit esse alterius. Quòd si esset propria alicuius, vt ipsius indiuidua tio ab ipsa dependeret, neque per Dei potentiam posset esse cum alio indiuiduo, quia semper tribueret materiæ eamdem sigillationem, & consequenter eamdem indiuiduationem.

XXIV Quod rursus confirmari potest. Si quantitas terminata ita esset propria vnius indiuidui, vt non posset esset alterius, & consequenter determinaret materiam ad ipsum, necesse esse, vt huiusmodi appropriatio haberet fundamentum, vel in quantitate terminata, vel in indiuiduo, aut in vtroque: non enim consistere potest talis appropriatio, nisi in aliquo fundetur, quoniam debet esse alicuius appropriatio: nihil autem aliud est, in quo fundari possit præter quantitatem, & substantiale indiuiduum. Verùm in neutro fundari potest, & consequenter non aderit talis appropriatio. Vt autem probemus minorem huius confir. supponendum est, quòd antequam indiuiduentur indiuidua, nihil aliud est, nisi natura communis pluribus quidem communicabilis, nondum tamen communicata, & consequenter antequam intelligatur indiuiduatio, nulla adest plurificatio, & distinctio indiuiduorum. Ex hoc autem sequitur, quòd ex parte substantiæ non possit interuenire huiusmodi appropriatio, qua talis quantitas terminata approprietur, quia antequam materia signetur tali quantitate, quæ sit propria talis indiuidui, & consequenter aute appropriationem non potest intelligi indiuiduatio substantiæ, sed solùm natura communis. & proinde ex parte substantiæ non adest aliquid, quod appropriet sibi talem quantitatem terminatam. Quod etiam confirmatur. Quia quantitas terminata non est propria naturæ, sed indiuidui, vt dicunt Thomistæ, vnde si ex parte substantiæ interueniret appropriatio deberet interuenire ex parte indiuiduorum; vel ergo antequam intelligatur talis appropriatio intelliguntur indiuidua substantialia, vel non; si intelliguntur, ergo iam substantia est indiuidua, antequam fiat hæc appropriatio quantitatis, & consequenter antequam sigilletur materia. Si verò non intelliguntur, iam ex parte substantiæ non potest interuenire appropriatio, qua illi talis quantitas terminata approprietur, siquidem debet appropriari indiuiduis; vnde ratio appropriationis, si interueniret ex parte substantiæ, deberet interuenire ex parte

Quantitas terminata neq; ratione sui neq; ratione substantiæ fieri potest propria alicuius indiuidui.

indi-

indiuiduationis; & ideo deficiente indiuiduatione ex parte substantiæ, deficit etiam appropriatio. Hinc etiam colligitur, quòd neque ex parte quantitatis possit interuenire talis appropriatio; si enim talis quantitas exigeret appropriari tali indiuiduo, ita vt non posset esse alterius, necesse esset, vt ex parte indiuidui aliquid interueniret, ratione cuius talis quantitas exigeret appropriari huic potius, quàm alteri, alioquin non esset maior ratio, cur potius exigeret appropriari vni, quàm alteri; rursus deberet supponi distinctio indiuiduorum, quomodo enim quãtitas posset exigere appropriari huic indiuiduo, & non alteri, nisi indiuidua distinguerentur? Verùm cum ante talem appropriationem non sit signatio materiæ nec per Thomistas consequenter distinctio indiuiduorum, neque talis appropriatio se tenebit ex parte quantitatis, & ideo nulla erit, sed quantitas quoq; terminata indifferenter se habebit ad plura indiuidua.

3. ratio. XXV. Tertiò probatur eadem cõclusio. Quantitas interminata non pôt sigillare materiam in ordine ad indiuiduationem substantiæ materialis, quia se habet indifferenter ad hoc, vel illud indiuiduum, ergo neq: quantitas terminata. Antecedens est certum, & concẽditur etiam à Thomistis, quia cum quãtitas interminata possit esse cum diuersis indiuiduis, non pôt ita sigillare materiam, vt fiat propria vnius tãtùm. Cõsequẽtia ergo probatur Quantitas terminata in tantum potest sigillare materiã, in quantùm rõne terminationis importat aliquid, quo materia determinetur, vt sit huius indiuidui, quod fieri nõ potest, nisi id, per quod quantitas cõstituitur in esse terminato, sit talis indiuidui, vt non possit esse alterius. Verùm quantitas terminata rõne terminationis non dicit aliquid peculiare alicuius indiuidui, ergo non pôt sigillare materiam. Duo enim quantitas rõne terminationis importare pôt, vel certos terminos dimensionis quãtitatiuę, ita vt sit tanta quãtitas, & nõ maior, aut minor; vel quasdã affectiones quantitatis, puta figuram: situ, raritatẽ, aut densitatẽ, aut aliquid huiusmodi, quod modificet quãtitatẽ: hæc enim tãtùm se tenẽt ex parte qnantitatis, rõne quorũ possit fieri terminata: nõ enim aliquid aliud excogitari pôt, quod se teneat ex parte quãtitatis in rõne quãtitatis. Quòd autem spectat ad certas dimensiones, & certos terminos molis, nõ pôt quãtitas determinari, vt sit alicuius indiuidui, & non possit esse alterius; nã idem indiuiduum pôt habere diuersos terminos dimẽsionis, & maiorẽ, & minorẽ quantitatem, quod etiã locũ habet in rebus homogeneis, quæ non habent aliquem certũ terminum magnitudinis: & sicuti in mathematicis dãtur lineæ ęqualis dimẽsionis, & etiã figuræ, ita etiã in rebus physicis possunt dari quãtitatis physicę, quę sint æqualis dimensionis, & quæ reperiãtur in diuersis substantijs; vnde tunc, cũ termini dimensionis vnius quantitatis sint oĩno æquales cum terminis alterius, poterit quantitas vnius esse quantitas alterius, & proinde rõne terminorũ dimensionis non habebit quantitas vt sit potius huius indiuidui, quàm alterius; neque enim homogenea habent certum terminũ magnitudinis, aut paruitatis, sed possunt habere eosdẽ terminos magnitudinis. Confir. inquirendo, an isti termini dimensionis cõsistant in indiuisibili, an verò habeant aliquã latitudinem. Non primum, quia possunt variari in eodẽ indiuiduo, vel per rarefactionẽ, aut condensationẽ, vel per augmentũ, vt contingit in viuẽtibus, remanẽte eodẽ indiuiduo. Si secũdum, vt vult Caiet. tunc continget diuersa indiuidua habere eosdem terminos dimensionis; nam intra illam latitudinem sunt possibiles diuersi, & diuersi termini, & diuersi termini dimensionis sunt applicabiles pluribus indiuiduis; rursus dùm aliquod viuens paulatim peruenit ad maximum quod sic suæ dimensionis, pertinget etiam ad terminum, qui sit intra latitudinem termini alicuius viuentis, & hoc pacto vnum habebit terminum dimensionis alterius. Deinde idem indiuiduum haberet diuersos terminos dimensionis, illos nimirum, qui intra latitudinem sui termini reperiuntur. Et amplius vrgeo hanc rationem. Tota diuersitas terminorum dimensionis quantitatiuæ est solùm penes maius, & minus. Nunc ergo inquiro, an quantitas terminata, ratione talis termini dimensionis, ita sit huius indiuidui, vt non possit esse alterius? Si respondeas affirmatiuè. rursus in-

Quãtitas terminata rõne terminationis nõ dicit aliquid, q possit sigillare materiã.

Indiuidua substantia repugnant habere in quantitate certos terminos dimensionis.

Idem indiuiduũ pôt habere diuersos terminos dimẽsionis.

terrogo, vnde habeat quantitas, quòd ratione talis termini dimensionis sit talis indiuidui, & non alterius? Certè non aliud responderi potest, nisi quia vnumquodque indiuiduum habet diuersos terminos dimensionis, sed tunc ego insto, omnis diuersitas terminorum dimensionis est eiusdem rationis, ergo si diuersitas terminorum dimensionis sigillat materiam pro diuersa indiuiduatione, debet quæcunque diuersitas horum terminorum semper pro diuersa indiuiduatione sigillare; sed non sigillat, siquidem idem indiuiduum potest habere successiuè diuersos terminos dimensionis, ergo diuersitas termini dimensionis non sigillat materiam pro diuersa indiuiduatione. Si verò dicatur, hanc terminationem importare certam figuram, aut situm, aut quid aliud huiusmodi, quòd consequatur ad quantitatem; neque hoc pacto potest sigillare materiam, vt sit huius indiuidui; nam plura indiuidua, præsertim ex homogeneis, sicuti possunt habere eamdem quantitatem, ita etiam saltem per Dei potentiam possunt esse æqualia in ijs, quæ consequuntur quantitatem, & proinde quantitas vnius cum ijsdem omnino modis, & affectionibus potuisset esse quantitas alterius, & de facto per Dei potentiam poterit transmutari. Deinde idem indiuiduum potest in his omnibus variari: potest enim figuram mutare, vt facilè contingit in liquidis, & mollibus, situm etiam, non solùm in ordine ad locum, sed etiam in ordine ad totum per rarefactionem, & condensationem, priuari extensione, vt contingit in corpore Christi in eucharistia, duritie, aut mollitie, & in cæteris omnibus, quæ consequuntur quantitatem, subire potest mutationem, remanente eodem numero. Vnde cum hæc non sint ita propria alicuius indiuidui, vt non possint esse alterius, aut in ipso variari, neque etiam poterunt sigillare materiam pro determinato indiuiduo.

Diuersitas terminorũ dimẽsionis nõ sigillat materiã pro hoc, vel illo indiuiduo.

Figura, situs, & alia, quæ cõsequũtur quãtitatẽ, non possunt sigillare materiã pro certo indiuiduo.

4. ratio. XXVI. Quartò argumentor. Materia ratione huius signationis non recipit aliquid substantiale de nouo supra id, quod dicit ex vi proprij esse absolutè, & secundùm se præcisè, ergo non potest ratione huius signationis esse principium indiuiduationis. Anteced. probatur; nam materia, quando est in composito cum certa quantitate terminata, nihil aliud substantiale dicit, nisi illud, quod importat ex vi proprij esse, nec ex eo, quòd recipit quantitatem, subit aliquam mutationem substantialem, sed solùm accidentalem; deinde cum idem sit esse entitatiuum materiæ, siue cum quantitate, siue sine ipsa consideretur, semper dicet idem substantiale, quia non dicit aliquid substantiale, nisi id, quod importat ex vi sui esse. Consequentia etiam prob. nam sicuti absque hac signatione non potest indiuiduare, quia secundùm suum esse substantiale est indifferens ad plura indiuidua, ita neque posita hac sigillatione habebit aliquid substantiale, quo possit indiuiduare, quia nihil de nouo acquirit, quod substantiale sit. Vnde aut dicendum, quòd neque adhuc possit indiuiduare, aut quòd indiuiduet per aliquid accidentale, quod de nouo acquirat. Verùm indiuiduatio substantiæ non potest fieri per aliquid accidentale, quia indiuiduum, vt indiuiduum est, importat aliquid substantiale, non solùm quia vt tale ponitur in prædicamento substantiæ directè, sed etiam quia est primum fundamentum totius lineæ prædicamentalis, & totius prædicationis substantialis; substantiæ enim secundæ de primis prædicantur in quid. & insuper indiuiduatio substantiæ importat vltimum determinatiuum substantiæ, & proinde debet esse in eodem genere.

Materia rõne sigillationis nõ recipit aliquid quo possit indiuiduare.

XXVII. Respondet nihilominus Caiet. in quæst. illa 5. de Ente, & essentia ad vltimum Scot. quòd licet id, quòd ponitur in prædicamento substantiæ debeat esse eiusdem generis, aliqua tamen conditio, sine qua non poneretur, potest coexigere aliquid alterius generis, & ideo indiuiduatio, quæ est conditio ponendi substantiam in prædicamento potest coexigere quãtitatem, licet alterius generis. Verùm hæc responsio si rectè perpendatur statim ex seipsa corruit; nam indiuiduatio sicuti determinat substantiam secundam, vt sit hæc numero substantia, ita etiam constituit substantiam primam tanquam formale constitutiuum illius, sicuti ergo substantia prima ponitur directè in prædicamento, ita etiã indiuiduatio tanquam ratio formalis ponendi substantiam primam in prædi-

Resp. Caiet.

Impugnatur.

Indiuiduatio est rõ ponẽdi substantiã primã in prædicamento.

camento, vt primum fundamentum lineæ prædicamentalis; si enim primũ fundamentũ lineæ prædicamentalis ponitur directè in prædicamento, debet poni in ipso etiam formale constitutiuum talis fundamenti, & ideo indiuiduatio non erit conditio, sed ratio ponendi, & proinde quid substantiale. Deinde substantia secunda non est omnino completa in suo esse substantiali, sed adhuc determinabilis, vnde necesse est, concedere determinatiuũ, quo vltimò compleatur: nisi autem hoc determinatiuum sit substantiale, semper substantia substantialiter remaneret indeterminata: nec etiam vt prima substantia est, seu indiuidua, posset subijci prædicationi secundæ substantiæ, qua prædicatur tanquam superior de inferiori; nam talis prædicatio non interuenit inter res diuersi prædicamenti; sed eiusdem tantùm: vnde cum indiuiduatio sit ratio, cur substantia prima in prædicatione subiiciatur tanquam quid inferius secundæ, necesse est, vt sit eiusdem generis, & proinde quid substantiale.

Indiuiduatio debet cõplere substantiam substantialiter secundam.

XXVIII. Quintò argumentari possumus ex natura quantitatis, atque huiusmodi sigillationis. Cum enim huiusmodi sigillatio dependeat à quãtitate, consequenter natura sua est posterior quantitate, quia omne dependens est natura posterius illo, à quo dependet. Rursus quantitas, si ponitur ingenerabilis, & incorruptibilis, & fluens à materia, debet esse posterior natura ipsa materia; si verò ponitur generabilis, & corruptibilis, vt ponunt Thomistæ, & consequens compositum, tunc debet esse posterior natura ipso composito, atque quantitas terminata, prout talis est, debet semper esse posterior composito, vtpotè quia consequitur ad ipsum secundùm talem determinationem. Sicuti autem quantitas existens est posterior materia, siue composito existentibus, ita quantitas possibilis est posterior materia, aut composito possibili: & sicuti quantitas vt sic est posterior materia, siue composito vt sic, ita indiuidua quantitas indiuidua materia, aut composito, quia semper eadem proportio prioritatis, & posterioritatis seruari debet: sicuti enim quantitas prærequirit materiam, aut compositum, ita indiuidua quantitas indiuiduam materiam, aut compositum, & hæc indiuidua quantitas hanc indiuiduam materiam, aut compositum; vnde cum interueniat eadem proportio quò ad esse, debet etiam interuenire quò ad prioritatem, & posterioritatem. Rursus siue quantitas consequatur compositum, siue materiam, semper dependet à materia tanquam à causa materiali sustentante, & natura sua, ex eo quòd est accidens, est posterior substantia, considerata secundùm totum suum esse substantiale. Hinc autem fit, quòd indiuiduatio substantiæ nequeat haberi per sigillationem aliquam materiæ, quæ proueniat à quantitate; nam sigillatio ista est posterior quantitate, vt diximus, quantitas autem posterior substantia, atque ipsius indiuiduatione; quare cum id, quod prius est, nequeat constitui per id, quod posterius est, seu id, quod habetur à posteriori nequeat esse idem cum eo, quod prius est, consequenter non potest indiuiduatio substantiæ haberi ratione alicuius sigillationis, quæ fit à quantitate, quoniam quantitas sicuti præsupponit indiuiduationem substantiæ, ita etiam præsupponeret hanc sigillationem: quomodo autem posset huiusmodi sigillatio esse à quantitate, si ab ipsa præsupponeretur?

5. ratio

Quãtitas posterior substantia qua cõsequitur.

Sigillatio materiæ est posterior indiuiduatione.

XXIX. Atque hinc excluditur responsio Caiet. cum in quæst. 5. de Ente & essent. in responsione ad 1 & 2. Scot. ait. Idem posse esse prius, & posterius in diuerso genere causæ, vnde substantia potest esse prior quantitate in genere causæ materialis, posterior autem in genere causę formalis; & hoc pacto poterit indiuiduari ratione signationis, quæ fit à materia per quantitatem, quia ab ipsa dependet indiuiduatio in genere causæ formalis. Hæc inquam respõsio excluditur. Nam licèt verum sit, illud, quod prius est, posse dependere à posteriori secundùm aliquam aliam rationem, impossibile tamen est, quòd dependeat secundùm illam rationem, secundùm quam est prius, & quòd dependeat à posteriori tanquam ab intrinseco, & formali constitutiuo suiipsius; & ratio manifesta est, quia vt prius est, esset posterius, & cum intelligatur, quando concipitur

Respõ. impugnata Caiet.

Quomodo, quod prius est nequeat esse posterius respectu posterioris.

vt prius, constitutum in suo esse, oportet etiam intelligere eius formale constitutiuum in eodem signo. At substantia secundùm rationem indiuiduationis est prior quantitate, & consequenter etiam sigillatione, quæ prouenit à quantitate, & ideo neque secundùm eamdem rationem indiuiduationis potest esse posterior, sed oportet, quòd formale constitutiuum illius sit prius quantitate, & quacunque sigillatione, quæ ab ipsa proueniat, & proinde non dependebit à tali sigillatione; antequam enim concipiatur sigillatio, poterit concipi indiuiduatio. Quod autem substantia secundùm rationem indiuiduationis sit prior quantitate, colligitur ex iis, quæ diximus in principali argumento, nam substantia est natura sua prior quocunque accidente secundùm totum suum esse substantiale, indiuiduatio autem pertinet ad esse substantiale, & est quoddam complementum, & determinatio intra esse substantiale: & sicuti substantia essentialiter accepta est prior quantitate essentialiter accepta, ita etiam indiuiduatio substantiæ debet esse prior indiuiduatione quantitatis. Præterea substantia debet esse prior quantitate secundùm illud esse, quò concurrit ad ipsam causandam, ita vt secundùm illud ipsum esse possit concipi, saltem natura præcedere quantitatem: at concurrit ad causandam quantitatem non secundum esse commune, quia hoc neque est aptum ad existendum, neque ad proximè causandum, sed secundùm esse indiuiduale, vnde indiuiduatio substantiæ potest præconcipi ad quantitatem. Et quamuis forma non concurreret ad causandã quantitatem, adhuc tamen esset eadem ratio de ipsa, quoniam cum constituat vnum per se cum materia, & pertineat simul cum ipsa ad idem esse substantiale, habet etiam eamdem prioritatem; præsertim quia accidens non est posterius sola materia, sed tota substantia completa. Deinde sicuti materia esset indiuidua ex se independenter ab hac sigillatione, quamuis possit esse cum pluribus formis, cur non etiam forma, quamuis possit esse cum hac, aut illa materia? Quòd si rursus Caiet. dicat, hanc sigillationem esse capacitatem materiæ quę est idem realiter cum ipsa, hoc infra impugnabimus; interim sufficiat, quòd tunc erit quid substantiale concurrens ad causandam quantitatem in genere materiali, & ideo erit prior quantitate, & non poterit prouenire ab ipsa.

Substãtia etiã secundũ indiuiduationẽ prior quantitate.

Quarta Conclusio.

XXX. Quarta propositio, quæ explicabatur doctrina Thomistarum circa principium indiuiduationis, erat, quòd materia signata, quæ est principium indiuiduationis, importat materiam, prout dicit capacitatem ad hanc numero quantitatem; contra quam ponimus nostram quartam conclusionem statuentes. Materiam non determinari, vt sit principium indiuiduationis ex determinata capacitate huius numero quantitatis, & non alterius. Prob. autem primò. Materia secundùm se est indeterminata ad hoc, vel illud indiuiduum, & eadem materia indifferenter potest esse in quocunque composito, quia de se est capax omnium formarum, vt de facto contingit, quando ex vnius corruptione producitur alterum, ergo non potest determinari ratione alicuius capacitatis, vt indiuiduet hoc potius indiuiduum, quàm alterum. Circa antecedens nulla est difficultas, nam idcirco requirunt Thomistæ hanc determinatam capacitatem in materia, vt saluent, quomodo, cum ex se sit indifferens, possit esse principium indiuiduationis: debet enim principium indiuiduationis esse ita proprium illius indiuidui, quod indiuiduat, vt nulli alteri conuenire possit. Consequentia igitur prob. nam vel ista capacitas, qua potest recipere hanc solam numero quantitatem, est aliquid superadditum materiæ; vel quid imbibitum in eiusdem entitate. Hoc secundùm non potest dici, alioquin materia ex vi entitatis propriæ esset determinata ad vnum tãtùm indiuiduum, quoniam capacitas ista, dum imbiberetur in entitate materiæ, faceret, quòd esset capax istius tantùm quantitatis, & consequenter iuxta doctrinam Thomistarum sigillaretur ex vi proprij esse, vt sit tantùm vnius indiuidui, sicuti enim indiuiduatio facit, vt natura communis sit hæc numero indiuidua, ita talis capacitas faceret, vt materia es-

4. concl. Materia nõ est principiũ indiuiduationis, qua dicat capacitatẽ huius numero quãtitatis.

Quomodo materia non possit habere capacitatẽ determinatã huius numero quãtitatis, quæ sit apta principia indiuiduationis.

sēt

set tantùm vnius compositi, & tolleretur omnis transmutatio, quando quidem tolleretur commune subiectum. Si autem importat aliquid superadditum, tunc materia, quamuis substernatur huic capacitati, adhuc tamen secundùm suum esse entitatiuum substantiale eadem omnino est, ac præcisa hac capacitate, vnde adhuc, quantùm est ex vi sui esse remanet indifferens ad quodlibet indiuiduum, ergo quantùm est ex vi sui esse substantialis non poterit esse principium indiuiduationis formale, quia tale esse substantiale non est proprium vnius tantùm indiuidui, & indiuiduare erit potius adscribendum tali capacitati; tunc autem vrget difficultas, quomodo hoc superadditum possit formaliter indiuiduare substantiam.

Confir. XXXI. Confir. totus iste discursus. Capacitas materiæ, quantùm est de se, respicit indifferenter quamcunque quantitatem; supposito enim, quòd diuersa quantitas, siue interminata, siue terminata sit ingenita; & incorrupta, hoc enim necessariũ est, vt possit esse sub diuersis formis, & in diuersis compositis: imo etiam si eadem quantitas maneat in genito, adhuc de se est indifferens ad hanc, vel illam, quia saltem per Dei potentiam posset variari; cur enim non posset Deus quantitatem, quæ modo est in hac numero materia destruere, & aliam in ipsa diuersam numero producere? Rursus quandiu manet eadem materia, nunquam variatur secundùm proprium esse intrinsecum substantiale, quia impossibile est, quòd aliqua entitas perseueret, & secundùm intrinsecum esse varietur, nam omnis mutatio debet fieri, aut per alicuius additionem, aut ablationem: à nulla autem entitate potest aliquid auferri, quia cum omnia inuicem identificentur, aut omnia debent auferri, aut nihil. Sed neq; potest fieri additio aliqua, quia qualibet entitas incommunicabiliter se habet, & nequit cum alia communicare, vnde quicquid additur erit supra eiusdem entitatem, quia intra eamdem entitatẽ nihil potest recipere; cum habeat quicquid potest habere. Quamobrem hinc fit, quòd determinata capacitas huius numero quantitatis nõ possit se tenere ex parte materię, sed ad summum possit esse aliquid extrinsecum superadditum. Verùm neq; hoc dici potest, quoniam si materia indigeret determinata capacitate, quæ hanc tantùm numero quantitatem respiceret, indigeret etiam aliqua determinatione, qua determinaretur ad recipiendam hanc numero capacitatem. Quòd si absque aliqua determinatione habere potest hanc determinatam numero capacitatem, cur et am absq; vlla determinatione non poterit habere hanc numero quantitatem? Quare huiusmodi capacitas est omnino ficta, nec consequenter potest conferre aliquid ad indiuiduationem.

Materia non habet capacitatẽ ad hanc numero quantitate, sed ad hanc, aut illã.

Confir. secundò. XXXII. Confir. secundò Materia, quantùm est ex vi sui esse entitatiui habet capacitatem, sufficienter determinatam, vt recipiat quamlibet quantitatem, ergo non est necessaria huiusmodi determinatio, qua capacitas ita determinetur, vt respiciat hanc numero quãtitatem. Consequentia est euidens, quia in tantùm ponitur hæc determinatio, in quantum sine ipsa non potest materia recipere hanc numero quantitatẽ. Antecedẽs igitur declaratur, & simul probatur. Nam materia, quantùm est ex vi suæ capacitatis, sicuti respicit indifferenter quamlibet formam, ita etiam indifferenter respicit quamlibet quantitatem, ergo potest indifferenter ex se absq; vlla determinatione recipere quãlibet quantitatem, nam cum capacitas ipsius indifferenter se habeat ratione huius indifferentiæ erit proportionata vnicuiq; & cum vnaquaq; poterit vniri, quia non magis requirit vnam, quàm aliam, & habet capacitatem pro quacunq;, neq; enim indifferentia ista facit, quòd non sit sufficiens capacitas in materia, sed solùm, quòd non requirat hanc magis, quàm illam, sed possit quãcumque recipere, quæ in ipsa ponatur: quemmadmodum etiam contingit in causa efficiente, que potest producere plures effectus, est enim indifferens ad producendum hunc, vel illum numero, non hinc tamen fit, quòd non habeat sufficientem virtutem pro vnoquoque, sed quòd possit vnumquemq; producere. Quod etiam confirmari potest ex eo, quòd materia recipit in se formam substantialem concurrendo ad talem receptionem solùm secundùm suam capacitatem substantialem entitatiuam, neq; enim secundùm aliquid, quòd non sit po-

Materia non indiget aliqua determinatione, sed sufficit eius potẽtia vniuersalis, vt recipiat hãc numero quantitatem.

sit po-

sit potentia substantialis concurrere potest; atque huiusmodi potentia substantialis de se indifferens est ad quamlibet formam, & nihilominus in esse substantiali non recipit aliquam determinationem, ergo similiter, quamuis capacitas materiæ respectu quantitatis sit indifferens, poterit nihilominus absque vlla determinatione quamcunque quantitatem recipere. Insuper etiam capacitas materiæ vt sic proportionatur quantitati vt sic, & habet totum id, quod requiritur in ratione capacitatis, similiter ergo materia entitatiuè accepta habebit totum id, quod requiritur, vt recipiat quantitatem quamlibet indiuiduam, quia quòd sit hæc, aut illa quantitas, non importat talem diuersitatem, vt requirat diuersitatem in capacitate materiæ: si enim diuidatur aliqua quantitas in duas partes æquales, quam diuersitatem habebunt illæ partes vt requirant diuersam capacitatem subiecti? aut cur non poterunt vicissim commutare subiectum saltem per Dei potentiam, aut in esse obiectiuo, ita vt prima pars quantitatis ponatur in secunda parte materiæ, & secunda pars quantitatis in prima materiæ?

3. ratio. XXXIII. Secundo principaliter argumentor ostendendo impossibilitatem huius determinationis respectu capacitatis materiæ & consequenter etiam huiusmodi sigillationis. Vt enim materia determinetur, necesse est, vt habeat aliquam indeterminationem, cui correspondeat determinatio. Determinatio autem, sicuti & indeterminatio duplici modo excogitari potest, nã vel potest esse secundùm esse indiuiduale, vel in ratione capacitatis; nullo enim alio modo contingere potest. Verùm secundum esse indiuiduale contingere non potest, nam vt ponatur talis determinatio, sufficit, si materia habeat suam certam, & determinatam entitatem physicam, quia cum materia indiuidua sit, consequenter quæcunque capacitas, quæ cum ipsa identificatur, erit indiuidua: materia autem absque huiusmodi sigillatione, & determinatione, quæ proueniat ex capacitate ad certam numero quantitatem, habet suam indiuiduationem, siquidem eadem numero, vt commune subiectum, perseuerat, modò sub vna, modò sub alia forma. & tamen retinere non potest eamdem sigillationem, & capacitatem ad eamdem numero quantitatem. Sed neque huiusmodi determinatio contingere potest secundùm aliquam rationem capacitatis, nam tunc determinatiuum deberet importare aliquam rationem capacitatis, qua materia determinaretur in ratione capacitatis; hoc autem non potest esse; nam capacitas, quæ idem est cum materia, est vltimò determinata in ratione capacitatis, si quidem, quæ sunt idem cum materia, pertinent ad ipsius essentiam, & cum materia, antequam intelligatur indiuiduari, debeat esse omnino completa, & determinata in sua essentia, nec possit suscipere aliquid aliud essentiale, etiam ratio capacitatis, cum sit quid essentiale, erit vltimò determinata in tali capacitate, nec poterit per vlteriorem rationem capacitatis determinari. Atque cum talis capacitas respiciat quantitatem, iam in materia aderit capacitas ad quantitatem omnino completa in ratione capacitatis. Quod etiam confirmatur ex eo, quòd omnis ratio formalis consistit in indiuisibili, vnde aut tota adest, aut nihil de ipsa: hinc ergo fit, quòd in materia aut debeat esse tota, & integra capacitas respectu quantitatis: aut quod nulla in ipsa reperiri debeat. Verùm cum iam de facto reperiatur, necesse est, vt sit completa, & omnino determinata. Præterea si necessaria esset aliqua alia determinatio in ratione capacitatis, oporteret, quòd esset superaddita materiæ, cum materia non possit admittere intra proprium esse vlteriorem determinationem, atque adeo deberet reperiri in aliqua alia entitate; sed quæ nam quæso entitas esset ista? certè non potest excogitari, quomodo possibilis sit alia entitas, qua determinetur materia ad hanc numero quantitatem. Deinde cum non possit in aliqua entitate reperiri ratio specifica, & determinata absque superioribus rationibus genericis, neque in hac entitate reperiri posset talis ratio capacitatis, nisi reperirentur in ipsa aliæ rationes superiores genericæ capacitatis, & proinde esset in ipsa tota, & adæquata ratio capacitatis respectu quantitatis, & non esset determinatio, & ideo superflua esset in materia, quæcunque alia ratio capacitatis. Quare ex omni capite

Capacitas materiæ ad quãtitatẽ nõ est determinabilis vlterius

implicat huiusmodi determinatio capacitatis, & consequenter etiam sigillatio, quæ proueniat ex hac determinata capacitate ad hanc numero quantitatem.

Resp. XXXIV. Respondere tamen aliquis posset. Verum quidem esse, quòd materia ex vi suæmet entitatis habet completam capacitatem respectu quantitatis, & insuper etiam esse indiuiduam, & proinde non indigere determinatione, quæ proueniat ex indiuiduatione. Attamen adhuc huiusmodi capacitatem esse indifferentem ad hanc vel illam numero quantitatem, & ideo necessariam esse aliquam determinationem, qua tollatur indifferentia. Reijcitur. Cæterùm, si recte perpendatur argumentum corruit omnino hæc responsio. Nam cum tota capacitas, quæ est ad quemcunque actum recipiendum consistat in quadam commensuratione, qua cum ipso in ratione receptiui commensuratur, omnis determinatio, In quo consistit determinatio capacitatis. quæ ex parte capacitatis sit in ordine ad talem actum, debet esse in ratione commensurationis, quia perfecta commensuratio importat etiam perfectam determinationem. Cum autem hæc cōmēsuratio sit in rōne receptiui respectu receptibilis, consequenter erit in rōne capacitatis, quia receptibilitas non importat aliud, quā capacitatem: & proin de supposita determinatione, quę fit per indiuiduationem, non erit necessaria aliqua alia determinatio præter eā, quæ est in rōne capacitatis; Quare cū supra capacitatem, quæ est imbibita in entitate materiæ, nō possit fieri aliqua alia determinatio in rōne capacitatis, concludendum est, quòd materia ex se habeat sufficientē determinationē ad recipiendā quantitatē, quia licèt sit indifferens ad hanc, vel illam numero, est tamen determinata ad quācunq; quia illa numerica diuersitas non requirit diuersam capacitatem in materia.

3. ratio. XXXV. Tertiò prob. conclusio. & desumitur argumētum ex mysterio eucharistiæ. In eucharistia enim remanent omnia accidentia simul cū quantitate illius indiuidui panis, aut vini, quod cōuersum fuit in sanguinem, aut corpus Christi; potest autem desinere esse sub illis speciebus corpus, & sanguis Christi, & Deus reproducere diuersam substantiam panis, & vini; aut etiam eamdem materiam, sed cum diuersa forma numero panis, & vini: neq. enim in hoc apparet aliqua implicantia, tum quia quælibet materia est capax cuiuscunque quantitatis, tum etiam quia est capax cuiuscunque formæ substantialis; vnde diuersa materia ab ea, quæ erat prius sub illis accidentibus poni potest cum eadem, aut diuersa forma substantiali, aut etiam eadem materia cum diuersa forma substantiali, quia de se est capax cuiuscunque formæ: & sicuti materia est capax cuiuscunque quantitatis, ita etiam forma substantialis, præsertim in substantijs homogeneis; cum enim efficiat simul cum materia vnam completam naturam substantialem perfectibilem per accidentia, & quæ petit extendi per quantitatem, obtinet easdem conditiones quò ad receptionem accidentium. Ex hoc autem sequitur, quòd eadem quantitas numero possit esse cum diuersis indiuiduis substantiæ: nam siue sub ijsdem accidentibus ponatur eadem materia cum diuersa forma, siue diuersa materia cum eadem numero forma siue diuersa tam forma, quàm materia, semper variatur indiuiduum substantiæ, nam ad eius variationem sufficit; si varietur altera pars essentialis. Cum ergo eadem quantitas numero reperiatur in diuersis indiuiduis, & diuersa indiuidua nequeant habere eamdem numero capacitatem, neque eamdem sigillationem; si enim haberent eamdem sigillationem, quomodo sigillatio esset radix diuersitatis indiuiduorum? concludendum est, quòd non habeatur huiusmodi sigillatio, ratione eiusdem numero quantitatis, qua materia determinetur ad indiuiduandum hoc numero indiuiduum, & non aliud.

XXXVI. Quartò argumentari possumus inquirendo, an huiusmodi determinatio, importet de suo formali aliquid substātiale, & quod sit de prædicamento substantiæ, an verò aliquid accidentale, & alterius prædicamenti. Primū dici non potest, quia tota capacitas substantialis, quam dicit materia pertinet ad constitutionē ipsius, & nunquā illam amittit, quia semper retinet totū suum esse substantiale intrinsecū inuariabile. cum ergo hæc capacitas substantialis pertineat ad constitutionem 4. ratio.

Eadē materia cū diuersa forma, & diuersa cū eadem, potest esse sub eadem quātitate.

Materia non pôt sigillari ad hanc numero quantitatem rône alicuius substāt alis.

materiæ, si variaretur, variaretur essentia materiæ: at capacitas illa, qua determinatur materia ad hanc numero quantitatem, prout importat hanc determinationem, variatur; alioquin nisi variaretur, sicuti materia est determinata ad hanc numero quantitatem, ita etiam hanc solam numero quantitatem posset recipere, quod tamen est falsum. Deinde materia ratione suæ capacitatis substantialis, sicuti est indifferens ad hanc, & illam formam, ita etiam est indifferens ad hanc, aut illam numero quantitatem: & proinde capacitas materiæ non potest determinari, aut sigillari, vt possit hanc solam numero quantitatem recipere ratione alicuius substantialis. Si autem hæc sigillatio materiæ fit per aliquid accidentale, & alterius prædicamenti, tunc sequitur, quod non possit esse ratio propter quam habeat materia, vt sit principium indiuiduationis substantiæ: principium enim indiuiduationis substantiæ debet esse quid substantiale in sua ratione formali, quia debet determinare aliquid, quod est substantialiter indeterminatum, & debet esse eiusdem prædicamenti cum constituat primum fundamentum, de quo omnia superiora prædicantur, vt iam patet ex dictis in superioribus. Atque hanc rationem tanti fecit Caietan. vt 1. part. quæst. 29. art. 1. propter ipsam retractàuerit sententiam, quàm tradiderat quæst. 5. de Ente, & essent. reuera enim magnam efficaciam habet, si attentè consideretur.

Materia nô pôt sigillari per aliquid accidêtale vt sit pricipiū indiuiduationis.

Caiet.

5. ratio.

XXXVII. Quinto prob. Materia, quantùm est ex vi suæ potentiæ, & capacitatis, ordinatur ad recipiendam, tum formam substantialem, tum etiam quantitatem; & quamuis ordo ad vtramque sit ei essentialis, priùs tamen respicit formam substantialem, quæ est primarius terminus, quàm accidentalem, quæ est secundarius terminus; vnde antequam in ipsa intelligatur ordo ad quantitatem, debet prius intelligi ordo ad formam substantialem, quia in tantùm respicit accidentalem in quantùm respicit formam substantialem, id autem sequitur ex natura formæ substantialis, quia est actus substantialis, & perficit, atque complet materiam in eodem ordine, arguit vnum per se cum ipsa, constituendo vnam naturam, forma verò accidentalis facit vnum per accidens. Hinc autem fit, quòd si materia secundùm suam physicam entitatem indiuiduam comparetur ad hanc numero formam substantialem indiuiduam, & ad hanc numero quantitatem, priùs respiciet indiuiduam formam substantialem, quam hanc numero quantitatem; materia enim secundùm esse physicum, sicuti non potest recipere, nisi formam physicam, ita etiam respicit solùm formam indiuiduam, atque ordo ad ipsam prior est ordine ad quantitatem; militat enim eadem ratio, quòd adhuc forma physica indiuidua est actus primarius illius, efficiens vnum per se cum ipsa, & constituens eamdem naturam: atque est actus magis intrinsecus, cùm sit in eodem ordine, & complens id, quod inchoatum est in materia. Præterea materia, antequam intelligatur signata quantitate, potest esse cum hac, aut illa forma, vt dicunt Thomistæ, vnde quamuis non respiciat hanc numero formam determinatè, respicit tamen hanc, aut illam numero, quia solùm cum forma indiuiduali coniung potest. Ex his autem deducitur, quòd indiuiduatio nequeat haberi ratione alicuius signationis, quæ proueniat à quantitate, nam cum ordo ad formam indiuiduã substantialem sit prior ordine ad hanc numero quantitatem; consequenter prior est etiam forma indiuidua, quàm intelligatur ordo materiæ ad hanc numero quantitatem, quoniam in illo priori, in quo intelligitur ordo ad formam indiuiduam, intelligitur etiam forma indiuidua, & non ordo ad hanc numero quantitatem, qui posterior est, & consequenter nequit forma per ipsum constitui in esse indiuiduo, quia prius non constituitur per posterius. Rursus cum materia non sit sigillata à quantitate, nisi ratione ordinis, quem dicit ad ipsam neque forma ratione huius sigillationis indiuiduari potest. Quòd si non indiuiduatur forma, neque indiuiduatur compositum, quia compositum est indiuiduum, ex eo, quòd forma, & materia sunt indiuiduæ.

Materia prius respicit hãc numero formam substātiale, quã hãc numero quātitatem.

Prior la indiuiduatio formæ. quã materię signatio

XXXVIII. Demũ in confirmationẽ

6. ratio

bu-

Principiũ indiuiduationis debet esse formaliter indiuiduatio.

huius conclusionis, suppono, vt certum omnino est, quòd principium formale indiuiduationis, debeat esse indiuiduum vt quo, seu debeat importare rationem formalem indiuiduationis, si enim habet aliud indiuiduare in genere causæ formalis, necesse est, vt formaliter contineat, quod formali modo exhibet. Hoc ergo præsupposito, prius inquiro, an materia præcisa hac signatione, sit indiuidua, vel non sit indiuidua. Si est indiuidua, erit ex se indiuidua, quamuis possit esse sub hac, vel illa forma; vnde sicuti diximus, quòd materia sit ex se indiuidua, cur id etiam non poterit dici de forma? rursus non erit necessaria sigillatio quantitatis, vt materia sit indiuidua: & si est principium indiuiduationis, poterit indiuidua re absque tali sigillatione. Quòd si non est indiuidua absq; hac sigillatione; tunc quantitas non poterit hoc præstare sigillando, nisi ipsa sit indiuidua. Inquiro ergo, cum quantitas ex vi suæ quidditatis non sit formalis indiuiduatio, vnde habeat, quòd sit indiuidua, est enim quantitas ex vi suæ quidditatis communis pluribus, vnde indiget indiuiduatione, vt sit hæc numero. Si quis autem dicat, quòd indiuiduatur à subiecto, statim redarguitur, quia cum subiectum non sit indiuiduum, nisi ratione quantitatis, quomodo potest indiuiduare quantitatem? Si autem dicatur, quòd quantitas indiuiduatur per proprium situm, vt desumitur ex D. Th. 3. par. quæst. 72. art. 2., neque hoc verum est, quia potest quantitas eadem numero manere, & mutare situm, vt contingit continuò in his rebus sublunaribus. Si autem intelligatur de situ intrinseco in ordine ad se, vt docet D. Th. 4. contra Gent. cap. 65. tunc instatur, quoniam huiusmodi situs intrinsecus reperitur in quacunque quantitate, & proinde est quid commune pluribus, nec de sua ratione formali importat indiuiduationem, sed positionem partium, vnde ipse quoque indiget indiuiduatione. A quo ergo indiuiduabitur? vnde oportet, aut procedere in infinitum, aut concedere aliquid, quod seipso indiuiduum sit. Si autem ponitur aliquid commune pluribus seipso indiuiduari, cum non sit maior ratio de vno, quàm de alio, id omnibus concedendum est. Præterea situs

D. Th.

Quantitas eadem numero indiuiduatur a situ. [margin note partly illegible]

iste intrinsecus in rebus homogeneis non est talis rationis, vt implicet immutari remanente eadem numero quantitate, saltem per Dei potentiam; quod patet ex eo, quia in quantitate decem palmorum, potest inuerti ordo illorum, & octauus euadere primus, primus autem euadere secũdus, aut tertius, quod satis indicat, non adesse in quãtitate ordinẽ partium immutabilem, quo constituatur situs intrinsecus. Vnde concludendum est, quòd sicut non datur principium supra quantitatem, quo indiuiduetur, ita neque etiam dari supra substantiam, nec esse petendum ab illa sigillatione quantitatis.

Confir.

XXXIX. Et confirmatur hic discursus. Si enim materia est indiuidua independenter ab hac sigillatione, tota etiam substantia erit indiuidua independenter ab ipsa, quia non est maior ratio de materia, quàm de forma, nam quamuis forma sit receptibilis in subiecto, si ex hoc indiget indiuiduatione, indiuiduabitur per hoc, quòd recipitur in subiecto indiuiduo, sicuti Thomistæ dicũt de accidentibus, quòd indiuiduentur ex hoc, quòd recipiuntur in subiecto indiuiduo. Deinde neque ratione huius sigillationis potest forma habere irreceptibilitatem in subiecto, sed eo ipso, quòd est in subiecto indiuiduo, non est ampliùs receptibilis in alio. Si autem præcisa sigillatione, materia non est vna numero, & indiuidua, sequitur, quòd sicuti variatur sigillatio, materia quoque debeat de vna in aliam numero commutari, vnde generaretur, & corrumperetur, nec eadem esset in genito, & in corrupto; quæ omnia absurda sunt, quia materia non potest mutari secundùm proprium esse substantiale, nisi creetur, aut destruatur. Rursus contra hanc doctrinam Thomistarum facit, quòd non potest explicari, quomodo fiat huiusmodi sigillatio materiæ. Ex se enim non est determinata cum sit capax huius, & illius quantitatis, neq; à quantitate ipsa determinari potest, quia non magis hæc, quã illa quantitas recipi põt in eadẽ materia. Quòd si dicant determinari ab agente, quatenus disponit materiam ad hanc numero formam; tunc cum dispositiones non possint determinare, nisi sint hæ numero formaliter, & habeant suam intrinsecam indiuiduationem,

Quomodo sigillatio non possit cõferre ad indiuiduationẽ.

Dispositiones, quæ inducũtur ab agẽte nõ sigillant materiã ad hanc numero quantitatem.

inquirendum est, vnde sint hæ numero, & habeant suam intrinsecam indiuiduationem, & per quid formaliter determinatæ sint ad hanc numero formam, seu in quo consistat formaliter illa determinatio, qua ad hanc numero formam determinantur: non enim apparet, per quid determinari possint; deinde indiuiduatio resoluitur in collectionem accidentium, quod supra suo loco fusè impugnatum est. Rursus inquiri potest, quænam dispositiones ita sigillent materiam, an illæ, quæ præcedunt formam? & non, quia in instanti generationis subsequentibus alijs variaretur sigillatio, atque adeo indiuiduatio, vnde indiuiduatio compositi, quod fit, non haberetur ratione dispositionum præcedentum. Sed neque illæ, quæ consequuntur, quia hæ sunt posteriores forma producta, & ipsa generatione, vnde supponunt formam iam existentem, & indiuiduam, atque adeo ipsum compositum indiuiduum saltem in aliquo priori naturæ, cum ab ipso consequantur tanquam indiuiduo.

Quinta Conclusio.

5 concl. Materia non sigillatur ex eo, quod sit radix huius numero quantitatis.

XL. Vltima propositio, qua explicabatur Thomistarum doctrina continebat, quòd materia signata, prout talis, nihil aliud dicit, quàm esse radicem huius numero quantitatis determinatæ. Verùm contra ipsam quoque concludimus quintò. Materia non sigillatur in ordine ad principium indiuiduationis ad hanc numero quantitatem ex eo, quòd sit radix huius determinatæ numero quantitatis. Antequam autem probemus hanc conclusionem Aduertendum est, quod cum dicitur, materiam esse radicem, & principium quantitatis, dupliciter intelligi potest, vel quòd sit radix, & principium in genere causę materialis, vel in genere efficientis, siue hęc efficientia se habeat per modum emanationis, siue quocunque alio modo. Si intelligatur, quòd sit radix, & principium in genere causæ materialis, cum esse principium, & radix in genere materiali non importet aliud, quàm rationem subiecti, idem erit, ac dicere, quod quantitas in ratione potentiæ, & subiecti habeat capacitatem ad hanc numero quantitatem; vnde hæc expositio coincideret cum propositione impugnata conclusione præcedenti; nec aliquid de nouo Caiet. afferret. Si verò intelligatur esse radix, & principium huius numero quantitatis in genere efficientis: tunc hæc doctrina non congruit cum principijs Thomistarum, volunt enim quantitatem emanare à cō posito, & non à sola materia: vnde compositum esset radix huius numero quantitatis, & per hoc indiuiduaretur, non autem reciperet indiuiduationem à materia, æquè enim forma, & materia seipsis indiuiduarentur, cum æquè essent radix huius determinatæ quantitatis.

XLI. Prob. autem nostra conclusio. Si materia ponitur principium, & radix quantitatis, quocunque modo ponatur, siue in genere causæ materialis, siue efficientis, habet ex vi proprij esse, quòd sit radix illius, ita vt esse radicem inuoluatur in constitutiuo materiæ: si enim est radix in genere causæ materialis, cum per id formaliter habeat, quòd sit radix, quòd est subiectum potens recipere quantitatem, iam esse radicem dicit aliquid essentiale materiæ, quia ratio subiecti est illi essentialis. Si autem est radix in genere efficientis, tunc in tantùm erit radix, in quantùm continebit quantitatem virtualiter, at solùm ex vi proprij esse potest continere, ita vt talis virtus, per quam continet, sit ipsum esse materiæ, quemadmodum etiam in qualibet causa efficiente virtus, per quam continet effectum, est esse illius. Quare quocunque modo accipiatur Esse principium, & radicem quantitatis, non importabit aliud formaliter, quàm esse materiæ, & esse radicem indiuiduæ quantitatis indiuiduam materiam. Cæterum materia secundùm proprium esse potest esse cum hac, & illa forma, & in hoc, aut illo indiuiduo composito, ergo non potest ex eo, quòd est radix determinatæ quantitatis indiuiduæ habere aliquam sigillationem, qua determinetur, vt sit principium indiuiduationis.

1 ratio.

Materia non pōt esse radix quantitatis nisi per suū esse formaliter.

XLII. Posset tamen aliquis respondere, quòd ex vi sui esse essentialis est quidem radix indiuiduæ quantitatis, sed huius, vel illius: esse autem materiam signatam, prout est radix huius

Responsio.

numero determinatæ quantitatis. Verùm hæc responsio non eneruat vim argumenti, nam cum materia sit radix quantitatis, extra esse ipsius non aderit radix quantitatis, nisi forte ponatur etiam forma: verùm tunc recurrit de ipsa quoque eadem difficultas; deinde si materia indiuidua est radix indiuiduæ quantitatis, sed huius, vel illius, quæro, an dum est radix huius numero quantitatis dicat aliquid amplius supra proprium esse, an non. Si non dicit, tunc secundùm proprium esse erit materia signata, & vt signata erit indifferens ad hoc, vel illud indiuiduum, quia iam huiusmodi signatio nihil addit supra esse, vnde sicuti ex se est indifferens, adhuc remanet indifferens ad plura indiuidua. Si autem aliquid addit, explicandum est, quodnam sit hoc; & est contra id, quod docet Caiet. nimirum materiam esse signatam, prout dicit esse radicem huius numero quantitatis. Deinde sicuti esse radicem quantitatis dicit ipsum esse materiæ, ita tota determinatio, quæ se tenet ex parte huius radicis, debet se tenere ex parte materiæ nam cum materia dum se exercet tanquam radicem quantitatis, se exerceat secundùm esse proprium, debet determinatio tota, quæ necessaria est, vt se exerceat tanquam radicem erga determinatam quantitatem, imbibi in ipso esse materiæ, quia debet esse in ipsa radice; & proinde materia, prout est radix quantitatis determinatæ, non potest dicere aliam determinationem, quàm eam, quam dicit ex vi proprij esse. Quod etiam confirmari potest inquirendo, an ista determinatio, quæ ex parte radicis est necessaria respectu quantitatis, sit in ratione radicis, an verò in aliqua alia ratione. Si secundum, tunc nihil conferet ad radicem quantitatis, neque materia erit signata, prout est radix. Si verò est in ratione radicis, ergo debet esse imbibita in esse materiæ, quia ex se est determinata, vt per proprium esse sit radix huius numero quantitatis, alioquin, nisi esset determinata, non posset esse radix, quia causa, quamdiu non est omnino determinata, non potest concurrere ad aliquem effectum. Quamobrem materia, prout est radix huius numero quantitatis, non potest dicere aliam determinationem, quàm eam, quam dicit ex vi proprij esse: verùm, vt iam diximus, non obstante hac determinatione potest esse in diuersis indiuiduis, & ideo non sigillatur, vt sit principium indiuiduationis determinati indiuidui.

Impugnatur

Quod materia sit radix determinatæ quantitatis, nihil addit supra esse illius.

XLIII. Secundò probattur nostra conclusio. Materia, siue sit radix quantitatis in genere causæ materialis, siue in genere efficientis, per nihil aliud est radix illius, quàm per proprium esse; nam si est radix in genere materiali manifestè patet, quia solùm esse materiæ concurrere potest, quia exercet rationem radicis se exhibendo vt subiectum, & quod non est subiectum, non potest exercere rationem radicis. Si verò quantitas ab ipsa emanat, necessariò debet supponi in materia completum principium talis emanationis, nam nō potest compleri per aliquid accidentale, quia quantitas est prior natura cæteris omnibus accidentibus, vnde cum nondum adsit quantitas, nec etiam adesse possunt cætera accidentia, quæ compleant materiam. Vnde semper materia est completa radix quantitatis ex vi proprij esse, quocunque modo ad illam concurrat. Rursus materia ex vi sui etiam in indiuiduo considerata, & prout est radix huius numero quantitatis, potest esse radix etiam alterius quantitatis numero diuersæ, quod Thomistæ necessariò concedere debent, cum ponant eamdem materiam in genito, & corrupto, & nihilominus doceant variari quantitatem secundùm numerum. Et absolutè verum est, nam si est radix in genere materiali, potest Deus destruere quantitatem, quæ est in hac materia, & aliam ponere; non enim in hoc adest aliqua implicantia, vt per se patet, tunc autem materia erit radix eodem modo, & per idem esse vtriusque concurrendo vt subiectum. si verò concurrit in genere efficientis; tunc adhuc eadem materia poterit esse radix plurium quantitatum, ita vt prout erat radix vnius euadat alterius radix, si enim Deus destruat quantitatem, quæ est in hac materia, statim alia pullulabit, quod etiā contingere videmus in cæteris emanationibus naturalibus, sic si destruatur frigus in aqua pullulat aliud ex vi eiusdem principij, & eodem pacto res se habet in alijs, quia virtus, quæ natura sua est apta,

2. ratio.

Materia ex vi proprij esse cōpleta radix quantitatis.

Materia ex vi sui esse radix plurium numero quantitatum.

à qua

à qua aliquid proueniat, est semper talis, & ideo continuò prouenire potest; & proinde si quod semel emanauit ab aliquo principio, destruatur, rursus de nouo aliud emanabit, quia perseuerat eadem virtus. Cum ergo ex vi sui esse materia ita sit principium, & radix vnius numero quantitatis, vt possit etiam esse alterius, nec vnquam ita determinari possit, quin semper possit esse principium diuersarum quantitatum, sequitur, quòd non detur huiusmodi sigillatio materiæ, qua determinetur, vt sit principium indiuiduationis huius numero indiuidui, ex eo, quòd sit radix huius determinatæ numero quantitatis.

Satisfit rationibus in oppositum.

SECTIO III.

I. Potissimum negocium pro solutione rationum in oppositũ consistit in explicatione auctoritatum Arist. quibus videtur tribuere materiæ esse principium indiuiduationis; his enim illustratis facilè cæteræ rationes soluentur, vtpote quia ex auctoritate ipsius Aristotelis deducuntur. Ad primam ergo auctoritatem ex tex. 11. lib. 3. Metaph. vbi docet, Vnum esse id, quod indiuisibile est, & contingere dupliciter aliquid esse indiuisibile, nempe secundùm speciem, & secundùm quantum, respondetur, quòd ibi assignat duos modos vnitatis, quorum primum vocat secundùm speciem, intelligens per speciem ipsam rei essentiam vltimò completam, & in infima specie constitutam; ideo autem ponit hanc vnitatem essentialem secundùm speciem; quia sola infima species est indiuisibilis secundùm essentiam; genus autem est diuisibile essentialiter; quam rationem ipsæ quoque Arist. insinuat, dum occurrens tacitæ obiectioni, quòd præter has vnitates detur etiam generica, ait *Genera autem magis diuisibilia in species: vnum erit profectò, quod vltimò prædicatur; non enim est homo genus singularium hominum*. quasi dicat, genus non importare vnitatem essentialem simpliciter, quia est diuisibile essentiale. Alterum autem modum vnitatis ait esse secundùm *Quantum*; per quantum autem intelligit esse numericum, indiuiduale, quod satis ex eo colligitur, dum vocat hanc vnitatem posteriorem specifica. Ideo autem vnitatem indiuidualem, seu numericam vocat secundùm quantum, non quia quãtitas, aut materia signata quantitate sit principium indiuiduationis; sed quia vnitas indiuidualis constituit numerum, qui importat aliquid quantum. Quod autem ita Arist. accipiendus sit, patet ex eo, quòd 12. Metaph. primus motor est vnus numero, vnde illi tribuit nedum indiuisionem secundùm speciẽ, sed aliam maiorem, nempe secundùm numerum, quæ tamen propriè non est secundùm quantum, cum in primo motore non sit quantitas; vnde nisi in illo tex. 11. lib. 3. Metaph. per vnum secundum *Quantum* intelligeret, quodcunque vnum vnitate numerica etiam sine quantitate, & sumeret vnitatem numericam, prout præcisè importat indiuisionem in plura non enumerasset omnes modos vnitatis, cum detur vnum numero sine quantitate.

Ad primam auctoritatẽ Arist.

Duplex vnitas ex Arist.

Quid vnitas secũdũ speciem.

Quid secundum quãtum ex Arist.

II. Quod autem spectat ad alias auctoritates Arist., quibus videtur tribuere materiæ, esse principium indiuiduationis, vt verus sensus ipsarum teneatur, oportet declarare, quid nomine formæ, & quid nomine materiæ intelligat, si enim hoc teneatur facilè erit, omnes illas auctoritates explicare. Vt igitur, tum ex illis, tum etiam ex alijs locis colligitur, nomine formæ intelligit quidditatem rei in communi sumptam, & præcisè consideratam, vt esset quidditas hominis, quidditas lapidis, atque aliarum rerum: nomine verò materiæ intelligit entitatem rei, in qua inuoluitur quidditas. Dicitur autem quidditas forma, tum quia importat esse formale rei, tum etiam quia respectu illius entitatis, in qua inuoluitur, se habet veluti forma, nam illi tribuit esse formale, & constituit in tali, vel tali esse. Entitas autem dicitur materia, tum quia veluti subijcitur esse formali, quod in ipsa imbibitur, tum etiam quia importat esse materiale rei: vnde distinctio entitatiua solet dici materialis, non verò formalis, quia non facit differre essentialiter. Atque quòd in hunc sensum accipiat Arist. formam, & materiam, colligitur primò ex tex. 28. lib. 7. Metaph. quem Auctores oppositæ sententiæ pro se citant: ibi enim

Quid per formam, & materiã, intelligat Arist.

Varij textus Arist. illustrati.

agens

agens contra ideas Platonis, quas supponit importare rerum quidditates in communi, docet non esse necesse, ponere has formas tanquam exemplaria, sed generans facere formam in materia hoc est producere quidditatem rei in entitate immersam, & quòd forma in his ossibus, & in his carnibus est Callias, aut Socrates. Eius verba sunt *Quare patet, quod non oportet tanquam exemplar formam ponere.* Et post pauca *sed generans sufficiens est, vt faciat, & causa sit formæ in materia, tota verò iam talis forma, in his carnibus, & ossibus Callias, & Socrates.* Vbi vides processum Aris. Impugnat enim ideas Platonis, quas vocat formas; & dicit non esse necessarias, vt concurrant ad generationem tanquam exemplaria, quia generãs sufficiens est ex se, vt faciat in materia has formas, seu id, quod dicunt ideæ, quod etiam ex eo antea confirmauerat, quia aliquando generãs generat sibi simile, & proinde non debet natura illa, quæ est in genito profluere ab idea cum habeat sufficiens principium in generante. Sumit ergo formam pro rei quidditate, quia cum velit excludere necessitatem idearum ex eò, quòd generans facit formam, nisi formam sumeret pro quidditate, quam important ideæ, non excluderet necessitatem ipsarum, quia aliquis diceret, esse necessarias vt dent quidditatem indiuiduis, quod etiã supponebat Aris. supponebat enim, Platonem posuisse has ideas, vt ab ipsis profluerent quidditates rerum. Verùm si per formam intelligit quidditatẽ, oportet vt per materiam intelligat entitatẽ, quia debet intelligere id, quod correspondet tanquam materia tali formæ, & id, in quo fit talis forma à generãte, fit autem in entitate, quia simul cum ipsa producitur. Et hoc totum confirmatur ex eo, quod subsequitur, quòd tota forma in his carnibus, & ossibus esset Callias, & Socrates, subdit, quòd habet talis forma diuersitatem propter materiam, & inquit *Et diuersa quid propter materiam (diuersa etenim) idem autem specie, indiuisibilis namq; forma est.* Vbi vides, quomodo formæ tribuat diuersitatem, & vnitatem: diuersitatem quidem propter materiam, & identitatem secũdum speciem; & subdens rationem, sit idem specie, quia, ait forma est indiuisibilis, sumit ergo formam pro specie, & pro essentia indiuisibili, non autem pro forma informante materiam, quia hæc est diuisibilis secundum entitatem, quemadmodum etiam ipsa materia: vnde si sumit, prout est indiuisibilis, necesse est, vt sumat pro quidditate specifica, quia hæc sola est indiuisibilis secundum speciem. Et per hoc etiam explicata manet tertia auctoritas, & patet quomodo inde non colligatur, materiam signatam quantitate esse principium indiuiduationis.

Forma, importat per Aris. quiditatẽ rei

III Præterea quòd in hoc sensu Aris. vsurpet materiam, & formam colligitur & clarius ex tex 35. eiusdem lib. 7. vbi enim docet, quòd tam forma, quàm totum quod constat ex materia, & forma, habet partes, & quòd partes formæ sunt partes definitionis; partes autem definitionis sunt genus, & differentia, & proinde cum forma constet ex his partibus, non aliud importabit, quàm specificam essentiam rei. Verba Aris. sunt. *Pars itaq; etiam forma est. (formam autem dico quod quid erat esse) & ipsius totius, quod ex forma. & ipsa materia est. Sed rationis* (nẽpe definitionis) *partes quæ formæ solùm sunt.* Si ergo forma est quidditas rei, materia non erit aliud, nisi id, cui exhibetur talis forma; & cum exibeatur entitati, iam nomine materiæ intelligetur entitas: & totum quod constat ex materia, & forma erit indiuiduum. Atque hanc applicationem confirmant ea quoque, quę habet in tex. 39. ibi enim docet, quòd homo, seu animal in communi inuoluit materiam, & formam, vnde cum materia inuoluatur in essentia communi, non potest esse ea, quæ ex vi suæ quidditatis indiuiduet; vnde cum tribuit materiæ indiuiduare, oportet vt intelligat de alia materia, quàm de ea, quæ est subiectum physicæ formæ substantialis. Habes autem hanc doctrinam Aris. in his verbis. *Manifestum autem est, quòd anima quidem substantia prima, corpus verò materia: homo verò, vel animal, quod ex ambobus, vt vniuersale. Socrates verò, & Coriscus, si anima quidem* (hoc est duplex est.) *duplex.* Vbi vides, quomodo materiæ tribuat constitutionem naturæ vniuersalis, & postea independenter ab illa ponat multitudinem indiuiduorum.

Altera ex tex. dilucidatur.

Duplex materia ex Aris.

IV Sed quod omnem enacuat difficultatem circa mentem Aris est tex 53. eiusdem lib. 7. Metaph. ibi enim docet,

quòd duplex est substantia. Altera, quæ se habet per modum totius, & constat ex ratione, nimirum quidditate, & materia: altera verò est Ratio, seu quidditas, quæ importat quidditatem simpliciter. Rursus ponit hæc discrimen, quòd substantia, quæ se habet per modum totius generatur, & corrumpitur; substantia verò, quæ est ratio, simpliciter, neque generatur, neque corrumpitur. Rursus substantia, quæ se habet per modum totius est indiuidua, & singularis: substantia verò, quæ est ratio præcisè non est singularis. Vt autem assignet rationem, cur substantia per modum totius generetur, & corrumpatur, assignat materiam; ait enim ideò generari, & corrumpi, quia habet materiam, quæ est talis naturæ vt possit esse, & non esse. Referam verba ipsius, vt hoc totum perspicuum fiat. *Cum autem substantia altera sit ipsum scilicet totum, & ratio: de eo autem quòd illa quidem* (nempe totum) *ita substantia est cum materia simul accepta ratio: hæc verò* (nempe Ratio) *ratio simpliciter. Quæcunque igitur illo modo* (hoc est per modum totius) *dicuntur, eorum quidem est corruptio, nam & generatio; Rationis autem non est ita, vt corrumpatur; nec enim generatio est* (*non enim fit domui esse, sed huic domui*) *sed absque generatione, & corruptione sunt, & non sunt; ostensum est enim quòd nullus hæc generat, neque facit. Propterea etiam substantiarum sensibilium singularium, neque definitio, neque demonstratio est eò, quòd habent materiam cuius natura talis est, vt esse, & non esse contingat, quare corruptibilia sunt omnia singularia eorum.* Hinc ergo habetur, quòd singulares substãtiæ supra substantias communes addunt materiam, & quòd huiusmodi materia sit talis naturæ, vt possit esse, & non esse. Quis autem non videt, non posse esse materiam primam, cum hæc ingrediatur naturam substantialem etiam in communi sumptam, & sit ingenerabilis & incorruptibilis, ita vt non possit contingere, quòd sit, & non sit. Et hoc pariter confirmatur ex eo, quòd habet tex. 92. lib. de Cœlo nimirum, Cœlum vt sic importare solam formam. Hoc autem Cœlum importare formam cum materia mistam. *Alterum igitur, inquit, est hoc cælum, & Cœlum simpliciter: & hoc quidem vt species, & forma: illud autem vt cum materia mistum.* Cum autem cœlum in communi sumptum importet materiam primam tanquam essentialem partem, ex qua eius natura coalescit, & tamen dicat Arist. quòd importat solam formam; Cœlum verò singulare importare insuper materiam cum qua miscetur forma, necessariò concluditur, quòd nomine materiæ non intelligat primum subiectum, quando eam facit constitutiuam indiuiduorum, sed intelligat entitatem rei; in qua imbibitur quidditas, importans esse formale rei.

[margin: ...ano... per ...dũ ... s, & a... quæ ...t qu... ...itate ...acise]

[margin: Vnde singularia habeant corruptibilitatē.]

[margin: Natura in cõmuni importat formã. Indiuiduũ verò formã cum materia mistam.]

V. His ergo prænotatis, facilè erit omnes auctoritates Arist. quæ pro opposita sententia afferuntur declarare. Ad secundam enim, quæ habetur ex tex. 12. lib. 5. Metaph. respondetur, cum Arist. docet ea esse vnum numero, *Quorum est vna materia*, idem esse, ac si dicat; Quorum est vna entitas, quia per materiam intelligit entitatem, vt iam declaratum est. Tertia verò explicata est supra num. 2. vbi legitimum sensum illius textus tradidimus. Ad quartam etiam eodem modo, nimirum vltimam materiam, quæ est entitas, constituere indiuiduum, & dicitur vltima materia, quia subijcitur toti esse quidditatiuo, quod in ea imbibitur. Ad quintam quoque respondetur, primum motorem non posse multiplicari numero, quia non habet materiam istam, seu entitatem, quæ sit extra essentiam; vt enim fiat multiplicatio numerica alicuius naturæ necesse est, quòd natura illa possit præscindere ab indiuiduatione, & ab esse entitatiuo physico, ita vt intra suam essentiam non includat indiuiduationem; & esse physicum, quia si includeret, iam ex vi suæ essentiæ esset hæc numero, & proinde non posset muliplicari. Cum ergo primus motor sit ipsum esse per essentiam, includit in suamet essentia existentiam, & esse physicum, atque indiuiduum, in quo Arist. conuenit cum vera doctrina Theologica, & proinde extra essentiam ipsius non adest esse entitatiuum, in quo eius quidditas tanquam in materia recipiatur; & ideo optimè Arist. ex negatione materiæ negat primum motorem posse numero multiplicari. Et in hunc etiam sensum loquitur 1. de Cœlo tex. 92. dum ait, omnia, quæcunque sunt

[margin: Cur primus motor non possit multiplicari numero.]

plu-

plura numero, habere materiam, aut quæ sunt in materia, posse numero multiplicari. Text. autem 93. & 94. docet, non posse dari alium mundum, quia cum hic mundus ratione suæ naturæ constet ex materia, & forma, non potest produci mundus de nouo, nisi adsit materia, ex qua componatur, vnde cum hic mundus includat totam materiam, nec alia sit possibilis, non potest dari nouus mundus: non hic tamen sequitur, quòd materia sit principium indiuiduationis, sed quòd requiratur ad constitutionem mundi tanquam pars essentialis, ex qua coalescit. In hoc tamen Arist. deceptus est, quia est possibilis, & alia materia & alius mundus.

Cur non sit possibilis per Arist. alius mundus.

IV. Verùm quamuis hæc expositio saluet, quomodo materia, quę est primum subiectum, non sit per Arist. principium indiuiduationis: posset tamen aliter mens ipsius explicari, & fortasse magis conformiter peripateticæ doctrinæ, quamuis non veritati. Pro hoc autem supponendum est, quòd Arist. cognouerit duo genera entium. Aliud quidem ex natura sua abstrahens ab omni materia, ita vt existat absque eo quod immergatur in materia, qualem posuit primum motorem; aliud verò, quod non potest existere, nisi immmersum in materia, vt sunt substantiæ sensibiles. Entia autem primi generis sunt necessaria, ita vt à nullo fuerint producta, neque enim Arist. aliam productionem agnouit præter illam, quę fit ex præsupposita materia, vnde quæ ex natura sua abstrahunt à materia improducibilia sunt, & proinde habent esse ex se necessariò; ex ijs verò, quæ sunt secundi generis, nempe immersa in materia, quamuis non omnia, aliqua tamen generari possunt, & corrumpi, vt sunt sublunaria. Hinc autem fit, quòd ea quæ abstrahunt à materia, sicuti habent suum esse actuale ex se necessariò, ita etiam habeant ex se, & ex vi suimet esse propriam indiuiduationem. Verùm in entibus in materia immersis non ita contingit. In his enim Arist. distinguit esse quidditatiuum, & materiam, & esse quidditatiuum vocat rationem, & formam; materia vero est primum subiectum; & quamuis non possit quidditas existere absque materia, & extra ipsam, potest tamen ab ipsa separari. Quamobrem Arist. in his entibus ponit duplicem partem, alteram quidem, quæ est materia ingenerabilis, & incorruptibilis, atque necessariò existens, & aliam, quæ est forma, quæ in materia variatur per generationem, & corruptionem compositi. Rursus materia ista, quæ est primum subiectum, est solùm potentia quædam, ita vt non includat actu aliquam quidditatem, nec etiam sit pars quidditatis, sed solùm potentia quædam potens recipere quidditates omnes; vnde Arist. docet non esse substantiam, aut quantitatem, aut quodius aliud ens determinatum, sed esse omnia in potentia, & 8. Metaphys. tex. 3. habet *Materiam autem dico, quæ cum non quod quid actu sit, potentia est quod quid.* Per *Quodquid* autem intelligit essentiam rei, quæ per definitionem explicatur, & hanc in potentia solùm concedit materiæ. Forma autem, quæ est altera pars entium, quæ sunt immersa in materia, importat totam quidditatem rei præcisè consideratam, secundum rationem quidditatis, & abstrahentem ab omni materia, quia scilicet consideratur, vt extra materiam, atque importat ipsam naturam rei quidditatiuam in communi consideratam, prout per definitionem solet explicari. Hoc autem totum colligitur tum ex text. 3. lib. 8. Metaphys. modò citato, vbi habet *Altera autem ratio & forma.* (hoc est, se habet ac materia), *quod cum sit, quod quid ratione separabile est.* Vbi vides quomodo formam vocet *Quod quid*, hoc est quidditatem rei, & asserat esse ratione tantum separabilem a materia, quia nimirum quidditas in communi considerata non potest realiter se sola existere. tum etiam ex text. 35. lib. 3. eiusdem operis, vbi ait *Pars itaque etiam formę est (Formam autem dico quod quid erat esse) & ipsius totius, quod ex forma, & ipsa materia est. Sed rationis partes* (hoc est definitionis) *quæ formæ solum sunt: ratio vero est ipsius vniuersalis.* Vbi vides quomodo formæ tribuit importare totam quidditatem rei, & quomodo easdem partes tribuat

Mēs Arist. alio modo expressa circa indiuiduale distinctionē.

Quid dica materia.

Formam dicit quidditatem rei in communi.

definitioni, quas tribuit formæ confundendo inter vtramque, & quomodo velit, quòd id, quod dicit forma, & ratio, sit naturæ vniuersalis. Atque quòd forma importet quidditatem rei in communi, quæ non secundùm realem existentiam, sed solùm ratione separabilis sit à materia, habetur etiam ex 2. Physic. text. 12. ibi enim ait *Quare alio modo natura vtique erit habentium in seipsis motus principium forma, & species, non separabilis existens, nisi secundùm rationem*. Quare ex his sufficienter constat, quomodo forma per Arist. importet quidditatem rei in communi, quæ per definitionem explicatur, nec separetur à materia secundùm realem existentiam.

Quomodo per Arist. forma indiuiduetur a materia.

VII. Cum igitur forma importet per Arist. naturam rei quidditatiuam in communi, iam ex se non erit indiuidua, sed indigebit aliquo principio indiuiduationis, quo indiuiduetur. Rursus autem cum materia sit diuisibilis in plures partes, & secundùm quamlibet partem sui ipsius sit ens necessarium, & improductum, atque adeo necessariò existens, hinc fit, vt sicuti ex seipsa habet suum esse entitatiuum existens, ita etiam ex seipsa sit indiuidua secundùm quamlibet partem suipsius. Cum ergo forma ordinetur ad materiã informandam, & ab agente in ipsa ponatur, acquirit indiuiduationem à materia, quia fit indiuidua ex eo, quòd materiæ commiscetur, & hoc pacto indiuidua multiplicantur, & distinguuntur inter se ratione materiæ. Et propterea Arist. 1. de Cœlo tex. 92 inquit. *Quoniam igitur Cœlum est sensibile singularium vtique erit, sensibile enim omne in materia existit. Si autem singularium, aliud erit esse huic cœlo, & cœlo simpliciter. Alterum igitur est hoc cœlum, & cœlum simpliciter: & hoc quidem vt species, & forma; illud autem, vt cum materia mixtum*. Ecce ergo quomodo vult, Cœlum simpliciter se habere vt formam, cum tamen dicat totam essentiam Cœli, & fieri hoc cœlum ex eo quod miscetur cum materia. Et insuper 7. Metaph. tex 28. docet, quòd *Generans sufficiens est, vt faciat, & causa sit forma in materia: tota verò iam talis forma in his carnibus, & ossibus Callias, & Socrates*. Et iuxta hunc sensum accipi possunt omnes auctoritates Ar. quibus materiæ tribuit indiuiduationem. An autem hæc doctrina, in quantùm spectat ad indiuiduationem vera sit, pendet ex ijs, quæ dicuntur de natura formæ substantialis: si enim ipsi tribuitur propria entitas physica falsa profectò erit, quia tunc forma erit indiuidua ex se, sicuti materia. Sed quicquid de hoc sit, pro nunc sufficit, quòd non colligatur ex Aristot. materiam signatam quantitate esse principium indiuiduationis; sed quòd indiuiduatio habeatur ab esse entitatiuo incommunicabiliter existente, quod importatur per solam materiam, vtpote quia forma non habet esse actuale, nisi prout commixta materiæ, nec est separabilis ab ipsa secundùm realem existentiam, sed solùm secundùm rationem.

Mens Arist. aliter ab alijs explicata Zabarel.

VIII. Alio modò solent alij mentem Arist. explicare. Zabarel. enim lib. de Constitut. indiuidui cap. 16. ait, quod Arist. tribuens materiæ esse principium indiuiduationis, non expressit adæquatam rationem indiuidui, sed ideo posuit solam materiam, non autem formam, quia in tex. 12. lib. 5. Metaphys. dixerat, Ea esse vnum specie, quorum forma vna est; vnde cum per formam explicet vnitatem specificam, ne confusionem pariat, per solam materiam explicat vnitatem indiuidualem. Piccolomin. autem lib. 3. de Mater. cap. 12. cum Baccon. in 3. dist. 12. inquit, Aristot. nomine materiæ intellexisse concretum ex materia, & forma, quod existit, & ab ipso sensibilis materia appellatur. Fonseca verò 5. Metaphys. cap. 6. quæstion. 5. sect. 4. Cum Aristot. tribuit materiæ esse principium indiuiduationis, non loqui de materia signata quantitate, nec intelligere de principio metaphysico indiuiduationis, sed de physico, quod reipsa indiuiduum componit. Insuper Raguf. in Disputat. Peripateticis. Disputat. 20. cap. 25. Arist. per vnitatem materiæ explicare vnitatem indiuidualem veluti à posteriori, & consequutiuè, non autem formaliter, & quasi ratio indiuiduationis faciat, quòd materia quoque sit vna. Quid autem de his explicationibus dicendum sit, facilè vnusquisque colligere

Piccol. Baccon.

Fonseca.

Raguf.

po-

poterit ex ijs, quæ supra diximus, nam non vacat eas modo expendere.

Ad primã rationem pro opposite sentẽtia

IX. Quod autem spectat ad rationes, quibus Thomistæ, suam sententiam confirmant. Prima exigeret declarationem, an materia sit radix multiplicationis indiuiduorum, & an ea, quæ non habent materiam possint numericè multiplicari, quod non est modò disputandum. Vnde quicquid sit nunquam materia potest esse formale constitutiuum indiuidui: ideo cum dicitur, illud esse principium indiuiduationis, quod est principium distinctionis, & multiplicationis, verum est, si intelligatur de principio formali multiplicationis, atque formali distinctiuo, non autem de radicali: principium enim indiuiduationis, sicuti debet formaliter constituere in esse indiuiduali, ita etiam debet formaliter distinguere. & consequenter multiplicare, non autem radicaliter. Vnde quamuis materia esset radix, in qua fundaretur multiplicatio indiuiduorum, adhuc tamen aliud principium formale indiuiduationis concedendum esset: & sicuti materia habet in se suam intrinsecam indiuiduationem, qua vna ab alia distinguitur, ita etiam concedenda esset in forma intrinseca indiuiduatio, qua per suum esse vna ab alia distinguatur. Atque hinc fit, quòd si materia est principium radicale multiplicationis indiuidualis posita materia, quæ concurrat ad constitutionem indiuiduorum, solùm consecutiuè ponatur indiuidualis multiplicatio; & ea ablata, ita vt non concurrat ad constitutionem indiuiduorum, etiam solum consecutiuè auferatur indiuidualis multiplicatio, non autem formaliter.

Principium indiuiduationis idem ac distinctionis & quomodo

X. Ad secundam autem respontur. Formam substantialem considerari posse, & secundùm essentiam, & secundùm entitatem physicam, primo modo est principium naturæ communis, verùm quia materia quoque considerari potest secundũ essentiam, & entitatem, ideo ipsa quoque est principium naturæ communis, considerata secundùm essentiam: at secundùm entitatem tam ipsa, quàm forma, supposito quòd forma habeat propriam entitatem, sicuti seipsis, & non per aliquid superadditum sunt indiuiduæ, ita etiam constituunt compositum indiuiduum; & sicuti ipsarum quidditas est principium naturæ communis, ita physica entitas, ex eo, quòd est incommunicabilis pluribus per modum superioris, constituit esse indiuiduum.

Ad tertiam.

XI. Ad tertiam conceditur, quòd principium indiuiduationis debeat conferre incommunicabilitatem, sed illam, quæ opponitur communicabilitati naturæ communis: vnde sicuti natura communis est communicabilis pluribus inferioribus per modum superioris, ita principium in diuiduationis debet conferre incommunicabilitatem, qua indiuiduum reddatur incommunicabile pluribus per modum superioris. Hoc autem non præstat materia signata quantitate, tum quia vnaquæque res, ex vi suæ entitatis physicæ, est incommunicabilis pluribus per modum superioris: tum quia ipsa quoque materia, considerata absque illa sigillatione quantitatis, adhuc est indiuidua, & proinde aliunde habet suam indiuiduationem; nec est necesse, vt sit indiuidua, quòd sit propria vnius tantùm indiuidui, quia ex natura sua possit esse modò sub vna, modò sub alia forma, eadem numero in diuersis indiuiduis, tanquam commune subiectum. sufficit autem, quòd entitas huius materiæ non possit esse entitas alterius, nec entitas huius formæ, aut compositi possit esse alterius; hoc enim saluat, quòd principium indiuiduationis sit proprium cuiuscunque indiuidui.

Quã incõmunicabilitatẽ cõferat principiũ indiuiduationis.

Ad quartam.

XII. Ad quartam dicendum est, distinctionem indiuidualem esse materialem, si materiale accipiatur pro entitatiuo, & prout contradistinguitur ab esse quidditatiuo; non autem, si materiale accipiatur, prout dicit quid desumptum à materia, quę est primum subiectum; tunc autem distinctio indiuidualis desumi potest à quolibet esse entitatiuo, siue hoc sit materiæ, siue formæ: vnde forma poterit causare duplicẽ distinctionẽ formalẽ, si sit diuersa secũdùm suam entitatem: & numericam, seu indiuidualem secundùm physicam entitatem. Denique ad quintam respon-

Quomodo distinctio indiuidualis sit materialis.

detur, indiuiduum esse subiectum vltimum in coordinatione prædicamentali; verùm constitui in ratione talis subiecti per id, quòd sit incommunicabile pluribus per modum superioris, non autem per aliquam rationem subiecti physici receptiui: vnde principium indiuiduationis non debet desumi à materia physica, quæ est primum subiectum transmutationis, quia tantùm abest vt secundùm hanc rationem subiecti ipsa etiam sit communicabilis pluribus, & indigeat indiuiduatione; de facto enim in pluribus reperitur: Principium ergò indiuiduationis metaphysicum desumitur ab esse physico rei entitatiuo, quia hoc est incommunicabile pluribus per modum superioris.

Indiuiduù qua se subiectũ, & vnde rõnẽ subiecti desumat.

XIII. Quod autem spectat ad peculiaria fundamenta cuiuscunque modi dicendi soluta manent ex superius dictis vnde nunc solùm restat doctrinam traditam pro eorumdem solutione applicare: vnde ad fundamentum primi modi dicitur; quòd licèt materia sit primum subiectum, & consequenter nequeat recipi in subiecto, non tamen est primum irreceptibile simpliciter, ita vt cætera ratione ipsius habeant, quòd non possint recipi in subiecto, nam substantiæ separatæ nequeunt recipi in subiecto, non tamen id habent ratione materiæ: irreceptibilitas enim in subiecto prouenit ex eo, quòd aliquid non sit actus completiuus inchoatæ naturæ, & per se subsistat, vnde hoc per se primò nedum conuenit materiæ, sed omnibus substantijs separatis. Sed quicquid de hoc sit, & supposito quòd saltem in materialibus materia sit primum irreceptibile, & materialia habeant ex eo, quòd sunt vnita cum materia, quòd nequeant ampliùs recipi in subiecto; hinc tamen sequitur, vt in superiori us diximus, quòd materia conferat incommunicabilitatem illam, quam dicit vt indiuiduum est, quia, vt tale est, dicit solam incommunicabilitatem oppositam communicabilitati naturæ communis, nempe illam, qua nequit pluribus inferioribus communicari per modum superioris, tanquam essentiale constitutiuum eorumdem; hæc autem incommunicabilitas stat cum illa communicabilitate, qua aliquid potest alteri communicari tamquam subiecto, quia forma, licèt indiuidua potest adhuc communicari subiecto; & ideo incommunicabilitas per modum superioris, cum stet cum communicabilitate respectu subiecti, & adæquatè opponatur cum communicabilitate naturæ communis, quæ tota tollitur per positionem ipsius, sola saluabit totam incommunicabilitatem indiuidui. Cum autem instat Soncin. quòd natura communis, seu vniuersale est in inferioribus etiam tanquam in subiecto, Respondetur esse tanquam in subiecto prædicationis, non autem inhæsionis, seu receptionis, & id habere ex eo, quòd est in ipsis tanquam eorumdem essentiale constitutiuum; & solùm inferiora dicuntur subiectum, quia cum superius insit ipsis per essentialem identificationem, & ab ipsis contrahatur, in linea prædicamentali ponuntur sub ipso, atque in naturali prædicatione subijciuntur.

Ad fundamentũ primi modi dicendi.

Materia non est primũ irreceptibile.

Quã incõmunicabilitatẽ contera materia, & quæ sit incõmunicabilitas indiuidui.

Quomodo natura sit in inferioribus tanquam in subiecto.

XIV. Ad alteram autem partem eiusdem fundamenti de quantitate respondetur, quòd quantitas non est principium indiuisionis, qua vnum est indiuisum indiuidualiter in seipso: imò quomodo, cum quantitas sit essentialiter diuisibilis in partes eiusdem rationis, ex quibus constat, potest esse principium indiuisionis? facit enim diuisibile id, cui exhibetur: at indiuiduum vt tale est, omnino indiuisibile est. Quamobrem sciendum est, quòd alia est diuisio quantitatiua, & alia indiuidualis. Indiuidualis fit, vt aliquid in plura diuidatur per modum superioris in inferiora: & proinde indiuiduum est indiuisum in se; & indiuisibile in plura indiuisione opposita diuisibilitati naturæ communis; & vnum indiuiduum diuiditur ab alio ea diuisione, qua diuidunt naturam communem, quæ prouenit ex eo, quòd importet contractiuum naturæ, & rationem incommunicabilitatis respectu inferiorum. Diuisio autem quantitatiua est in partes eiusdem rationis, & non cadit supra naturam communem, quæ diuidatur in sua inferiora, sed supra esse indiuiduale: quia sola indiuidualis quantitas potest diuidi in partes; neque fit per modum contractionis, sed per separationem partis à parte. Quare cum alia sit diuisio indiuidualis, & alia quantitatiua, nequit indiuidualis haberi ratio-

Alia diuisibilitas quantitatiua alia indiuidualis.

Quales sit diuisio indiuidualis.

Discrimen inter indiuidualẽ, & quãtitatiuã.

tio-

ratione quantitatis, sed aliunde desumenda erit. A que quod alia sit indiuidualis, & alia quantitatiua diuisio euidenter colligitur, quod cum aliquid diuiditur indiuidualiter, potest in recto prædicari secundum se totum de vnoquoque membro diuidente: vt contingit in qualibet natura communi; sic cum homo diuiditur in Petrum, Paulum, & alios indiuiduos homines, prædicatur in recto de vnoquoque ipsorum: at quando aliquid diuiditur diuisione quantitatiua; diuisum non prædicatur secundum se totum de quolibet diuidente; si enim aliquod totum quantitatiuum. vt quantitas decem palmorum, diuidatur in duas medietates, non valet dicere de qualibet ipsarum seorsim, hæc dimidietas est quantitas decem palmorum; hoc autem totum prouenit ex eo, quia totum quantitatiuum non reperitur in singulis partibus per modum superioris constitutiui. Præterea ex eo etiam confir., quòd quantitas est diuisibilis duplici diuisione, alia qua quantitas vt sic diuiditur in hanc, & illam numero quantitatem, quæ est indiuidualis diuisio, & alia qua vnaquæque quantitas indiuidualis potest diuidi in plures partes, atque hæ diuisiones sunt diuersæ inter se, vna namque est secundum communem naturam: altera vero secundum quantitatem iam indiuiduam, quæ est diuisio quantitatiua; & proinde, oportet concedere, quod alia sit diuisio quantitatiua, & alia indiuidualis. Et quamuis per diuisionem quantitatiuam consurgant plura indiuidua, non tamen per se consurgunt ex vi illius diuisionis, sed per accidens; nam in tantum consurgunt, in quantum entitas illa quantitatiua secundum se totam est indiuidua, & proinde indiuiduatio in tota ipsa imbibitur, & ad diuisionem illius diuidatur non quidem formaliter secundum rationem indiuiduationis, quia tali pacto est indiuisibilis, sed materialiter ratione entitatis, in qua reperitur, & non sunt plura indiuidua respectu diuisi quod tunc diuiditur, sed respectu naturæ communis, quæ in vnoquoque ipsorum contracta, & incommunicabiliter existens reperitur: & proinde talis diuisio non est indiuidualis, sed merè quantitatiua.

Licèt ex diuisione quantitatiua consurgant plura indiuidua, non tamen in diuidua lis.

XV. In secundò autem modo dicendi habetur, quòd materia non potest esse principium proximum indiuiduationis, sed solùm remotum, quia est communis pluribus indiuiduis. Verùm hoc non rectè dicitur, nam quod est principium indiuiduationis aut est tale proximè, aut nullo modo; nihil enim potest esse principium formale indiuiduationis, nisi participet rationem formalem indiuiduationis; statim autem ac participat est principiũ proximum. Deinde materia est in se indiuidua quando exhibetur cuicunque composito, nec minus indiuidua, quàm forma, & ideo cum ex partibus indiuiduis consurgat totum indiuiduum, non minus per ipsam indiuiduabitur compositum, quàm per formam. Cum autem subditur, quòd materia nequit distinguere indiuiduum, quia solus actus distinguit, & ideo necessaria est forma quæ distinguat; neque id rectè dicitur, quia cum dicitur, actum distinguere, intelligitur de distinctione specifica: an non vna materia distinguitur ab alia, secundum proprium esse intrinsecum? sicuti ergo distinguitur secundùm suum esse entitatiuum, ita etiam, dum per seipsam constituit compositum, potest facere, vt distinguatur ab alio, imo si sola forma distingueret, non ponerent distinctionem in esse intrinseco materiæ, & proinde compositum non distingueretur ab alio secundùm totum suum esse. Neque indiuiduare est actuare actu physico, & respectu subiecti physici, sed actu metaphysico respectu naturæ communis, & ideo hoc non competit formæ substantiali physicæ. Quod autem ibi dicitur de quantitate sigillante materiam coincidit cum alijs modis dicendi, & satis superque impugnatum est. In cœteris autem modis dicendi nulla ratio alicuius momenti continetur, cui oporteat respondere, & illa tota doctrina iam impugnata est. Solùm aduertimus, non rectè dici, constitutiuum indiuiduationis in illo priori, in quo compositum terminat generationem, non esse materiam Vt præhabentem quantitatem, quia cum totum compositum sit intrinsecè indiuiduum, necesse est, quòd constitutiuum indiuiduationis sit intrinsecum toti composito. Similiter non rectè dicitur, quòd illud, quod aliquid præhabet in virtute, possit exhibere eumdem

Ad fundamentum secundi modi.

Materia aut fundamentum proximè indiuiduationis, aut nullo modo.

Materia distinguit, & quomodo.

Quod in virtute continetur, non pôt exhibere eũdẽ esse- ũ formalé, ac formaliter existens.

effectum, quam exhibet id, quod præhabetur, quia ad effectum formalem requiritur causa formalis, formali modo existens, non autem contenta in virtute, sic quod est calidum virtualiter se exhibendo non facit calidum formaliter.

Materia signata quātitate nō est pricipiū indiuidui prout opponitur multitudini.

XVI. Ex dictis autem colligitur, non rectè quosdam Recentiores, vt tribuant materiæ signatæ, esse aliquo modo principium indiuiduationis asserere, quòd sit principium indiuiduationis, quatenus indiuiduatio opponitur multitudini: nam indiuiduum opponitur multitudini per id, quòd constituitur in se indiuisum; multitudo enim importat plura, inter quæ adsit distinctio, cum ergo constituatur in seipso indiuisum per id formaliter, quòd constituitur incommunicabiliter existens, nam eo ipso formaliter, quod incommunicabiliter existit, non potest pluribus communicari, & consequenter ita est in se indiuisum, vt nequeat in plura diuidi, hinc fit, vt vnum sit tantùm formale constitutiuum indiuidui tum in esse indiuidui, tum prout opponitur multitudini; præsertim quia opponitur multitudini, vt indiuiduum est formaliter. Vnde ad summum quantitas dici potest principium indiuiduationis indicatiuum, vt in superioribus etiam adnotauimus, quatenus ratione certarum dimensionum nos inducit in cognitionem vnius indiuidui distincti ab alio. Quod etiam adnotauit D. Th. Opusc. 32. de Natura materiæ cap. 3. vbi hæc habet. *Ideò dicitur, quòd materia sub certis dimensionibus est causa indiuiduationis non quòd dimensiones causent indiuiduum, cum accidens non causet suum subiectum, sed quia per dimensiones certas demonstratur indiuiduum hic, & nunc, sicuti per signum proprium indiuidui, & inseparabile.* Vbi aduerte, quòd cum istæ certæ dimensiones sint variabiles, solùm hic, & nūc possunt indicare indiuiduum non autem semper.

Quomodo quātitas dici possit principiū indiuiduationis.

D. Th.

An forma sit principium indiuiduationis.
Disput. XXXVIII.

Affirmatiua sententia.

SECTIO I.

I. CVm materia, neque se sola considerata, neque prout est signata quantitate sit principium indiuiduationis, vt in disputatione præcedenti constitutum est, restat nunc videre de forma, an ipsa de se sit indiuidua, & sit principium indiuiduationis respectu compositi substantialis, ita vt non aliunde habeat suam indiuiduationem, quàm à forma. Quòd autem forma sit principium indiuiduationis desumitur ex Auicen. 6. Natur. par. 1. Auer. 3. Phys. com. 60. & lib. 4. com. 38. & 1. de Anima com. 7. & lib. 2. com. 7. 8. & 9. Zimara Theorem. 97. Achil. lib. 1. de element. cap. 26. Durand. in 4. dist. 44. quæst. 1. num. 6. & sequent. qui ait, quòd cuicunque materiæ vniatur anima, erit semper idem numero indiuiduum, quia erit eadem numero forma, Zabarel. lib. de Constit. indiuidui cap. 6. qui docet indiuidua ratione materiæ habere multitudinem, ratione verò formæ habere vnitatem indiuidualem, & distinctionem. Citatur etiam Gandauens. de substantia Orbis quæst. 7. Conueniunt autem hi Auctores in hoc, quòd materia non sit ex se indiuidua, sed habeat indiuiduationem à forma, quæ etiam compositum indiuiduet, cum nequeat indiuiduari per materiam.

Affirmatiua sententia.

Auicen. Auer. Zimara. Achil. Durand. Zabarel. Gand.

II. Pluribus autem hanc suam opinionem confirmant. & primò arguunt Arist. auctoritate 2. de Anima tex. 2. vbi docet, quòd materia non dicit hoc aliquid forma autem dicit hoc aliquid. ait enim *Dicimus itaque vnum*

Fūdamēta allatæ sententiæ

quoddam genus eorum, quæ sunt, substantiam. Huius autem aliud quidem sicut materiam, quod secundùm se quidem non est hoc aliquid. Aliud autem formam, & speciem secundùm quam iam dicitur hoc aliquid. Cum igitur hoc aliquid significet indiuiduum, iam ipsa forma indiuiduabit, cum propter ipsam consurgat hoc aliquid. Hinc etiam eliciunt confirmationem. Principium indiuiduationis substantiæ materialis debet esse proprium illius, & esse aliquid substantiale, & reddere substantiam hanc numero designabilem; hoc autem totum competit formæ, quoniam cum faciat hoc aliquid, & sit quid substantiale, reddit consequenter substantiam hanc numero designabilem. Secundò principaliter arguunt. Res habent esse à forma, & per ipsam distinguuntur, & sicuti compositum commune secundùm essentiam consideratum distinguitur essentialiter ab alio per formam in communi acceptam, ita hoc compositum numero distinguitur ab alio numericè per hanc formam numero; ergo cum principium indiuiduationis sit illud, quod constituit in esse indiuiduali, & distinguit à cœteris indiuiduis, forma erit principium indiuiduationis.

Secundò

Tertiò

III. Tertiò arguit Zabarel. in illo cap. Materia est pura potentia à se excludens omnem actum cuiuscunque prædicamenti; nec etiam habet propriam existentiam, nec est vna numero positiuè, sed solum negatiuè; ergo ipsa sicuti recipit existentiam in genere causæ formalis à forma, recipit etiam ab ipsa indiuiduationem, quia id formaliter dat indiuiduationem, quod dat existentiam; ex quo fit, quòd cum materia non habeat propriam indiuiduationem, tota indiuiduatio compositi sit à forma. Quartò arguit idem Zabarel. Materia non tribuit composito vnitatem specificam, vt per se euidens est, nam si sumantur diuersa composita, quæ differant specie, habent eamdem materiam specie, vnde si tribueret vnitatem specificam, deberent ex vi materiæ esse idem specie; ergo neque tribuere potest vnitatem indiuidualem, quia quod non potest esse principium vnitatis specificæ, nec etiam erit numericæ, cum hæc sit maior vnitas, & alias includat.

Quartò

Quintò

IV. Quintò arguit Duran. Materia est pura potentia, & prope nihil, ita vt solùm substantietur per posse, & nullam ex se dicat actualitatem, vnde ex se non habet aliquod esse, sed tamen posse esse, & totum suum esse est à forma: hinc autem fit, quòd de se nullam habeat entitatem, sed solùm potentiam ad entitatem; ergo cum identitas, & diuersitas consequatur esse, ex se nullam habebit diuersitatem ad aliam materiam, sed solùm potentiam ad diuersitatem, ergo habebit à forma quia iam illam habet, & non ex se: ergo etiam compositum, indiuiduabitur à forma. Sextò arguit idem Durand. Animal, quod nutritur, post conuersionem alimenti remanet idem, nam nō potest dici, quòd sit diuersum secundùm totum, vt patet; nec etiam secundum partem, quia non est secundùm formam, quia in hoc differt nutritio à generatione, quod in nutritione materia non accipit nouam formam, sed fit sub forma, quæ prius existit: nec etiam secundum materiam, cum præexistens remaneat, nec habeat partes præcisa singularitate, secundùm quas inducatur de nouo. Cum ergo in nutritione fiat de nouo forma animalis in materia nutrimenti, si materia haberet aliam vnitatem ab ea, quam recipit à forma, tunc materia post nutritionem differret à materia, quæ præcessit nutritionem, sicuti totum à parte, & consequenter non esset idem animal: vnde oportet, quòd materia habeat suam identitatem, & diuersitatem à forma, & consequenter etiam compositum.

Sextò.

Formam non esse principium indiuiduationis.

SECTIO II.

I. Quamuis allata sententia videatur habere aliquam probabilitatem, communiter tamen reijcitur; & Thomistæ, vt vidimus dispu tatione præcedenti putant, impossibile esse, quòd ad indiuiduandum concurrat. Ex ijs autem, qui neque materiæ tribuunt esse principium indiuiduationis, eam impugnant. Perer. lib. 6. cap. 12. qui quamuis principaliter tribuat formæ esse principium indiuiduationis, constituit tamen etiam ma-

Opposita sententia communi.

Perer.

te-

teriam Suarez in Metaph. disp. 5. sect. 4. Auersa in Logica quæst 9. sect. 7. & Meurisse 2. Metaph. cap. 3 quæst 6. conclus 5. sentiunt, quòd indiuiduatio ita sit à forma, vt etiam sit à materia, quia vtraque est indiuidua, vnde constituant compositum indiuiduum, in quo etiam conueniunt alij, qui docent, res seipsis indiuiduari, aut per suam hæcceitatem quos infra suo loco recensebimus.

Suarez Auersa Meurisse

1. concl. Forma non est principium indiuiduationis respectu materiæ.

II. Hanc autem communem sententiam statuentem, Formam non esse adæquatum principium indiuiduationis, veram existimo, vnde pro illius explicatione Dico primo. Formam non esse principium indiuiduationis respectu materiæ. Probatur, & quidem valida ratione, si rectè perpendatur. Non potest forma esse principium indiuiduationis respectu alicuius nisi in seipsa sit indiuidua, quomodo enim indiuiduaret, nisi esset indiuidua? Verùm, cum non sit aliud, à quo indiuiduari possit, oportet dicere, quòd seipsa sit indiuidua: si autem seipsa est indiuidua, cur etiam materia non erit seipsa indiuidua, absque eo, quòd mendicet indiuiduationem à forma? Et quamuis assignent disparitatem inter materiam, & formam, dicentes, formam posse esse indiuiduam seipsa, quia est essentialiter actus, materiam autem non posse, quia est essentialiter potentia, nihil tamen proficiunt; nec huiusmodi disparitas ad propositum facit: si enim ex eo, quod forma est essentialiter actus, esset seipsa iudiuidua, necesse esset, quòd ratione actus formaliter habeet indiuiduationem; quam tamen non habet ex vi illius: siquidem forma in communi importat rationem actus substantialis formaliter, nec tamen tunc dicit indiuiduationem aliquam: vnde quantùm est ex vi actus non importat indiuiduationem, sed ab illa præscindit, & proinde non rectè ex eo, quod sit essentialiter actus, asseritur, quod seipsa sit indiuidua. Et confirmatur; si materia consideretur secundum suam rationem essentialem, nempe secundùm rationem potentiæ, est quid communicabile pluribus indiuiduis materiæ: similiter si quælibet forma consideretur secundum rationem essentialem talis formæ, est quid communicabile pluribus indiuiduis eiusdem formæ: vnde tam forma, quàm materia, secundùm essentiam, quamuis vna dicat actum, & altera potentiam pati modo se habent: ergo etiam pari modo se habebunt secundùm esse physicum existens, & sicuti forma s ipsa est indiuidua secundùm esse physicum, quo terminat productionem, ita etiam materia.

Quod forma sit actus essentialiter, & materia potentia nō facit q illa sit seipsa indiuidua, hæc certè nō

Quò ad indiuiduationē æquali modo se habēt materia, & forma.

III. Confirmatur principaliter hæc ratio. Materia ex vi proprij esse terminat suam peculiarem productionem, nempe creationem, qua ponitur in actu quæro ergo, quodnam esse recipiat ex vi huius productionis, an commune, an verò singulare? non commune, quia per nullam actionem potest poni à parte rei aliquid communicabile pluribus per modum vniuersalis, sed cum actio, & productio singularis sit, terminus quoque erit singularis, habens certum, & determinatum esse, atque tanquam hoc numero designabile; vnde materia quoque ex vi suæ productionis erit indiuidua; atque, cum ex vi propriæ productionis nihil aliud recipiat, quàm proprium esse, consequenter quoque erit indiuidua seipsa, quemadmodum etiam forma. Cur enim quæso forma est seipsa indiuidua? non quia sit actus, quia vt actus est, communicari potest pluribus per modum superioris: vnde non ex alio capite erit seipsa indiuidua, nisi quia habet ex se esse physicum certum, & determinatum. Verùm materiæ quoque per productionem communicatur esse physicum certum, & determinatum, cur ergo ipsa quoque non erit indiuidua independenter à forma, eo pacto quo est ipsa forma? Atqui cum forma, quantùm est ex vi suæ essentiæ, non importet indiuiduationem, sed sit pluribus communicabilis, oportet assignare aliquod principium indiuiduationis, quo fiat hæc numero; nullum autem assignari potest ex parte formæ, quod non possit etiam assignari ex parte materiæ: quod enim assignatur ex parte formæ tanquam contractiuum illius ad hanc numero formam, cum materia quoque ex vi suæ met essentiæ sit communicabilis pluribus, poterit etiam idem contractiuum assignari ex parte ipsius, & cum huiusmodi contractiuum reddat formam indiuiduam seipsa, reddet quoque materiam. Neque apparet aliqua impli-

Confir.

Materia ex vi suæ productionis indiuidua.

Idē principium indiuiduationis, q assignatur ex parte formæ assignari potest ex parte materiæ.

can-

cantia, sine esse possibile, colligitur ex eo, quòd materia tanquam natura communis est determinabilis ad hanc & illam numero materiam: & huiusmodi contractiuum ex natura sua est determinatiuum naturæ communis.

2. ratio.

IV. Secundo principaliter probabatur conclusio. Et inquiro, secundùm quam rationem forma exerceat principium indiuiduationis, an secundùm rationem formæ, & actus substantialis, an verò secundùm rationem indiuiduationis, quam ipsa habet: nihil enim aliud in ipsa reperitur. Verùm secundùm neutram exercere potest principiũ indiuiduationis respectu materiæ. Et quidem non secundùm rationem actus substantialis; nam principium indiuiduationis debet formaliter importare rationem formalem indiuiduationis, & cum reddat incommunicabile pluribus per modum superioris, debet ipsum quoque importare *vt quo* talem incommunicabilitatem, alioquin quomodo illam exhiberet formali modo? at ratio actus substantialis non est ratio formalis indiuiduationis, neque est incommunicabilis *vt quo*, cum pluribus possit communicari, quomodo ergo per talem rationem forma constituetur principium indiuiduationis? Sed neque prout indiuidua est, potest exercere principium indiuiduationis: nam indiuiduatio illa, quam dicit, se exercet respectu ipsius formę illam indiuiduando, neque enim est ex vi suæ essentiæ indiuidua, dum autem se exercet respectu illius, non potest se exercere respectu materiæ, quia eadem causa formalis numero non potest habere, nisi vnicum effectum formalem. Deinde sequeretur quòd eadem indiuiduatione indiuiduaretur materia & forma, & consequenter cum corrumpatur forma remanente materia, idem indiuiduum simul corrumperetur, & remaneret, per vnicam enim, & eamdem indiuiduationem vnicum, & indiuisibile indiuiduum constituitur; hoc autem dici non potest, quia indiuiduum, quod est tale per aliquam indiuiduationem, debet secundùm se totum corrumpi, quando desinit illa indiuiduatio.

Quomodo forma secũdùm nullam rationẽ exercere possit principium indiuiduationis.

3. ratio.

V. Tertiò argumentor ex conditione materiæ. Cum enim concurrat ad formam tanquam subiectum, eam recipiendo, & sustentando, debet necessariò secundùm illud esse, quo concurrit, esse prior forma, quia causa est prior suo effectu, ita vt vis illa causatiua, qua causat, præcedat effectum saltem natura, & consequenter possit concipi, independenter ab effectu causam habere in se illam virtutem; qua causat, sic possumus concipere solem habere in se virtutem illuminatiuam independenter à lumine, quod producit. Hinc porro fit, quòd cum materia concurrat ad causandam formam secundùm esse subiecti indiuidui, non enim causat secundùm rationem subiecti cõmunis, debeat esse subiecti indiuidui, posse concipi independenter ab eadem forma, hoc enim est de natura illius, quod prius est, vt secundùm illam rationem, qua prius est, possit concipi independenter à posteriori; nec possit vllo pacto ab ipso dependere tanquam à constitutiuo. Quòd si dicas, Materiam indiuiduari per ordinem ad formam, statim reijcitur, tum quia cum ordo ad formam sit essentialis materiæ, indiuiduatio quoque esset illi essentialis, quod dici non potest, alioquin non possent reperiri plures indiuiduæ materiæ, quia quòd est essentialiter indiuiduũ non potest esse in pluribus indiuiduis, vt contingit in Deo: tum etiam quia eadẽ numero materia dicit ordinẽ ad plures formas; quomodo ergo põt per ordinẽ ad formã indiuiduari? in tantũ enim indiuiduaretur, in quantum diceret ordinem ad vnicam formam indiuiduam.

Materia est indiuidua independẽter à forma.

Materia non potest indiuiduari per ordinem ad formam.

4. ratio.

VI. Hinc autem elicitur quarta ratio pro nostra conclusione. Dum enim materia causat formam, quæ tanquam terminus *vt quo* fit per generationẽ, sequitur, quòd sit commune subiectum generationis, & proinde nedum eadem specie, sed eadem numero debeat remanere in genito, quæ erat in corrupto. Cum enim non possit aliquid variari numero, nisi secundùm propriũ esse varietur, si enim de hoc fit aliud numero, oportet, vt habeat aliud esse numero designabile, vnde non potest materia de vna fieri alia numero, nisi nouum esse materiæ determinatum ponatur; si autem hoc fiat, sequitur, quòd materia producatur, & corrumpatur in generatione, & consequenter non remaneat commune subiectum, quod com dici non possit, oportet concedere, quòd eadem materia numero

Non esset eadem numero materia in genito, & corrupto si sumeret indiuiduationem à forma.

sit in genito, quæ erat in corrupto. Cæterùm hoc fieri non potest, si materia recipit indiuiduationem à forma; cum enim varietur forma, variabitur etiam indiuiduatio materiæ, & consequenter etiam materia de vna numero fiet alia, quia impossibile est, quòd non varietur effectus formalis variata causa formali, & quòd tãta non sit variatio in effectu, quanta est in causa. Vnde Durand., vt vidimus sect. præcedenti, dicebat, quòd dum alimentum per nutritionem conuertitur in substantiam aliti, materia alimenti variatur indiuidualiter, quia fit sub forma aliti, à qua recipit eamdem indiuiduationem, quam dicit materia eiusdem aliti. Hoc autem concesso, necesse est dicere, quòd etiam in genito materia varietur indiuidualiter, quod est contra fundamentum totius philosophiæ & maximè absurdum, vt de se patet. Atque aliud etiam absurdum sequitur præsertim iuxta explicationem Durandi, nimirum posse agens creatum reproducere materiam corruptam, quod est tamen impossibile, non solùm quia idem non potest naturaliter reproduci sed etiam quia materia non est producibilis, nisi per creationem. Hoc autem sic declaratur. Ponatur, quòd Deus in aliquo viuente corrumpat aliquas partes carnis simul cum materia, quæ subijcitur, deinde ratione alimenti aduenientis ex vi nutritionis reficiantur partes destructæ, tunc iuxta Durandum facta nutritione, quia materia alimenti fiet sub forma aliti, habebit indiuiduationem, & cum eadem forma non sit apta tribuere nisi eamdem indiuiduationem, illa materia erit eadem indiuidua cum ea, quæ prius fuit corrupta, nam habebit eamdem indiuiduationem, & consequenter ex vi huius indiuiduationis materia iam corrupta transiuit de nouo ad esse, quòd fieri non potest absque reproductione.

Materia corrupta esset reproducibilis naturaliter, si indiuiduaretur à forma.

5. ratio.

Materia entitatiuè distinguitur à forma.

VII. Rursus addo quintam rationem, quæ pariter valde efficax est. Materia distinguitur tanquam res entitatiuè à forma, habens propriam entitatem independenter ab ipsa, alioquin desinente forma, desineret etiam materia; quomodo enim perseueraret materia corrupta forma, nisi esset entitas distincta? Deinde quomodo posset materia concurrere tãquam subiectum substentando formam, nisi haberet propriam entitatem, qua substentaret? causa enim materialis debet ex natura sua habere vim substentatiuam contradistinctam ab eo, quod substentatur. Hæc autem vis substentatiua nequit saluari nisi in aliqua entitate, quia debet importare aliquid per se stans, & quod non indigeat substentante, vnde non potest esse modus, quia ipse per se non stat. Hinc autem deducitur, quòd etiam debeat habere suam indiuiduationem cõtradistinctam à forma; cum enim, sit entitatiuè contradistincta à forma, & aliquid physicum in rerum natura, & habeat suum esse determinatum, debet etiam vt contradistincta à forma esse indiuidua, quia omne esse physicum determinatum est etiam indiuiduum. Præterea Indiuiduum est indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio vltima diuisione, vnde non potest diuidi à propria indiuiduatione, quia tunc indiuiduatio esset aliquid aliud ab ipso, & proinde indiuiduum ab eadem indiuiduatione diuideretur ratione propriè indiuiduationis, quia ratione ipsius diuiditur à quocunque; hoc autem esse non potest; vnde nec potest diuidi à propria indiuiduatione, nec recipere indiuiduationem ab eo, à quo diuiditur. cum igitur materia entitatiuè diuidatur à forma: quæ est vltima diuisio, oportet quòd diuidatur ratione propriæ indiuiduatione. Plura alia in confirmationem nostræ conclusionis afferri possũt, sed quæ diximus, eam sufficienter conuincunt.

Indiuiduũ ratione indiuiduationis indiuisum in se, & ab alijs diuisum.

2. conclusio. Formanõ est adæquatum principiũ indiuiduationis respectu cõpositi.

VIII. Secundò dico. Formam non esse adæquatum principium indiuiduationis respectu compositi substantialis. Atq. hæc concl. probari potest ex iisdẽ principiis ex quibus procedũt Auctores oppositæ sententiæ. Ideo enĩ volunt, Formã esse principiũ indiuiduationis, quia vnaquæq. res habet esse à forma cũ autem quod dat esse, det etiã indiuiduationẽ; forma indiuiduabit, quia dat esse. Verũ hinc sequitur; quòd forma sola non possit esse adæquatũ principium indiuiduationis respectu cõpositi: compositũ enim non habet esse adæquatũ à forma; constat namq. essentialiter ex partibus cõponentibus, & tam materia quàm forma ingrediuntur essentialẽ cõstitutionẽ ipsius, ita vt absq. materia nullo pacto possit haberi essentia cõpositi;

Compositum non habet esse adæquatũ à forma.

est

est enim quoddam totum essentiale, ita vt in sua intrinseca ratione inuoluat partes. Cum ergo ab eo sit indiuiduatio, à quo est esse: indiuiduatio compositi non poterit esse tantùm à forma, cum ab ipsa sola, non sit esse com positi. Et confirmari potest hęc ratio ex proportione, quę necessariò seruanda est inter essentiam compositi, & eiusdem iudiuiduationem; cum enim tota essentia compositi indiuiduanda sit, necesse est, vt indiuiduatio cadat supra totam illam essentiam, & habeat eamdem latitudinem. Cum ergo essentia compositi coalescat ex materia, & forma, ita vt sit talis latitudinis, vt extendatur ad vtramq. tanquam ad partes ex quibus coalescit, oportet, quòd indiuiduatio quoq. extendatur ad easdē partes, ita vt cadat supra totam illam essentiam, quæ consurgit ex vtraq. parte: hoc autem non posset esse, si compositum, indiuiduaretur tantùm à forma: quia illa indiuiduatio, quam importaret forma, adęquaret tantùm esse formæ, & ideò non esset sufficiens pro composito; sicuti enim compositum essentialiter acceptum consurgit ex materia, & forma ita compositum indiuiduum debet cōsurgere ex hac materia, & ex hac forma indiuiduis, & proinde ab vtraq. & non à sola forma erit indiuiduatio illius

Qualis debeat esse indiuiduatio compositi.

IX Secundò argumentor. Cōpositū substantiale indiuiduum dicit substantiā completā, & quæ sit omnino determinata in ratione substantiæ, ergo oportet etiā, quòd indiuiduatio ipsius dicat rationē indiuiduationis completā, & quę sit apta terminare substantiā completā. Si autem hæc sumatur à sola forma, nō potest esse apta, vt terminet substantiam completam. Suppono enim, quòd forma non indiuiduet, nisi prout indiuidua est, quia ratione suæ quidditatis non potest indiuiduare, vt in superioribus diximus: tota ergo indiuiduatio, quā potest exhibere forma, erit tantùm indiuiduatio partis, siquidē erit illa, quā forma indiuiduabitur, ergo nō erit indiuiduatio cōpleta, quę possit substantiā completā indiuiduare: sicuti enim cōpleta substātia cōsurgit ex materia & forma, ita etiā cōpleta indiuiduatio debet consurgere ex indiuiduatione materię, & formę, aut saltē importare indiuiduationē ordinatā ad indiuiduandā materiā, & formā. Vnde hinc elicitur confirmatio. In quiro enim, an indiuiduatio formæ, quā indiuiduat compositum, sit ex natura sua ordinata ad indiuiduādam tam materiam, quàm formam, seù illam completam naturam, quæ consurgit ex materia & forma, an verò tantùm formā. Si primum sequitur, quòd compositum, & materia non indiuiduentur per formam, neq per indiuiduationem ipsius, sed per propriam indiuiduationem; illa etenim est propria indiuiduatio compositi, quę ex natura sua ordinatur ad ipsum, sicuti etiam illa est propria indiuiduatio materiæ, quę ad ipsam indiuiduandam ex natura sua ordinatur. Si secundum, tunc sequitur, quòd nequeat talis indiuiduatio indiuiduare compositum; illud enim potest tantùm indiuiduare, ad quod ex natura sua ordinatur, vnde cum non ordinetur ex natura ad compositum, nequaquam poterit illud indiuiduare sicuti enim substantia, & natura completa est ab intrinseco suo indiuiduabilis; ita etiam debet dari principium indiuiduatiuum, quod ex natura sua ordinetur ad ipsam indiuiduandam.

Secunda rat. o.

Indiuiduatio substantię debet esse cōpleta.

Compositu debet indiuiduā ab indiuiduatione ex natura sua ad ipsū ordinata.

Soluuntur rationes oppositę sententię.

SECTIO III.

I. PRo complemento huius disputationis soluemus in hac sect. rationes, quibus confirmabatur prima sententia. Ad primum ergo desumptum ex auctoritate Arist. 2. de Anima tex. 2. Respondetur, Arist. ibi docere, quòd in illo genere entium, quod substantia dicitur, tria reperiuntur, nimirum materia, forma, & compositum: atq. discrimen ponit inter materiam, & formam, quòd materia non est *Hoc aliquid* forma autem maximè. Per *Hoc aliquid*, autem non intelligit indiuiduum, quasi forma sit ratio constituens in esse indiuiduali: sed intelligit, vt ibidem adnertit Albertus Magnus, aliquid perfectum, & completum, & quod sit constitutum in certa, & determinata specie: Vnde tribuit formæ esse *hoc aliquid*, quia ipsa constituit compositum, quod importat certam, & completam naturam; & proinde forma est completa, & perfecta, seu hoc aliquid *vt quo*, quia est constitutiuum completæ, & deter- minatæ

Ad primum.

Arist. illustratus quid significet Hoc aliquid.

rinatę naturæ. Atque hæc expositio valde congruit cum natura materiæ, & formæ: nam cum materia sit pura potentia nihil determinatū importat in ratione naturę, sed solùm rudem quamdam inchoationem determinabilem ad quamcunque naturam: è contra verò forma, cum sit actus, importat aliquid, quo materia determinatur ad certam naturam & quo completur in ratione naturæ & ideo materia non est *Hoc aliquid*, nimirum aliquid determinatum; forma autem maximè. Ad 2. fir. eiusdem argumenti dicitur, verum quidem esse quòd principium indiuiduationis substantiæ debeat esse quid substantiale, & proprium rei, quam indiuiduat, & reddere substantiam hanc numero designabilem; verùm negandum est, hoc competere soli formæ indiuiduæ, quia cum, vt diximus, sit tantùm pars compositi, non potest ab ipsa desumi adæquata indiuiduatio, quemadmodum neque etiam desumitur adæquatum esse: neque ex eo, quòd faciat *Hoc aliquid*, facit indiuiduum, vt modò dictum est.

Ad secundum. quomodo res habeant esse à forma

II. Ad secundum. Cum dicitur, res habere esse à forma, intelligitur de esse essentiali; cum enim materia sit eadem in omnibus secundùm essentiam & sit pura potentia, non importans aliquid determinatum: & è contra forma sit actus importans esse determinatum, & sit diuersa in pluribus, ideo de ipsa dicitur, quòd conferat esse, & distinctionem rebus, quia facit, vt habeant esse determinatum, & in essentia distinguantur. Et hinc inualuit axioma illud *Actus est qui distinguit*, quia scilicet actus substantialis, & essentialis distinguit in specie, & in essentia res quæ in materia sunt immersæ. Cum verò instatur, quòd sicut forma in specie distinguit compositum substantiale essentialiter, ita forma indiuidua debeat distinguere indiuidualiter, id quoque in hoc sensu conceditur, quòd composita substantialia distinguantur indiuidualiter ratione diuersarum formarum indiuidualium; verùm non tanquam per principium adæquatum, quia etiam ratione materiæ distinguuntur, quia licet sit eadem in omnibus secundùm speciem, est tamen diuersa indiuidualiter.

Ad tertium.

III. Ad tertium, quod attulimus ex Zabarel. dicendum est, quòd quamuis materia excludat à se actum cuiuscunque prædicamenti, adhuc tamen habere proprium esse physicum, quo terminat creationem: an autem hoc esse habeat propriam existentiam, non disputamus modò, sufficit enim, quòd materia importet proprium esse physicum, atque huiusmodi esse sit quid positiuum, cum sit pars intrinseca constituens compositum positiuum physicum, quod quidem præstare non posset, nisi haberet esse positiuum. Cum ergo habeat esse positiuum, atque vnitas consequatur esse tanquam passio, oportet, vt habeat suam vnitatem proportionatam, nempe positiuam, atque adeo materia sit positiuè vna. Hæc autem positiua vnitas; non est quæcunque vnitas, sed indiuidualis, quia est vnitas determinatæ rei, & designabilis, atque est maior vnitate essentiali, quia scilicet nedum est secundùm essentiam, sed etiam secundùm esse physicum, quod terminat singularem actionem productiuam. Quare materia quoque habebit suam peculiarem indiuiduationem; vnde ruit totum argumentum Zabarel. quod ex eo procedat, quod materia non haberet propriam indiuiduationem.

Materia independenter a forma sit vna positiuè indiuidua.

IV. Quartum autem argumentum petit explicationem, quomodo, cum vnitas indiuidualis sit maior specifica, & in ipsa fundetur, possit materia concurrere ad vnitatem indiuidualem compositi non concurrendo ad specificam. Pro quo sciendum est, quod vnitas indiuidualis importet etiam vnitatem specificam, & consequenter nequeat aliquid esse vnum indiuidualiter, nisi etiam sit vnum specificè; non tamen necesse est, quod formale constitutiuum vnitatis indiuidualis sit etiam formale constitutiuum vnitatis specificæ, sed sufficit, quod adsit vnitas specifica, in qua indiuidualis fundetur. In casu autem nostro indiuidualis vnitas compositi substantialis fundatur in eiusdem vnitate specifica: & quia indiuidualis vnitas fundatur nedum in forma, sed etiam in materia, oportet etiam, quod vnitas specifica fundetur aliquo pacto in ipsa materia, quia in eodem esse debet fundari vtraque vnitas, cum importet gradus vnitatis subordinatos; quare oportet, quod sicuti materia

Ad quartum.

Quomodo vnitas indiuidualis requirat specificā.

cou-

concurrit ad vnitatem numericam concurrat etiam ad specificam. Vt autem hoc explicemus, id præoculis habendum est, quòd materia simul cum forma constituit, vnam naturam completam; ita vt esse naturæ non minùs requirat materiam, quàm formam; vtramque enim inuoluit tanquam partes essentiales. Cum ergo vnitas consequatur esse, sicuti esse substantiæ completæ materialis fundatur tam in materia, quàm in forma, ita etiam vnitas ipsius specifica. Cæterùm ad hanc vnitatem diuerso modo concurrit materia, & forma, vtpote quia materia est pura potentia substantialis nullam habens determinationem, & est eadem in omnibus; hinc enim fit, quòd non possit concurrere ad vnitatem, vt ratio distinctiua. Vnitas enim duo dicit, & reddere indiuisum in se, & reddere diuisum à quocunque alio, & quamuis, quod reddit diuisum ab alio, reddat etiam indiuisum in se, non tamen quicquid reddit indiuisum in se, reddit diuisum ab alio, quod tunc contingit, quando diuisio ab alio non est secundùm totum esse adæquatum. Quod manifestè videmus metephysicè loquendo in speciebus. Species enim important aliquam essentiam, quæ constat ex genere, & differentia, & vnaquæque habet vnitatem suam, quæ totam essentiam adæquat, non tamen hæc vnitas secundùm se totam distinguit, sed distinguitur esse genericum, & differentiale, atque secundùm illud species non distinguuntur, sed solùm differentiale distinguit. Quia ergo res immersæ in materia non sunt omnino secundùm totum suum esse adęquatum diuersæ, ideo non est necesse, quòd totum id, quod concurrit ad vnitatem, etiam distinguat. Hinc materia, quia non importat aliquod constitutiuum determinatæ essentiæ, neque etiam illas essentialiter distinguit, sed sola forma, quia est actus substantialis determinatiuus naturæ; concurrit nihilominus materia ad constituendam vnitatem essentialem, quia substantia ex vi quoque ipsius non habet in se diuersitatem essentialem, & ideo redditur etiam ex vi illius in se indiuisa. Vnde sicuti solùm materia est inchoatio substantialis naturæ, ita etiam est solùm inchoatio essentialis vnitatis, quæ postea perficitur per formam, & dum perficitur, acquirit etiam distinctionem quia distinctio non est, vt dicebamus, secundùm totum esse adæquatum, & ideo nec vnitas debet secundùm se totam distinguere. Hinc etiam patet falsum esse principium vnitatis indiuidualis debere esse principium vnitatis essentialis: quia sicuti vnitas indiuidualis supponit essentialem, in qua fundetur, ita etiam principium vnitatis indiuidualis supponit principium vnitatis essentialis.

Quomodo materia concurrat ad vnitatem.

V. Ad quintum, quod erat Durandi, dicendum est Materiam ex eo quòd est pura potentia substantialis, importare aliquod esse sibi communicatum per productionem creatiuam, atque hoc esse est per se subsistens, non indigens aliquo, à quo sustentetur; vnde falsum est, quòd non habeat aliquod esse, sed tantùm posse esse, vt volebat Durand. Hinc falsum est, quòd materia ex se nullam habeat identitatem, aut diuersitatem, quia nullum habet esse, sed totum recipiat à forma: quia sicuti habet proprium esse, quò terminat creationem, ita etiam habet propriam vnitatem, & distinctionem; & idcirco ratione diuisionis entitatiuæ poterit vna materia esse diuersa ab alia indiuidualiter. Ad sextum eiusdem Durandi. In nutritione sicuti alimentum conuertitur in substantiam viuentis, ita etiam ipsi viuenti adduntur nouæ partes materiæ, illæ nimirum, quas importat alimentum, quæ tamen continuantur cum alia materia: atque, si in viuente adsit forma diuisibilis, vt ego existimo adesse in omnibus viuentibus propter formas partiales subordinatas ipsi animæ, acquiruntur etiam in nutritione nouæ partes formæ, quæ educuntur ex materia alimenti: vnde falsum est, quòd in illo argumento supponit Durandus, nimirum nec posse acquiri nouas partes formæ, nec nouas partes materiæ, quia materia præcisa singularitate, quam recipit à forma, non habeat partes, habet enim singularitatem, & partes independenter à forma: & in viuentibus dantur formæ diuisibiles. Quomodo autem his non obstantibus remaneat idem numero viuens, est alterius loci: nunc sufficit, in nutritione subire aliquam mutationem, ita vt non sit omnino prorsus idem.

Ad quintum.

Quomodo materia habeat proprium esse & vnitatem.

Ad sextum.

An existentia sit principium indiuiduationis.
Disput. XXXIX.

Auctorum sententiæ.

SECTIO I.

I. DVm principium indiuiduationis inquirimus, alia dubitatio sese nobis offert, an nimirum sit existentia, ita vt vnaquæque res per propriam existentiam indiuiduetur. Et quia in superioribus exclusimus, quòd neque quantitas, neque materia siue nudè sumpta, siue signata quantitate, neque forma sit indiuiduationis principium respectu substantiæ materialis, iam oportet quòd substantia materialis indiuiduetur per aliquid, quod etiam sit commune substantiæ immateriali, quia exclusa materia, & forma secundùm rationem materiæ, & formæ, atque etiam quantitate, iam substantię materiali nihil remanet peculiare, quo indiuiduari possit, vnde indiuiduabitur per aliquid commune etiam immateriali, & consequenter, in substantijs quoque separatis dabitur propria indiuiduatio. Quapropter inquirentes modò de principio indiuiduationis, extendere possumus quęstionem etiam ad substantias immateriales.

1. opinio Existentiã esse principium indiuiduationis.

II. Est ergo quorumdam opinio, quam refert Scot. in 2. dist. 3. quæst 3. existimantium, Existentiam actualem esse principium indiuiduationis, & proinde non esse quærendum aliquod aliud principium, quia eo ipso, quòd habent res existentiam, habent etiam formaliter per ipsam indiuiduationem. fundatur in eo hæc opinio, quoniam omnia existentia sunt indiuidua, & quòd non est indiuiduum non potest existere; & productio, quæ communicat esse actuale, & facit existens eo ipso communicat esse indiuiduum; quia de se est communicatiua tantùm esse indiuidui, non alia ratione, nisi quia eo ipso, quòd res determinatur ad existentiam, determinatur etiam ad esse indiuiduum. Præterea quemadmodum docet Arist. 7. Metaph. tex. 49. Actus est ille, qui separat, & distinguit, ita vt in vnoquoque genere possit haberi distinctio solùm per actum illius generis, vnde vltima distinctio debet esse per vltimum actum: verùm indiuidualis distinctio est vltima distinctio, & proinde debet haberi per existentiam quia est vltimus actus, nam posita existentia, entitas illa non est capax alterius actus, quem dicat intrinsecè. Arist.

III. Secunda verò opinio est cuiusdam Recentioris, qui ait, Existentiam esse principium indiuiduationis dupliciter contingere posse; primò quidem tanquam principium formale constitutiuum indiuidui, ita vt sit ratio formalis, per quam res indiuiduetur; altero autem modo tanquam principium radicale, ita vt sit radix, ex qua consequatur indiuiduatio. Asserit ergo Essentiam quidem esse radicem, ex qua consequitur indiuiduatio, verùm esse radicem remotam: proximam autem radicem esse existentiam, vtpote quia ab ipsa immediatè sequitur. Probat autem primò, quia vnitas indiuidualis fundatur in esse rei tanquam in radice, ita vt ex eo, quòd res habet esse, sit etiam indiuidua; verùm existentia est vltima ratio constitutiua rei in suo esse, & proinde indiuiduatio fundabitur immediatè in ipsa tanquam in radice immediata. Præterea si consideretur natura solùm secundum essentialia præcisa existentia, præscindit ab indiuiduatione, & est communicabilis multis; posita autem existentia fit incommunicabilis, & ita indiuisa in se, vt sit etiam diuisa à quocunque alio, ergo existentia est proxima radix indiuiduationis, si quidem ex vi illius immediatè sequitur, quòd sit indiuidua. Tertiò indiuiduatio non ingreditur esse rei, sed est extra ipsum tanquam quid consequens; existentia verò ingreditur esse rei, atque vltimò complet, & proinde res vnaquæque ratione existentiæ possibilis subseruitur potentiæ agentis, & ratione existentiæ actualis constituitur terminus illius; ex hoc verò fit, quòd

2. opinio Existentiã esse radicale principium.

sit

sit immediata radix indiuiduationis; indiuiduatio enim possibilis consequitur rem potentem existere, & indiuiduatio actualis rem actualem.

Tertia opinio Existentiam non esse principium indiuiduationis. Scot. Anton. Andreas Barolis. Lychet. Fonseca Suarez. Auersa. Meurisse.

IV Tertia autem opinio communis est, & negat existentiam esse principium formale indiuiduationis. Hanc autem opinionem inter alios tradunt, Scot. in 2. dist. 3. q. 3. Anton. Andreas, Barsolis, Lychet. & coeteri Scotistæ ibid. Fonseca 5. Metaph. cap 6. quæst. 2. sect. 1. Suarez in Metaph. disp. 5. sect. 5. Auersa in Logica quæst. 9. sect. 3. Meturisse 2. Metaph. cap. 3. quæst. 6. conclus. 8. Loquuntur autem de existentia actuali, & arguunt ex eo, quòd existentia contingenter prædicatur de indiuiduis, indiuiduatio autem prædicatur per se, & proinde nequit existentia esse ipsorum indiuiduatio. Verùm non rectè procedunt, quia si loquimur de existentia actuali, & eam comparemus cum indiuiduis in actu positis, certè per se illis conuenit, & necessariò de ipsis prædicatur, quia supposita eorumdem actualitate, necessariò existunt. Rursus si loquamur de existentia possibili; hæc quoq. necessariò conuenit indiuiduis possibilibus, ita vt per se de ipsis prædicetur. Vnde posset aliquis dicere, existentiam esse principium indiuiduationis, ita vt existentia possibilis indiuiduet indiuidua possibilia: actualis verò indiuiduet actualia, & hoc pacto euacuabitur huiusmodi difficultas, quæ prouenit ex contingentia existentiæ.

Existentiam non esse principium indiuiduationis.

SECTIO II.

I. IN hac difficultate procul dubio veram existimo tertiam sententiam, non solùm propter communem consensum Auctorũ, sed etiã quia ratio ita suadere videtur. Vt igitur eã declaremus, aduertimus, non omnino inter se Auctores conuenire circa vsurpationẽ huius termini *Existentia* quãdo loquuntur de existentia substantię. Quidam enim per existentiam intelligunt, actum illum, quo vnaquęque res ponitur extra causas, & per quem formaliter terminat actionem producentis. Alii verò per existentiam intelligunt ipsam subsistentiam naturæ substantialis, qua vltimò terminatur, & constituitur in ratione suppositi, quam ideo vocant existentiam, quia facit naturam existere in se, & non in alio; vnde non pauci ex hac acceptione vsurpantes existentiã; docuerunt, Verbum diuinum in incarnatione assumpsisse naturam humanam absq. propria existentia, quia eam assumpsit absq. propria subsistentia; qua cõstitueretur in ratione suppositi. Hinc autem fit, Indiuiduum quoq. substantiæ considerari posse, vel in ratione indiuidui precisè, prout scilicet importat naturam pluribus incommunicabilẽ per modum superioris; vel prout dicit primam substantiam omnino completam, & terminatam in esse substantiali, seù in esse suppositi constitutam. Atq. si hoc secundo modo indiuiduum substantiæ accipitur, certum est ad eius indiuiduationem concurrere existentiam, prout per ipsam suppositalis subsistentia significatur, tanquam formale constitutiuũ; quia cum, vt tale indiuiduum est, importet suppositum, & per talem subsistentiã formaliter constituatur in ratione suppositi, iam principium formale indiuiduationis erit existentia. Verùm non sumimus indiuiduum hoc pacto, sed priori modo, scilicet pro substantia incommunicabili pluribus per modum superioris, ita vt adhuc præcisa suppositatione sit indiuiduum, quemadmodũ est indiuidua natura humana assumpta à Verbo, quamuis careat propria subsistentia suppositali; & inquirimus, an indiuiduetur per existẽtiam, prout existentia dicit actum illum siue physicum, siue metaphysicum, quo vnaquæq. res constituitur extra causas.

Duplex acceptio indiuidui substantiæ.

II quamuis ex ijs, quæ sumus modo dicturi, patebit, quòd si existentia, ponatur in re distincta ab essentia, non potest esse principium indiuiduationis; hoc tamen nunc quoq. aduertimus, antequam vlterius progrediamur. Et ratio specialis est, quia si existentia distingueretur à parte rei ab essentia, deberet essentia comparari ad ipsam, tanquam subiectum ad suum actum; atq. deberet existentia se habere respectu essentiæ, vt quid singulare, & incommunicabile, alioquin illam non indiuiduaret. Verùm hinc fit, quòd subiectum illius, siue essentia debeat habere propriam indiuiduationem independenter, ab existentia, nam habet independenter

Si existentia distinguatur a parte rei ab essentia, nequit esse principium indiuiduationis.

ab eo, quod recipit, totum id secundùm quod concurrit ad recipiendum, vtpote quia secundùm id, quo se exhibet vt subiectum, præcedit saltẽ natura id, quod recipit; verùm secundùm esse singulare debet se exhibere vt subiectum, actus enim singularis requirit subiectum singulare; & ideo non potest subiectum indiuiduari ab eo, quod recipit. Quod etiam ex eo confirmatur, quia cum distinguatur à parte rei, necesse est, vt distinguatur secundùm esse entitatiuum, atq. adeo distinctione indiuiduali; quomodo autem distinguatur, nisi per suam indiuiduationem distinguatur? Deniq. indiuiduatio nequit in re distingui ab indiuiduo, vt patebit ex ijs, quæ infra dicturi sumus.

Prima cõclusio

Existẽtia non est principiũ indiuiduationis.

III. His ergo adnotatis, ponimus nostram primam conclusionem, in qua statuimus; Existentiam non esse principium formale indiuiduationis cuiuscunque rei, siue substantia sit, siue accidens. In hoc autem sensu accipimus conclusionem, quòd existentia actualis non sit principium indiuiduationis indiuiduorum actualium, & existentia posibilis non sit principium indiuiduationis respectu indiuiduorum posibilium. Hæc autem conclusio probatur ex eo, quod principium indiuiduationis, debet, dum se exibet, coarctare, & determinare naturam, vt incommunicabiliter se habeat & sit hęc numero disignabilis; existentia autem nullum ex his præstat, non enim coarctat naturam, vt sit hæc numero designabilis, quia ex se non importat rationem coarctatiuam, & limitatiuam, sed tantùm rationem quandã, qua res sit in actu extra causas, neq. distinguit vnum indiuiduum ab alio, quia extrahere rem extra causas, non est formaliter distinguere: totus autem effectus formalis, quem exhibet in eo cõsistit, quòd ponat rem in actu.

Existẽtia non exhibet, quod exhibet indiuiduatio.

Secunda ratio.

IV. Atque hinc secundam rationẽ deducere posumus. Vt enim existentia indiuiduaret, necese eset, quòd participaret rationem formalem indiuiduationis; alioquin quomodo indiuiduaret, nisi eßet indiuiduatio? vt enim hebeatur aliquis effectus formalis, necesaria est simpliciter causa formalis. Quapropter ad instituendum indiuiduum requiritur causa formalis, quæ vt quo sit talis, quale est ipsum, nẽpe incommunicabilis pluribus per modum superioris, terminatiua naturæ cõmunis, diuisiua vnius ab alio vltima diuisione, quæ omnia explicantur per id, quòd sit formaliter indiuiduatio. Verũ ratio formalis existentiæ non est formalis ratio indiuiduationis, sed alia ratio longè diuersa, quod patet ex conceptu, quem dè vtraq. formamus, aliquid enim diuersũ quãdo cõcipimus existentiã, ac quando concipimus indiuiduationem, ita vt formalitas vnius nõ sit formalitas alterius, & inuicem negari possunt: nec alio meliori mõdo conuincitur, quòd diuersæ sint, nisi ex diuerso conceptu, quem formamus, vt pote quia non habent causam aliquam necesariam suæmet diuersitatis; quam proprium ese intrinsecum quidditatiuum: hinc neque meliori modo conuincimus, hominem differre à leone, nisi quia diuersum conceptum de vtroq formamus. Ex hac autem diuersitate conceptus oritur diuersitas definitionis, quia definitio explicat id, quod concipimus: hinc diuersa est definitio existentiæ & indiuiduationis. Illa enim definitur quòd sit id, quod rem facit in actu, Indiuiduatio verò terminus naturæ communis reddens ipsam incommunicabilem pluribus. Cum igitur existentia non sit ratio formalis indiuiduationis, nec etiã potest esse principium indiuiduans.

Existẽtia non dicit rationem formalẽ indiuiduationis.

Diuersa quidditas existẽtiæ, & indiuiduationis.

Tertia ratio.

V. Tertiò probatur existentia, quãtùm est ex vi suæ rationis formalis, non constituit aliquem peculiarem gradum in linea prædicamentali, neq enim existentia ponitur in prædicamento tanquam aliquis gradus illius coordinationis determinans genericos gradus, aut specificos; sed transcendit per omnes gradus, vtpote quia, cum faciat in actu totam quidditatẽ, quæ inuoluit omnes gradus illius coordinationis, debet veluti superfundi omnibus gradibus, vt faciat eos existere; hinc ordo ad existẽdum, per quem importatur existentia posibilis, est intrinsecus, & intimè imbibitus in quolibet gradu essentiæ; neque enim intimè imbiberetur in tota essentia, nisi imbiberetur in singulis gradibus. E contra autem indiuiduatio impòrtat gradum prædicamentalem, nẽpe vltimum; est enim ratio quædam, quæ vltimò complet naturam communem: vnde constituit etiam fundamẽtum totius coordinationis prædicamentalis, de quo in recto tanquam quid superius

Existentia non est peculiaris gradus coarctatiuus prædicamentalis, sicut indiuiduatio maximè.

præ-

prædicantur cœteri gradus ſi in concreto ſumantur: & proinde non eſt ex vi ſuæ rationis formalis imbibita in ſingulis gradibus, ſed extra omnes. Ex his ergo patet, quòd aliud ſit exiſtentia, & aliud indiuiduatio, & proindè non poſſit exiſtentia eſſe principium indiuiduationis.

Quarta ratio.

VI. Quartò prob. concluſio, excludendo à principio indiuiduationis tum exiſtentiam actualem, tum etiam poſſibilem. Et quidem quod ſpectat ad actualem, patet, non poſſe eſſe indiuiduationis principium: optimè enim ſaluari poteſt indiuiduatio, ſeu indiuiduum cum ſua indiuiduatione abſque actuali exiſtentia, vt ſi quis concipiat indiuidua præſcindendo ab actuali exiſtentia, vt contingit, ſi concipiantur indiuidua poſſibilia, quemadmodum eſſet Antichriſtus; & hoc contingit in beatis, qui cognoſcunt ſingularia poſſibilia, quæ Deus facere poſſet, & illa cognoſcunt abſq. actuali exiſtentia. Vnde cum impoſſibile ſit, concipi effectum formalem abſq. cauſa formali, concludendum eſt, exiſtentiam actualem non poſſe eſſe indiuiduationis principium. De exiſtentia verò poſſibili etiam oſtēditur, quoniam in hoc ſolùm differt ab actuali, quòd non dicit eſſe actu extra cauſas, ſed tantùm poſſe eſſe; vnde ſic argumentor. Eſſe actu extra cauſas non eſt ratio formaliter indiuiduans, ergo neq. poſſe eſſe extra cauſas; ſeu exiſtentia actualis non indiuiduat, ergo neq. poſſibilis. Conſeq. hæc probatur, quoniam tota ratio formalis exiſtentiæ, ſiuè poſſibilis, ſiue actualis reducitur ad id, vt ſit ratio ponens extra cauſas rem illam, cuius eſt exiſtentia; actualis enim actu ponit, poſſibilis verò poteſt ponere: vnde ſi quocunque modo exiſtentia habet indiuiduare, debet ſecundùm hanc rationem indiuiduare: verum ſi ſecundùm hanc rationem indiuiduaret, exiſtentia quoque actualis indiuiduaret, & ideo cum actualis non indiuiduet, nec etiam poſſibilis indiuiduare poterit. Præterea Indiuidua poſſibilia verè, & actu ſunt indiuidua, non quidem quòd exiſtant, vt indiuidua, ſed quia actu habent in ſe effectum formalem indiuiduationis. Hinc autem fit, quòd debeant includere principium indiuiduationis, quod talem effectum exhibeat, formali modo in ipſis ſe habens, & ſecundùm ſuum proprium actum. Verùm exiſtentia non poteſt reperiri in indiuiduis poſſibilibus ſecundùm eſſe actuale, ſed ſolùm potentiale; non enim actu habent exiſtentiam, ſed ſolùm poſſunt habere; & proinde cum ſint indiuidua formaliter, & actualiter, nec in illis ſit actualiter exiſtentia, ſed ſolùm potentialiter, dicendū eſt, nō indiuiduari per exiſtentiā poſſibilem, aut actualem, ſed per aliquid aliud.

Indiuiduatio ſaluatur abſque exiſtentia actuali.

Exiſtentia poſſibilis nō indiuiduat.

Indiuiduatio actu reperitur in indiuiduis poſſ.

Poſſibilibus, non autē exiſtentia.

Quinta ratio.

VII. Denique pro hac concluſione poſſumus argumentari. Exiſtentia, quantum eſt ex natura ſua, eſt quid cōmune pluribus: reperitur enim in ſingulis indiuiduis, neque ex vi ſuæ rationis formalis eſt ratio diſtinguendi indiuidua, quippe conueniunt in eo, quòd habeant exiſtentiam, neque in ſe eſt diuiſa, ſed vna ſimplex ratio: & proinde quantùm eſt ex vi exiſtentiæ vt ſic, ſicuti non poteſt diſtinguere indiuidua, ita neque poteſt eſſe principium indiuiduationis. Præterea exiſtentia, vt præcisè conſiderata abſque eſſentia, non habet aliquas differentias, quibus conſtituat ſuam coordinationem prædicamentalem, quia præter coordinationem eſſentiarum non datur aliqua alia prædicamentalis coordinatio, neque poſſibile eſt excogitare gradus, qui dicant aliquas determinatas formalitates, quemadmodum dicunt gradus eſſentiæ, quibus talis ſeries coordinetur. Sed ex parte exiſtentiæ, vt contradiſtinctæ ab eſſentia, nihil aliud reperitur, quàm ſimplex ratio formalis exiſtentiæ, & nihil aliud, quia tota differentia, quam tribuimus exiſtentijs, vt quòd ſint per ſe, vel in alio, habetur ratione eſſentiæ. Cum igitur ex parte exiſtentiæ non ſint diuerſi actus, nec ex ſe importet formaliter diſtinctionem, quomodo poterit indiuiduando eam cauſare in indiuiduis? Deinde ſicuti eſſentia independenter ab exiſtentia habet ſuos gradus eſſentiales, & ſuam diuiſionem, qua in inferiora diuiditur, vt ſunt genera, & ſpecies, debet ſimiliter independenter ab exiſtentia habere complementum diuiſionis, nempe indiuiduationem, qua vltima diuiſione diuidatur in inferiora: non enim exiſtentia eſt aliquis gradus huius coordinationis, quia de ſe eſt communis pluribus, & proinde non poteſt eſſe

Exiſtentia non poteſt eſſe ratio diſtinguēdi indiuidua.

Non ingreditur coordinationem prędicamētalē.

vltimus; sed nec aliquis superior, quia superiores sunt gradus essentiæ. Denique cum existentia, sit ex se pluribus communis, indiget indiuiduatione, vt fiat hæc numero, non secus ac indigeant cæteræ communes rationes, & consequēter respectu quoque ipsius concedendum est principium indiuiduale: quodnam igitur erit? num adhuc existentia? certè hoc dici non potest, quia nec existentia potest indiuiduari per aliam existentiam, alioquin ex se ipsa esset indiuidua; nec extra communem rationem existentiæ datur alia existentia: vnde concedendum est aliquod principium indiuiduans, quo existentia indiuiduetur; quod etiam pariter assignari potest ex parte cuiuscūque naturę communis. Et hinc sequitur, quòd existentia secundùm rationem existentiæ nequeat indiuiduare, quia non est incommunicabilis pluribus, quale debet esse principium indiuiduationis: nec etiam ratione indiuiduationis, quam dicat, quia per illam ipsa indiuiduabitur, non autem aliud indiuiduabit, cum ad solam existentiam indiuiduandam sit ordinata.

Secunda conclusio. VIII. Secunda conclusio. Neque existentia simul cum essentia est radix, ex qua immediatè sequatur indiuiduatio, ita vt existentia sit ratio magis proxima, & immediata. *Existentia nō est rad. eale principium indiuiduationis.* Hæc conclusio non melius confirmatur, quàm ex eo, quòd indiuiduatio natura sua est prior existentia, ita vt existentia supponat indiuiduationem, & proinde nequeat indiuiduatio originari ab ipsa neque enim prius originari potest à posteriori. Quòd autem existentia supponat indiuiduationem, ex eo conuincitur, quòd existentia ex natura sua est vltimus actus quo res constituitur extra causas; vnde quia ordinatur ad ponendam rem extra causas, necesse est, quòd supponat esse rei, cui exibeat suum effectum, *Existentia supponit esse rei cōpletum* extrahendo ipsum extra causas. Et hoc etiam verum est in existentia possibili, nam possibilis existentia non est aliud, quam ordo ille, quem dicunt possibilia ad existendum, seu potentia ad existere; hic autem ordo, cum sit alicuius ordo, debet necessariò supponere id, cuius est ordo, nempe rem, quæ potest existere; & manifestè patet, quòd supponat existentiam tanquam eam, quæ potest existere; ordo enim ad existendum fundatur in esse, quod potest fieri existens; & prouenit ex eo, quòd tale esse importet aliquid, quod in se ipso, non inuo'uat implicantiam. Verum sicuti existentia possibilis supponit esse, quod ordinatur per ipsam ad existentiam, ita etiam supponit esse completum, vt etiam similiter supponit existentia actualis; nam non potest fieri res existens, nisi habeat omnes illos gradus, quibus entitas ipsius completur intrinsecè, non enim potest fieri existens sola animalitas absque rationalitate, & cæteris gradibus, quibus illa entitas completur; existentia enim trahit ad existendum vnam aliquam entitatem, & proinde cum in illa entitate identificentur omnes gradus necessarij ad illius constitutionem, ex vi huius identificationis trahit etiam ad existendum omnes gradus: quod valet etiam in existentia possibili proportionaliter. Ceterùm inter alios gradus, qui necessarij sunt pro complemento cuiuscunque entitatis, requiritur indiuidualis; non enim natura est omnino completa in suo esse absque indiuiduatione, cum adhuc sit determinabilis, & detur modus essendi, qui importet gradum inferiorem, quo possit determinari; & proinde de indiuiduatio spectat ad complementum ipsius, atque adeo supponitur ab existentia tum actuali, tum possibili. Cum igitur supponatur ab existentia, quomodo poterit esse radix illius.

Soluuntur rationes aliarum sententiarum.

SECTIO III.

I. Qvod spectat ad primam rationem pro prima sententia, eius solutio desumitur ex dictis modò in posteriori conclusione. *Ad primam primæ sententiæ.* Sed prius est aduertendum, aliud esse, quòd aliquid sit tale formaliter, aliud autem, quòd sit tale consecutiuè. Cum enim aliquid est tale formaliter, est tale ex vi eiusdem formalis rationis, qua ipsum constituitur, nec interuenit aliqua

prio-

aliqua prioritas, aut posterioritas inter ipsum simpliciter, & prout tale est: quando verò est tale consecutiuè, quã uis reperiri non possit, nisi sit tale, est tamen tale ex vi alterius formalitatis, & interuenit aliqua posterioritas, & prioritas; sic quamuis nullus sit homo, qui non sit risibilis, quia tamen homo non est risibilis formaliter vt homo est, sed consecutiuè, ideo est talis ex vi alterius rationis formalis, & inter ipsum, vt homo est, & vt risibilis est, adest prioritas, & posterioritas. Ad argumentum ergo dicimus Nihil posse existere, quin sit indiuiduum, & productionem quamlibet semper terminari ad aliquod indiuiduum. Verùm non hoc ex eo prouenit, quòd indiuiduatio, & existentia sint idem formaliter, sed quia omne existens est indiuiduum consecutiuè, non quidem quia indiuiduatio consequatur ab existentia, sed quia existentia supponit indiuiduationem, tanquam aliquem gradum, qui pertinet ad completum esse rei; vnde sicuti à posteriori ex eo, quòd homo est risibilis, colligimus esse rationalem, ita etiam ex eo, quòd aliquid existat, vel possit existere, colligimus esse indiuiduum, quia existentia vtroque modo accepta fundatur in esse indiuiduali: & proinde falsum est, quòd prius determinatio fiat ad esse existens, quàm ad indiuiduale, aut quòd ad vtrumque eadem determinatione formaliter determinetur.

Ad secundum. II. Ad secundum dicendum est. Veram quidem esse doctrinam Arist. Actum nimirum esse illum, qui separat, & distinguit: verùm quia diuersi sunt actus, hoc accipiendum est cum limitatione illa, quæ in eodem argumento insinuatur: vt nimirum quilibet actus distinguat intra suum genus: hinc actus substantialis non potest distinguere intra accidens, nec actus accidentalis intra substantiam, quasi distinctio, quæ contingit inter substantiam, & substantiam habeatur ab actu accidentali, aut è contra. Hinc autem fit, quòd distinctio indiuidualis non possit esse ab aliquo gradu essentiæ, vtpote quia esse indiuiduale est extra essentiam, & proinde debet necessariò prouenire ab aliquo actu, qui sit intra esse indiuiduale.

Actus separat, & distinguit in suo genere.

Vnde vlterius hinc sequitur, quòd neque etiam prouenire possit ab existentia: neque enim existentia est aliquis actus, quod sit intra esse indiuiduale. Cum enim nihil possit esse intra aliquod genus, nisi participet rationem illius generis; neque etiam potest aliquid esse intra esse indiuiduale, nisi participet rationem talis esse: ratio autem, per quam inchoatur esse indiuiduale, est indiuiduatio; existentia verò non participat rationem indiuiduationis vt patet ex diuerso conceptu, quem de indiuiduatione, & existentia formamus, & ex diuersa definitione.

A quonã actu debeat esse distinctio indiuidualis.

III. Cum verò instatur, quòd indiuidualis distinctio est vltima, & proinde debet esse ab vltimo actu, qui est existentia: respondetur, diuisionem indiuidualem debere esse ab vltimo actu illius ordinis, in quo ipsa reperitur, non verò ab actu alterius ordinis. Diuisio autem indiuidualis est quædam diuisio, qua natura communis diuiditur in plura, quorum singula illam naturam participant. vnde est diuisio superioris in inferiora, & ad hoc genus diuisionis debet reduci, & fieri per actum, qui intra talo genus reperiatur. Quia autem indiuidua non possunt amplius diuidi in alia inferiora, ideò diuisio, qua natura diuiditur in ipsa, est vltima diuisio. Fit autem diuisio superioris in inferiora per actus contractiuos rationis superioris ad esse magis determinatum, & per rationes, quæ ex natura sua sint minus vniuersales diuiso; alioquin nisi essent minus vniuersales, quomodo coarctarent? Quare vltimus actus coarctiuus intra hanc seriem rationum superiorum, & inferiorum erit ille, a quo proueniet indiuidualis distinctio. Hic autem actus vltimus non est existentia, quod satis patet ex eo, quòd, vt dicebamus modò, debet hic actus vltimus ex vi suæ rationis formalis minus patere, quàm diuisum quemadmodum videmus differentias minus patere, quam genus: existentia verò non minus patet, quam natura communis ex vi suæ rationis formalis, quia secundùm eamdem rationem reperitur in omnibus indiuiduis, nec reddit ex vi suæ formalitatis na-

Qualis sit indiuidualis distinctio.

Existentia non est actus separans indiuidualiter.

naturam ita vltimò terminatam, vt euadat incommunicabilis pluribus inferioribus; sed solùm habet eam facere extra causas. Sola verò indiuiduatio dicens rationem formalem diuersam ab existentia est huiusmodi actus vltimò terminans naturam communem. Existentia autē dicitur vltimus actus nō intra certā lineā prædicamentalē, & intra gradus diuisiuos rationis superioris, sed solùm respectu possibilitatis, & essentiæ, quatenus facit, vt vltimò ponatur in esse, ita vt habeat ex vi ipsius totum id, quod potest à primo ente per essentiam participare.

Ad primum secundæ sententiæ.

IV. Ad primùm verò pro secunda sententia dicendum est, indiuiduationē posse dupliciter considerari, vel tanquā determinatiuum naturę cōmunis, quo determinatur ad esse incommunicabile; vel tanquam talem vnitatem. Primo modo importat quemdam gradum entis intra seriem prædicamentalem, quo vltimò compleatur rerum essentia, vtpote quia per ipsum terminatur incommunicabiliter, ita vt nequeat aliis inferioribus communicari. Altero modo importat passionem talis entis, cum enim vnitas ex genere suo sit passio entis, talis vnitas erit passio talis entis. Vnitas autem indiuidualis tanquam passio considerata fundatur in esse indiuiduali, nempè in illo gradu entis, quo vltimò natura terminatur. Et ideo cùm in argumento dicitur, quòd vnitas indiuidualis fundatur in esse rei, verum est, si intelligatur de esse rei completo per gradus prædicamentales, ita vt indiuidualis sit ratio fundandi talem vnitatem, non autem si intelligatur de esse existentiæ, quia passiones, quæ per se alicui conueniunt, ei conueniunt independenter ab existentia: & sicuti existentia est posterior gradu indiuiduali ita etiam vnitate indiuiduali. Neque verum est, quòd existentia constituat rem in suo esse, quasi ipsi conferat esse aliquod intrinsecum, sed solùm dicitur constituere in suo esse, quia facit, quòd esse rei sit in actu, si loquamur de existentia actuali, aut possit esse in actu, si loquamur de possibili.

Indiuiduatio importat gradum entis, & passionem entis.

Ad secundum.

V. Ad secundum dico, ideo posita existentia naturam esse indiuiduam; quia, vt diximus, existentia siue actualis, siue possibilis supponit indiuiduationem, atq. adeo non potest poni existentia, nisi sit posita indiuiduatio. Cum autem dicitur, quòd si natura concipiatur solùm secundùm essentialia, præscindendo ab existentia, tunc præscindit etiam ab indiuiduatione, ideo hoc contingit, quia in tali præcisione separatur etiam ab indiuiduatione; Verùm potest concipi natura indiuiduata præscindendo à sola existentia; et quidem de actuali patet, quando concipiuntur possibilia; de possibili verò tunc continget, si concipiantur eadem possibilia secundùm esse incommunicabile, quod habent in seipsis, nihil cogitando de illo ordine, quem dicunt ad existendum: & ideo falsum est, quòd natura nequeat præscindere ab existentia, nisi etiam præscindat ab indiuiduatione.

Indiuid. si po[...] ... test præscin[di] ab existentia possibili.

Ad tertium.

VI. Ad tertium, cum dicitur, Indiuiduationem non ingredi esse rei, id cōcedendum est, si intelligatur de esse rei essentiali: est enim indiuiduatio omnino extra essentiam, vt patet, quando cum omnibus essentialibus concipitur natura communis præcisa ab omni indiuiduatione, & indifferens ad plura. Sed si intelligatur de esse rei omnino completo; id absolutè negandum est; nam vt in superioribus diximus, indiuiduatio importat gradum entis, quo vltimò natura compleatur; & constituitur in statu tali, vt habeat esse physicum, quod existit, aut potest existere. E contra autem existentia nedum ingreditur essentialem constitutionem rei, sed neq. esse omnino completum, cum independenter ab ipsa habeatur; sed importat quamdam rationem, quæ integro esse rei superfunditur, & iam in seipso per diuersos gradus entis constitutum facit existens, aut actualiter, aut possibiliter. Et hoc pacto est extra esse rei: & solùm pertinet ad esse rei, quatenus tribuit actualitatem, quę tamen supponit rem in se ipsa constitutam, quò ad esse intrinsecum. Dicitur autem existentia possibilis substernere rem potentiæ agentis, quia eam ordinat ad existendum, & recipiendum esse actuale, non quia vt intrinsecum constitutiuum constituat in seipsa: & pari modo actualis existentia facit rem terminum productionis, quia ratione ipsius terminat productionem: & ideo falsum est, indiuiduationem consequi existentiam, vt iam patet ex dictis.

Quomodo indiuiduatio ingrediatur esse rei.

Existentia est extra esse rei & quomodo ad ipsum pertineat.

An

An principium indiuiduationis sit aliquid realiter superadditum. Disp. XL.

Principium indiuiduationis non importare solam negationem.

SECTIO I.

I. CVm neq. quantitas, aut aliud accidens, neque materia, neq. forma, neque existentia sint principium indiuiduationis, vt in superioribus constitutum est: videtur hinc inferri, debere consistere in aliquo superaddito realiter rei indiuiduæ. Sed antequam aliquid de hoc constituamus; determinandum est, principium indiuiduationis consistere in aliquo positiuo propter Gandauens. qui quodlib. 6. quæst. 7. vult, naturam constitui in esse indiuiduali per aliquid negatiuum. Explicat autem hoc pacto, quòd sicuti vnitas ex genere suo importat negationem diuisionis, ita talis vnitas importat negationem talis diuisionis; quamobrem cum indiuiduatio sit quædam vnitas, importabit negationem talis diuisionis, nimirum illius, quæ fit per communicationem pluribus inferioribus. Mouetur autem primò. quia si substantia indiuiduaretur per aliquod positiuum, vel hoc positiuũ esset materia, vel forma, vel aliquod accidens: non materia, aut forma, quia vel hæ sũt per se indiuiduæ, vel non. Nō primũ, quia natura quoque esset per se indiuidua, et proinde non indigeret indiuiduatione; si ergo secundum, non possunt indiuiduare, quia non habent, quo indiuiduent; rursus materia est indeterminata ad hoc, vel illud indiuiduum. Nec etiam dici potest, quòd sit aliquod accidens, quia omne accidens supponit subiectum indiuiduum, in quo est. Secundò. si principium indiuiduationis esset aliquid positiuum, vel esset illa entitas, quam dicit indiuiduum; et hoc dici non potest, quia cum dicitur; *Indiuiduum est vnum*, esset nugatio: vel aliqua alia entitas, e tunc essent duæ entitates in vnoquoque in diuiduo. Tertiò indiuiduum est etale formaliter per indiuisionem; indiuisio autem non est aliud, quàm negatio diuisionis.

Gandauensis opinio de principio indiuiduationis.

II. Communiter tamen reijcitur hæc sententia, tanquam ea, quæ non assignat verum principium indiuiduationis, quod satis colligitur ex supra citatis Auctoribus, qui variè conantur assignare principium indiuiduationis positiuum; quos non est opus hic recensere, cum in superioribus videri possint, & alios etiam infra citabimus. Ex professo autem eam impugnat Scot. in 2. dist. 3. quæst. 2. Basolis, Lychet. et alij Scotistæ ibid. et Auersa in Logica quæst. 9. sect. 3. Meurisse 2. Metaph. cap. 3. quæst. 6. conclus. 2. Et quidem quamuis verum sit, indiuidnum importare hanc negationem communicabilitatis; falsum tamen est, in ipsa consistere formalem rationem indiuiduationis. Cum enim indiuiduum sit incommunicabile pluribus, necessariò ipsi tribuenda est negatio oppositæ cõmunicabilitatis. Verùm huiusmodi negatio debet habere suum fundamentum, quod non erit aliud, quàm vnitas indiuidualis, et gradus ille, quo vltimò terminatur natura communis, ex quo postea consequetur vnitas indiuidualis; et non solùm ille gradus erit quid positiuum, sed etiam ipsa vnitas; quia si vnitas vt sic ex genere suo est quid positiuum, vt ostendimus, dum egimus de vnitate transcendentali, consequenter ratione proportionis debitæ inter rationes superiores, et inferiores, quælibet vnitas debet importare aliquid positiuum.

Cõmunis sentẽtia oppositum. *Scot. Basolis Lychet. Auersa. Meurisse.* *Indiuiduatio nõ consistit formaliter in negatione sed in aliquo positiuo.*

III. Et quidem quòd negatio communicabilitatis debeat habere aliquod fundamentum in indiuiduo prob. Talis namque negatio conuenit per se indiuiduo, vt tale est, atque inseparabiliter, ergo debet habere aliquod fundamentum, ratione cuius illi conueniat; si enim auferatur quodlibet fundamentum

Negatio cõmunicabilitatis cõuenit indiuiduo a ratione fundamenti positiui.

tum positiuum, neque etiam amplius conueniet negatio cum inseparabilitate; auferatur enim tantum esse indiuidui positiuum; certè tunc non aderit amplius hæc negatio inseparabiliter cõueniens; si enim non adest, cui conueniat, nec cum quo inseparabiliter connectatur, quomodo adesse potest inseparabiliter conueniens? Verum dum interuenit talis necessaria connexio, oportet, vt interueniat ex parte indiuidui aliquid positiuum, ratione cuius negatio tali pacto cum ipso connectatur: atque hoc positiuum non potest esse quodcunque positiuum; non enim potest esse ipsum esse naturæ, quia tantum abest, quòd natura postulet hanc negationem, vt etiam petat posse pluribus communicari: quare ex parte indiuidui concedendum est aliquid positiuum, quod saltem formaliter non sit ipsa natura, ratione cuius illi conueniat negatio communicabilitatis, si cuti autem natura per hoc positiuum constituitur in tali statu, vt exigat hanc negationem, ita etiam constituetur in esse indiuiduali, quia non potest natura exigere hanc negationem, nisi ratione alicuius esse incommunicabilis, si ergo ex vi illius positiui natura euadit incommunicabilis, quomodo non euadet etiam indiuidua?

Confir. IV. Quod etiam confirm. Et inquiro, cur indiuiduum dicat negationem communicabilitatis, & non aliquam aliam, oportet enim assignare aliquam causam, cur per se, & necessariò ipsi conueniat, ita vt non possit altera ipsi assignari. Certè non aliunde id potest prouenire, nisi ex intrinseca conditione talis esse, quia scilicet ab intrinseco suo postulet talem negationem. Verùm vt ab intrinseco postulet talem negationem, necesse est, vt habeat in se aliquid positiuum, quod sit fundamentum talis, & non alterius: & vt sit fundamentum talis negationis, necesse est, vt opposito modo se habeat cum eo, quod per negationem tollitur: cum ergo per negationem tollatur communicabilitas, illud positiuũ, ratione cuius indiuiduum exigit hanc negationem, erit incommunicabilitas; atque adeo natura per hanc rationem positiuam incommunicabilitatis constituetur in esse indiuiduali. Rursus autem inquiro, cur natura præcisa indiuiduatione non dicat negationem communicabilitatis, ita vt nullo modo talis negatio possit ipsi cum veritate tribui: & cur dicat negationem incommunicabilitatis? Non aliud equidem responderi potest, nisi quia in suo esse non includit aliquid, ratione cuius exigat talem negationem: ergo infero ipse, cum indiuiduum requirat huiusmodi negationem, oportet vt in suo esse includat aliquid, quod fundet ipsam, quod non aliud esse poterit quã principium indiuiduans, siquidem non est esse naturæ, vnde oportet vt illam requirat ratione esse oppositi, quod aliud non erit, quàm esse indiuiduale. Rursus non potest aliud responderi, nisi, naturam exigere negationem incõmunicabilitatis, quia de se importat esse communicabile pluribus per modum superioris; ergo si indiuiduum exigit negationem communicabilitatis, necesse est, vt importet esse incõmunicabile pluribus per modum superioris, quod aliud esse non potest, quã indiuiduale, quia natura ex se non dicit tale esse.

(Indiuiduũ importat & damẽtis talis de ere ire negat onis.) (Quod indiuiduũ huiusmodi sit damẽtis.)

V. Secundò arguo contra eamdẽ opinionem. Indiuiduum vt tale habet intrinsecè repugnantiam formalem ad posse diuidi in plura inferiora per modum superioris, ergo oportet, vt intrinsecè habeat aliquam formam positiuam, per quam importet hanc repugnantiam formalem. Circa consequentiam nulla est difficultas, quia impossibile est, repugnantiam formalem saluari absque forma, in qua fundetur; neque dici potest, quòd sit forma negatiua, quia cum sit intrinsecè imbibita in esse positiuo iudiuiduali, quod est à parte rei, oportet, vt sit positiua repugnantia proueniens à forma positiua, quia nulla negatio imbibi potest in esse positiuo. Quod præsertim verum est, quia nulla negatio concurrere potest ad constituendum tanquam intrinsecum constitutiuum aliquod ens positiuum. Antecedens igitur prob nam esse illud physicum, quod indiuiduum habet à parte rei sibi communicatum à producente, quamuis aliquando cõtingat, posse diuidi in plures partes, impossibile tamen est etiam de potentia Dei absolutà, vt per modum superioris diuidatur in plura inferiora, atque tals repugnantia prouenit ab intrin-

(Secunda impugnatio. Indiuiduum habet intrinsecè repugnantiam formalem ad diuisi.)

trinseco illius entitatis, quæ est talis conditionis, vt incommunicabiliter se habeat secundùm suum esse positiuum; alioquin nisi secundùm suum esse positiuum incommunicabiliter se haberet, esset intrinsecè communicabile: atq; adeo non esset indiuiduum, sed vniuersale separatum: vnde cum ex vi sui esse positiui sit incommunicabile, oportet, vt habeat repugnantiam formalem intrinsecam ad diuidi in plura inferiora. Et ratio huius repugnantiæ intrinsecæ à priori colligitur. Quoniam diuisio, quæ fit per modum superioris in inferiora, in eo fundatur, quòd id, quod diuiditur, possit vlterius suscipere aliquem alium gradum, quo perficiatur, & compleatur: fit namque huiusmodi diuisio ex eo, quòd aliqui gradus entis inferioris adueniant rationi communi determinabili, Quare hinc fit, quòd illud ens, quod & habet omnes gradus sibi debitos vsque ad vltimum complementum, habeat formalem repugnantiam ad talem diuisionem ratione vltimi gradus, qui non est capax vlterioris complementi; huiusmodi autem gradus, cum sit quid positiuum, & forma complens illud esse, fundat formalem repugnantiam positiuam. Indiuiduum autem, vt tale est, secundum suũ esse physicum, cum iam sit incommunicabile pluribus per modum superioris, oportet vt sit vltimò completum in proprio esse, atque adeo habeat hunc vltimum gradum fundantem talem intrinsecam repugnantiam formalem.

In quo fūdetur diuisio in inferiora, & repugnantia ad eã dē diuisionem.

VI. Atque hæc ratio insuper confirmari potest. Duplex enim datur genus negationum, aliud quod non supponit aliquid positiuum, in quo sundetur, & quod importet positiuam, & formalem repugnantiam ad illud, quod per negationem tollitur: aliud verò quod in aliquo positiuo fundatur, quod dicit formalem repugnantiam ad id, quod per negationem tollitur; exemplum prioris generis erit negatio formæ in subiecto; ita enim, tribuitur subiecto talis negatio, vt non supponat in ipso aliquã formalẽ repugnantiam ad habendam formã: exemplũ autẽ posterioris generis erit negatio corporeitatis in angelo; hæc enim negatio supponit in angelo formalem repugnantiam ad esse corporeum. Hoc autem est discrimen inter vtrumque genus negationum; quòd negationes prioris generis ita tollunt aliquid ab eo cui conueniunt, vt non repugnet simpliciter habere oppositum negationis; quamuis enim cæcitas vt quædam negatio tollat potentiam videndi ab homine, non tamen homini repugnat simpliciter videre, quia saltem de potentia Dei absoluta posset acquirere potentiam, & videre; at posterius genus negationum supponit simpliciter repugnantiam ad essendum sub opposito negationis; sic negatio corporeitatis supponit in angelo repugnantiam simpliciter ad corporeitatem. Hinc autem elicitur hæc regula, quòd quotiescunque ita alicui tribuitur aliqua negatio, vt etiam ei repugnet simpliciter oppositum negationis, debeat in ipso concedi formalis repugnantia positiua, ratione cuius illi simpliciter repugnet oppositum negationis, quia non potest simpliciter repugnare, nisi ratione formalis repugnantiæ intrinsecæ. Cæterum indiuiduum, vt tale est, ita dicit negationem communicabilitatis, vt ipsi simpliciter repugnet communicari pluribus inferioribus, ergo habet intrinsecam repugnantiam formalem ad talem communicationem, atque adeo aliquid positiuum, quo constituatur in esse indiuidui, & ratione cuius fundet talem negationem.

Confir.

Duplex genus negationũ.

Quæ negationes supponant repugnantiã simpliciter ad oppositum.

VII. Tertiò argumentor. Natura communis secundùm suum esse, est communicabilis pluribus, & consequenter est quid indifferens, & determinabile: quod autem est indifferens, & determinabile, non habet totum suum complementum: hinc quia natura generica non est omnino determinata essentialiter, potest perfici per vlterius complementum essentiale: & ideo natura quoque communicabilis pluribus indiuiduis, cum sit adhuc indifferens erit capax alicuius complementi. Hoc autem complementum recipiet per indiuiduationem, per quã vltimò complebitur, & fiet incommunicabilis pluribus: quamobrem indiuiduatio formaliter afferet hoc complementum, & consequenter erit quid positiuum; vtpote quia debet complere capacitatem positiui complementi, quo natura vltimò compleatur in suo esse. Hinc Arist. Cap. de substantia com-

Tertia impugnatio.

Indiuiduatio complet naturam.

comparans substantiam primam cum substantijs secundis, ait, esse maxime substantiam; quod certè non esset verum, nisi vt prima, & indiuidua est, diceret aliquid positiuum supra substantias secundas. Præterea natura est communicabilis pluribus reali communicatione, atque terminus, vt quo, huius communicabilitatis est indiuiduatio, te minus verò, vt quod, indiuiduum, ergo debet indiuiduatio importare aliquid reale; quomodo enim terminaret communicationem realem, nisi esset quid reale? Accedit insuper pro confirmatione, quòd indiuidua in quacunque serie prædicamentali constituunt primum fundamentum illius coordinationis, atque gradus omnes superiores de ipsis prædicantur, ita vt indiuiduatio sit ratio, cur huiusmodi prædicationi subijciantur: vnde hinc fit, vt directè ponantur in linea prædicamentali; quomodo ergo fieri potest, quòd indiuidua formaliter, vt talia sunt, non dicant aliquid positiuum? an quod non est positiuum ponitur directè in prædicamento? an negatio constituet subiectum realium prædicationum, & potius coordinationis prædicamentalis?

VIII. Quartò. Inquiro, quomodo duo indiuidua eiusdem speciei inter se distinguantur, an distinctione positiua, ita vt id, secundùm quod distinguuntur, seu quod est ratio distinguendi, sit quid positiuum: an verò sola distinctione negatiua, ita vt distinctiuum sit sola negatio? Si distinguuntur distinctione positiua; oportet concedere positiuum distinctiuum indiuiduale, quia cum tota distinctio, quæ est inter ipsa, sit indiuidualis, oportet, vt distinctiuum quoque sit indiuiduale, alioquin si esset alterius rationis, causaret distinctionem diuersæ rationis, Dum ergo adest distinctiuum indiuiduale iã principium indiuiduationis erit quid positiuum, quoniam idem est constitutiuum, & distinctiuum. Si verò distinguuntur solùm per negationes, & non secundùm esse positiuum, iam esse vnius positiuum erit idem cum esse positiuo alterius, quia id est idem cum omni eo, à quo secundùm suum esse non distinguitur. Hinc porrò sequitur, quòd operante vno indiuiduo debeant operari & alia, quia operationes proueniunt ab esse positiuo; & posito indistincto esse, neque operationes distinguuntur, ita vt sint diuersorum principiorum positiuorum; vnde operationes vnius hominis etiam liberæ essent simul operationes alterius. Rursus non posset corrumpi esse positiuum vnius indiuidui, aut de nouo produci, nisi corrumperentur, aut producerentur cætera indiuidua, & plurima alia absurda sequerentur.

IX. Denique Vnitas ex genere suo, siue consistat formaliter in negatione, siue in aliquo positiuo, est passio entis; vnitas enim transcendentalis consequitur ab ente transcendentali, ita vt impossibile sit sine ipso subsistere. Ex quo fit, quòd quotiescunque ponitur noua vnitas, debeat poni etiam nouus gradus entis, ad quem consequatur, non enim ab eodem gradu entis consequi possunt diuersi gradus vnitatis; sic ab ente transcendentali consequitur tantùm vnitas transcendentalis, & nulla alia, & à natura specifica, aut generica vnitas tantùm specifica, aut generica. Verùm vnitas indiuidualis importat nouum gradum vnitatis, siquidem importat vnitatem, quæ inuoluit incommunicabilitatem, ratione cuius indiuiduum nequit pluribus cõmunicari, ergo siue hæc vnitas consistat in positiuo, siue in negatiuo, debet concedi aliquis peculiaris gradus entis, à quo consequatur: huiusmodi autem gradus non alius esse potest, quàm gradus indiuidualis, vt vnitatem indiuidualem tanquam sibi proportionatam fundare possit. Si igitur datur gradus entis indiuidualis, iam ipse erit principium indiuiduationis formale, & proinde tale principium consistet in aliquo positiuo.

X. Neque fundamenta Gandauensis valdè firma sunt. Ad primum conceditur, neque materiam præcisè, neque formam, neque aliquod accidens esse illud positiuum, quo substantia materialis indiuiduatur: quodnam verò illud sit, non possumus modò explicare, quia circa ipsius inquisitionem versamur; hoc verò infra præstabimus. Ad secundum, an illud positiuum, quod dicit principium indiuiduationis, sit eadem entitas indiuidui, an aliqua alia superaddita determinabimus infra. Interim dicimus, si ponatur esse eadem

Margin notes: Termini ut ... (left, partly illegible); Et ratio ... in linea prædicamentali.; Quarta impugnatio.; Indiuidua, vt talia distinguuntur positiua distinctione.; Quinta impugnatio.; Gradus entis indiuidualis præcedendus pro vnitate indiuiduali.; Ad fundamenta opposita.

entitas, non esse nugationem, cum dicitur *Indiuiduum est vnum*, quia per talem propositionem exprimitur in prædicato aliquid, quod explicitè non importabat subiectum, nempe ratio vnitatis incommunicabilis; neque video, in quo consistat hæc nugatio; non enim necesse est ad euitandam nugationem, vt prædicatum importet diuersam entitatem à subiecto; quoties enim eadem entitas fundat tum prædicatum, tum subiectum, imo in prædicatione quidditatiua oppositum contingere non potest. Si verò ponatur diuersa entitas, supposito, quòd indiuiduum debeat per entitatem diuersam indiuiduari, non est absurdum ponere in ipso duplicem entitatem. Ad tertium dicitur, indiuiduum posse considerari, vt constitutum per talem gradum entis; & vt vnum; primo modo non est tale formaliter per indiuisionem, sed indiuisio ad ipsum consequitur, & est tale per gradum entis determinatiuum naturæ communis. Posteriori modo est tale per indiuisionem, verum cum indiuisio importet vnitatem, importat quid positiuum iuxta nostra principia. Sed etiam si importaret negationem, adhuc concedendus esset positiuus gradus entis, qui esset radix huius vnitatis; & hic esset principium indiuiduans.

Opinio Scoti.

SECTIO II.

Opinio Scoti de principio indiuiduationis.

I. Certum iam ex dictis manet, Principium formale indiuiduationis importare aliquid positiuum; nunc difficultas manet, quodnā positiuū sit istud, & an sit aliquid superadditum rei indiuiduæ. Scot in 2. dist. 3. quæst. 6. dubitationem mouet, an substantia materialis sit indiuidua per aliquam entitatem positiuam per se determinantem naturam ad singularitatem, & recitata, ac confutata opinione Gotfredi, respondet affirmatiuè, concludens, naturam esse indiuiduam per hanc entitatē superadditam positiuam. Quòd si inquiras, quænam sit ista entitas, respondet, esse quandam realitatem, quæ sumitur ab vltima realitate formæ, & quæ est primò diuersa ab omni realitate quidditatiua, vnde constituit indiuiduum in esse materiali, cum per realitatem quidditatiuā tanquā per formam constituatur in esse formali. Et præterea subdit, quòd nō est nec forma, nec materia, nec compositū in quantum dicunt suam quidditatem, *sed est vltima realitas entis quod est materia, quod est forma vel quod est compositum, ita quod quodlibet commune, & tamen determinabile adhuc potest distingui quantumcumque sit vna res in plures realitates formaliter distinctas, quarum hæc formaliter non est illa, sed hæc est formaliter entitas singularis, & illa est entitas naturæ formaliter; nec possunt istæ duæ realitates esse res, & res sicut possunt esse realitas, vnde accipitur genus, & realitas, vnde accipitur differentia, ex quibus realitas specifica accipitur; sed semper in eodem sine parte, siue toto sunt realitates eiusdem rei formaliter distinctæ.* Ex quibus manifestè colligitur, quid Scot. intelligat per hanc entitatem, quā res indiuiduatur, cum enim intelligat solùm realitatem, quę non sit res, nec realiter distincta, sed solùm formaliter, non potest intelligere aliquam entitatem physicam, sed solùm quemdam gradum entis, quo natura compleatur; nam etiam paulò inferius, docet, naturam non includere per identificationem hanc indiuidualem entitatem, sed solùm tertium, quod ex vtraque realitate consurgit, nempe indiuiduum includere per identificationem vtramque realitatem. Cum ergo vtraq; realitas identificetur in eadē entitate indiuidui, non potest realitas indiuidualis esse aliud, quàm gradus entis, & hanc sententiam alibi etiā tradit idem Scotus, quamuis non adeò dilucidè se explicet.

II. Aliter tamen, vt plurimum Scotistę sententiam Scoti interpretantur, volunt enim, Indiuiduationem importare aliquid superadditum rei indiuiduæ, quod vocant hęcceitatem, quam ponunt ex natura rei distinctam ab ipsa re indiuidua; atque per ipsos hęc distinctio formalis ex natura rei pręcedit omnem operationem intellectus, & reperitur in rebus ex natura ipsarum proueniens, quemadmodum reperitur entitatiua inter entitatem, & entitatem, & est realis nonsecus, ac entitatiua; vnde discrimen inter has distinctiones solùm in hoc consistit, quòd altera contingit secun-

dum formalitates, altera verò secundùm entitates. Hanc porro sententiam tradunt Anton. Andreas, Bassolis, & Lychet, in illa dist. 3. lib. 2. sentent. quæst. 6. Tartar. etiam ibid. Marsil. ibid. quæst. 3. art. 1. & rursus Anton. Andreas 7. Metaph. quæst. 16. Rada tom. 2. controuer. 3. art. 4. conclus. 9. Meurisse 2. Metaph. cap. 3. quæst. 6. conclus. vltima & cæteri Scotistæ. Præterea Fonseca 5. Metaph. cap. 4. quæst 5. sect. 1. Ragusin. disput. Peripateticis disp. 20. cap. 4. & 20. & sequentibus, & nonnulli alij hanc sententiam sequuntur.

Anton. Andr. Bassol. Lyche. Tart. Marsil. Rada Fonseca Ragus.

III. Argumentantur autem primò ex auctoritate Arist. nam 3. de Anima tex. 9. docet, quòd aliud est magnitudo, & aliud magnitudinis esse, hoc est aliud indiuiduum, & aliud differentia indiuidualis, & rursus 8. Metaph. tex. 9 ait *Anima, et Animæ esse idem est; homini verò, & homo non idem*. Ex quo deducunt velle in ijs, quæ constant ex materia, & forma, quidditatem, & rem, cuius est quidditas, non esse idem, & proinde res istas indiuiduari per aliquid ex natura rei distinctum,

Argumenta huius sententię.

Secundò Secundò arguunt ex quadam separatione, quæ videtur interuenire inter naturam, & indiuiduationem: natura enim definiri potest absque indiuiduatione; sciētia enim versatur circa naturā, non verò circa indiuiduationē; proprietates item conueniunt ratione essentiæ, seu naturæ, & non rōne indiuiduationis; deniq; essentiæ rerum sunt æternæ, indiuiduatio autem minimè; cū igitur natura tali pacto separabiliter se habeat respectu indiuiduationis, necesse est, vt inter ipsam, & indiuiduationē interueniat aliqua distinctio ex natura rei independenter ab intellectu, & quæ sit saltem formalis à parte rei.

Tertium IV. Tertiò arguunt ex diuersa vnitate, quam à parte rei habent natura, & indiuiduatio. Natura enim habet à parte rei suam vnitatem formalem, quæ est minor indiuiduali, non enim est vna numericè, cum id habeat ab indiuiduatione; atque indiuidua ratione huius vnitatis conueniunt à parte rei; indiuiduationes verò à parte rei, & sunt plures, & habent singulæ diuersam vnitatem ab vnitate naturæ. Cum ergo natura, & indiuiduatio à parte rei habeant diuersam vnitatem, oportet etiā, vt à parte rei habeant distinctionem, quia diuersa vnitas non saluatur absque distinctione. Quod etiam ex eo confirmatur, quia hæcceitas, seu indiuiduatio respectu naturæ se habet tanquā actus; & proinde debet esse extra ipsam, atque adeo distingui. Quartò: si Petreitas & Pauleitas, seu indiuiduatio esset idem à parte rei cùm natura, sequerentur plura absurda, & primò quidem, quòd Petrus, & Paulus essent idem inter se, quia sunt idem in natura, quæ est eadem in omnibus, quæ eidem sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. rursus natura à parte rei esset diuisa secundùm essentiam, quia inuolueret differētias indiuiduales, per quas diuideretur; hoc autem prorsus repugnat, quia essentiæ rerum consistunt in indiuisibili: præterea ob eamdem rationē non se haberet vniuocè modo: quod enim inuoluit intrinsecè differentias, nō potest esse vniuocum, vt per se patet, quia tunc differentię tollunt perfectam vnitatem naturæ communis. Quod etiā confir. quia cum Petrus per aliud sit homo, & per aliud Petrus, oportet, vt indiuiduatio sit extra naturam, atque adeo distincta ab ipsa.

Quartū

V. Denique supponunt obiectum intellectus esse natura sua prius quacunque intellectione, & consequenter habere id, quod ipsi ex natura sua conuenit, ex se independenter omnino ab intellectu. Quo supposito, sic arguūt. Vel natura in eo priori, in quo tanquā obiectum præcedit intellectionem, habet suam communicabilitatem, qua pluribus communicari potest, vel non. Hoc secundum dici non pôt, alioquin cum conciperetur natura cōmunicabilis, cōciperetur ens rōnis, & aliquid repugnans, non secus ac si conciperetur homo irrōnalis. Si ergo habet; ergo ex natura rei ante intellectum distinguitur ab indiuiduatione, quia cōmunicabile, & incommunicabile ex natura sua distinguuntur. Quod etiam confirmari potest. Indiuiduo ante intellectum non conuenit numeralis multitudo, imo, vt tale est, repugnat ipsi eam habere; naturæ autem ante intellectum conuenit habere numeralem multitudinem, ergo ante opus intellectus natura, & indiuiduum distinguuntur, cum ipsis ante intellectum opposita conueniant.

Quintum

Prin-

Principium indiuiduationis non esse aliquid realiter superadditum.

SECTIO III.

Opposita sententia. Caiet. Soncin. Scoto. Ocham. Gabr. Henr. Heru. Nyphus. Perer. Suarez. Albertin. Hurtad. Auersa.

I. Hanc sententiam Scotistarum communiter impugnare, & reijcere solent, non solùm Thomistæ vt Caiet. 1. par. quæst. 5. art. 6. & De ente, & essentia quæst. 5. Soncin. 7. Metaph. quæst. 32. Soto in Logica quæst. 2. de Vniuersalib. & cœteri omnes, sed etiam extra scholam Scotisticam, qui tenent, res indiuiduari per suum esse, aut aliquo alio modo. Et citantur Och. in 1. dist. 2. quæst. 4. & 6. Gabr. ibid. quæst. 6. 7. & 8. Henr. quodlib. 5. q. 8. Heru. quodlib. 3. quæst. 9. Nyph. 4. Metaph. disp. 5. Perer. in sua Philosoph. lib. 6. cap. 10. Suarez in Metaph. disp. 5. sect. 1. Albertin. tom. 2. principio 1. Philosoph. disp. 1. quæst. 10. dub. 1. Hurtad. in Metaph. disp. 2. sect. 5. Auersa in Logica quæst. 9. sect. 10. & alij quamplures, qui censent omnino improbabilem hanc Scotistarum sententiam.

Duplex sensus sententiæ Scotistarum.

II. Quia hæc sententia Scotistarū, vt supra etiam significauimus sect. præcedenti, dum explicaremus doctrinam Scoti, potest habere duplicem sensum, quorum primus est, vt ratio indiuidualis sit solùm quidam gradus entis, quo vltimò natura compleatur, ita tamen vt sit realiter identificatus cum natura, & vna sola entitas physica coalescat ex ipso, & natura, & proinde sit tantùm realitas quædam metaphysica, solùm metaphysica distinctione distincta; quem sensum Scotus magis, quàm aliū intendere videtur, vt patet ex ijs, quæ retulimus in recitanda ipsius sententia. Alter vero sensus est, qui & magis est ad mentem Scotistarum, vt indiuiduatiò sit quid à parte rei distinctum à re indiuidua, nec sit sola formalitas, siue realitas metaphysica, sed vel aliquid physicum, vel saltem accedens ad esse physicum, eo quòd habet suum proprium esse à parte rei contradistinctum ab esse rei indiuiduæ, ipsique realiter superadditum. Quia igitur hunc duplicem sensum habere potest, ideo priori omisso, de quo infra agemus, posteriorem solùm hic discutiemus.

III. Ponimus ergo nostram conclusionem, statuentes; Principium indiuiduationis, non esse aliquid realiter superadditum rei indiuiduæ, & ab ipsa à parte rei distinctum quacunque distinctione, quæ formali modo se habēs præcedat operationem intellectus. Prob. Et primò quidem, si natura, & indiuiduatio distinguerentur à parte rei, ita vt importarent diuersa extrema, vt necessariò dicendum est, si distinguuntur à parte rei, cum distinctio à parte rei ponat pluralitatem à parte rei; tunc cum indiuiduum sit vnum, necessaria esset compositio inter hæc extrema, vt scilicet constituerent vnum quid. Inquiro igitur, an res, quæ indiuiduatur, veniat in compositionem cum indiuiduatione, tanquam quid indiuiduum, an non. Primum dici non potest; ad quid enim vniretur cum indiuiduatione, si iam esset indiuidua? Si ergò non venit in compositionem vt quid indiuiduum, ergo venit in compositionem, vt quid commune pluribus, nam natura præcisa indiuiduatione ex vi sui esse intrinseci est quid pluribus commune, & statim ac non est quid pluribus commune, est indiuidua. Hinc autem sequitur dari vniuersale à parte rei in quolibet indiuiduo, quod tamen est absurdum, & impossibile; quia licet ponatur vniuersale à parte rei, non potest tamen poni in vnoquoque indiuiduo, quia solùm natura importat vniuersale à parte rei, prout est in pluribus. Præterea si natura vnitur cum indiuiduatione vt quid commune plurib. iam prout est in vno indiuiduo habere poterit plures indiuiduationes, & proinde per vnicam tantùm non terminabitur sufficienter, quod etiam est absurdum, quia in vnoquoque indiuiduo est sufficienter terminata.

Conclusio. Principium indiuiduationis nō est aliquid realiter superadditum.

Si natura distingueretur ab indiuiduatione daretur vniuersale in quolibet indiuiduo.

Resp.

IV. Respondere tamen quis posset. Naturam, quæ est in vno indiuiduo esse eamdem naturam quæ est in alio, quia de se natura est communis pluribus, & proinde non habere suam communitatem, prout est in vno, sed respectu plurium. Verùm licet hæc doctrina vera sit, non tamen consistere potest posita distinctione à parte rei inter naturam, & indiuiduationem, nam à parte rei natura prout est in vno indiuiduo, quam-

Improbatur.

uis habeat eamdem vnitatem formalē cum natura cœterorum indiuiduorum, non tamen habet idem esse reale, sed distinguitur secundùm existentiam, & illud esse, quòd à parte rei existit; quod satis patet ex eo, quòd esse naturę, quod est in vno indiuiduo, potest desinere, & produci de nouo, absq. eo, quòd desinat, vel de nouo producatur natura, prout est in alijs indiuiduis, separatio autem secundùm productionem, & corruptionem est infallibile signum realis distinctionis. Hoc ergo stante, vrgeo argumentum, & sumo naturā, prout est in hoc determinato indiuiduo, & insto. Natura, quæ est in hoc indiuiduo secundùm suum esse reale, quod habet in ipso, realiter distinguitur à natura cuiuslibet alterius indiuidui, vt iā patet ex dictis: rursus distinguitur etiā à parte rei ab indiuiduatione, qua contrahitur ad hoc indiuiduum, ergo natura, prout est in hoc solùm indiuiduo, & est extremum vnitum cum indiuiduatione, aut est quid commune pluribus, atque adeo vniuersale, aut est indiuidua, vt contradistincta ab indiuiduatione. Cessat autem difficultas, si ponatur esse idem cum indiuiduatione, quia tunc ratione illius habebit suum esse entitatiuum physicum, quo distinguetur realiter à natura, quæ est in alio indiuiduo.

Natura vnius indiuidui distinguitur realiter à natura alterius indiuidui.

V. Secundò argumentor, & inquiro, an stante hac distinctione, à parte rei res indiuidua habeat propriam entitatem, secundùm quam entitatiuè distinguatur ab indiuiduatione: an verò habeat eamdem entitatem cum ipsa? Si primum; Tum sic argumentor, entitas illa rei indiuiduæ est terminabilis per indiuiduationem, per quam ad esse indiuiduale coarctabitur; consequenter etiam non habet illam incommunicabilitatem, quam secum formaliter affert indiuiduatio; atque, cum dicat purum esse naturæ absque indiuiduatione, debet etiam dicere id, quod dicit natura, nimirum communicabilitatem, qua possit pluribus communicari.

2. ratio.

Rursus hæc entitas propria naturæ, & contradistincta ab indiuiduatione, contradistinguitur etiam entitatiuè à toto esse, quod est in quocunque alio indiuiduo, ergo datur à parte rei entitas physica pluribus communicabilis, quæ seorsim à quocumque alio subsistit in suo esse; quis autem non videt, hoc esse vniuersale quoddam physicum entitatiuum, existens à parte rei separatum ab indiuiduis. Præterea insto alio modo; natura, quæ est in vno indiuiduo, prout terminatur ab illius indiuiduatione, habet sufficientem terminum suæ communicabilitatis, ergo prout est in ipso non potest terminari per plures indiuiduationes; verùm si ponatur huiusmodi entitas, poterit terminari, quia cum contradistinguatur ab indiuiduatione, erit quid commune pluribus. Rursus entitas ista naturæ cuiuslibet indiuidui erit quid productum, siquidem est quid existens à parte rei; vnde ex vi productionis habebit esse indiuiduale; quia productio, & causa est communicatiua solùm esse indiuidualis; deinde cum sit certa, & determinata entitas, est designabilis tanquam hæc: vnde esset indiuidua absque indiuiduatione, quod impossibile omnino est.

Nō ponitur natura vt cōtradistincta ab indiuiduatione habere propriā entitatē, nisi sit indiuidua.

VI. Si verò dicatur, naturam, & indiuiduationem identificari in eadem entitate; tunc sequitur, indiuiduationem non esse aliquid superadditum realiter rei indiuiduæ; nec à parte rei interuenire aliquam actualem distinctionem, & formali modo se habentem; nam identificatio coadunat in vnum, atque idem esse physicum, atque adeo in vnicam existentiam: hinc autem fit, quòd vna, atque eadem productione, atque corruptione debeant produci, & corrumpi, ergo posita identificatione naturæ cum indiuiduatione non potest à parte rei interuenire distinctio. consequentia ista probatur, quia si res indiuidua distingueretur ab indiuiduatione propria à parte rei, posset in productione, qua res producuntur, intelligi distinctio, ita vt ex vi productionis intelligeretur poni hoc esse rei indiuiduæ distinctum ab indiuiduatione; quod tamen est impossibile, quia implicat intelligi ex vi productionis communicari aliquod esse, quod non sit in se certum, determinatum, atque designabile, atque adeo indiuiduum. Et sicuti quod dat esse, dat etiam distinctionem, quia distinctio cōsequitur esse, ita cum ex vi productionis intelligatur communicari esse, etiam intelligeretur communicari distinctio naturæ, qua ab indiuiduatione

Identificatio tollit distinctionē à parte rei.

diſtingueretur, & proinde natura ex vi ſuæ productionis non intelligeretur indiuidua, cum tamen intelligatur terminus illius. Cum autem productio formaliter tendat ad eſſe exiſtens entitatiuum, non poteſt intelligi ex vi productionis communicari aliquam diſtinctionem, quæ non ſit ſecundùm eſſe entitatiuum exiſtens; in tantùm enim productio poteſt communicare diſtinctionem, in quantum poteſt eſſe diuerſitas in eſſe communicato; vnde cum eſſe communicatum ſit eſſe entitatiuum, vbi non eſt diuerſitas entitatiua, neque etiam poteſt eſſe diſtinctio ex vi productionis, atque adeò nec à parte rei, quia omnis diſtinctio, quæ eſt à parte rei, ſicuti eſt ex vi illius eſſe, quod eſt à parte rei, ita etiam eſt ex vi productionis. Rurſus omnis diſtinctio, quæ eſt à parte rei, debet eſſe ſecundùm illud eſſe, quod reperiri poteſt à parte rei, qua talis diſtinctio ſicuti exiſtit à parte rei, ita etiam debet habere extrema à parte rei exiſtentia, inter quæ verſetur, alioquin cum non poſſit ſaluari diſtinctio ſine extremis, quomodo reperietur diſtinctio à parte rei, niſi extrema illius à parte rei exiſtant? Quare vt intelligatur diſtinctio à parte rei, neceſſe eſt ſimul à parte rei intelligere extrema, quorum vtrumque ſeorſim ab alio habeat ſuum eſſe exiſtens. Verùm ſi hoc ponatur, diſtinctio erit entitatiua; ſtatim enim ac intelligitur aliquod eſſe à parte rei, intelligitur aliquid entitatiuum, nam intelligitur aliquid productum, & exiſtens. Quamobrem ſi à parte rei intelliguntur extrema diſtincta, ita vt vnumquodque habeat à parte rei ſuum eſſe contradiſtinctum ab alio, iam vnumquodque habebit ſuum eſſe entitatiuum, atque adeo diſtinctio erit entitatiua.

Omnis diſtinctio à parte rei entitatiua.

3. ratio.

VII. Tertiò probatur concluſio. Huiuſmodi hæcceitas, quam ponunt Scotiſtæ tanquam principium formale indiuiduationis, & diſtinctam ex natura rei non ingreditur eſſe intrinſecum naturæ, quia cum à parte rei diſtinguatur ab ipſa, neceſſariò debet eſſe extra eamdem naturam, atque ad ſummum vniri cum ipſa. Hinc verò fit, vt nequeat diſtinguere à parte rei naturam vnius indiuidui à natura alterius ſecundùm eſſe reale eiuſdem naturæ; quod ex eo conuincitur, quia quando aliqua ſecundùm proprium eſſe diſtinguuntur, eſſe vnius non communicat cum eſſe alterius, atque adeo diſtinctio prouenit ab intrinſeco eſſe ipſorum, quod patet inductione facta, nam diſtinctio ſpecifica, qua aliqua eſſentialiter diſtinguuntur, prouenit ab intrinſeco eſſe ſpecierum, nam ex eo diſtinguuntur, quia habent diuerſitatem in intrinſeco ſuo eſſe, & eodem modo contingit in diſtinctione generica, & cæteris alijs: vnde oportet, quòd ſicuti diſtinctio prouenit ab eſſe intrinſeco rei, ita etiam diſtinctiuum ſit intrinſecum, alioquin quomodo poſſet ab eſſe intrinſeco prouenire diſtinctio, niſi in eodem reperiretur diſtinctiuum? Quamobrem cum indiuiduatio à parte rei diſtinguatur à natura, & ſit conſequenter extra eſſe ipſius, non poterit à parte rei diſtinguere naturam vnius indiuidui à natura alterius; nam talis diſtinctio deberet prouenire ab eſſe intrinſeco naturæ, atque adeo diſtinctiuum eſſe ipſi intrinſecum: ſic videmus, quòd quamuis diuerſa accidentia vniantur eidem ſubiecto, quia tamen ſunt extra eſſe ipſius, non cauſant in ipſo aliquam diſtinctionem; non alia ratione, niſi quia diſtinctio debet prouenire ab intrinſeco rei, & proinde quod formaliter ponit diſtinctionem, debet eſſe eidem intrinſecum. Hinc autem deducitur, quòd nequeat huiuſmodi hæcceitas à parte rei à natura diſtincta eſſe principium formale indiuiduationis; principium namque indiuiduationis debet diſtinguere naturam vnius indiuidui à parte rei ſecundùm eſſe reale phyſicum à natura alterius, quod ex eo euidenter patet, quia vnum indiuiduum diſtinguitur à parte rei realiter ab alio ſecundùm totum ſuum eſſe, quod in ſe habet, etiam ſecundùm eſſe naturæ, nam natura prout eſt in ipſo producitur de nouo, & de nouo corrumpitur, abſque eo, quòd in cæteris indiuiduis producatur, aut corrumpatur: non enim quando producitur, aut corrumpitur aliquod indiuiduum, producitur, aut corrumpitur ſola indiuiduatio: ſed totum eſſe phyſicum reale, atque adeo etiam eſſe reale naturæ, & proinde non debet interuenire diſtinctio ſecundùm ſolum eſſe indiuiduationis, ſed etiam ſecundùm eſſe naturæ:

Diſtinctio prouenit ab intrinſeco eſſe eorū quę diſtiguūtur.

Hęcceitas Scotiſtarū nō pōt cauſare debitā diſtinctionem indiuiduale m

hæc autem distinctio debet prouenire ab indiuiduatione tanquam à formali distinctiuo, quia cum sit eadem natura in vnoquoque indiuiduo, non potest distinctio prouenire ex vi naturæ, præsertim cum sit solùm indiuidualis, vnde solùm ab indiuiduatione causari potest. Verùm hæcceitas ista Scotistarum non potest causare hanc distinctionem, vt vidimus, & ideò neque potest esse principium indiuiduationis.

4. ratio.

VIII. Quartò argumentor, & inquiro, an hæcceitas sit ita propria rei, quam determinat ad esse indiuiduale, vt non possit alteri conuenire; an verò possit alteri etiam conuenire. Hoc secundùm non potest dici, quia indiuiduatio est quædam proprietas, qua vnum indiuiduum separatur ab alio, & quidam character ipsius, quo significatur tanquam hoc numero demonstrabile, & proinde ita debet esse propria vnius indiuidui, vt non possit alteri conuenire. Hinc autem deducitur, quòd natura cuiusque indiuidui secundùm illud esse, quod habet à parte rei in vnoquoque indiuiduo, comparata ad illam indiuiduationem, qua determinatur, debeat talem proportionem seruare cum ipsa, vt interueniat mutua appropriatio; nam natura secundùm esse, quod habet in vno indiuiduo, distinguitur à natura secundùm esse, quod habet in alio, & proinde non potest secundùm illud idem esse euadere naturam alterius, sed necessariò erit determinatè natura illius indiuidui, cuius est; quia iam est determinata ad ipsum ex vi illius esse, quod habet in ipso. Cum ergo natura in vnoquoque indiuiduo distinguatur à parte rei à propria indiuiduatione, non potest esse determinata, vt sit talis indiuidui, & non alterius, nisi approprietet sibi talem determinatam indiuiduationem, nam quamuis non esset realiter ab ipsa separabilis esset tamen separabilis in esse obiectiuo, nam tunc posset intellectus concipere illud esse productum naturæ, quod est in hoc determinato indiuiduo ab indiuiduatione distinctum, & tale esse, nisi appropriaret sibi indiuiduationem, quantum est ex se posset esse cum quacunque indiuiduatione, quemadmodum materia potest esse cum quacunque forma, quia nullam illarum sibi appropriat, quod dici non potest, quia ex vi productionis, ita appropriatur vni indiuiduo, vt impossibile sit esse alterius. Verùm si esse naturæ appropriat sibi hanc determinatam indiuiduationem, quæro, per quid sibi eam approprietet: non enim appropriare potest ex vi illius esse, quod dicit natura, vt natura est, quia vt talis est, indifferenter se habet ad quamlibet indiuiduationem, & est omnino indeterminata ad hanc, vel illam: vnde oporteret concedere aliquod determinatiuum, quo determinaretur ad appropriandam sibi hanc hæcceitatem, & quo consequenter diuideretur, & multiplicaretur; quis autem non videt fore indiuiduandam per huiusmodi determinatiuum; atque adeò futuram indiuiduam, antequam reciperet indiuiduationem? Quod etiam confirmatur, quoniam quando aliquid tribuitur vni indiuiduo, ita vt non possit tribui alteri; supponit distinctionem eorumdem indiuiduorum. Hæcceitas autem vnius indiuidui ita ipsi tribuitur, vt Pauleitas Paulo, vt repugnet tribui alteri, ergo hæcceitas supponit distinctionem indiuiduorum, non autem facit. Tota autem huiusmodi difficultas effugitur, si ponatur indiuiduatio esse idem cum natura, quia tunc non est necessaria huiusmodi appropriatio, quæ se teneat ex parte naturæ, prout contradistincte ab indiuiduatione, sed esse naturę appropriaretur, vt non posset esse alterius indiuidui, per indiuiduationem sibi identificatam.

Natura distincta ab indiuiduatione deberet sibi appropriare indiuiduationem, quod tamen fieri nõ põt.

Quomodo indiuiduatio à parte rei distincta à natura supponat naturã indiuiduam.

5. ratio.

IX. Quintò si ponatur natura à parte rei distincta ab indiuiduatione, quamuis hęc natura non possit separari ab ipsa realiter, eam tamen separo secundùm considerationem; cum enim adsint à parte rei extrema distincta possum vnum sine alio considerare secundùm illud esse, quod habet à parte rei, & videre, quid ipsi præcisè conueniat, & quid non conueniat. Inquiro igitur de natura, prout est à parte rei distincta ab indiuiduatione, an distinguatur à natura, quæ est in alio indiuiduo, prout similiter ipsa consideratur distincta à propria indiuiduatione, & habet suũ esse à parte rei in tali indiuiduo, an non. Hoc secundùm dici non potest, vt iam patet ex supradictis, tum quia illa natura secundùm illud esse reale, quod habet in tali indiuiduo potest produci.

&

Natura, quæ est in vno indiuiduo, debet à natura alterius distingui et si ponatur distincta ab indiuiduatione, videò erit indiuiduationis distincta ab indiuiduatione.

& corrumpi in illo indiuiduo absq. productione, & corruptione naturæ, quæ est in alio indiuiduo; tum etiam quia totum esse entitatiuum cuiuscunq. indiuidui, atque adeo quicquid in ipso imbibitur entitatiuè, distinguitur ab esse alterius indiuidui, & proinde necessariò admittenda est distinctio secundùm esse reale à parte rei inter naturā, quæ est in vno indiuiduo, & naturam, quæ est in alio. De hac ergo distinctione quæro, qualisnam sit, an sit entitatiua, an vero aliqua alia? Certè cum sit distinctio inter diuersum esse productum, & existens, quod loco, & tempore inuicem separatur, necesse est, vt sit distinctio entitatiua; distinctio autem entitatiua, cum sit vltima, est eadem, ac indiuidualis. Rursus hæc distinctio non potest esse specifica, cum sit eadem natura secundùm existentiam in omnibus indiuiduis eiusdem speciei, ergo erit minor specifica, atq. adeo indiuidualis. Et ex hoc reiicitur, quod ait Rada supracitatus; illas nimirum naturas neq. specie, neq. numero distingui, nam distinguntur minori distinctione specifica; minor autem distinctio est numeralis; quod præsertim verum est, quia hæc distinctio est vltima, & entitatiua.

Quam vnitatē diceret natura, vt ab hæcceitate distincta.

Quod etiam ex eo confirmatur; nam natura v.g. Petri, prout à parte rei cōtradistincta ab ipsius hæcceitate, & etiā à natura alterius indiuidui v.g. Pauli, est à parte rei in se ipsa indiuisa, & diuisa à quocunq. alio: & ideo est in se ipsa vna; hæc autem vnitas non alia potest esse, quàm indiuidualis; nam cum dicitur, esse vnitatem minorem indiuiduali, falsū dicitur, siquidem vnitas minor indiuiduali, non potest esse alia, quam vnitas essentialis: per vnitatem autem essentialem natura Petri non distinguitur à natura Pauli; neque per ipsam constituitur natura determinata talis indiuidui; vnde non potest esse alia, quàm vnitas indiuidualis, præsertim quia est vnitas secundùm esse physicum, & productum, & quod ponitur in actu per diuersas physicas productiones.

Sexta ratio.

X. Sexta ratio desumitur ex eo, quòd natura, & indiuiduatio se deberent habere tanquam actus, & potentia, si à parte rei distinguerentur, & idcirco deberent seruare inter se proportionem actus, & potentiæ: natura enim reciperet indiuiduationem tanquam determinatiuum, cum quo efficeret vnum per se, & se haberet vt quid potentiale. Inter cæteras autē cōditiones, quæ necessariæ sunt pro proportione actus, & potentiæ ex potissimis est, quòd si actus sit singularis, potentia quoque sit singularis, & quemadmodū actus vniuersalis non posset actuare potentiam singularem, ita neque actus singularis potentiam vniuersalem, quia non interueniret debita proportio. Et hoc locū habet, siue distinguatur actus, & potentia tanquam res, & res, siue aliquo alio modo, dummodo distinctio interueniat à parte rei, quia talis conditio requiritur ex vi proportionis necessariæ inter actum, & potentiam, quæ sanè proportio semper seruanda est, quotiescunque actus à parte rei distinguitur à potentia, ita vt reali actuatione debeat ipsam actuare. Cum igitur indiuiduatio, qua natura indiuiduatur, sit actus singularis, debet supponere potentiam singularem, atque adeo cū sit actus naturæ, supponet naturam singularem: vnde non indigebit superaddita indiuiduatione, vt fiat singularis.

Actus singularis supponit potentiā singularem.

Responsio.

XI. Et quamuis responderi posset Tūc actum singularem supponere potentiam singularem, quando non confert eidem potentiæ singularitatem: indiuiduationem autem conferre, & ideo non supponere; nihilominus facilè hæc responsio reiicitur, si consideretur, vnde proueniat necessitas huius conditionis, vt scilicet actui singulari correspondeat potentia singularis. In eo enim fundatur, quòd actus præsupponit capacitatem, quam ipse nullo modo conferre potest. & ideo oportet, quòd adsit capacitas constituta in suo esse: non enim actus potest constituere capacitatem, vtpote quia ab ipsa contradistinguitur. Hęc autem capacitas non potest esse quæcunq., sed debet esse actui commensurata, non enim actus potest actuare quālibet capacitatem, sed solùm sibi commensuratam, debet enim esse actuabilis per talem actum: atque cum hæc commensuratio sit intrinsecè inbibita in capacitate, ideo actus hanc eamdem commensurationē supponit, quemadmodum supponit & iā capacitatem. Inter cœtera autem, quæ requiruntur ad constituēdam hanc debitam commensurationem capacitatis respectu actus singularis, est singulari-

Impugnatur.

Actus, & potentia debent inuicē esse commensurati.

tas

tas eiusdem capacitatis; quod satis ex eo patebit, si sumemus huius rei argumentum ex ipsa quantitate; commensuratio enim versatur circa quātitates, & cum quadam proportione de cęteris dicitur. Sicuti ergo tunc duæ quantitates commensurantur adinuicem, quando habent æqualem molem, seu æqualem extensionem quantitatiuam, ita etiam proportione seruata actus, & potentia inuicèm commensurabuntur, quando habebunt eamdem latitudinem in ratione actuabilis, & actuatiui: solùm autem actus particularis, & potentia particularis, non autem actus particularis, & potentia vniuersalis, habent eamdem latitudinē actuabilis, & actuatiui, quia potentia vniuersalis latius extēditur, quàm actus particularis. Quare in actuatione, qua actus secundùm suū esse reale, quod habet à parte rei, actuat potentiam distinctam, si actus est singularis, potentia quoque debet esse singularis. Accedit etiam, quòd singularitas potentiæ respectu actus singularis est necessaria ex parte potentiæ ob debitam commēnsurationem, quæ debet interuenire inter ipsam, & actum: cum autem hæc commensuratio sit intrinseca ipsimet potentię, similiter quoque quicquid requiritur ad constituendam hanc debitam commensurationem debet esse intrinsecum, alioquin quomodo constituet debitam commensurationem, si non communicat cum ipsamet commensuratione? Hinc autem fit, quod licet actus conferat singularitatem potentiæ, non possit tamen inferre debitam commensurationem; quatenus consistit in sigularitate; nam cum conferat singularitatem in genere causæ formalis, non confert singularitatem intrinsecam potentiæ, sed tantùm adhęrentem, quemadmodum, dum albedo exhibetur subiecto, non facit, vt esse subiecti secundùm suum esse intrinsecū sit album, sed rantùm, vt subiectum habeat in se albedinem: at singularis actus requirit potentiam secundùm suum esse intrinsecum sibi commensuratam, atque adeo ex se, & intrinsecè indiuiduam.

[margin:] In quo consistat commēsuratio.

[margin:] Indiuiduatio distincta a potentia non eam cōmēsurat respectu actus singularis.

XII. Septimò prob. ex multiplicatione eiusdē naturæ in indiuiduis. Natura enim ita in indiuiduis multiplicatur, vt quamuis multiplicatio non sit secundùm esse essentiale naturæ, sit tamen secundùm esse reale physicū, quod à parte rei recipit: atque huiusmodi multiplicatio est intrinseca naturę, quia est secundùm esse intrinsecum eiusdem naturæ. Hoc autem ex eo cōuincitur, quia natura non est communicabilis si ne sui diuisione secundùm esse reale; hoc enim conuenit soli naturæ diuinæ, quæ absque eo, quòd secundùm suum esse reale diuidatur, & multiplicetur, communicatur tribus personis. Præterea quælibet actio, qua vnumquodque indiuiduum producitur, tendit ad communicandum esse distinctum ab esse alterius indiuidui: esse autem, quod communicat, non est sola indiuiduatio, sed etiam esse naturæ, quia illud ponit in actu secundùm totum esse adæquatum: quod præsertim patet in creatione, nam res, quæ creantur, ex vi suę essentiæ exigunt produci per creationem, & proinde secundùm proprium esse essentiale reale terminant productionem creatiuam, quæ tantùm terminari potest ad aliquid per se subsistens, quod quidē conuenit rei non ratione indiuiduationis, sed ratione esse essentialis realis. Quare cum productio terminetur ad esse reale naturæ, necesse est, vt natura ipsa secundùm proprium esse reale in indiuiduis multiplicetur. Stante ergo hac multiplicatione, sequitur, quòd natura sit seipsa indiuidua, & non per aliquid superadditum à parte rei ab ipsa distinctum; nam cum habeat intrinsecam multiplicationem in suomet esse reali; hæc multiplicatio erit extra multiplicationem illarum indiuiduationum distinctarum, sicut etiam extra esse talium indiuiduationum reperitur esse reale naturæ, quod habet à parte rei contra distinctum ab indiuiduatione. Si ergo multiplicatio naturæ non est formaliter multiplicatio indiuiduationum, oportet ponere aliud formale multiplicatiuum, quod sit in ipso esse naturæ, vt multiplicari possit in seipsa. Atque cum natura nequeat multiplicari secundùm esse formale essentiale, solùm indiuidualiter multiplicabitur, atque adeo formale multiplicatiuum erit indiuiduale, quod multiplicans naturam simul in esse indiuiduali constituet.

[margin:] Septima ratio.

[margin:] Natura secundu esse reale multiplicatur in indiuiduis.

XIII. Atque quod solùm multiplicatio possit esse indiuidualis, de hoc manifestum est, quandoquidem

[margin:] Confir.

cum

Natura humana Christi distinguitur a natura alterius indiuiduorum secundum esse naturæ.

cum natura sit essentialiter completa, non est capax alterius multiplicationis in se ipsa: & in præsenti discursu solum difficultas consistit, an natura secundùm esse reale naturæ multiplicetur; quod quamuis modò ostensum sit multiplicari, adhuc tamen confirmari potest argumento Theologico. In Incarnatione namque, quando Verbum diuinum assumpsit humanitatem, non assumpsit solam indiuiduationem illius naturæ humanæ, sed ipsum esse reale, & physicum naturæ, quod in se inuoluebat essentialia constitutiua eiusdem naturę humanæ. Rursus ita assumpsit illud esse naturæ humanę, vt non assumpserit naturam humanam alterius indiuidui: non enim assumpsit terminando hypostaticè naturam D. Petri. Ex quo elicitur, quòd talis natura, & consequenter quęlibet alia, secundùm esse reale naturæ, quod habet à parte rei, distinguatur à natura cuiuscunque alterius indiuidui. Quod etiam ex eo argui potest, quoniam in vnoquoque indiuiduo adest principium intellectionis, & volitionis distinctum, non solùm secundùm indiuiduationem illam superadditam, sed etiam secundùm esse reale virtutis volitiuæ, & intellectiuæ, quod satis ex eo patet, quia volitio, & intellectio non prouenit ab indiuiduatione, sed à virtute volitiua, & intellectiua, vnde cum vnum indiuiduum velit, & intelligat absque eo, quòd velit, & intelligat alterum, necesse est, concedere in ipsis distinctam virtutem volitiuam, & intellectiuam, & consequenter distinctam naturam, quia virtus volitiua, & intellectiua, aut sunt ipsa natura, vt ab ipsa fluunt. Si ergo est distincta natura secundùm esse naturæ, cum talis distinctio non possit esse nisi indiuidualis, natura erit indiuidua seipsa, & non per indiuiduationem superadditam à parte rei distinctam.

In quolibet indiuiduo virtus volitiua, & intellectiua distincta.

2. ratio.

XIV. Denique in confirmationem eiusdem conclusionis possumus argumentari inquirendo, an natura, quæ est in vno indiuiduo ita sit illi communicata; vt non possit alteri, aut pluribus communicari: an vero possit. Certè hoc secundum dici non potest, quia natura ex vi suæ productionis est determinata, vt sit tantum illius indiuidui, & non alterius, nec est separabilis à propria indiuiduatione; si autem esset communicabilis pluribus indiuiduis, esset separabilis à propria indiuiduatione. Deinde illud esse productum naturæ, quod est in quolibet indiuiduo, si non esset determinatum ad illud, esset indifferens ad quodcunque, quia importaret tantùm esse naturæ, quæ est ex se indifferens ad quodlibet indiuiduum, vnde in quolibet indiuiduo daretur natura vniuersalis, & rot vniuersalia essent, quot indiuidua, quod minimè dici potest. Quare necesse est, vt natura in quolibet indiuiduo sit determinata ad ipsum, ita vt sit ita illi communicata, vt sit incommunicabilis alteri. Ex hoc autem deducitur, naturam, vt contradistinctam ab indiuiduatione, esse indiuiduam: vnde enim quæso habet, quòd sit determinata ad tale indiuiduum, & respectu aliorum sit incommunicabilis? tota enim determinatio, & incommunicabilitas, cuius natura est capax, prouenit ab indiuiduatione, quæ sola est constitutiua naturæ in esse incommunicabili: vnde cum natura, vt contradistincta ab indiuiduatione, in quolibet indiuiduo sit incommunicabilis pluribus per modum superioris, necesse est, vt id habeat per indiuiduationem, atque adeo sit indiuidua absque illa indiuiduatione superaddita.

Quomodo natura esset indiuidua absque indiuiduatione, si distinguere tur ab ipsa.

Resp.

XV. Quòd si quis occurrat, Naturam in vnoquoque indiuiduo determinari ad tale indiuiduum, & constitui incommunicabilem, non ratione indiuiduationis, sed per ordinem, ad talem hæcceitatem, facilè reijcitur, nam talis ordo non conuenit naturæ, vt natura est, quia secundùm rationem naturæ est indifferens ad quamlibet hæcceitatem, sed est quid peculiare naturæ vniuscunque indiuidui, ergo debet dari peculiare fundamentum in natura cuiuscunq. indiuidui, in quo fundetur; cum autem non possit dari aliquid peculiare nisi indiuiduatio, hoc fundamentum erit indiuiduatio; præsertim quia, cum in natura cuiuslibet indiuidui sit peculiaris ordo ad propriam hæcceitatem, iam hic ordo supponit distinctionem naturarum, quæ nulla alia esse potest, quam indiuidualis. Secundo arguo contra eandem responsionem ex principijs eorumdem Scotista-

Reijcitur.

Natura in vno quoque indiuiduo non pôt fundare peculiarem ordinem, nisi ratione indiuiduationis.

rum; ideo enim ipsi ponunt hæcceitatem ex natura rei independenter ab intellectu distinctam à natura, quia est aliquid peculiare indiuidui, & extra rationem naturæ: verùm etiam huiusmodi ordo est aliquid peculiare in natura cuiuslibet indiuidui,& est extra rationē naturæ, ergo debet distingui ex natura rei ab ipsa natura; per quid ergo natura ad talem ordinem determinabitur, aut quid præstabit hic ordo, cum æquè, ac indiuiduatio ex natura rei à natura distinguatur. Rursus ante quam intelligatur indiuiduatio in natura,intelligitur cum sua communicabilitate, nec magis exigere hæcceitatem huius, quā illius indiuidui, ergo ante indiuiduationem non potest intelligi ordo ad hanc, vel illam hæcceitatem determinatum, quia tunc in natura adesset exigentia talis hæcceitatis.

Satisfit rationibus Scotistarum.

SECTIO IV.

Ad primum.

1 QVod spectat ad Arist. auctoritatem, nihil prorsus fauet sententiæ Scotistarum; nam in vtroq; textu idem habet, & tamen se declarat, quòd non est verum vniuersaliter, quòd aliud sit: *Esse rei & Id quo est.* Vnde cum Scotistæ ponant hæcceitatem vniuersaliter in omnibus ex natura rei distinctam, non possunt has auctoritates tanquam sibi suffragantes allegare, cum non procedant vniuersaliter de omnibus rebus. Verus autē sensus est, quòd in aliquibus contingit non esse idem *Id quod est*, & *Id, quo est*, seu ratio formalis, qua constituitur in esse, & proinde aliud est magnitudo, hoc est ratio formalis magnitudinis, & aliud magnitudinis esse: aliquando verò contingit esse idem, vt in anima, in qua ratio formalis, qua constituitur in se, est idem constitutum, nempe formale constitutiuum hominis. Atque hoc locum habet etiam in rebus in communi sumptis, & proinde loquitur de magnitudine, non de tali magnitudine, & de homine, & anima vt sic, non verò de Petro. Hinc tex. illo 9. lib. 3. de anima ait: *Quoniam autem aliud est magnitudo & magnitudini esse; & aqua, & aqua esse; sic autem & in multis alijs, sed non in omnibus.* Vbi adnotare oportet particulas illas: *Non in omnibus.* Quòd si intelligeret de indiuiduatione, id tanquam verum in omnibus posuisset, & in tex. 8. lib. 8. Metaphys. id tanquam verum ponit in homine, non autem in anima, dum ait: *Anima, & animæ esse idem est, homini verò, & homo non idem.* Si autem intelligatur de esse constituto per quidditatem, & de quidditate, quòd in aliquibus hæc duo quidditas, & esse idem sint, in aliquibus verò non sint idem, facilis est expositio, & planè congruens menti Arist. Quòd si inquiras, in quibusnam idem sit esse, & quidditas, id Arist. non explicat; sed responderi potest, vt ex ipsius doctrina colligitur, in ijs esse idem quidditatem, & esse, in quibus non potest adæquatè concipi quidditas non concepto constituto, vt sunt illa per ipsum, quæ non habent materiam, in qua quidditas sit immersa, & etiam quædam, quæ sunt immersa in materia, sed in suo conceptu illam inuoluunt, vt esset simitas, quia nimirum non possunt sine ipsa subsistere in suo esse. In iis autem non est idem quidditas, & esse peripsam constitutum, in quibus potest concipi essentia sine esse constituto, quod in iis contingit, quę non habent quidditatem per Arist. immersam in materia, sed quidditas consistit absque materia.

Arist. illustratur.

In quib. idē sint quidditas, & esse, & in quibus non.

II. Ad secundum dicendum est, omnem separationem inferre distinctionem sibi proportionatam, ita vt sit talis distinctio, qualis separatio; vnde si separatio erit realis à parte rei, distinctio quoque erit realis à parte rei, & si separatio est rationis, distinctio similiter erit rationis. Ad separationem autem requiritur, vt non solùm separetur id, quod erat vnitum, sed etiam secundum illud esse, quo erat vnitum. Hoc autem attendentes reperiemus, naturam non separari à parte rei ab indiuiduatione, sed solùm ratione, & ideo non esse introducendam distinctionem à parte rei inter naturam, & indiuiduationem. Cum enim dicitur, naturam posse definiri absque indiuiduatione, & scientiam versari circa naturas, non circa indiuiduationem, hinc solùm colligitur separatio naturę secundùm nostros cō-

Ad secundum.

Talis distinctio, & tanta, qualis & quanta separatio.

cep-

ceptus; nam quando intellectus definit naturam, & eam scientifico modo considerat, concipit solùm esse naturæ non concepta indiuiduatione, vt pote quia indiuiduatio; quamuis sit idem cum natura in esse reali, non est tamen de quidditate ipsius, & ideò potest intellectus concipere naturam non concepta indiuiduatione. Similiter cum dicitur, proprietates conuenire ratione naturæ, non verò ratione indiuiduationis; in nullo alio sensu id verum esse potest, nisi quia natura est radix talium proprietatum; vt autem constituatur natura pro radice proprietatis, & non indiuiduatio, sufficit distinctio secundùm nostros conceptus; & si loquamur de proprietatibus physicis, quamuis hæ quoque radicentur in natura, consequuntur tamen ab illo esse physico naturæ, quod est seipso indiuiduum, vt dicemus. Rursus cum dicitur, indiuiduationem non esse æternam, essentias verò maximè, falsum assumitur, nam in tantum rerum essentiæ dicuntur æternæ, in quantum sunt possibiles: verum non sunt possibiles ex se præcisè, sed in indiuiduis, & ideo eo pacto ipsæ sunt æternæ, quo etiam indiuidua, & vtraq. eamdem æternitatem participant. Quòd si dicantur æternæ, qua tenus sint inuariabiles, indiuiduatio quoq; tali pacto est æterna, cū ipsa quoq; in suo esse inuariabilis sit, & sit identificata cum natura, vt nequeat non identificari: vnde quò ad hoc eadem est rō de essentia, & indiuiduatione; & proinde ex nullo istorum licet inferre separationem à parte rei.

Nō adest motiuū ponendi separationē a parte rei inter naturā, & indiuiduationem

III. Ad tertium conceditur, vnitatem naturæ esse vnitatem formalē, quæ diuersa est ab vnitate indiuiduali, & per ipsam natura est eadem in omnibus indiuiduis, vt patet ex ijs, quæ diximus de vnitate essentiali. Verùm quia natura ratione huius suæ vnitatis formalis est communicabilis pluribus, ideo etiam est identificabilis cum pluribus indiuiduationibus, illorum nempe indiuiduorum, quibus communicatur: posita autem hac identificatione, tollitur omnis distinctio à parte rei inter indiuiduationem, & naturam, & solùm remanet distinctio virtualis, ratione cuius vna vnitas distinguitur ab alia per intellectum; & hoc sufficit ad saluandam diuersitatē harum vnitatum; non enim sunt ambæ vnitates secundùm esse reale, ita vt secū dum esse physicum, quod est à parte rei debeant distingui, sed sunt vnitates subordinatæ, quarum altera est vnitas naturæ; altera vero nempe indiuidualis est vnitas esse physici, quod existit à parte rei. Et quia esse quidditatiuum imbibitur in physico tanquam essentiale constitutiuum, ideo vnitas quoque indiuidualis coadunat in vnum esse tum esse indiuiduale, tum quidditatiuum; & vnitas formalis naturæ inuoluitur in vnitate indiuiduali physicè accepta; si autem sumatur metaphysicè, est fundamentum illius, vnitas enim indiuidualis supponit essentialem, seu formalem. Rursus quia natura est communicabilis pluribus, hinc fit, quòd eius vnitas formalis sit identificabilis cum pluribus vnitatibus indiuidualibus tanquam cum terminis suæmet communicabilitatis; & ideo vnitates indiuiduales plures sunt, & vnica vnitas formalis naturæ; quæ tamen habet quandam extensionem, & latitudinē qua coadæqnatur cum pluribus indiuiduationibus. Ad confirmationem verò dicitur, hæcceitatem, seu indiuiduationem se habere respectu naturæ tanquā actum ad summum metaphysicum, & ideo non requirere distinctionem à parte rei, sed sufficere, si habeat diuersum conceptum à natura.

Ad tertium.

Quomodo differat vnitas formalis naturæ ab indiuiduali.

Quomodo inuicem se habeant.

IV. Ad quartum negandum est, sequi illa absurda, que ibi inferuntur; & cum dicitur ex eo, quòd natura sit idē cum indiuiduatione sequi, quod indiuidua sint idem inter se, quia, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, respondetur, vt hoc axioma verificetur, necessarium esse, vt huiusmodi tertium, secundum totum suum esse adæquatè identificetur cum vnoquoque illorum, alioquin non sequitur identificatio mutua eorum, quæ cum ipso identificantur, quia in tantum quæ cum vno tertio identificantur, inter se quoque identificantur, in quantum alterum ipsorum trahit ad identificationem cū seipso esse illius tertii, quod trahitur etiā ab alio in suimet identificationē, φ si non traheret ad identificationē cum seipso idem esse tertij, quod cum alio identificantur, sed aliam veluti partem, non sequeretur identificatio eorum, quæ cum tertio identificantur, quia cessaret causa talis identificationis. Hoc autem contingit, quando tertiū habet quam-

Ad quartum.

Quando, quæ identificantur cū tertio identificentur inter se.

quamdam latitudinem, ita vt non identificetur adæquatè cum quolibet eorum, quæ cum seipso identificantur, tunc enim non identificatur totaliter cum vnoquoque ipsorum, & proinde prout identificatur cum vno, non identificatur cum alio, & ideo non trahit ea ad mutuam identificationem. Hoc autem contingit in casu nostro, cum enim natura sit communicabilis pluribus indiuiduis, habet quamdam latitudinem, qua ad ipsa extenditur, & ideò licet sit idem cum qualibet indiuiduatione, non tamen est idem cum ipsa secundùm proprium esse adæquatum, & totale; sed sicuti per talem indiuiduationem inadæquatè terminatur, ita etiam est identificabilis cum alijs indiuiduationibus absque eo, quod identificetur cum vna, prout est identificata, cum alia; & ideò ex eo, quòd sit idem natura cum indiuiduatione, non sequitur, indiuidua esse idem inter se.

Cur ind... dua ö... inter ... licet ... tura ... idem cu ... indiuiduatione.

V. Sed neque sequitur secundum absurdum, quod ibi infertur. Non enim indiuiduatio ingreditur essentialia naturæ, sed solùm esse entitatiuum: potest enim haberi conceptus naturæ secundùm essentialia absque eo, quòd concipiatur indiuiduatio; quamuis sine indiuidua ione nequeat haberi esse physicum reale naturæ: hinc autem fit, indiuiduationem diuidere quidem esse physicum naturæ, quia ipsum ingreditur, non autem esse essentiale. Vnde adhuc consistit natura in indiuisibili secundùm sua essentialia, quam solam indiuisibilitatem requirunt rerum essentiæ; licet enim sit identificata cum indiuiduationibus diuisis, non sortitur in seipsa diuisionem, quia habet latitudinem, vt diximus, ratione cuius absque sui diuisione potest cum pluribus diuisis identificari. Tertium quoque absurdum, quod inferebatur, friuolum est, quia, cum dicitur, differentias debere esse extra rationem communem vniuocam, non intelligitur, quòd debeant esse extra ipsam per distinctionem à parte rei; sed quòd sint extra ipsam secundùm conceptum, ita vt non inuoluantur in eius quidditate; pro quo sufficit distinctio rationis cum fundamento in re. Et cum in confirmatione dicitur, Petrum per aliud esse hominem, & per aliud Petrum, verum est facta iam distinctione per intellectum, quæ antea erat solùm virtualis, non autem si intelligatur de alietate, quæ sit secundùm esse, quod est à parte rei.

Natura nō diuiditur ... cundū esse ... per indiuiduationes.

Quomodo differentiæ sint extra rōne vniuoca.

VI. Denique ad quintum concéditur illud suppositum, & etiam naturam independenter ab intellectu habere communicabilitatem, qua possit esse in pluribus, & per indiuiduationem incommunicabilitatem: quia tamen modus huius communicabilitatis non est per modum alicuius rei, quæ habeat ex se sola esse completum, sed per modum gradus superioris, qui ita alteri communicatur, vt simul ab ipso recipiat complementum, ideo est communicabilitas per identificationem, & coadunationem in idem esse illius, quod communicatur, & illius cui communicatur; & proinde stante tali modo communicabilitatis, non debet, quod communicabile est, distingui à parte rei ab eo, cui communicatur, alioquin destrueretur talis modus communicabilitatis. Vt autem natura independenter ab intellectu habeat suam communicabilitatem, & indiuiduatio incommunicabilitatem, sufficit, si sint possibilia plura indiuidua, in quibus reperiatur natura; est enim communicabilitas physica in exercitio posita, & ideo debet natura reperiri independenter ab intellectu actu communicata pluribus indiuiduis, quod per id saluatur, quòd sit in ipsis. Similiter sufficit, si indiuiduum illud, in quo reperitur natura identificata cum indiuiduatione, sit ratione indiuiduationis incommunicabile pluribus: hæc autem omnia saluantur, quamuis natura, & indiuiduatio coadunentur in idem esse. Hinc ad confirmationem dicitur, naturæ qui demrante intellectum conuenire numeralem multitudinem, non rōne sui præcisè, sed ratione indiuiduorum, in quibus ratione suæ communicabilitatis reperitur; indiuiduo verò non conuenit talis multitudo, quia est vnum, & indiuisum. Hinc autem fit, quòd negatio numeralis multitudinis, & ipsa multitudo sit in ipsis indiuiduis: negatio quidem talis multitudinis, prout vnumquodque indiuiduum se solo seorsim accipitur: numeralis verò multitudo, prout plura simul accipiuntur: non autem sequitur, quòd numeralis multitu-

Ad quintum.

Quomodo natura comunicabilis independenter ab intellectu.

Quomodo naturæ conueniat numeralis multitudo.

do ſit in natura ſecundùm ſe accepta, & proinde debeat diſtingui ab indiuiduatione.

An res omnes ſeipſis ſint indiuiduæ. Diſp. XLI.

Res omnes eſſe ſeipſis indiuiduas. *Sect. I.*
Accidens quoque ſeipſo eſſe indiuiduum. *Sect. II.*

Res omnes eſſe ſeipſis indiuiduas.

SECTIO I.

Aliorum opinio.

I. EX dictis in ſuperioribus conſtat, quomodo principium formale indiuiduationis non ſit aliquid diſtinctum à re indiuidua: imò ſi rectè perpendantur, quæ dicta ſunt, præſertim diſp. præcedenti, ſequitur, Res omnes eſſe indiuiduas ſeipſis, & non per aliquid aliud ſuperadditum: & ita docent Nominales Adamus in 1. diſt. 33. quæſt. 8. art. 1. Ocham. diſt. 2. quæſt. 5. & 6. Gabr. ibid. quæſt. 6. 7. & 8. & cœteri omnes. Neque enim volunt, naturam, vt natura eſt, eſſe ſeipſa indiuiduam, quemadmodum nonnulli ipſis adſcribunt, imo ferè communiter, ſed quòd vnaquæque res, quæ eſt à parte rei, ſit indiuidua, & quòd non aliunde habeat ſuam indiuiduationem, quàm à proprio eſſe phyſico, quòd participat, ita vt illud eſſe phyſicum ſit ſeipſo indiuiduum, & non per aliquid ſuperadditum: & hæc eſt legitima ſententia ipſorum, vt vnicuique eos attentè legenti palam fiet, præſertim Ochami & Gabr. Rurſus hanc ſententiam tenet Aureol. apud Capr. in 2. diſt. 3. quæſt. 2. D. Bonauent. in 2. diſt. 3. part. 1. diſt. art. 2. quæſt. 2. & 3. Riccard. ibid. art. 4. quæſt. 1. Durand. eadem diſtinct. quæſt. 2. & 3. Marſil. quæſt. 3. art. 1. Rubio quæſt. 4. Ægid. Roman. quæſt. 3. art. 1. in reſolut. dub. 1. Fonſeca 5. Metaph. cap. 4. quæſt. 5. Suarez in Metaph. diſp. 5. ſect. 6. Vaſquez 1. par diſp. 181. cap. 3. Hurtad in Metaph. diſp. 4. ſect. 5. Auerſa in Logica quæſt. 9. ſect. 9. dum vult, res omnes indiuiduari per differentiam intrinſecam indiſtinctam tamen. Præterea Perer. lib. 6 ſuæ Philoſophiæ cap. 12. & Piccolomin. lib. 3. de Mater. cap. 17. quamuis ipſi in rebus compoſitis tribuant eſse principium indiuiduationis principaliter formę eo, quòd tanquam principalior pars, & tanquam actus conſtituat compoſitum. Denique hanc ſententiam tenent ij omnes, qui neque materiæ ſignatæ, neque hęcceitati ex natura rei diſtinctæ tribuunt eſse principium indiuiduationis. quin D. Th. 1. par. quæſt. 29. art 1. docuit, ſubſtantiam eſse indiuiduam per ſe ipſam hęc enim habet in corpore. *Dicendum, quòd licet vniuerſale, & particulare inueniatur in omnibus generibus, tamen ſpeciali quodam modo indiuiduum inuenitur in genere ſubſtantię. Subſtantia enim indiuiduatur per ſe ipſam ſed accidentia indiuiduantur per ſubiectum quod eſt ſubſtantia.*

Res omnes ene indiuiduas ſeipſis. — Adam. Ocham. Gabr. — Aureol. S. Bonau. Riccard. Durand. Marſil. Rubio. Ægid. Roman. Fonſeca. Suarez. Vaſquez. Hurtad. Auerſa. — Perer. Piccol. — D. Tho.

Concluſio.

II. Cum his igitur Auctoribus cōcludendum eſt. Res omnes eſſe indiuiduas, per ſeipſas phyſicè loquendo, ita vt non habeant aliud indiuiduationis principium phyſicum præter proprium eſſe phyſicum, quod ſeipſo eſt quid indiuiduum. Atque hanc exiſtimo eſſe mentem Ariſ. qui, quamuis, vt ſuperius viſum eſt, doceat, res habere ſuam indiuiduationem per materiam, & ſuppoſito quòd intelligat de materia prima, id in tantum docuit, in quantum per formam intelligebat rerum quidditatē abſtractam, quę, dum fiebat in materia, acquirebat eſse entitatiuum, & indiuiduatio proueniebat ex eſſe entitatiuo rei, & eo ipſo, quòd res habebat eſſe entitatiuum, habebat etiam indiuiduationem. Quod etiam in pluribus aliis locis inſinuat, & præſertim 8. Met. tex 16. docet, quòd ſtatim, ac aliquid eſt ens, eſt etiam vnum; nec alia cauſa eſt, quæ facit vnum, quàm quæ facit ens; vnde ſicuti vnumquodque ſeipſo eſt ens, ita etiam eſt vnum. ait enim *Quare non ineſt in definitionibus nec ens nec vnum, & ipſum quid erat eſſe ſtatim vnum quiddam eſt, quemadmodum, & ens quiddā. Propterea non aliqua alia cauſa vlli iſtorum vt vnum ſint, nec vt ens quiddam ſint: ſtatim enim vnumquodque eſt ens quiddam, & vnum quiddam.* Et infra in eodem tamen textu ſubdit. *Quare ſimile eſt quærere quidnam vnius cauſa ſit, &*

Res omnes indiuiduę per ſuum eſſe phyſicum. — Ariſt.

vt vnum sit; vnum enim quiddam vnumquodque, & quod potentia, & quod actu vnum quodammodo est. Quare nulla alia causa est, nisi si quid fuit tanquam ex potentia in actum mouens. Rursus lib. 10. tex. 8. docet idem significare ens, & vnum, & vnumquodque per id esse vnũ, per quod est ens. Eius verba sunt. *Quod autem idem quodammodo significet vnum, & ens, patet etiam ex eo, quod aequaliter sequitur praedicamenta, & in nullo est, nec ipso quid est, nec in ipso quale, sed similiter se habet sicuti ens. Et ex eo, quod in praedicatione vnus homo non addit aliquid aliud, quàm homo, sicuti nec ipsum esse praeter quid est, aut quale, aut quantum & vni esse est vnicuique esse.* Cum igitur per Aris. vnum vniuersaliter non addat aliquid supra ens, nec etiam vnitas indiuidualis addet aliquid supra esse indiuidui, & proinde vnumquodque se ipso erit vnum indiuidualiter.

, ratio. III. Ratione etiam prob. Nam per id vnumquodque constituitur formaliter indiuiduum, per quod constituitur indiuisum in se, & diuisum à quocunq. alio vltima diuisione, ratione cuius habet incommunicabilitatem, qua nequit amplius pluribus communicari per modum superioris. Hoc autem totum vnumquodque habet ex vi proprii esse physici; nam hoc esse physicum in se non includit diuisionem, vt per se manifestum est: si enim sit ens simplex, ita vt non inuoluat partes, quibus componatur, tunc excludit à se omnem diuisionem ratione simplicitatis. Si vero sit compositum, tunc constituitur vnum in se, & indiuisum ratione compositionis, & illius vnitatis, quam secum affert compositio: compositio enim tendit ad faciendum vnum; & compositio per se facit vnum per se. Quod etiam confirmatur, & inquiro, an quodlibet ens secundum proprium esse sit vnum, & indiuisum in se, an vero multiplex, & diuisum, si primum, ergo iam ex vi proprij esse est in se indiuisum. Si verò multiplex, & diuisum, hoc est contra suppositum, quia non sumo multiplex ens, sed vnum: deinde si est multiplex, & consequenter importat plura entia; de vnoquoque ipsorum seorsim sumpro inquiro, an sit in se indiuisum, an vero diuisum; & tunc aut sistendum est in ente indiuiso, & quod excludat à se omnem multitudinem, aut progrediendum in infinitum. Verùm non solùm vnumquodque ens est in se indiuisum ex vi proprij esse esse, sed etiam indiuisum vltima, & summa in diuisione, qua redditur incommunicabile pluribus per modum superioris; quod sic ostenditur: quodcunque enim ens physicum est ens productum, & consequenter habet omnes illos gradus, qui necessarij sunt pro constituenda aliqua entitate, alioquin quomodo poneretur in actu illa entitas, nisi haberet totum id quod requiritur ad suimet constitutionem? si ergo habet, iam non potest diuidi per vlteriores gradus superuenientes, & consequenter, nec inferioribus communicari per modum superioris. Et hoc necessariò dicendum est, ne concedamus vniuersale à parte rei extra indiuidua; & hoc etiam praecipuè patet in rebus simplicibus, quae secundùm proprium esse sunt quacunque diuisione indiuisibiles: neque de hoc est aliqua difficultas, satis enim euidens est, non posse entia physica pluribus communicari per modum superioris. Ex hac autem in diuisione in se ipso sequitur diuisio à quocunque alio vltima diuisione, nempe entitatiua. Quare cum vnumquodque ens physicum ex vi proprij esse habeat totum id, per quod constituitur indiuiduum in esse indiuidui, concludendum est, quamlibet rem esse indiuiduam ex vi proprij esse physici.

Quodlibet ens physicũ ex vi proprij esse est indiuisum in se, & incõmunicabile.

IV. Et quia haec ratio habet magnam efficaciam pro nostra conclusione, ideo adhuc vrgeri potest. Impossibile enim est, aliquid distingui ab alio per id, quod est à seipso distinctum, ita vt distinctiuum, quo distinguitur, sit extra proprium esse, sed debet necessariò esse intimum vnicuique: alioquin si ab ipso distingueretur adhuc aliud distinctiuum concedendum esset, quo à proprio distinctiuo distingueretur; vnde aut procedendum esset in infinitum, aut concedendum aliquod distinctiuũ intrinsecum rei distinctae; quod si semel conceditur, erit sufficiens, vt res per ipsum ab vnoquoque distinguatur. Et ita planè dicendum est, quomodo enim fieri potest, quòd aliquid distinguatur ab alio per id formaliter, quod à seipso distinguitur? Distinguitur enim ab omni eo, quod non est ipsum; & proinde debet distingui per distinctiuum, Confir.

Distinctiuum est intrinsecum vnicuique rei.

quod sit ipsum, quia si non esset ipsum, adhuc ab ipso distingueretur, & ideo haberet aliud distinctiuum, quo distinguere'ur; & ideo vt distinguatur ab omni eo, quod non est ipsum, necesse est, vt præciso omni eo, quod non est ipsum habeat suum distinctiuum, quo ab omni alio distinguatur, quod fieri non potest, nisi sit intrinsecum rei, quæ distinguitur. Quo stante deducitur, indiuiduationem debere esse intrinsecam vnicuique indiuiduo, & proinde vnumquodque ens seipso esse indiuiduum: indiuiduatio enim sicuti constituit in esse indiuiduali, ita etiam distinguit indiuidualiter tanquam formale distinctiuum. Sic etiam videmus ea, quæ distinguuntur essentialiter, habere talem distinctionem ex vi proprij esse intrinseci, & non per aliquid superadditum.

Alia confir. V. Quod rursus quoque declarari potest. Cum enim impossibile sit, dari aliquod vniuersale à parte rei separatum ab indiuiduis, necessariò quicquid est à parte rei productum, debet esse indiuiduum; & eo ipso, quòd est à parte rei, erit tale; vnde res per id singularis erit, per quod est id, quod est, quia sicuti non potest existere, quod non est singulare, ita debet productio necessariò terminari ad aliquid singulare, ita vt sicuti communicat existentiam, ita etiam communicet singularitatem: existentia enim, & singularitas inseparabiles sunt; quamobrem cum productio communicet solùm esse quod res habet, necesse est, vt ex vi illius vnaquæque res accipiat indiuiduationem. Hinc autem fit, quòd indiuiduatio non possit esse extra esse rei, sed vnaquæque res sicuti seipsa terminat productionem, ita etiam seipsa sit indiuidua. Quod etiam ex eo patet, quia vnumquodque per quod est id, quod est, per illud ipsum etiam non est id, quod est aliud; seu sicuti vnum quodque per suum esse est id, quod in seipso est, ita etiam ex vi eiusdem esse non est esse aliorum; sic quia homo est homo per animalitatem, & rationalitatem, ita etiam ex vi eiusdem animalitatis, & rationalitatis non est lapis, aut quodlibet aliud, quod per cætera entia importatur. Si ergo per id, quod est id, quod est, non dicit esse aliorum, iam ex vi illius esse quod importat, distinguitur à quocunque alio: & propterea indiuiduum per suum esse physicum distinguetur à quocunque alio esse physico; atque adeo cum distinctio proueniat ab indiuiduatione, necesse est, indiuiduationem imbibi in esse physico rei. Atque hic habet locum illud axioma, quod *Constitutiuum est etiam distinctiuũ* quacunque distinctio ne debeat res distingui, sicuti ergo vnumquodque ens physicum entitatiuè constituitur per proprium esse; ita etiam entitatiuè per ipsum à quolibet alio distinguitur, atque adeo indiuidualiter, quia distinctio entitatiua est indiuidualis.

Vnumquodque eus ex vi suæ productionis indiuiduum.

Quodlibet per suũ esse ab alio distinguitur.

VI. Insuper. Quia principium indiuiduationis est ratio distinguendi indiuiduum ab omni eo, quod non est ipsum, debet esse talis conditionis, vt constituendo ipsum in esse indiuiduali, distinguat simul ab omni eo, quod eum ipso non communicat in esse: cum enim constituat in esse indiuiduali, constituit in esse incommunicabili. Verùm si principium indiuiduans non imbibatur intrinsecè in ipsa re, sequitur, quòd non distinguat ab omni eo, quod non est ipsum indiuiduum. Quæro enim, an distinguat indiuiduum ab ipsomet principio indiuiduationis? certè non potest distinguere, quia idem non distinguit à seipso; distingueret autem, si distingueret à principio indiuiduationis. Verùm ab ipso quoque deberet distinguere, quia distinguit ab omni eo, quod non est ipsum indiuiduum, principium autem indiuiduationis, non est ipsum indiuiduum eum ab illo distinguatur, vnde vt distinguat ab omni eo, quod non est ipsum indiuiduum, debet in eodem indiuiduo includi, & proinde debet vnaquæque res seipsa esse indiuidua. Et hic habet locum illud vniuersalissimũ axioma, quod *Quando affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis.* si ergo ponere principium indiuiduationis intrinsecum indiuiduo, est causa, cur à quocunque alio distinguatur, quia per se ipsum, & intrinsecum distinctiuum distinguitur, non ponere intrinsecum, erit causa, cur non distinguatur ab omni alio, quod nõ est ipsum, & ideo cum hoc sit cõtra naturam principij indiuiduationis, impossibile erit, quod sit extra esse rei indiuiduæ.

3. confir.

Pricipiũ indiuiduationis debet ab omni alio distinguere.

Pricipiũ indiuiduationis nequit ab omni alio distinguere, si sit extra esse rei indiuiduæ.

VII. Secundò principaliter probatur eadem conclusio. Et inquiro, quando res omnes sint indiuiduæ, an sint indiuiduæ intrinsecè, an extrinsecè per vnionem cũ indiuiduatione. Hoc secundum dici non potest, quia esse rerum, quod participant à parte rei est indiuiduale, nec potest concipi esse à parte rei, & quid productum, nisi etiã concipiatur indiuiduum, si quidem tunc non est communicabile pluribus inferioribus, sed in se incommunicabiliter subsistit indiuisum, & diuisum à quocunque alio vltima diuisione. Atque si esset tantùm indiuiduum per vnionem cum indiuiduatione, non esset verè indiuiduum, sed tantum denominatiuè, quemadmodum etiam paries, licet habeat albedinem, non est tamen intrinsecè albus, sed solùm denominatiuè: at vnumquodque ens physicum propriè, & intrinsecè est indiuiduum, ita vt indiuiduatio per se de illo dicatur, & inseparabiliter, quòd si determinatiuè tantùm esset indiuiduum, secundùm proprium esse intrinsecum esset communicabile pluribus, quando quidem præcisâ ab vnoquoque indiuiduo indiuiduatione, remanet esse illius communicabile pluribus; implicat autem, quòd si pluribus communicabile, quia habet esse entitatiuum vltimò completum, atque adeo ex se incommunicabile. Cum ergo res omnes sint indiuiduæ secundùm proprium esse, & intrinsecè, oportet vt intrinsecè participent formale principium indiuiduationis; atque cum nihil aliud intrinsecè participent, quàm proprium esse, iam ex vi ipsius erunt indiuiduæ.

ratio. | Res in intrinsece indiuiduæ.

Confir. VIII. Quod etiam ex eò confirmari potest. Quoniam esse indiuiduum est aliquid pertinens ad rei complementum, quamuis enim natura communis intelligatur completa in ratione naturæ, non tamen simpliciter in ratione essendi, quia sicuti est quid determinabile, & contrahibile, ita etiam est quid perfectibile, & complebibile, & proinde non habet totum illud complementum; quod potest habere, vnde indiuiduatio est illa, quæ vltimò terminando naturam, exhibet in ratione essendi vltimum complementum; & proinde pertinet ad esse ipsius tanquam aliquid de ipso. Cum ergo indiuiduatio pertineat ad esse rei, cũ esse physicũ in ratione essendi sit vltimò completum, iam in se includet indiuiduationem tanquam vltimum determinatiuũ. Secundò confirmatur ex proportione, quam seruare debent natura, & indiuiduum inter se; opponuntur enim in ratione communicabilis, & incommunicabilis: & ideo cum sit eadem ratio oppositorum, vnum debet dicere proportionaliter, quod dicit alterum, seu eo modo debet dicere rationem oppositionis, quo alterum dicit alteram rationem oppositionis: huiusmodi autẽ oppositio reperitur inter naturam præcisè consideratam, & esse physicum, in quo eadem natura reperitur determinata ad talem designabilem entitatem, nam natura sic præcisa est communicabilis pluribus, esse verò physicum, in quo natura reperitur non est communicabile pluribus, ergo sicuti natura ex vi proprij esse intrinseci est pluribus communicabilis, ita esse physicum indiuidui debet esse incommunicabile pluribus ex vi proprii esse intrinseci.

Indiui duatio pertinet ad esse rei. | Eodem modo in diuidui est indiuiduatio, quo natura cõmunis est communis, & communicabilis.

3. ratio. IX. Tertiò argumẽtor ex proportione, quæ seruanda est necessariò inter rationes superiores, & inferiores: debent enim inferiores proportionaliter dicere, quod dicunt superiores, ita vt eodem modo dicant sed secundùm esse magis determinatum, quod dicunt superiores secundùm esse minus determinatum; sic cum ens transcendens dicat vniuersalissimam rationem essendi, rationes inferioris entis dicent eamdẽ rationem essendi, sed magis determinatam; important enim rationes entis determinatiuas. Necessitas autem huius proportionis in eo fundatur, quòd tam rationes superiores, quàm inferiores concurrunt ad constituendam eamdem naturam, atq. essentiam, quæ consistit in indiuisibili, & rationes superiores sunt quædam inchoationes illius naturæ; inferiores verò complent id, quod inchoatum est in superioribus in ordine ad constitutionem vnius, atq. eiusdem naturæ; & ideo cum compleat determinando id, quod erat inchoatum in superioribus, debent dicere modo magis determinato id, quod dicunt gradus superiores. Stante ergo hac necessaria proportione, colligitur, indiuiduationem non posse esse aliquid

Proportio necessaria inter gradus superiores, & inferiores.

extra esse physicum rei indiuiduæ. Vnitas enim transcendentalis, quæ est prima ratio, & inchoatio cuiuscunque vnitatis, non dicit aliquid positiuum supra ipsum ens transcendens, nec est aliquid extra illam rationem entis vniuersalissimam; & hoc ipsum etiam seruatur in cœteris gradibus essentiæ, nã si vnitas generica non est aliquid extra naturam genericam, nec vnitas specifica aliquid extra naturam specificam, ergo etiam vnitas indiuidualis non erit aliquid extra esse physicum indiuidui, alioquin non seruaret debitam proportionem cum gradibus superioribus: & ideo vnaquæque res per suum esse physicum erit indiuidua; quia si vnitas indiuidualis non est aliquid extra esse rei indiuiduæ multò minus gradus indiuidualis, ad quem consequitur vnitas indiuidualis, erit aliquid extra idem esse.

Vnitas non est aliquid extra esse rei.

X. Quartò. In vnoquoque prædicamento ponuntur indiuidua illius prædicamenti directè, non solùm quia, sicuti ponitur primum prędicatum illius coordinationis prædicamentalis, ita debet quoque poni vltimum subiectum, quod de nullo prædicetur, & sit fundamentum, in quo fundetur prædicatio graduum superiorum; sed etiam quia debet dari fundamentum illius coordinationis, in quo immediatè fundētur species infimæ, quæ sicuti prædicantur de pluribus differentibus numero, ita etiã debent esse in illis, & in eadem serie prędicamentali debent habere terminũ suę prædicationis, cũ prędicatio sit per se directa, naturalis, & in recto. Accedit, quòd in tali prędicatione explicatur subordinatio illa, quæ interuenit inter gradus eiusdem coordinationis prędicamẽtalis, vnde ob hãc quoq; causam debēt indiuidua poni directè in prædicamēto, vt possint subijci in prædicatione tanquã aliquid illius prędicamenti. Ex hoc autem deducitur, quòd indiuiduatio nõ sit aliquid extra esse physicum rei: nam omnes gradus, qui ponuntur directè in aliqua coordinatione prædicamentali, ita sunt eiusdem ordinis, vt inuicem subordinentur, atque metaphysicè loquēdo vnus se habeat veluti actus complēs alterũ; deinde omnes spectant ad eandē rem constituendam, quia eadem res per superiores gradus inchoatur, & per inferiores completur, ita vt nõ habeat totum suum integrũ esse, nisi habeat oēs gradus illius coordinationis prædicamentalis vsq; ad vltimum inclusiuè, qui vltimò compleat illam rem, quę per gradus illius coordinationis constituitur, sicuti etiã per gradus superiores se habet semper potentialiter; ita solùm per vltimum perfectè cõpletur in suo esse. quamobrem cum indiuiduatio in vnaquaq; serie prædicamentali sit vltimus gradus, importabit etiam vltimum cõplementũ rei; atq; adeo pertinebit ad esse rei. Hinc cũ quælibet entitas physica in suo esse dicat cõpleto modo oēs gradus illius coordinationis prędicamētalis, ad quã reducitur, vt pote quia dicit esse cõpletum illius prædicamēti, dicet etiam gradum indiuidualem tanquam eum, qui spectat ad coordinationē prędicamentalem cuiuslibet prędicamēti.

4. ratio.

Indiuidua directè ponũtur in prædicamento.

Indiuiduatio est vltimum complementum cuiuslibet prædicamenti.

XI. Deniq; id etiam conuincitur ex parte productionis, qua entitas physica producitur. Ponamus enim generans aliud simile sibi generare, vel accidens producere accidēs eiusdem rõnis, vt cõtingit qñ lumen producit lumen, aut calor calorem: tunc sumo esse illud physicũ, siue substãtiæ, siue accidētis productũ, quatenus terminat productionem; ita vt sēper terminus positus in esse importet præcisè illud esse physicũ, quod fuit cõmunicatũ per productionē: atque de hoc inquiro, an distinguatur à producente, an vero nõ distinguatur. Et quidē dici non põt, non distingui, quia cũ impossibile sit, idē producere seipsũ, necessariò debet sēper interuenire distinctio realis inter producens, et productũ: vnde in diuinis quoq; ponitur distinctio personarũ rõne productionũ, cũ enim vna procedat ab alia, necessariò debet ab ipsa distingui. De hac distinctione inquiro, qualisnã sit &, quòd nõ sit essentialis manifestum est, quoniam supponimus, productionē esse vniuocam, in qua producens, & productũ sunt eiusdē rõnis; vnde nõ potest esse alia distinctio, quàm indiuidualis, siquidē quæ sunt eiusdem speciei, solùm indiuidualiter distingui possunt; quod etiã ex eo patet, quia distinguuntur secundũ esse entitatiuũ. Cũ ergo producēs, & productũ indiuidualiter distinguatur ex vi illius esse entitatiui physici, quod per productionē communicatur, iam in tali esse entitatiuo includetur distinctiuum indiuiduale, quòd non est aliud, quàm principium indiuiduationis, & proinde etiam tale

5. ratio.

Productum distinguitur a producente.

esse physicum seipso indiuiduum.

XII. Atque ex his deducitur, quomodo non solùm in entibus simplicib. completis, sed etiam in incōpletis, qualia sunt materia, & forma, atq; insuper in ipso cōposito saluetur indiuiduatio per propriū esse. Vnumquodq. enim ex his entibus haber proprium esse physicum per propriam productionem positum in actu, quo indiuiduari potest: materia enim, cum exerceat rationem subiecti, atque formam substentet, oportet, vt habeat suum esse proprium extra causas, quo exercere possit rationem subiecti; atque etiā à forma entitatiuè distinguatur; haber enim propriam entitatem distinctam à forma. Et etiam vna materia distinguitur ab alia secundùm suum esse productum, vt patet non solùm ex diuersitate compositi, quod cōstituit, sed etiam ex diuersitate loci, in quo reperitur, & ex plurib. alijs signis, & hæc distinctio non est essentialis, sed solùm indiuidualis, vnde materia erit seipsa indiuidua, siquidem distinctio est secundùm proprium esse materiæ, ita vt proueniat ab intrinseco illius: neque enim secundùm proprium esse intrinsecum distingueretur, si distinctio tanquam ex aliquo alio proueniens ipsi tribueretur, quemadmodum in suo esse non distinguitur subiectum ex eo, quòd recipiat in se accidentia distincta. Nec obstat, quòd materia sit pura potentia, quia est solùm pura potentia respectu actus substantialis informantis, & nihilominus habet suum esse physicum, quo exercet rationem subiecti, vnde & seipso indiuiduum esse potest. Et quamuis debeat ad hanc, vel illam formam determinari per dispositiones; non tamen necessaria est hæc determinatio, quia ex se non sit indiuidua, sed quia est indifferens ad omnes formas, & ideo determinanda est ad hāc potius specie, quàm illam: diuersitas enim dispositionum solùm necessaria est stante diuersitate specifica formarum.

Quomodo materia in seipsa sit indiuidua.

XIII. Quòd verò spectat ad formā, ipsa quoque habet suum esse physicum, quo indiuiduari potest; distinguitur enim à materia, vt nunc supponimus, & est terminus productionis singularis; & vna forma distinguitur ab alia indiuidualiter, ita vt distinctio sit secundum proprium esse ipsius, atque ab eiusdem intrinseco proueniat, & proinde distinctiuum indiuiduale debet esse intrinsecum. Et neque potest dici, quòd indiuiduetur per ordinem ad materiam, quia si sumatur aliqua forma indiuidua, non dicit ordinem ad aliquam materiam numero determinatam, sed cum omnes materiæ solo numero differentes sunt, potest quamlibet informare. Accedit etiam, quòd ordo formæ ad materiam est illi essentialis, & proinde ipsi conuenit ratione essentiæ, non autem ratione indiuiduationis. Quòd si non haber entitatem propriam, tunc sicut communicat in eadem entitate cum materia, ita etiam communicabit in eadem indiuiduatione.

Quomodo etiā forma.

XIV. Præterea compositum quoq. indiuiduatur per suam entitatem physicam, Entitas enim ipsius, seu esse physicum consurgit ex partibus componentibus, & extra entitatem ipsarum nullam aliam entitatem habet, vt nunc supponimus, quamuis fortasse habeat aliquam aliam tertiam realitatem, siue naturam extra naturam partium. Cum enim principia intrinseca componentia, quæ seipsa exhibendo dant illi esse, sint indiuidua, compositum quoque ex ipsis consurgens erit necessariò indiuiduum, quia quod est constitutiuum entitatis, est etiam constitutiuum indiuiduationis. Et quemadmodū forma, & materia secundùm quidditatē constituunt compositum secundùm quidditatem; ita etiam secundùm esse indiuiduale constituunt compositum secundùm esse indiuiduale. Vnde hinc fit, quòd altera ex his variata solùm indiuidualiter, varietur etiam compositū. Cum igitur compositum habeat suam indiuiduationem à materia, & forma, iam per suam entitatem indiuiduum est, siquidem entitas compositi non est alia ab entitate formæ, & materiæ. Quod etiam ex eo patet, quia si sumantur composita eiusdem rationis, & speciei, quæ tantùm indiuidualiter differunt, distinguuntur secundum proprium esse intrinsecum substantiale, quod satis patet ex diuersa corruptione, & productione, qua corrumpuntur, & producuntur; & etiam id Theologicè conuincitur, quoniam in mysterio Eucharistiæ, quando consecratur panis, & vinum, transubstantiatur in corpus, & sanguinem Christi sola substantia panis

Quomodo compositum quoque sit seipso indiuid.

& vini, et non aliquod accidens, et neque tota substantia panis, et vini existentis, sed solùm illa determinata indiuidualis, quæ est sub illis accidentibus: hoc autem contingere non posset, nisi vnum compositum distingueretur ab alio secundùm proprium esse, intrinsecum entitatiuum. Atque hæc ratio extenditur etiam ad formam, et materiam seorsim sumptas, quia si compositum habet ex se distinctionem, et indiuiduationem, quia transsubstantiatur vnum non transsubstantiato alio; forma quoque, et materia eamdem distinctionem, & indiuiduationem habebunt, quia similiter in composito existentia transsubstantiatur nō transsubstātiatis formis, & materiebus, quæ sunt in aliis cōpositis.

An compositum indiuiductur principalius per formam. XV. An autem compositum principalius indiuiduetur per formam, quàm per materiam, vt volebant Perer. & Piccolomin. supracit.. an verò æqualiter per vtramque, mihi videtur respondendum æqualiter per vtramque indiuiduari; quia licet compositum constituatur principalius per formam quò ad essentiam; & forma sit actus, ita, vt ad ipsam principaliter sequatur vnitas specifica; atq; insuper forma sit terminus formalis, seu *ut quo* generationis indiuidui; & substantiæ separatæ sint solùm actus, & proinde indiuiduatio ipsarum fundetur in ratione actus; hæc tamen non faciunt, vt forma principaliter indiuiduet cōpositum: hæc enim omnia, quæ enumerauimus cōueniunt formæ consideratæ secundùm essentiam, vnde solùm haberent locū, si secundùm essentiam indiuiduaret. Verùm cum indiuiduatio compositi nō habeatur, neq; ab essentia materię, neq; ab essentia formæ, sed ab esse indiuiduali ipsarum; atq; non magis vna, quàm alia sit indiuidua, quia vtraq. per eādem rōnem formalē indiuiduationis indiuiduatur, & æqualiter vtraq; est incōmunicabilis pluribus, idcirco cōpositū ęqualiter ab vtraq; indiuiduatur. Atq; hoc patet nāq. cū in substātiis separatis, quàm in materialibus indiuiduatio habet suū fundamentū, nēpe esse entitatiuū, quod in separatis quoq; substantiis reperitur. Et quāuis Aris. 2. de aīa tex. 7 doceat, Ens, & vnū dici multipliciter, sed principalius dici de forma, seu actu, nō benè deducitur, cōpositū indiuiduari principalius per formā, quia non loquitur de forma indiuidualiter considerata, sed secūdū essentiā, atq; ait, ens principalius dici de forma, vtpo e quia, cū sit essētialiter actus, & determinet materiā ad certā naturā, importat etiā determinatam rōnem entis, & cōstituit, *Hoc aliquid* hoc est cōpositū, importās cōpletā naturam, & determinatam essentiam, vt docet idem Aris. eodem lib. 2. de anima tex. 2. Arist.

Accidens quoque se ipso esse indiuiduum.

SECTIO II.

I. Conclusū est sec. precedēti, res oēs esse idiuiduas seipsis per propriū esse physicū, ita vt non indigeāt aliquo, quo indiuiduētur. Est tñ specialis difficultas circa accidētia, quę in hac sectione tractāda est, quia cū habeāt totū suū esse in ordine ad subiectū, per ipsū vidētur indiuiduari debere. Et ita docet D. Th. plurib. in locis, sed prę sertim 1 par. q. 29. ar 1. in corp. & q. 39. ar. 3. vnde eadē 1 par. q. 50 ar 4. & q. 71. ar. 7. infert. Nō posse intelligi plura accidētia eiusdē speciei inter se distincta, & à subiecto separata. Et q. de sprit. creat. art. 1 docet, Impossibile esse, quòd sint plures albedines separatę; sed si esset tota albedo separata ab oī recipiēte, & subiecto, esset vna. Quā aūt vnitatē sit habitura, explicat Quodlib. 7. ar. 10. vbi vult, Accidētia separata à subiecto nō futura indiuidua, sed se habitura ad modū formę intelligibilis. Et si obijcias, quòd accidētia in Eucharistia sunt indiuidua, & tñ sunt sine subiecto, respondet 4. contra Gēt. c. 65. Esse indiuidua, qa sunt in quātitate, quę gerit vicē subiecti. Atq; hanc opinionē sequūtur oēs Thomistę, qui tenēt, principiū indiuiduationis esse materiā signatā, quos sup. disp 37. sect. 1. recē suimus, & eā præsertim defendit Capr. in 1. dist. 44. ar. 2. concl. 2. Mouentur aūt ex eo, quòd materia signata sit principiū vniuersale indiuiduationis; vnde cū dicūt, accidētia indiuiduari p subiectū, noīe subiecti intelligunt materiā signatā qnātitate: vnde cū ex se accidētia nō sint apta diuidi indiuidualiter, diuidūt, & cōsequēter acquirūt suā indiuiduationē ex eo, q̄ r cipiunt in diuerso subiecto, qđ qdē est diuersū rōne diuersæ quātitatis, qua signatur, vt sup. citata

Accidētia indiuiduari per subiectum. opinio Thomistarum. D. Th.

Capr.

illa disput. retulimus. Volunt enim, vt ibidem explicauimus, quantitatem esse indiuiduam seipsa, & cum ex se essentialiter sit diuisibilis, esse principium omnis distinctionis indiuidualis. Hoc tamen fundamentum falsum est, vt iam patet ex supradictis, & ideo circa ipsum non oportet aliquid amplius addere.

Opposita sententia. II. In oppositum tamen sunt cæteri omnes, qui aliter sentiunt de principio indiuiduationis, vt Scotistæ, Nominales, & alij, qui docent, res omnes esse indiuiduas per suum physicum esse. Atq. specialiter reijciunt sententiam Thomistarum Rada in Controuer. tom 2. controuer. 3. art 3. conclus. 3 ex Scoto in 2 dist. 3. quæst. 4. § *Contra conclusionem &c.* vbi vtitur argumẽtis eiusdẽ Scoti ad probandũ, nõ posse accidens indiuiduari per subiectũ quæ sanè procedunt de principio intrinseco indiuiduationis, probat enim, nihil indiuiduari posse per aliquid alterius prędicamenti. Atq. hæc argumenta nititur Capr. soluere in 2. dist. 3. quæst. 1. in responsione ad argumenta contra 2. conclus. verùm nihil proficit, quia si rectè perpendantur responsiones illæ, adhuc relinquunt argumenta cum sua efficacia. Rursus etiam arguunt contra eamdem sententiam Thomistarum Suarez in Metaph. dis. 5. sect. 7. & Auersa in Logica quæst. 9 sect. 8. Meurisse 2. Metaph. cap. 3. quæst. 6. conclus. 7.

(Margin: Rada. Scot. Capr. Suarez Auersa. Meurisse)

Conclusio. III. Atque sanè rationes omnes, quibus sect. præcedenti probatum est, res omnes esse seipsis indiuiduas, æqualiter procedunt etiam de accidente, cum probent, quamcunq. entitatem esse seipsa indiuiduam: vnde concludendum est; Accidentia quoque esse indiuidua per suam entitatem physicam; non autem indiuiduari per subiectum. Et potest hæc conclusio probari, quoniam dependentia illa, qua accidens dependet à subiecto, non est sufficiens ratio, vt asseramus, indiuiduationem accidentis desumendam esse à subiecto: tota enim huiusmodi dependentia est in genere causæ materialis, quia subiectum, quodcunque illud sit, solùm concurrere potest recipiendo, & substentando accidens: vnde licet dependentia sit intrinseca accidenti, subiectum tamen se habet vt quid extrinsecum, & proinde non constituit accidens secundùm esse intrinsecum, sed solùm in genere causæ materialis causat esse accidentis: hinc accidens habet propriam entitatem extra entitatem subiecti, quæ est diuisa ab entitate subiecti, & vnumquodque accidens habet suam propriam entitatem, qua ab vnoquoq. alio contradistinguitur. Hinc autem sequitur, quòd subiectum non possit esse formale, & intrinsecum principium indiuiduationis respectu accidentium, non solùm, quia non concurrit in genere causæ formalis, quemadmodum debet concurrere principium formale indiuiduationis; sed etiã quia præcisò subiecto esse accidentis non esset indiuiduum, & consequenter communicabile pluribus inferioribus per modum superioris, quod tamẽ dici non potest; nam quodlibet accidẽs, quod à parte rei existit, habet suum esse physicum certum, & determinatum, et tanquam hoc numero designabile, & quod singularem productionem terminauit. Et hic valet argumentum sectione præcedẽti factum, quòd agens vni uocum ex vi productionis communicat esse distinctum à se, cum nihil producat se ipsum, atq huiusmodi distinctio pronenit ab intrinseco esse communicati per productionem, & potest solùm esse indiuidualis: vnde necessariò sequitur, accidens secundùm proprium intrinsecum esse indiuidualiter distingui ab alio accidente, & proinde indiuiduationem esse ipsi intrinsecam. Deinde etiã communicabilitas, qua aliquid communicatur pluribus per modum superioris, prouenit ex eo, quòd esse communicabile non est completũ per omnes suos gradus, sed potest adhuc alios suscipere, ratione quorum diuiditur, & pluribus communicatur; at omne esse physicum, quod est à parte rei, & consequenter esse quoque accidentis habet omnes suos gradus, et ideo non est vlterius cõmunicabile pluribus per modum superioris. Quod etiam confirmatur, nam accidens distinguitur entitatiuè, atque adeo indiuidualiter a subiecto; vnde habet necessariò propriam indiuiduationem contradistinctam ab indiuiduatione subiecti, quia vbi est distinctio indiuidualis, debet esse multiplicitas indiuiduationum.

(Margin: Accidẽ non indiuiduat per subiectum. Accidẽs habet propriũ esse physicum quid pendet à ... ; subiectũ solùm vt causa materialis. Subiectũ non est formale principiũ indiuiduationis accidentium.)

IV. Verùm non solùm subiectum potest esse formale, & intrinsecum prin-

cipium indiuiduationis ratione huius dependentiæ, qua accidens à subiecto dependet, sed neque extrinsecum, ita vt accidens per ordinem ad ipsum indiuiduetur. Hic enim ordo deberet esse ratio formalis indiuiduationis, si per ipsum accidens indiuiduaretur; quod tamen esse non potest, nam huiusmodi ordo conuenit accidenti ex vi suæ essentiæ, vnde est illi essentialis: econtra verò indiuiduatio ex natura sua est extra rationem essentiæ in quacunque re creata; Quomodo ergo potest ordo essentialis alicui esse formale principiũ indiuiduationis? Præterea hic ordo respicit subiectum non sub ratione indiuidui, sed sub ratione subiecti, & idcirco terminatur ad subiectum essentialiter acceptum; ergo non potest accidẽs per hunc ordinem indiuiduari, quia in tantũ per ipsum indiuiduaretur, in quantum redderetur incommunicabile, & in tantum ad summum potest per ipsum reddi incommunicabile, in quantum respiceret aliquod subiectum indiuiduum determinatum. Atque cum iste ordo sit essentialis accidenti, & terminetur ad subiectum sub ratione subiecti vt sic, hinc fit, quòd quodlibet accidens possit esse in hoc, vel illo subiecto, nec sit determinatum ad vnicum tantùm: hoc autem stante, nullo modo potest hic ordo esse principium indiuiduationis; intantum enim esset principium indiuiduationis, in quantum determinaret accidens, vt esset hoc numero; non posset autem determinare, nisi ipse in ordine ad subiectum esset determinatus indiuidualiter: at quomodo potest esse determinatus indiuidualiter, si non requirit subiectum indiuiduum determinatum, sed hoc, vel illud numero?

Ordo accidentis ad subiectum nõ est formale indiuiduationis eiusdem.

V. Sed neque dici potest, accidentia indiuiduari per subiectum, quia sint entis ens ordinata ad subiectum, & quia diuidantur ex eo, quòd recipiuntur in diuerso subiecto. Nam quamuis sint entis ens, & habeant totum suum esse in ordine ad subiectum, ad huc tamen sunt aliquid in seipsis, atq; habent proprium esse entitatiuum, vnde ratione ipsius, habent etiam propriã indiuiduationem sibi intrinsecam; quia esse entitatiuum seipso est indiuiduum, vt iam patet ex dictis sect. præcedenti. Deinde quòd accidens sit entis ens, atque habeat totum suum esse in ordine ad subiectum, prouenit formaliter ab ipsius essentia; indiuiduatio autem non est formaliter in essentia, & ideo non potest ex hoc capite indiuiduari per subiectum. Quin etiam argumentor; accidens secundùm suam essentiam est entis ens, & illam totam habet in ordine ad subiectum, & tamen non dicitur habere essentiam per subiectum; ergo neque per subiectum habebit suam indiuiduationem, quandoquidem præcisè ex vi indiuiduationis neque est entis ens, neque habet esse in ordine ad subiectum: sed erit indiuiduum per proprium esse physicum, & solùm secundùm tale esse indiuiduum ordinabitur ad subiectum sed ex eo, quòd ad ipsum ordinatur ex vi essentiæ.

Accidẽs non indiuiduantur per subiecta ex eo, quod sit entis ens.

VI. Quod verò spectat ad alterum caput, neque potest ratione ipsius indiuiduari per subiectum. Quia licet diuersitas subiecti sit occasio producendi diuersa accidentia, quia idem accidens numero, non potest naturaliter esse in diuerso subiecto, non hinc tamen fit, vt subiectum det distinctionem, & indiuiduationem accidenti, sed solùm, vt sit occasio, cur multiplicentur accidentia. Atq. hoc ex eo euidẽter colligitur, quòd esse physicũ accidẽtis existentis in vno subiecto nõ est esse physicũ accidẽtis existentis in alio subiecto, cum & productione, & corruptione distinguantur, & loco, & subiecto; quæ omnia inferunt distinctionem realem tanquam inter esse, & esse physicum. Cum ergo esse physicum accidentis, quod est in vno subiecto, non sit esse physicum accidentis, quod est in alio subiecto, oportet, vt distinguantur secundùm proprium esse intrinsecum physicum, quod nequaquam contingere potest, nisi habeant suum intrinsecum distinctiuum? nam quæ extrinseca sunt, nequeunt ponere distinctionem in esse intrinseco, quemadmodum neque possunt constituere: vnde cum constitutiuum, & distinctiuum idem sint, quod non constituit in esse intrinsecè, neque potest distinguere secundùm idem esse intrinsecum. Si ergo ista accidentia distinguuntur secundùm esse intrinsecum, oportet, vt habeant intrinsecum distinctiuum; atque huiusmodi distinctiuum non erit aliud, quàm indiuiduatio.

Neq. etiã eo, quod multiplicetur ad multiplicationẽ subiecti.

Resp.

VII. Respondere tamen possent. Accidentia ex eo, quòd recipiuntur in subiecto determinato, ipsa quoque determinari ex vi receptionis ad certum esse physicum, & hoc modo indiuiduari per subiectum, non quia subiectum sit formale principium indiuiduationis, sed quia per modum recipientis co arctat, & determinat accidens ad esse indiuiduale. Verùm ex hac responsione sequitur, quòd accidens indiuiduetur seipso; nam si subiectum ex eo solùm indiuiduat, quòd recipiendo accidens determinat ad certam entitatem physicam, iam non indiuiduat tanquam formale constitutiuum indiuiduationis, & proinde adhuc concedendum est formale principium indiuiduans: hoc autem non potest esse extra entitatem accidentis, quia si huiusmodi entitas est in se ipsa determinata, & indiuidua, debet etiam in se habere determinatiuum, & indiuiduatiuum. sed neque subiectum facit per modum recipientis, vt accidens habeat determinatam, & indiuiduam entitatem; quia licet non possit recipere, nisi accidens indiuiduum, hinc tamen non fit, vt determinet accidens ad esse indiuiduum; sed solùm, vt supponat habere esse indiuiduatum: vnde accidens, quod non est indiuiduum, non potest ordinari ad informandum subiectum indiuiduum. Quod etiam confirmatur. Subiectum namque concurrit ad causandum accidens in genere causæ materialis, & ideo solùm ipsum recipit, & sustentat, atque hæc receptio, & substentatio licet versetur circa totum esse accidentis; non tamen communicat accidenti aliquod esse, sed solùm efficiens est illud, quod communicat ponendo in actu, quod erat in potentia; ergo cùm subiectum non communicet aliquod esse accidenti, sed solùm recipiat, & substentet, neque etiam potest aliquo pacto determinare, & indiuiduare accidens, cum intra suum esse includat indiuiduationem, & omnem determinationem, quam habet. Præterea sicuti vnaquæque res habet suam intrinsecam possibilitatem, ita etiam habet ab intrinseco totum illud, quod potest includere in suo esse; & si ex vi suæ intrinsecæ possibilitatis nõ importat aliquid, non potest illud aliquo pacto habere, quia iam non est possibile, cum ex vi possibilitatis propriæ non importetur. Verùm totum id, quod vnaquæque res importat ex vi sui esse possibilis, habet ex se, & non recipit ab alio, nisi actualem existentiam. quia licet concurrant causæ ad illud ponendum in actu, non tamen conferunt illi aliquid de esse possibili, sed supponunt totam possibilitatem.. Quamobrem cum accidens in suo esse actuali includat indiuiduationem, habebit ex vi sui esse independenter à subiecto. Quod rursus confirmatur; nam inter subiectum, & quicquid in ipso recipitur, debet interuenire debita commensuratio, qua inuicem proportionentur, ita vt non possit intelligi subiectum aptum ad recipiendum aliquod accidens, aut quemuis alium actû, nisi intelligatur huiusmodi debita commensuratio, & ideo antequã intelligatur receptio actus in subiecto debet intelligi hæc commensuratio, & quicquid consequenter ad ipsam constituendam requiritur. Quare cum ob debitam commensurationem actus singularis requirat subiectum singulare, & subiectum singulare sit tantùm capax actus singularis, iam ante receptionem debet præintelligi singularitas, & indiuiduatio vtriusque, & consequenter antequam intelligatur accidens recipi in subiecto, debet intelligi indiuiduum; quomodo ergo fieri potest, quòd indiuiduetur per receptionem in subiecto?

VIII. Et quamuis hæc, quæ diximus, sufficienter probent nostram sententiam, adhuc tamen alia addere possumus. Et quidem si verum esset, accidens indiuiduari per subiectum, siue indiuiduaretur tanquam per principium formale, siue tanquam per terminum extrinsecum, aut recipiens; idem subiectum numero deberet semper conferre eamdem indiuiduationem, quia si est principium formale, manifestè patet, quòd ab eadem causa formali idem tantùm effectus prouenire potest. Si verò sit terminus extrinsecus, adhuc eadem tantùm indiuiduatio prouenire potest, quia ab ipso dependet in esse, & proinde dependet etiam in vnitate; vnde videmus, quòd idem specificatiuum non potest specificare nisi vnum, & idem specificatum; & quæ plurificantur per terminum extrinsecum, solùm plurificari possunt ad plurificatio-

Reiicitur.

Accidẽs non indiuiduatur ex eo, quod recipitur in subiecto indiuiduo

Quomodo vnaquæque res habeat ex se totum suum esse.

Receptio accidentis subiecto supponit accidens subiectum.

Idem subiectum deberet semper conferre eãdẽ indiuiduationẽ accidenti.

nem termini; vnde qui in eodem fundamento ponunt relationes multiplicari numero, solùm ponunt multiplicari ad multiplicationem terminorum. Et quidem si subiectum determinat, & indiuiduat accidens, quocumque modo indiuiduet, siue vt terminus, siue vt recipiens, siue vt formale indiuiduatiuum, in tantum indiuiduabit, in quantum habet causam indiuiduatiuam. Verùm cum sit vnum, atque idem subiectum habebit solùm vnam, atque eamdem causã indiuiduatiuam, & proinde ad eamdem solùm indiuiduationem determinare poterit.

IX. Cum ergo hæc doctrina verissima sit, ex ipsa sequeretur, non posse plura accidentia indiuidua esse in eodẽ numero subiecto, quod quamuis Thomistæ concedant quò ad accidentia, quæ differunt solo numero, & sunt eiusdem speciei, non tamen concedunt, nec concedere possunt quò ad accidentia diuersæ speciei, quæ ita differunt specie, vt etiam differant numero; experimur enim plura accidentia reperiri in eodem subiecto, etiam sensibilia; vnde in eodem subiecto erunt plures indiuiduationes, sicuti sunt plura accidentia indiuidua: quæro ergo, an hæ omnes indiuiduationes sint à subiecto, ita vt vnumquodque accidens indiuiduetur ab illo; an verò nòn sint. Si sunt, quomodo fieri potest, quòd vnum atque idem indiuiduatiuum numero possit causare diuersas indiuiduationes; hoc enim est impossibile, vt supra dicebamus, quia ab eodem numero indiuiduatiuo potest esse eadem tantùm indiuiduatio, quocunque modo ab ipso desumatur, quia non potest variari indiuiduatio, nisi varietur id, à quo desumitur, idem enim manens idem non est aptum facere nisi idem; quare si à tali subiecto sumitur talis numero indiuiduatio, & non alia, semper ipsa, & non alia desumetur. Si verò secundum membrum eligatur; iam conceditur accidentia non indiuiduari per subiectum.

Plura accidentia indiuidua in eodem subiecto quod nõ darentur, si ab ipso indiuiduarentur.

X. Quod si quis dicat, accidentia illa esse diuersa specie, & ideo sortiri aliam, & aliam indiuiduationem, quamuis sint in eodem subiecto, tunc vrgeo, inquirendo, an possit subiectum conferre diuersas indiuiduationes: an non. Si potest conferre, certè tunc conferet, quando exiguntur ab ijs, quæ indiuiduantur; quod tamen dici non potest iuxta principia Thomistarum, nam quando producuntur diuersa productione accidentia eiusdem rationis, exigunt diuersam indiuiduationem, & tamen per ipsos non possunt produci in eodem subiecto, quia non possunt plura accidentia solo numero diuersa esse in eodem subiecto; quòd si posset subiectum conferre plures indiuiduationes, quando ab accidentibus exiguntur, posset etiam indiuiduare plura accidentia, solo numero diuersa, quia quando posset conferre plures indiuiduationes, parum referret, quòd accidentia essent eiusdem, vel diuersæ speciei. Deinde subiectum est vnum, atque idem indiuiduatiuum, & si concurrit tanquam formale principium indiuiduationis: manifestum est, quòd ab ipso vna, atque eadem tantùm indiuiduatio esse potest, si quidem neque per Dei potentiam ab vnica causa formali potest esse multiplex effectus formalis. Si verò concurrit vt terminus, aut vt receptiuum, cum secundùm idem esse, atque eamdem rationem terminet, & recipiat, iam secundùm eamdem quoq; rationem applicabitur ad indiuiduandum, & proinde non poterit, nisi vnam, atque eamdem indiuiduationem exhibere, siue quæ indiuiduantur diuersam exigant, siue non; quia idem manens idem, non est aptum facere, nisi idem: vnde, si exigunt, debent aliunde illas recipere. Cum ergo non possit subiectum diuersas indiuiduationes conferre, neque conferet, quamuis accidentia differant specie, sed aliunde debebunt illas sumere. Præterea cum subiectum non sit formale indiuiduatiuum, oportet concedere plura formalia indiuiduatiua, quibus indiuiduentur illa accidentia, quæ sunt in eodem subiecto; positis autem pluribus principijs formalibus indiuiduationis, non est necesse quærere aliud principium indiuiduationis, aut aliquid aliud, quia sufficiunt principia formalia, quæ sicuti seipsis sunt formaliter indiuidua, ita etiam seipsis inuicem distinguentur, quia quod est ratio distinguendi aliud, se ipso distinguitur ab omni alio.

Occurritur responsioni.

Idem subiectum non pôt indiuiduare plura accidentia etiam si specie differãt.

XI. Præterea probari potest. Si accidentia indiuiduarentur per subiectum

ctum, necessariò diuersa subiecta indiuiduarent diuersa accidentia, quod satis patet ex eò, quia accidentia multiplicantur numero, quando sunt in diuerso subiecto, quamuis in eodem subiecto non plurificarentur, sed coirent in vnum accidens numero, vt contingit in pluribus gradibus caloris, aut alterius huiusmodi qualitatis. Et ratio etiam vrget, quia si accidens indiuiduatur per subiectum ex eo, quòd in ipso recipitur, diuersum subiectum debet indiuiduare diuersum accidens, alioquin vnde desumeretur pluralitas indiuidualis? Hinc autem sequeretur, impossibile esse, idem accidens numero posse esse in diuersis subiectis, quia cum indiuiduetur per receptionem in subiecto, ex eo quòd reciperetur in diuerso subiecto, reciperet diuersam indiuiduationem. Hoc autem est falsum quia potest Deus accidens, quod est in vno subiecto conseruato omnino eodem esse physico, quod habet à parte rei, separare à subiecto, & ponere in alio subiecto; tunc autem remanebit idem numero, quia impossibile est, quòd idem omnino varietur numero retinendo idem omnino esse physicum entitatiuum. Deinde potest etiam Deus per replicationem, siue fiat secundùm præsentiam naturalem, siue sacramentalem, ponere idem accidens in pluribus subiectis, neque enim in hoc apparet aliqua implicantia, cum quodlibet accidens numero, saltem si sit accidens commune, informare possit quodlibet subiectum eiusdem speciei; cum autem replicatio seruet identitatem numeralem rei replicatæ, iam idem accidens numero poterit esse in pluribus subiectis, & consequenter non indiuiduabitur ab ipsis.

Idem accidens numero potest esse in diuersis subiectis, non posset autem, si à subiectis indiuiduaretur.

XII. Denique potest Deus à subiectis diuersis separare accidentia, quæ solo numero differunt, & separata conseruare, quia cum dependeant à subiecto solùm in genere causæ materialis, nec habeant necessariam connexionem cum ipso, potest Deus talem dependentiam supplere; atque cum suppleat causam materialem miraculosè, & in cæteris naturali modo procedat, eodem concursu generali conseruando illa accidentia, quo prius conseruabat, retinebunt idem esse physicum, & entitatiuum, quod prius habebant, quia perseuerante eadem conseruatione effectiua, debet etiam perseuerare idem effectus. Rursus potest impedire, ne illa accidentia vniantur conseruando in locis distinctis: tunc autem erunt eiusdem speciei, & distinguentur inter se, atque adeo non alia distinctione, quàm indiuiduali: nec recurri potest ad ordinem, quem dicant ad subiectum, tum quia, vt supra etiam diximus, non respiciunt determinatum subiectum numero, sed hoc, vel illud; tum etiam quia cum secundùm proprium esse distinguantur, necesse est, vt ex se habeant intrinsecum distinctiuum, atque adeo indiuiduationem independenter à subiecto, quæ ex se, vt talis est, distinguat, & non per ordinem ad subiectum, quia sicuti non est indiuiduatio per ordinem ad subiectum ita neque distinguet per ordinem ad ipsum.

Accidentia possunt multiplica numero extra subiectum

XIII. Nec video, quomodo possint Thomistæ dicere, quòd in tali casu accidentia non habebunt vnitatem indiuidualem, sed se habitura ad modum formæ intelligibilis; nec fieri posse, quòd intelligantur solo numero plurificata. Nam accidentia illa, quando intelliguntur in subiecto, intelliguntur plurificata solo numero; atque ista plurificatio illis conuenit formaliter non ex vi subiecti, sed ex vi proprij esse entitatiui, nam formaliter esse entitatiuum ipsorum plurificatur, & ideo debet in tali esse entitatiuo poni formale plurificatiuum: ergo si Deus separet à subiecto hoc idem esse entitatiuum, retinebit suam numeralem plurificationem; nam si remanet inuariatum idem esse entitatiuum, debet etiam remanere plurificatio, quæ habetur ex vi eiusdem esse entitatiui; est enim omnino imperceptibile, quòd remaneat esse, & non remaneat eiusdem plurificatio, præsertim quia potest Deus conseruare hæc accidentia in diuersis locis; quomodo autem fieri potest, quòd ea, quæ sunt in diuersis locis non distinguantur? Præterea potest Deus ab vno tantùm subiecto separare accidens non separando ab alio accidens eiusdem speciei, tunc autem accidens separatum distinguetur à non separato, & cum sit eiusdem speciei, potest tantùm distingui numero, ergo iam accidens separatum potest habere ex parte

Resp. Thomist.

Reijcitur.

Accidentia separata à subiecto possunt plurifica ri numero.

sui ipsius distinctionem numeralem: vnde cum possibilis sit distinctio numeralis ex parte accidentis separati, iam plura accidentia separata poterunt distingui solo numero. Rursus nec rectè dicunt, accidentia separata se habitura ad modum formæ intelligibilis, nec habitura vnitatem indiuidualem; nam adhuc illa accidentia retinebunt suum esse physicum, & entitatiuum: atque entitatiuè distinguentur; & erit esse entitatiuum materiale ordinatum ad informandum subiectum materiale, atque erit idem esse, quod erat in subiecto; quomodo ergo, cum habeant idem esse, se habebunt ad modum formæ intelligibilis? Deinde cum vnitas consequatur ad ens, atque accidentia illa retineant idem esse, quod habebant in subiecto, quomodo etiam non habebunt eamdem vnitatẽ indiuidualẽ?

Accidẽtia separata a subiecto essent indiuidua.

An plura accidentia solo numero diuersa possint esse in eodem subiecto. Disp. XLII.

Aliorum sententia.

SECTIO I.

1 Quamuis hæc quæstio videatur alibi pertractanda, nihilominus, cum dubium huiusmodi oriatur ex præsenti materia de indiuiduatione, hic discutienda fuit. Si enim subiectum indiuiduaret accidentia, certè non possent plura accidentia solo numero diuersa esse in eodem subiecto, quia non haberent vnde distinguerentur; nam non possent à subiecto accipere diuersas indiuiduationes; vnde ex eo, quòd non possent plura accidentia solo numero diuersa esse in eodem subiecto, videretur congruenter inferri, accidentia indiuiduari per subiectum. Econtra verò, si plura accidentia solo numero diuersa possunt esse in eodem subiecto, inde conuincitur, accidens non indiuiduari per subiectum. Vt ergo hanc difficultatem de indiuiduatione accidẽtium plenè dissoluamus præsens quoque disputatio agitanda est.

II. Variè ergo circa hoc opinati sunt Auctores, quorum alij absolutè locuti sunt, alij verò cum distinctione. Et primò quidem nonnulli, quorum sententiam refert Suarez in Metaph. disp. 5. sect. 9. num. 1. ita absolutè negarunt, plura accidentia solo numero diuersa posse esse in eodem numero subiecto, vt neque successiuè censerent id esse possibile, sed necessariò quotiescunque in aliquo subiecto corrumpitur aliquod accidens, & subiectum de nouo acquirit idem accidens specie, acquirere etiam idem accidens numero: vnde si aqua reducitur ad pristinam frigiditatem, acquirit eamdem frigiditatem numero, quam amiserat, quia semper idẽ accidens reproducitur. Atque supposito, quòd accidens indiuiduaretur per subiectum, ita sanè dicendum esset, nam quodcunq; accidens in ipso poneretur, haberet idem indiuiduatiuum, & ideo esset idem indiuiduum accidens. Præter autem hoc fundamentum sumptum ex indiuiduatione accidentis, addi etiã potest, quòd quando sit idem subiectum, & idem agens, cum semper idem natũ sit facere idem, producit idem numero accidens, cum non possit assignari ratio, cur producat distinctum. Vnde Arist. quoq; 8. Metaph. tex. 12. hoc ipsum insinuat, ait namq; *Etenim si materia diuersa & mouens, & ipsum quod factum est.* (nẽpe est diuersum) quasi diceret, quando contingit subiectũ, & efficiens esse diuersum numero, effectus quoq; tũc est numero diuersus; sicuti est idẽ effectus numero, si subiectum, & efficiens sit idẽ numero. Et sicuti si quis per horã intueatur parietem, nũquam interrupta visione, producet semper eundẽ numero actum, ita etiam si interrũpat visionem, & postea repetat, quia interruptio nõ tollit, quin potẽtia possit efficere eumdem numero actum. Pro hac autem sententia sic explicata Suarez citat Scotum, sed nõ locum, vbi id tradat. Nõ tamen hęc explicatio facit ad rẽ, quia ipsa stãte poterũt plura accidentia successiuè esse in eodẽ

1 opinio Neque successiue posse plura accidentia solo numero diuersa esse in eodem subiecto. Suarez.

Arist.

Sc. 2.

subiecto, si nimirum à diuerso agente producantur.

1. opinio Non posse plura accidentia solo numero diuersa esse simul in eodem subiecto.

III. Altera autem sententia cum quadam moderatione procedit; concedit enim, plura accidentia solo numero diuersa posse esse in eodem subiecto successiuè; sed negat, posse esse simul absolutè de quocunque accidente. Atque ita docent complures Thomistæ desumentes hanc sententiam ex D. Th. 5. Metaph. lect. 12. vbi explicans tex. 16. ait; Impossibile esse, plura accidentia eiusdem speciei esse in eodem numero subiecto, & 3. part. quæst. 35. art 5. negat plures relationes in eodem patre respectu filiorum plurium, quia non possunt plures formæ eiusdem rationis esse in eodem subiecto. Atque specialiter tradunt hanc sententiam Caiet. citato loco 3. par. Capr. in 1. dist. 7. quæst. 2. Soncin. 7. Metaph quæst. 4. Heru quodlib. 3. q. 9 & in 3. dist. 8. q. 1. Paludan. eadem dist. q. 2. & citatur etiam Gandauens. quodlib. 15. q. 6.

D. Th. Caiet. Capr. Soncin. Heru. Paludan. Gandau.

Fūdamēta hujus sententiæ. Arist.

IV. Existimant autem, hanc esse sententiam Arist. vnde pro ipsa arguūnt primo ex eius auctoritate lib. 5. Met. tex. 16. circa finem cap. 10. vbi, cum docuisset, plures modos, quibus aliqua differunt specie, tradit vltimum inquiens. ***Et quæcunque cum in eadem substantia sint, differentiam habent.*** Hoc est omnia illa etiam specie differunt, quæ stant in eadem substantia cum differentia inter se; nomine autem substantiæ intelligunt subiectum, vnde quæ in eodem subiecto distinguuntur, differunt specie per Arist. Præterea si plura accidentia solo numero diuersa possent esse in eodem subiecto, possent etiam infinita, quia non adest ratio, cur tot, & non plura possint esse in illo. Hinc Arist. 4 Phys. tex. 5. probat, esse impossibile, duo corpora esse naturaliter in eodem loco, quia possent etiam infinita: repugnat autem, infinita accidentia esse in eodem subiecto, tum quia repugnat infinito esse in actu, tum quia subiectum requireret infinitas causas, à quibus illa accidentia producerentur, quod fieri non potest, cum in causis agentibus non possit procedi in infinitū, vt habetur ex 2. Metaph tex. 7. Tertiò quia darentur infinitæ relationes in eodem subiecto; nam continuum habet infinitas partes, per quas cōstituitur, vnde dicit relationem ad ipsas tanquā effectus ad causas, seu constitutum ad cōstitutiua: vnde si accidentia multiplicātur numero in eodem subiecto, multiplicabuntur relationes ad multiplicationē partium, atq. adeo erunt infinitæ, quemadmodum etiam partes. Quartò omne receptiuum alicuius formę debet esse denudatum ab omni forma non solùm eiusdem speciei, sed etiam eiusdem generis vt habetur ex 3. de anima tex. 17. & 18., ergo quando subiectum recipit accidens, nō potest præhabere aliud accidens, quod solo numero differat, alioquin recipiens non esset denudatū à forma eiusdem speciei, quam recipit.

Secundū. Arist. Tertium. Quartū.

2. opinio Accid. in actu incōpleto posse plura multiplicari numero in eodem subiecto.

V. Quia tamen recitata sententia graues patitur difficultates, ideo eam moderari conati sunt Thomistæ, adhibentes quamdam distinctionē accidentium: vnde constituitur tertia sentētia. Distinguunt ergo duplex genus accidentium: aliud, quod cōtinet accidētia, quæ vocant in actu completo; & alterum continens accidentia, quæ vocant in actu incōpleto. Quòd si quæras, quænam sint accidentia in actu cōpleto, & quæ in actu incompleto, Respondet D. Th. q. 8. de Verit. ar 14. in corpore. Accidentia in actu completo esse illa, quæ exhibent actuando subiectum totū id, ad quod ordinātur, vt quando calor, aut albedo actuant subiectum cōpleto modo: vt antem accidentia, quæ sunt capacia intensionis completo modo actuent, necesse est, vt habeant suum actū perfectum, nimirum secundùm totā illam intensionem, quam naturaliter possunt habere saltem in tali subiecto. Accidentia verò in actu incōpleto sunt illa, quę mediant inter potentiam, & actū perfectum, vnde important solùm actū imperfectum, nec actuando subiectum illi exhibent totum id, quod exhibere possent, vt esset calor remissus tendens ad vlteriorē perfectionē, species intētionales tam in sensu, quàm intellectu; cū enim hæ ordinentur ad cognitionē, se solis imperfectè actuant potentiā, & solùm per modū habitus, nam solū perfectè actuatur per ipsā cognitionē; & ideo dicūtur accidētia in actu incōpleto. Afferunt ergo, accidentia in actu incōpleto posse plura numero esse in eodem subiecto: nō autē accidētia in actu cōpleto. Atq. hāc distinctionē adhibēt propter species intentionales, quæ cum proueniant ab obiectis solo numero

D. Th.

di-

D. Th. Caiet. Capr. Iauel.

Fundamentũ.

diuersis, videntur ipsæ quoque solo numero differre. Atque ita docet D. Th. supracit. Caiet. 1. par. q. 85. ar. 4. §. *Circa rationem pro conclusione &c.* Capr. in 2. dist. 3. quæst. 2. ad argum. contra 9. conclusionem, Iauel. 5. Metaphys. quæst. 16. Ex eo autem videntur moueri, quòd sicuti actus incompletus accidentium facit, vt duo contraria possint esse simul in eodem subiecto, vt calor remissus, & frigus remissus, multò magis faciet, vt duo accidentia solo numero diuersa possint esse in eodem subiecto, cum non pugnent inter se, quemadmodum contraria, nam tunc capacitas plurium accidentium in actu incompleto censetur capacitas vnius accidentis in actu cõpleto.

4. sent: Plura accidentia solo numero diuersa posse esse in eod. subiecto aduentitia, non autem congenita.

VI. Quarta sententia alia distinctione vtitur; ait enim, quædam accidentia esse congenita subiecto, ita vt ab intrinseco ipsius emanent, quemadmodum sunt accidentia propria; alia verò esse aduentitia, quæ etiam sunt accidentia communia pluribus subiectis, & quando aduentitia sunt ab extrinseco introducuntur. Asserit ergo, accidentia congenita subiecto nullo pacto posse multiplicari numero in eodem subiecto: accidentia verò posterioris ordinis posse plura solo numero diuersa reperiri in eodem subiecto simul. Atque ita docet Iandun 5. Metaph. quæst. 36. qui ex eo mouetur, quòd accidentia congenita sunt connaturalia subiecto, atque adeo ab ipso profluere debent naturaliter; cum autem natura abhorreat superfluum, poterit natura vnicum tantùm accidens ex his producere in subiecto. E contra verò res se habet in accidentibus aduentitijs, quia hæc per accidens se habent ad subiectum, & ideo nihil repugnat multiplicari, quamuis non semper multiplicentur,

Iandun.

Eius fundamentũ.

5. opinio Accidentia, quæ non habent latitudinem posse plura numero esse in eodem subiecto: secus de alijs.

VII. Quinta quoque sententia cõcedit, plura accidentia solo numero diuersa posse esse in eodem subiecto, sed non vniuersaliter id admittit de omnibus: vtitur tamen alia distinctione à præcedentibus. Ponit enim, alia esse accidentia, quæ habent quamdam latitudinem intensiuam, quæ intendi possunt per additionem partis ad partem: alia verò, quæ carent huiusmodi intensiua latitudine, quę etiam differunt ab accidentibus prioris generis, quod nequeunt per motum propriè dictum acquiri, quemadmodum possunt acquiri accidentia prioris generis, quamuis non omnia. Asserit ergo, accidentia prioris generis non posse plura solo numero diuersa esse in eodem subiecto, quamuis nonnulli id tantùm affirment de ijs, quæ acquiruntur per motum propriè dictum, & excipiant ea, quæ licet habeant latitudinem intensiuam, non tamen acquiruntur per motum propriè dictum, quæ vocat accidentia intentionalia, quemadmodum est lumen: concedit autem, posse plura accidentia posterioris generis solo numero diuersa esse in eodem subiecto: an autem verum sit vniuersaliter de omnibus accidentibus huius generis, id non explicat. Tenent autem hanc sententiam Scot. in 3. distinct. 8. quæst. vnica, §. *Contra istam rationem secundam, &c.* Lychet. & Bassolis ibid. Anton. Andreas 5. Met. phys. quæst. 8. Fonseca 5. Metaph. cap. 10. quæst. 7. sect. 3. vbi per tres conclusiones docet, accidentia, quæ intenduntur, & remittuntur, non posse multiplicari numero in eodem subiecto; quæ verò neque intenduntur, neque remittuntur, non solùm repugnare multiplicari numero, sed etiam de facto dari plura numero in eodem subiecto. Fundamentum insinuatur à Scoto, quoniam, inquit ipse, si in subiecto est capacitas ad plura accidentia eiusdem speciei, nisi inducatur aliquis actus, qui contineat omnes actus, qui possunt illi subiecto inesse, non terminatur tota capacitas, sed potest alia forma introduci: de facto tamen non introducitur ab agente naturali, quia agens naturale intendit formam præexistentem perficere, & ideo producens nouam realitatem, vnit præcedenti eiusdem formæ, & fit vnum accidẽs; & ob hanc rationem accidentia, quæ sunt capacia intensionis nequeunt plurificari solo numero in eodem subiecto. Alia argumenta affert Fonseca, sed procedunt solùm de lumine, quod nequeat multiplicari in eodem subiecto.

Scot. Lychet. Bassolis. Anton. Andr. Fonseca.

6. opinio Accidentia, quæ differũt officio, posse multiplicari in eodẽ subiecto

VIII. Sexta sententia partim similiter concedit, posse plura accidentia solo numero diuersa esse in eodem subiecto, partim verò negat, sed vtitur alia distinctione: ait enim, quædam accidentia reperiri, quæ licet

licet indiuidnaliter differant, habent tamen præter conuenientiam specificam quamdam aliam conuenientiam, nimirum in munere, & officio, ad quod destinantur, & in quacunque habitudine, quam dicunt, vt sunt duo calores, aut duæ albedines. Alia verò reperiuntur, quæ licet habeant specificam vnitatem, habent tamen aliquam diuersitatem veluti materialem, vnde different in officio, seu in aliqua habitudine, vt species visibiles diuersorum indiuiduorum, nam, si sint eiusdem indiuidui, se habent vt accidentia prioris generis, nec differunt officio, vt essent duæ species visibiles Pauli. Asserit autem, accidentia prioris generis non posse multiplicari numero in eodem subiecto. Accidentia autem posterioris generis, quæ semper sunt relatiua, aut transcendentalia; aut prædicamentalia, posse multiplicari; hoc enim habent ratione illius diuersitatis veluti materialis. Et ita docet Suarez in Metaphys. disp. 5. sect. 8. num. 16. & desumitur ex Durand. in 3. dist. 6. q. 3 num. 19. vbi respondens ad primam rationem alterius partis docet, posse duo accidentia einsdem speciei esse in eodem supposito secundùm aliam partem, quod idem est, ac si essent in pluribus subiectis; duas verò relationes eiusdem speciei posse esse in eodem supposito secundùm aliud, & aliud fundamentum. Atque de relationibus saltem prædicamentalibus id ipsum docent Riccar. in eadem dist. 8. lib. 3. sentent. quæst. 2. art. 2. Gabr. quæst. vnica conclus. 3. Maior quæst. item vnica, Argent. quæst. 1. art. 2. & cœteri omnes, qui ponunt duas relationes filiationis in Christo; de quo tractant in eadem distinct. & 3. part. quæst 35. art. 5. Fundamentum Suarez est, quia si accidentia habent omnino idem munus, plura essent superflua, vnde neque agens intendit talem pluralitatem inducere, cum intendat tantùm sibi assimilare passum, quod est simile per vnicum tantùm accidens; neque subiectum habet capacitatem, vt ea recipiat, quia sufficienter actuatur per vnicum. Quando verò accidentia habent diuersum munus, neque plura sunt otiosa, neque subiectum est perfectè assimilatum agenti, quia non est simile in ordine ad illud alterum munus, nec vnum sufficit ad replendam capacitatē subiecti, sic non repletur capacitas potentiæ visiuæ ad videnda omnia indiuidua eiusdem speciei per vnicam speciem.

Suarez. Durand.

Riccar. Gabr. Maior. Argent.

Resolutio quæstionis.

SECTIO II.

1. IN tanta sententiarum varietate valde difficile est, aliquid certi statuere: & varietas accidentium, diuersaque ipsarum natura atque condicio resolutionem valde implicatam reddunt. Vt autem, quantum fieri potest, generaliter procedamus, & complectamur omnia accidentia cuiuscunque condicionis sint, quædam genera vniuersalia, sub quibus omnia comprehendantur per immediatas, & generales diuisiones constituenda sunt. Sciendum est igitur, ex accidentibus alia esse, quæ habent propriam entitatem physicam contradistinctam ab entitate subiecti, & quæ etiam per proprium influxum physicum producantur, vt sunt calor, frigus, lumen, atque alia huiusmodi: alia verò esse accidentia, quæ non habent propriam entitatem, sed sunt ens entitate subiecti, vt sunt accidentia, quæ dicuntur modalia, vt sessio, figura, & cœtera huiusmodi, & etiam iuxta nostra principia, accidentia illa, quæ oriuntur ex rerum complexione, vt Relatio, Habitus, &c. Atque hæc diuisio est immediata, nam traditur per membra fundata in contradictione, nempe habere propriam entitatem, & non habere, & consequenter cum sint, esse ens entitate alterius. Relinquendo autem accidentia ista, quæ non habent propriam entitatem, illa, quæ habent, aut sunt capacia intensionis, aut non; atque rursus hæc duo membra, cum sint fundata in contradictione, complectuntur omnia accidentia, quæ habent propriam entitatem, & constituunt duo genera immediatè opposita: alterum eorum, quę intendi possunt, & remitti, atque adeo quæ diuisibilia sunt; & alterum eorum, quæ carent latitudine intensiua, & secundùm esse intensiuum consistunt in indiuisibili. Vel etiam alio modo partiri possunt accidentia, quæ habent propriam entitatem; in ea scilicet,

Diuersa genera accidentium.

quæ conueniunt subiecto ab intrinseco, hoc est, quæ ipsi connaturalia sunt, & habent sufficiens principium suæ emanationis in ipso. & in ea, quæ ipsi conueniunt introducta ab extrinseco principio, quę similiter partitio omnia complectitur, cum ipsa quoque in contradictione fundetur, nimirum conuenire ab intrinseco, & non cōuenire ab intrinseco. Verùm quia latitudo intensiua reperitur tam in accidentibus, quæ conueniunt ab intrinseco, quàm in ijs, quæ conueniunt ab extrinseco; ideo vtraq; considerari possunt & cum latitudine intrinseca, & absque ipsa. Circa ergo hæc genera accidentium, quæ complectuntur quodlibet accidens excogitabile, quæstionem resoluemus.

1. concl. Accidentia, quæ non habent propriā entitatē, non possunt multiplicari numero in eodem subiecto.

II. Ponimus ergo nostram primā conclusionem, in qua statuimus. Accidentia, quæ non habent propriam entitatem physicam contradistinctam ab entitate subiecti, non posse solo numero multiplicari in eodem subiecto: idque prouenire ex indiuiduatione ipsorum, quia nimirum indiuiduantur, à subiecto. Hæc conclusio facilis est, supposito, quòd hæc accidentia indiuiduentur à subiecto; nam cum vnicū sit esse subiecti, vnicum quoq; tantùm accidens indiuiduare potest. Et quidem quòd debeant indiuiduari per subiectum, inde sequitur, quòd non habent proprium esse contradistinctum ab esse subiecti, cum eius indiuiduatio sequatur esse, quemadmodum se habet esse, ita etiam se habet indiuiduatio; vnde quæ non habent proprium esse, neque etiam habere possunt propriam indiuiduationem; & proinde cum indiuiduentur indiuiduatione alterius, non possunt indiuidualiter multiplicari, nisi & illud multiplicetur. Quòd satis patet, si quis concipiat huiusmodi accidentia, impossibile est enim, intellectū ita formare proprium conceptum ipsorum, vt omnino præscindat à subiecto: sed est talis conditionis esse ipsorum, vt extra subiectum nequeat consistere, sed statim pereat, non solùm in esse reali, sed etiam in esse obiectiuo, quod euidenter indicat, nō habere proprium esse contradistinctum ab esse subiecti; videmus enim, quòd formalitates ipsæ, quæ in aliqua entitate physica imbibuntur, consistunt in esse obiectiuo, quando inuicem separantur; cur ergo non consisterent huiusmodi accidentia in esse obiectiuo, si aliquo modo haberent proprium esse cōtradistinctum ab esse subiecti? Quare cum statim pereant tam in esse reali, quàm in esse obiectiuo, ac perit subiectum, concludendum est, non habere esse aliquod extra esse subiecti: hinc autem fit, quòd si perit esse horum accidentium; pereat etiam indiuiduatio, quæ nequit subsistere, nisi subsistat esse, cuius est indiuiduatio, & consequenter nequeat extra indiuiduationem subiecti reperiri indiuidnatio horum accidentium, quemadmodum neque reperitur esse. Vnde neque talis indiuiduatio multiplicari poterit, nisi multiplicetur indiuiduatio subiecti; alioquin si multiplicaretur non multiplicata indiuiduatione subiecti, esset extra ipsam, quia quando vnum multiplicatur altero non multiplicato, necessariò vnum est extra aliud. Atque hæc est ratio potissima, ob quam nequeunt hæc accidentia plura solo numero diuersa esse in eodem subiecto; sic non possunt esse plures sessiones in eodem sedente, plures figuræ in eadem quantitate. Nomine autem subiecti intelligimus quançumque entitatem physicam, non autem ipsum suppositum, in quo reperiri possunt plures entitates physicæ præsertim accidentales. Atque cum in præcedenti disputatione docuimus, accidentia non indiuiduari per subiectnm, intelleximus de ijs, quæ habent propriam entitatem physicam, & indiuiduationem, vt patet ex rationibus ibi adductis, quæ de his tantùm accidentibus procedunt: non verò de ijs, quæ non habent proprium esse extra esse subiecti.

Vnde indiuiduatur accidentia, quæ non habent propriū esse.

Difficultas.

III. Hinc insurgit non contemnenda difficultas; nam si huiusmodi accidentia indiuiduantur indiuiduatione subiecti, sequitur, non posse numero variari neque successiuè, quod tamen falsum est, quis enim dicat, cum Petrus è sedente fit stans, & postea rursus sedet, hanc posteriorem sessionem esse eamdem numero, qua pr us sedebat? præterea videmus, figuras variari secundùm speciem, quis autem dicat, tunc illas figuras habere eamdem indiuiduationem? impossibile enim est, ea, quæ differunt specie, habere eamdem indiuiduationem; & nihilominus ita

Solutio. ita dicendum esset, si indiuiduarentur à subiecto, quia semper manet idem subiectum cum eadem indiuiduatione. Sed respondetur, quòd sicuti huiusmodi accidentia non habent proprium esse, sed sunt ens entitate subiecti; ita subiectum, cum possit variari secundùm talia accidentia, non ea importat ex vi sui esse præcisi, sed insuper requiritur, quòd aut veniat in complexionem cū aliqua alia re, aut habeat aliquam habitudinem ad locum extrinsecum, aut secundùm extensionem varietur, aut secundùm ordinem partium, aut aliquo alio modo modificetur secundùm proprium esse. Hinc autem fit, quòd quando dicimus, hęc accidentia indiuiduari per subiectum, non intelligimus, quòd indiuiduentur per ipsum adæquatè, quatenus secundùm esse physicum præcisè consideretur, sed intelligimus de subiecto sumpto simul cum illa modificatione, aut complexione, quam habet, quia tamen modificatio illa, neque consistere potest, neque concipi sine subiecto, idcirco etiam esse subiecti concurrit ad ipsam constituendā, & indiuiduandam, quia sicuti habet esse per subiectum ex eo, quòd tali pacto se habet, ita etiam habet per ipsum indiuiduationem. Rursus, quia huiusmodi accidentia non habent proprium esse, & consurgunt ex eo, quòd subiectum tali, vel tali modo se habeat, nec potest tali, & tali modo se habere, nisi concurrant aliquæ extrinsecæ circumstantiæ, ideo eorum indiuiduatio depen det etiam ab his extrinsecis circumstantijs; atque de horum accidentium indiuiduatione philosophādum proportionaliter ad indiuiduationem accidentium quæ habent propriam entitatem. Hoc autem stante fit, quòd idem esse physicum cum eadem indiuiduatione physica possit successiuè indiuiduare diuersa accidentia ex ijs, quæ non habent proprium esse, quia cum indiuiduet solùm, quando consurgunt, & non consurgant, nisi subiectum induat aliquam modificationem de nouo, aut quid simile modificationi, & consequenter, nisi concurrant aliquæ aliæ circumstantiæ, hinc fit, vt ratione circumstantiarum, & modificationis, aut complexionis consurgentis tribuat nouam indiuiduationem, non quia alia sit indiuiduatio suipsius propria, sed quia diuersimodè modificata concurrit hæc indiuiduatio ad indiuiduandum. Hinc eadem quantitas potest eadem indiuiduatione indiuiduare diuersas figuras, quia figura consurgit ex ordine partium, quem seruant secundùm extensionem, qui quidem variari potest de vno in alium, & constituere diuersas figuras specie, & consequenter etiam indiuidualiter, & etiam variari tantùm indiuidualiter; quod tunc fit, quando variatur specificè, & postea redit idem ordo partium secundùm extensionem, ita vt eodem prorsus modo se habeat, ac se habebat prius: habetur tamen diuersus numero ob illam interruptionem, & interpositionem alterius ordinis partium, quæ facit, vt prior ordo desinat, & qui subsequitur diuersus sit tanquam ille, qui neque illi priori continuatur, & de nouo consurgit in alia differentia temporis: & hoc etiam modo contingit in sessione, quando sedens fit stans, & rursus sedet simili omnino sessione in eodem loco, & eodem omnino situ; quod tamen moraliter est impossibile, nam semper concurrit aliqua diuersa circumstantia, aut situs, aut loci, aut alia huiusmodi, quæ etiam confert, vt subiectum indiuiduet diuersam numero sessionem. Hoc ergo pacto potest successiue idem subiectum indiuidua e diuersa accidentia ex ijs, quæ non habent propriam entitatem; non autem potest simul, quia non potest simul habere plures modificationes eiusdem rationis; quia cum modificatio inuoluat esse modificatum, & per ipsum subsistat, dum non multiplicatur esse, non potest multiplicari modificatio eiusdem rationis.

Quomodo accidentia, quæ non habent propriū esse, indiuiduentur per subiectum.

Quomodo possit sub eodem indiuiduare successiue plura accidētia ex ijs, quæ non habent propriū esse

Secunda Conclusio.

IV. Secunda conclusio. Accidentia, quæ habent propriam entitatem physicam, possunt plura solo numero differentia esse in eodem subiecto successiuè: & de facto multiplicantur numero, quotiescunq; subiectum recipit de nouo accidentia eiusdem rationis. Hanc conclusionem certissimam existimo, quamuis à priori non possit probari. Nam quod dicitur, id esse necessarium, quia causæ ordinatæ sunt ad multiplicationem indiuiduorum, est petere principium, si quidem idem

2. concl. Accidentia, quæ habent propriā entitatē successiue multiplicantur numero in eodē subiecto.

est

A priori non pôt probari multiplicatio indiuiduorum successiua.

est dicere, causas ordinari ad multiplicationem indiuiduorum, ac indiuidua multiplicari, cum de nouo producuntur; & quæro, vnde nobis constat de hac ordinatione? non enim habemus causam aliquam, vnde à priori eam demonstremus: nam cum dicitur, causas esse ordinatas ad multiplicationem indiuiduorum propter conseruationem speciei, nihil conuincitur, nam æquè species conseruatur, si alia indiuidua de nouo producantur, ac si corruptum de nouo reproducatur.

V. Nihilominus tamen à posteriori sumitur conuincens ratio. Etenim agentia naturalia semper eodem modo agunt, & siue agant circa vnum subiectum, siue circa aliud semper seruant eumdem modum operandi: non enim diuersitas subiecti variat influxum operantis, aut eius modum tendendi, vtpote quia est quid extrinsecum, nec se tenet ex parte ipsius operantis. Quamobrem siue applicetur hoc subiectum, siue illud, exhibebit semper illum influxum, quem aptum est exhibere, quia influxus commensuratur penes virtutem operatiuam agentis, à qua prouenit: hinc consequenter producet semper etiam eumdem effectum, siue aptum est producere siue circa hoc, siue circa illud subiectum operetur, vnde posito, quod stante applicatione talis subiecti esset agens producturum talem numero effectum, si illud subiectum tollere-ur, & aliud applicaretur, adhuc eumdem numero effectum producet, quia exhibebit eumdem numero influxum, quem alteri subiecto exhiberet; Ponamus ergo, quòd aliquod agens producat aliquem effectum in aliquo determinato subiecto, vt ignis calorem in hoc numero ligno; deinde corrumpatur calor productus, & rursus applicetur ignis ad producendum similem calorem, tunc ignis producet hac posteriori vice illum numero calorem, quem produceret in alio subiecto, si applicatum fuisset: nam non solùm adest eadem virtus operatiua, sed etiam cæteræ circumstantiæ extrinsecæ. Si autem applicatum fuisset aliud subiectum, produceret diuerso numero calorem ab eo, quem prius produxerat, ergo etiam de facto in eodem subiecto producet diuersum numero calorem. Atque hæc ratio valde conuincens est, procedit enim ex certo principio, quòd ad variationem solùm influxus varie tur effectus, vtpote quia influxus non est aliud, quàm effectus, prout fluit ab agente, & quòd effectus, & consequenter influxus varietur statim, ac agens applicatur ad operandum post productionem alicuius effectus, vt experientia percipimus: atque adeo siue circa idem, siue circa diuersum subiectum applicetur, debeat semper variari.

Agens idem produçit aliũ numero effectum, quoties applicatur de nouo ad operandũ circa quoduis subiectum

VI. Sed adhuc quoque hoc ipsum ex alio capite declarari potest, sunt etenim possibilia plura indiuidua accidentia eiusdem speciei, quod sufficienter manifestum fit ex eo, quòd simul idem accidens specie reperitur in diuersis subiectis, quod minimè fieri posset, nisi indiuidualiter multiplicaretur: cum enim in vnoquoque subiecto habeat suam indiuiduationem, vtpote quia habet proprium esse physicum certum, & determinatum, quomodo idem numero posset esse in pluribus subiectis distinctis, nedum secundùm proprium esse, sed etiam secundùm locum? Quod etiam ex eo conuincitur, quia potest in vno subiecto destrui, & remanere in alio: impossibile autem est, idem accidens numero corrumpi, & perseuerare in esse: ex hoc enim tanquam ex certissimo signo arguitur distinctio realis. Rursus subiectum de se est capax diuersorum accidentium numero saltem successiuè; cur ergo non poterit successiuè recipere plura accidentia solo numero diuersa? certè nullo pacto id ei denegandum est, cum non adsit aliqua causa, cur denegetur, imo adsit in oppositum efficax ratio, propter quam id concedendum est. Quod autem adsit in subiecto capacitas ad plura accidentia solo numero diuersa successiuè recipienda, inde colligitur, quòd omnia accidentia eiusdem speciei sunt eiusdem rationis, atque si subiectum est capax vnius, est etiam capax alterius. Hoc autem ex eo prouenit, quia subiectum de se respicit accidens illud secundùm speciem consideratum, quod præsertim patet in accidentibus proprijs; subiectum namque exigit perfici accidentali modo per illa accidentia, non prout sunt talia indiuidua, sed prout sunt talis naturæ ratione cuius sunt propria perfectiua illius, & hoc habet locum in omnibus accidentibus, quia

2. ratio.

Idem accidens specie multiplicatur indiuidualiter.

Idem subiectum est capax omnium accidentium eiusdem speciei successiuè.

omnia sunt perfectiua subiecti, cum nō conueniat accidenti ex genere suo. Cum autem subiectum respiciat accidens secundùm speciem, parum refert, quod perficiatur per hoc, vel illud numero, sed quodlibet indifferenter recipere potest: sic etiam videmus, quòd quia potentia visiua potest videre album, potest etiam videre quodcunque indiuiduum album; quia vniuersaliter verum est, quòd potens in aliquid secundùm speciem, potest etiam in quodlibet indiuiduum illius. Rursus etiam, sicuti subiectum recipit de facto hoc numero accidens, ita etiam posset recipere, si esset aliud numero, quod non contingeret, nisi posset recipere quodlibet indiuiduum speciei.

Confir. VII. Atque totus hic discursus confirmari potest; Quoniam si ponantur duo agentia eiusdem speciei, vt duo ignes, aut duo luminosa, vnumquodque ipsorum aptum est producere suum effectum, quorum vnus distinguatur ab alio ex vi productionis independenter à subiecto; vnumquodque enim agens influit suo peculiari influxu, atque influxus vnius est distinctus ab influxu alterius ex vi virtutis, quę influit, quia cum sit distincta, emittit etiam distinctū influxū, vnde posset vna influere absq; eo, quod influeret alia: vnde cū sint distincti influxus, essent etiam distincti effectus independenter à subiecto, quia distincti influxus ponunt in esse distinctos effectus. Positis autem his duobus agentibus, & insuper aliquo subiecto, poterit subiectum ab vnoquoque ipsorum recipere effectum, atque illud indiuiduum accidens, quod potest producere; cum ergo possit ab vnoquoque ipsorum recipere accidens indiuiduum, & illa producant diuersa numero accidentia, iam poterit hoc, vel illud numero recipere, atque adeo erit in potentia ad omnia; vnde poterit etiam plura successiuè recipere.

Duo agētia producunt distinctos effectus ex vi productionis independēter à subiecto.

Tertia Conclusio.

3 concl. Accidētia capacia intensionis nō possunt multiplicari numero in eodem subiecto.

VIII. Tertia conclusio. Accidentia, quæ intenduntur, & remittuntur, siue ea connaturalia sint subiecto, & ab intrinseco ipsius fluant, siue aduentitia, & ab extrinseco introducantur, non possunt simul multiplicari numero in eodem subiecto. Quod spectat ad accidentia congenita subiecto adest peculiaris ratio, quam conclusione sequenti afferemus: nunc autem generali ratione de omnibus, quæ capacia sunt intensionis, probatur. Et pro probatione supponi debet, quod loquimur de accidentibus, quę sunt capacia intensionis, & merè indiuidualiter differunt absque vlla hæterogeneitate; quod ideo aduerto propter eos, qui ponunt gradus qualitatis hæterogeneos, ita vt non per quamlibet gradum primus intendi possit, sed per determinatum: vnde primus per alium primum non posset intendi: supposita enim hac hæterogeneitate siue vera, siue falsa, quod non est modo in disputationem reuocandum, eadem ratio est de ipsis, ac de ijs accidentibus, quæ non intenduntur; vnde eadem est ratio de duobus primis gradibus intensionis, ac de duobus alijs accidentibus inuicem comparatis ex ijs, quæ non admittunt intensionem. Hoc ergo adnotato facilis est ratio nostræ conclusionis; nam accidentia ista possunt inuicem intendi, atque sicuti possunt inuicem continuari extensiuè, si in eodem subiecto in diuersis tamen partibus ponantur, ita si ponantur in eadem parte subiecti possunt adhuc continuari, cum sint eiusdem rationis, & sint eiusdem conditionis, ac si poneretur in diuersis partibus subiecti: huiusmodi autem continuatio erit intensiua, ergo si ponantur plura accidentia in eodem subiecto, efficient vnum accidens magis intensum, & non retinebunt distinctionem numeralē. Consequentia ista declaratur, quoniam accidentis intēsio in eo consistit, quod plures partes eiusdem rōnis, vt plures partes caloris, aut frigoris sint in actu in eadem parte subiecti, atque inuicem continuentur; si autem in eodem subiecto ponantur diuersa numero accidentia ex ijs, quę intenduntur, tunc illa accidentia, cum possint inuicem continuari, se habebunt, veluti partes accidentis magis intensi, atque adeo in singulis partibus subiecti ponentur plures partes eiusdem accidentis, seu plura accidentia, quæ simul intendi possunt, vt supponimus. Cum ergo fiat intensio, atque intensio coadunet partes in vnicum accidens, iam illa non erunt plura accidentia, sed vnum.

Accidētia quæ inuicem intendūtur, in eodem subiecto coalescunt in vnum.

Et

IX. Et potest discursus factus confirmari ex proportione, quæ reperitur inter intensionem, atque extensionem: extensio enim in eo consistit, quòd vna pars sit extra aliam in ordine ad locum ita tamen vt omnes inuicem con inuentur; & quando contingit, substantiam, & accidentia, quæ existunt à parte rei, esse in aliquo supposito continuabili cum alio, vt esset aqua, & alia fluida, tunc si duo indiuidua ponantur simul in loco, vt non intermediet aliud corpus, non manent duo indiuidua distincta, sed per continuationem fiunt vnum, vt contingit, si duæ guttæ aquæ simul ponantur. Rursus etiam in qualitatibus, quæ continuari possunt, si ponantur in diuersis partibus subiecti inter se continuis, partes quoque illarum qualitatum inter se continuantur, & fiunt vnum maius extensiuè. Intensio verò in eo consistit, quòd plures partes qualitatis vniantur, & fiant in actu in eadem parte subiecti, atque ex vi huius vnionis fit vnum maius intensiuè. Proportio autem intensionis ad extensionem in eo consistit, quod sicuti extensio dicit pluralitatem partium, quarum vna sit extra aliam in ordine ad locum, ita intensio dicit pluralitem partium, quarum vna sit intra aliam in eadem parte subiecti. Sicuti ergo positis diuersis indiuiduis quantitatiuis in eodem loco, si sint materiæ continuabilis, vniuntur quò ad extensionem, & efficiunt vnum maius; ita si ponantur plura accidentia capacia intensionis, & inuicem continuabilia in eodem subiecto vnientur quò ad intensionem, & efficient vnum accidens magis intensum.

X. Secundò probatur conclusio. Qualitates, quæ sunt capaces intensionis, quamuis non possint fieri infinitæ in intensione, vt docet probabilior opinio, possunt tamen in eadem intensione crescere finitè in infinitum, ita vt possit semper alia, & alia pars addi præcedentibus, & sic semper augeri; vnde hinc fit, vt posita quacunque ex his in subiecto, semper se habeat, vt quid perfectibile per vlteriores partes eiusdem accidentis. Quamuis enim contingere possit, quòd in aliquo subiecto, & præsertim in viuentibus nabeant aliquem terminum suæmet intensionis ratione temperamenti debiti; simpliciter tamen, quantum est ex vi suæ naturæ, non habent, sed possunt semper crescere in infinitum, & proinde se habent vt quid perfectibile, & capax vlterioris intensionis in quocunque subiecto sint, vnde videmus in viuentibus intensionis supra terminum debitæ intensionis in ordine ad temperamentum, & alterari connaturale temperamentum. Hoc ergo stante; sequitur, quòd si in aliquo subiecto reperiatur aliquod ex his accidentibus, & adhuc adsit virtus, quæ possit producere simile accidens in eodem subiecto, hoc enim esset necessarium, si deberet accidens multiplicari numero in eodem subiecto, tunc non producet nouum accidens numero distinctum, sed præcedens intendet; si enim potest producere aliquid in eodem subiecto, producet id, quod exigit subiectum produci, stante ordine naturæ, quia agens illud naturali modo aget. Ordo autem naturæ non exigit in subiecto plura accidentia solo numero distincta; vnum enim sufficit; & plura essent otiosa, & videmus de facto nòn multiplicari numero in ijs, quorum multiplicatio nobis innotescere potest; sed exigit, vt vnumquodque accidens, quantum fieri potest, perficiatur. Quòd si adsit virtus actiua potens agere in illud subiectum, quod iam habet accidens eiusdem rationis, intendet præcedens accidens, & magis perficiet, quia totum, quod producere potest, coalescet in vnum accidens cum præcedenti.

XI. Tertiò argumentor. Si ponantur duo agentia partialia, à quibus proueniat aliquis effectus totalis partialiter ab vno, & partialiter ab alio; effectus iste erit vnicus tantùm, & magis intensus, quam si esset ab vno tantùm, quia totum id, quod potest producere vnumquodq; ex illis agentibus, coalescet in vnum effectum magis intensum: tunc autem duo illa agentia partialia producent in illo subiecto id, quod producere t, si applicarentur diuersis subiectis... Si autem applicarentur diuersis subiectis, non producerent vnicum accidens numero, sed duplex; & vnumquodque ex his acci-

2. ratio.

Accidentia, quæ in tiones perfici- tur sem per, si ad sit agens potens producere accidens eiusdem rationis

3. ratio.

Accidentia, quæ apta sunt continuari coalescunt in vnum si in eodē subiecto ponantur.

dentibus esset minus intensum, quàm effectus totalis proueniens ab vtroque agente, ergo non possunt accidentia capacia intensionis multiplicari numero in eodem subiecto. Consequentia deducitur ex modo dictis, nam si accidentia illa, quæ nata sunt esse distincta numero, quando ponuntur in eodẽ subiecto, coalescunt in vnũ, signũ est, non posse multiplicari numero, quia si possent multiplicari, multiplicarentur illa, quæ nata sunt esse distincta numero.

Instantia. XII. Contra hanc tamen conclusionem adsunt nonnullæ instantiæ, quæ non sunt parui momenti. Primò enim vrget Perspectiui de luminibus, quòd scilicet permaneant impermixti in eodem subiecto, & solo numero differant; vt si ab æqualibus luminosis proueniant, & tamen sunt capacia intensionis: id autem conantur ostendere, quia si in aliqua aula ponantur duæ cãdelæ in diuersis locis, & corpus opacum in medio, producet diuersas vmbras, quod signum est, lumina producta in illa aula esse impermixta; deinde cessante vna candela, cessat lumen productum ab illa; non verò lumen productum ab alia. Rursus etiam appositis duabus lucernis per foramen parietis transmittuntur diuersa lumina in diuersis partibus subiecti. Hæc tamen instantia non est tanti momenti, vt cogat nos in oppositam partem descendere; imò si res attentè considerетur, facilè corruet, Quod enim lumina producta à diuersis luminosis non permaneant impermixta euidentissima experientia comprobatur. Primò quidem, quia experimur, crescere lumen, non secus, ac crescit, quando ab intensiori luminoso producitur; & claritas luminis crescit: non autem cresceret, si permanerent impermixta, quia licet plura essent in eadem parte subiecti, & lumen cresceret veluti extensiuè, non cresceret claritas luminis, cum maior claritas sit effectus maioris intensionis, vt experientia patet: vnde sicuti maior intensio causat maiorem intensionem, & claritatem luminis, ita ablatio maioris intensionis erit etiam ablatio maioris claritatis, quia *Quando affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis*: Præterea duo luminosa se habent veluti duo agentia partialia, quæ producunt eumdem effectum maiorem in eodem subiecto; quod ex eo conuincitur, quia simul applicata agunt in longiorem spheram, agere autem in longiorem spheram supponit intensiorem effectum in partibus propinquis agenti, vtpote quia influxus diffunditur vniformiter difformiter, & in vltimis partibus sphæræ est minimæ intensionis, ita vt in subsequentibus non possit naturaliter dari qualitas minus intensa. Quare si sphera debet crescere, necesse est, vt in eius partibus vltimis qualitas sit magis intensa, vt possit cum minori intensione vlterius diffundi. Et quamuis positis diuersis luminosis in aliqua aula corpus opacum in medio constitutum proijciat diuersas vmbras, non hinc colligitur, lumina producta remanere impermixta, nam ideo proijcit diuersas vmbras, quia prohibet lumen produci in illo loco, vbi luminosum per lineam rectam produceret, trãseuntem per corpus opacum interpositum, cum autem luminosa corporasint posita in diuerso loco lineæ rectæ, quæ ab ipsis ducuntur, transeuntes per corpus opacum, peruenient ad diuersa loca aulæ illuminatæ, & ideo corpus opacum proijcit diuersas vmbras in diuersis locis correspondentes luminosis, & per sui interpositionem facit, ne vnum luminosum agat in vna parte aulæ, & aliud ne agat in altera; & solùm in vna parte aulæ adest lumen productum ab vno luminoso absque lumine producto ab alio, & in alia parte adest similiter solum lumen alterius luminosi; quod inde prouenit, quia in quamlibet ex his partibus agit tantùm vnum luminosum, & impeditur alterum ab opaco interposito, ne agat, quòd verò ablato vno luminoso deficiat lumen ab ipso productum, inde prouenit, quia licet totum in vnicum lumen coalescat, est tamen diuisibile, & potest vna pars separari remanente alia, quod tunc contingit, quando aufertur vnum luminosum remanente alio, simul enim aufertur partiale lumen ab ipso productum. Cum autem proijciunt diuersa lumina in diuersas partes per foramen parietis, hoc inde prouenit, quia vnumquodque agens agit per lineam rectam: cum autem lineæ rectæ ductæ à luminosis, & transeuntes per illud

Lumina à diuersis luminosis eodẽ subiecto nõ permanent impermixta.

foramen perueniant ad diuersas partes spacii illuminandi, producunt etiam lumen in illis diuersis partibus vnum quodque in parte sibi correspondente, & agunt in diuersa subiecta, & ideo non permiscentur lumina: tunc enim solùm permiscentur, quando producuntur in eadem parte subiecti. Et hæc pro solutione huius instantiæ; plura fortasse alibi circa hanc materiam afferemus.

Altera instantia

XIII. Altera autem instantia desumitur ex sonis: plures enim eiusdem rationis possunt esse in eodem subiecto, nempe in aere, vt cum plures chordæ pulsantur, quæ sint eiusdem rationis, aut plura tintinabula eiusdem rationis; atq. hi soni solo numero differunt, & permanent impermixti, cum auris eos impermixtos percipiat, & sunt de genere qualitatum, quæ intenduntur: vnde non videtur vniuersaliter verum, quòd qualitates capaces intensionis non possint multiplicari numero in eodem subiecto.

Solutio

Respondetur, illos sonos non posse adinuicem intendi; licet enim vnus sonus possit esse magis, aut minus validus, non tamen duo soni possunt se mutuò intendere. Rationem reddit Fonseca citato lib. 5. Metaph cap 8 quæst 7 sect 3. in obiect. contra secundam conclusionem. Quia solùm illæ qualitates possunt intendi, quæ habent esse permanens, non verò, quæ habent esse transiens quemadmodum habet sonus. Sed non satisfacit, quia cum intensio fiat, quando ponuntur plura accidentia eiusdem rationis in eadem parte subiecti, si soni capaces sunt intensionis, atque plures possunt esse simul in eadem parte subiecti, iam fiet intensio pro illo tempore, quo sunt simul; quemadmodum fit intensio etiam in cæteris qualitatibus eo ipso tempore, quo sunt in fieri. Vnde melius dicendum videtur, non posse inuicem intendi, quia ad intensionem requiruntur partes qualitatis eiusdem rationis omnino. Soni autem, quamuis fiant à corporibus sonantibus eiusdem rationis, & censeantur esse eiusdem rationis ipsi quoque; non tamen sunt omnino eiusdem rationis, sed præter distinctionem numeralem, habent aliquam aliam differentiam penes acutum, & graue. Et quamuis Fonseca citatus contendat, has non esse differentias essentiales, sunt tamen differentiæ illæ essentiales, quas potest habere sonus, & quæ important variabilitatem in esse formali soni, vnde statim ac aliquis magis, aut minus accedit ad graue, aut acutum, censetur etiã variari in ratione formali soni: illæ autẽ constituuntur differentiæ essentiales cuiuscunque rei, quæ ipsam variant in esse formali. Acutum ergo, & graue sunt differentiæ extremæ oppositæ; soni verò, qui mediant inter acutum, & graue, important differentias soni, quæ de vtroque participant, quemadmodum se habent colores medii inter album, & nigrum. Cum igitur hæ differentiæ varient sonum in ratione soni, censentur differentiæ essentiales, & ideo cum nunquam plures soni possint ita assimilari, vt non habeant aliquam differentiam penes acutum, & graue, ex eo quòd causæ concurrentes ad illorum productionem nunquam sunt omnino similes, idcirco non possunt inuicem intendi. Et sicuti acutum, & graue reddit sonos impermixtos, ita vt omnino impossibile sit, eundem sonum esse simul acutum, & graue; ita etiam differentiæ penes acutum, & graue, quamuis exiguæ sint, reddent impermixtos sonos.

Fonseca. Cur plures sonus eiusdem rationis inuicem non intendantur.

Quænam sint differentiæ essentiales sonus.

XIV. Accedit etiam, quòd pro intensione facienda requiritur, quòd id, quod intenditur, incompleto modo se habeat in suo esse, ita vt in illo possit magis crescere, sic quando calor intenditur, completur per additionem caloris, & fit magis perfectus. Rursus augmentum, quod per intensionem ponitur, debet ita perficere id, quod intendit, vt relinquat in eodem esse omnino; sic calor additus calori relinquit in esse caloris. Ex hoc ergo pariter capite sequitur, non posse duos sonos inuicem intendi, nam quilibet habet suum esse completum omnino. Habet enim vnusquisq sonus, non quidem in esse materiali indiuiduali, sed in esse soni suum proprium characterem, quo ita characterizatur, vt nunquam omnino cum alio assimiletur; & ex vi huius characteris est omnino completus, nec adest alius sonus ita omnino similis, vt si ei adderetur non extraheret præcedentem sonum ab esse proprio characteristico, atq. in alio constitueret, quod est contra rationem inten-

Quid requiratur ad intensionem.

Vnusquisque sonus habet proprium characterem.

intensionis. Denique tertia ratio, & principalis, cur non possint soni inuicem intendi, est, quia nunquam fiunt simul in eadem parte subiecti. Hoc autem inde prouenit, quia sonus fit per interceptionem aeris; interceptio autem huiusmodi semper est cum motu locali aeris; & ideo, cum non possit in eodem aere esse multiplex motus, & consequenter nec multiplex interceptio, neque etiam potest esse multiplex sonus, quia quilibet indiuidualis sonus fundatur in propria interceptione aeris. Rursus requiruntur corpora sonantia, & eorumdem motus, atque ipsa, & motus necessariò sunt in diuerso loco; atque adeo circa diuersum aerem, in quo fit sonus, si modo subiectatur in aere; de quo non est nunc disputandum.

3. instantia. XV. Tertia instantia desumitur ex speciebus intentionalibus, quæ deseruiunt pro visione, & cognitione intellectiua, aut etiam pro alijs facultatibus. Hæ enim species quædam qualitates sunt; quæ sunt capaces intensionis, & tamen in eodem omnino subiecto, vt in eadem omnino parte organi sunt plures species solo numero diuersæ, neque tamen coalescunt in vnam: rursus etiam eædem species reperiuntur in eadem parte aeris, alioquin oculus non videret ex quacunque parte aeris omnia obiecta circumfusa. Hæ autem species solo numero differunt cum proueniant ab obiectis solo numero diuersis; ergo ex hoc quoque capite non videtur vniuersaliter verum non posse huiusmodi accidentia multiplicari numero in eodem subiecto. Huic autem instantiæ satisfieri facilè potest, si negetur, species repræsentatiuas indiuiduorum eiusdem speciei, differre solummodo indiuidualiter; Quamuis enim communiter videntur admittere solam differentiam indiuidualem, mihi tamen aliter sentiendum videtur; nam species istæ habent diuersa obiecta, quæ repræsentent, quæ quamuis solum indiuidualiter differant sunt tamen diuersa, ita vt species repræsentatiua vnius nequeat vllo modo repræsentare aliud; impossibile est enim speciem repræsentatiuam Petri repræsentare Paulum. Hinc autem fit, quod cum repræsentare conueniat speciebus non ratione suæmet indiuiduationis, sed ratione essentiæ; atque hæ species differant inter se in esse repræsentatiuo, quandoquidem differunt in eo, quod vna non potest repræsentare, quod repræsentat alia, consequenter differant in essentia. Omnis autem differentia, quæ contingit secundùm esse quidditatiuum, essentialis est. Accedit etiam in confirmationem, quòd plus differunt inter se species intentionales duorum indiuiduorum, quam species intentionales eiusdem indiuidui; duæ enim species repræsentatiuæ Petri ita se habent, vt quicquid potest vna, possit etiam alia; non autem sic contingit in speciebus repræsentatiuis duorum indiuiduorum. Cum autem duæ species repræsentatiuæ eiusdem indiuidui habeant completam differentiam indiuidualem, oportet, vt species repræsentatiuæ duorum indiuiduorum, eò quod magis differunt, habeant etiam aliquã maiorem differentiam supra indiuidualem, quæ non est alia, quàm specifica, & proinde non multiplicantur solo numero in eodem subiecto; non enim ob ictum idem producit diuersas species in eodem subiecto, sed vnicam tantum, vtpote quia dependens in continua conseruatione ab ipso.

Species intentionales diuersorum indiuiduorum eiusdem speciei differunt essentialiter.

Quarta conclusio.

XVI. Quarta conclusio. Accidentia, quæ ita conueniunt subiecto, vt sint ipsi connaturalia, atque fluant ab intrinseco, non possunt multiplicari solo numero in eodem subiecto, à quo fluunt. Ratio huius conclusionis desumitur ex fine propter quem à natura tributa sunt subiecto; non enim ob alium finem sunt concessa, quàm vt perficiatur accidentali modo, & habeat suas connaturales facultates, & perfectiones. Ob hunc autem finem assequendum sufficit vnicum accidens numero pro singulis speciebus, quarum accidentia debita sunt subiecto, quia totum id, quod subiectum haberet per plura, haberet etiam per vnicum; sic cum aquæ debita sit frigiditas, vt assequatur quicquid assequi potest ratione frigiditatis, sufficit si in ipsa sit vnica tantum frigiditas numero: & plures essent superfluæ, quia iam ex vi vnius haberet totum id, quod exigit. Ratio autem huius rei est, quia quando su-

4. concl. Accidentia, quæ fluunt à subiecto non possunt in ipso multiplicari numero.

Per vnicum accidens numero cõpletur exigentia subiecti.

bie-

biectum exigit aliquod accidens, non exigit illud, vt est tale indiuiduum, sed vt est talis naturæ, ratione cuius est proportionatum perfectiuum subiecti; quamobrem cum exigentia subiecti terminetur ad naturam accidentis, statim ac subiecto exhibetur natura accidentis, satiatur exigentia, ac omnino completur; & proinde nihil aliud exigit tanquam naturale complementum. Quia autem statim, ac habet vnicum accidens numero alicuius speciei, habet etiam naturam illius accidentis, ideo per ipsum sufficienter satiatur eius exigentia, & cætera essent superflua. Accedit etiam, quòd multiplicatis accidentibus numericè, multiplicantur etiam effectus formales illorum, & multiplicatur etiam totum id, quod exhibent subiecto. Cum autem in subiecto sit exigentia, & capacitas accidentis secundùm speciem considerati; atque huiusmodi capacitas sit vna indiuidualiter, vt seruetur debita commensuratio inter perfectibile, & perfectiuum, debet illi correspondere vnicum tantum accidens numero, quia sicuti accidens secundùm essentiam acceptum, correspondet capacitati essentialiter consideratæ, ita secundum esse indiuiduale proportionatur capacitati indiuiduali, & vnic.m accidens numero exhibet vnico subiecto numero totum id, quod exigit. Hinc autem deducitur, huiusmodi accidentia non posse multiplicari in eodem subiecto; primò quidem, quia debent tantum multiplicari iuxta naturalem exigētiam ipsius, quæ, vt diximus, per vnicum tantum accidens sufficienter completur: deinde etiam, quia cum huiusmodi accidentia conueniant subiecto ab intrinseco, debent solum multiplicari iuxta naturalem virtutem, ratione cuius ab ipso emanant: huiusmodi autem virtus collata fuit subiecto à natura iuxta exigentiam subiecti, & ità proportionata fini, quem intendit in collatione talis accidentis, vt neque minor, aut maior sit; ex quo fit, quòd sit virtus producti ua vnius tantum accidentis, quia neque subiectum exigit plura, & sufficienter, per vnum obtinetur finis intensus à natura.

Cur intrinsecis singulis sit virtus productiua vnius tantùm accidentis.

Confir. XVII. Et potest hic discursus confirmari. Si ex ijs accidentibus, quæ conueniunt subiecto ratione principij intrinseci, possent plura numero esse in ipso, cum possint tantum ei conuenire, quatenus ab intrinseco ipsius emanant, deberet esse prouisum à natura de principio intrinseco subiecto, à quo emanarent. Tunc autem inquiro, quotnam essent huiusmodi accidentia, quæ emanarent? certè si plura numero possent emanare, esset numerus determinatus, sed statim ac plura possent ab ipso fluere, possent semper fluere alia, & alia, quia vt videmus in productionibus transeuntibus, posito principio productiuo plurium effectuum numero, potest semper alios, & alios producere, nec habet aliquem certum numerum præfixum; sic ignis, quia potest producere plures calores ad extra, potest semper alios, & alios producere: vnde si principium, à quo fluūt hæc accidentia, posset plura numero producere, posset alia, & alia producere, & cum sit agens necessarium, omnes simul producet, atque adeò pene infinita accidentia solo numero diuersa essent simul in eodem subiecto; quod quàm absurdum sit, vnicuique manifestum est. Quod si dicas, non posse producere plura simul, sed tantum successiue; ex hoc sequitur, posse tantùm vnicum producere, quod sic declaratur. Agentia, quæ possunt solum successiuè producere plures effectus solo numero diuersos, illos non producunt in eodem subiecto, sed indigent diuerso subiecto, aut saltem, quòd applicetur idem subiectum, sed carens illo accidente. Ratio autem est, quia habent iam suum effectum adæquatum in illo subiecto, & ideo, cum produxerint tantùm id, quod possunt producere, nihil amplius producunt: quod præsertim verum est in accidentibus, quæ emanant à subiecto, quia subiectum debet habere statum in suis perfectionibus accidentalibus, habet enim quamdam mensuram secundum quam perfici debet, & quando habet talem mensuram suarum perfectionum, debet iam consistere in illa, nec crescere, aut minui, quia iam ille status est connaturalis. Hanc autem mensuram debet statim habere, vnde natura prouidit de principio intrinseco effectiuo harum perfectionum: & proinde debet tale principium statim producere totum id, quod exigit subiectum, & nihil amplius poterit producere, quia iam

Principium, quod potest producere plures effectus numero, potest semper alios & alios producere.

Occurritur responsioni.

Agentia, quæ non simul multiplicant effectus numero, indigent diuerso subiecto.

iam produxit totum id, ad quod erat institutum à natura: & proinde neque successiuè, neque simul potest producere plura accidentia in illo subiecto, in quo est.

Alia coniect.

XVIII. Deinde inquiro, an principium intrinsecum subiecto, à quo profluunt connaturalia accidentia, possit aut simul, aut successiuè originare plura accidentia in illo subiecto, an nō. Si non potest; iam neque poterunt plura accidentia, de quibus modo agimus, solo numero diuersa esse in eodem subiecto, quia nequeunt dari in eodem subiecto, nisi ab intrinseco ipsius origineutur. Si verò potest, iam sequitur absurdum supra illatum, quòd cum non adsit numerus certus, & determinatus, erunt pœnè infinita. Et rursus alio modo contrà hoc instatur, quia contingit subiectum aliquando agere ad extra per accidens alicuius speciei, vt cum aqua frigefacit, & assimilare sibi passum, & tamen vix aliqua differentia percipitur inter agens, & passum, cum passum nihilominus recipiat vnicum tantùm accidens; quod si in passo esset vnum tantùm accidens, & plura in agente, perciperetur ista multitudo per sensibilem differentiam, quemadmodum percipitur, quando eadem qualitas est in materia densa, & rara cum eadem intensione. Sed neque successiuè potest producere, quoniam exiguo temporis spatio saltem vnicum accidens produceret, vnde per longum tempus crescerent ista accidentia ad maximum numerum, & in qualitatibus sensibilibus perciperetur sensu continuum augmentum, quod tamen falsum experimur.

Neq. simul, neq. successiuè possunt plura acc. dē. na solo numero distincta originari in eodē subiecto ab intrinsece principio.

2. ratio.

XIX. Secundò probatur conclusio: in ipsa enim locum habet illud vniuersali mum axioma, *quod quotiescunque affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis*. ex quo ita deducitur nostra conclusio. Posita pluralitate numerica subiectorum, habita ratione naturalis exigentiæ ordinis naturæ; debet etiam poni multiplicatio numerica accidentium connaturalium iisdem subiectis: atque talis exigentia fundatur in ipsa pluralitate numerica subiectorum, ergo ablata hâc pluralitate numerica subiectorum tollitur ista exigentia; vnde cum in vnico subiecto deficiat hæc exigentia ex eo, quòd deficit suum fundamentum, non multiplicabuntur in ipso accidentia solo numero. Quòd si quis dicat, etiam vnum atque idem subiectum importare hanc exigentiam, nec rectè procedere, si ex negatione pluralitatis subiectorū negetur hæc exigentia; facilè redarguitur. Quoniam ex ablatione fundamenti auertitur semper necessariò id, quod fundatur in ipso, vt pote quia sine fundamento non potest consistere. Habemus autem plurificationem numericam accidentium in diuersis subiectis; & si quæramus, vnde necessariò proueniat; certè non aliud respondere potest, quàm ex pluralitate subiectorum, & hanc pluralitatem esse necessarium fundamentum huius exigentiæ; ergo ex ablatione pluralitatis subiectorum auferetur etiam exigentia naturalis plurium accidentium solo numero differentium; quoniam aufertur eius fundamentum.

Vnde proueniat naturalis exigentia multiplicandi accidentia solo numero.

Quinta Conclusio.

XX. Quinta conclusio. Neque accidentia, quæ non possunt inuicem intendi, & quæ ab extrinseco conueniunt subiecto, possunt multiplicari solo numero in eodem subiecto. Ratio huius conclusionis eadem est proportionaliter, ac præcedentis. Quamuis enim accidentia conueniant ab extrinseco, adhuc tamen debent illi conuenire iuxta naturalem exigentiam, si non subiecti, saltem ordinis naturæ; quia adhuc per causas naturales introducuntur, quem ordinem semper ipsæ seruant. Ordo autem naturæ non potest exigere; vt multiplicentur solo numero hæc accidentia in eodē subiecto, quia si non exigit in accidentibus connaturalibus, & congenitis, multò minus exiget in adueutitijs, nam in connaturalibus adest maior ratio, cur multiplicentur, si aliqua essent multiplicanda, vtpote quia ipsa commensurantur cum subiecto, & pertinent ad perfectionem accidentalem ipsius. Deinde ad quemcunque finem introducantur hæc accidentia, ac à natura intentum, non vrget aliqua necessitas ea multiplicandi, imo otiosè multiplicarentur, cum vnum præstare possit, quicquid est necessarium ad illum finem; si enim finis intentus à natura per

5. concl. Neq possunt multiplicari solo numero in eodē subiecto accidentia quæ ei conueniūt ab extrinseco.

ac-

Si plura numero accidentia aduentitia esse sint in eodem subiecto esse otiosa.

accidentia congenita, & connaturalia obtineri potest per vnicum tantùm accidens, cur non poterit etiam obtineri per vnicum finis intentus per accidentia aduentitia? Accedit etiam, quòd vnum accidens non potest præstare aliquid diuersum ab eo, quod præstat alterum, sed solùm sicuti differt tantùm numericè, multiplicabit medium pro assecutione finis intenti; media autem, quando non præstant aliquid diuersum, non debent multiplicari, nisi multiplicetur finis obtinendus.

Confir.

XXI. Præterea hoc insuper declarari potest ex fine determinato, quem intendit natura in introductione horum accidentium; duplicem enim finem tantùm intendere potest, vel perfectionem subiecti, vel eiusdem destructionem ex eo, quòd intendat introducere nouam formam, pro qua disponens subiectum corrumpat præcedentem formam. Vterque autem finis obtineri potest per vnicum tantùm accidens: nam tale accidens confert ad assecutionem illius finis non ratione suæ indiuiduationis, sed ratione suæ naturæ; vnde si semel exhibetur subiecto quidditas accidentis, exhibetur totum id, quod confert ad assecutionem finis: hæc autem quidditas exhibetur in vnico tantùm indiuiduo. Præterea si introducitur tale accidens ob ipsius perfectionem, certum est per vnicum habere totam illam perfectionem, quam potest habere in illo genere, cum enim plura accidentia non coalescant in vnũ magis perfectum, nec etiam magis perficient subiectum, & ideo merè frustratoriè multiplicarentur; deinde si ex cõnaturalibus sufficit vnum pro perficiendo subiecto iuxta exigentiam naturalem, cur non sufficiet etiam ex aduentitijs? Si verò finis obtinendus est corruptio præcedentis formæ, & introductio subsequentis, sufficiet similiter vnicum accidens, quia cum, vt diximus, non plus præstent plura, quàm vnum, vnicum erit sufficiens; quod præsertim verum est, quia est tantùm necessarium pro destruendo naturali temperamento præsentis formæ, & alio inducendo; vnicum autem accidens hoc præstare potest. Quod etiam confirmari potest; quoniam accidens, quod introducitur propter destructionem præsentis formæ; inseruit pro constituendo temperamento debito formæ introducendæ, ita vt tale accidens sit ipsi connaturale, & congenitum. ergo non potest esse multiplex numero: non enim accidentia congenita multiplicari possunt numero in eodem subiecto, vt vidimus; vnde cum tale accidens introducatur in ordine ad formam subsequuturam, vt sit ipsi connaturale, non potest introduci multiplex numero.

Vnum pro comparando subiecto, qui pro perficien do sufficit vnicum accidens numero.

XXII. Secundò principaliter probatur ex capacitate subiecti. Idem enim numero subiectum, saltem secundùm ordinem naturalem, non est capax plurium accidentium, quæ solo numero differant; ita vt non coalescant in vnum magis perfectum; ergo cum agens, quod introducit accidentia aduentitia, agat tantùm iuxta capacitatem subiecti naturalem, non poterit introducere, nisi vnicum numero accidens. Antecedens declaratur. Capacitas subiecti ad accidens respicit ipsum accidens secundùm propriam naturam, non autem secundùm indiuiduationem; vnde videmus, quædam subiecta esse incapacia quorumdam accidentium secundùm speciem, quia scilicet non interuenit debita commensuratio inter subiectum & naturam talium accidentium, quod non contingeret, nisi capacitas subiecti respiceret naturam accidentis, & cum ipsa commensuraretur. Hinc autem fit, quòd subiectum habeat capacitatem vnius tantùm numero accidentis: nam cum capacitas ipsius fit ad accidens secundùm naturam, statim ac subiectum habet vnicum accidens numero, habet etiam naturam illius accidentis, atque adeo id, quod respicit capacitas ipsius, per quod sufficienter terminatur, & adæquatè completur; siquidem habet totum id, ad quod per se primò ordinatur, atque cum natura importet totum id, in quo consistit debita commensuratio cum capacitate subiecti, importat etiã adæquatũ terminatiuũ ipsius. Quare cũ subiecti capacitas per vnicum tantùm accidens numero adæquatè terminetur, & cõpleatur, non poterit aliquod aliud recipere. Ex his ergo patet, nũquã posse multiplicari solo numero accidentia in eodẽ subiecto secundũ ordinariũ cursũ naturæ. Quid autem dicendum sit de potẽtia Dei absoluta, in sectione sequenti aperiemus.

2. ratio.

In subiecto est capacitas vnius tantũ numero accidentis aduentitij.

Re-

Resoluitur quæstio quò ad potentiam Dei absolutam.

SECTIO III.

I. IN sectione præcedenti vidimus, non posse iuxta ordinem naturæ multiplicari accidentia in eodem subiecto solùm indiuidualiter, atque radicem huius impotentiæ assignauimus: nunc inquirendum est, an id habeat locum etiam quò ad potentiam Dei absolutam. Circa quam difficultatem quoque variè opinantur Auctores; nam quidam, vt Fonseca 5. Metaphys. cap. 12. quæst. 1. sect. 3. §. *Ex quibus patet &c.* docent, posse quidem de potentia Dei absoluta accidentia plura solo numero diuersa poni in eodem subiecto, si non sint capacia intensionis. Verùm si sint capacia intensionis, non posse, quia coalescerent in vnum magis intensum; quia intensio in nullo alio consistit, quàm in eo, quòd accidentia intensibilia informent eandem partem subiecti; tunc enim inuicem intenduntur, & subiectum causat eorumdem vnionem eo ipso, quòd ipsi simul inhæreat: vnde cum non possit dari causa in actu absque effectu in actu etiam per potentiam Dei absolutam, impossibile quoque erit, plura accidentia simul informare idem subiectum, & non vniri in vnum intensius.

Opinio Fonsecæ.

II. Alij verò econtra existimant, non solùm accidentia, quæ non intenduntur, sed etiam quæ intenduntur, posse plura, solo numero diuersa per potentiam Dei absolutam poni in eodem subiecto. Ita docent Ocham in 1. dist. 17. quæst. 7. Gregor. ibid. quæst. 5. & cæteri Nominales. Præterea Ægid. Roman. quodlib. 5. quæst. 1. & sequitur Suarez in Metaph. disput. 5. sect. 8. num. 20. Mouentur, quia intensio fit per vnionem partium qualitatis in eodem subiecto; Deus autem potest impedire hanc vnionem, & tunc accidentia manebunt distincta in eodem subiecto. Præterea potest Deus ponere duo corpora, quæ se habeant penetratiuè in eodem subiecto. Quod etiam confirmatur; quoniam positis in eodem loco penetratiuè duobus albis, poterit Deus annihilare illa corpora conseruata albedine vtriusque, & producere ibi aliud subiectum, in quo vtraque albedo recipiatur: & sicuti se ipso potest Deus conseruare duas albedines penetratiuè se habentes, vt distinctas numero, cur non poterit id præstare per idem subiectum? Alia plura addit Suarez, sed quæ probant graduum heterogeneitatem, vt inde inferat, posse distinctas qualitates conseruari in eodem subiecto.

Aliorum opinio.

Ocham. Gregor. Aegid. Rom. Suarez.

III. Difficile equidem est, cum ad Dei omnipotentiam deuenitur, determinare, quid per ipsam fieri possit; nihilominus, cum certum sit, posse per ipsam fieri, quicquid in se non implicat, nec posse rerum naturas immutari, ita vt aliter se habeant, ac ab intrinseco suo exigunt; possumus huic fundamento innixi, quantum patitur præsens status indagari de vnaquaque re in speciali, an per Dei potentiam possibilis sit. Quod igitur spectat ad præsentem materiam de pluralitate numerali accidentium in eodem subiecto, hoc certum existimo, Non posse Deum ponere plura accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto, si sint ex ijs, quæ non habent proprium esse physicum contradistinctum à subiecto. Atque euidens est, quia omnino implicat, vt per se patet, subiectum remanere idem numero, & multiplicari numero; hæc enim contradictoria sunt, quæ simul secundùm idem de eodem verificari non possunt. Cum autem ista accidentia non habeant distinctum esse à subiecto, sed sint ens entitate subiecti, atque vnitas, & pluralitas sequatur esse, non possunt numero plurificari, nisi plurificetur subiectum, vtpote quia non adest aliud esse, quàm subiecti, ex quo consequatur vnitas, vel pluralitas; hinc ergo sequitur, aut plura ex his accidentibus solo numero diuersa non posse esse in eodem subiecto; aut si possunt esse, plurificari subiectum, vt plurificentur accidentia, & non plurificari, seu remanere idem numero, vt scilicet plura accidentia sint in eodem subiecto; quod cum impossibile sit, concludendum est, neque per Dei potentiam posse multiplicari numero hæc accidentia in eodem subiecto; vnde in eodem subiecto non poterunt esse plures sessiones, neque in eadem quantitate plu-

Accidentia, quæ non habent proprium esse a subiecto contradistinctum, nequeunt plurificari numero in eodem subiecto.

plures figuræ, & sic de cœteris.

IV. Quod verò spectat ad accidentia, quæ sunt capacia intensionis, dupliciter de ipsis philosophari possumus vel ponendo gradus intensionis hæterogeneos, vel homogeneos, quod commodè in præsenti determinare non possumus: si ponimus gradus hæterogeneos, eadem est ratio de his qualitatibus, ac de cœteris accidentibus, quæ non sunt capacia intensionis, quia sicuti, quæ non sunt capacia intensionis, non possunt inuicem intendi, ita neque gradus illi, qui sunt constitutiui diuersarum numero qualitatum, possunt inuicem intendi, sic primus gradus non potest intendere primum, nec secundus secundum, & sic de reliquis, sed tantùm secundus primum, & tertius secundum: & propterea, vt multiplicentur numero qualitates, debent multiplicari numero primus, & secundus gradus, & cœteri omnes, qui faciunt intensionem: & hinc sequetur, non posse vnam qualitatem intendere aliam numero distinctam. Si verò gradus sint homogenei, tunc poterit vna qualitas intendere aliam distinctam numero, nam quilibet gradus aptus est intendere alium, nec habet ab intrinseco suo, quod sit primus, aut secundus, sed solùm ex ordine, quo introducitur in subiectum.

V. Si igitur intensio fiat per gradus homogeneos, existimo veram sententiam Fonsecæ; nimirum non posse accidentia multiplicari numero per Dei potentiam in eodem subiecto. Nô quidem, quia non habeant aliam vnionem, quàm quòd informent idem subiectum, quia existimo, etiam vniri inter se gradus illos, ita vt separati à subiecto, adhuc retinerent suam vnionem; sed quia supposito, quod Deus ponat hæc accidentia in eodem subiecto, ita vt illud informent; non potest impedire, quin vniantur, & coalescant in vnum intensius accidens. Hoc autem sic ostenditur. Vnio enim ista, qua vniuntur gradus in intensione, non est aliquid reale superadditum ipsis gradibus, quod indigeat nouo concursu Dei, vt consistat in rerum natura, ita vt positis gradibus in statu proximo vnibilitatis, possit Deus subtrahendo concursum, illud impedire: vniuntur enim seipsis per continuationem absque nexu superaddito. Cum enim vnio ista consistat in continuatione, qua hi gradus in eadem parte subiecti continuantur; atque quilibet gradus ab intrinseco suo sit continuabilis cum alio, non indiget, vt continuetur, aliquo superaddito, sed seipso continuari potest tanquam ille, qui intrinsecè participat rationem formalem continuabilitatis; & quemadmodum albedo per seipsam dealbat, quia est ratio formalis dealbandi, ita etiam vnus gradus qualitatis se ipso continuatur cum alio, quia in se participat rationem formalem continuabilitatis, ex eo, quòd ex vi sui esse, est formaliter continuabilis. Quamobrem statim ac plures gradus ponuntur in eodē subiecto consequitur continuatio, vt potè quia sunt in statu proximo, vt continuari possint seipsis: & quemadmodum posita forma in subiecto statim necessariò consequitur effectus, quia est in statu proximo, vt possit eum exhibere; ita etiam positis gradibus qualitatis, qui inuicem intendi possint, in eodem subiecto, sequitur statim necessariò cōtinuatio, quia nihil vltra requiritur, vt gradus seipsis continuentur. Hinc autem fit, non posse Deum impedire hanc continuationem, supposito quòd gradus sint in eodem subiecto, quemadmodum neque impedire potest effectum formalem, supposito quòd forma informet subiectum. Ratio est, quia tunc solùm potest Deus aliquid impedire, quando particulari concursu ad ipsum concurrit, & ideo potest impedire, quia potest denegare talem concursum; quando verò Deus non concurrit particulari concursu, sed quod est, se habet consequenter ad aliud, nec habet speciale esse à cœteris contradistinctum, tunc supposito, quòd Deus velit illud consistere in esse, ad quod consequenter se habet, necessariò debet velle, ipsum quoq; consistere in esse; sic non potest facere, quòd corpus sit in loco cum sua connaturali extensione, & non habeat aliquem situm, quia situs non importat esse distinctum ab esse corporis. Cum igitur ponit duo accidentia in eodem subiecto solo numero diuersa, & quæ inuicem intendi possunt, non potest impedire eorundem vnionem, sed tenetur eā cō-

Accidentia capacia intensionis per gradus homogeneos nec per Dei potentiā possunt plurifica ri numero in eodem subiecto.

Quomodo inuicem continuētur gradus qualitatis.

Quando Deus nō possit impedire aliquid.

sequenter velle, quia non concurrit ad ipsam peculiari concursu.

VI. De accidentibus verò, quæ non sunt capacia intensionis, & habent propriam entitatem, ac de ijs etiam, quæ capacia sunt intentionis, supposito quòd intendantur per gradus hæterogeneos, resolutio pender ex eo, an scilicet in subiecto sit capacitas plurium accidentium, solo numero differentium, quia si est capacitas, quamuis naturaliter posßit tantùm vnicum recipere, poterit plura per Dei potentiam recipere: sin autem non adest, imposßibile erit plura poni in eodem subiecto, etiam per Dei potentiam, non enim potest Deus ponere formam, vbi non est capacitas, sic non potest ponere animam rationalem tanquam informantem in lapide, aut in ligno, quia non adest capacitas talis formæ: vt enim sequatur informatio, necessaria est commensuratio in ratione perfectibilis, & perfectiui, seu in ratione capacitatis, & actus: & proinde semper etiam respectu Dei supponitur. Huiusmodi autem non debet esse obedientialis, sed naturalis; nam capacitas obedientialis est tantùm ad actus supernaturales: quando verò actus naturalis est, requirit capacitatem naturalem, vtpote quia requirit capacitatem proportionatam: & hoc specialiter verum est in casu nostro, quia vt sint plura accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto, necesse est, vt ea capacitate; qua vnum recipit, alterū quoque recipiat, alioquin si reciperentur in diuersa capacitate subiecti veluti per æquiualentiam, reciperentur in diuerso subiecto.

Quid requiratur vt plura accidentia indiuidua possint esse in eodem subiecto per Dei potentiam.

VII. Hoc igitur sic stante, mihi probabile videtur; neque ex his accidentibus posse Deum ponere plura solo nuē mero diuersa in eodem subiecto; id autē prouenire defectu capacitatis. si desit capacitas, iam patet ex dictis, non posse Deum multiplicare hæc accidentia in eodem subiecto; quòd autem desit, inde colligitur, quia, vt diximus, debet esse capacitas naturalis, capacitas autē naturalis habet suum actum adæquatū naturali modo sibi debitum, quem iuxta regularem ordinem naturæ potest habere: & propterea illud, quod non potest habere iuxta regularem ordinem naturæ, non est actus ipsi correspondens, & consequenter capacitas non se extenderad ipsum. Quod etiam alio modo declaratur, inquirendo, an in subiecto adsit capacitas ad plura numero accidentia, an verò non adsit. Si adest, cum huiusmodi capacitas sit naturalis, habebit etiam terminum naturalem sibi correspondentem, atq; à natura erit ordinata ad ipsum; & cum natura non ordinet capacitatem ad aliquid, nisi etiam ad illud promoueat, sequeretur, quòd naturaliter posßit habere plura ex huiusmodi accidentibus solo numero diuersa. Cum autem non posßit habere naturaliter, concludendū est, non adesse capacitatem. Atque hoc est, quod in hac difficultate probabile existimo.

Deus potest multiplicare numero in eodē subiecto accidentia, quæ non sunt capacia intensionis.

VIII. Nec est eadem ratio de duobus corporibus in eodem loco, nā locus continere potest, quicquid non excedit terminos suæ continentiæ: plura autem corpora nō excedunt, si simul penetrentur, quia habent eamdem dimensibilitatem molis omnia, quam haberet vnicum tantum; & ideo cum capacitas loci commensuretur cum dimēsibilitatē locati, parum refert, quòd sit vnicum, vel multiplex, dūmodo sit eadē dimensibilitas: si autem non esset eadē dimensibilitas, neque id Deus præstare poßet, vt patet, non enim facere potest, vt duo corpora sint in eodem loco absque penetratione. Neque est cōtra naturam corporum, quòd penetrentur inuicem sublata impenetrabilitate, quia ex se sunt penetrabilia: vnde cum posßit Deus auferre impenetrabilitatē, potest etiam facere, vt inuicem penetrentur. Non sic autem contingit in casu nostro; nam si accidentia posßint inuicem intendi, non potest Deus impedire vnionem, supposito quòd ea ponat in eodem subiecto, quia seipsis vniuntur, quemadmodum neque posset auferre impenetrabilitatem à corporibus, si seipsis, & non per qualitatem superadditam essent impenetrabilia: potest autem auferre, quia consistit in qualitate superaddita. Si verò accidentia non posßint inuicem intendi, non adest capacitas in subiecto, quia per vnicum ita complete terminatur, vt nequeat aliud recipere: commensuratio enim huius capacitatis cum suo actu consistit in informabilitate, & proinde recipit actum secundùm esse, atque adeo

Ad fundamenta in oppositum.

Non est eadē ratio de duobus corporibus in eodē loco, ac de pluribus accidentibus in eodē subiecto.

adeo secundùm vnitatem indiuidualem, quæ consequitur esse. Sic si capacitas loci commensuraretur cum esse corporis, & non cum dimensibilitate, nequaquam posset plura corpora simul recipere, etiam per Dei potentiã, quemadmodum non potest recipere plures dimẽsiones simul, quæ se habeãt per modum plurium, & non per modũ vnius; quod tunc contingeret, si vna esset extra aliam, ita vt posset exercere aliam vim occupatiuam loci; impossibile enim est, quòd locus bipalmaris cõmensuretur cum dimẽsione decem, aut plurium palmorum, vt contingeret, si reciperet plures dimensiones per modum plurium. Hinc quamuis Deus possit ponere in eodem loco duo corpora alba, eaque destruere conseruata albedine vtraque, non poterit tamen vtramque albedinem ponere in eodem subiecto de nouo producto, ita vt conseruetur distinctio numeralis vtriusque albedinis: nam si inuicem intendi possunt; fient vna albedo magis intensa: si autem non possunt inuicem intendi, non aderit capacitas in subiecto, ita vt vtraque possit in ipso poni, vt iam constat ex dictis: nec Deus poterit eas separatas à subiecto conseruare, nisi suppleat duplex subiectum. Atque idem proportionaliter de cœteris accidentibus dicendum est, si idem casus circa ipsa proponatur. Et per hæc patet ad fundamenta in oppositum.

Fertur iudicium de aliorum sententijs.

SECTIO IV.

I. EX dictis supra manifestum fit, quid de vnaquaque sententia in 1. sect. relata dicendum fit. *Iudiciũ de prima sententia.* Prima enim, quæ negat successiuè posse plura accidentia solo numero diuersa esse in eodem subiecto, absolutè falsa est, vt iã diximus, & nititur falso fundamento, quòd accidentia indiuiduentur per subiectum. Neque valet, quod additur in confirmationem ipsius; non enim, vt sit idem numero effectus, sufficit, vt sit idem numero subiectum, & idem numero agens, quia agens sẽper determinatur ad producendos nouos effectus, & ideo in quacunque productione semper producit diuersum effectum indiuidualiter: sed insuper requireretur, vt esset eadem entitas, quæ tamen nunquam saltem naturaliter reproducitur. Cum autem dicitur, idem manens idem, semper facere idem, vt vniuersaliter verum sit, debet semper intelligi seruata proportione ad subiectam materiam, cui applicatur; & ideo dum applicatur causæ efficienti, debet intelligi, quòd faciat idem secundùm speciem, non secundùm numerum, quia iam est ex natura sua ordinata ad multiplicandos effectus, vt patet, quando agit in diuersis subiectis. *Idẽ manens idẽ facit idẽ quomodo a cipienda.* Neque locus allatus ex Arist. probat intentum, quoniam ibi tantum docet; quòd si efficiens, & subiectum diuersum sit, effectus quoque diuersus est; non hinc tamen inferendum est, quod si subiectum, & efficiens est idem, idem quoque sit effectus, quia plura requiruntur ad identitatem effectus, & Arist. colligit diuersitatem effectus ex quibusdam extrinsecis, quæ necessariò habent annexam diuersitatem effectus, posita autem identitate subiecti, & agentis, non ponuntur aliqua extrinseca, quæ habeant necessariò annexam identitatem effectus, quia idem agens potest producere diuersos effectus. *Arist. explicatus.* In illo autem, quod additur de visione, quòd est eadem, si continuetur, & proinde sit futura eadem, si interrupta repetatur, falsum dicitur; nam interruptio facit, vt præcedens visio corrumpatur, & alia de nouo ponatur, & proinde diuersa indiuidualiter.

II. Secunda autem sententia Thomistarum negans absolutè plura accidentia solo numero diuersa posse esse in eodem subiecto, absolutè vera est, sed diuerso modo explicanda est, & difficultates graues, quæ obijci solent, in sectione secunda huius disputationis solutæ sunt. *Iudiciũ de secũda sententia.* Procedunt tamen Thomistæ ex falso supposito, quòd accidentia indiuiduentur per subiectum. Atque rationes, quas pro sua sententia afferunt, infirmæ sunt, & quæ facilè solui possunt. Et quod spectat ad auctoritatem Arist. quam primo afferunt, quamuis videatur suffragari huic sententiæ, existimo tamen in alio sensu accipiendam es- *Arist. illustratus.*

se, nec cum ait, *Ea diuersa esse, quæ differentiam habent, cum in eadem sub stantia sint*, ex-stimo per substantiam intelligendum esse subiectum, sed essentiam, ita vt velit, ea diuersa esse, quæ sunt in eadem essentia, hoc est participant eamdem essentiam; ita tamen, vt non omnino eadem sit, sed cum aliqua diuersitate: vnde non intelligit de essentia completa rei, sed incompleta, atque inchoata, & existimo per *substantiam eamdem* intelligere quidditatem vnius prædicamenti, & sensum esse. Ea esse diuersa, quæ ita sunt vnius essentiæ prædicamentalis, vt tamen differant inter se. Moueor autem ad hanc explicationem amplectendam, non solùm, quia familiare est Aristoteli vsurpare substantiam pro essentia, vt etiam vsurpat in illo tex. 16. lib. 5. Metaph. vt cum docens, quænam differentia sint, inquit, *Et Quæcunque diuersitatem in substantia habent*; sed etiam, quia ibi intendit declarare, quædam sint diuersa specie, & cum enumerasset diuersos modos, quibus contingit aliqua differre specie, quasi vellet tradere vniuersalem modum omnes alios complectentem, ait, *Et quæcunque, cum in eadem substantia sint, differentiam habent*. Vt autem hæc interpretatio magis clara fiat, afferam verba ipsius, quæ faciunt ad hoc propositum. Ita enim habet *Diuersa verò specie dicuntur, quæcunque, cum eiusdem sint generis, non sunt subalterna, & quæcunque cum in eodem genere sint, differentiam habent, & quæcunque in substantia contrarietatem habent. Contraria quoque diuersa specie inuicem sunt, aut omnia, aut quæ primò dicuntur, & quorum in vltima generis specie rationes diuersæ, vt homo, & equus indiuidua genere, rationes verò eorum diuersæ*. Deinde subdit vniuersalem modum huius specificæ diuersitatis, *Et quæcunque, cum in eadem substantia sint, differentiam habent*. Hoc est, quæcunque in eadem essentia prædicamentali, vt nimirum substantia, aut qualitate differunt, ita vt differentia sit secundùm quidditatem illius prædicamenti. Et hoc etiam confirmatur, quoniam assignans immediatè identitatem oppositam diuersitati, quam illucusque explicauerat, assignat solam specificam inquiens. *Eadem verò specie sunt, quæcunque his opposite dicuntur*. Quòd si, quæcunque opposité se habent ad ea, quæ dixerat, sunt eadem specie, consequenter ea quoque, quæ opposité se habent ad ea, quæ in eadem substantia differentiam habent, erunt specie diuersa: & sic intelliget de differentia in quidditate eiusdem prædicamenti, cum intendat absolutè assignare differentiam specificam.

Quæ sint diuersa specie.

111. Neque alia argumenta valde vrgent. Nam qui concederet, plura accidentia posse esse in eodem subiecto solo numero diuersa, admitteret etiam, quòd inde tanquam absurdum infertur, nimirum posse etiam infinita in eodem subiecto recipi, quantùm est ex vi capacitatis subiecti, supposito tamen, quòd possint dari infinita accidentia; quòd si non possunt dari, non hinc tollitur capacitas subiecti ad plura, quia potest stare, quòd sit ad plura tanquam ea, quæ possibilia sunt, & non ad infinita, vt pote ad impossibilia. Neque si infinita essent possibilia requirerentur infinitæ causæ, quæ ea producerent, sed vna, nempe prima posset omnia producere; & cum Arist. ibi citatos docet: In causis non esse procedendum in infinitum, intelligit de causis subordinatè operantibus, non verò de causis non subordinatis, quales ad summum necessariæ essent pro producendis illis infinitis accidentibus. Sequela verò tertij argumenti neganda est, quia vel relationes non multiplicantur numero in eodem subiecto, tanquam illæ, quæ non habent distinctam entitatem ab entitate ipsius; vel si multiplicantur, nunquam sunt infinitæ; neque enim continuum dicit relationem realem ad partes, quibus constat, cum non distinguatur realiter ab ipsis; est enim necessaria distinctio realis inter terminum, & fundamentum, vt consurgat relatio realis. Ad quartum respondendum esset, Receptiuum debere esse denudatũ ab eo, quod recipit, quantũ est ex vi proprij esse, ita vt in ipso intrinsecè nõ imbibat id, quod recipit, non verò quòd in se non habeat tanquam in subiecto aliud indiuiduum eiusdem rationis cum eo, quod recipit. Quomodo verò in illo sensu verum sit

Alia argumenta inefficacia.

An infinita accidentia possent esse in eodẽ subiecto, si plura posset recipere.

An infinitæ relationes in continuo.

huiusmodi axioma, non est huius loci explicare.

Iudiciū de tertia sentētia

IV. Tertia autem sententia sine fundamento vtitur illa distinctione de accidentibus in actu completo, & de ijs, quæ sunt in actu incompleto. Licet enim dentur aliqua accidentia, quæ ita informant subiectum, vt quantū est ex vi illorum adhuc ordinetur ad vlteriorem actum; hoc tamen non facit, vt ipsa sint accidentia in actu incompleto: adhuc enim ipsa habent totum suum esse completum, vnde de se important actum completum, sic habitus quamuis ordinet subiectum ad actum non tamen in ratione habitus est actus incompletus, sed omnino completus; vnde eodem modo talia accidentia sunt completa in suo actu, quemadmodum etiam sunt completa cœtera, & ideò non debemus de ipsis philosophari diuerso modo, ac de ijs, quæ dicuntur esse in actu completo; & si hæc non possunt multiplicari numero in eodem subiecto, nec etiam poterunt multiplicari alia. Deinde quòd sint in actu incompleto non tollit formalem multiplicationem indiuidualem, nec ob id fiunt vnum accidens, neque enim vnum completur per aliud sui ordinis, aut alterius ordinis, vt contingit in speciebus intentionalibus, nec est capax vlterioris complementi, ergo quod sint in actu incompleto, non facit, vt possint multiplicari numero. Rursus huiusmodi accidentia in actu incompleto, ideo dicuntur talia, quia sunt in ordine ad vlteriorem actum subiecti, quemadmodum sunt habitus, qui ordinantur ad actus, & species intentionales, quæ ordinantur ad cognitionem; ergo si hæc accidentia possunt multiplicari numero in eodem subiecto, poterunt etiam multiplicari accidentia in actu completo, neque enim accidentia in actu incompleto ponuntur in subiecto, nisi propter accidentia in actu completo, ad quæ ordinantur, vnde si plura in actu incompleto poni possunt in subiecto; ponuntur etiam consequenter illa in actu completo, ad quæ ordinata sunt ex natura sua: aut si ista non possunt poni, neque ponentur illa. Et quamuis duo contraria possint esse simul in esse remisso, non hinc sequitur, duo quoque accidentia in actu incompleto posse esse simul, est enim dispar ratio; nam accidentia solo numero diuersa non possunt esse simul, vel ex incapacitate subiecti, vel quia coalescunt in vnum; at contraria ideo non possunt esse simul, quia se mutuò expellunt, & quantum de vno introducitur, tantum de alio expellitur; hinc possunt esse simul in esse remisso.

Nulla sc. accidentia in actu incōpleto.

Ratio de accidentibus in actu cōpleto, & cōpleto quo ad multiplicationē idem est ac eodem subiecto.

Iudiciū de quarta.

V. In quarta autem sententia, neque rectè additur illa distinctio de accidentibus aduētitijs, & congenitis, & ex ipsius fundamento reijcitur; nam ideo per Iandun. accidentia congenita non possunt multiplicari numero in eodem subiecto, quia proueniunt ab intrinseca virtute naturali subiecti, & cum natura abhorreat superfluum, poterit vnicum tantùm accidens producere in subiecto. Verùm aduentitia quoque accidentia producuntur à natura, fiunt enim per naturales causas naturali modo operantes, cur ergo in his natura non abhorrebit superfluum? Natura enim semper eadem est, & ideò semper abhorret superfluum. Et militat semper etiam eadem ratio; nam ideo abhorret superfluum, quia quicquid facit, ordinat ad finem, & nihil facit, quod sit frustratorium: & proinde hunc tenorem procedendi debet etiam seruare, quando introducit in subiectum accidentia aduentitia, quia tunc quoque agit propter finem, nec debet facere aliquid superfluum.

Natura semper abhorret superfluū.

Iudiciū de quinta sententia.

VI. Quinta porrò sententia rectè procedit in eo, quòd asserit, accidentia capacia intensionis non posse multiplicari numero in eodem subiecto, sed coalescere in vnicum magis intensum, & fundamentum ibi pro hoc ipso adductum ex Scoto firmum est. Sed quando addit, cœtera accidentia posse multiplicari numero in eodem subiecto, deficit à veritate, & statim apparet otiositas horum accidentium, si multiplicarentur numero: ad quid enim deseruirent? Atque non leue indicium desumitur ex eo, quòd accidentia, quæ habent latitudinem intensiuam, nequeant multiplicari numero. Si enim natura prouidit hæc accidentia vniri in vnum, quando plura in eodem subiecto ponuntur, ex eo quòd plura pro aliquo fine deseruire possunt, signum est, naturam abhorrere huiusmodi multiplicationem indiuidualem, tanquam eam, quæ nulli fini deseruire po-

potest; vnde consequenter in accidentibus, quæ in vnum coalescere non possunt, oportuit prouidisse, ne possent plura esse simul in eodem subiecto.

Quid sentiendum de sexta. VII. Similiter quoque sexta sententia vtitur illa distinctione de accidentibus, quæ habent idem munus, & de accidentibus, quæ habent diuersum munus absque eo tamen, quòd fallueret, plura accidentia posse esse in eodem subiecto, licet solo numero differant; nam quamuis verum sit, dari huiusmodi accidentia, quæ habent diuersum munus, & multiplicari posse in eodem subiecto. falsum tamen est, quòd solo numero differant, sed differunt specie, vt diximus sect. 2. de speciebus intentionalibus repræsentatiuis diuersorum indiuiduorum eiusdem speciei. Et hoc ipsum colligitur ex eo, quòd exercent diuersum munus, nam exercent illud munus ratione proprij esse: nunc ergo inquiro, ratione cuius esse exerceant, & cur aliqua accidentia, quæ differunt numero, hoc diuersum munus exerceant, aliqua non exerceant, cum omnia indiuidualiter differant? Hinc igitur colligitur, si sumantur duo ex his accidentibus, quæ exercent diuersum munus, non habere hanc diuersitatem ratione diuersæ indiuiduationis, nam omnia, quæ haberent diuersam indiuiduationem, exercerent etiam diuersum munus; vnde oportet, quòd illud exerceant ratione alicuius esse diuersi, quod non sit indiuiduatio; diuersitas autem supra diuersitatem indiuidualem importat diuersitatem essentialem. Atque hæc doctrina ad summum falleret in relationibus, quæ videntur habere diuersum munus referendi ad diuersos terminos, quamuis solo numero differant; verum neque in ipsis fallit, quia cum non distinguantur à subiecto, non multiplicantur, in ipso solo numero, sed per eamdem relationem refertur ad omnes terminos: neque relatio ex eo præcisè, quòd referat ad diuersos terminos, habet diuersum munus, sed solùm idem munus multiplicatum, si tamen referat diuersa subiecta, quia si refert idem subiectum, est vnum, atque idem munus. Fundamentum verò huius sententiæ rectè procedit, quòd scilicet accidentia, quæ habent diuersum munus, possint multiplicari in eodem subiecto, quia nimirum differunt specie: secus autem, quæ non habent diuersum munus, quia differunt tantùm numero. Atque hæc omnia dicta sunt, vt ostendamus, vnde proueniat, accidentia non posse multiplicari numero in eodem subiecto, & manifestum fieret, id non prouenire ex eo, quòd per subiectum indiuiduentur, loquendo de ijs, quæ habent proprium esse physicum contradistinctum ab esse subiecti, de quibus docueramus, non indiuiduari per subiectum.

Accidentia, quæ habent diuersum munus, differunt specie.

In quo consistat ratio formalis indiuiduationis. Disp. XLII.

Indiuiduationem esse aliquid superaddictum puræ naturæ.

SECTIO I.

I. CVm in superioribus determinatum sit, res omnes, physicè loquendo, esse indiuiduas seipsis per proprium esse physicum, in præsenti disputatione inquirendum est de ratione formali, & metaphysica ipsius, in quo nimirum consistat, & quid dicat, & quomodo se habeat tum in se, tum quò ad naturam, quam indiuiduat. Prima autem difficultas, quæ se nobis circa hanc materiam offert, est, an importet aliquid superadditum naturæ præcisè sumptæ; atque punctus difficultatis in eo consistit, an sicuti res physicæ seipsis, & absque aliquo superaddito sunt indiuiduæ, ita etiam natura præcisè, & metaphysicè accepta sit seipsa indiuidua, absque aliquo metaphysico superaddito; an verò requiratur aliquis gradus entis, in quo formaliter consistat indiuiduatio, qui quidem

Punctus difficultatis.

deni sit idem realiter cum natura, distinguatur tamen ratione, quem admodum distinguuntur cœteri gradus essentiæ inter se.

Sententia Nominalibus.
II. Solet ergo in hac difficultate afferri sententia Nominalium tanquam asserentium, naturam non indigere aliquo metaphysico superaddito, sed seipsa esse indiuiduam, & citatur pro ipsa Adam. in 1. dist. 3. quæst. 8 art. 1. Ocham. ibid dist. 2. quæst. 4. & 6. Gab. quæst. 6. 7. & 8. Quæ sententia ideo ipsis tribuitur, quia docent, non dari aliquem statum naturæ, in quo prius sit natura, & postea singularis, sed simul esse naturam, & singularem, & ideo seipsa esse singularem, & non esse quærendam aliquam causam singularitatis, sed potius quærendam esse causam vniuersalitatis. Hoc autem ideo docent, quia loquuntur de natura secundùm esse reale physicum, quod habet à parte rei independenter ab intellectu: quia autem in suo esse physico identificat sibi indiuiduationem, nec fit indiuidua per aliquid superadditum, ideo docent, non esse quærendam causam, vnde natura habeat esse indiuiduũ, sed seipsa esse indiuiduam; quia autem primum esse, quod habet natura reale, & independenter ab intellectu, est esse physicum, ideo afferunt, non esse prius naturam, & postea indiuiduam, sed esse simul naturam, & indiuiduam; quod quidem verum est, quia statim, ac aliquid est à parte rei, eo ipso quòd est, indiuiduum est. Quamobrem Nominales loquuntur de natura secundùm esse physicum, non verò de natura præcisè, & metaphysicè accepta, prout dicit tantùm sua quidditatiua: & ideo doctrina ipsorum vera est in eo sensu, quo illam accipiunt, vt patet ex ijs, quæ à nobis in superioribus dicta sunt. Quidam autem Recentior ex parte hanc sententiam amplectitur; asserit enim, quòd si loquamur de indiuiduo vago, tunc indiuiduatio non est aliquid superadditum naturæ; si verò loquamur de indiuiduo determinato, tunc indiuiduatio est aliquid superadditum. Quo tamen fundamento procedat huiusmodi distinctio, non video, quia cum tam indiuiduum vagum, quàm determinatum debeat dicere formalem rationem indiuiduationis, atq; ratio formalis indiuiduationis sit semper eadem, necessariò aut semper, aut nunquam erit aliquid superadditum.

Adam. Ocham. Gabr.

Opposita sententia.
III. Secunda sententia, & communis docet, indiuiduationem metaphysicè loquendo esse aliquid superadditũ naturæ præcisè, ita vt importet gradum entis metaphysicum contrahentem naturam ad esse indiuiduale. Ita inter alios docent Scot. in 1. distinc 3. quæst. 1. Anton. Andreas, Bassolis, Lychet. & cœteri Scotistæ ibid. Rada tomo 2. controuer. 3. artic. 4. conclus. 9. quamuis Scotistæ velint, hoc superadditum distingui à parte rei à natura, quod nos in superioribus refutauimus. Præterea Suarez in Metaph. disput 5. sect. 2. num. 8. Albertin. tom. 2. principio primo philosoph. disput. 1. quæst. 10. dub 1. Auersa in Logica quæst. 9. sect. 9. & alij quamplures, præsertim ex Recentioribus; atque hæc sententia est proculdubio tenenda, & ideo eam modo explicabimus.

Scot. Anton. Andr. Bassolis. Lychet. Rada Suarez. Albert. Auersa.

1 concl Indiuiduatio formaliter dicit propriũ gradum entis superadditum naturæ.
IV. Pro explicatione autem dicendum est primò. Indiuiduationem metaphysicè sumptam importare suum specialem gradum entis, qui superadditur naturæ metaphysicæ acceptæ, vt per ipsum determinetur adesse indiuiduale certum, & designabile. Pro cuius intelligentia sciendum est. Naturam posse considerari dupliciter, nimirum prout dicit esse præcisum, quod consistit in illa combinatione prædicatorum quidditatiuorum, quibus cõstituitur, & prout est immersa in esse entitatiuo. Primo modo importat aliquid communicabile pluribus; ex vi enim suæ essentiæ non est incommunicabilis, ita vt sit hæc numero designabilis, sed potest pluribus communicari, & proinde abstrahit à quacunque indiuiduali determinatione, atque etiam ab existentia. Et quamuis non habeat in tali statu ita præcisè acceptæ esse reale à parte rei, nihilominus importat esse reale, quod immergitur in esse physico, quod est à parte rei existens, & secundùm hoc esse reale est prior prioritate naturæ ipsa indiuiduatione. Si verò altero modo accipiatur, tunc est iam contracta, & incommunicabilis, quia esse illud entitatiuum est certum, atque designabile, & facit, quòd in ipso natura incommunicabiliter existat: inuoluit enim existentiam, vel actualem, vel possibilem,

Duplex acceptio naturæ

ratione cuius dicit esse terminum singularis actionis; & proinde limitatur ad aliquod esse singulare, & indiuiduũ, quod in se inuoluit tum esse metaphysicum naturæ, tum etiam esse metaphysicum indiuiduationis. Indiuiduatio ergo metaphysicè sumpta est aliquid superadditum naturę primo modo acceptæ: est enim gradus entis naturam contrahens ad incommunicabilitatem.

1. ratio

V. Sic autem explicata conclusio probatur. Indiuiduatio de se formaliter constituit primum subiectum in linea prædicamentali, atque si sit indiuiduatio substantiæ, de secunda substantia facit primam, ergo de se importat aliquid positiuum metaphysicum superadditum naturæ, quod sit quidam gradus entis concurrens simul cum alijs ad constitutionem cuiuscunque entis indiuidui. Quod spectat ad antecedens certum est, quoniam vltimum subiectum in omni coordinatione prædicamentali est illud, de quo omnes gradus superiores prædicantur in quid prædicatione directa, & naturali; ipsum vero de nullo alio prædicatur saltem prædicatione eiusdem generis: atque si sit in coordinatione sub stantiæ, de nullo prædicatur; prima enim substantia neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur, vt docet Arist. cap. de substantia. Primum autem subiectum constituitur in ratione primi subiecti formaliter per indiuiduationem, nam quidditas præcisa indiuiduatione, sicuti potest pluribus communicari, ita etiam potest esse in pluribus; atque de ijs prædicari, & propterea non est id, quod in qualibet serie non potest de aliquo prædicari; sic substantia secunda, quæ importat naturam substantialem præcisa indiuiduatione potest prædicari de prima. Indiuiduatio autem, sicuti determinat ad hoc esse numero, & reddit incommunicabile, ita facit, vt natura non possit sic determinata esse in pluribus per modum superioris, & consequenter, quod sit illud vltimum, quod collocatur in qualibet linea prædicamentali. Ex antecedenti autem facile colligitur illata consequentia. Primum enim subiectum in qualibet linea prædicamentali, vt tale est, dicit peculiarem gradum illius coordinationis, omnis enim descensus, qui fit in coordinatione prædicamentali, fit per nouos gradus superuenientes, quia à superioribus descenditur ad inferiora, quæ suos peculiares gradus important; vnde cum ab eo, quod de pluribus prædicari potest, descenditur ad primum subiectum illius coordinationis, oportet, vt hic descẽsus fiat per nouum gradum entis. Quod præsertim verum est, quia descenditur à communicabili ad incommunicabile, vnde necesse est, vt adsit aliquis gradus entis superadditus naturæ communicabili, in quo incommunicabilitas fundetur. Atque cum primum subiectũ collocetur in coordinatione prædicamentali tanquam quid distinctum à natura communi, & tanquam quid inferius, quod in prædicatione subijcitur naturæ communi, ex hoc necesse est, vt dicat peculiarem gradum entis positiuum superadditum naturæ, ratione cuius se habeat vt quid inferius contradistinctum à natura in coordinatione prædicamentali.

Per quid formaliter constituitur primum subiectum in linea prædicamentali.

gradum entis.

2. ratio.

VI. Secundò probatur. Natura secundùm se præcisè est indifferens ad plura indiuidua, & potest ad illa descendere per cõmunicationem per modum superioris; per indiuiduationem autem exercetur huiusmodi descensus, tanquam per terminum communicabilitatis, & descendendo contrahitur, atque constituitur in statu opposito communicabilitati; ergo indiuiduatio, quæ seipsa formaliter exhibet huiusmodi effectum, debet importare gradum entis metaphysicum superadditum naturæ. Quæ in antecedenti dicta sunt, non indigent alia explicatione, cum per se manifesta sint; ex ijs autem omnibus deducitur ista consequẽtia, quoniam, si natura de se est indifferens ad plura, oportet, vt habeat suum reale determinatiuum, quo ad illa determinetur, quod necessariò erit ipsi superadditum, quandoquidem determinatiuum non potest includi in determinabili. Rursus si tanquam contrahibilis descendit ad plura per communicationem per modum superioris; oportet eum communicatio sit realis metaphysica concedere terminum realem metaphysicum huius communicationis, & similiter cum illa plura sint realia, necesse est, ponere eorundem reale consti-

Quid præstet indiuiduatio naturæ, quomodo ex illis tribus colligatur esse aliquid superadditum.

Primũ subiectum in linea prædicamentali importat speciale

stitutiuum. Indiuiduatio autem est illa, quæ terminat communicabilitatem, & per quam constituuntur in esse indiuidua, ergo cum non distinguatur à re indiuidua à parte rei, oportet, vt saltem sit gradus entis metaphysicus à natura ratione distinctus, alioquin non potest intelligi, neque quomodo terminet communicabilitatem, neque quomodo constituat in esse indiuidua. Præterea cum per talem communicationem natura constituatur in statu opposito communicabilitati, oportet concedere aliquem gradum entis constitutiuum naturæ in tali statu opposito suo proprio; sicuti enim status communicabilitatis debet constitui per esse indiuiduationis, quod minimè præstare posset, nisi importaret proprium gradum entis positiuum superadditum naturæ.

Confir. VII. Atque hinc elicitur valida confirmatio. Cum enim natura de se sit communicabilis pluribus, atque adeo contrahibilis ad illa, non habet esse omnino completum, quia licet sit completa in ratione naturæ, non est tamen omnino completa in ratione essendi, quia non habet totum id, quod necessarium est, vt sit cum suo esse physico à parte rei. Esse enim physicum est omnino determinatum, & incommunicabiliter se habens respectu quorumcunque inferiorum, quia nulla habet, ad quæ descendere possit, & proinde quandiu natura non intelligitur ita determinata, vt possit incommunicabiliter se habere à parte rei cum suo esse physico certo, & designabili, nunquam erit omninò completa in ratione essendi. Indiuiduatio autem est illa, quæ exhibet formaliter huiusmodi complementum; nam ita determinat, & complet, vt natura se habeat incommunicabiliter, & habeat totum id, quod requiritur ad esse physicum certum, & designabile, quod fieri non potest; nisi indiuiduatio importet gradum entis superadditum naturæ. Quod etiam confirmant cæteræ contractiones, quæ fiunt circa rationes superiores; quando enim natura generica contrahitur ad esse speciei, quia per talem contractionem perficitur, & completur essentialiter; ideo huiusmodi contractio sit per gradus essentiales superadditos naturæ genericæ; ergo quando fit contractio naturæ essentialiter completæ, sed pluribus communicabilis, ita vt trahatur ad esse incommunicabile, & omnino determinatum, atque completum, debet fieri huiusmodi contractio per aliquos gradus entis superadditos positiuos, quia adhuc natura, si non essentialiter, saltem in ratione essendi determinatur, & completur.

(Naturanon est omnino cōpleta in ratione essendi)

(Indiuiduatio positiuū complementum in rōne essendi.)

VIII. Atque si ex natura præcisionis arguere volumus, possumus addere tertiam rationem. Natura enim à parte rei, vt pote quia est immersa in entitate physica, existit indiuiduata, ita vt quamuis retineat proprium esse, commisceatur tamen eum indiuiduatione in eadem entitate. Potest autem intellectus per suam virtutem præcisiuam concipere naturam, eam separando ab indiuiduatione, ita vt concipiat illud solum, in quo indiuidua conueniunt, & relinquat id, in quo differunt. In hac autem præcisione id, quod relinquitur; dum sola natura communis concipitur, est aliquid reale, quia relinquitur id, per quod formaliter indiuidua differunt: cum autem differant realiter, necesse est, quòd differant per reale distinctiuum, quod importet gradum entis distinctiuum eorumdem. Quamobrem cum in præcisione relinquatur solummodo indiuiduatio, iam indiuiduatio erit huiusmodi reale distinctiuum, & consequenter importabit gradum entis metaphysicum superadditum naturæ. Atque in confirmationem addi potest prædicatio, qua natura præcisa de suis indiuiduis prædicatur. Cum enim de ipsis prædicatur, vt cum dicitur, *Petrus est homo*, subiectum prædicationis dicit aliquid amplius, quàm dicat prædicatum, quod inde euidenter colligitur, quia idem homo, qui prædicatur de Petro; potest etiam prædicari de Paulo, non tamen Petrus potest prædicari de Paulo: ex hoc autem fit, quòd Petrus importet aliquod reale, quod non sit in Paulo: vt enim prædicatio sit vera, necesse est, vt id, quod dicit prædicatum sit in subiecto, quare homo, qui prædicatur de Paulo, debet in-

(3. ratio.)

(Indiuiduatio re:le distinctiuum indiuiduorum.)

(Confir.)

(Vnū indiuiduū importat aliquid reale, quod non est in alio.)

ipſo reperiri; & ſimiliter etiam debet reperiri in Petro, cum de ipſo etiam prædicetur. Et idcirco cum Petrus importet rationem hominis, quæ etiam prædicatur de Paulo, & nihilominus nequeat prædicari de Paulo, neceſſe eſt, vt præter eſſe hominis, importet aliquid aliud reale, quod non ſit in Paulo; hoc autem non poteſt eſſe aliud, niſi id, in quo diſtinguuntur, nimirum indiuiduatio. Rurſus etiam addi poteſt alia Confir. Stante enim huiuſmodi præciſione, poſſumus definire naturam abſque eo, quòd definiamus indiuiduationem: rurſus etiam concipere poſſumus, & explicare indiuiduationem abſque eo, quòd explicemus naturam. ergo neceſſe eſt, vt tam natura, quàm indiuiduatio importent proprium eſſe, alioquin quomodo ſeorſim explicarentur? Quòd ſi vtraque habet proprium eſſe, iam indiuiduatio importat proprium gradum entis ſuperadditum naturæ. Hinc autem fit, quòd indiuiduatio non ſit de eſſentia naturæ, & conſequenter neque in ipſius definitione explicari debeat.

Alia confirm.

Alius cõceptus naturæ, & alius indiuiduationis.

IX. Quartò probatur noſtra concluſio. Et ſuppono, adeſſe talem neceſſariam connexionem inter ſubiectum, & paſſionem metaphyſicam, vt poſito ſubiecto, neceſſe ſit, ponere paſſionem, & econtra poſita paſsione, neceſſe ſit, ponere ſubiectum, à quo conſequatur. Quo poſito ſit con ficitur ratio. Certum eſt, vnitatem eſſe paſſionem entis metaphyſicam, & conſequenter ita neceſſariò connexam cum ipſo ex genere ſuo, vt impoſſibile ſit, eſſe ens, & non eſſe vnum, & ſtatim ac concipitur vnitas, debeat etiam concipi ens, cuius ſit vnitas. Rurſus etiam certum eſt, dari vnitatem indiuidualem, quæ eſt omnium maxima: Ex poſitione ergo huiuſmodi vnitatis neceſſaria illatione infertur, concedendam eſſe aliquam radicem, à qua proueniat, quæ importet aliquam rationem entis; vnitas enim ex genere ſuo radicatur in ente. Quæro igitur, quænam ſit huiuſmodi radix. Non poteſt aſſignari natura, nam non eſt proportionatum principium talis vnitatis; vnitas enim indiuidualis eſt ſimul cum incommunicabilitate, ita vt vni tantùm conuenire poſſit, & non pluribus: econtra verò natura fundat communicabilitatem, qua pluribus poteſt communicari. Quòd ſi eſſet radix vnitatis indiuidualis, ſicuti eadem natura eſt in omnibus indiuiduis, ita vna, atque eadem vnitas indiuidualis eſſet in omnibus indiuiduis, quod planè abſurdum eſt, quoniam vnumquodque indiuiduum habet ſuam peculiarem vnitatem indiuidualem. Igitur ponendus eſt aliquis alius gradus entis ſuperadditus naturæ, à quo ſit talis vnitas, & in ipſo conſiſtet ratio formalis indiuiduationis.

Quarta ratio.

Dandus ſpecialis gradus entis, qui ſit radix vnitatis indiuidualis.

X. Quod etiam confirmatur. Dantur enim genera diuerſa vnitatum, vt enim ait Ariſt. 4. Metaph. tex. 12. *Alia numero, alia genere, alia ſpecie, alia analogia vnum ſunt*; & adeſt etiam conuincens ratio, quia vnitas ex genere ſuo eſt paſſio entis. Quamobrem cum prima ratio vnitatis incipiat in prima ratione entis, prout multiplicantur rationes entis, atque gradus, ita etiam debent multiplicari gradus, & genera vnitatum conſequentium huiuſmodi gradus, ita vt vnitas generica conſequatur gradum genericum, & ſpecifica ſpecificum; ſi enim prima ratio entis non poteſt eſſe ſine prima ratione vnitatis, nec etiam determinata ratio entis poterit eſſe ſine determinata ratione vnitatis. Atque huiuſmodi genera vnitatum important rationes reales metaphyſicas; quia ſicuti radicantur in gradibus entis realibus, ita etiam debent importare vnitates reales, quia ſubiectum reale habet paſſiones reales. Atque dari huiuſmodi diuerſa genera vnitatum realium, inſuper conuincitur, quia dantur realia contraria poſitiua, qualia ſunt calor, & frigus, ſiccitas, & humiditas: & contrarietatis realis non dantur plus, quàm duo prima extrema, in quibus reperiatur adæquata ratio contrarietatis, alioquin ſi eſſent plura, quàm duo, inquiro, an fundarent contrarietatem, vt plura ſunt, & ſic non eſſet vna contrarietas, ſed multiplex, quia pluralitas importat diuerſitatem, diuerſitas autem in fundamentis contrarietatis fundat diuerſam contrarietatem materialiter. Si igitur ſunt tantùm duo, oportet, vt

Confir. Ariſt.

Diuerſa genera vnitatũ fundata in diuerſis gradibus entis.

Quælibet cõtrarietas habet duo tãtũ prima extrema.

vtrumque ipsorum habeat suam vnitatem, atque cum sit reale debet habere vnitatem realem. Verùm hæc vnitas nō potest esse indiuidualis, quia cum sub qualibet contrarietate reperiantur plura indiuidua participantia illam contrarietatem; vt plura alba, & nigra sub contrarietate albedinis, & nigredinis, oportet dari ex parte primorum extremorum aliquam vnitatem, quæ complectatur sub se diuersas vnitates indiuiduales, & ideo debet esse alia vnitas ab indiuiduali, alioquin quælibet duo contraria in diuidua essent prima extrema, & consequenter non essent duo prima extrema contrarietatis, in quibus reperiretur adæquata ratio contrarietatis. Præterea, cum vnitas opponatur diuersitati, atque distinctioni, ad multiplicationem distinctionis, debet etiam multiplicari vnitas, quia multiplicato vno opposito, debet etiam multiplicari alterum, & proportione seruata tale debet esse vnum, quale est alterum. Cum igitur præter distinctionem realem indiuidualem, detur etiam distinctio essentialis realis, tum generica, tum specifica, quæ prouenit ab intrinseco rerum physicarum, vt pote, quia distinguuntur essentialiter ex vi illius, quod imbibunt in proprio esse physico, consequenter concedenda est etiam vnitas essentialis realis, quæ conueniat rebus physicis ex vi illius quidditatis, quæ in ipsis intrinsecè imbibitur. Hinc autem fit, quòd dentur indiuidua, quæ conueniant à parte rei in natura, quatenus sunt eiusdem naturæ, quod absque vnitate reali essentiali non saluaretur, quia conuenientia fundatur in vnitate. Rursus quòd dentur productiones vniuocæ, quæ similiter stare non possunt, nisi sit vnitas essentiæ in producente, & producto. Similiter etiam, quòd plura obiecta sub vna ratione obiecti correspondeant singulis potentijs, vt plura colorata potentiæ visiuæ sub vna ratione coloris, secundùm quam illam specificant, & cum ipsa seruant debitam commensurationem. quomodo autem id contingeret, nisi daretur aliqua vnitas realis, quæ coadunaret omnia illa obiecta in vnicam rationem obiecti? obiectum enim potentiæ realis, prout est specificatiuum ipsius, atque adeo prout est vnum, debet esse reale.

Cōcedē da vnitas realis essentialis, sicut etiā distinctio.

X I. Cum igitur certum sit, dari plura genera vnitatis fundata in diuersis gradibus entis; sanè etiam sequitur hæc genera vnitatum seruare inter se quemdam ordinem, ratione cuius vna sit prior, altera posterior, ita vt minor vnitas sit prior cœteris, maior autem omnibus, sit etiam omnium posterior. quem ordinem tradidit etiam Arist. in illo tex. 12. lib. 5. Metaph. inquiens: *Semper autem posteriora sequuntur præcedentia, vt puta quæcunque numero specie quoque vnum sunt, quæcunque verò specie, non etiam numero, sed genere cuncta vnum sunt; quæcunque etiam specie; quæcunque autem genere, non omnia specie, sed secundùm analogiam; quæcunque verò analogia vnum, non omnia genere.* Atque huiusmodi ordo conuincitur ex gradibus entis, quoniam passiones seruant inter se eumdem ordinem, quem seruant subiecta, at gradus entis ita ad inuicem se habent, vt vnus sit prior, alter verò posterior, vt patet ex coordinatione prædicamentali, atque ille, qui vniuersalior est, sit prior, qui verò minus vniuersalis sit posterior, ergo etiam vniuersalior vnitas, quæ est etiam minor cœteris, vt pote quia plura complectitur, erit prior, minus autem vniuersalis erit posterior; quia cum sit omnium maxima vnitas, vnicum tantùm complectitur. Ex regula quoque prioritatis, & posterioritatis idem conuincitur, nam, vt docet Arist. in Postprædicam. cap. de Priori. Illa sunt cœteris priora, quibus positis non est necesse alia ponere, nec ab ipsis valet ad ista conuertentia sequentis subsistendi consequentiam; e contra verò illa sunt posteriora, quæ alia supponunt, & ipsis positis necesse est alia ponere. Verùm posita vnitate generica non est necesse ponere specificam, & indiuidualem, nec posita specifica, necesse est ponere indiuidualem, quia si aliqua sunt vnum genere, non sunt necessariò vnum specie, aut indiuidualiter; neque si sunt vnum specie, sunt etiam vnum iudiuidualiter, & ideo vnitas generica est prior specifica, & specifica indiuiduali. Econtra vero si

Ordo prioris, & posterioris in vnitatibus.

Regula prioritatis, & posterioritatis.

sunt vnum indiuidualiter, sunt etiam vnum specificè, & genericè, & rursus quæ sunt vnum specifice, sunt etiam vnum genericè, & proinde vnitas indiuidualis est posterior specifica, & specifica generica. Et quamuis inter has vnitates non adsit distinctio à parte rei, quatenus sunt in eadem entitate, adest tamen fundamentum distinctionis, quod sufficit, vt possit intellectus eas distinguere; atque de ipsis philosophari, tanquam si essent distinctæ; nec in hoc aliter de ipsis sentire, ac natura earundem exigat: vnde dum ponit inter ipsas hanc prioritatem, & posterioritatem, sicuti concipit veras rationes metaphysicas, ita etiam tribuit ipsis id, quod ex natura sua exigunt? Quamobrem huiusmodi prioritas, & posterioritas est realis metaphysica conueniens naturæ metaphysicæ harum vnitatum.

Vnitas minor numerali, & qualis.

XII. Ex hoc porrò discursu, quem in confirmationem præcedentis rationis adduximus, elicitur primò, dari vnitatem realem, quæ sit minor indiuiduali, & quæ sit imbibita in esse physico rerum indiuidualium, & quamuis non sit distincta à parte rei secundùm esse physicum, exhibere tamen fundamentum distinctionis, ita vt ex natura sua sit distinguibilis secundùm esse metaphysicum, atque quando distinguitur, retineat adhuc propriam naturam metaphysicam. Rursus deducitur, hanc vnitatem habere suum fundamentum, à quo originetur, & sicuti ista vnitas ex eo, quòd est minor vnitate indiuiduali, est etiam prior ipsa, quantum est ex natura sua, ita etiam principium ipsius debet esse natura sua prius principio vnitatis indiuidualis; huiusmodi autem principium non potest esse aliud, quàm essentia, seu natura indiuidui, quam habet communem cum cœteris, quia sicuti vnitas ista essentiæ est communis, ita etiam debet fundari in eo, quod est commune, nempe in essentia. Vnde concludendum est, naturam cum sua vnitate, quantum est de se, non esse indiuiduam, sed esse priorem indiuiduatione, quia potest haberi conceptus proprius ipsius absque eo, quòd concipiatur indiuiduatio, & quia habet suam propriam vnitatem, quæ natura sua prior est vnitate indiuiduali, & ideo non potest habere aliã vnitatem sibi propriam, quam originet, quia vnumquodque ens vnicam tantùm vnitatem sibi propriam originat; vnde debet concedi alius gradus entis, & qui sit principium vnitatis indiuidualis, & qui determinet naturam, vt sit indiuidua; qui necessariò secundùm esse metaphysicum erit quid ipsi superadditum.

7. concl. Quando indiuiduatio nihil superaddat naturæ.

XIII. Secundò dicendum est. Si consideretur natura, prout est immersa in esse physico, siue sit in statu actualis existentiæ, siue in statu possibilitatis, tunc indiuiduatio metaphysicè loquendo nihil propriè superaddit, sed dicit solum inadæquatum conceptum ipsius. Pro cuius intelligentia sciendum est, quòd aliud est loqui de indiuiduatione, prout est quædam vnitas omnium maxima, & aliud prout est quidam gradus entis determinatiuus naturæ communis. Primo modo nedum superaddit aliquid propriè respectu naturæ physicè, sed neque respectu sui gradus, à quo consequitur, quia vnitas ex genere suo non distinguitur adæquato conceptu ab ente, à quo consequitur. Secundo autem modo, licet distinguatur à natura metaphysicè accepta, & sit aliquid superadditum, non tamen distinguitur, aut est aliquid propriè superadditum respectu naturę physicè acceptæ, seu à natura immersa in entitate physica. Vbi aduertendũ est, quòd entitas physica considerari potest, & secundùm esse adæquatum, & secundùm inadæquatum: primo modo dicit totum id, quod in seipsa inuoluit, & est fundamentum omnium prædicatorum, & formalitatum, quæ tribui possunt: omnia enim, quæ cuicunque rei cõueniunt, in eiusdem physica entitate immerguntur; & proinde entitas physica habet veluti in concretione omnes formalitates. Secundo modo potest diuersa importare iuxta diuersos conceptus inadæquatos, qui de ipsa formari possunt; & præcipuè considerari potest secundùm præcisam rationem entitatis, quæ se habeat veluti ratio quædam coadunans in idem esse, & ponens in concretione omnia prędicata quidditatiua, & omnes formalitates, quę cuicunque rei conueniunt; indiuiduatio ergo metaphysicè accepta non superaddit aliquid entitati physicæ naturæ secun-

dùm

dùm esse adęquatum, sed importat tantùm conceptum inadæquatum imbibitum in esse inadæquato. Huiusmodi autem conceptus est ratio illa entis ita determinans, & coadunans in vnum cęteras formalitates, vt trahat ad essendū incommunicabiliter: qui quidem conceptus nihil aliud est propriè, quàm formalitas entitatis physicæ, non quidem adæquatæ, sed prout est ratio trahens essentiam ad esse physicum.

Qualiter indiuidua non sit quid superadditum entitati physicæ, & qualiter conceptus inadequatus ipsius

XIV. Sic autem explicata conclusio non indiget ferè probatione, nihilominus explicatur. Cum enim vnaquæque res physica sit ex se indiuidua, & ita incommunicabiliter se habeat, vt separetur à quocunque alio indiuiduo, impossibile est, quòd formalitas indiuiduationis sit quid ipsi superadditum; sed quemadmodum effectus formalis indiuiduationis est in ipsa imbibitus, ita etiam debet imbibi ratio formalis indiuiduationis; & sicuti cuicunque rei ex vi sui esse physici repugnat alteri communicari per modum superioris, ita etiam ex vi eiusdem necesse est, vt habeat formalem incommunicabilitatem, atque adeo formalem rationem indiuiduationis, quia indiuiduatio est illa, quæ confert huiusmodi incommunicabilitatem. Potest nihilominus in hoc esse physico distingui cōceptus proprius indiuiduationis, qui importabit adæquatam rationem indiuiduationis, sed inadæquatè ipsam entitatem, quatenus scilicet est ratio quædam trahēs esse naturæ ad esse physicum, natura enim, quā tum est ex vi suæ essentiæ, sicuti non est in statu proximo, vt possit existere, sed quid communicabile pluribus, in quibus potest existere, ita etiam non est indiuidua, sed solùm potest indiuiduari; statim autem, ac intelligitur immersa in esse physico, siue existenti, siue possibili, ita intelligitur determinata, & coarctata, vt incommunicabiliter se habeat, atque adeo indiuidua sit; entitas enim physica, ex eo, quòd physica est, nequit per modum superioris pluribus communicari, vnde per quod formaliter natura communis indiuiduatur, per id etiam trahitur ad esse physicum, at per quod trahitur formaliter ad esse physicum, per id etiam indiuiduatur, quia sicuti indiuiduatio complet naturam communem in ratione essendi, ita etiam constituit formaliter in esse physico, cum esse physicum non sit aliud, quàm esse completum in ratione essendi.

XV. Ex his verò, plura deducuntur, quæ pro explanatione quarumdam difficultatum, quæ fieri possent, inseruiunt. Et primò quidem, quomodo indiuiduatio non sit essentialis rei indiuiduæ, quia licet intrinseca sit entitati indiuiduæ, non est tamen intrinseca naturæ metaphysicè consideratæ, sed quid ipsi superadditum, quod sufficit, vt non sit essentialis rei indiuiduæ; cum enim consistere possit essentia absque indiuiduatione, manifestè concluditur, indiuiduationem non esse essentialem rei indiuiduæ. Rursus colligitur, quomodo faciat differre intrinsecè, cùm enim intrinseca non sit essentiæ, sed tantùm entitati, ideo non facit differre intrinsecè essentialiter, sed tantùm intrinsecè entitatiuè. Quod si obijcias, indiuidua à parte rei non differre in natura, differre autem in indiuiduatione, & proinde indiuiduationem esse aliquid superadditum naturæ existenti, atque adeo physicè acceptæ; respondetur, indiuidua non differre à parte rei in natura, si natura præcisè accipiatur secundùm esse essentiale; differre tamen, si entitatiuè consideretur, quia entitas illa indiuiduorum singulorum, habet aliquid, secundùm quod conuenit cum simili entitate alterius indiuidui, & aliquid secundùm quod differt; vnde sequitur, indiuiduationem esse aliquid superadditum solùm respectu naturæ præcisè acceptæ, non autem prout est immersa in entitate.

Quomodo indiuiduatio intrinseca rei indiuiduæ.

Indiuidua quomodo differant à parte rei

XVI. Insuper colligitur. Quomodo indiuiduatio, quamuis de se sit singularis *vt quo*, non debeat supponere potentiam, seu naturam, quam actuat, singularem; licet enim actus singularis præsupponat potentiam singularem, hoc tamen tantùm verum est de actu, qui distinguitur à potentia à parte rei, non autem de actu metaphysico, qui cum eadem potentia identificatur, & qui est contractiuus ipsius; cum enim debeat contrahere naturam communem ad esse singulare, necesse est, vt interueniat improportio singularitatis, & communitatis, & quòd actus sit singularis vt quo, natura verò communicabilis pluribus;

Indiuiduatio non supponit potentiam singularē

alio-

alioquin si natura quoque esset singularis, quomodo saluaretur, quòd natura communis contraheretur ad esse singulare? sic etiam differentia, quæ contrahit genus, non est eiusdem latitudinis cum ipso. Hinc etiam, quãuis indiuiduatio vnius indiuidui ita illi conueniat, vt repugnet alteri eiusdem speciei, non debet supponere distinctionem indiuiduorum; sed illam causare, nam non ita conuenit vni, vt repugnet alteri, antequam intelligatur constitutum in esse indiuidui, sed postquam constituta sunt indiuidua; & ideo non est necesse, quòd præsupponat distinctionem indiuiduorum, sed quòd causet.

Quomodo indiuiduatio vnius indiuidui repugnet alteri.

XVII. Rursus deducitur. In quolibet supposito tot esse indiuiduationes, quot sunt entitates physicæ: sicuti enim quælibet entitas physica habet suam propriam quidditatem, quæ est communicabilis pluribus; ita etiam habet suam propriam indiuiduationem, qua illa quidditas communis determinatur ad tale esse indiuiduale. Verùm eo pacto, quo plures entitates coalescunt in vnicum totale esse, ita etiam indiuiduationes coalescunt in vnicum totale indiuiduum. Hinc quando partes continui, aut vniuntur, aut separantur, vniuntur etiam, & separantur indiuiduationes, quia sunt identificatæ in ipsa entitate partium, & sicuti partes habent ex natura sua, quòd possint separari, & vniri: ita etiam ipsarum indiuiduationes; sequuntur enim naturam rei indiuiduæ. Quòd si denique quæras, an hæc indiuiduatio sit aliquid accidentale, an verò essentiale: iam ex dictis respondetur; esse vltimum gradum entis, quo vnaquæque res vltimò complectur in suo esse: & physicè loquendo est accidens, si entitas indiuidua sit accidens; substantia verò, si entitas indiuidua est substantia: metaphysicè verò respectu essentiæ non est propriè accidens, quia non supponit rem constitutam in suo esse, neque contingenter vnitur, se habet tamen ad modum accidentis, quemadmodum se habet differentia respectu generis: non facit tamen differre accidentaliter, sed indiuidualiter, quod est peculiare genus differentiæ, quia nimirum exercet rationem indiuiduationis, non autem accidentis.

Indiuiduationes partium in cōtinuo simul vnibiles.

An indiuiduatio sit aliquid accidentale.

Inter naturam, & indiuiduationem reperiri perfectam præcisionem.

SECTIO II.

I. Cum indiuiduatio importet ex dictis gradum entis, quo natura communis contrahitur, qui quidem, si natura præcisè accipiatur, est quid ipsi superadditum; hic statim insurgit dubitatio, an inter hunc gradum indiuidualem, & naturam præcisè acceptam interueniat perfecta præcisio, ita vt per intellectum possit concipi natura absque eo, quòd vllo modo concipiatur indiuiduatio, & è contra indiuiduatio absque natura; an verò interueniat tantùm imperfecta præcisio, ita vt dum concipitur natura, concipiatur implicitè indiuiduatio, & e contra. Resolutio enim huius difficultatis plurimum conferet ad intelligendam naturam indiuiduationis.

II. Auersa in Logica quæst. 9 sect. 11. & 12. contendit, interuenire tantùm imperfectam præcisionem: vult enim, quòd quælibet determinata indiuiduatio, qualis esset Petreitas, formaliter, & intrinsecè dicat ipsam naturam: & similiter quando dicitur homo in communi, aut quælibet alia natura, non debet intelligi natura ita præcisa, vt sit extra rationem indiuiduationum tanquam pars quædam indiuiduorum, sed quòd inuoluat in se totum esse indiuiduorum, dicens implicitè totum esse ipsorum. Et hinc infert, idem esse dicere hominem, ac hominem singularem, sumendo singularitatem in communi, prout præscindit ab hac, vel illa singularitate. Affert autem pro hac sua sententia Arist. qui 3. Metaph. tex. 3. ait: *Idem enim vnus homo, & ens homo, ac homo, & non significet diuersum aliquid secundum dictionem repetitam, idest homo, & homo, & vnus homo.* Deinde si natura perfectè præscinderet ab indiuiduatione, indiuiduatio quoq; vt sic deberet perfectè præscindere à tali, & tali indiuiduatione cum non minus indiuiduationes conueniant in ratione indiuiduationis vt sic, quàm indiuidua in ratione naturæ. Hoc autem non potest admitti, alioquin deberent dari aliæ differentiæ indiuiduales, quæ contraherent rationem indiuiduationis vt sic, quæ rursus

Sententia Auer.

Arist.

conuenirent in ratione indiuiduationis, quæ perfectè præscinderet, & sic progrederetur in infinitum. Rursus concedendum esset coordinatio indiuiduationum, sicuti conceditur graduum essentiæ, nam indiuiduationes vnius speciei non conueniunt solùm in ratione indiuiduationis vt sic, sed etiam in ratione indiuiduationis talis naturæ, verbi gratia indiuiduationes naturæ humanæ in eo, quòd sint indiuiduationes humanæ naturæ, in quo differunt ab indiuiduationibus naturæ brutorum: similiter etiam omnes indiuiduationes eorum, quæ conueniunt in aliquo genere, habent etiam inter se conuenientiam genericam, vnde omnes indiuiduationes substātiæ sunt substantiales, omnes indiuiduationes accidentium sunt accidētales, omnes indiuiduationes rerum materialium sunt materiales, & omnes indiuiduationes rerum spiritualium sunt spirituales: & ideo ratione harum conuenientiarum concedenda esset propria coordinatio indiuiduationum, in qua darentur gradus superiores, intermedij, & infimi, quod tamen absurdum est. Denique quando dicitur singularis homo in cōmuni, qui prædicari potest de singulis hominibus in particulari, non intelligitur addi noua formalitas supra ipsam naturam humanam, quia homo realiter possibilis non est, nisi singularis, nec est aliqua necessitas ponendi hanc formalitatem superadditam. Deinde indiuiduum determinatum deberet addere aliam formalitatem, qua determinaret singularem hominem vt sic, quod tamen fieri non potest, quia non potest addi singularitas supra singularitatem, vnde concludendum est, quòd singularitas non addat supra naturam aliquam formalitatem perfectè præcisā.

Opposita sentētia. III. Nihilominus tamen communis sententia est in oppositum; asserit enim, ita indiuiduationem aliquid superaddere naturæ, vt perfectè ab ipsa distinguatur distinctione rationis, atque adeo inuicem perfectè præscindant, & id non solùm docent Scotistæ, cum insuper ponant distinctionem ex natura rei, sed etiam Scotus, qui non aliam distinctionem ponit inter naturam, & hæcceitatem, quàm rationis cum perfecta præcisione prouenientē ex natura ipsarum formalitatum, quatenus adest fundamentum, vt possint distingui, vt patet ex ijs, quæ habet in 2. dist. 3. quæst. 6. & nos supra retulimus disp. 40. sect. 2. num. 1. Præterea Fonseca 5. Metaph. cap. 6. quæst. 5. sect. 3. in responsione ad 1. obiectionem, & Suarez in Metaph. disp. 5. sect. 2. num. 16. & sequentib. Albertin. in suis Corolar. Principio 1. philosoph. tom. 2. disp. 1. quæst. 10. dub. 1. & quamplures alij Recentiores; atque hanc sententiam veram existimo: vnde pro resolutione difficultatis. Scot. Fonseca. Suarez. Albert.

IV. Dicendum est. Naturam ita posse præscindi ab indiuiduatione, vt interueniat adæquata distinctio rationis cum mutua præcisione perfecta, qua & natura perfectè præscindat ab indiuiduatione, & e contra indiuiduatio à natura. Pro cuius intelligentia aduertimus. Distinctionem rationis, quam format intellectus etiam cum fundamento in re, non cadere supra obiectum, prout in se, & secundùm esse reale consideratum, sed solùm supra obiectum, prout intellectui objicitur; ita vt distinctio illa solùm distinguat in obiecto, prout attingitur ab intellectu. Consistit autem in hoc distinctio, quòd intellectus versetur circa vnam aliquam entitatem, & tamen non attingat totum id, quod dicit illa entitas, sed tantùm aliquid de ipsa, & aliquid non attingat; cum enim illa entitas cum aliquibus conueniat, & ab aliquibus differat, & habeat diuersas habitudines, potest intellectus vnam tantùm habitudinem, aut differentiam, aut conuenientiam attingere, non concipiendo reliquum esse illius; aut ex aliquo alio capite concipere potest solùm partialiter esse talis rei. Distinctio autem perfecta, & præcisio adæquata tunc contingit, quando in esse obiectiuo adest vnum sine altero, ita vt intellectus secundùm id, quod objicitur, vnum omnino separet ab alio, quod tunc contingit, cum concipit aliquam formalitatem obiectiuè nullo pacto alteram concipiendo. Concl. inter naturā, & indiuiduationē adest adæquata præcisio. Quomodo cōtingat distinctio rationis.

V. Hoc autem præmisso probatur conclusio. Quando adsunt diuersæ formalitates, quarum vna potest consistere in suo esse in ordine ad esse obiectiuum sine alia, tunc potest intellectus vnam concipere nihil omnino cogitando de alia, quia in tantum cogeretur 1. ratio.

de alia cogitare, in quantum illa, quam intendit concipere non posset sine ipsa in suo esse subsistere. Et quia quò ad esse obiectiuum debemus proportionaliter philosophari ad esse reale, sicuti quando aliquid potest consistere in suo esse sine alio, potest etiam poni in esse sine ipso, ita etiam in esse obiectiuo quando aliqua formalitas potest consistere sine alia, potest etiam concipi sine ipsa. Hoc autem totum contingit in casu nostro, nam intellectus potest concipere naturam absque eo, quòd in illo conceptu concipiat omnino indiuiduationem; & e contra potest etiam concipere indiuiduationem absque eo, quòd aliquo pacto concipiat naturam. Hoc autem patet ex eo, quia quando separatim concipiuntur natura, & indiuiduatio, ita comparantur inter se, vt in recto inuicem negari possint, & natura non est indiuiduatio formaliter loquendo, & indiuiduatio non est natura; quando autem vnum tali pacto negatur de alio, necesse est, vt in esse obiectiuo consistat sine ipso, & consequenter interueniat adæquata præcisio, alioquin quomodo posset negari de ipso? impossibile est enim negationem interuenire sine separatione; vnde quia idem non potest separari à seipso, ideò nec potest de seipso negari: & cum negatio sit malignantis naturæ tollens totum id, supra quod cadit, oportet, vt dum tollit communicationem in esse, ita vt supra ipsam cadat, illam omnino adæquatè tollat; et ideo quando vnum negatur de alio in recto, debet interuenire omnimoda separatio, alioquin cum negatio, illam explicet, non posset cum veritate adhiberi. Quod confirmari potest ex proportione, quam seruare debet esse obiectiuum ad esse reale, quod est à parte rei. Quando enim secundùm esse reale entitatiuum vnum non est aliud, necesse est, vt interueniat omnimoda separatio in esse reali entitatiuo, alioquin si adesset aliqua communicatio, non posset simpliciter, & absolutè vnum negari de altero; ergo cum etiam in esse obiectiuo vnum negatur de altero absolutè, & simpliciter, necesse est, vt omnino separata sint quò ad esse obiectiuum.

Quando interueniat adæquata præcisio in esse obiectiuo.

Quæ inuicem negantur, inuicem adæquatè præscindunt.

VI. Secundò argumentari possumus ex diuersitate formalitatum, quas important tum natura, tum indiuiduatio. Quotiescunque enim adsunt diuersæ formalitates in esse obiectiuo, habent ab intrinseco suo, quòd distinguantur inter se adæquata præcisione; Vnaquæque enim formalitas habet suū proprium esse metaphysicum, ex vi cuius consistit in indiuisibili, & includens in se id solùm, quo formaliter constituitur in esse, excludit à se ex vi suæ indiuisibilitatis quicquid non pertinet ad ipsius constitutionem; ita vt nihil includere possit, quod non sit formaliter ipsa, aut non sit aliquid ex transcendentibus, quæ in omnibus formalitatibus imbibuntur: & quemadmodum vna entitas excludit à se omne id, quod non pertinet ad constitutionem sui esse entitatiui, ita etiam vnaquæque formalitas excludit à se, quicquid non pertinet ad constitutionem suimet esse formalis, & proinde interuenit inter vnam, & aliam adæquata distinctio, & perfecta præcisio. Verùm & natura, & indiuiduatio habent suas proprias formalitates, & impossibile est, vnam pertinere ad constitutionem alterius; vnde necesse est, vt inuicem in esse obiectiuo perfectè præscindant, quando tanquam diuersæ concipiuntur. Quod autem ex natura sua importent diuersas formalitates, facilè vnusquisque concedet, si proprium esse naturæ, & indiuiduationis considerabit: natura enim formaliter dicit id, quo vnaquæque res in esse essentiali constituitur; indiuiduatio verò non spectat ad essentiam rei, vnde cum in vnoquoque indiuiduo sit natura, & eiusdem propria indiuiduatio, possunt in ipso hæ duæ rationes formales distingui. Rursus natura est ratio formalis, per quam vnum indiuiduum conuenit cum alio, & ponit vnitatem essentiæ inter eadem indiuidua; indiuiduatio verò est ratio formalis, per quam vnum indiuiduum distinguitur ab alio. Præterea natura non multiplicatur secundùm esse naturæ in indiuiduis; indiuiduatio verò multiplicatur secundùm esse indiuiduationis. Insuper indiuiduatio est ratio formalis incomunicabilitatis, reddens incommunicabile pluribus per modum superioris; natura verò importat aliquid, quod potest pluribus communicari. Natura est principium & ra-

2. ratio

Diuersitas formalitatū ponit præcisionem adæquatam.

Natura & indiuiduatio diuersæ formalitates.

dix operationum; vnde videmus in indiuiduis eiusdem naturæ adesse etiam easdem operationes, indiuiduatio autem non est radix operationum; nec passiones ab ipsa consequuntur, quemadmodum consequuntur ab essentia. Hæ autem, atque aliæ huiusmodi diuersitates indicant diuersam formalitatem naturæ, & indiuiduationis.

VII. Et pro confirmatione huius rationis addere possumus id, quod communiter vsurpari solet, nimirum indiuiduationem non esse de essentia alicuius rei creatæ, distinguimus enim inter Deum, & creaturas in hoc quoque, quòd Deus sit essentialiter singularis, ita vt singularitas imbibatur in eiusdem essentia: creaturæ verò non sint essentialiter singulares, & proinde singularitas non imbibatur in earumdem essentia, quòd si quis contendat, singularitatem esse de essentia substantiarum separatarum, quales sunt angeli; hoc saltem concedat, necesse est in rebus materialibus; cum enim natura sit pluribus communicabilis, non potest esse essentialiter indiuidua, & singularis, alioquin non posset pluribus communicari, sicut neque communicari potest diuina, si loquamur non de personis, sed de indiuiduis eiusdem naturæ, non enim sunt plures Dij. Quòd si in materialibus indiuiduatio non est de essentia naturæ, neque etiam in spiritualibus erit de essentia, quia iam habet ex genere suo, quòd non sit constitutiua naturæ, sed supponat naturam constitutam: in materialibus enim non ex eo, quòd sit talis indiuiduatio, sed ex eo, quòd indiuiduatio est, supponit naturam constitutam in esse naturæ, & proinde semper debet præsupponere naturam constitutam in esse naturæ loquendo in creatis, in quibus singularitas est eiusdem rationis, & exhibens eumdem effectum formalem. Cum igitur indiuiduatio non sit de essentia naturæ, manifestè colligitur, aliam esse formalitatem naturæ, & aliam indiuiduationis: natura enim habet suum proprium esse formale, in quo nullo pacto inuoluit indiuiduationem; vnde alia erit formalitas naturæ, & alia indiuiduationis. Quod etiam manifestū fit ex diuerso conceptu, quem formamus de natura, & indiuiduatione, experimur enim, nos aliquid omnino diuersum concipere, quando formamus conceptum de natura, & quando formamus de indiuiduatione, & nihil de esse naturæ concipere, quando concipimus indiuiduationem, nec aliquid de esse indiuiduationis, quādo concipimus naturam. Vnde concludēdum est, naturam, & indiuiduationem importare diuersas formalitates, & proinde in esse obiectiuo inuicem adæquatè præscindere.

Indiuiduatio in creatis non est de essentia naturæ.

VIII. Tertiò quoque argumentari possumus. Natura se habet vt contrahibilis respectu indiuiduationis, indiuiduatio autem vt contractiua naturæ: & hoc est per se euidens, nec in dubium reuocari potest, quoniam natura est pluribus communicabilis, & in pluribus reperitur: indiuiduatio verò est propria cuiuscunque indiuidui, & contrahit, atque limitat naturam, vt sit hæc numero. De ratione autem contrahibilis est, vt habeat quamdam maiorem latitudinem extensiuam suo contractiuo, & consequenter contractiuum minus pateat, quàm contrahibile: hinc quia genus contrahitur per differentias, latius patet, quàm quælibet differentia; & quamuis cum omnibus adæquetur, respectu tamen vnius cuiusque se habet vt vniuersalius. Rursus contrahibile se habet vt quid communicabile respectu contractiui, contractiuum verò est id, quod terminat communicationem, & si sit vltima communicatio, qualis est illa, qua natura communicatur indiuiduis, contractiuum se habet vt quid incommunicabile, vt quo, & ita terminat naturam, vt simul constituat in esse incommunicabili, vnde interuenit quædam oppositio fundata in communicabilitate, & incommunicabilitate. Ex hoc autem deducitur, quòd natura, & indiuiduatio debeant in esse obiectiuo inuicem adæquatè præscindere. Contrahibile enim ex natura sua non potest in suo esse formali imbibere contractiuum, quatenus contractiuum est, non solùm ratione oppositionis, quæ inter vtrumque reperitur, quæ facit, vt vnum alterum excludat tanquam id, cum quo non potest in esse communicare, secundùm quod exerce-

1. ratio.

Qualiter se habeat contractiuum, & contrahibile

Contrahibile excludit cōtractiuū.

tur oppofitio: fed etiam, quia contrahibile, vt confiftat in fuo effe contrahibili, neceffe eft, vt fit quidem capax contractionis, non tamen illam dicat tanqnam in feipfo inclufam, alioquin tunc non effet contrahibile, fed contractum: & qnemadmodum materia, quia eft determinabilis per formam, debet quidem effe capax illius, non tamen poteft illam includere in fuo effe entitatiuo, fic quando vna formalitas eft contrahibilis per aliam, debet folùm effe capax illius, non tamen debet illam in fuo effe formali includere: vnde cum natura fecundùm totum effe, quod dicit vt natura, fit contrahibilis, oportet, vt à toto fuo effe excludat contractiuum. Quod etiam confirmari poteft. Vel enim natura ex vi fui effe formalis includit indiuiduationem, vel non. Si non includit, iam adeft perfecta præcifio, quandoquidem ea perfectè præfcindunt, quæ fe mutuò excludunt. Si verò includit, tunc neceffe eft, quòd natura identificet fibi indiuiduationem, non folùm in effe reali entitatiuo, fed etiam in effe formali, quia fibi ipfi formaliter identificat quicquid includit in fuo effe formali. Hoc autem eft impoffibile, nam fi natura formaliter identificaret fibi indiuiduationem; oporteret, vt indiuiduatio æquè latè pateret, ac natura, quoniam quicquid natura trahit ad formalem identificationem cum feipfa, trahit etiam ad quamdam coadæquationem, cum enim natura confiftat in indiuifibili, nihil poteft effe idem formaliter cum ipfa, nifi cum ipfa totaliter accepta adæquetur. Hoc autem eft contra naturam indiuiduationis, quia cum fit contractiua naturæ, non poteft habere eamdem latitudinem. Nec dici poteft, vnamquamque indiuiduationem includi in natura, ita vt vnaquæque formaliter identificetur cum ipfa inadæquatè fumpta. nam licet natura poffit fecundùm fuum effe formale inadæquatè fumpta identificari in eadem entitate cum indiuiduatione, hoc tamen folùm contingere poteft, quando ea, quæ identificantur, veniunt in identificationem entitatiuam fecundùm fuum effe formale, ita vt extrema identificationis fint formalitates, & terminus fit entitas phyfica;

Natura non includit formaliter indiuiduationem.

at quando terminus idētificationis eft vnum, atque idem effe formale ex eo, quòd identificatio eft formalis, tunc nō poteft fecundùm effe inadæquatū identificari vnum cum alio, qnia inter extrema identificationis non faluatur formalis diftinctio, ratione cuius vnum extremum poffit trahi ad identificationem folùm fecundùm effe inadæquatum cū alio, quia in tantum confideratur ex parte vnius extremi hæc inadæquata identificatio, in quantum cum ipfa identificatione ftat aliqua diuerfitas: quòd fi nulla ftat diuerfitas, vt contingit, quando identificatio non eft entitatiua, fed formalis, tunc identificatio debet effe adæquata ex parte vtriufque extremi, fic etiam fi concipiamus aliqua identificari in effe entitatiuo, non poffumus concipere, quòd alterum ipforum identificetur inadæquatè fecundùm effe entitatiuum, ita vt effe entitatiuum ipfius latius pateat, quàm effe entitatiuum, in quo identificatur. Quamobrem fi natura, & indiuiduatio identificantur in effe formali, impoffibile eft, naturam non identificari adæquatè cum indiuiduatione qualibet.

Quando poffit cōtingere identificatio inadæquate ex parte vnius extremi.

IX. Rurfus contractiuum debet à fe qnoque excludere contrahibile, nifi forte contrahibile fit aliquod ex tranfcendentibus, quod debeat imbibi in contractiuo tum ratione fuæ tranfcendentiæ, tum vt contractum ipfum fubfiftat in fuo effe, vt contingit in inferioribus refpectu entis vt fic. Verùm fi contrahibile importet rationem aliquam determinati generis, tunc excluditur omnino à contractiuo. Et ratio eft, quia vt diximus, contractiuum debet minus latè patere, quàm contrahibile, & dum contrahit ipfum contrahibile, debet illud trahere ad effe magis determinatum, quod non poteft contingere, nifi ipfi fuperaddat aliquam rationem entis magis determinatam. hoc autem ftante non poteft contractiuum inuoluere in feipfo contrahibile, alioquin quomodo effet determinata ratio entis fuperaddita alteri rationi entis determinatæ, & ratio minus patens fuperaddita magis vniuerfali? ftatim enim, ac intelligitur minus patere, nec habere eamdem latitudi-

Cōtractiuum excludit à fe contrahibile.

nem cum contrahibili, intelligitur etiam excludere contrahibile ratione huius inæqualitatis in latitudine: quomodo enim potest minus vniuersale cõtinere in suo esse formali magis vniuersale? Statim enim ac intelligeretur cõtineri, intelligeretur etiam eiusdem vniuersalitatis. Rursus si contractiuum sit indiuiduatio, vt in casu nostro, cum importet rationem formalem incommunicabilitatis, quomodo potest continere id, quod est formaliter communicabile, vt est natura? incommunicabile enim, vt quo, excludit à se omnem rationem communicabilitatis, & ideo non potest in suo esse formali inuoluere aliquid, quod communicabile sit.

4 ratio. X. Sed adhuc pro confirmatione addere possumus aliud non contemnendum argumentum. Indiuidua eiusdem naturæ perfectè conueniunt in ratione naturæ, ita vt nullam omnino diuersitatem secundùm esse naturæ sortiantur. econtra verò in esse indiuiduali omnino distinguuntur, ita vt indiuiduatio solùm exerceat rationem distinctiuam. Hinc ergo fit, vt possit intellectus concipere id solum, in quo conueniunt; & postea altero conceptu concipere id solum, in quo differunt; ratio enim conuenientiæ, & ratio distinctionis sunt motiua sufficientia, vt possit distinctè concipi & ratio, quæ fundat conuenientiam, & ratio, quæ ponit distinctionem. Hinc autem intellectus in esse obiectiuo per vnicum conceptum habebit tantùm esse naturæ; per alterum solùm esse indiuiduationis; id enim tantùm est obiectiuè in intellectu, quod ab ipso attingitur; quod verò non repræsentatur, nullo modo est in esse obiectiuo, quia res reales trahuntur ad esse obiectiuum à conceptu formali, quatenus per ipsum repræsentantur. Cum autem intellectus concipit solum id, in quo indiuidua conueniunt, conceptus formalis repræsentat solam naturam, non enim intellectus intelligit indiuiduationem: cum verò concipit indiuiduationem, conceptus formalis non repræsentat naturam, vt pote quia intellectus illam non intelligit. Ex quo concluditur, indiuiduationem, & naturam secundùm proprias rationes inuicem adæquatè præscindere, cum vna concipiatur absque eo, quòd concipiatur altera.

Natura concipi potest sine indiuiduatione, & econtra.

XI. Et rationibus Auersæ facilè satisfieri potest. Auctoritas enim Arist. ipsi non fauet: in eo enim sensu intendit solùm docere; Vnitatem non addere aliquid supra conceptum adæquatum illius entis, quod est vnum, & ideo dicit, quòd idem est, *Ens homo, & vnus homo*, nimirum homo vt sic, & homo vnus vnitate essentiali naturæ humanæ; & homo indiuiduus, atque homo vnus indiuidualiter, & nos quoque id suo loco docuimus, & in superioribus diximus, quòd licet indiuiduatio sit quid additum supra adæquatum conceptum naturæ, vnitas tamen indiuidualis non est quid superadditum conceptui adæquato indiuiduationis: vnde non intendit Arist. indiuiduationem non esse quid superadditum naturæ. Ad secundum negatur sequela; non enim ex eo, quòd natura præscindit ab indiuiduationibus, debet indiuiduatio quoque præscindere à tali, & tali indiuiduatione, quia vt ostendemus sectione sequenti, vna indiuiduatio non conuenit cum alia in ratione indiuiduationis, sicut vnum indiuiduum conuenit cum alio in ratione naturæ. Hinc ad tertium quoque negatur, concedendam illam coordinationem indiuiduationum, quia non dantur illæ conuenientiæ, quibus inter se conueniant indiuiduationes eiusdem naturæ genericæ, & indiuiduationes eiusdem naturæ specificæ, & cum dicitur, conuenire in eo, quòd sint indiuiduationes substantiales, aut naturæ humanæ, non assignatur aliqua conuenientia iisdem intrinseca, sed tantùm in connotato, nempe in natura, quam indiuiduant; dicuntur enim indiuiduationes substãtiales, quia indiuiduant substantiam, & in diuiduationes naturæ humanæ, quia illam indiuiduant, & sic de reliquis, quod non ponit in ipsis aliquam conuenientiam intrinsecam; sed solùm dicit eamdem naturam. Neque ratione intrinsecæ connotationis eiusdem naturæ habent aliquam intrinsecam conuenientiam, nam quælibet natura connotatur, seu terminat connotationem indiuiduationum secundùm eamdem rationem

Ad rationes Auersæ.

Arist. illustratus Vnitas non est quid superadditũ enti.

Cur nõ detur coordinatio indiuiduationum.

Cõuenientia indiuiduationum est solum in cõnotato.

nempe indiuiduabilis. Ad quartum respondetur, per singularem hominem in communi intelligi debere hominem vt sic cum singularitate, seu indiuiduatione superaddita, non tamen in communi sumpta, quia non datur, vt dicemus, sed cum determinata hac, vel illa disiunctiuè, & ideo non est concedenda alia ratio singularitatis, quæ singularitati superaddatur, quia in tantum esset concedenda, inquantum daretur singularitas vt sic præcisa. Necessitas autem ponendi hanc, vel illam singularitatem superadditam naturæ est, vt natura, quæ de se non est singularis, fiat singularis; & licet homo possibilis sit singularis, ideò est singularis, quia habet indiuiduationem superadditam.

Non dari conceptum communem indiuiduationis vt sic.

SECTIO III.

I. Cum dentur plures indiuiduationes, quarum vnaquæque est propria indiuidui, quod constituit, dubitatur, an conueniant in aliquo conceptu communi, qui sit indiuiduatio vt sic; & hæc difficultas modo discutienda est; ex eius enim resolutione plurimum dependet cognitio naturæ indiuiduationis. Serna in Logica disp. 3. sect. 2. q. 3. art. 2. & Auersa in sua item Logica q. 9. sect. 11. impugnans quamdam responsionem Scoti contendunt, debere concedi conceptum communē indiuiduationis vt sic, qui descendat ad quamlibet indiuiduationem in particulari. Et mouentur ex eo, quòd pro ratione dubitandi afferri solet, quia omnis indiuiduatio conuenit in hoc cum alia, quòd sit indiuiduatio; nec minus conueniunt inter se indiuiduationes in ratione indiuiduationis, quàm conueniant indiuidua in ratione naturæ, & conueniunt quidditatiuè, quia intrinsecè, & quidditatiuè sunt indiuiduatio; & ideo non sunt pura nomina sine re significata. Citant etiam Caiet. cap. de Specie, & D. Thom. quæst. 9. de Potent. art. 1. ad 1. & 1. par. quæst. 30. art. 4. Verùm loquitur de conceptu communi secundo intentionali.

Sectio Serna, & Auersa.

II. Suarez autem in Metaph. disput. 5. sect. 2. num. 20. alio modo procedit. Concedit enim conuenientiam vnius indiuiduationis cum alia; verùm insuper addit, differentiam indiuidualem esse omnino simplicem, & irresolubilem in plures conceptus, quia intellectus illam concipit sub ratione differentiæ tantùm, de cuius ratione est, vt sit simplex, & non composita ex ratione communi, & alia differentia contrahente: vnde non potest intellectus concipere rationem communem indiuiduationis præcisam ab hac, vel illa indiuiduatione, quia absque compositione determinatur ad hanc, vel illam, & quatenus ratio indiuiduationis vt communis concipi potest, se habet veluti transcendens, nam imbibitur in vltima ratione cuiuscunque indiuiduationis. Quare Suarez concedit rationem communem indiuiduationis absque eo, quòd possit præscindi; quod quàm rectè dicatur, vnusquisque consideret, quia præcisio rationis communis ex eo prouenit, quòd aliqua ita conueniunt, vt etiam differant: tunc enim potest intellectus concipere conuenientiam absque differentia.

Opinio Suarez.

III. Fonseca verò 5. Metaph. cap. 6. quæst. 5. sect. 3. in responsione ad 1. absolutè negat conceptum communem vniuocum omnibus indiuiduationibus: & solùm admittit quamdam conuenientiam analogam, quæ non importat conceptum communem præcisum, sed solùm quamdam proportionem, quam indiuiduationes seruant inter se; proportio autem in eo consistit, quòd omnes indiuiduationes idem præstent seruata proportione, nimirum vnaquæque indiuiduat naturam constituens ipsam in esse incommunicabili; vnde sicuti hoc indiuiduum est tale per suam indiuiduationem, ita vnumquodque est tale per suam. Denique Scot. in 2. dist. 3. q. 6. §. *Comparando autem &c.* docet, Differentias indiuiduantes esse primò diuersas, nec in aliquo conuenire: vnde per ipsum non datur conceptus communis obiectiuus. Sequitur Rada tom. 2. controuer. 3. art. 4. conclus. 6. in responsione ad secundum, & omnes Scotistæ in eodem loco vbi Scot.

Opinio Fonsecæ.

Opinio Scotistarum. Scot. Rada.

IV. Atque hanc sententiam Scoti verissimam existimo, quatenus negat con-

Concl.

Nô datur cóceptus cômunis idiuidua tionis vt sic.

conceptum communem obiectiuum indiuiduationis, vnde ponimus nostram conclusionem. Indiuiduationes, prout sunt propriæ cuiuscunque indiuidui, non conueniunt in ratione indiuiduationis, ita vt abstrahi possit conceptus indiuiduationis vt sic omnibus communis. Dixi in ratione indiuiduationis, quia in aliqua alia ratione conuenire possunt, vt in ratione entis. Quare omnes indiuiduationes ita in ratione indiuiduationis sunt inter se diuersæ, vt nullo pacto conueniant in aliqua ratione indiuiduationis, sed secundùm totam rationem indiuiduationis vnaquæque est propria illius indiuidui, quod constituit, & secundùm eamdem totam rationem indiuiduationis est quidam veluti character, quo vnumquodque indiuiduum ab alio distinguitur.

1. ratio.

V. Sic autem explicata conclusio probatur. Non potest dari communis ratio indiuiduationis descendens ad omnes indiuiduationes in particulari, nisi quælibet ipsarum constet ex duplici conceptu, nempe contrahibili, & contractiuo; siue enim perfectè præscindat, siue tantùm imperfectè, semper debet interuenire conceptus contrahibilis, & contractiui, alioquin quomodo sine contrahibili saluabitur conceptus communis? quod enim cõmune est pluribus, potest ad quodlibet ipsorum determinari: rursus si datur contrahibile, debet etiam dari contractiuum, per quod contrahatur. Verùm hoc in indiuiduationibus contingere non potest: indiuiduatio namque secundùm rationem formalem indiuiduationis est essentialiter vltimum cõtractiuum, & proinde vt tale non potest amplius contrahi; est enim contra rationem vltimi contractiui, quòd contrahatur, quia eo ipso, quòd contrahitur, non est amplius vltimum contractiuum: sic quia differentiæ infimæ sunt vltima contractiua essentialia, non possunt amplius contrahi per alia contractiua essentialia: quia verò non sunt simpliciter vltima contractiua, possunt adhuc contrahi per indiuiduationes: quare quod est vltimum contractiuum simpliciter, non potest amplius contrahi per aliud contractiuum; & ideo in nulla indiuiduatione considerari potest conceptus communis cum cœteris, qui importet rationem aliquam indiuiduationis contrahibilem, alioquin indiuiduatio, vt talis est, non esset vltimum contractiuum.

In indiuiduatione non pôt distingui ratio cõtrahibilis & côtractiua.

Confir.

VI. Confirmatur. Si daretur conceptus indiuiduationis contrahibilis, siue perfectè præscindens, siue imperfectè, se haberet ad modum speciei saltem infimæ, quoniam respiceret plura inferiora, per quæ contraheretur: hoc autem dici non potest, nam indiuiduatio ex vi primæ rationis indiuiduationis est contractiuum speciei infimæ: & proinde seruare debet condicionem talis contractiui, quæ est, vt reddat speciem infimam vltimò terminatam, & incommunicabilem pluribus inferioribus: nec sufficit, quòd illam reddat tali pacto terminatam secundùm aliquam rationem indiuiduationis; sed cum tota contrahibilitas speciei infimæ sit tantùm respectu contrahentiũ, quæ vltimò illam terminent, & quæ illam reddant simpliciter incõmunicabilem; atq; indiuiduatio secundũ totam rõnem indiuiduationis exerceat cõtractiuũ speciei infimæ, vt infima est, necesse est, vt secundũ se totã exerceat rõnem vltimi terminatiui. Si autem importaret conceptum contrahibilem secundùm indiuiduatiònem, iam indiuiduatio secundùm se totam non esset proportionatum contractiuum speciei infimæ.

Indiuiduatio secundùm formalé rõné indiuiduationis est cõtractiuũ speciei infimæ.

Præterea si importaret conceptum indiuiduationis contrahibilem, dum indiuiduatio adueniret etiam secundùm hunc conceptum speciei infimæ, constitueret speciem infimam adhuc in esse contrahibili, quemadmodum differentia constituit genus in esse contrahibili: verùm species infima, cum sit vltimum omnium contrahibile, non potest per suum contractiuum recipere aliquam rationẽ contrahibilitatis, alioquin cum non adsit minor contrahibilitas contrahibilitate speciei infimę, reciperet per contractiuum æqualem contrahibilitatem, & latitudinem cum ea, quã habet, quod prorsus repugnat, & est omnino contra rationem contractiui. Accedit, quòd inter naturã constitutam in speciẽ infima, & indiuiduationem secundùm totam rationem, & adæquatam indiuiduationis, sicuti adest ordo contrahibilis, & contractiui, ita etiam debet interuenire debita commensuratio: huiusmodi autem commensuratio non potest stare cum eo,

quòd

Quæ cōtractio sit necessaria inter cōtrahibile & cōtractiuum.

quòd vna indiuiduatio habeat conceptum communem in ratione indiuiduationis cum alia; nam quicquid natura recipit ab indiuiduatione, debet esse contractiuum suipsius, atque adeo minus latè patere, quàm eadem natura: in hoc enim consistit debita commensuratio contractiui, & contrahibilis, quòd contractiuum minus latè pateat, quàm contrahibile: quare, cum species infima minus latè pateat, quàm quodlibet aliud contrahibile, necesse est, vt eius contractiuum proportionatum non importet aliquid, quod habeat latitudinem aliquam, qua se extendat ad plura, alioquin, quia ad minus se extenderet ad plura numero diuersa, haberet eamdem latitudinem, quam haberet species infima.

2. ratio.

VII. Secundò probatur conclusio. Quotiescunque aliqua conueniunt inter se in quacunque ratione communi, considerari possunt in ipsis diuersæ rationes formales, ratio nimirum communis, & contrahibilis, vt diximus, & rationes, quæ ipsam contrahunt. Atque insuper hæ rationes, contrahibilis, & contractiui debent esse diuersæ formaliter, ita vt, quamuis seruent talem proportionem inter se, vt quod dicit vna in communi, dicat altera in esse magis determinato, nihilominus debeant importare diuersas formalitates, quæ dicant idem solùm proportionaliter, quatenus non obstante illa diuersitate sint intra idem genus; sic animalitas, & rationalitas dicunt idem proportionaliter, quatenus vtraque importat gradum vitæ magis, aut minus determinatum, sed tamen dicunt diuersas formalitates, & eadem inductio fieri potest circa cætera contrahentia, & contrahibilia. Ratio autem à priori est, quoniam contrahibile, & contractiuum, ita se habent ad inuicem, vt vnum latius pateat, quàm alterum, atque ab ipso determinetur ad aliquod esse minus patens: quomodo autem id contingere posset, nisi importarent diuersas formalitates? impossibile est enim, quòd idem contrahat seipsum, atque determinet; si enim esset vna formalitas contrahibilis, & contractiui, vnum non latius pateret, quàm alterum, & consequenter non contraheretur ab ipso. Hinc autem sequitur, non posse

Cōtrahibile, & contractiuū importan: diuersas formalitates.

dari conceptum indiuiduationis vt sic communem; deberet enim dari indiuiduatio vt sic contrahibilis ad hanc, vel illam indiuiduationem; & rursus deberent dari contractiua. Inquiro ergo, an indiuiduatio contrahibilis per hanc, & illam indiuiduationem importet rationem formalem indiuiduationis, an non. Si importat, iam cum contractiua illius debeant dicere rationem formalem diuersam, non importabunt rationem indiuiduationis: quomodo ergo, cum non sint indiuiduatio, determinabunt indiuiduationē vt sic? Rursus cum indiuiduatio cuiuscunque indiuidui sit talis numero indiuiduatio, non erit secundùm se totam indiuiduatio, atque consequenter vltima ratio determinatiua illius non erit indiuiduatio. Præterea cum indiuiduatio in communi non possit cōstituere tale indiuiduum naturę determinatum, quia est quid communicabile pluribus inferioribus, atque adeo non potest constituere aliquid incommunicabile, hinc fit, vt non possit constitui aliquod indiuiduum determinatum naturæ; vt enim constituatur, necessaria est ratio formalis indiuiduationis, quæ possit illud constituere; at indiuiduatio, prout dicit rationem cōmunem indiuiduationis, non potest constituere, vt modo diximus, quia dicit aliquid communicabile; sed neq; vt dicit contractiuum indiuiduationis, quia tale contractiuum non dicit formalem rationem indiuiduationis; vnde restat, non posse constitui indiuiduum determinatum naturæ, quod maximè absurdum est. Si verò conceptus communis indiuiduationis non dicit rationem formalem indiuiduationis, iam non datur conceptus obiectiuus communis, qui sit indiuiduatio, vt sic. Et vrgere possumus hanc rationem. Quoniam si ponitur indiuiduatio vt sic, atque adeo etiam contractiua, quibus contrahatur; cur talia contractiua absque eo, quòd participent illam communem rationem indiuiduationis, non poterunt contrahere naturam specificam? iam enim habent ex se, quòd contrahere possint rationem communem specificam, vnde oportet, quòd præcisa illa communi ratione indiuiduationis habeât quicquid necessarium est ad rationem con-

Indiuiduatio vt sic non pōt constituere indiuiduū determinatum.

tra-

tractiui, alioquin quomodo contrahe- rent indiuiduationem in communi sumptam? Si autem habent ex se quicquid est necessarium pro contractiuo indiuidnali, iam poterunt esse contractiuum indiuiduale etiam naturæ communis.

3. ratio

VIII. Tertiò probatur. Indiuidua cuiuscunque naturæ comparata inter se conueniunt solùm in ratione naturæ, quatenus eamdem naturam participant: quatenus verò indiuidua sunt, distinguuntur; ita vt sicuti tota indiuidua ponitur vt contractiuum naturæ, ita etiam tota sit ratio distinguendi inter ipsa. Hinc est, quòd indiuiduatio multiplicat naturam numericè, quæ alioquin de se est vna, & constituit in diuiduum incommunicabile, nam ita coarctat naturam ad vnum, vt nequeat ex vi indiuiduationis postquam coarctata est, communicari pluribus; id autem præstat indiuiduatio secundùm se totam, quoniam secundùm se totam est indiuiduatio: munus autem indiuiduationis est coarctare naturam ad vnum, & reddere incommunicabilem. Et propterea indiuidua comparata ad inuicem, quatenus indiuidua, non communicant inter se, sed omnino separantur, & sola communicatio consistit in natura. Hinc concluditur, non posse dari conceptum communem indiuiduationis, in quo omnes indiuidua tiones conueniant; nam si daretur, sicuti indiuidua participant singula propriam indiuiduationem, ita etiam participarent illum conceptum communem indiuiduationis; atque adeo conuenirent inter se in ratione indiuiduationis; atque cum indiuiduatio illa communis debeat ipsis exhibere suum effectum formalem, constituet singula indiuidua in esse indiuidui; quare cum vna, & eadem ratio indiuiduationis sit in omnibus ex eo, quòd communis ratio indiuiduationis imbibitur in indiuiduatione cuiuslibet, omnia indiuidua erunt vnum indiuidualiter, quemadmodum sunt vnum essentialiter ex eo, quòd eadem essentia est in omnibus. Hoc autem est maximè absurdum, quia essent simul plura, & vnum indiuidualiter, nec indiuiduatio ex genere suo multiplicaret, nec redderet incommunicabile; nec insuper indiuidua secundùm suum totum esse indiuiduale distinguerentur.

Indiuidua secundùm totè esse indiuiduale distinguuntur.

Indiuidua esset vnu indiuidualiter, si daretur cõceptus cõmunis indiuiduationis

IV. Quartò argumentor ex conceptu, quem formare debet vnusquisque de indiuiduatione; vt enim concipiat indiuiduationem, oportet, vt concipiat quamdam rationem formalem, quæ sit apta naturam communem contrahere, & facere hanc numero constituendo in statu incommunicabili, ratione cuius nequeat pluribus communicari. Vnde debet indiuiduatio concipi tanquam formalis ratio incommunicabilitatis, & quæ *vt quo* sit hæc numero; quomodo enim constitueret naturam in statu incommunicabilitatis, nisi ipsa esset incommunicabilis *vt quo*? causa enim formalis debet esse talis *vt quo*, qualis est eius formalis effectu-; rursus debet esse *vt quo* hæc numero; nam quomodo redderet indiuiduum hoc numero designabile, nisi ipsa esset *vt quo* hæc numero designabilis? Hinc autem concluditur, non posse dari conceptum indiuiduationis, qui tanquam aliquid commune descendat ad quamlibet indiuiduationem; cum enim primus conceptus indiuiduationis, debeat esse talis, qualem modo descripsimus, quia si importat rationem formalem indiuiduationis, debet etiam participare conditiones indiuiduationis, non potest reperiri in communi ratione indiuiduationis, quemadmodum deberet reperiri, si daretur talis conceptus communis, vtpote quia ipse importaret primam rationem indiuiduationis. Quod autem in conceptu communi indiuiduationis nequeat saluari prima ratio indiuiduationis, facilè declaratur; nam cum sit ratio formalis incommunicabilitatis, non potest saluari in eo, quod est formaliter communicabile, qualis esset conceptus communis: rursus cum prima ratio indiuiduationis sit *vt quo* hæc numero, quomodo potest esse quid communicabile pluribus numero differentibus? Sicuti enim est contra naturam rationis pluribus communis, quòd sit quocunque modo hæc numero, ita etiam est contra eiusdem naturam, quòd importet rationẽ formalem indiuiduationis.

4. ratio. Quid dicat ratio formalis indiuiduationis.

Nõ põt saluari in aliquo cõceptu cõmuni.

X. Quintò. Indiuiduatio ex vi suæ rationis formalis, habet quòd distinguat, atque multiplicet; instituta est enim, vt diuidat naturam specificam in 5. ratio.

plura indiuidua, illam trahendo ad plura indiuidua, quæ inter se ratione indiuiduationum distinguuntur. Hinc indiuiduatio secundùm se totam distinguit indiuidualiter, & facit vnum esse diuersum ab alio, quia cum secundùm se totam sit indiuiduatio, debet secundùm se totum exercere id, quod exercetur à ratione formali indiuiduationis. Verùm si indiuiduationes conuenirent in conceptu communi indiuiduationis vt sic, vt indiuiduationes sunt, non distinguerent, sed ponerent vnitatem; id enim ponit vnitatem inter aliqua, quod ponit inter ipsa aliquid commune: posita autem hac communi ratione indiuiduationis, dum indiuiduationes exhiberentur indiuiduis, seipsis formaliter ponerent conuenientiam inter indiuidua ratione communis conceptus.

Confir. XI. Et pro confirmatione argumentari possumus ex proportione, quā seruare debent differentiæ indiuiduales cum differentijs essentialibus: cum enim tam istæ, quàm illę debeant diuidere rationem communem, oportet, vt quatenus diuiduę seruent inter se debitam proportionem, ratione cuius eodē modo se habeant comparatę ad rationem communem, quatenus diuisibilem. Differentiæ igitur essentiales, si compararentur inter se secundùm illam rationem, qua diuidunt, nedum conueniunt in aliquo communi, sed etiam opposito modo se habent, & incompossibiliter; vnde frequenter Arist. docet, esse contrarias, vt nos quoque suo loco in priori tomo docuimus; sic quia rationalitas secundùm rationem rationalitatis diuidit animal, nedum conuenit in ratione rationalitatis cum irrationalitate, sed modo opposito se habet. Et hoc necessariò exigit diuisio; cum enim ratio communis sit vna, vt diuidatur per contractionem, oportet, vt illi aduenian aliquæ rationes, quæ nedum sint vnum per essentialem conuenientiam, sed etiam incompossibiles sint; alioquin non diuiderent, sed coalescerent in vnum; vt enim diuidant, & trahant rationem communem ad diuersa, debent, quatenus diuidunt, inter se ipsas ita distrahi, & incompossibiles esse, vt necessariò habeant constituere diuersa, ad quæ trahatur ratio communis, quod nequaquam præstare possent, si quatenus diuidunt conuenirent in aliqua ratione communi, tunc enim compararentur ad rationem diuidendam, quatenus vnum, non quatenus diuersa, & incompossibilia.

Differentiæ diuidentes rationē cō munem, quatenus diuidunt nō possunt cōuenire inter se.

Quamobrem cum indiuiduationes secundùm rationem indiuiduationis diuidant naturam specificam, oportet, quamlibet secundùm rationem indiuiduationis esse diuersam ab alia, & cum ipsa incompossibilem, atque adeo non poterit conuenire in ratione indiuiduationis cum alia: si enim daretur communis ratio indiuiduationis, essent vnum in ratione indiuiduationis, atque adeò prout diuiderent naturam communem.

XII. Sextò argumentor. Indiuiduatio in linea prædicamentali importat vltimum gradum entis, quo natura, & omnes gradus illius coordinationis prædicamentalis vltimò terminantur: atque adeo debet afferre tale complementum, vt nequeat intra eamdem lineam natura aliud cōplementum recipere. Tale autē complementum debet exhiberi ab indiuiduatione, vt indiuiduatio est formaliter, quia vt talis est vltimus gradus. Hinc deducitur, non posse dari rationem communem indiuiduationis vt sic, quæ descendat ad omnes indiuiduationes; quod enim commune est pluribus, necessariò habet alia sub se, quibus communicetur, alioquin in quo consistet ipsius communitas? Quare cum ratio illa, quæ est pluribus communis, contineat sub se plura, quibus communicetur, non potest esse vltimus gradus coordinationis prædicamentalis, quia iam est contrahibilis per alia inferiora, & ideo sub ipsa in eadem coordinatione constituendus est alius gradus: sicuti enim vltimus gradus confert vltimum complementum, ita etiam debet vltimò contrahere, & determinare. Quare cum indiuiduatio, vt talis est, sit vltimus gradus coordinationis prædicamentalis, non potest importare aliquam contrahibilitatem, aut aliquid commune pluribus: qualis esset communis conceptus indiuiduationis. 6. ratio. Quale cō plemētū det indiuiduat.

XIII. Confirmatur. Cum enim indiuiduatio sit vltimus gradus in coordinatione prædicamentali, sequitur Confir.

tur etiam, quòd sit vltimum distincti unm; vnde indiuidualis distinctio est etiam vltima in coordinatione prædicamentali: seu si consideretur, vt est fundamentum aliarum distinctionum, est prima distinctio, quia in ipsa fundatur specifica, & generica, & est omnium minima. Igitur cum illi conueniat esse tale distinctiuum, vt indiuiduatio est formaliter, impossibile est, vnam indiuiduationem conuenire cum alia in ratione indiuiduationis. Tunc enim omnes indiuiduationes essent eiusdem rationis, quatenus in ratione communi conuenirent: quæ autem sunt eiusdem rationis, & inter se distinguuntur, habent supra rationem communem sua distinctiua, quibus distinguuntur; impossibile enim est, quòd distinguantur secundum illam rationem, in qua conueniunt, ita vt hæc ratio, ponat etiam distinctionem tanquam formale distinctiuum. Cum igitur indiuiduationes distinguantur inter se, & adhuc conueniant in ratione formali indiuiduationis, iam ratio formalis indiuiduationis non erit vltimum distinctiuum, non solùm quia est contra rationem vltimi distinctiui ponere conuenientiam inter plura, sed etiam quia, cum indiuiduationes distinguantur sub ratione indiuiduationis vt sic, iam dantur vltima distinctiua superaddita rationi formali indiuiduationis, & ideò hæc non importaret vltimum distinctiuum in coordinatione prædicamentali.

Indiuiduatio vltimum distinctiuum.

XIV. Atque ex hoc etiam fit, vt nequeant indiuiduationes comparari adinuicem, quando comparantur secundùm rationem indiuiduationis, nisi comparetur vnaquæque tanquam ratio particularizans illud indiuiduum, cuius est indiuiduatio. Dum autem comparatur tanquam ratio particularizans, non potest comparari tanquam ratio, quæ habeat aliquid commune cum eo, cum quo fit comparatio, nam vt ratio particularizans importat solùm ali quid proprium illius, quod particularizat: non enim particularizaret, nisi ei exhiberet aliquid, quod illi solùm conueniret vt omnino proprium; particularizare enim non est aliud, quàm segregare à quocunque alio, & tollere omnem communicationem cum cæteris: hinc quodlibet indiuiduum habet suam propriam indiuiduationem, quæ ita segregatur à quocunque alio, vt cum nullo communicet, & talis indiuiduatio ita est propria illius, vt nulli alteri conueniat. Hinc autem fit, vt quando fit huiusmodi comparatio, nequeat intellectus colligere rationem aliquam communem, quæ importet rationem indiuiduationis vt sic, quemadmodum colligit, quando comparat indiuidua secundùm rationem naturæ. Et ratio manifestissima est, quia quando indiuiduationes comparantur vt rationes particularizantes, vnaquæque comparatur vt quid proprium, & particulare illius indiuidui, cuius est; particulare autem, vt tale est, nihil habet commune cum alio particulari vt tale est. Et ex pluribus particularibus, vt talia sunt, non potest consurgere vniuersale: quemadmodum finitum additum finito non facit infinitum; quamuis plura, & plura finita coadunentur.

Alia confir.

Indiuiduationes comparantur solùm vt tales tanquam rationes particularizantes.

Particularia, vt talia comparata, non habent aliquid commune.

XV. Quia tamen non videntur indiuiduationes ita inter se omnino differre, quin habeant aliquam conuenientiam: omnes enim indiuiduationes sunt; ideo dicendum est. Inter indiuiduationes adesse quamdam conuenientiam, non quidem vnitatis, quæ consistat in aliqua ratione communi: sed æquiualentiæ, quia vnaquæque indiuiduatio sit idem cum alia æquiualenter, quatenus vnaquæque habeat ab intrinseco suo, quòd constituat tale numero determinatum indiuiduum. Atque hoc sequitur ex natura eiusdem indiuiduationis. Indiuiduatio enim, vt talis est, importat quamdam rationem particularizantem, & constituentem hoc numero designabile indiuiduum, itavt remaneat propria ipsius, secundùm quam cum nullo alio communicet: atque vnaquæque indiuiduatio hoc ipsum præstat respectu illius indiuidui, quod constituit. Cum igitur quælibet indiuiduatio respectu alterius se habeat vt ratio particularizans, & proinde nequeat cum ipso in aliquo communi conuenire, & idem præstet suo indiuiduo, quod præstant aliæ indiuiduis, quæ constituunt, iam erit idem cum cæteris per æquiualentiam, cum æquiualenter exhibeat eumdem effectum indiuiduis.

Indiuiduationes habent inter se conuenientiam æquiualentiæ.

Ad fundamentū in oppositum.

XVI. Hinc respondetur ad rationem dubitandi, & fundamentum, quo vtebatur Auersa pro sua sententia. Conuenientiam illam, qua vna indiuiduatio conuenit cum alia in eo, quòd sit indiuiduatio, non esse conuenientiam fundatam in ratione communi; sed esse tantùm conuenientiam æquiualentiæ, vt modo explicauimus; quamuis enim vnaquæque indiuiduatio sit intrinsecè indiuiduatio, non est tamen indiuiduatio per aliquam rationem communem indiuiduationis, sed vnaquæque est indiuiduatio intrinsecè per rationem indiuiduationis sibi propriam, per quā habet, quòd à cæteris indiuiduationibus distinguatur. Cum enim vt indiuiduatio est habeat separare vnum indiuiduum ab alio tanquam quidam character ipsius, necesse est, vt, quatenus indiuiduatio est, dicat aliquid sibi proprium, & in quo cum nullo alio communicet. Atque quando vsurpatur indiuiduatio in communi, non importatur aliquis communis conceptus, qui dicat indiuiduationem vt sic: sed sicuti vna indiuiduatio est eadem cum alia æquiualenter, ita etiam indiuiduatio, vt sic importat solùm disiunctiuè hanc, vel illam indiuiduationem, quatenus æquiualenter præstat id, quod præstat alia, & proinde audito nomine indiuiduationis, non debet formari conceptus rationis communis, sed debet intellectus concipere aliquam rationem, quæ sit apta naturam communem contrahere, & facere hanc numero, quæ æquiualenter sit eadem in quacunque indiuiduatione.

Per quid vnaquæque indiuiduatio sit intrinsecè indiuiduatio.

Quid dicat indiuiduatio in cōmuni.

Resoluitur dubium.

SECTIO IV.

An multiplicāda indiuiduationes in eodē indiuiduo.

I. Ex his autem, quæ in superioribus diximus, resolui potest aliud dubium, cuius quoque resolutio non parum confert ad intelligendam naturam indiuiduationis. Dubitatur enim, an in vnoquoque indiuiduo physico sit vnica tantùm indiuiduatio metaphysica, qua indiuiduetur totum esse illius; an verò sicuti in quolibet indiuiduo distinguuntur diuersi gradus essentiales, ita etiam distinguendæ sint diuersæ indiuiduationes correspondentes singulis gradibus essentiæ, ita vt quilibet gradus essentiæ habeat suam peculiarem metaphysicam indiuiduationem, vt v.g. in Petro alia sit indiuiduatio rationalitatis; alia animalitatis, alia substantiæ; & sic de cæteris gradibus essentialibus, qui in ipso reperiuntur. Quidam enim existimant, metaphysicè loquendo, multiplicandas esse indiuiduationes pro multiplicatione graduum essentialium, ita vt quilibet gradus habeat suam propriam indiuiduationem veluti partialem; quia inquiunt, non solùm datur homo singularis, sed etiam animal singulare, substantia singularis; & sic de cæteris gradibus. Atque huius sententiæ videntur Albertin. tom. 2. principio 1. philosoph. quæst. 10. dub. 2. conclus. 1. in responsione ad primam implicantiam, & Hurtad. in sua Metaph. disp 4. sect. 5.

Opinio affirmatiua.

Albert. Hurtad.

II. Alij verò oppositum sentiunt, & volunt etiam metaphysicè loquendo, vnicam esse tantùm indiuiduationem, qua omnes gradus, qui sunt in vnoquoque indiuiduo indiuiduentur: & ita inter alios docent Fonseca 5. Metaph. cap. 6. quæst. 5. sect. 3. in responsione ad 4. & Suarez in Metaph. disp. 6. sect. 9. num. 15. & 16. Et ita planè mihi sentiendum videtur: vnde cum hac sententia concludendum est. In vnoquoque indiuiduo completo, & constante ex omnibus suis gradibus essentialibus dari vnicam tantùm metaphysicam indiuiduationem, qua totum esse ipsius, atque omnes gradus indiuiduentur: nec esse multiplicandas siue totales, siue partiales indiuiduationes pro multiplicatione graduum essentialium.

Opposita sententia.

Fonseca. Suarez.

Concl. Nō sunt multiplicanda indiuiduationes in eodē indiuiduo.

III. Potissima autem ratio pro hac sententia desumitur ex ipsa subordinatione graduum, qui sunt in eadem linea prædicamentali, ita enim inter se subordinantur, vt vnus supponat alium, nempe minus vniuersalis magis vniuersalem, in quo fundetur; atque huiusmodi subordinatio ita essentialis est, vt impossibile sit, eam variari: pertinet enim ad rerum essentias, atque ipsarum constitutionem, quæ omninò inuariabiles sunt: sicuti enim rerum essentiæ per se exi-

1. ratio.

Ordo graduū prædicamentalium est inuariabilis.

gunt tales gradus, ita exigunt etiam cum tali coordinatione, praeserti n quia vnus gradus non potest consistere sine alio, in quo fundatur, cum sit essentialiter quaedam determinatio, & complementum il ius; & proinde non consisterent rerum essentiae sublata tali co ordinatione graduum. Hinc impossibile est, transiri ab vno ad alterum absque intermedio, tunc enim variaretur ille ordo essentialis, quem seruant gradus inter se, atque consequenter etiam rerum essentiae: sic non potest fieri transitus à substantia ad rationalitatem absque animalitate, non enim potest dari homo, qui non sit animal; hoc autem prouenit, quia gradus inferior supponit essentialiter immediatè superiorem, cum sit essentialis determinatio illius. Hinc autem fit, quòd solus gradus essentiae infimus possit immediatè substerni indiuiduationi: caeteri verò gradus superiores solùm mediatè, nimirum medijs caeteris gradibus essentialibus magis determinatis; si enim gradus generici substernerentur immediatè indiuiduationi, inuerteretur ille ordo essentialis, quem tales gradus seruant inter se, si quidem gradus generici sunt fundamentum specifici, & exigunt habere primum, & immediatum complementum à specifico, vnde antequam sub sternantur indiuiduationi, debent substerni gradui specifico. Quo stante sequitur, omnes indiuiduari per vnicam indiuiduationem, nempe illam, qua specificus gradus indiuiduatur, si enim haberent proprias indiuiduationes, ipsis immediatè substernerentur; quod cum fieri nequeat, vnica tantùm indiuiduatio admittenda est, quae immediatè adueniens gradui specifico indiuiduet totam naturam. Atque sicuti vltima differentia, qualis esset rationalitas, sufficiens est, vt reddat totam naturam talem, qualis ipsa est, quamuis immediatè tantùm afficiat gradum vltimum genericum, vt rationalitas afficiens animalitatem solam immediatè, reddit totam naturam hominis rationalem; ita etiam indiuiduatio, quamuis immediatè afficiat solum gradum genericum, sufficiens erit, vt indiuiduet totam naturam, quia indiuiduabit iuxta exigentiam illius, cum caeteri gradus non petant immediatè indiuiduari, sed solùm medio gradu vltimo specifico.

Soluitur dubium: cur solus gradus infimus possit immediatè substerni indiuiduationi. (margin: Solutur: dui eiuè tia inh. mei pô bmedi: vt subste ni indiu duation.)

IV. Atque hinc elicitur confirmatio. Indiuiduatio est essentialiter gradus vltimus in coordinatione praedicamentali, atque in compositione metaphysica; & hoc non solùm constat ex ipsa coordinatione praedicamentali, sed etiam quia constituit primum subiectum illius coordinationis, de quo omnes caeteri gradus praedicantur in recto, & in quid tanquam superius de inferiori. Deinde quia indiuiduatio non est contrahibilis per alios gradus, cum debeat reddere incommunicabile pluribus: gradus autem, qui non est contrahibilis per alios gradus, est necessariò vltimus, quia non potest habere alios sub se. Cum ergo sit vltimus gradus debet necessariò supponere omnes alios gradus, ita vt nequeat vniri cum aliquo immediatè, qui non sit penultimus illius coordinationis. Praeterea ex eo, quòd est vltimus gradus, est etiam vltimum complementum cuiusque rei illius praedicamenti; quis autem non videt, non posse alicui rei exhiberi vltimum, & totale complementum, nisi etiam habeat reliquum complementũ, quod praerequiritur ad vltimum? cum ergo ad complendum esse cuiuscunque rei requirantur omnes gradus essentię, non pôt indiuiduatio, cum sit vltimum complementum, complere tale esse nisi habeat omnes suos gradus essentiales; atque adeo vnica indiuiduatio sufficiet, quę adueniat illi integro esse tanquã vltimũ complemẽtum rõne illius gradus, quo cõstituitur capax vltimi cõplemẽti, qui nõ est alius, quã specificus infimus.

(margin: 1 Confir. — Indiuiduatio vltimus gradus coordinationis praedicamentalis)

V. Et rursus hic aliam confirmatio nem prosequi possumus desumptam ex natura horum graduum. Quamuis enim hi gradus sola ratione inter se distinguantur, posita tamen huiusmodi distinctione, cum vnusquisque importet proprium esse metaphysicum reale, debemus circa ipsos philosophari, tanquã si reuera distinguerentur, quia reuera distinguuntur in esse obiectiuo. Hinc est, quòd inuicem comparantur tanquam actus, & potentia in ordine ad quamdam metaphysicam compositionem; & proinde obseruare debent conditiones actus, & potentiae, alioquin neque ad modum actus, & potentiae considerari possent, neq; quòd vnian-

(margin: Alia confir.)

tur ad constituendam vnam integram naturam. Potissima autem condicio actus, & potentiæ in eo consistit, quòd comparentur cum debita proportione in ratione actuatiui, & actuabilis, & debita proportio in eo sita est, quòd actus sit aptus actuare potentiam iuxta exigentiam actuabilitatis ipsius: nec possibile est, aliquam potentiam actuari ab actu, qui non sit congruens eiusdem actuabilitati. Hinc autem deducitur, indiuiduationem posse tantùm actuare immediatè gradum infimum specificum, non vero gradum aliquem genericum: ratio autem euidens est, quia inter gradum genericum, & indiuidualem non adest debita proportio in ratione actuabilis, & actuatiui: gradus enim genericus est quid incompletum essentialiter, & ideo indiget complemento essentiali; vnde eius actuabilitas respicit actuabile, quod afferat essentiale complementum, quod necessarium est, vt debito modo compleatur: cum enim natura generica secundùm se totam sit generica, atque adeo sit solùm vt generica actuabilis, nullo pacto poterit actuari per gradum indiuidualem, vtpote quia non est commensuratus actuabilitati genericæ. Econtra autem, quia gradus specificus infimus confert naturæ vltimum complementum in ratione essentiæ, idcirco facit, vt natura non sit capax vlterioris complementi essentialis: quia tamen non est omnino actuata, ideo potest actuari recipiendo complementum indiuiduale, quo determinetur, vt sit hæc numero, & proinde indiuiduatio est actus commensuratus naturæ specificæ completæ, non autem gradibus genericis.

Quæ cõmensura[tio] necess[ar]ia inter actum & potentiam.

Indiuiduatio non põt immediatè actuare gradũ genericũ.

VI. Atque si quis rectè conceptus suos expendat, animaduertet, impossibile esse, concipere aliquem gradum genericum immediatè affectum indiuiduatione, vt esset v. g. animal absque eo, quòd sit determinatum ab aliquo vltimo specifico; nam quamuis intellectus sibi videatur concipere indiuiduum animal absque eo, quòd concipiat tale animal, reuera tamen concipit etiam specificum, & tale animal, sed hoc ideo contingit, quia sub expressiori conceptu concipit esse animalis, quàm talis animalis. Quod sufficienter ex eo colligitur, quia quando intellectus concipit indiuiduum animal, aut aliud genericum indiuiduum, concipit aliquid determinatum, & designabile, atque etiam determinatum vltima determinatione, qualis est illa, quam confert indiuiduatio: non potest autem intelligi aliquid designabile, nisi habeat suum esse physicum entitatiuũ, cum enim extra esse entitatiuum nihil reale sit, quod subsistat, nec etiam reperiri potest aliquid designabile. cum autem illud indiuiduum animal sit quid designabile, oportet, vt sit immersum in esse entitatiuo; si autem est immersum in esse entitatiuo, iam est simul cum cœteris gradibus essentiæ, quia esse entitatiuum omnes inuoluit. Rursus si concipitur cum vltima determinatione, oportet, vt habeat etiam alias determinationes, quia vltima non potest consistere sine cœteris.

Non põt concipi indiuidu[um] genericũ, nisi cõcipiatur & specificum.

VII. Denique argumentari possumus ex implicantia plurium indiuiduationum in eodem indiuiduo: si enim quilibet gradus haberet suam indiuiduationem, siue hæc indiuiduatio ponatur partialis, siue totalis, vtroque modo necesse est, vt participet rationem formalem indiuiduationis: alioquin non esset indiuiduatio. Deinde cum ponantur huiusmodi indiuiduationes, vt singulæ suos gradus indiuiduent, quomodo id præstare poterunt, nisi participent formalem rationem indiuiduationis? Cum igitur indiuiduationes istæ debeant participare formalem rationem indiuiduationis, necesse est, vt vnaquæque exhibeat suum effectum formalem gradui essentiæ, quẽ indiuiduat: effectus autem formalis indiuiduationis est, quòd reddat indiuiduum, hoc est indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio vltima diuisione: atque cum necessariò ad multiplicationem rationis formalis exhibitæ subiecto, debeat etiam multiplicari effectus formalis, & quælibet ratio formalis sufficiens sit, vt exhibeat adæquatum effectum formalem sui generis, posita hac multiplicatione indiuiduationum iuxta multiplicationem graduum essentialium, sequitur, tot constituenda indiuidua, quot sunt gradus, cum quælibet indiuiduatio sufficiens sit, vt constituat indiuiduum. Atque cum indiuiduatio, vt indiuiduatiò est, habeat distinguere indiuidualiter, con-

2. ratio principalis.

Non põt sanari indiuiduatio, nisi dicat cõpletã rõne formale indiuiduationis.

Multiplicata indiuiduatione multiplicatur indiuidua.

sequenter gradus illi distinguentur inter se indiuidualiter, atque tot erunt indiuidua, quot gradus: quomodo ergo erit vnicum tantùm indiuiduum? Non enim plures indiuiduationes in vnum possunt coalescere, quia cum sint rationes distinguentes, impermixtæ debent manere, & multiplicare, quæ indiuiduant. Cur enim quæso plura indiuidua distinguuntur indiuidualiter? certè non alia ratione, nisi quia habent diuersas indiuiduationes, quæ habent, quòd distinguant indiuidualiter, & proinde vbicunque diuersæ indiuiduationes reperiuntur, quæ participent rationem formalem indiuiduationis, necesse est, vt reperiantur plura indiuidua, & non vnicum. Et ex dictis patet ad fundamentum in oppositum, substantia enim singularis, & animal singulare non reperiuntur, nec vidari possunt separatim secundùm proprios gradus essentiæ, sed solùm sunt singularia ratione illius indiuiduationis, quæ indiuiduant speciem totam completam, quemadmodum etiam neque sunt indiuidua extra completam naturam specificam.

Ad fundamentum in oppositum

Qualis sit differentia indiuidualis. Disp. XLIV.

Auctorum opiniones.	*Sect.*	*I*
Resolutio prioris difficultatis.	*Sect.*	*II.*
Resoluitur altera difficultas.	*Sect.*	*III.*

Auctorum opiniones.

SECTIO I.

I. Sicuti indiuiduatio reddit indiuiduum indiuisum in se, & incommunicabile, ita etiam facit, vt sit diuisum à quocunque alio, & proinde ex eo, quòd ponuntur plura indiuidua sub eadem specie, consurgit inter ipsa indiuidualis differentia, qua indiuidualiter differunt: vnde de hac inquirendum est, qualisnam sit. Dubitatur autem, an importet tantùm illam distinctinoem, qua vnum indiuiduum distinguatur ab alio in eo, quòd sit hoc indiuiduum, & illud aliud indiuiduum; vel etiam importare possit aliquando saltem aliquam aliam disconuenientiam, ita vt indiuidua non solùm sint hoc, & illud indiuiduum, sed aliquam aliam diuersitatem habeant, aut in munere, aut in habitudine, aut aliquo alio modo. Rursus etiam dubitatur, an huiusmodi differentia indiuidualis stet cum equalitate perfectionis, ita vt omnia indiuidua in suo esse indiuiduali sint omnino equalia in perfectione, an verò importet inæqualitatem perfectionis, qua vnum indiuiduum quò ad perfectionem indiuidualem sit alteri inæquale, ita vt detur vnum perfectius altero in esse indiuiduali.

Punctus difficultatis.

II. Primus autem punctus difficultatis non solet ab Auctoribus disputari, præterquàm ab Auersa mox citandò. Nihilominus, prout ex communi ferè doctrina elicitur, ferè omnes videntur supponere, reperiri aliquando indiuidualem differentiam, quæ præter esse hoc, & esse illud, importet aliquam aliam maiorem disconuenientiam, ratione cuius accidentia, aut destinentur ad diuersa officia, aut dicant diuersas habitudines, aut aliquo alio modo differant plusquàm per esse hoc, & esse illud, & hoc præcipuè desumitur ex Fonseca 5. Metaph. cap. 10. quæst. 7. sect. 3. & 4 & Suarez in Metaph. disp. 5. sect. 8. num. 15. Hoc autem docent, quia actus visionis, quo conspicitur vna albedo comparatus cum actu visionis, quo conspicitur alia numero albedo, non solùm differunt ex eo, quòd sint hæc, & illa visio, sed etiam quia ordinantur ad diuersa obiecta, & idem contingit in speciebus intentionalibus, in relationibus, quæ sunt ad terminos eiusdem rationis, in omnibus actibus cognitionis, & appetitus, in motu; atque præsentia locali, in actionibus, quibus producuntur diuersi termini eiusdem rationis, & alijs huiusmodi accidentibus.

Communis opinio quò ad primum punctum.

Fonseca. Suarez.

III. Auersa autem in Logica quæst. 9. sect. 13. distinguit duplicem speciem, nimirum speciem Logicã, & speciẽ Physicam. Per speciẽ Logicã intelligit speciem infimam prædicabilem de pluribus differentibus numero, ita vt importet primum, & proximum prædicatum, in quo indiuidua conueniunt, nec detur aliquod prædicatum intermedium inter ipsum, & indiuiduatio-

Opinio Auersæ.

nem

nem. Per speciem physicam intelligit illam, quæ pro vna aliqua specie vsurpari solet, quamuis reuera non importet vnum aliquod prædicatum, quemadmodũ importat species logica, quod immediatè se habeat ad indiuidua, sed habet inter ipsum, & indiuidua aliqua alia prædicata intermedia. Supposita autem hac duplici acceptione speciei, docet, sub specie logica non posse reperiri aliam differentiam indiuidualem præter illam, qua vnum indiuiduum est hoc, & aliud illud, ita vt indiuidua in intrinsecis prædicatis sint prorsus similia. Sub specie autem physica posse reperiri indiuidua, quæ differant plusquam per esse hoc, & esse illud; posteriorem partem sententiæ suæ colligit ex ijs exemplis, quæ modo pro priori sententia attulimus.

Secundus punctus. Prior opinio.

IV. Quod verò spectat ad posteriorem punctum difficultatis prima sententia tenet, indiuidualem differentiam non solùm importare distinctionem indiuiduorum, sed etiam inæqualitatem perfectionis in esse indiuiduali, ita vt ratione indiuidualis differentiæ vnum sit perfectius altero, quamuis adsit æqualitas perfectionis quò ad naturã, & esse essentiale: an autem indiuidualis differentia importet semper necessariò hanc inæqualitatem perfectionis, an verò solùm in aliquibus indiuiduis, Auctores huius sententiæ non explicant, nec tractãt hanc quæstionẽ sub his terminis generalibus, sed solùm circa animas rationales, quas ratione suæ indiuiduationis volunt esse inæqualis perfectionis indiuidualis. Desumitur autem hæc opinio ex Magistro in 2. dist. 32. & sequuntur ferè communiter scholastici ibid: D Bonauent. & Riccar. quæs. 4 ar. 1. Ægid. quæs. 3. quam etiam insinuat D. Th. ibid quæs. 2. ar 3. & 1. par. quæs. 85. ar. 7. Caiet. ibid. & Bannes, Ferrar. 1 contra Gent. cap. 13. Iauel. 8. Metaph. quæs. 6. Abulens. in Matth. cap. 25. quæs 656. Valentia tom. 1. disp. 6. quæs. 7 puncto 1. conclus. 5. Ruu. 2. de Anima tract de pluralitate animarum quæs. 3. Gueuara De sensu interiori lib. 1. tract. 7. cap. 5 & complures alij præsertim ex Recentioribus. Probationes autem, quas afferunt, non procedunt de differentia indiuiduali vniuersaliter accepta, sed solùm de differentia indiuiduali animarum rationalium, & ideò eas modo prætermittimus, quia Deo dante alibi hanc quæstionem de animabus rationalibus specialiter instituemus.

Magister. D. Bon. Riccard. Ægid. D. Th. Caiet. Bannes. Ferrar. Iauel. Abulens. Valentia. Ruuius. Gueuara.

Opposita sententia.

V. In oppositum tamen sunt alij graues Auctores, qui negant hanc inæqualitatem perfectionis prouenientem ex indiuiduali differentia: & volunt totam indiuidualem differentiam in eo consistere, quòd hoc sit hoc, & illud sit illud; licet ipsi quoque procedant tantùm circa animas rationales; colligitur tamen, idem vniuersaliter sentire de quacunque differentia indiuiduali: nam si aliqua inæqualitas perfectionis prouenire posset ex differentia indiuiduali, maximè deberet prouenire ex indiuiduali differentiæ animarum rationaliũ, cum sit maior ratio de ipsis, ex eo quòd videmus, vnam melius altera operari, quòd si in ipsis non reperitur, multò minus in cœteris ponenda est, cum minor ratio appareat. Traditur hæc sententia ab Henr. quodlib. 3. quæst. 9. Durand. in 1. dist. 32. quæst. 3. Argent. ibid. quæst. 1. artic. 2. Soncin. 8 Metaph. quæst. 27. in respons. ad 1. Sot. in Logica cap. de substan. quæst. 2 ar. 5. Zimara theorem. 44. Fonseca 5. Metaph. cap. 28 quæst 16. sect. 2. Tolet. 3. de Anima quæst. 18. qui etiam oppositam sententiam vocat parum tutã in Fide.

Henr. Durand. Argent. Soncin. Soto. Zimara. Fonseca. Tolet.

Opinio Auctor.

VI. Auersa autem sequens suam distinctionem, quam superius attulimus de specie logicè, & physicè accepta, vult sub specie logicè accepta non posse multiplicari indiuidua cum inæqualitate perfectionis: sed omnia debere esse necessariò æqualia: sub specie autem physicè accepta, posse reperiri indiuidua inæqualia in perfectione, & hoc posterius probat exemplo animæ rationalis, quæ, inquit ipse, accipitur tanquam vna species physica, & tamen potest esse perfectior, & habere ab intrinseco suo maiorem virtutem operandi, & potest melius vti organis corporeis; & idem ait contingere in speciebus animarum sẽsitiuarum, & vegetatiuarum, atque etiam in cœteris formis, quia vna forma v. g. aquæ, est potentior, quàm alia ad reparandas suas qualitates.

Re-

Resolutio prioris difficultatis.

SECTIO II.

Reijcitur distinctio de specie physica, & logica.

I. CVm in hac quæstione duplex pũctus difficultatis occurrat, vt adnotauimus, priorem in hac sect. resoluemus. Sed prius aduertere oportet, distinctionem illã de speciȩ logicè, & physicè accepta non rectè vsurpari ab Auersa, nec facere ad resolutionem præsentis difficultatis. Si enim per speciem physicam intelligit prædicatũ illud, quod non contrahitur immediatè per indiuiduationem, sed per aliud prędicatum, intermedium inter ipsũ & indiuiduationem, vt videtur intelligere, manifestè patet, hanc non esse speciem, sed genus; illud enim prædicatum, quod intermediat inter ipsum, & indiuiduationem necessariò erit prędicatum essentiale, quia omnia prædicata priora indiuiduatione, & quę per ipsam determinantur, spectant ad constitutionem naturæ, & essentialia sunt; cum ergo hoc prædicatum, quod habet aliud intermedium respectu indiuiduationis, contrahatur per aliud prædicatum essentiale, iam erit prædicatum genericum, quia non erit vltimum in ratione essentiæ, quemadmodum debet esse specificum; vnde non constituet speciem aliquam, sed genus, & solùm species constituetur per illud vltimum prædicatum, quod est immediatè proximum indiuiduationi; nec rectè prædicatum genericum vsurpatur pro specifico; hoc enim esset inuertere totum ordinem philosophiæ, & omnia confundere.

II Deinde neque hæc distinctio inseruit præsenti quæstioni: quia si species accipitur, prout importat prædicatum genericum, quod non immediatè contrahitur per indiuiduationem; iam relinquimus punctum difficultatis: inquirimus enim, an sub infima specie possint dari indiuidua, quæ non solùm differant per esse hoc, & esse illud, sed vlterius habeant aliquam maiorem diuersitatem; & non, an sub prædicato generico possit dari ista maior diuersitas; quia certum est, sub prædicato generico dari diuersitatem essentialem. Vnde cum dicitur, sub specie physica posse dari indiuidua, quæ habeant hanc maiorem diuersitatem, si species physica tali pacto accipiatur, idem esset ac si diceretur, sub aliquo genere posse indiuidua differre plus, quàm per esse hoc, & esse illud, & responsio impertinens esset, nec satisfaceret interrogationi, quæ non procedit de genere, sed de specie infima. Rursus ista maior diuersitas non habetur ratione indiuiduationum, sed ratione illorum prędicatorum, quæ intermediant inter illud, quod dicitur importari per speciem physicam, & indiuiduationem: vnde ex hoc quoque capite acceptio huius speciei physicæ non facit ad propositum, quia quæstio procedit de diuersitate, quæ proueniat ratione indiuiduationum.

Quid species physica, & quomodo se habeat ad logicam.

III Si verò accipiat speciem physicam pro natura physica, & completa constante ex omnibus suis gradibus essentialibus, qualis esset natura humana, vt verè accipi debet, formaliter non dicit aliquid diuersum à specie logica; sed tantùm materialiter, quia species logica consideratur præcise, & prout formaliter dicit illud vltimum prædicatum essentialem: species verò physica, quia consideratur in concreto non solùm dicit prædicatum, quo constituitur, sed omnia alia prædicata prout sunt in concretione eiusdem naturæ. Etenim species quoque physica inuoluit suum formale constitutiuum metaphysicum, quod non est aliud, quàm gradus quidam essentiæ, & quoddam prædicatum, quo vltimò constituitur talis essentia physica. Cum autem sit vltimum prædicatum constitutiuum talis essentia, siue naturæ, necessariò etiam est proximum respectu indiuiduationis; prædicatum enim, quod est proprium alicuius naturę, sicuti est vltimum essentiale ipsius, ita est illud, quod immediatè contrahitur per indiuiduationẽ. Hinc porrò fit, quòd si sub specie physica hoc pacto accepta dantur indiuidua, quæ habeant maiorem diuersitatem quàm eam, quam important per esse hoc, & esse illud, debeant etiam dari sub specie logicè accepta, quia vtraque constituitur formaliter per quoddam prædicatum proximum indiuiduationi, & quod immediatè per ipsam contrahitur: vnde nullo modo distinctio de specie physicè, & logicè accepta facit pro resolutione difficul-

ficultatis præsentis.

Concl. Indiuidualis differentia facit tantum esse hoc, & illud.

IV Hac ergo distinctione relicta tanquam inutili, Dicendum est, non posse dari indiuidua sub eadem specie infima, quæ ex vi propriæ indiuiduationis habeant maiorem diuersitatem, quàm, quòd sint hoc, & illud indiuiduum. Dixi ex vi propriæ indiuiduationis, quia ex aliquo alio capite habere possunt aliquam maiorem diuersitatem supra esse hoc, & esse illud, nimirum aut ratione intensionis, aut ratione alicuius modi, aut per aliquid aliud. Pro intelligentia autem huius conclusionis rursus aduertimus, nos loqui de indiuiduis, quæ sunt talia per indiuiduatioem sibi propriam, & consequenter, quæ habēt proprium esse; indiuiduatio enim, & esse se mutuò consequuntur, & quæ habent proprium esse, habent etiam propriam indiuiduationem, & econtra quæ habent propriam indiuiduationē, habēt etiam proprium esse. Sunt enim quædam entia, quæ sicuti non sunt ens entitate propria, sed entitate alterius, ita etiam sunt indiuidua alterius indiuiduatione. Et hoc contingit in accidentibus quædam enim accidentia habent propriam entitatem physicam contradistinctam ab esse subiecti: quædam verò non habent, sed sunt ens entitate subiecti, quod quidem subiectum aut est substantia, aut aliqua entitas accidentalis. De his ergo accidentibus modo non loquimur, de ipsis enim dicemus conclusione sequenti, sed solùm de indiuiduis, quæ habent propriam entitatem, & propriam indiuiduationē siue substantiæ sint, siue accidentia.

Ratio.

V. Sic autem explicata probatur conclusio. Differentia indiuidualis sufficienter saluatur per hoc, quòd vnum sit hoc indiuiduum, & aliud illud indiuiduum, nam per hoc habetur adæquatè distinctio indiuidualis, si quidem habētur plura stante hac distinctione, quæ sint eiusdē rationis, siue naturę, & incommunicabiliter in suo esse consistant, & quæ distinguantur vltima distinctione, illa nimirum, qua vltimo terminatur, ita vt non possint descēdere ad alia inferiora per aliquam aliam diuisionem superuenientem; in quo consistit adæquatus effectus indiuiduationis: hoc autem totum saluatur in eo, quòd indiuidua distinguantur penes esse hoc, & esse illud, quia statim ac indiuiduum est hoc, habetur natura terminata incommunicabiliter, & indiuisibiliter vltima indiuisione, ea nimirum, quæ per communicationem pluribus nequit diuidi. Ergo ex vi indiuiduationis non potest haberi maior distinctio supra esse hoc, & esse illud; adæquatus enim effectùs indiuiduationis inuoluit totam illam distinctionem, quæ potest haberi ex vi indiuiduationis, ergo si in adæquato effectu illius non inuoluitur maior distinctio, quàm esse hoc, & esse illud, impossibile est ex vi indiuiduationis haberi aliquam maiorem distinctionem. Deinde indiuiduatio est instituta solùm propter esse indiuiduale, & distinctionem; quæ consequitur ab intrinseco esse indiuidualis: & ideo si distinctio indiuidualis sufficienter saluatur per esse hoc, & esse illud, non potest ex vi indiuiduationis haberi aliqua maior distinctio, alioquin haberetur aliqua distinctio, ad quam indiuiduatio non esset ex natura sua ordinata, quod omnino implicat.

Effectus adæquatus, & adæquata distinctio indiuiduationis.

Confir.

VI. Et pro confirmatione huius rationis addere possumus. Quod dantur quædam indiuidua, quæ solùm distinguuntur per esse hoc, & per esse illud, loquendo præcisè ex vi indiuiduationis; nam aliunde possunt habere aliquam aliam diuersitatem, vt patet in rebus homogeneis, quæ constant ex partibus omnino eiusdem rationis, & quæ continuari possunt, si enim aliqua ex his rebus homogeneis diuidatur, cōsurgunt plura indiuidua, quæ non differunt, nisi per esse hoc, & esse illud, quod sic ostenditur. nam ante diuisionē aderat vnicum tantùm indiuiduum, & proinde sicuti non aderat distinctio indiuidualis in ipso, ita neque etiam aderat in ipso maior aliqua distinctio supra esse hoc, & esse illud, quia impossibile est maior distinctio absque minori; vnde quando diuiditur in partes, & consurgunt plura indiuidua, possunt hæc indiuidua habere illam tantùm distinctionem, quæ ratione diuisionis consurgere potest. Per diuisionem autem solùm tollitur vnio partium, ita vt quæ antea communicabant in eodem esse entitatiuo, amplius non communicent, sed seorsim consistant incommunicabiliter, & vnaquæque habeat proprium esse entitatiuum distinctum ab esse entitatiuo alterius: non autem

Dantur indiuidua quæ non differūt, nisi per esse, hoc, & esse illud.

po-

ponitur in esse intrinseco partinm, & ideo indiuidua, quæ consurgunt in rebus homogeneis ex diuisione, habent solùm, quòd sint aliud, & aliud; seu hoc, & illud indiuiduum, non autem aliquam maiorem diuersitatem, nam maior diuersitas non potest stare, nisi proueniat ab intrinseco esse, & in ipso imbibatur, quæ cum non possit causari ratione diuisionis, quia diuisio non immutat intrinsecè entitatem, sicuti ante diuisionem non aderat, ita neque post ipsam aderit. Nec aliqua probabilitate negaretur, Deum posse producere plura indiuidua, quæ differant tantùm penes esse hoc, & esse illud: quia si solùm habent aliquam maiorem diuersitatem ex eo, quòd ad diuersa munera ordinantur, vt patet ex exemplis allatis in opposita sententia, aut quia aliquod aliud diuersum exerceant, cur non poterit Deus facere plura indiuidua, quæ idem omnino præstent? & hoc etiam de facto contingit, dantur enim multa indiuidua, de quibus non adest ratio, vt inter ipsa ponamus aliam diuersitatem præter esse hoc, & esse illud. Neque qui admittunt hanc maiorem diuersitatem, generaliter loquuntur, sed solùm de quibusdam indiuiduis: & concedunt aliqua tantùm differre penes esse hoc, & esse illud. Cum ergo dentur indiuidua, quæ differant solùm per esse hoc, & esse illud, concludendum est, omnia indiuidua eiusdem speciei infimæ solùm differre per esse hoc, & esse illud. Hæc autem consequentia ex eo deducitur, quia si in ijs indiuiduis saluatur perfecta differentia indiuidualis, iam maior differentia non potest haberi ex vi indiuiduationis formaliter, sed tantùm aliunde, quia cum eadem causa formalis præstet semper eumdem effectum formalem, idem quoque formale distinctiuum exhibebit etiam semper eãdem distinctionem. & proinde ex vi indiuiduationis, habebitur semper eadem distinctio; vnde aut semper faciet differre solùm per esse hoc, & esse illud, aut semper causabit illam maiorẽ distinctionem.

Eadem semper dist. ... ex vi indiuiduationis.

Resp. VII. Video tamen, aliquem respõdere posse. Verum quidem esse, ex vi indiuiduationis vt sic haberi solam distinctionem indiuidualem, quæ faciat esse hoc, & illud: sed ratione talis indiuiduationis posse haberi aliquam maiorem distinctionem, & ideò in aliquibus indiuiduis reperiri solam distinctionem, qua distinguuntur per esse hoc, & esse illud; in aliquibus verò reperiri maiorem. Cœterum statim falsitas huius responsionis apparet, si attẽdamus ad ea, quæ diximus disputatione præcedenti sect. 3. Ibi enim ostendimus, non dari conceptum communem indiuiduationis vt sic, qui contrahatur ad talem, & talem Indiuiduationem, sed vnamquamque indiuiduationẽ, ita distingui ab alia, vt quatenus indiuiduatio est cũ nullo alio conueniat. Si autem daretur indiuiduatio vt sic, & talis indiuiduatio, quæ causaret illam maiorem distinctionem, nedum ponendus esset cõceptus communis specificus indiuiduationis, sed etiam genericus, siquidem talis indiuiduatio, quæ causaret illam maiorem distinctionẽ, esset indiuiduatio specifica: nam conueniret pluribus, vnde indiuiduatio vt sic, quæ contraheretur ad hanc talem indiuiduationẽ, esset indiuiduatio generica. Implicat autẽ, dari indiuiduationem genericam, & specificam, cum indiuiduatio sit vltimus gradus in linea prædicamentali. *Confutatio.*

VIII. Sed insuper contra eamdem responsionem argumentari possumus, addendo secundam rationem principalem. Et suppono, si daretur talis indiuiduatio, quæ causaret maiorem aliquam distinctionem, quàm esse hoc, & esse illud, debere esse aliquam rationẽ, quæ contrahat indiuiduationem vt sic; & consequenter indiuiduationem vt sic debere latius patere, quàm talis indiuiduatio, quæ causat hanc maiorem distinctionem, quia nimirum indiuiduatio vt sic, non solùm reperietur in hac indiuiduatione, sed etiam in cœteris indiuiduationibus, quæ non causant hanc maiorem distinctionem. Quo supposito sic argumentor, quò ratio aliqua est communior pluribus, si sit apta causare distinctionem, causat etiam maiorem distinctionem, quàm causet ratio inferior, & minus communis, per quam ipsa contrahitur; sic ratio generica ponit maiorem distinctionem, quàm specifica, quia facit differre genere; & ratio specifica ponit maiorem distinctionem indiuiduali, cum maior sit distinctio spe- *2. ratio.* *Ratio superior causat maiorem distinctionem quã inferior.*

ſpecifica, quam indiuidualis. Hoc autem prouenit non ſolùm ex eo, quòd ratio inferior non ſupponit diſtinctionem in ſuperiori, & ſuperior econtra ſupponit in omnibus inferioribus, ſed etiam quia ratio ſuperior diſtinguit ſe ſecundùm eſſe magis commune, & conſequenter minus determinatum, & proinde amplior eſt diſtinctio, quia cadit ſupra eſſe magis indeterminatum. Ex hoc autem deducitur, quòd ſi daretur indiuiduatio vt ſic, & talis indiuiduatio, qua determinaretur indiuiduatio vt ſic, tunc deberet indiuiduatio vt ſic cauſare maiorem diſtinctionem indiuidualem, quàm talis indiuiduatio, vtpote quia eſſet ratio magis vniuerſalis, quæ ex natura ſua cauſat maiorem diſtinctionem. Si ergo ex vi indiuiduationis vt ſic, habetur tantùm diſtinctio penes eſſe hoc, & eſſe illud, & non maior, atque cum huiuſmodi diſtinctio habeatur ex vi primæ rationis indiuiduationis, impoſſibile eſt dati talem indiuiduationem, quæ cauſet aliquam aliam maiorẽ diſtinctionem. quomodo ergo dicitur in allata reſponſione, ratione talis indiuiduationis haberi maiorem diſtinctionem ſupra eſſe hoc, & eſſe illud?

Quomodo induidua poſſit ſolum diſtingueri per eſſe hoc, & illud.

3. ratio.

IX. Tertiò probatur concluſio. Si intellectus noſter concipiat hoc indiuiduum eſſe hoc, & illud eſſe illud abſque aliqua alia maiori diuerſitate concipiet diſtinctionem indiuidualem, concipiet enim aliquam diſtinctionem, quæ ſit à parte rei ſecundùm eſſe phyſicum: & cum non poſſit dari diſtinctio minor indiuiduali, neceſſariò illa erit diſtinctio indiuidualis, quia non poſſumus concipere minorem diſtinctionem, quàm ſi concipiamus vnum non eſſe aliud entitatiuè. Si autem intellectus præter eſſe hoc, & illud concipiat aliquam maiorem differentiam, non ſiſtet amplius in diſtinctione indiuiduali, ſed concipiet aliud genus diſtinctionis, quæ ſit ſuperaddita indiuiduali; & cum eſſe hoc, & illud adæquatè ponat vnum extra aliud, neceſſe eſt, vt importet adæquatam aliquam diſtinctionem: atque cum hæc ſit minima omnium diſtinctio, ſi contingat ſecundùm eſſe entitatiuum, erit diſtinctio indiuidualis. Ex hoc autem deducitur, quòd ſi aliqua indiuidua diſtinguuntur plus quàm per eſſe hoc, & eſſe illud, non diſtinguantur ſolùm indiuidualiter, ſed etiam aliqua alia diſtinctione, quia habent gradum diſtinctionis ſupra adæquatam indiuidualem: & conſequenter indiuidualis differentia tantùm faciet eſſe hoc, & illud, & non importabit maiorem aliquam diuerſitatem. Quod etiam confirmatur; nam indiuidualis diſtinctio ſicuti prouenit ab vnico, & ſimplici gradu entis, ita etiam importat vnicum, & ſimplicem gradum diſtinctionis, quia debet commenſurari enti, à quo prouenit. In ſimplici autem gradu diſtinctionis non poteſt dari maius, & minus, quia vna diſtinctio excederet aliam, ita ſi daretur maius, & minus, ſicuti etiam eſſet diuerſa, & proinde eſſet multiplex gradus diſtinctionis. Deinde in ea diſtinctione, quæ facit hoc, & illud, reperitur gradus diſtinctionis indiuidualis adæquatæ; ergo ſi ſuperadditur aliqua alia maior, importabit alium gradum diſtinctionis. Quamobrem ex vi indiuiduationis formaliter non poteſt haberi aliqua alia diſtinctio præter eſſe hoc, & eſſe illud; ſed ſi reperitur maior diſtinctio inter indiuidua, aliunde prouenit, & non ex indiuiduationibus ipſorum.

Maior diuerſitas ſupra eſſe hoc, & eſſe illud importat aliquem gradum diſtinctionis.

X. Secundò dicendum eſt; indiuidua illa, quæ non habent proprium eſſe, neque indiuiduationem, ſed ſunt ens entitate alterius, atque conſequenter indiuidua alterius indiuiduatione, vt ſunt accidentia modalia, & quæ oriuntur ex complexione, poſſunt habere aliquam maiorem diuerſitatem ſupra eſſe hoc, & eſſe illud, quæ proueniat ex indiuiduali eſſe materiali ſubiecti, cuius entitate ſunt ens. Dixi, quæ proueniat ex indiuiduali eſſe materiali, quia talia accidentia, ſicuti ex ſe non habent neque eſſe, neque etiam indiuiduationem, & diſtinctionem, qua ſint hoc, & illud accidens, ita neque etiam ex ſe habent maiorem diſtinctionem ſupra eſſe hoc, & illud: ſed ſi illam habent, eam obtinent ratione ſubiecti, cuius entitate ſunt ens. Quia autem indiuiduatio ſubiecti, ex vi indiuiduationis nõ cauſat aliam differentiam, quàm eſſe hoc, & illud, ideo non poſſunt huiuſmodi accidẽtia habere hanc maiorẽ

2. concl. Indiuidua, quæ ſunt ens entitate alterius, poſſunt habere maiorem diſtinctionem ſupra eſſe hoc, & illud.

diuer-

diuerſitate m ex vi indiuiduationis ſubiecti, ſed ratione eſſe materialis ipſius: & proinde diximus in concluſione, poſſe hæc accidentia habere hanc maiorem diuerſitatem ratione ſubiecti indiuidui, ſeu indiuidualis eſſe illius materialiter ſumpti. Concluſio autem ſic explicata facilis eſt, nec indiget probatione, cum enim huiuſmodi accidentia non conſiſtant in eſſe, niſi per ſubiectum, quod neceſſario inuoluitur in ipſorum conceptu, vtpote quia habent eſſe, & indiuiduationem ab ipſo conſequenter diuerſitas, quæ eſt in ipſo, quatenus fundat huiuſmodi accidentia, redundat etiam in accidentia. Cum ergo fieri poſſit, imo ferè ſemper contingat, vnum ſubiectum habere aliquam diuerſitatem in ſuo entitatiuo eſſe, ratione cuius differat ab alio, ita vt non ſolùm indiuidualiter diſtinguatur, ſed etiam aliqualiter diuerſum ſit, vt contingit in diuerſitate ſpacij, quamuis enim vnus locus ſit ita omnino ſimilis alteri ſecundùm ſuum eſſe intrinſecum, vt ſolùm diſtinguatur per eſſe hoc, & eſſe illud, adhuc tamen habet aliquam aliam diuerſitatem rationem habitudinis, quam habet aut reſpectu aliorum locorum, aut reſpectu centri mundi, aut reſpectu aliorum, quæ quidem habitudo, cum ſupponat eſſe indiuiduale ipſius, ipſum quoque afficit, quatenus eſt fundamentum illorum accidentium, quæ non habent proprium eſſe, ſiue ſint modi ipſius, ſiue ex eiuſdem complexione oriantur, & proinde talis diuerſitas redundat aliquo pacto in huiuſmodi accidentia; quæ proinde non ſolùm differunt indiuidualiter ratione diuerſæ indiuiduationis ſubiectorum, ſed inſuper habent aliquam aliam diuerſitatem ratione indiuidualis eſſe eiuſdem materialiter ſumpti, vt modo explicatum fuit. & hinc fit, quòd plus differant duæ præſentiæ locales diuerſorum corporum in diuerſis locis, quàm duæ eiuſdem corporis in eodem loco; non quidem quia indiuiduationes illarum cauſent maiorem diſtinctionem ſupra eſſe hoc, & eſſe illud: ſed quia diſtinguuntur non ſolùm ratione indiuiduationum diuerſorum ſubiectorum, ſed etiam ratione diuerſi eſſe indiuidualis materialiter ſumpti; cum enim corpora conſtituuntur in diuerſis locis, acquirunt diuerſas habitudines ad alia corpora; ad centrum mundi, & ad alia loca, quarum diuerſitas redundat ſuo modo in præſentias locales ipſorum, & ideo cenſentur habere maiorem quamdam diuerſitatem.

Vnde prouenìat maior diuerſitas.

XI. Ex his ergo colligitur, quid dicendum ſit ad illa exempla, quæ pro oppoſita ſententia attulimus. Si enim ea conſiderentur, reperiemus, illa indiuidua, aut continere diuerſitatem ſpecificam, aut inter ſe differre non ſolùm indiuidualiter, ſed etiam ratione ſubiecti indiuidui materialiter accepti, vt in præcedenti concluſione modo docuimus. Actus enim viſionis, & cuiuſuis alterius cognitionis, ſiue ſenſitiuæ, ſiue intellectiuæ, quo percipitur aliquod indiuiduum, comparatus cum actu viſionis, aut alterius cognitionis, quo percipitur aliud indiuiduum eiuſdem omnino rationis, differt ſpecie ab ipſo; cum enim eſſe ſpecificum horum actuum conſiſtat in eſſe cognitionis, quatenus eſt manifeſtatiua obiecti, quotieſcunque variatur eſſe cognitionis, & eſſe manifeſtatiuum, variatur eſſe horum actuum eſſentiale; nam diuerſificatur id in quo conſiſtit eſſentia ipſorum; quamuis autem obiecta ſolo numero diſtinguantur, actus tamen, qui circa ipſa verſantur tanquam manifeſtatiui ipſorum, diuerſificantur in ipſa formali manifeſtatione, & non in ſolo eſſe indiuiduali, quod ex eo manifeſtum fit, quia actus repræſentatiuus vnius ex his obiectis, ita ex vi ſui intrinſeci eſſe manifeſtatiui eſt determinatus ad repræſentandum tale numero obiectum, vt nullo pacto poſſit aliud repræſentare; quod non contingret, niſi differret in eſſe repræſentatiuo, atque huiuſmodi differentia eſſet ſuperaddita indiuiduali; indiuidualis enim differentia non variat eſſe repræſentatiuum, nec tollit, quin diuerſi actus poſſint idem obiectum repræſentare; poſſumus enim elicere diuerſos actus circa idem obiectum, qui omnes ipſum repræſentent. Et idem quoq; dicendum eſt, vt ſupra etiam adnotauimus, de ſpeciebus intentionalibus impreſſis. Similiter etiam eadem ratio eſt de actibus appetitus cuiuſcunq; ordinis ſint, quia adhuc ipſi tendunt in obiectū per modum inclinationis, & actus, qui tēdit in

Ad exēpla in oppoſitū.

Quomodo actus cognitionis, & volitionis diſtinguantur circa diuerſa obiecta numero.

in hoc numero obiectum, non potest tendere in aliud numero, nisi forte ex deceptione putetur idem; vnde ipsi quoque, quando versantur circa diuersa obiecta numero differunt in sua intrinseca ratione; nam differunt in ratione inclinationis, qua inclinant in obiectum, atque adeo distinguuntur non solùm indiuidualiter, sed etiam specificè.

XII Quod verò spectat ad relationes; & alia, quæ non habent propriam entitatem, nec propriam indiuiduationem, possunt hæc, vt diximus, habere quamdam maiorem diuersitatem supra esse hoc, & esse illud ratione esse indiuidualis subiecti materialiter sumpti; vnde relationes, quæ sunt ad terminos eiusdem rationis, & in diuersis fundamentis, præter esse hanc, & esse illam, adhuc amplius distinguuntur, quia saltem ratione identificationis cum subiecto, siue fundamento, ita cum ipso commensurantur, seu potius ita sunt relationes ipsius, vt non possint esse relationes alterius, & nisi alia diuersitas ratione fundamenti interueniat, hæc saltem interuenit, qualiscunque sit; & similiter hæc diuersitas contingit in motu locali ratione diuersi mobilis, atque diuersi spacij, in quo fit, atque etiam in præsentia locali, vt adnotauimus in probatione nostræ posterioris conclusionis. Quod etiam dicendum est de actionibus, quibus producuntur diuersi termini, quia siue cum ipsis identificentur, siue ab ipsis modaliter distinguantur, semper sunt ens entitate termini: & proinde induunt aliqualem diuersitatem ratione ipsorum, quia saltem qualibet actio, ita est productio vnius termini determinati, vt non possit esse alterius, quia etiam si modaliter à termino distinguatur, adhuc tamen est ens entitate ipsius, & habet ab ipso indiuiduationem, & proinde est ita ipsi affixa, vt non possit esse productio alterius. Hoc ergo pacto in huiusmodi accidentibus illa maior diuersitas, quã videntur habere supra esse hoc, & esse illud, prouenit ratione esse indiuidualis materialiter sumpti; non verò ratione indiuiduationis, prout indiuiduatio est.

Resoluitur altera difficultas.

SECTIO III.

I. Alter punctus difficultatis erat, an ratione indiuiduationis possit vnum indiuiduum esse perfectius altero, ita vt habeat maiorem quãdam perfectionem indiuidualem. Et quidem resolutio huius difficultatis statim colligitur ex dictis in præcedenti sectione, vt enim consequenter loquamur, si indiuiduatio non potest causare maiorem diuersitatem supra esse hoc, & esse illud, nec etiam potest facere se ipsa formaliter, vt vnũ indiuiduum sit perfectius altero. Sed antequam ponamus nostram conclusionam aduertimus. Indiuidua quãdo comparantur, vt indiuidua sunt, seu secundùm indiuiduationem formaliter, prorsus inter se differre, ita vt in nullo conueniant: ostendimus enim supra, indiuiduationes nõ habere aliquã conuenientiam inter se in ratione indiuiduationis, sed prorsus differre; & ideo idem quoque de indiuiduis, vt indiuidua sunt, dicendum est. Ex quo fit, non posse dici æqualia, aut inæqualia, si inuicem comparentur secundùm esse indiuiduale, & consequenter secundùm illam perfectionem, quæ per tale esse indiuiduale importatur, quæcunque illa sit: nam si æqualitas, & inæqualitas in rigore sumantur, dicuntur solùm de quantitate, vtpote quia sunt passio illius, vt docet Arist. cap. de Quantitate. Si verò sumitur amplè prout etiam ad alias res transfertur, tunc neque potest dici de indiuiduis, siquidem conuenit tantùm ijs rebus, quæ inuicem commensurari possunt; equalitas enim, & inæqualitas consurgit ex commensuratione, vt patet in ipsa quantitate, vt autem aliqua commensurari possunt, necesse est, vt conueniant inter se, & sint eiusdem rationis, vt docet Arist. 10. Metaph. tex. 4. inquiens: *Semper autem mensura eiusdem generis est; Magnitudinum, namque magnitudo, & secundùm vnumquodque, longitudinis longitudo, latitudinis latitudo uocum uox, grauitatis grauitas, vnitas vnitatum.* Quamobrem cùm indiuidua, quatenus indiuidua, non sint eiusdem rationis, vt pote quia in nulla ratione indiuiduationis conueniunt, nec etiam

Quomodo indiuidua possunt esse æqualia, & inæqualia.

Mensura debet esse homogenea.

in-

inuicem commensurari poterunt, & proinde nec dici æqualia, aut inæqualia. Quia tamen æqualitas, & inæqualitas potest sumi non solùm secundùm homogeneam mensuram, sed etiam secundùm proportionem, & æquiualentiam, per quam aliqua æqualia, vel inæqualia sint secundùm proportionẽ, & æquiualentiam ex eo, quòd vnum dicat, vel non dicat proportionaliter, & æquiualenter totum, quod dicit aliud, sed vel aliquid plus, vel aliquid minus; in hoc enim casu erunt inæqualia secundùm proportionem: si verò dicat æquiualenter totum, quod dicit aliud, erunt æqualia secundùm proportionem. Hoc ergo pacto possunt indiuidua, quatenus talia sunt esse æqualia, vel inæqualia in proprio esse indiuiduali, atque in perfectione, quæ in tali esse imbibitur: vnde dicentur æqualia, vel inæqualia secundùm proportionem.

Æqualitas, & inæqualitas proportionu.

11. Hoc ergo adnotato ponimus nostram conclusionem, & statuimus indiuiduationem, ex vi sui esse formalis non causare inter indiuidua inæqualitatem perfectionis, ita vt vnum indiuiduum sit perfectius altero in esse indiuiduali ratione indiuiduationis, sed omnia esse æqualia, & totam inæqualitatem perfectionis, quam habent, aliunde prouenire, & non ab indiuiduatione. Procedit autem hæc nostra conclusio, vt etiam adnotauimus in præcedenti sectione de indiuiduis, quæ habent proprium esse, & propriam indiuiduationem, & non de ijs, quæ sunt ens entitate alterius, atque adeo indiuidua alterius, indiuiduatione. Hæc autem conclusio sic exposita probari potest. Si vnum indiuiduum in suo esse indiuiduali diceret maiorem perfectionem, quàm alterum, oporteret ponere in ipso aliquam rationem entis, in qua fundaretur huiusmodi perfectio: non enim dari potest perfectio absque ente, quia cum perfectio ex genere suo sit quid positiuum reale, necessariò importat rationem entis realis, & determinata perfectio determinatam rationem entis. Quamobrem cum ista maior perfectio, quam diceret vnum indiuiduum supra aliud, sit determinata perfectio, debet importare determinatam rationem entis, in qua fundetur. Inquiro igitur, quid dicat hæc determinata ratio entis, & quam rationem formalem importet: an scilicet importet rationem formalem indiuiduationis, an verò aliam. Si primum, maifestè sequitur, fictitiam esse maiorem perfectionem in esse indiuiduali: nam ratio formalis indiuiduationis reperitur in quolibet indiuiduo, alioquin quomodo esset formaliter indiuiduum? & quamuis non sit vna, atque eadem ratio communis indiuiduationis in omnibus indiuiduis; est tamen eadem secundùm æquiualẽtiam, quoniam præstat in omnibus eumdem effectum formalem æquiualenter, quia cũ vnũ non sit magis indiuiduum, quàm alterum, neque etiã ratio formalis indiuiduationis potest esse inæqualis in indiuiduis, sed erit eadẽ æquiualanter. Cum ergo ratio indiuiduationis reperiatur in quolibet indiuiduo, eadem quoque perfectio, quæ in ipsa fundatur, erit in vnoquoque indiuiduo. Si verò hæc determinata ratio entis non dicit rationem formalem indiuiduationis, sed aliquam aliam, iam vnum indiuiduum non erit perfectius altero in esse indiuiduali, quia obtinebit hanc maiorem perfectionem ratione alterius formalitatis.

Concl. prima. Indiuiduatio nõ ponit inæqualitatẽ perfectionis.

1. ratio

Omnis perfectio fundatur in aliqua ratione entis.

Quomodo eadẽ ratio indiuiduationis in omnib. indiuiduis.

III Secundò principaliter argumẽtor ex effectu formali, quem exhibet vnaquæque indiuiduatio suo indiuiduo. Totus enim effectus indiuiduationis in eo consistit, quòd indiuiduet terminãdo incommunicabiliter naturam communem, & efficiendo, vt sit hæc numero designabilis: præter hoc autem, vt indiuiduatio est, nihil aliud exhibet. Vnaquæque autem indiuiduatio hoc totum exhibet suo indiuiduo; neque effectus formalis illius est maior in vno, quàm in alio; non enim magis vnum, quàm alterum incommunicabiliter terminatur, & constituitur hoc numero designabile; ergo cum in nullo indiuiduo sit maior effectus formalis indiuiduationis, quàm in alio, nec etiam indiuiduatio, vt talis est, conferet vni maiorem perfectionem indiuidualem, quàm alteri: alioquin si esset inæqualitas in perfectione, esset etiam in effectu formali indiuiduationis: hoc enim patet inductione in cœteris, nam semper quotiescunque perfectior est causa formalis, perfectior est etiam effectus formalis ipsius; proportionatur enim perfectioni causæ, sic quò forma est maioris perfectionis, siue essentialis, siue accidẽ-

2. ratio.

Effectus formalis indiuiduationis.

Est æqualis in omnibus indiuiduis.

ta-

talis videmus exhiberi perfectiorem effectum formalem, perfectior est enim effectus formalis animæ rationalis quã animæ vegetatiuæ, perfectior effectus formalis albedinis vt sex, quàm albedinis vt tria. Et sanè si rectè pensentur indiuidua, vt talia sunt, reperiemus, impossibile esse excogitare, quòd vnũ perfectiori modo indiuiduum sit, quàm alterum, quemadmodum deberet esse, si indiuiduatio, vt talis est, cõferret maiorem perfectionem indiuidualem vni, quàm alteri. Tota enim perfectio indiuidui in eo consistit, quòd sit aliquid vltimò terminatum, & completum, ita vt non possit vlterius ad alia inferiora descendere, atque adeo incommunicabiliter se habeat, possidens esse certum, & determinatum, atque designabile: vnde vt vnum indiuiduum esset perfectius altero in esse indiuiduali, necesse esset perfectiori modo terminaretur, atque redderetur incommunicabile, & possideret esse magis certum, & magis designabile: hoc autem impossibile est, nec ab intellectu percipi potest; quoniam vnumquodque indiuiduum ita vltimò terminatur, vt nõ possit habere maiorem terminationem, aut perfectiorem, alioquin esset adhuc capax terminationis, & consequenter non esset vltimò terminatum, rursus quodlibet ita se habet incommunicabiliter respectu inferiorum, vt nullam omnino admittat cõmunicabilitatem, & ideò non potest perfectiori modo incommunicabilter se habere: sic etiam habet tam certam designabilitatem, vt non possit habere maiorem: & proinde impossibile est, vt maior perfectio in esse indiuiduali formaliter sumpto intelligatur in vno, quàm in alio.

Maior, & minor perfectio in esse indiuiduali formaliter est impe[r]ceptibilis.

3. ratio.

IV Tertiò argumentor. Posita maiori perfectione quò ad esse indiuiduale in vno indiuiduo, quàm in alio, posset intellectus per suam vim præcisiuam concipere illam maiorem perfectionem indiuidualem, non concipiendo aliam, qua æquale est cum cæteris; nam sicuti in indiuiduo minus perfecto reperitur illa minor perfectio indiuidualis, ita in magis perfecto nedum reperitur ista minor perfectio, sed insuper aliqua alia; ratione cuius euadit maior; vnde sicuti in indiuiduo minus perfecto potest intellectus concipere eius solam minorem perfectionem indiuidualem, ita in magis perfecto poterit separatim concipere minorem perfectionem, & separatim maiorem, qua excedit indiuiduum minus perfectum. Non enim dici potest, quòd indiuiduum magis perfectum importet indiuiduationem, quæ ideo perfectior sit, quia sit excellentioris ordinis, quia statim, ac poneretur excellentioris ordinis, non solùm diuersificaretur ab alia indiuiduatione inferioris ordinis per esse hoc, & esse illud vt quo, sed essentialiter, quemadmodum diuersificantur inter se essentiæ, quæ sunt diuersi ordinis; diuersitas enim ordinis non saluatur, nisi cum diuersitate essentiali, & maior excellentia ordinis eleuat ad maiorem perfectionem essentiæ, vt constat inductione facta: & ideo cum vna indiuiduatio differat solùm indiuidualiter vt quo ab alia, non potest esse excellentioris ordinis: vnde si dicit maiorem perfectionem indiuidualem, necesse est, vt illam dicat intra eumdem ordinem, atque adeò per aliquid, quod non reperiatur in indiuiduatione, quæ est minoris perfectionis. Inquiro ergo, an hæc maior perfectio sit eiusdem rationis cum minori perfectione, an diuersæ, ita vt cum intellectus concipit hunc excessum perfectionis, quo perfectius indiuiduum excedit minus perfectum, concipiat aliquid diuersæ rationis ab eo, quod concipit, dum concipit solam æquiualentiam perfectionis. Non potest dici quòd sit eiusdem rationis, quia augmentum perfectionis eiusdem rationis non contingit, nisi per intensionem, quæ non habet locum in rationibus formalibus, qualis est indiuiduatio; non enim sunt capaces intensionis, quemadmodum enim consistunt in indiuisibili, ita etiam non sunt capaces alicuius additamenti eiusdem rationis, sed quicquid ipsis additur, erit diuersæ rationis, atque adeo diuersa ratio formalis. Si autem hic excessus perfectionis est diuersæ rationis, iam importabit diuersam rationem formalem ab indiuiduatione, siquidem id, quo commensuratur cum alio indiuiduo, nec ipsum excedit in perfectione, est ratio formalis indiuiduationis, vnde si excessus perfectionis est diuersa ratio formalis, iam non erit formalis ratio indiuiduationis, & consequenter non

Vnde impossibilis maior perfectio in esse indiuiduali.

Vna indiuiduatio non põt esse excellẽtioris ordinis, quam alia.

conferet maiorem perfectionem in esse indiuiduali, sed in aliquo alio genere.

4. ratio. V. Quartò probatur eadem conclusio. Vt vna indiuiduatio plus perfectionis conferrat indiuiduo, quàm altera, necesse esset, vt etiam aliquid plus diceret, alioquin quomodo plus afferret? Hoc autem, in quo excessus iste perfectionis fundatur, non potest esse prima ratio indiuiduationis, quoniam hæc reperitur in quacunque indiuiduatione, vnde si in ipsa fundaretur huiusmodi excessus perfectionis, reperiretur talis excessus, in quacunque indiuiduatione, atque adeò non esset excessus: oportet ergo, si datur huiusmodi excessus in perfectione indiuiduali, vt detur aliqua alia ratio, in qua fundetur, quæ adueniat primæ rationi indiuiduationis; quia iam minorem latitudinem habet, quàm habeat prima ratio indiuiduationis. Verùm neque dari potest ratio aliqua, quæ adueniat primæ rationi indiuiduationis, in qua talis excessus perfectionis fundetur; cum enim prima ratio indiuiduationis sit vltimus gradus respectu illorum, qui sunt in eadem coordinatione prædicamentali, non potest infra se habere aliquem alium gradum, qui ipsi adueniat, alioquin non esset vltimus. Quòd autem prima ratio indiuiduationis sit vltimus gradus coordinationis prædicamentalis, euidenter conuincitur, si consideretur, quòd gradus, qui non est vltimus, habet alium gradum infra se, ad quem descendit tanquam superius ad inferiora. Prima autem ratio indiuiduationis facit hoc numero designabile, atque adeò tollit omnem communicabilitatem reddendo incommunicabile omnino respectu inferiorum; vnde necesse est, vt sit vltimus actus coordinationis prædicamentalis, alioquin non conferret hanc omnimodam incommunicabilitatem.

Excessus perfectionis in esse indiuiduali nõ habet fundamentũ sufficiens.

Prima ratio indiuiduationis, est vltimus gradus coordinationis prædicamentalis.

5. ratio. VI. Denique argumentor. Conceptus indiuiduationis, atque distinctionis numericę per hoc sufficienter saluatur, quòd intelligimus hoc indiuiduum esse hoc, & illud; nec est necesse concipere aliquam maiorem perfectionem in vno quàm in alio. Imò dantur etiam indiuidua, quæ non habeant hunc excessũ perfectionis, quo vnum excedat alterũ, vt contingit in rebus homogeneis: vt enim in sectione præcedenti dicebamus, si diuidatur aliquid homogeneũ in diuersas partes, consurgunt plura indiuidua, quæ tamen sunt æquè perfecta in esse indiuiduali, nam per diuisionem non producitur de nouo aliqua perfectio in aliqua ex illis partibus, & ante diuisionem, cum adesset tantùm vnum indiuiduum, non poterat adesse vnum indiuiduum perfectius altero. hic enim excessus indiuidualis perfectionis supponit pluralitatem indiuiduorum. Ex hoc autem deducitur, quòd sicuti cõcipiendo hoc, & illud, sufficienter concipio distinctionem indiuidualem, atque adeo indiuiduationem absque eo, quòd concipiam excessum aliquẽ perfectionis; ita quando concipio vnum indiuiduum distingui ab alio cum quouis excessu perfectionis, concipio aliquam maiorem distinctionem supra indiuidualem, nam excessus ille perfectionis affert secum suam diuersitatem: & propterea sicuti diuersitas ista non est indiuidualis, eò quòd indiuidualis saluatur absque tali excessu, ita neque excessus perfectionis, vnde prouenit, spectabit ad esse indiuiduale, sed ad aliquẽ aliũ essendi gradum illius indiuidui. Rursus comparo inter se indiuidua illa, quæ sũt æqualis perfectionis, & rursus hæc indiuidua comparo cum illis, quæ sunt maioris perfectionis, certe minus differunt inter se comparata, quàm si comparentur cum indiuiduis maioris perfectionis, nã inter se habent maiorem conuenientiam, quia in hoc etiam cõueniunt, quòd sint æqualis perfectionis, vnde habent aliquid amplius cõmune inter se, quàm habeant cum indiuiduis maioris perfectionis; & respectu indiuiduorum maioris perfectionis habẽt aliquid minus commune, ratione cuius consequitur inæqualitas perfectionis: cum ergo non possit idem gradus entis formaliter fundare æqualitatem, & inæqualitatem perfectionis; si indiuiduatio, vt talis est, fundat æqualitatem, non potest rursus fundare inæqualitatẽ; vnde ratione alterius gradus proueniet huiusmodi inęqualitas perfectionis. Et cum indiuidua in perfectione minus differant inter se, quàm differant ab indiuiduis maioris perfectionis, sicuti differunt inter se indiuidualiter, ita differunt à cæteris specificè saltem, quia supra distinctionem indiuidualem non da-

Quicunque excessus perfectionis ponit maiorem distinctionem quã indiuidualem.

Distincti o indiuidua lis saluatur absque excessu perfectionis.

datur maior distinctio, quæ saltem non sit specifica; nam hæc est minima ex maioribus supra indiuiduales.

Indiuidua, quæ non habent proprium esse quomodo possint esse inæqualia in perfectione.

VII Quod autem spectat ad indiuidua, quæ non habent proprium esse, sed sunt ens entitate alterius, atque alterius indiuiduatione indiuiduantur, proportionaliter ad ea, quæ diximus in sect. præcedenti dicendum est; posse vnum esse perfectius altero ratione esse indiuidualis subiecti materialiter sumpti. cum enim contingat, hæc accidentia eiusdem speciei in subiectis, quæ differant specie, & quorum vnum sit perfectius altero, etiam quatenus fundat hæc accidentia, quia cum hæc accidentia non habeant aliud esse, præter esse subiecti, nec etiam habent aliam perfectionem, & quæ sunt in subiecto perfectiori, perfectiora censentur, sic nobilior est situs, quo situatur corpus humanum, quàm, quo situatur corpus brutorum: hæc tamen diuersitas non causatur ex vi indiuiduationis formaliter, vt diximus etiam sect. præcedenti.

Ad fundamentũ Auersæ.

Cum autem Auersa ait, sub specie physica reperiri posse indiuidua inæqualis perfectionis, id negatur, & cum affert exemplum animarum, negamus illas esse inæquales ratione perfectionis indiuidualis; vnde autem proueniat, quod aliquæ melius operentur, non est huius loci explicare, aliunde tamen prouenit, quàm ab indiuiduatione. Sic etiam negandum est contingere, in cœteris formis vnam esse perfectiorem altera ratione indiuiduationis, quod enim vna reparet melius suas qualitates, non prouenit ab indiuiduatione, sicuti neque ratione ipsius eas originat, sed vel quia est in materia dẽfiori, vel ex alia circumstantia, vt consideranti patebit.

Quænam sit radix multiplicationis indiuidualis. Disp. XLV.

Materiam esse radicem multiplicationis indiuidualis, quorumdam opinio.

SECTIO I.

I. Circa vnitatem indiuidualem adhuc restat inquirendum, vnde proueniat, quòd multiplicetur. Constat enim, dati plura indiuidua intra eamdem speciem, quorum vnumquodque habet suam vnitatem indiuidualem, & proinde in ipsis vnitas indiuidualis multiplicatur. Quamobrem pro completa tractatione huius materiæ de indiuiduatione restat inquirendum, quænam sit radix huius multiplicationis, seu vnde proueniat, quòd intra eamdem speciem possint indiuidua multiplicari. Est enim quorumdam opinio, qui putant, radicem huius multiplicationis esse materiam primam; & ita explicant sententiam, quæ ponit materiam principium indiuiduationis: aiunt enim, materiam non esse principium indiuiduationis formale, sed tantùm radicale, quia nimirum est radix, vnde prouenit multiplicatio indiuidualis, & hoc pacto explicant tum Arist., tum D. Th. quando docent, indiuidua indiuiduari per materiam. Hanc opinionem refert Suarez in Metaphysica disp. 5. sect. 3. num. 28. & sequent. & eam probabilem putat: atque sequutus est Auersa in sua Logica quæst. 9. sect. 6. conclus. 3. eam tamen limitat ad res materiales.

Materiã esse principium radicale multiplicationis indiuidualis.

Suarez. Auersa

II. Supponunt autem Auctores huius sententiæ, materiam habere ex se suam indiuiduationem, atque quòd

in diuerſas partes diuidi poſſit. Cum autem forma, & accidentia ordinentur ad actuandam materiam, nec poſſit eadem forma numero, ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis eſſe in pluribus ſubiectis ſimul, debent neceſſariò indiuidualiter multiplicari, vt poſſint diuerſas partes materiæ actuare. Sicuti enim formæ non poſſunt produci, niſi in ſubiecto producantur, ita etiam neque multiplicari, niſi habeant materiam, in qua multiplicentur. Addit autem Auerſa: hoc pacto poſſe materiam dici radicem, cur ſpecies quoque in rebus materialibus multiplicentur, quia in tantum ſpecificè multiplicari poſſunt, in quantum habent materiam, in qua multiplicentur. Atque hinc ſequitur, vt poſſint ſimul plura indiuidua actu exiſtere, quia nimirum exiſtunt ſimul plures partes materiæ. Præterea id etiam declarant ex eo quòd materia eſt radix corruptibilitatis, inde enim habent indiuidua, vt poſſint corrumpi, vt ergo ſpecies conſeruentur, requiritur indiuiduorum multiplicatio, quæ proinde prouenit à materia ex eo, quod eſt radix corruptibilitatis.

Fundamentum huius ſententiæ.

III. Addunt inſuper, materiam ſignatam quantitate eſſe principium radicale huius multiplicationis indiuidualis, quia ſicuti materia abſq. quantitate non eſt capax phyſicæ alterationis, & mutationis per varias, & contrarias diſpoſitiones, ita neque eſt cauſa completa, ſeu completa radix huius multiplicationis, cum talis multiplicatio naſcatur ex diuerſa diſpoſitione ſubiecti. Auerſa autem ait, non materiam ſignatam quantitate, ſed vt ſignabilem quantitate, ſeu quatenus exigitiuam quantitatis eſſe radicem huius multiplicationis; quæ tamen ſignabilitas non importat aliquid ſupra eſſentiam eiuſdem materiæ. Volunt autem, ita materiam eſſe radicem multiplicationis indiuidualis in confuſo, vt tamen conſiderata quatenus habet certam, & determinatam quantitatem, atque determinatas diſpoſitiones, & quatenus ſignatur ſub quibuſdam certis, & determinatis circumſtantijs, ſit radix multiplicationis huius indiuidui determinati: non enim materia ex ſe, vt diſtincta ab alia poteſt eſſe cauſa, cur producatur hoc indiuiduum determinatum, cum eadem materia ſit ſucceſſiuè ſub pluribus indiuiduis, ſed ſolùm vt determinata per diſpoſitiones, & alias circumſtantias.

Materiam non eſſe radicem multiplicationis indiuidualis, & quænam illa ſit.

SECTIO II.

I. Hanc ſententiam aſſerentem Materiam eſſe radicem multiplicationis indiuidualis, abſolutè falſam puto; vt autem, quid nobis dicendum videatur, in hac quæſtione propo-namus, hoc prius aduertimus. Non videri conſequenter dictum quòd materia in rebus tantùm materialibus ſit radix multiplicationis indiuidualis, nō autem in cæteris, ſuppoſito quòd ſpiritualia multiplicari poſſint, & proinde magis conſequenter Thomiſtas loqui, qui, dum ponunt materiam principium indiuiduationis, & radicem indiuidualis multiplicationis, conſequenter negant, ſubſtantias ſpirituales, quæ non communicant cum materia, neque tanquam actus informantes, poſſe indiuidualiter multiplicari. Hoc autem efficaciter perſuaderi exiſtimo, quia multiplicatio indiuidualis, in quocunque reperiatur, debet ſemper habere ſuam radicem, à qua proueniat: natura enim, quæ in pluribus multiplicatur, habet, quòd ſit per ſe multiplicabilis, vnde debet in ſe habere radicem talis multiplicationis; cum qua per ſe connectatur; poſita autem hac connexione, neceſſariò vbicunque eſt multiplicatio indiuidualis, debet etiam reperiri radix huius multiplicationis; nō enim ab ipſa ſeparari poteſt: vnde ſi materia eſt radix multiplicationis indiuidualis, debet eſſe ſimpliciter radix, & proinde, aut dicendum eſt, ſola materialia poſſe indiuidualiter multiplicari, non autē ſpiritualia, cum in ipſis nō ſit materia; aut materiā non eſſe radicē huius multiplicationis indiuidualis, quod etiā ex eo confirmatur, quoniā hūoi multiplicabilitas eſt veluti quędā paſſio naturæ illius, quæ multiplicatur, eadem autem paſſio habet ſemper eamdē radicē, à qua proueniat, & impoſſibile eſt quòd ſit à diuerſa radice; & proinde aut ſemper materia, aut nunquam debet conſti-

Eadē ſēper radix quocunque multiplicationis indiuidualis.

tui radix multiplicationis indiuidualis.

1. concl. Materiã nō esse radix multiplicationis indiuidualis.

II. Hoc ergo præmisso dicendum est primò. Materiam non esse radicẽ vnde proueniat multiplicatio indiuidualis; quamuis eiusdem quoque multiplicatio necessaria sit, vt multiplicentur indiuidua materialia. Hæc posterior pars de se euidens est, nam cum substantiæ materiales constent ex materia tanquam ex parte intrinseca componente, sicuti non possunt consistere absque materia, ita neque sine ipsa multiplicari possunt, quia vt multiplicentur, necesse est, vt multiplicetur totum esse intrinsecum, atq; adeo etiam materia. Et hinc fit, vt necessarium sit, materiam multiplicari numero, vt materiales substantię multiplicari possint, sine cuius multiplicatione impossibile esset multiplicari, non autem quia ipsa sit radix indiuidualis multiplicationis earumdem.

1. ratio.

III. Principalior autem punctus huius conclusionis, nimirum materiam non esse principium radicale multiplicationis indiuidualis, probatur, vt enim materia esset radix multiplicationis indiuidualis, non solùm deberet ipsa ex se esse multiplicabilis, sed insuper oporteret, vt esset ratio, cur multiplicarentur numero formæ substantiales, & etiam accidentia, ita vt à materia traheret originem indiuidualis multiplicatio omnium formarum: non enim alio modo saluari potest, materiam esse radicem indiuidualis multiplicationis. Inquiro ergo, an formæ habeant ab intrinseco suo, & ex vi suæ essentiæ, an non, quòd indiuidualiter multiplicari possint. Si habent, iam ratio formalis multiplicabilitatis imbibitur in earumdem esse intrinseco, & cum actualis multiplicatio proueniat à multiplicabilitate, eò quòd actus secundus prouenit ab actu primo, radicabitur indiuidualis multiplicatio in forma tamquam in ea, quæ ab intrinseco suo habet, quòd sit multiplicabilis. Sicuti enim in materia non assignamus aliam radicem extrinsecam eiusdem indiuidualis multiplicationis, quia est de se, & ab intrinseco suo multiplicabilis, ita neque debet assignari in forma, quandoquidem ipsa quoque ab intrinseco suo est multiplicabilis. Si verò formæ ab intrinseco suo, non possunt indiuidualiter multiplicari, tunc nullo pacto poterunt indiuidualiter multiplicari: Quando enim multiplicatur, talis multiplicatio contingit secundùm esse intrinsecum formæ, vnde non solùm non debet formæ repugnare multiplicatio, quantum est ex vi esse intrinseci eiusdem, sed etiam debet conuenire, si enim actus multiplicationis ponitur in esse intrinseco, quomodo non conueniet etiam eidem ab intrinseco posse multiplicari? Sic videmus, indiuidua non posse multiplicari in alia inferiora, non alia ratione, nisi quia ipsis ab intrinseco nō conuenit multiplicabilitas; econtra verò genus potest multiplicari in plures species, & species in plura indiuidua, quia ab intrinseco eis conuenit multiplicabilitas. Quamobrem si formæ non essent ab intrinseco suo multiplicabiles, neque etiam ratione materiæ eis conueniret multiplicari indiuidualiter; quod enim alicui non conuenit ab intrinseco, id ei, quò ad esse intrinsecum repugnat, quia in esse intrinseco rerum idem est esse, & posse: & proinde si possunt habere aliquid, illud habent ab intrinseco; & quod non habent ab intrinseco, neque etiam possunt in seipsis illud habere.

Quod multiplicatur, debet esse ab intrinseco suo multiplicabile.

2. ratio.

IV. Secundò probatur conclusio. Et suppono, quòd si materia esset radix indiuidualis multiplicationis, in tantum esset radix, in quantum ipsa esset multiplex indiuidualiter; non verò ratione suæ essentiæ: vt enim inquiunt Auctores oppositæ sententiæ, materia est causa indiuidualis multiplicationis, in quãtum est diuisa in plures partes, atq; eadem forma numero non potest esse in pluribus subiectis. Verùm pōt haberi multiplicatio indiuidualis absque hac diuisione materiæ, seu indiuiduali multiplicatione; nam in eadem materia numero successiuè existunt diuersæ formæ numero eiusdem rationis non solùm accidentales, sed etiam substantiales, fieri enim potest, quòd per varias mutationes eadem materia numero sit sub eadem forma secundùm speciem, & diuersa, secundùm numerum. Quod si quis dicat. Tunc materiam esse radicem multiplicationis indiuiduorum, quatenus est causa corruptionis, quia scilicet debent multiplicari indiuidua; vt species conseruentur; hoc facilè reijcitur, nam ex

Multiplicatio indiuidualis formę saluatur absq; multiplicatione indiuiduali materiæ.

Occurritur responsioni.

hoc solùm sequitur, quòd debeant indiuidua mutiplicari propter conseruationem speciei, non autem, quòd materia sit radix huius multiplicationis; aliud est enim, esse radicem corruptionis, & aliud esse radicem multiplicationis indiuidualis. Quod etiam confirmatur; quoniam multiplicatio indiuidualis reperitur etiam in indiuiduis incorruptibilibus, nempe in animabus rationalibus; si autem materia ex eo, quòd est radix corruptionis, esset etiam radix multiplicationis indiuidualis, quæ non corrumpuntur, non possent indiuidualiter multiplicari. Præterea indiuidualis multiplicatio est necessaria propter conseruationem specierum, ergo potius tanquam ex radice proueniret ex eo, quòd species exigerent conseruari, atque adeo ex natura specierum, quæ ab intrinseco suo essent conseruabiles in indiuiduis, quàm ex eo quòd materia esset radix corruptibilitatis. Quod euidenter etiam ex eo patet, quia esse radicem multiplicationis indiuidualis est esse radicem productionis, siquidem multiplicatio non fit, nisi per productionem; econtra verò esse radicem corruptibilitatis est esse radicē destructionis indiuiduorum; quomodo ergo ex eo, quòd materia est radix corruptibilitatis, potest esse radix multiplicationis indiuidualis, cum sit causa ablationis eorundem? Vnde diligenter aduertere oportet, quòd quamuis multiplicatio indiuiduorum sit etiā necessaria propter cōseruationem specierum, eo, quòd eadem indiuidua corrumpuntur, aliud tamen est esse radicem huius indiuidualis multiplicationis, & aliud esse radicem corruptibilitatis eorumdem; cum enim corruptibilitas, & multiplicatio opponantur, ex oppositis quoque radicibus prouenire debent.

Materia ex eo, quòd est radix corruptibilitatis, non est radix multiplicationis indiuiduorum.

V. Tertiò argumentor. Materia non est radix, cur forma habeat tale esse, atque sit talis condicionis: nimirum quòd sit actus informans, atque perfectiuus materiæ; sed forma id habet ex vi suæmet essentiæ: est enim essentialiter actus ordinatus ad informandam materiam; quæ autem alicui conueniunt essentialiter, non conueniunt ratione alterius extrinseci; ergo neq; multiplicatio indiuidualis conuenit formæ ratione alicuius extrinseci, vt esset materia, sed ab intrinseco id habet, sicuti ab extrinseco habet, quòd sit actus. Consequentia autem ista declaratur, quoniam multiplicatio indiuidualis cō sequitur esse illius rei, quæ multiplicatur; cum enim fiat secundùm esse eiusdem, necessariò multiplicatio debet cō sequi ad esse ipsius, tamquam ab eo, quod est multiplicabile, & secundùm quod fit multiplicatio. Si autem consequitur ab esse ipsius, sicuti materia non est radix, cur forma habeat tale esse, ita neque est radix, quòd habeat illam multiplicationem, quæ consequitur ad esse eiusdem formæ: sed sicuti habet ex se, quòd sit talis naturæ, ita etiam habebit ex se, quòd possit multiplicari. Et in confirmationem addi potest, quòd ex eo, quòd forma ex vi suæ essentiæ est actus proportionatus materiæ, debet etiam ex se, & non ratione alterius participare omnes illas conditiones, quæ necessariæ sunt, vt sit actus proportionatus ipsius, atque etiam vt rationem actus exercere possit. Vt autem sit actus proportionatus, & vt tamen se exercere possit, oportet vt sit multiplicabilis numero, cum enim materia sit multiplicabilis numero, nec possit nisi formam indiuiduam recipere, atque in quacunque sui portione possit eamdem formam secundùm speciem recipere, oportet, vt forma sit proportionatus actus potens informare materiam, posse multiplicari, quemadmodum multiplicatur materia, alioquin quomodo seruaret debitam proportionem cū materia, & posset illam informare? materia enim diuisa in plures portiones exigit diuersas formas, quibus informetur, nec per vnā solā informari pōt; vnde cum ex se debeat forma esse proportionata, necesse est, vt ex se possit indiuidualiter multiplicari.

3. ratio.

Forma ex se habet, quòd sit actus proportionatus materiæ.

Ex hoc sequitur debere esse de se, multiplicabilem

VI. Secundò dicendum est. Radicem multiplicationis indiuidualis esse in natura specifica, quæ multiplicatur, adæquatè sumpta, & in eo consistere, quòd indiuiduatio non sit de essentia naturæ. Probatur autem hæc conclusio. Statim enim, ac concipimus, naturā habere suū conceptū adæquatū quidditatiuū absq; eo, quod in ipso includatur indiuiduatio concipimus naturam ex vi sui esse intrinseci, non esse determinatam, vt sit hæc, nec esse magis huius, quàm illius

2. concl.

Quænam sit radix multiplicationis indiuidualis.

indiuidui, sed respectu cuiuscunque indifferenter se habere. Hoc enim vniuersaliter verum est, quòd sublato ab aliquo determinatiuo, remanet indifferens ad quodcumque determinatiuum eiusdem rationis, per quod potest determinari. Atque quotiescunque aliquod determinabile respicit plura determinatiua sub eadem ratione formali, habet quamdam extensionem, qua extendatur ad omnia, quia commensuratur cum illa ratione formali, sub qua respicit determinatiua. Hinc cum natura sit determinabilis per indiuiduationem ex eo, quòd in suo conceptu illam non includit; atque dentur plures indiuiduationes, quas respicit sub ratione formali indiuiduationis, consequenter se extendit ad plures indiuiduationes, quia omnes participant rationem formalem indiuiduationis. Dum autem se extendit ad illas, iam est communicabilis pluribus indiuiduis; atque adeo ex eo, quòd in suo conceptu non includat indiuiduationem, sequitur, quòd sit multiplicabilis numero. Et quemadmodum materia nedum per diuisionem entitatiuam potest multiplicari in plura indiuidua, sed etiam id habet ex vi suæ essentiæ, quæ de se est multiplicabilis numero, atque non alia ratione, nisi quia in suo essentiali conceptu non includit indiuiduationem, ita etiam idem dicendum est de forma, atque de tota natura.

Determinabile est indifferens ad quodcumque determinatiuum eiusdem rationis.

VII. Quod amplius confirmari potest. Natura ex eo, quòd in suo conceptu quidditatiuò non includit indiuiduationem, est contrahibilis per indiuiduationem, ergo etiam ex eo, quòd in suo conceptu non includit indiuiduationem, est multiplicabilis numero. Consequentia patet attendendo, quomodo contractio fiat; contractio enim limitat naturam, & coarctat ad esse minus vniuersale, vnde debet natura habere maiorem latitudinem, quàm habeat contractio; alioquin non fieret contractio; dum autem habet maiorem latitudinem, sequitur, quòd sit communicabilis pluribus, atque adeo multiplicabilis. Antecedens autem declaratur, tum quia indiuiduatio, quotiescunque est extra naturam, comparatur ad ipsam ex genere suo tanquam actus contractiuus, vnde cum sit talis ex genere suo, debet semper esse talis respectu cuiusuis naturæ, tum quia natura, dum non includit in se indiuiduationem, comparatur ad ipsam vt gradus superior in linea prædicamentali, de cuius ratione est, posse contrahi per inferiorem, tum etiam quia eo ipso, quòd natura non includit indiuiduationem, non est communicabilis inferiori; communicatio autem superioris respectu inferiorum fit per contractionem. Neque fundamentum in oppositum est alicuius momenti; nam licet non possit multiplicari forma absque multiplicatione materiæ, non sequitur, materiam esse radicem huius multiplicationis, sed solùm conditionem requisitam ex parte causæ materialis: forma verò ab intrinseco suo est multiplicabilis; & quòd materia sit radix corruptibilitatis, non sequitur esse radicem multiplicationis, vt iam diximus supra. Quod additur autem ibi, nimirum cur hoc potius indiuiduum producatur, non facit ad præsentem materiam.

Confir.

Indiuiduatio contrahit naturam ex eo quod non est de eius conceptu.

An vnitas indiuidualis sit principium numeri.

Disp. XLVI.

Quid alij senserint.

SECTIO I.

I. HAnc disputationem instituimus, vt videamus, an vnitas indiuidualis sit eadem cum vnitate, quæ ponitur de genere quantitatis; & est principium numeri, an vero diuersa sit, ita vt vnitas, quæ est principium numeri aliquid addat supra vnitatem indiuidualem: si enim vnitas indiuidualis est principium numeri, erit

eadem, ac vnitas quantitatiua. Et quia vnitas indiuidualis inchoatur in vnitate transcendentali, ita vt vnitas transcendentalis perueniat ad indiuidualem per diuersos gradus vnitatis magis determinatos, ideo Doctores solent sub alijs terminis proponentes quæstionem, inquirere, an vnitas transcendentalis sit eadem, ac vnitas, quæ est principiū numeri an aliquid superaddat: nomine autem vnitatis transcendentalis intelligunt non vnitatem transcendentalem abstractè sumptam, sed determinatam, & coarctatam, vt sit vnitas illa, quæ consequitur quodcunque ens, quod est à parte rei, quæ non est alia, quàm vnitas indiuidualis. Cum autem quæritur, an vnitas, quæ est principium numeri, aliquid addat supra vnitatem indiuidualem, non est sensus, an aliquid addat supra ens indiuiduum, sed supposito, quòd non sit eadem, ac vnitas indiuidualis, quæritur, in quo formaliter consistat.

Titulus Quæstio-nis.

II. In hac autem controuersia duas reperio principales sententias sibi inuicem contrarias. Quarum prima tenet, quòd vnitas, quæ est principium numeri, aliquid addat supra vnitatem transcendentalem determinatam tamen ad ens in particulari, seu supra vnitatem indiuidualem. Diuersimodè tamen explicatur à suis Auctoribus. Nam Auicenna, vt refert D. Th. mox citandus, asserit, quòd vnitas, quæ est principium numeri, addat aliquam rem supra substantiam entis, & vnitatem transcendentalem, quemadmodum album addit supra hominē, alioquin numerus compositus ex vnitatibus non esset species quantitatis. D. autem Th. 1. par. quæst. 11. artic. 1. in responsione ad 1 reprobans sententiam Auicennæ, concludit, quòd vnum, quod est principium numeri, aliquid addat supra vnum transcendentale, quod pertineat ad prædicamentum quantitatis. Quòd si inquiras, quidnam sit istud, explicat 4 Metaph. lect. 2. inquiens. *Vnum verò, quod est principium numeri, addit supra substantiam rationem mensuræ, quæ est propria passio quantitatis, & prior inuenitur in vnitate, & dicitur per priuationem, vel negationem, quę est secundùm quantitatem continuam.* Ex quibus desumitur primò, velle, quòd vnitas numeralis reperiatur tantùm in quantitate continua, non autem extra ipsam; rursus quantitatem continuam concurrere tanquam materiale ad constituendam vnitatem, quæ est principium numeri, & ratione huius materialis superaddere aliquid realiter distinctum substantiæ, quod fortasse etiā voluit Auicenna relatus, dum asserit, vnitatem, quæ est principium numeri superaddere rem aliquam substantiæ entis, hoc enim ideo posuit, vt scilicet numerus esset de genere quantitatis, per hoc autem, quòd superadditur quātitas substantiæ, vt ipse D. Th. docet, habetur vnitas de genere quantitatis. Deinde vult, supra quantitatem addere indiuisionem, tanquam aliquid negatiuum, siue priuatiuum. Denique superaddere etiam rationem mensuræ, quam vocat passionem quantitatis. Et hanc sententiam sic explicatam sequitur Iauel, 4 Metaph. quæst. 8. & etiam Soncin. eodem lib. quæst. 35. dū asserit, vnitatem, quæ est principium numeri, superaddere accidens, quod est in genere quantitatis. & citat Auerr. eodem lib. 4. Metaph. com. 3. vbi concedit, vnitatem, quæ est principium numeri, importare accidens, non autem vnitatem transcendentalem, & idem habet etiam 10. Metaph. com. 5. circa finem. vbi aduertit: Eos, qui posuerunt numeros substantias rerum errauisse, quia non distinguebant inter vnum, quod ponitur principium numeri, & vnum, quod est commune ad decem summa genera: hoc enim dicit substantiam rei, quæ est vna; vnum verò, quod est principium numeri, dicit accidens. Et hoc ipsum etiam docet Capr. in 1. dist. 24. quæst. 1. artic. 1. conclus. 1. & sequitur etiam Aegid. quæst. 2. & communiter Thomistæ, qui quamuis aliqualiter differant in modo explicandi, in re tamen conueniunt, quòd scilicet addat rationem mensuræ. Omnes etiam conueniunt in hoc, quod vnitas, quæ est principium numeri, sit solùm in rebus materialibus, & quantis. Quod præcipue docet Capr. citatus conclus. 2. & desumitur ex D. Th. locis citatis, & præterea ex quæst. 9. de Potent. art 7. & in 1. distinct. 24. quæst. 1. art. 3.

1. opinio

Auicen.

D. Th.

Iauel.

Soncin.

Auer.

Capr.

Aegid.

III. Auersa autem in sua Philosophia quæst. 5. sect. 7. vult, numeralem vni-

Modus dicendi Auersæ.

vnitatem aliquid superaddere vnitati transcendentali determinatæ tamen ad esse indiuiduale. Sed discrepat à præcedenti modo dicendi primò quidem, quia vult, numerum reperiri non solùm in rebus materialibus, & quantitate affectis, sed etiam in quocunque genere entium; deinde vult, vnitatem numeralem importare quamdam aptitudinem, per quam veniat in consortium aliarum vnitatum, ita vt supponat distinctionem rerum, & formaliter importet veluti quamdam societatem, & coniunctionem, in quo distinguitur ab vnitate transcendentali indiuidualiter sumpta, quæ inuoluit comparatiuam distinctionem ad summum, & veluti recessum ab alijs vnitatibus. Tertiò addit, vnitatem, quæ est principium numeri, posse diuerso modo explicari; nam potest explicari per connotationem aliarũ vnitatum, quæ coexistũt, vel possunt coexistere, vel per denominationem extrinsecā desumptā ab actu intellectus, quo vnitates enumerātur; vel per habitudinē rationis, quam dicit vna vnitas ad aliam; vel per relationē rationis ad intellectum numerantem; vel per habitudinem mensuræ, quia vnitas est prima mensura. Denique Vnitatem istam esse adæquatam passionem entis, diuersam tamen ab vnitate transcendentali, licet ipsa quoque possit dici transcēdentalis, quatenus in omni ente reperitur. Addit autem, vnitatem numeralem posse specialiter accipi, prout reperitur in rebus quantis, & hoc pacto distinguitur ab vnitate transcendentali, prout est in quantitate, & etiam ab vnitate numerali cõmuniter dicta non tanquam species sub illa directè contenta, sed tanquam noua, & specialis ratio vnitatis: sicuti enim numerus specialiter solet accipi pro numero, qui est in rebus quantis, ita etiam potest accipi vnitas numeralis. Hoc autem pacto accepta diuersimodè explicari potest; primò quidem per rationē mensuræ, quia vnitas quātitatiua non solùm est mensura in ratione numeri, sed etiam in ratione extensionis, quia per vnum palmum mensuramus extensionē alicuius corporis: alio modo explicari potest absolutè considerando ipsam quantitatē in se, quatenus est vna vnitate continuationis, quæ est propria ipsius iterato modo per comparationem ad subiectum, quatenus per vnam quantitatem continuam fit vnum continuum. Atque hæc est tota doctrina Auersæ circa præsentem materiam.

IV Secunda autem principalis sententia præcedenti opposita tenet, quòd vnitas, quæ est principium numeri nihil addat supra vnitatem indiuidualem, seu transcendentalē determinatam tamen ad esse indiuiduale, sed esse eamdem vnitatem. Verùm Auctores huius sententiæ inter se discrepant; nam aliqui volunt, vnitatem, quæ est principium numeri, esse vnitatem indiuidualem, prout reperitur in sola quantitate, & ita docet præcipuè Durand. in 1. dist. 24. quæst. 2 num. 11. & sequent. vbi asserit, hanc vnitatem numeralem consistere in sola indiuisione quantitatis formaliter, & importare rationem mensuræ, nō tanquam formale constitutiuum, sed tanquam passionem consequentem, & sequuntur Fonseca 5. Metaph. cap. 13. quæst. 3. sect. 3. & Suarez item in Metaph. disp. 4. sect. 9. num. 8. & sequentib. Alij verò non ita limitant vnitatem, quæ est principium numeri, vt in solis rebus quantis reperiatur, sed volunt extendi ad quodcunque genus entium, ita vt quodlibet ens indiuiduale habeat suam vnitatem, quæ possit esse principium numeri alicuius, si nimirum cū alijs entibus computetur. Ita docent. Ocham in 1. dist. 24. quæst. 2. Gabr. ibid. Gregor. item ibid. Rubio eadem dist. quæs. item 2. ar. 1. conclus. 3. & communiter omnes Nominales, & nonnulli alij.

1. opinio Vnitatē numeralem esse eādē cū indiuiduali.

Durand.

Fonseca. Suarez.

Ocham. Gabr. Greg. Rubio.

Vnitatem, quæ est principium numeri, reperiri in quolibet ente.

SECTIO II.

I. Præsens quæstio continet duo capita difficultatis, quorum primum est, An vnitas, quæ est principium numeri, reperiatur in solis rebus materialibus, & quantitate affectis, an etiam in quolibet alio genere entium: alterum verò, an in quocunque genere entium reperiatur, sit vnitas indiuidualis ipsorum entium, an verò aliquid ipsi superadditum. Pro resolutione autem primæ difficultatis ponimus nostram conclusionem, in- Concl.

qua

Vnitas, quæ est principiũ numeri, reperitur in quolibet genere entium.

qua statuimus, vnitatem, quæ est principium numeri, reperiri non solùm in entibus quantis quantitate continua, sed in quolibet genere entium, ita vt quodcunque ens indiuiduale habeat suam vnitatem, quæ possit esse principium numeri. Pro qua supponendum est, quòd licet Veteres Philosophi collocauerint numerum in solis rebus quãtis, non hinc tamen sequitur, quòd in ipsis solis reperiatur: hoc enim ideo fecerunt, vel quia sola entia materialia, & affecta quantitate cognoscebãt, vel quia numerus in rebus sensibilibus magis notus erat. Verùm si in rebus quoque spiritualibus reperitur illa eadem ratio, ob quam collocatus est numerus in rebus quantis, certè in ipsis quoque debet etiam collocari, & consequenter quodlibet ipsorum habebit vnitatem, quæ sit principium numeri.

1. ratio.

Idẽ fundamẽtũ numeri ẽ in rebus quantis, tum nõ quantis.

11. Hoc ergo præsupposito probatur conclusio. Idem fundamentum numeri, quod est in rebus quantis, reperitur etiam in rebus non quantis, seu spiritualibus, & in quolibet ente indiuiduo non quanto. ergo si in rebus quantis reperitur numerus, & vnitas consequenter, quæ sit principium numeri, reperietur etiam in entibus spiritualibus, & non quantis. Consequẽtia ista est euidens; nam numerus, siue sit aliquid reale superadditum rebus numeratis positiuum, siue tantùm aliquid rationis, de quo non est modò disputandum, consequitur suum fundamento, & in eo genere entium ponitur, in quo est fundamentum: cur enim quæso ponitur in rebus quantis? certè non aliud responderi potest, nisi quia in ipsis reperitur fundamentum eiusdem numeri; si ergo in aliquo alio genere entium reperiatur idem fundamentũ. in ipso quoque collocandus erit numerus. Quòd autem huiusmodi fundamentum reperiatur etiam in rebus nõ quantis, quod esset antecedens à nobis assumptum, ex eo conuincitur; nam numerus fundatur in multitudine, quæ coalescat ex pluribus vnitatibus indiuisibilibus, & ex eo res quantæ fundant numerum, quòd important diuersa entia vna vnitate indiuisibili. Hæc autem indiuisibilitas non debet esse omnimoda; nam vnitates quantitatiuæ, vt sunt plures palmi, possunt diuidi singuli in diuersas partes, sed debet intelligi, quòd habeat aliquam indiuisibilitatem, ratione cuius concurrat ad numerum, ita vt ratio indiuisibilitatis sit illa, quæ facit vnitatem proportionatam pro numero tali pacto, vt si numerus numeratus abstractè concipiendus sit, concipiatur indiuisibilitas vnitatum præcisè, non autem esse indiuisibile; & ex hoc fit, quòd numerus coalescat ex vnitatibus omnino indiuisibilibus, quia cum concurrant ad numerum ratione indiuisibilitatis formaliter, & indiuisibilitati, vt talis est, repugnet omnino diuidi, iam vnitates, prout concurrunt ad numerũ, se habent vt omnino indiuisibiles. Duo ergo concurrunt ad fundandum numerũ vnitas scilicet indiuisibilis, quatenus indiuisibilis est, & multitudo, quæ quidem nõ aliud importat, quod positiuum sit, quàm plures vnitates ex ijs, quibus numerus coalescit, & deinde negationem vnitatis, quæ sit inter ipsas. Hoc autem totum reperitur etiam in rebus non quantis: res enim non quãtæ plures esse possunt, & de facto sunt, ita vt nõ habeant vnionẽ inter se, vnde in ipsis saluatur formalis ratio multitudinis. Rursus vnaqueque ipsarum habet suam vnitate indiuidualem, & consequenter suam indiuisibilitatem, quæ quidem indiuisibilitas, vt talis est, nullo pacto diuidi potest, & eodem pacto se habet quò ad hoc, ac in rebus quãtis; imo res non quantæ nullo modo sunt capaces diuisionis, quemadmodum sunt res quantæ, vnde habent maiorem indiuisibilitatem. Cum ergo in rebus non quantis reperiatur totum fundamentum numeri, nempe vnitates indiuisibiles, & multitudo, consequenter etiã reperitur numerus propriè dictus, & vnitas, quę sit principium numeri.

Quales sint vnitates numeri.

Duo concurrunt ad fundãdum numerum.

2. Confir.

III Confirmari etiam potest hæc ratio. Si quantitas esset necessaria in vnitatibus, vt possent numerum fundare, non alia ratione esset necessaria, nisi propter suum effectum formalem, quem exhiberet vnitatibus; quia si ipsa quoque specialiter, vt quantitas est, concurreret ad fundandum numerum, deberet concurrere secundùm suã formalẽ rationem, ita ut vnitates fundarẽt numerum, quatenus participant effectum formalem quantitatis. Hoc tamen falsum est, quia si quantitas con-

Quãtitas nõ concurrit per se ad fundãdum numerum.

cur-

Quātitas continua nō cōcurrit per se ad fundādum numerum.

curreret ad fundandum numerum ratione effectus formalis, quem exhibet vnitatibus, cum eius effectus formalis in eo consistat, quòd extēdat, & ponat rationem partium extra partes, debe rent vnitates fundare numerum quatenus extensæ, & habentes partes extra partes. Verùm huiusmodi extensio, & ratio partium extra partes omnino materialiter se habet ad singulas vnitates, quatenus fundant numerum: non enim huiusmodi extensio ex aliquo capite est per se necessaria: non quidem ratione multitudinis, quia sine ipsa saluatur, cum importet tantùm plura litatem rerum: non ratione vnitatis diuisibilis, quia potius contrariatur indiuisibilitati eiusdem; Vnde Thomistæ, & præcipuè Iauel. supra citatus, quamuis ponant vnitatē, quæ est principium numeri, & ipsum numerum in solis rebus quantis, non tamen volunt quantitatem fundare numerum, prout dicit rationem formalem quantitatis; sed solùm prout dicit indiuisionem sui. Quapropter per ipsos quoque quantitas secundùm suam rationem formalē materialiter tantùm concurrit ad fundandum numerum, sed tantum indiuisio ipsius; cum autem indiuisio quantitatis non dicat rationem formalem quantitatis, iam quantitas non concurrit per secundùm suàm formalem rationem ad fundandum numerum, sed tantùm materialiter se habet, & ideo numerus in rebus etiam non quantis fundari potest, cum ipsæ quoque habeant suam indiuisionem. Quod insuper ex eo vrgeri potest, quoniam si cōparentur inuicem indiuisio indiuidui non quanti, quamuis differant in connotato, seu in fundamento indiuisionis, non tamen differunt in ratione formali indiuisionis, nam tam in vno, quàm in alio indiuisio idem dicit, nempe exclusionem diuisionis ab esse indiuidui. Cū ergo eadem ratio formalis indiuisionis, reperiatur etiam in rebus non quantis, cur quæso etiam ipsæ, non poterunt fundare numerum?

2. ratio

IV. Secundò principaliter argumentor. Ratio formalis numeri reperitur etiam in rebus non quantis, prout important aliquam multitudinem, ita vt eadem ratio formalis, qua numerus constituitur in rebus quantis, sit etiam in rebus non quantis; ergo etiam vnitas, quæ est principium numeri eodem pacto, quo est in rebus quantis, est etiam in rebus non quantis. Consequētia euidens est, quia sicut numerus non potest consistere, nisi coalescat ex vnitatibus numeralibus, ita in quocunque genere entium reperiatur numerus secūdùm suam rationem, in eodem quoque debet reperiri vnitas, quæ sit principium numeri: Antecedens autē probatur, quoniam numerus numeratus nihil aliud dicit de suo formali, quàm collectionē quamdam vnitatum, quæ importent discretionem, & numerabilitatem, quæ quidem discretio ex eo requiritur, vt habeatur pluralitas vnitatum, & consequenter numerabilitas, quæ sine pluralitate haberi non potest. Vnde collectio illa vnitatum se habet veluti materiale numeri; discretio verò, & numerabilitas tanquam formale. Verùm hoc totum reperitur etiam in rebus non quantis: nam in ipsis haberi potest collectio vnitatum, nempe plurium indiuiduorum; habetur etiam discretio, quæ licet non consistat in ablatione continuitatis, exhibet tamen eumdem effectum in ordine ad numerum, nempe separat vnam vnitatem ab alia, & constituit pluralitatem, vnde consurgit statim numerabilitas non secus, ac in rebus quantis: vnde totum id, quod concipimus in numero numerato entium quantorum, concipimus etiam in numero numerato entium non quantorum, quæ eodem pacto numerari possunt, ac numerantur entia non quanta. Et quamuis in his nō reperiatur quantitas continua, non per hoc sequitur, quòd desit aliquid spectās ad rationem formalem numeri, quia cum quantitas continua sit species quātitatis contradistincta à discreta, non potest pertinere ad formale constitutiuum numeri. Atque hoc ipsum magis patebit, si consideremus rationes particulares numerorum, vt rationem formalem binarij, ternarij, denarij, aut aliorum, siue enim res quantæ sint, siue non; posita duplici vnitate habetur ratio binarij, posita triplici vnitate ratio ternarij, & positis decem vnitatibus ratio denarij, & sic de reliquis; & positis iisdem vnitatibus in rebus non quantis eadem omnino ratio numeri, siue binarij, siue ternarij concipitur, sic in duobus angelis concipio rationē

Numerus secundū suam rōnē formalē est etiam in rebus non quantis.

eamdem binarij, quam concipio in duobus indiuiduis quantis. quod fieri non posset, nisi ratio formalis numeri in ijsdem entibus saluaretur.

Confir. V. Atque hanc rationem valida confirmatione vrgere possumus, supponendo, quod omnino indubitatum est apud omnes, nempe cuiuscunque rei esse vnicam tantùm rationem formalem vt vnam tantùm rationem formalem hominis, vnam tantùm rationem formalem caloris & sic de singulis: insuper etiam vnamquamque rationem formalem consistere in indiuisibili, ita vt neque ei aliquid addi possit, neque detrahi absque eiusdem variatione, quia nimirum sunt sicuti numeri, qui per additionem, aut detractionem cuiuscunque vnitatis essentialiter variantur. Ex hoc porrò fit, vt vbicunque reperitur aliqua ratio formalis, ibi semper secundùm se totam, & indiuisibili modo reperiatur, atque secundùm eamdem omnino formalitatem, ita vt si sit in pluribus eadem omnino formalitas, quæ est in vno, sit etiam in alio absque aliqua variatione. Hinc autem deducitur, rationem similiter formalem cuiuscunque numeri, siue binarij, siue ternarij vnam esse, atque indiuisibilem, ita vt in quocunque reperiatur, debeat vna, atque eadem reperiri absque aliqua variatione, cum sit eadem ratio de ipsa ac de cœteris formalibus rationibus. Quare si in rebus non affectis quantitate reperitur ratio numeri binarij, & cœterorum, debet esse eadem cum ea quæ est in rebus quantis, atque adeo in ipsis erit propria ratio numeri, & vnitatis, quæ sit principium numeri.

(Vnaquæque rō formalis est indiuisibilis.)

Alia Confir. VI. Rursus etiam confirmari pôt desumendo euidens signum ex modo nostro concipiendi. Experimur enim, posse nos concipere rōnem cuiuscunq; numeri, quam concipimus in rebus quantis, etiam in rebus non quantis. Ex hoc autem sequitur, quòd ratio numeri, & consequenter vnitas, quæ est principium numeri, propriè in ipsis reperiatur, alioquin non posset concipi. Cur. n. quæso non potest intellectus noster concipere in angelis rationem corporis absque eo, quòd decipiatur, & potest concipere rōnem binarijj, aut ternarij absq; eo, quòd decipiatur; certè non alia rō assignari pôt, nisi quia ratio corporis in ipsis non reperitur, ratio verò horū numerorum reperitur. Quòd si numerus essentialiter fundaretur in rebus quãtis neq; fingendo ens rationis posset intellectus concipere in rebus non quantis rationē horū numerorū, nisi etiā simul in ipsis conciperet quantitatē continuam. Et euidenti exemplo manifestari potest, quia enim figura triangularis, circularis, & aliæ huiusmodi essentialiter fundantur in quantitate continua, impossibile omnino est, quòd extra talem quātitatem concipiantur, nec in rebus non quantis concipi possunt, nisi fingendo ens rationis in ipsis simul concipiatur quantitas. Quamobrem si vnitas quoq; quæ est principium numeri, & consequēter numerus fundaretur necessariò in quantitate continua, impossibile omnino esset, quòd extra ipsam conciperetur. Accedit etiam, quòd siue numerus sit in rebus quantis, siue non quantis eodem numero numerante, illo videlicet ordine, & veluti mensura, quæ est in intellectu numerantis, possumus illum numerare, & veluti mensurare; hoc autem contingere non posset, nisi vera ratio numeri numerati reperiretur in rebus non quantis; imo nisi reperiretur eadem ratio numeri numerati siue binarij, siue ternarij, aut alterius determinati: nam inter numerum numeratum, & numerum numerantem debet esse debita correspondentia, veluti mensurati ad mensurans: mensura autem, quæ est proportionata pro mensurando aliquo genere entium, non est proportionata pro alio genere, & ideo, si idem numerus numerans potest mensurare numeratum, siue sit in rebus quantis, siuè non quantis, oportet, vt ratio numeri sit eiusdem rationis in vtrisque, sic non potest quantitas continua mensurari per mensuram discreti, aut sonus per mensuram ponderis, non alia ratione, nisi quia mensura vnius generis non est proportionata pro alio.

(Vnde colligitur, vnitatē numeralem non fundari necessario in quantitate continua.)

(Numerus numerans mensura numerati.)

(Proportio mensuræ ad mensuratum.)

1. ratio VII. Tertiò principaliter probatur conclusio. Vnitas in rebus non quantis, per quam sunt numerabiles, ita est mensura illius numeri, qui est in huiusmodi genere entium, vt etiam possit esse mensura numeri, qui est in rebus quantis, ergo si in rebus quantis datur vnitas, quæ sit principium numeri, debet etiam dari in rebus non quantis.

In rebus non quantis adest vnitas, quæ sit mensura numeri

Consequentia ista euidens fiet, si considerabimus, quòd esse mensuram numeri, aut est formale constitutiuum vnitatis, quæ est principium numeri, aut eius passio; vnde cum siue ratio constitutiua vnitatis, quæ est principium numeri, siue eius passio saluetur in vnitate rerum non quantarum, debet esse talis vnitas propriè, & cum omni rigore principium numeri. Antecedens autem probatur. Nam si cōcipiamus vnitatem illam, qua consurgit numerus rerum non quantarum, in abstracto absque eo, quòd concipiamus eam in tali genere entium, importabit rationem illam formalem, qua vnitas rei quantæ concurrit ad constituendum numerum, & pluries repetita mensurabit quemlibet numerum rerum quantarum; nam si bis repetatur, mensurabit binarium; si ter, ternarium, & sic de reliquis. Ratio autem est, quia participabit veram rationem mensuræ, qua numerus mensuratur: quando enim vnitas rei quantæ consideratur tanquam mensura numeri, nihil aliud in ipsa consideratur, quod faciat ad rationem mensuræ, nisi indiuisibilitas, & quòd sit pars componens numerum, hoc enim posito habetur tota & completa ratio mensuræ; vnde cum reperiatur etiam in vnitatibus, quibus coalescit numerus in rebus non quantis, concedendum est, quamlibet ex his vnitatibus habere, quòd sit mensura numeri, atque adeo vera vnitas numeralis.

4. ratio

VIII. Quartò argumentor. Quantitas continua, & quantitas discreta sunt diuersæ species quantitatis imo oppositæ, nam vna dicit rationem partium extra partes cum continuatione earumdem, altera dicit rationem partium extra partes cum discretione, & consequenter per diuersas rationes formales constituuntur. Hoc enim locum habet generaliter in omnibus speciebus, vt vnaquæque habeat suam propriam rationem formalem, qua constituatur; & proinde quòd debeat hæc ratio formalis plurificari, & diuersificari, quotiescunque diuersificantur species. Sed neque hoc sufficit pro constituendis diuersis speciebus, sed insuper necessarium est, quòd species illæ in eadem ratione generica fundentur, quoniam diuersitas specierum constituitur per diuisionem generis; atque etiam quòd ratio, qua constituitur vna species, nullo pacto possit esse fundamentum alterius speciei, ita vt aut concurrat ad constitutionem illius tanquam formale constitutiuum, aut sit fundamentum per se necessarium, in quo propria differentia talis speciei fundetur. Cum ergo hoc totum certissimum sit: atque etiam certum sit, vt dicebamus, quantitatem continuam, & discretam constituere diuersas species quantitatis, siue quātitas discreta sit vera species, siue non; concludendum est, quantitatem continuam nedum secundùm propriam rationem formalem posse constituere numerum, sed neque posse esse fundamentum illius per se necessarium: sed quando numerus in ipsa fundatur, non tanquam in quantitate continua fundabitur, sed tanquam in quodam ente habente suam numeralem vnitatem, alioquin vna species fundaretur in alia sibi opposita. Et quamuis quantitas discreta non ponatur vera species quantitatis, adhuc tamen secundùm illud esse, quod habet, seruat oppositionem, & ideo quò ad hoc de ipsa philosophandum est, ac si esset vera species. Quamobrem cum numerus non requirat per se quantitatem continuam, in qua fundetur, reperietur etiam in rebus non quantis secundùm suam propriam rationem, quia totum id, quod dicit in rebus quantis, dicit etiam in non quantis excepta ipsa quantitate continua.

Vna species non dicit diuersā rōnē formalē sed nec pōt fundari in alia.

Numerus nō fundatur in quantitate continua, vt talis est.

Obiectio

IX. Cœterum obijciet aliquis. Numerus importat aliquam specialem multitudinem, nempe multitudinem, quæ est de prædicamento quantitatis, ergo etiam debet importare specialem speciem vnitatis, quæ sit de prædicamento quantitatis, nempe vnitatem quantitatis continuæ, non autem vnitatem, quæ sit in quolibet genere entium indifferenter. Respondetur; non esse modo determinandum, an numerus sit vera species quantitatis; quia supposito, quòd sit vera species talis prædicamenti, neque adhuc sequitur, quòd debeat fundari in quantitate continua; atque quòd vnitas, quæ est principium ipsius, debeat esse vnitas entis quanti. Imo ex eo, quòd

Resp.

est

eſt ſpecies quantitatis, ſequitur, vt modo dicebamus, quòd non poſſit per ſe fundari in quantitate continua, atque adeo quòd nec vnitas, quæ eſt principium ipſius, poſſit eſſe vnitas entis quanti tanquam per ſe requiſita. Quamobrem ſi numerus eſt vera ſpecies quantitatis habebit quidem ſuum genus, quod ſit quantitas, non autem fundabitur in quantitate continua, ſed hoc genus, in quo fundabitur, erit ratio quantitatis vt ſic communis ad continuam, & diſcretam, & importabit ſimpliciter, & præcisè rationem partium extra partes, & prout deſcendit ad quantitatem continuam importabit partes inuicem copulatas: prout verò deſcendit ad numerum, importabit rationem partium extra partes diſcreto modo, quemadmodum ſunt vnitates omnes, quibus componitur numerus; non enim vt habeatur pars quantitatiua neceſſe eſt, vt habeatur continuatio, ſed ſufficit ſi habeatur aliquid, quod ſit partiale conſtitutiuum alicuius menſurabilis, quemadmodum eſt vnitas componens numerum. Quapropter numerus quidem importat ſpecialem rationem vnitatis, non tamen quæ ſit vnitas quantitatis continuæ, ſed ſpecialitas in eo conſiſtit, quòd ſit vnitas potens componere numerum tamquã pars ipſius: vnde cum ſit pars quantitatis diſcretæ, reducitur ad prædicamentum quantitatis, ſuppoſito, quòd numerus ſit vera ſpecies ipſius, tanquam pars conſtitutiua talis ſpeciei; & ideo eſt vnitas quantitatiua: & hoc pacto quodlibet ens, quod cum alijs ſimul numerari poteſt, ratione ſuæmet vnitatis, ſpectat ad prædicamentum quantitatis, tanquam pars determinatæ ſpeciei ipſius. Vnde cum dicitur, quòd vnitas, quæ eſt principium numeri, eſt in genere quantitatis, non debet intelligi, quòd ſit in genere quãtitatis continuæ; ſed quòd dicat vnitatem illius entis, quod, habens ſuum proprium eſſe indiuiſibile, poteſt ſimul cum alijs numerum conſtituere; vnde ſe habet vt pars, quæ ſit per diſcretionem extra alias partes entis menſurabilis, & ideo eſt pars quantitatiua, in genere Quantitatis.

Quodnã ſit genus numeri, ſuppoſito quòd ſit vera quãtitas

Quomodo vnitas numeri ſpectet ad prædicamentũ quantitatis.

Vnitatem indiuidualem eſſe principium numeri.

SECTIO III.

I. Alter punctus difficultatis erat, an vnitas, quæ eſt principium numeri, eadem ſit ac indiuidualis, an verò diuerſa: vnde cum ſtatutum ſit, vnitatem, quæ eſt principium numeri reperiri in quolibet genere entium, modò pro reſolutione alterius puncti concludimus primò. Vnitatem, quæ eſt principium numeri, non eſſe quid realiter diſtinctum à re numerata. Hæc concluſio facilè ſuadetur ex deſtructione fundamenti oppoſitæ opinionis. Ideò enim poneretur vnitas, quæ eſt principium numeri, tanquam quid realiter diſtinctum à re numerata, quia talis vnitas eſt de genere quantitatis, & ideo tanquam quoddam accidens reduci debet ad illud prædicamentum. Atque hoc eſt totum id, quod pro fundamento oppoſitæ ſententiæ adduci poteſt. Verùm ex hoc non ſequitur, quòd debeat eſſe quid diſtinctum realiter à re numerata, non ſolùm ſi res numerata ſit de genere quantitatis continuæ, ſed etiam ſi ſit de genere ſubſtantiæ, aut alterius prædicamenti; nam cum non ſit neceſſarium, prędicamenta diſtingui realiter, ſed ſufficiat diſtinctio ſecundùm diuerſas rationes formales, & diuerſos gradus eſſendi, qui in eadem entitate reperiri poſſunt, optimè ſaluari poteſt, quòd res alterius prædicamenti pertineant ad prædicamentum quantitatis, quatenus important vnitatem indiuiſibilem, quæ ſit pars numeri; ſi enim ſumatur vna, atque altera ſubſtantia, vnaquæque, prout importat rationem ſubſtantiæ, collocabitur in prædicamento ſubſtantię, prout verò importat vnitatem conſtitutiuam numeri, & ſimul vtraque conſtituit numerum binarium, ſpectabit ad prędicamentum quantitatis, & proinde ex hoc capite non eſt neceſſe ponere vnitatem numeralem diſtinctam realiter à re numerata.

1. concl. Vnitas numeralis nõ eſt realiter diſtincta à re numerata.

II. Secundò argumentor. Si vnitas, quæ eſt principium numeri, eſſet quid realiter diſtinctum à re numerata, ne- *2. ratio.*

cessariò esset, quid reale positiuum, tum quia, si esset tantùm negatio, non posset intelligi, quomodò distingueretur realiter, nam cum negatio non habeat in se aliquod esse, neque etiam intelligi potest tanquam extremum distinctionis; tum etiam quia non posset constituere speciem quantitatis, & si non constitueret speciem quantitatis, non esset necesse ponere hanc vnitatem realiter distinctam, cum solùm ob hoc ponatur, vt constituatur species quantitatis. Si ergo importat aliquid reale positiuum, sequeretur, quòd deberet dicere propriam rationem entis determinati, nam illa vnitas esset talis vnitas determinata. Vnde tale ens non solùm esset vnum *vt quo*, sed etiam *vt quod* non secus ac alia entia, quia esset ens habens vnitatem, cum. n. ex genere suo vnitas sit passio entis, quæcunque vnitas seruat rationem passionis, atque adeò facit vnum *vt quod* illud ens, in quo fundatur; & rursus cum ens ex genere suo non sit seipso vnum, sed per suam passionem, neque tale ens erit vnum se ipso, sed per suam passionem, & proinde si vnitas numeralis est distincta à re numerata, concedendum est tale ens, quod sit vnum *vt quod* ex vi illius vnitatis formaliter, & quod sit numerabile, non secus ac alia entia numerabilia. Ex hoc autem sequitur, quòd si vnitas numeralis realiter distinguitur à re numerata, debeat dari processus in infinitum, nam hæc prima vnitas, quæ realiter distinguitur à re numerata, vt modò dicebamus, importat aliquid vnum *vt quod*, nempè tale ens cum sua vnitate, & aliquid numerabile, *vt quod*, vnde ab hoc quoque distinguetur realiter vnitas numeralis, & rursus hæc vnitas erit ens reale, & se habebit eodem modo, ac prior, & importabit aliquid vnum *vt quod*, & proinde ab hoc quoque ente vnitas distinguetur realiter, & sic procedetur in infinitum. Vt igitur vitetur huiusmodi processus in infinitum, concludendum est, vnitatem numeralem non distingui realiter à re numerata.

Processus in infinitũ, si vnitas numeralis distingueretur à re numerata.

III. Tertiò præterea addere possumus. Si vnitas numeralis esset distincta à re numerata, quamuis fortasse non posset realiter separari ab ipsa, posset saltem separari per intellectum. Concipiat ergo rem illam, quæ numeratur absque illa vnitate numerali reatiter ab ipsa distincta; inquiro, an intellectus concipiat rem illam vnam, an verò non concipiat vnam. Hoc secundum dici non potest, quia re vera tunc intellectus concipit esse illius rei indiuisum in seipso, & excludens omnem multitudinem: vnde oportet, vt aliquam habeat vnitatem. Huiusmodi autem vnitas non erit alia, quàm illa, quam exigit ex natura sua, & consequenter vnitas numeralis, & proinde non erit vnitas numeralis realiter distincta; quia nunquam potest absolutè, & per negatiuam præcisionem separari à re vna; licet enim possit concipere ens non numerabile, non explicitè concipiendo eius vnitatem, habebit tamen semper in se ipso suam vnitatem, quæ nunquam ab ipso absolutè tolli poterit. Quod etiam confirmatur, quoniam ens numerabile non exigit, vt tale est, aliam vnitatem, nisi illam, quæ est principium numeri; vnde si non potest ab ipso neque in esse obiectiuo tolli absolutè propria vnitas, iam vnitas, quæ est principium numeri, erit inseparabilis præcisione negatiua à re numerata, & consequenter non erit realiter distincta. Quod etiam ex eo declaratur, quoniam quacunque præcisione facta vnitatis à re numerata, adhuc res illa potest numerari, & componere numerum simul cum alijs, non secus, ac nulla præcisio facta esset, ergo retinet semper vnitatem suam, alioquin non componeret numerum, cum ratione vnitatis componat, & consequenter non est realiter distincta, cum verè non separetur, sed semper remaneat quacunque præcisione facta. Quod insuper declaratur. Quoniam si ponantur tres res numerabiles, & ab ipsis per intellectum præscindatur vnitas illa realiter distincta, & solùm concipiantur res illæ secundùm proprium esse, verè adhuc sunt tres res numero ternario numerabiles, nam & vnaquæque est indiuisa in se, & sunt inter se diuisæ, & si comparentur numero binario, excedunt illum medietate ipsius, si cum nouenario, habent rationem tertiæ partis, & seruant omnes alias proportiones cum cœteris numeris, quas seruat verus numerus ternarius: hoc autem non contingeret, nisi essent vnitates constituentes ve-

3. ratio.

Vnitas numeralis inseparabilis præcisione negatiua à re numerata.

Præciso quocũq. realiter distincto adhuc res numerabiles.

verum numerum; nam non possunt haberi proportiones fundatæ in vero numero, absque vera ratione numeri.

4. ratio.

IV. Quartò prob. ex proportione, quàm seruare debet vnitas, quæ est principium numeri ad vnitatem transcendentalem. Omnis enim vnitas determinata, cum sit talis vnitas, debet eodem modo se habere proportione seruata, ac se habet vnitas communis vt sic, ita vt solùm discrimen situm sit in eo, quòd vnitas determinata dicat determinato modo, quod dicit vnitas vt sic modo indeterminato, ita vt quod repugnat vnitati vt sic, repugnet etiam tali vnitati proportione seruata. Quare cum vnitas transcendentalis sit identificata cum suo principio, vnitas quoq; numeralis idētificari debet cum eo ente, cuius est vnitas. Imo sicuti repugnat vnitati vt sic realiter distingui ab ente, ita etiam repugnabit vnitati, quæ est principium numeri; Si enim poneretur vnitas, quæ est principium numeri realiter distincta à re numerata; tunc etiā vnitas vt sic realiter distingueretur à re vna, quoniam vnitas vt sic imbiberetur in vnitate, quæ est principium numeri, quæ realiter distinguitur. Si autem semel ponitur realiter distincta, dum scilicet est in vnitate numerali; quomodo illi repugnabit realiter distingui? Quòd si quis dicat: Non debere vnitatem numeralem seruare hanc proportionem ad vnitatem transcendentalem, quia non est species illius; facilè reijcitur, quoniam verè numeralis est talis vnitas importans determinationem vnitatis vt sic; non potest autem esse talis vnitas, nisi sit etiam vnitas vt sic; quomodo enim aliquid erit tale determinatè, nisi sit etiam tale simpliciter? Quod insuper confirmatur; nam facta inductione in quolibet genere entium, reperiemus, vnitatem cuiuscunque esse idem cum ipso, ita vt non aliud importet, quàm esse ipsius, quatenus indiuisum in se, & excludens pluralitatem, ergo etiam vnitas, quæ est principium numeri non erit aliud, quàm esse indiuisum entis numerabilis, non autem aliquid realiter distinctum; seruat enim eamdem proportionem cum ente numerabili, quia similiter ens numerabile est radix vnitatis numeralis, quemadmodum cætera entia suarum vnitatum.

Vnitas numeralis seruat proportioné ad vnitaté vt sic.

Quælibet vnitas indistincta a suo ente.

V. Secundò dicendum est. Vnitatem, quæ est principium numeri non aliam esse, quàm indiuidualem rei numeratæ, ita vt præter indiuidualem nō alia ponenda sit, qua res numerata constituat numerum. Hanc conclusionem existimo esse iuxta mentem Arist. qui propterea 3. Metaph. tex. 14. ita docuit: *Numero enim vnum dicere, aut singulare, nil differt, ita enim singulare dicimus, quod vnum numero est;* Et quamuis soleat responderi, vnitatem numeralem non sumi hic rigorosè ab Arist. sed largè pro ea vnitate, quæ contra distinguitur ab vniuersali, & communi hoc facilè reijcitur; nam manifestum est, quòd per ipsum sumitur vnitas numeralis pro indiuiduali, & quòd inter ipsas nullum discrimen ponat, atque nomine vnitatis numeralis intelligat eam, quæ opponitur vniuersali: verùm vnitas numeralis cum omni rigore dicta opponitur vnitati vniuersali, & in indiuiduis solùm reperitur; vnde cum per vnitatem numeralem intelligat Arist. eam, quæ opponitur vniuersali; complectitur etiam numeralem propriè dictam. Deinde si Arist. distingueret inter vnitatem indiuidualem, & numeralem propriè dictam, cum in entibus numeratis reperiatur vnitas indiuidualis; non essent vnum numero ratione vnitatis indiuidualis; sed ratione numeralis; vnde Arist. non rectè dixisset vniuersaliter, *Numero vnum dicere, aut singulare; nihil differre.* Quia maximè differret, nam vnum numero haberetur per vnam vnitatem; singulare verò per aliam. Rursus etiam tex. 1. lib. 10. Metaph. habet *Numero igitur indiuisibile est singulare.* Et hoc docet assignans, quot modis dicatur vnum, nec aliud vnum assignat contradistinctum ab hoc, quod vocat vnum numero, quod sit vnum principians numerum; vnde cum hoc vnum velit esse idem, ac singulare, manifestum sit, quòd non distinguat inter vnitatem indiuidualem, & eam, quæ est principium numeri. Quin de hoc vno numero, quod vult esse idem, ac singulare, subdit tex. 2. quòd sit mensura numeri, quod verum non esset, nisi importaret veram, & rigorosam vnitatem numeralem. Eius verba sunt: *Mensura enim id est, quo quantum cognoscitur: cognoscitur autem quantum, vt quā*

2. concl. Vnitas numeralis eade, ac indiuidualis.

Arist.

tum

tum, aut vno, aut numero, omnis vero numerus vno; quare omne quantum; prout quantum, vno cognoscitur, et quo primo hoc cognoscitur, ipsum vnum, propter quod vnum principium est numeri prout numerus est.

1. ratio. VI. Ratione autē probatur. Quoniam ea est vera, & rigorosa vnitas numeralis, quæ ex se formaliter excludit multitudinem numeralem, & consequenter ipsum numerum, prout dicit multitudinem vnitatum. Vnitas enim, & multitudo ex genere suo opponuntur, ita vt vnitas vt sic excludat multitudinem vt sic, & consequenter talis vnitas talem multitudinem; vnde vnitas numeralis excludet formaliter multitudinem, quæ consurgit ex vnitatibus numeralibus. Quapropter ad cognoscendam vnitatem, quæ est principium numeri, optima via erit, videre, an ex se formaliter excludat numeralem multitudinē, quia si excludet, certum est, quòd erit talis. Vnitas autem indiuidualis, vt modo dicebamus, excludit ex se formaliter pluralitatem numeralem; nam vnitas ista indiuidualis reddit vnum indiuidualiter, ita vt excludat multitudinem vnitatum, & consequenter quemlibet numerum; statim enim ac intelligimus aliquid vnum indiuidualiter, ex vi vnitatis indiuidualis formaliter intelligimus exclusionem multitudinis vnitatum, numeralium. Quod adhuc confirmari potest. Nam vnitas, & multitudo, quando non opponuntur, possunt stare simul in eodem; sic vnitas specifica stat simul cum multitudine indiuiduali, & vnitas generica cum multitudine specifica, & vnitas compositionis cum multitudine partium, opposita vnitati simplicitatis: e contra verò quando priuatiuè se habent, nullo pacto possunt stare simul: vnde non possunt stare simul vnitas indiuidualis, & multitudo indiuidualis; quod enim est vnum indiuidualiter, implicat, quòd sit multiplex indiuidualiter, & eadem inductio in cæteris fieri potest. Quocirca vnitas indiuidualis, aut potest stare cum pluralitate numerali, aut si non potest stare, signum est, quòd formaliter illam excludat, atque adeò sit vera vnitas, quæ est principium numeri. Verùm non posse stare simul cum multitudine numerali adeo euidens est, vt non indigeat probatione, nam statim ac concipimus aliquid esse vnum indiuidualiter, impossibile est, quòd concipiamus illud ipsum importare multitudinem numeralem. Vnde si numero binario superueniat vnitas indiuidualis, quæ faciat vnum indiuidualiter illa duo entia, tollitur ipse numerus. Nec valet, si dicatur, quòd vnitas indiuidualis reperitur in quolibet genere entium, non autem numeralis; quia non agimus modo, in quonam genere entium reperiatur vnitas numeralis, nam de hoc egimus sect. præcedenti: sed contendimus, quòd in ijs entibus, in quibus reperitur numerus, vnitas numeralis non sit alia, quàm indiuidualis.

Occurritur responsioni.

2. ratio. VII. Secundò pro eadem conclusione argumentor. Si sumantur entia numerabilia, vt videlicet tres quantitates, tres homines, & considerentur præcisè cum suis solis vnitatibus indiuidualibus præcisa quacunque alia vnitate saltem per intellectum, verè adhuc conficiunt numerum ternarium, ergo vnitas, quæ est principium numeri, non est alia ab vnitate numerali. Antecedens probatur, quia verè tres illi homines, seu tres illæ quantitates, quatenus considerantur cum sua vnitate indiuiduali, important multitudinē, & collectionem vnitatum, & illæ vnitates sunt verè tres, vnde si applicetur numerus numerans ternarius, verè illi correspondent in ratione numeri numerati, non secus ac quilibet alius numerus ternarius; vnde oportet fateri, quòd conficiant verum numerum ternarium, alioquin quomodo numero ternario numerarentur? Cur enim quæso, vbi non sunt tres vnitates, non potest fieri numeratio numero ternario? certè non alia ratione, nisi quia non adest numerus ternarius numeratus. Si ergo quando non adest numerus ternarius numeratus non potest fieri numeratio numero ternario, certè quando fieri potest, oportet, vt adsit numerus ternarius numeratus, quia quando affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis, atque econtra quando negatio est causa negationis, affirmatio quoque est causa affirmationis. Hinc autem declaratur etiam consequentia. Nam numerus numeratus saluari non po-

Entia numerabilia conficiunt merè ratione vnitatis indiuidualis.

test, nisi concurrant ad ipsius constitutionem principia constituentia: principia autem constitutiua sunt vnitates, quatenus sunt principiũ numeri: quamobrem si ex vi vnitatum indiuidualium præcisè ponitur numerus, oportet vnitates indiuiduales esse illas, quæ sunt principium numeri.

3 ratio. VIII. Tertia ratio addi potest, quæ sanè meo iudicio efficacissima est. Vnitas numeralis, est quædam determinata vnitas; vnde importat rationem talis vnitatis. Cum ergo importet rationem talis vnitatis, necessariò participabit etiam rationem vnitatis vt sic in communi sumpta, quia ratio determinata fundatur in ratione communi; quomodo enim fieri potest, quòd aliquid sit talis vnitas, nisi sit etiã vnitas vt sic? prius enim est, esse vnitatem, quàm talem vnitatem; & rectè concipere possumus vnitatem non cõcipiendo talem vnitatem: non possumus tamen concipere talem vnitatem, nisi etiam concipiamus vnitatem simpliciter, non alia ratione, nisi quia vnitas in cõmuni concurrit ad constituẽdam talem vnitatem tanquam fundamentum, in quo fundatur ratio talis vnitatis. Cum enim ratio determinata vnitatis, sit quoddam complementum vnitatis in communi sumptæ, illam necessariò supponens tanquam primã inchoationem vnitatis, posita tali ratione vnitatis necessariò debet etiam poni vnitas vt sic. Quod rursus declarari potest ex transcendentia vnitatis: vnitas enim vt sic est quid transcendẽs, non secus ac ens, & reperitur vbicunque reperitur ens, cum sit passio adæquata ipsius; Hinc vnitas transcendẽs reperiri debet in vnitate numerali: Ex hoc autem deducitur, quòd vnitas, quę est principium numeri, non sit alia in rebus numeratis, quàm indiuidualis ipsarum; quod sic colligitur, quia non possunt multiplicari vnitates inferiores, nisi etiam multiplicentur superiores, quæ essentialiter in inferioribus imbibuntur, vt per se euidens est: vnde si in rebus numeratis vnitas indiuidualis esset diuersa à numerali, cum ambę sint vnitates inferiores, deberet multiplicari in ipsis vnitas transcendentalis: hæc autem in eodem ente indiuiduo non potest multiplicari, quia sicuti in ipso est vnica tãtùm prima ratio entis, ita etiam est vna tantùm vnitas transcendentalis: cum ergo transcendentalis non multiplicetur, nec etiam erũt distinctæ vnitates numeralis, & indiuidualis. Quod rursus etiam declaratur; cum enim vnitas numeralis, vt talis est, importet rationem determinatiuam vnitatis transcendentalis, ita eam vltimò determinabit, vt in ratione vnitatis non sit amplius determinabilis: vnitas enim numeralis constituit entia numerabilia, atque adeo quælibet vnitatum numeralium est indiuidua, seu facit indiuiduum id, cui tribuitur; non enim vnitas numerabilis est vnitas communis, sed est hæc numero. Verùm vnitas quoque indiuidualis vltimò determinat vnitatem vt sic tanquam vltimũ complementum vnitatis transcẽdentalis, atque ex natura sua vnaquæque ipsarum est hæc numero, ergo vnitas indiuidualis, & numeralis est eadem vnitas, siquidem vtraque seruant eamdem proportionem vltimi determinatiui ad vnitatem transcendentalem. Nec dici potest, quòd sint species oppositæ vnitatis, quia si essent oppositæ non possent in eodem ente reperiri.

Vnitas numeralis est species vnitatis vt sic.

Vnitas transcendens superitur in qualibet vnitate

Confir. IX. Atque insuper valida confirmatio pro eadem ratione desumi potest ex natura contractionis. Contractio enim naturæ superioris ad inferiora fit primò per gradus genericos deinde per specificos, & postea per indiuiduales, & præter hos gradus nullum aliud genus graduum contrahentium reperiri potest: vnde posito generico necessarium est ponere specificum, & posito specifico infimo necesse est ponere indiuidualem, nec specificus per aliquem alium gradum contrahi potest. Huiusmodi ergo ordo in contractione quoque vnitatis transcendentalis seruandus est: vnde omnis gradus vnitatis, quo transcendentalis contrahitur, debet esse aut genericus, aut specificus vltimus, aut indiuidualis. Quapropter cum vnitas, quæ est principium numeri, sit quædam ratio determinata vnitatis contrahens vnitatem transcendentalem, debet necessariò importare aliquem ex his gradibus. Verùm non potest importare genericum, aut specificum, hi enim gradus sunt vnitates naturarum communium, ita vt illis cõueniant, quatenus communes sunt, & præcisè consideratæ; at vnitas, quæ est prin-

Modus contractionis.

Vnitas numeralis nõ importat gradũ vnitatis cõsequentẽ naturam communẽ.

principium numeri, vt talis est, non est vnitas naturæ communis, quia non cōuenit naturæ communi, quatenus cōmunis est, sed conuenit indiuiduis, quatenus indiuidua sunt, quia indiuiduis, vt talia sunt, conuenit numerabilitas, & vt talia sunt veniunt in compositionem numeri; cum autem veniant in compositionem numeri ratione vnitatis numeralis, necesse est, quòd quatenus indiuidua sunt, habeāt vnitatem numeralem. Quod etiam confir. quoniam entia numerata constituunt numerum, quatenus inter se distincta sunt ex natura sua independenter ab intellectu; & consequenter etiam constituunt numerum secūdùm esse, quod habent à parte rei; esse autem, quod habent à parte rei, est esse indiuiduale entitatiuū, vnde etiam similiter distinctio, quam res habent à parte rei, est secundùm esse entitatiuum: & ideo res numeratę secundùm esse entitatiuum, atque adeò secundùm esse indiuiduale concurrunt ad componendum numerum. Et proinde cum vnitas numeralis debeat ipsis conuenire, quatenus componunt numerū, debet conuenire, quatenus indiuidua sunt, ita vt gradus vnitatis numeralis sit proprius indiuiduorum. Vnitas autem, quæ conuenit indiuiduis, quatenus indiuidua sunt, non est alia, quàm vnitas indiuidualis, vnde vnitas numeralis erit eadem, ac indiuidualis; quod pręsertim verum est quia, vt diximus, vnitas numeralis est gradus vnitatis contrahens vnitatem transcendentalem, quæ cōtinet sub se omnes vnitates: pręter autem gradum genericum, & specificum, non datur alius gradus, quàm indiuidualis, & ideo cum vnitas numeralis non importet gradum genericum, aut specificum, vt iā probatum est, importabit gradum indiuidualem.

4. ratio. X. Rursus quartò probatur eadem conclusio ratione ex præcedenti deducta. Cum enim certum sit, vnitatē ex genere suo consequi ens, debet talis vnitas consequi tale ens, vt seruet proportionem ad vnitatem transcendentalem. Ex quo fit, quòd nequeant multiplicari vnitates, quæ sint diuersæ essentialiter, nisi etiam multiplicentur gradus entis, quoniam vnaquæque ipsarum debet habere suam radicem, à qua consequatur, quæ importet aliquā rationem entis proportionatam: & cū ab vnica ratione entis possit esse vnica tantùm vnitas, ideo multiplicatis vnitatibus, debent etiam multiplicari gradus entis. Cæterum in eadem indiuidua entitate non possunt multiplicari gradus entis, nisi inuicem subordinentur, quia quando non subordinantur, incompossibiles sunt in eadem entitate, quia repugnant absque subordinatione vnitati eiusdem. Posita autem hac subordinatione omnes gradus respectu entis transcendentis, in quo tanquam in prima radice realitatis fundantur, se habent veluti contractiui; ita tamen vt etiam inter se eamdem commensurationem determinatiui, & determinabilis seruent: vnde ex ipsis vnus est omnium vniuersalissimus, reliqui verò deficiunt ab hac vniuersalitate paulatim, ita vt quò aliquis magis inferior est, sit eò minus vniuersalis, quoadusque deueniatur ad indiuiduationem. Quamobrem omnes gradus, qui sunt in quauis entitate, aut sunt generici summi, aut generici subalterni, aut specifici infimi, aut indiuiduales: omnes autem inuicem subordinati, ita vt vltimus sit indiuidualis, penultimus specificus infimus, reliqui verò generici. Vnde cum quælibet vnitas debeat consequi aliquem gradum entis, omnes vnitates, quæ sunt in quolibet indiuiduo solùm multiplicari poterunt cum hac subordinatione: & propterea vltimus gradus vnitatis erit vnitas consequens gradum indiuidualem, atque adeo vnitas indiuidualis, reliquæ verò vnitates erunt specificæ, & genericæ, nec aliqua alia vnitas præter istas in indiuiduis admitti potest, cum non habeat gradum entis, ad quem consequatur. Hinc vnitas, quæ est principium numeri, debet necessariò esse aliqua ex his: non potest autem esse vnitas, quæ consequitur gradus genericos, aut specificos, quia hæc non facit indiuidua numerabilia, sed facit vnum genericè, aut specificè cum cæteris indiuiduis: indiuidua autem non sunt numerabilia, prout sunt vnum genericè, aut specificè, sed prout vnumquodque ab alio distinguitur, & proinde ratione illius vnitatis, per quam inuicem distinguuntur. Quare cum per indiuidualem inuicem distinguantur, nec alia adsit præter genericam, & specificam, concludendum est, quòd indiuidualis

Multiplicata vnitate, debet multiplicari rō entis.

Omnes vnitates in quolibet indiuiduo inuicē subordinantur.

Quæ vnitas faciat indiuidua numerabilia.

sit vnitas, quæ est principium numeri. Nec dici potest, quod ad esse indiuidnale consequatur etiam vnitas numeralis præter indiuidualem, quia cum sit vnicus tantùm gradus entis, potest solùm, vt dictum est, originare vnicam vnitatem.

XI. Quod etiam confirmari potest. Quoniam vnitas numeralis, quemadmodum etiam quælibet alia vnitas, vt modo dicebamus, debet radicari, in tali ratione entis, cui per se primò tanquam propria passio conueniat. Verùm ratio talis entis, in qua radicatur vnitas, quæ est principium numeri, respectu entis transcendentis est ratio contractiua; vnde cum vnitas, quæ originatur, debeat seruare respectu vnitatis transcendentalis vt sic eamdem proportionem, quam seruat tale ens ad ens vt sic, oportet, vt importet aliquam rationem determinatiuam vnitatis vt sic proportionatam enti, in quo radicatur. Hinc autem sequitur, quòd cum non habeatur vnitas, quæ sit principium nnmeri, quandiù sistitur in vnitate generica, & specifica, quia hæ sunt vnitates naturæ communis, nec ponunt inter res numeratas discretionem, ratione cuius consurgit numerus, sed connenientiam, & vnitatem, necessariò concedendum sit, indiuidualem vnitatem esse illam, quæ est principium numeri, cum non remaneat aliqua alia vnitas, quæ consequatur ad determinatum gradum entis, & contrahat vnitatem transcendentalem, ad determinatam speciem vnitatis.

Confir. | Vnitas numeralis conse quitur tale ens, & contrahit transcend. vt sic.

XII. Denique in confirmationem nostræ conclusionis addere possumus. Quòd vnitas indiuidualis habet eamdem essentiam, quæ tribui solet vnitati, quæ est principium numeri, & proinde non est distinguendnm inter has duas vnitates. Hoc autem sic declaratur. Quoniam essentia vnitatis, quæ est principium numeri, vel collocatur in eo, quòd sit mensura numeri, vel in aliquo alio, ita tamen, vt Esse mensuram numeri sit passio talis vnitatis. Vtroque autem modo res se habeat, si vnitas indiuidualis est mensura numeri, certum est, quòd participat rationem formalem constitutiuam vnitatis nnmeralis, nam etiam si esse mensuram numeri ponatur passio, dum participat passionem, participat etiam essentiam, à qua pronenit passio. Vnitas autem indiuidualis, vt talis est, potest mensurare numerum, nam vnitas, quæ est principium numeri in tantum potest mensurare numerum, in quantum est illud vltimum indiuisibile, in quod resolui potest numerus, ita vt per suimet repetitionem, & applicationem possit adæquare totum numerum, & ducere nos in cognitionem ipsius. Mensura enim vt ait Arist. 10. Metaphys. tex. 2. est *Id, quò quantum cognoscitur*. Hoc autem totum competit vnitati indiuiduali: si enim numerus resoluatur in indiuiduales vnitates, quælibet ipsarum est illud vltimum indiuisibile, in quod resolui potest numerus; & si procedamus compositiuo modo, vnitas indiuidualis erit illud primum, ex quo principiabitur numerus, ita vt non possit principiari ex aliquo magis primo, & ea posita statim principietur. Rursus potest adhiberi pro mensura numeri: si enim sumo vnum hominem indiuiduum, atque applicem, quatenus indiuiduum est, numero ternario hominum, atque ter repetam, mensurabitur numerus ille ternarius, & deueniemus in cognitionem, quòd ille numerus sit talis numerus, nempe ternarius. Quod etiam ex eo patet, quoniam in nnmero non potest dari aliquid magis indiuisibile vnitate indiuiduali, vnde quantum est ex hoc capite apta est, vt mensuret: rursus comparata cum qualibet vnitate, qua numerus componitur, illam omnino adæquat, ergo non ei deficit aliquid, quin possit esse mensura.

2. ratio. | Vnitas indiuidualis est mensura numeri.

XIII. Tertiò concludendum est. Rationem mensuræ, quæ conuenit vnitati, quæ est principinm numeri, non pertinere ad formale constitutiuum ipsius, sed esse passionem consequentem talem vnitatem, quatenus est pars componens numerum. Hoc autem facilè probatur ex conceptu, quem de vnitate formamus, atque de mensura numeri. non enim vnum, atque eumdem conceptum formamus, sed diuersum: nam qnando concipimus vnitatem, quę est principiū numeri, concipimus aliquā indiuisionē, ratione cuius res constituitur in tali esse,

3. concl. Rō mensuræ est passio vnitatis numeralis.

esse; vt possit esse pars componens numerum: quando verò concipimus rationem mensuræ, concipimus aliquid ordinatum, non ad componendum numerum, sed ad ipsum manifestandum, siquidem, cum mensura sit *Id, quo quantum cognoscitur*, vt in numero præcedenti retulimus ex Arist. mensura numeri erit illa, quo numerus cognoscetur, atque adeo ex formali sua ratione erit ordinata ad manifestandum numerum. Quis autem non euidet, quòd formaliter loquendo, aliud est indiuisio, & ordinari ad componendum numerum, vt pars intrinseca constitutiua, & aliud ordinari ad manifestandum numerum iam constitutum? Quòd, quando concipimus vnitatem numeralem, concipiamus aliquam indiuisionem, manifestè patet, quoniam hæc vnitas debet proportionaliter dicere, nempe determinato modo, quod dicit vnitas vt sic modo indeterminato: cum ergo vnitas vt sic dicat indiuisionem vt sic, talis vnitas dicet talem indiuisionem, seu indiuisionem secundùm tale esse. Constat ergo, non posse rationem mensuræ esse formale constitutiuum vnitatis, quæ est principium numeri.

Alia ratio formalis vnitatis numeralis, & alia mensuræ numeri.

XIV. Et hinc elicitur confirmatio eiusdem argumenti. Nam quotiescunque plures conceptus per se alicui conueniunt, ille pro essentia constituendus est, qui est primus ex ijs, qui omnino proprij sunt: sic quia homini conueniunt plures conceptus proprij, nempe rationalitas, discursiuitas, visibilitas, sola rationalitas constituitur pro essentiali ratione, quia ipsa est primus conceptus, qui sit proprius solius hominis, cæteri verò constituuntur pro passionibus, quia in primo radicantur. Cum ergo in vnitate, quæ est principium numeri, duo conceptus distinguantur, nempe quòd talis res tanquam pars indiuisa veniat in constitutionem numeri, & quòd rursus sit mensura numeri constituti, ille constituendus est pro essentia vnitatis numeralis, qui primò illi conuenit, qui verò conuenit ratione alterius, debet constitui pro passione: esse autem partem indiuisam constitutiuam numeri, prius conuenit vnitati numerali, quàm esse mensuram, quod ex eo patet, quia optimè possumus concipere, vnitatem esse partem constitutiuam numeri præscindendo ab eo, quòd sit mensura: e contra verò non possumus concipere esse mensuram numeri, nisi concipiamus, aut supponamus, esse partem constitutiuam illius, quia ex eo est mensura, quia est pars indiuisibilis ipsius; quare valet regula prioritatis, & posterioritatis; quia scilicet à ratione mensuræ ad rationem partis indiuisibilis numeri valet consequentia secundùm subsistendi consequentiam, non autem e contra, nam posita in esse obiectiuo ratione partis constituentis numerum non ponitur præcisè ratio mensuræ; posita verò ratione mensuræ ponitur pars numeri; & ideo ratio mensuræ posterior est, atque adeo passio vnitatis, quæ est principium numeri.

Quinam conceptus pro essentia constituendus.

Ratio mensuræ posterior vnitate numerali.

XV. Secundò probatur. Vnitas numeralis, cum sit principium intrinsecum numeri, est prior natura ipsomet numero, quia omne constitutiuum est prius natura suo constituto eo, quòd respectu ipsius exercet rationem causæ intrinsecæ. Atque sicuti constituit numerum secundùm rationem formalem vnitatis numeralis, ita etiam secundùm eamdem rationem est prior natura ipso numero. E contra verò ratio mensuræ non est prior natura ipso numero, sed in eodem signo, in quo intelligitur ratio mensuræ, debet etiam intelligi ipsemet numerus; mensura enim numeri ordinatur ad ipsum numerum, vnde est essentialiter quid relatiuum, & terminus huius relationis est numerus: relatio autem non potest esse prior natura termino, quia non potest consistere, nec intelligi constituta in suo esse, nisi etiam intelligatur terminus est enim constituta in suo esse in ordine ad ipsum; & proinde non erit prior ipso termino. Cum ergo vnitas numeralis sit prior numero, ratio verò mensuræ non sit prior, manifestum fit, non posse vnitatem numeralem formaliter constitui per rationem mensuræ, sed ratio mensuræ erit passio consequens vnitatem numeralem, quæ est vnitas indiuidualis, vt diximus, de cuius formali constitutiuo in superioribus dictum est.

a. ratio.

Vnitas numeralis prior numero, non autem ratio mensuræ.

Deducuntur nonnulla Corollaria.

SECTIO IV.

Primum corollarium.

I. Ex hucusq; dictis deducere possumus nonnulla corollaria, quæ magis præsentem materiam illustrabunt. Colligitur ergo primò, ex eo quòd vnitas numeralis sit apta ad constituendum numerum, ita vt de suo formali importet hanc aptitudinem, non rectè inferri, quòd distinguatur ab vnitate indiuiduali cuiuscunq; entis, seu transcendentali determinata ad esse indiuiduale: licet enim vnitas indiuidualis præcisè importare videatur esse indiuisum cuiuscunq; entis, hoc ipso tamē formaliter, quòd dicit hoc esse indiuisum, constituitur apta, vt sit principium intrinsecum numeri; non enim est quodcunque principium, sed tale principium, atq; ex vi vnitatis formaliter, quia componit numerum (numerus enim componitur ex vnitatibus, vt tales sunt), importat ratione talis principij: & ideo, cum vnitas dicat formaliter indiuisionē, ratione indiuisionis formaliter habet, quòd sit principium, & pars numeri, atq; aptitudo, qua sit apta ad componendum numerum, consistit in ipsa indiuisione. Cum autem instatur, quòd ratione indiuisionis in seipsa res ab alia diuiditur, & diuisio formaliter dicit recessum, vnitas verò numeralis dicit accessum, quia debent vnitates componentes numerum inter se accedere. Respondetur, quòd vna vnitas recedit quidem ab alia per diuisionem, & hic recessus importat non communicationem in eodem esse: verùm hoc ipso, quòd hoc pacto recedit, habet, vt possit accedere ad aliam componendo numerum, quia non accedit per accessum oppositum, nempe per communicationem in eodem esse, sed alio accessu, nimirum per collectionem partium discretarum, qui quidem accessus in actu primo dicit indiuisionem in se ipso & diuisionem ab eo, ad quod accedit, vt pars discreta. Vnde malè constituitur vnitas numeralis, vt volebat Auersa, tanquam passio entis distincta ab vnitate indiuiduali, cum non adsit ratio distinguendi, nec adsit gradus entis, à quo tanquam distincta originari possit, vt iam patet ex dictis sect. præcedenti.

Idē formaliter importat vnitas indiuidualis, & vnitas numeralis.

Corollarium secundum.

II. Colligitur secundò, quam rectè philosophetur Soncin. citata q. 25. lib. 5. Metaph, dum in responsione ad 2. concedit, vnitatem numeralem includere in se vnitatem transcendentem, quæ per ipsum est quid priuatiuum, & vult, vnitatem numeralem superaddere aliquid positiuum, ita vt coalescat ex negatiuo, & positiuo. Hoc enim omninò impossibile est, quia non potest aliquid coalescere ex negatiuo, & positiuo; statim enim ac aliquid positiuum est, secundùm se totum est positiuum, quia nulla negatio concurrere potest ad constituendum positiuum, ita vt sit ipsi intrinseca. Deinde si vnitas transcendentalis poni tur tanquā aliquid negatiuum, quælibet vnitas debet esse aliquid negatiuū, quia vnitas vt sic est inchoatio cuiusq; vnitatis, & complemētum debet esse eiusdē ordinis, ac inchoamentū, & contractio ad esse tale debet fieri proportionato modo ad rationem communē, ita vt sit in eadē serie prædicamentali, seu eodē ordine; vnde nec positiuū contrahi potest per negatiuum, nec negatiuū per positiuum, quia non habent proportionē necessariam adinuicem. Accedit etiā, quod negatiuū prædicaretur de positiuo, quia vnitas vt sic prædicatur de tali vnitate.

Vnitas numeralis non coalescit ex negatiua ratione superiori, & positiua inferiori.

Tertium corollarium.

III. Tertiò deducitur; quid dicendum de doctrina eiusdem Soncin. citati in responsione ad 5. Qui asserit, vnitatem numeralem superaddere quantitati entitatem positiuam; vnde cum duæ aquæ vniuntur, consurgit noua entitas vnitatis, sicut consurgit noua substantia aquæ, nempe illa totalis aqua: & similiter, cum diuiditur continuum, consurgit in qualibet parte diuisa similis entitas. Quòd si inquiras, quid sit hæc entitas, respondet, esse accidens. Capr. verò in 1 dist. 23. quæs. vnica in explicatione 1. conclus. ait, quòd in quantitate duo sunt distinguenda, nēpe forma continuitatis, & esse, quod quantitas dat subiecto: atque vnitatem consistere in hoc esse positiuo, quod quantitas dat subiecto. Hæc enim doctrina nullo pacto subsistere potest; nō enim nomine entitatis positiuæ superadditæ intelligi potest entitas realiter distincta, nā in prima cōclusione præcedent. sectione ostendimus, quomodo vnitas numeralis nō possit realiter distingui à re numerabili: & specialiter addi potest, quoniam si est superaddita quantitati, omnino superflua esset, quia illa præcisa ad huc

Expenditur doctrina Soncin. & Capr.

huc quantitas est vna vnitate sibi intrinseca, & est vna quantitatiuo modo, quia illa vnitas est vnitas quantitatis. Nec satis percipio, quomodo quantitas det esse subiecto aliquod esse à seipsa distinctum, quia dat tantùm esse in genere causæ formalis, & proinde non dat esse à seipsa realiter distinctum, nam effectus formalis non distinguitur à causa formali. Et magis imperceptibile est, quòd ex vnione, & separatione partium in continuo consurgant, & pereant nouæ entitates vnitatis. Cum enim vnitas ex genere suo sit passio entis, non potest variari, nisi varietur ens; in diuisione autem, aut vnione partium continui non variatur esse ipsarum, sed semper sicuti retinent eamdem existentiam, ita etiam retinent idem esse entitatiuum, quia licet non ponantur formaliter in continuo, sed solùm virtualiter, hoc tamen non facit vt pereat, aut de nouo ponatur esse ipsorum, sed solùm quòd sint vel distinctæ actu, vel indistinctæ; fieri enim potest, quòd idem esse modo sit distinctum, modo indistinctum ab alio: vnde partes semper actu ponuntur in continuo secundùm esse materiale entitatiuum. Si verò ponatur tantùm hoc reale positiuum vnitatis ratione distinctum, tunc sequitur, quòd non sit aliud, quàm vnitas rei numeratæ, atque adeo erit vnitas indiuidualis, quia eadem res non potest habere plures vnitates, cum vna sola sufficiat, vt habeat esse indiuisum, & aliæ superfluæ sint.

IV. Denique colligitur, quomodo intelligendus Arist. cum 10. Metaph. tex. 2. ait, quòd vni conuenit ratio mensuræ, atque principaliter conuenit illi vnitati, quæ est principium numeri, à qua postea deriuatur ad cœtera genera, quia *Primum in vnoquoque genere est mensura cœterorum*. Hinc enim colligitur cum Soncin. 10. Metaph. quæst. 13. quòd ponat vnitatem numericam in vno tantùm genere, nempe quantitatis: verùm genus quantitatis discretæ extenditur ad omnia alia genera entium, quatenus habent vnitatem: vnde vnitas numeralis semper reperitur in omnibus generibus, non quatenus diuersa genera sunt, sed quatenus ad idem genus reducuntur. Hinc numerus nunquam est omnino separatus à materia, quia semper inuoluit intelligibilem, nempe quantitatem, etiam si sit in substantiis abstractis à materia, quæ abstrahunt tantùm à materia, quatenus consideratur secundùm esse, quia non dicunt neq; materiam sensibilem, neque intelligibilem in suo esse, si tamen colligantur in vnum numerum, dicēt materiā intelligibilem discretam, & proinde rectè Arist. docuit 3. Phys. tex. 41. Numerum non esse abstractum. Atque hæc de indiuiduatione.

Qua tò corollarium. Arist. illustratus

DE IDENTITATIBVS, ET DISTINCTIONIBVS.

EXPEDITIS ijs, quæ ad vnitatem spectabant, Identitatem, & Distinctionem aggrediemur. Identitas enim valde affinis est vnitati, imo ferè cum ipsa coincidit tanquam species quædam vnitatis. Est enim identitas, vt docet Arist. 5. Metaph. tex. 16. *Vnitas quædam*; importat enim rationem quamdam vnitatis, & aliquid insuper dicit, ratione cuius ab vnitate præcisè sumpta distinguitur. Vnde sicuti vnitas duplex est, alia Per se, & alia Per accidens, ita similiter etiam identitas alia est Per se, alia Per accidens, vt ibid. docet Arist. Distinctio autem sumitur hic, prout opponitur identitati, quæ ab Arist. loco citato vocatur Diuersitas; quia sicuti identitas est vnitas essentiæ propriè loquendo, vt habetur ex Arist. modo citato: ita distinctio opposita identitati, cum sit similiter secundùm essentiam, propriè est diuersitas, & non pura distinctio. Nihilominus tamen sumitur identitas amplè, quamuis non sit secundùm essentiam, vnde de quocunque indiuiduo dicitur, quod ratione esse indiuidualis sit idem sibi ipsi; & similiter distinctio amplè sumitur, quamuis non sit secundùm essentiam. In præsenti ergo naturam identitatis, atque distinctionis declarabimus, & varias earumdem species. Non separamus autem distinctionem ab identitate, quia vna per aliam cognoscitur, præsertim quando agitur de diuersis speciebus earumdem.

De natura Identitatis, & Distinctionis. Disp. XLVII.

Quid sit Identitas.

SECTIO I.

I. Identitas, & distinctio sunt veluti quędam formæ, quibus constituuntur hæc duo concreta nimirū *Idem*, & *Diuersum*, quod magis propriè *Distinctum* diceretur; quod ideo addidi, quia in diuinis ponitur quidem distinctio personarum, non tamen diuersitas: non enim in diuinis *Diuersum*, aut *Aliud* reperitur; & solùm potest adiectiuum *Aliud* usurpari, quando sumitur purè personaliter: tunc enim rectè, & sine præiudicio mysterij vsurpatur; habetur enim in Symbolo D. Athanas. *Alia enim est persona patris, alia filij, & alia Spiritus sancti*. Hæc autem concreta quocunque nomine appellentur sequuntur naturam vnitatis, & multitudinis: & sicuti vnum, & multiplex ita opponuntur, vt se inuicem destruant, siue priuatiuo, siue contradictorio modo; ita etiam *Idem* & *Aliud*, seu *Diuersum*, prout diuersum, importat solam alietatem extremorum. Quod etiam docuit Aris. 10. Metaph. tex. 9. atque adæquant totam latitudinem entis, sicuti vnum, & multiplex, vt colligitur ibidem. Cum enim quod dicit vnum, neget alterum, inuoluunt aliquam cōtradictionem, ratione cuius necesse est, alterum ipsorum inesse. Hæc tamen adæquatio intelligi debet sicuti intellecta fuit de vnitate, & multitudine; quòd nimirum quodlibet ens seorsim sumptum habeat suam identitatem, comparatum verò ad alia habeat vel identitatem aliquā, vel distinctionem. De hac ergo identitate & distinctione videndum est, quid sint, & in quo formaliter consistant.

Concreta Idem & Diuersum, quo modo se habeant in diuinis.

D. Ath.

II. Pro resolutione autē huius difficultatis statuendum est. Identitatem dicere aliquid positiuum. Hoc autem se- 1. concl.

Identitas dicit aliquid positiuum.

sequitur ex dictis de vnitate, cum enim vnitas dicat aliquid positiuum, vt supra suo loco ostensum est, identitas quoque dicet aliquid positiuum, cum sit quædã vnitas. Rationes autem, quibus probatum fuit, vnitatem dicere aliquid positiuum, possunt cum proportione applicari præsenti materiæ, quia æquè conuincunt, identitatẽ esse aliquid positiuum, quas modo non est necesse repetere, cum ibi videri possint. Potest nihilominus hoc ipsum confirmari speciali ratione desumpta ex natura identitatis; nam identitas dicit vnitatem alicuius esse, ideo enim dicitur identitas, quia est constitutiua *vt quo* vnius, & simplicis esse, vnde formaliter dicit ipsum esse, quatenus vnum in se, quòd autem sit vnum, est aliquid positiuum in ipso, cum sit ipsum esse tali pacto affectum, hoc est quatenus à se excludit distinctionem, quam non per aliquid à se distinctum excludit, aut per negationem, sed per proprium esse formaliter. Accedit etiam, quòd per illud ipsum ens constituitur idem, per quod constituitur in esse, & per quod constituitur diuersum ab alio, ita vt præciso quocunque alio concipiatur idem, vel distinctum, ergo cum ex vi proprij esse habeat identitatem, erit etiam idem per aliquid positiuum.

2. concl.

III. Secundò dicendum est, identitatem formaliter dicere aliquam rationem simplicitatis, & connotare aliqua, seu extrema, quæ ex vi illius rationis, seu simplicitatis in idem esse simplex coalescant. Desumitur tota hæc doctrina ex Arist. supracitato tex. 16. lib. 5. Metaph. vbi hæc habet, *Quare patet, quòd identitas vnitas quadam essentię est, aut plurium, aut cum vt pluribus vtatur, vt puta cum dicit, ipsum sibi ipsi idem, vt duobus enim ipso vtitur*: Ecce ergo, quomodo ad identitatẽ requirit pluralitatẽ eorũ, quæ in vnum esse coalescunt, dum ait, vt aliquid sit sibi ipsi idem, debere vt multiplex adhiberi. Hoc ipsum autem docent etiam Alexand. & D. Thom. loco citato, vbi Alex. tex. explicans ait. *Qui enim aliquid sibi idem esse ait, is vno vtitur, quasi duo sint*. Et ratio à priori reddi potest: quia identitas ex vi rationis formalis identitatis cogit in vnum esse tanquam ratio formalis, sicuti enim vnio facit vnum esse componendo, ita identitas facit vnum esse identificando; ergo vt exerceat suã formalem rationem identitatis, debet cogere aliqua in idem esse. Et confir. Identitas opponitur distinctioni, ergo sicuti distinctio dicit multiplex esse separatum, quorum vnum sit extra aliud, ita identitas ex opposito debet dicere multiplex esse in idem esse simplex coalescens. Confirmatur secundò ex modo loquendi; nam quæ dicuntur distingui formaliter, dicuntur identificari, quia plures formalitates ratione vnius entitatis fiunt vnum simplex esse physicũ; rursum etiã idẽ dicitur identificari sibi ipsi, vnde, vt ait Arist., vtimur vnico simplici esse, vt pluribus ad explicandam identitatem, ergo ad identitatem formaliter requiritur aliqua multiplicitas in vnum esse coalescens.

In quo cõsistat formalis rõ identitatis

IV. Ex dictis autem colligitur, in quo differat identitas ab vnitate præcisè sumpta. Vnitas enim de suo formali importat esse rei, quatenus excludens diuisionem à se, connotat negationem illius in seipso, vt supra suo loco explicatum est. Identitas verò dicit quidem eãdem vnitatem, sed prout est ratio coadunans plura in vnum esse. Præterea cùm identitas sit ratio quędã constituens vnicum esse, cogendo in simplicitatem eiusdem esse, quę plura sunt, sequitur, quòd duplex sit identitas; alia, qua aliquid est idem sibi ipsi, in qua vtimur vno tanquã pluribus, & vocari potest *Identitas absoluta*, vt vocatur à Scoto, quemadmodum referunt Heru. quodlib. 4. quæst. 2. & Soncin. 10. Metaph. quæs. 5. Alia verò est identitas, qua plura sunt idem inter se ratione alicuius rationis communis, sicuti Paulus, & Ioãnes sunt idẽm in natura cõmuni, & vocari potest *Identitas relatiua*, quãuis accipiatur in alio sensu ab eo, in quo accepta fuit à Scoto. Dicitur autem relatiua, quia est ad aliud, quoniã vnum esse cum alio identificatur. Differunt autem hæ duæ identitates, quòd prima nullam connotat distinctionem realẽ, sed tantùm rationis, qua vtimur vt pluribus, quod est vnum, vnde inuoluit aliquid rationis, imo etiam secundùm rationem est respectiua ea relatione, qua idem refertur ad seipsum; dicitur tamen absoluta, quia hæc relatio est merè rationis. Secunda verò con-

In quo identitas differat ab vnitate.

Idẽtitas absoluta & relatiua. Scot. Heru. Soncin.

Discrimẽ inter identitatẽ relatiuã, & absolutam

notat distinctionem realem eorum, quæ sunt idem; vnde dicitur relatiua, quatenus vnum est idem, non cum se ipso, sed cum alio.

Heru. Soncin. Iauel. V. Rursus colligitur cum Heru. quodlib. 4. quæst. 2. Soncin. 10 Metaph. quæst. 5. Iauel. ibid. quæst. 7. Non rectè Scotum procedere, dum distinguit duplicem Identitatem alteram *Absolutam*, & alteram *Relatiuam*, & ponit tanquam realiter distinctas. Vocat autem identitatem absolutam, sicuti nos diximus, illam, qua aliquid est idem sibi ipsi; Relatiuam verò diuerso modo explicat, nam vult, esse illã, qua tollitur distinctio cuiuscunque, quod non est quid distinctũ ab eo, quod habet hanc identitatem. Quomodo e pli canda identitas relatiua. Et talem identitatem habent rationes superiores, & inferiores, & etiam ipsũ subiectum, & propria passio, in quo differt à modo, quo nos eam explicauimus. Scotus enim ponit sine distinctione reali hanc identitatem, nos verò cum distinctione reali eorum, quæ idem sunt: & hæc identitas est tantùm in aliqua ratione communi: per Scotũ verò debet esse etiã in esse entitatiuo. Quod autem in sensu, quo accipitur à Scoto non sit identitas distincta ab absoluta realiter, facilè suadetur. An identitas re. latiua di. stingua tur abs. luta. Identitas enim absoluta est illa, qua aliquid est idem sibi ipsi, sed relatiua continetur in hac identitate, ergo non potest esse realiter diuersa, Min. prob. quoniam homo est idem sibi ipsi, & in hac etiam identitate inuoluitur identitas, qua homo est idem animali, aut econtra, qua animal est idem homini, quæ per Scotum est identitas relatiua: Confirmatur. Si identitas relatiua esset realiter diuersa ab identitate absoluta, deberet esse in re, quæ esset realiter diuersa ab ea, quæ dicit identitatem absolutam, alioquin si esset in eadem re, cũ identitas non sit quid distinctum ab ipsa re, non esset realiter diuersa, sed non est in re realiter diuersa, ergo neque est realiter distincta. Minor est certa, quia identitas absoluta, qua forma v. g: est eadem sibi ipsi, est in ipsa forma: rursus etiam identitas relatiua, qua talis ratio formæ est eadem formæ vtsic, est etiam in ipsa forma.

Ad ratio nes Scot. VI. Hinc rationes, quas pro sua sententia adducit Scot. facilè soluuntur. Cùm enim ait, quòd prius distinguitur à posteriori, quiã potest esse sine illo, & cõsequenter quod identitas absoluta sit distincta à relatiua, quia est prior ipsa. Respondetur eo pacto, quo aliquid est prius, esse etiam distinctum à pòsteriori, quamuis ex alio capite fieri possit, quòd nequeat esse sine illo: vnde si aliquid est prius ratione, erit etiam distinctum ratione: si verò sit prius realiter, erit distinctum realiter. Prioritas, & distinctio proportionatur. Identitas ergo absoluta, & identitas relatiua, si comparentur inter se respectu eiusdem, vt identitas absoluta, qua homo est idem sibi ipsi, & respectiua, qua est idem cum animali, absoluta est prior relatiua prioritate tãtùm rationis, non verò reali, ideo neque realiter distinctæ sunt. sic etiam cum inquit, quòd vna continet conuertibilitatem, nõ vera altera; absoluta enim conuertibilis, quia idem prædicatur de se ipso conuertibiliter, quam conuertibilitatem non dicit idẽtitas respectiua, quia licet homo sit animal, non tamen econtra animal est homo. Respondetur, sufficere distinctionem rationis, qua ita distinguuntur huiusmodi identitates, vt vna, quæ non est conuertibilis vtatur extremis distinctis ratione cum fundamento in re; altera verò repetat idem extremum, & quod est vnum, vtatur tanquam pluribus.

VII. Denique aduertere oportet. Quòd quotiescunque vnum est idem cum altero, etiam prædicatur in recto de ipso in eo sensu, in quo adest identitas: vnde si identitas est secundùm esse entitatiuum, prędicatio est in sensu idẽtico, si secundùm esse formale, prædicatio est in sensu formali. Identitas proportionatã prædica tione in recto. Et ratio reddi potest, quia identitas cogit in vnum esse: cum ergo prædicatio in recto etiã in abstracto nõ requirat aliud, nisi quòd prædicatum includatur in subiecto in eo sensu, in quo effertur, sufficit pro hoc ipsa met identitas. Ex quo colligitur, non rectè Scot., vt refert Iauel. citat., concedere, passionem esse idem cum subiecto identitate relatiua, & postea negare, falsam esse istam propositionem. Passio est subiectũ, si enim passio est identificata cum subiecto, vera est propositio in sensu identico. Hęc autem omnia, quæ dicta sunt, debent intelligi de identitate vt sic, quæ postea prout descendit ad varias species, varias etiam rationes induit seruata tamẽ proportione: hinc relatiua identitas, si

sit

sit secundùm substantiam, dicitur vnitas essentialis; si secundùm qualitatem, dicitur similitudo; si secundùm quantitatem, dicitur æqualitas, & alias denominationes desumit, prout in varijs subiectis reperitur.

Quid sit distinctio, & an aliquid positiuum.

SECTIO II.

I. IDentitati opponitur distinctio tanquam destructiuum ipsius; distinctio enim tollit omnino identitatem, & de hac inquirimus, quid sit, & in quo formaliter consistat; & an dicat aliquid positiuum. In hac autem difficultate certum est, quòd distinctio non sit aliqua res, vel modus superadditus rebus, sed res ipsæ, seipsis distinguuntur inuicem absque aliquo superaddito. Si enim per aliquẽ modum distinguerẽtur, inquiro de illo modo, an sit quid distinctum ab ipsis rebus, an non. Si est quid distinctum, rursus inquirendum est, per quid res ab ipso modo distinguantur, & sic aut deueniendũ est ad aliquid, quod seipso distinguatur, aut procedendum in infinitum; quòd si semel conceditur, aliquid seipso distingui, cur non omnia per suum esse distinguentur? Si autem iste modus non est quid distinctum, ergo res adhuc seipsis distinguũtur. Vnde D. Th. in 1. dist. 26. q. 2. ar. 2. ait, Res, quæ distinguuntur, habere ex se aliquã rationem, per quam distinguantur. Et ratio à priori etiam reddi potest, quia res quælibet ex vi sui esse habet, quòd non communicet cum esse alterius, & eo ipso, quòd non communicat, distinguitur, vnde sicuti per suum esse non communicat, ita per suum esse distinguitur. Hinc ergo oritur difficultas, an distinctio sit aliquid positiuum, an verò negatiuum.

Res per seipsas distinguuntur — *D. Th.*

II. Achillinus lib. de Distin. cap. 26. ar. 3. asserit; Distinctionem importare aliquid positiuum: imo addit esse aliquam relationem sensibilem; quia sensus cognoscit differentias rerum sẽsibilium, quod tamen intelligi debet de aliquibus tantùm distinctionibus, non verò de omnibus. Præterea cum res omnes per suum esse distinguantur, videtur distinctio consistere in aliquo positiuo, quia consistit in esse ipsarum rerum, quæ distinguuntur. Vnde Ochã. in 2. dist. 2. quæst. 2. docet, distinctionẽ esse duas res, seu duo extrema distincta. Sed nisi aliud addatur, nimis materialiter explicatur distinctio, imo potius explicantur res, quæ distinguuntur, non verò ipsa distinctio.

Opinio Achillini. — *Opinio Ocham*

III. Vt ergo explicemus, quid in hac re nobis dicendum videatur, Sciendum est, dupliciter posse considerari distinctionem, fundamentaliter, & formaliter, fundamentaliter dicit id, in quo fundatur distinctio, seu ipsam rationem formalem distinguendi: formaliter dicit rationem illam, per quam tollitur identitas. Hinc dicendum est. Distinctionem formaliter esse quid negatiuum, & consistere in ablatione idẽtitatis: cũ enim idẽtitas sit ratio positiua reducẽs aliqua in vnũ esse, distinctio econtra debet esse negatio illius rationis, ex cuius ablatione remanent res distinctæ, quæ ex vi illius reducerentur in vnum esse. Et ratio reddi potest, quia identitas, & distinctio ita opponuntur, vt se inuicem destruant, stante enim identitate nullo pacto cõcipi potest distinctio, & econtra stante distinctione nullo pacto potest concipi idẽtitas inter ea, quæ distincta sunt, cum ergo per distinctionem debeat tolli idẽtitas, & ex negatione identitatis absque aliquo alio concipiatur distinctio, sequitur, distinctionem esse aliquid negatiuũ consistens in ablatione identitatis.

In quo formaliter consistat distinctio.

IV. Quod autem spectat ad rationem fundamentalem distinctionis, seu ad formale distinctiuum, quod est ratio, cur aliquid distinguatur ab alio, hoc necessariò debet esse aliquid positiuum; tum quia omnis negatio debet fundari in tali re, sic negatio dependentiæ fundatur in natura illius rei, quæ non dependet. Tum etiam quia hoc formale distinctiuũ est ratio formalis, per quàm vna res non communicat in esse cum alia, quod nihil aliud est, nisi esse limitatum rei, quatenus ex vi limitationis excludit à se esse alterius rei. Hinc est etiam illud axioma, quod cõstitutiuum est etiã distinctum, & econtra: quia res habet formaliter per suũmet esse, quòd inuicem distinguãtur tanquam per rationem formalem distinguendi. Præterea per eamdem rationem res constituuntur distinctę à cæteris per quam sunt indiuisæ in se, & habentes vni-

Formale distinctiuum.

ta-

tatem, sed per proprium esse positiuum res constituuntur indiuisæ in se, vt supra suo loco probatum fuit, ergo per idem esse constituuntur etiam diuisæ à cæteris. Maior est certa, quia ad indiuisionem rei in seipsa consequitur diuisio à quocunque alio, quod non est res ipsa. Hinc vnum definitur, quod est *Indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio*.

Quid re quiratur ad distinctionem formalē.

V. Verùm quia distinctio non est vnius rei tantùm, sed pluriū, nihil enim distinguitur à seipso, ideo licet formale distinctiuum sit in quacunque re; non tamen, de se est sufficiens ad fundandā distinctionem formalem, prout dicit negationem identitatis, sed requirūtur ad summum duæ rationes distinguendi, quæ insint duobus extremis: sicuti enim ad vnionem requiruntur duo extrema, quæ vniantur, itaut sine ipsis nō possint intelligi vnio; imo etiam ad idētitatem requiruntur plura, aut aliquid vnum, quod per repetitionem sui ipsius instar plurium se habeat, quæ ratione identitatis in vnum esse conueniant, ita ad distinctionem requiruntur plura, quæ defectu identitatis res plures cōstituant, & vnaquæque habeat rationē formalem, per quam ab alia distinguatur. Hinc fundamentum distinctionis sunt res plures habentes esse limitatum, & quatenus vnaquæque ratione suæ limitationis connotat aliam, quæ sit extra suum esse: & secundùm hoc distinctio est aliquid reale à parte rei positiuum, quia nihil aliud dicit præter esse rerum limitatum.

An distinctio sit quid respectiuū.

VI. Ex dictis hucusque de distinctione colligitur resolutio illius difficultatis, an distinctio sit aliquid respectiuum. Si enim loquamur de distinctione formaliter sumpta, prout dicit negationem identitatis, cum hæc sit mera negatio, non potest esse aliquid respectiuum, nisi quatenus negationes dicunt negatiuam habitudinem ad formam, quam negant. Si verò loquamur de ratione distinctiua, hæc, prout est in singulis rebus, certè est respectiua, quia est distinctiua non respectu sui, sed respectu alterius: atque hic respectus est transcendentalis, in quo etiam fundatur prædicamentalis disquiparantiæ: sicuti enim, quod alteri est simile, refertur relatione prædicamentali similitudinis, ita quod est distinctum refertur relatione prædicamentali disquiparantiæ: atque hic respectus fundatur in qualibet distinctione: vnde licet distinctiua fundamentaliter sumpta transcendant per omnia prædicamenta, potest tamen fundare respectum prædicamentalem. An autem hic respectus, cum aliquid à pluribus distinguitur, sit vnus, an verò multiplex, pendet ex illa quæstione, an multiplicato termino multiplicetur numericè relatio eiusdem rationis, an verò ad omnes terminos subiectum referatur eadem relatione.

Distinctio est posterior identitate.

VII. Colligitur secundò. Distinctionem esse posteriorem vnitate, & identitate. Ratio facilè reddi potest, quia vnitas, & identitas inuoluitur in ipso esse rei, & sicuti distinctio supponit esse rei, quæ distinguitur, ita etiam supponit identitatem, & vnitatem. Rursus distinctio formaliter sumpta est negatio identitatis, omnis autem negatio est posterior eo, quod negat, quia antequam intelligatur, aliquid posse negari, debet intelligi præexistere id, quod negatur. Cum autem negatio formaliter sumpta sit posterior vnitate, & identitate, erit etiam posterior ratio distinctiua, vt talis est, seu fundamentum, quippe fundamentum proportionatur rationi formali. Accedit etiam, quòd prius est, rem esse indiuisam in se, quàm diuisam à quocunque alio; nam ex eo est diuisa à quocunque alio, quòd non est ipsa, quia habet esse limitatum, & indiuisum in se.

Distinctio negatiua non est vera distinctio.

VIII. Tertiò colligitur. Distinctionem, quam vocant negatiuam, qua videlicet ens distinguitur à non ente, seu negationibus, non esse veram distinctionem. Et ratio desumitur ex dictis, quia ad constituendam distinctionem non sufficit vna res, sed requiruntur saltem duo extrema, quorum vtrumque habeat proprium distinctiuum, ratione cuius incommunicabilia quò ad esse reddantur: at si aliquod extremum positiuum cum non ente, aut negatione comparetur, aut duæ negationes inter se, tunc extrema illa negatiua nullum habent esse, secundùm

quod distinguantur; & consequenter non habent formale distinctiuum, vnde nullo modo potest interuenire propria distinctio: Solùm cum huiusmodi negationes; & non entia concipiuntur ad modum entis; induunt rationem extremi distincti; vnde sicuti habent tantùm per intellectum hoc esse; quo constituuntur in esse extremi, ita etiam distinctio nullo pacto est à parte rei; sed tantùm obiectiuè in intellectu.

Triplex modus distinctionis. IX. Denique cùm distinctio, vt ex dictis patet, sit ablatio identitatis, sequitur; quòd sit aliquid genericum complectens ea omnia; quæ non habent identitatem. Triplici autem modo contingere potest; quòd aliqua non habeant identitatem, vel per puram distinctionem; quæ dicit solam negationem identitatis, vt contingit inter duas partes quantitatis discretas, & eiusdem omnino rationis. Secundò modo contingere potest per diuersitatem; & tertiò modo per differentiam Neque enim differre, & esse diuersum sunt idem, vt etiam docet *Arist.* Arist. 5. Metaph. tex. 16. vbi ait *Diuersa verò dicuntur, quorum aut species plures, aut materia, aut ratio substantiæ; & omnino diuersum dicitur oppositè ad id, quòd idem dicitur. Differentia verò dicuntur, quæcunque diuersa sunt, cum idem quid sint, modo non sint idem numero, sed aut specie, aut genere, aut proportione.* *Non est idem differre, & esse diuersum.* Ex quibus colligitur; Ea per Arist. esse propriè diuersa, quæ nullam identitatem habent in aliqua ratione communi, non quòd, quæ in ratione aliqua communi conueniunt, non possint esse diuersa, sed quòd non sint diuersa, nisi quatenus, important rationes illas contradistinctas essentialiter, quibus ratio communis diuiditur, ita vt ratio communis nullo modo ingrediatnr conceptum diuersitatis: non excluditur tamen à conceptu diuersitatis conuenientia in aliqua ratione transcendentali; quia fieri non potest, quòd quæ sunt aliquid positiuum, non conueniant saltem in ratione entis; quamquam Scotistæ oppositum existiment, dum volunt, quæ sunt primò diuersa, neque in ratione entis conuenire. Hinc asserunt, vltimas differentias esse primò diuersas, nec de ipsis ens quidditatiuè prædicari: Sed quam veritatem contineat hæc doctrina suo loco ostensum est.

X. Eà verò secundùm Arist. differunt, quæ habent aliquam conuenientiam, aut identitatem, vt sunt *Quid propriè dicat Differentia* plures species, quæ in aliquo genere conueniunt, aut plura indiuidua eiusdem speciei: ita tamen vt ratio conuenientiæ simul cum diuersitate ingrediatur conceptum differentiæ, & proinde Differentia de suo formali importat aliquid coalescens ex duplici ratione; nempe conuenientia, & diuersitate: Vbi tamen aduertendum est, quòd plura indiuidua eiusdem speciei dicuntur differre, si considerentur secundùm esse physicum, quia nimirum habent aliquam heterogeneitatem ratione alicuius adiuncti accidentalis; vt esset videlicet quantitas, & alia huiusmodi, quæ consequuntur esse physicum, alioquin dicerent solam puram distinctionem: & ratio est, quia differentia dicit aliquam diuersitatem quò ad esse, distinctio verò dicit solam multiplicitatem, vnde si secundùm esse indiuiduale non adest aliqua diuersitas, nec etiam aderit differentia, sed sola distinctio. Verum tamen est, quòd non semper hi in termini propria, & rigorosa significatione vsurpantur, sed aliquando indifferenter sumuntur.

Quot sint genera Identitatum, & Distinctionum. Disp. XLVIII.

Varia identitatum, & distinctionum genera ex Antiquorum doctrina.

SECTIO I.

I. MVltiplex distinctionum genus praesertim ex Arist. doctrina elicitur. Cum autem distinctio opponatur identitati, atq; sit ablatio ipsius, ideo quot erunt distinctionum genera, tot etiam erunt genera identitatum, & e contra: atque quod de distinctione asseritur, totum cum proportione de identitate asserendum est, & econtra. Primum ergo distinctionis, & identitatis genus est secundùm materiam. colligitur ex Arist. 1. de Gener. tex. 81. Vbi ait, *Quę eadem constant materia, & ipsa reciproce, mutuòque agunt, & patiuntur; cumque illasa, impatibiliaque agunt, eamdem non habent materiam.* Aduertendum autem est, quòd dupliciter contingere potest haec vnitas, vt etiam adnotauit Achillin. tract. de Distinc. cap. 9. videlicet simul, & successiuè; nam simul plures formae possunt esse in eodem subiecto, nempe forma mixti, & elementorum, licet hoc locum non habeat apud Thomistas, & alios, qui oppositum opinãtur: successiuè verò, quãdo materia subest diuersis generationibus: tunc enim termini per illas generationes producti dicuntur esse vnum materia.

1. genus distinctionis, & identitatis. Arist. Achil.

II. Secundum genus identitatis, & distinctionis sumitur penes subiectum, ita vt ea sint vnum secundùm subiectũ, quae habent idem subiectum, & ea sint diuersa, quae habent diuersum subiectum. Sic Arist. 1. Phys. tex. 21 docet album, & musicum esse idem subiecto, diuersa autem ratione, hoc est definitione. Nomine autem subiecti intelligi debet id, quòd est sub alio, aut stãs sub altero, vt explicat Achillinus citatus cap. 7. Seu dicendum est cum Auer. 12. Metaph. com. 39. Per subiectum intelligi debere id, quod defert aliud. Haec autem distinctio, vel identitas secundùm subiectum intelligi potest, vel positiuè, ita vt ea, quae sunt idem, vel distincta ratione subiecti, sint extrema positiua, vt albedo, & dulcedo in lacte: vel negatiuè, aut priuatiuè, cum scilicet alterum extremum est negatio, aut priuatio, vt sunt tenebrae, & lux respectu aeris.

2. genus. Arist. Achil. Auer.

III. Tertium genus est distinctio, & identitas essentialis: nam tunc vnum distinguitur essentialiter ab alio, cum non est de essentia ipsius: tunc verò contingit identitas essentialis, cum vnum est de essentia alterius. Colligitur ex Auerroe 2. Metaph. com 41. & 42. vbi ait, hominem, & album non significare vnum, nimirum secundùm essentiam. Haec autem identitas, & distinctio est vel adaequa a, vel inadaequata cum scilicet aliquid secundùm totã suã essentiam est idem, vel distinctum aut tantùm secundùm partem; primo enim modo est adaequa a: posteriori verò modo inadaequata.

3 genus

IV. Quartum genus identitatis, & distinctionis est secundùm esse. Esse autem tria significat: aliquando enim significat existentiam: aliquando essentiam, seu definitionem. & tertiò modum quemdam intrinsecum ipsis rebus. Hinc iuxta hos tres modos consurgit triplex genus identitatis, & distinctionis. Prima enim distinctio, & identitas est secundùm existentiam, quam indicauit Arist. 2. Phys. tex. 12. Iuxta autem secundam acceptionem ea sunt eadem, vel distincta secundùm esse, quae habent eamdem, vel distinctam essentiam, seu definitionem: & hoc pacto Arist. docet 5. Eth. cap. 4. virtutem, & iustitiam esse eamdem non tamen habere idem esse, hoc est eamdem definitionem. Si autem tertio modo esse accipiatur consurgit tertium genus huius identitatis,

4. genus. Triplex modus distinctionis, & identitatis in hoc genere. Arist.

& distinctionis: & secundùm ipsum esse reale, & Intentionale, quamuis habeant idem esse, dicuntur tamen diuersa secundùm esse, quia habent diuersum modum essendi. Hoc autem genus indicauit Arist. 2. de Anima tex. 138 vbi docet, videns quodam modo coloratum esse, quia suscipit colores sine materia, nimirum colores intentionali modo existentes.

5. genus. V. Quintum identitatis, & distinctionis genus vocatur secundùm formam, ita vt ea sint eadem, quæ habent eamdem formam: ea autem diuersa, seu distincta, quæ habent distinctam formam. Et colligitur ex Arist. 1. Arist. Phys. tex. 60. vbi ait. *Oportet semper aliquid subijci, quod sit, & hoc. & si numero est vnum: at forma quidem non vnum: formam enim dico & ratione idem: non enim idem est homini, & immusico esse.* Auerr. Et Auer. 5. Metaph. com. 30. docet; Generans, & genitum esse idem secundùm formam. Hæc autem identitas, & distinctio potest contingere, vel secundum formam physicam, quam indicauit Arist. 1. de Generat. tex. 35. vel secundùm formam metaphysicam, prout ijsdem in locis idem Arist. indicauit. In hoc autem genere quatuor Achill. gradus distinguit Achillin. tract. de Distinct. cap. 8. Primus est, cum ea, Quatuor gradus huius generis. quæ sunt idem forma, aut distincta secundùm esse adæquatum alia sint, ita vt si sint idem forma, adæquatè communicent in forma, & quæ sunt distincta, adæquatè secundùm formam separentur: nec latius in vno fundetur distinctio, aut identitas, quàm in alio, sed totum id, quod dicit vnum in tali forma, dicat etiam alterum, vt se habent definitio, & definitum, aut quod negat vnum, importetur ab altero, si sit distinctio. Secundus est cum aliqua plura eamdem formam participant, sic plures partes corporis participant eamdem formam animæ. Tertius est plurium indiuiduorum eiusdem speciei, quia participant eamdem definitionem; & in hoc gradu est vnitas specifica, & generica vniuoca: non autem analoga iuxta nostra principia, cum analogia non importet vnam aliquam formam. Quartus est, quo forma est variata secundùm esse, vna tamen secundùm essentiam, vt sunt obiectum sensibile, & sensus: quo pacto Arist. 3. Arist. de anima tex. 54. docuit, appetitum, & appetibile esse idem in forma; quod tamen ita intelligi debet, vt proportione seruata participent eamdem formalitatem.

VI. Sextum distinctionis, & identitatis genus est secundùm definitionem. 6. genus. Vnde ea sunt idem secundùm definitionem, quæ participant eamdem definitionem, ea verò distincta, quæ diuersa definitione explicantur. Vnde Arist. 1. de Gener. tex. 29 ait; Materiam esse vnam numero, non autem Arist. ratione, hoc est definitione. & 5. Metaph. tex. 11. inquit. *Vnum ea dicuntur, quorum ratio quodquid erat esse dicens indiuisibilis ad aliam est quid erat esse rei significantem.* Septimum autem genus 7 genus. dicitur secundùm modum, tunc enim habetur identitas secundùm modum, quando res habent eamdem modum: quando verò habent diuersum modum, habetur distinctio. Vt autem hoc genus distinguatur à tertia specie quarti generis, quam pariter, diximus, esse secundùm modum, debet intelligi non de modo intrinseco, vt intelligebatur illa species, sed de modo accidentali. & hoc pacto explicatum desumitur ex Arist. 3. de Anima tex. 11. vbi docet, quòd alio modo se habet linea recta à Arist. seipsa curua.

VII. Octauum identitatis, & distinctionis genus est eorum, quæ sunt 8 genus. idem, vel distincta habilitate. Nomine autem habilitatis intelligitur quæcunque naturalis inclinatio, prout respicit aliud. Hinc ea sunt idem habilitate, quæ habent eamdem inclinationem; ea verò distincta, quæ habent distinctam inclinationem. Hæc autem distinctio assignatur ab Auerroe 4. de Auerr. Cœl. com. 25. vbi docet; Materiam esse vnam subiecto, plura autem habilitate. Nonum verò genus identitatis, 9. genus. & distinctionis est secundùm dispositionem. Nomine autem dispositionis intelligitur quidam modus, quo res afficitur. Hac porrò distinctione sæpe vtitur Auerroes, & præcipue 12. Metaph. com. 39. vbi ait; Intellectum, Auerr. & intelligens differre secundùm respectum dispositiuum. Decimum genus 10 genus contingit secundùm actum, & potentiam. Illa autem distinguuntur secundùm actum, quæ actu sunt entia distincta, hoc est quæ important aliquem

actum entis diuersum, quorum vnus non sit alius. Illa verò distinguuntur potentia, quæ non habent actu distinctionem, & licet vnum constituant, non sunt tamen idem inter se, vt partes essentiales, quæ sunt in toto physico nempe materia, & forma. Hinc Arist. 7. Metaph. tex. 49. ait, totum esse vnum in actu, duo autem in potentia.

11. gen. VIII. Vndecimum distinctionis, & identitatis genus dicitur secundùm rem demonstratam. Cum videlicet res, de qua loquimur, est vna, non multiplex, tunc identitas est secundùm rem demonstratam: tunc verò non est identitas secundùm rem demonstratam, cum illa, de quibus est sermo, non sunt vna res, & desumitur ex Auerroe Auer. 3. Phys. com. 10. vbi ait, Actum non esse idem cum potentia in re demonstrata. Aduertendum autem est, quòd forma est illa, per quod res demonstratur, vt docet idem Auer. 1. Phys. com. 69. & lib. 2. com. 30. Vltimum denique identitatis, & distinctionis 12. genus genus est secundùm Positionem, & indicatur ab Auerroe 5. Metaph. com. 24. Nomine autem positionis intelligitur aliqua differentia localis ex illis sex *Sursum, Deorsum, Dextrorsum, Sinistrorsum, Ante, & Retro*. Distinguit autem ibid. Auer. inter positionem, quæ importat speciale prædicamentum situs, & positionem, quæ spectat ad prædicamentum quantitatis, & ad hanc reducit positionem, quam punctus habet in linea. Verùm positio ista est aliquo pacto, licet impropriè, localis, & illi quodammodo possunt applicari positiones situs localis. Quamobrem ea erunt idem positione quæ habent eamdem positionem localem, ea vero diuersa, quæ habent diuersam. Atque; hæc sunt genera identitatum, & distinctionum, quæ apud antiquos Auctores reperiuntur.

Expenduntur allata genera identitatum, & distinctionum.

SECTIO II.

I. PRimum genus identitatis, & distinctionis erat illud, quod desumitur penes materiam. Hæc autem materia intelligi potest, vel de intrinseca componente, vel de subiecto, quia licet materia subiectiua sit pars componens, alio tamen modo se habet, quando consideratur vt pars componens, ac quando consideratur, vt subiectum. Primo modo materia non aliam identitatem, aut distinctionem constituit, quàm illam, quæ est secundùm esse rei; constitutiuum enim, & constitutum non differunt inter se: vnde cum materia se habeat vt constitutiuum, inferet distinctionem, aut identitatem secundùm esse rei constitutum. Quia autem materia potest esse eadem vel numero, vel specie, causabit etiam distinctionem, siue identitatem, tum secundùm numerum, tum secundùm speciem. Vnde reducitur hæc distinctio vel ad specificam, vel ad entitatiuam: & hoc locum habet, si materia consideretur secundùm esse physicum. Si verò metaphysico modo accipiatur, licet impropriè secundùm ipsam attendatur distinctio; cum materia metaphysica, nempe genus sit quid commune; vnde distinctio attenditur secundùm differentias, quæ cum se habeant vt actus, magis peculiares sunt. propriè tamen secundùm ipsam attendi potest identitas, quæ respectu indiuiduorum erit specifica; respectu verò specierum generica: atque hæc identitas reducitur ad identitatem secundùm esse essentiale. Ad quæ genus pertineat distinctio, & identitas secundù materiã.

II. Si verò accipiatur materia, prout habet rationem subiecti, iam distinctio, & identitas, quæ àb ipsa desumitur non est diuersa à secundo genere distinctionum, & identitatum, quia quòd hoc subiectum sit in ordine ad formas substantiales, vel in ordine ad accidentales; quòd sit simplex, aut cõpositum, ratione quorum respectuum possent fortasse diuersificari huiusmodi distinctiones, & identitates, parum refert ad cõstituẽdum diuersum genus identitatis, & distinctionis, quia esset potius subdiuisio primi generis, quàm diuersum genus. Constat ergo, hoc genus distinctionis, & identitatis non esse peculiare genus, sed reduci, vel ad distinctionem, & identitatem secundùm esse, vel secundùm subiectum.

III. Secundum genus distinctionis, & identitatis erat secundùm subiectum, sed si hoc genus attentè consideretur, nullam veram distinctionem, aut identita-

titatem causat. Ratio desumitur ex eo, quòd sit quid extrinsecum rebus ipsis, vnde licet ex distinctione subiecti colligi liceat distinctio eorum, quæ sunt in subiecto; hoc tamen tantùm habetur tanquam ex signo, non tanquam ex ratione formali distinguendi. Præterea licet plura sint in eodem subiecto, adhuc tamen sunt distincta inter se tanquā res, & res: cum autem distinctio sit negatio identitatis, posita distinctione entitatiua tollitur omnis idētitas. Vnde tertiò argumentari possumus, quoniam hæc identitas est tantùm ratione subiecti, & tota ratio distinctionis, & identitatis in ipso fundatur; ergo solùm denominatione quadam desumpta ab extrinseco aliqua dicuntur distincta, vel eadem ratione subiecti. Denique constitutiuum, & distinctiuum idem sunt: subiectum autem non est constitutiuum eorum; quæ sunt in subiecto, ergo nec poterit esse distinctiuū. Quod rursus cōfirmari potest, quoniam quod formaliter tribuit identitatem alicui, non potest esse aliquid distinctum ab ipso, nam constitutiuum identitatis nō potest esse distinctum. Ideo, quod est idem, cum sit causa formalis ipsius idētitatis, alioquin præciso constitutiuo identitatis res esset eadem. Quomodo ergo subiectum, cum sit distinctum, potest tribuere identitatem ijs, quæ sunt in ipso?

Distinctio & identitas essentialis propriæ est, sed non constituit peculiare genus.

IV. Tertium distinctionis, & identitatis genus veram quidem distinctionem, & identitatem importat, quia attenditur secundùm ea, quæ maximè intrinseca sunt, videlicet secundùm essentialia, quia cum vnum non est de essentia alterius, verbi gr. animalitas nō est de essentia rationalitatis, est omnino extra rationem ipsius, idque prouenit ex intrinseca ratione ipsorum; vnde hæc videtur maxima distinctio, quia prouenit ab intrinseca exigentia cuiuscunque extremi, & econtra cum vnum est de essentia alterius, adest maxima identificatio, quia nedum est secundùm entitatem, sed etiam secundùm formalitatem, & id quoque contingit propter exigentiam extremorum. Verùm non propter hoc videtur constituendum peculiare genus distinctionis, & identitatis. Nam hæc distinctio consideratur, vel secundùm gradus metaphysicos, quorum vnus non est de essentia alterius: vel secundùm entitates physicas; primo modo in re nullam constituit distinctionem actualem, sed tantùm virtualem, & fundamentalem, seu præbet motiuum, & fundamentum, vt possit intellectus ea, quæ distincta non sunt, vt distincta concipere: vnde non aliud genus distinctionis constituit, quàm distinctionem rationis cum fundamento in re. Si verò secundo modo accipiatur, tunc dicit distinctionem entitatiuam, atque adeò secundùm esse reale. Igitur ex allatis generibus distinctionum habetur tantùm distinctio secundùm esse, quæ vel est ante opus intellectus, vel ex virtuali fit actualis beneficio intellectus.

Quartū genus verum identitatē, & distinctionem importat.

V. Quod autem spectat ad quartum genus identitatis, & distinctionis, quod est secundùm esse: hoc quidem optimum distinctionis, & identitatis genus est, nam sicuti vnitas transcendentalis attenditur penes conceptum ipsius entis, ita etiam cum identitas sit quædam vnitas, seruata proportione debet attendi secundùm esse: cum autem ex vnitate sequatur diuisio à quocunque alio, quod non est tale ens, ex hoc fit, vt etiam secundùm esse debeat attendi distinctio, quia secundùm hoc ab alijs rebus distinguitur. Præterea quia, cum constitutiuum sit etiam distinctiuum, iam cum vnumquodque per suum esse constituatur, patet, quomodo etiam per proprium esse ab alijs, quæ non sunt ipsum, distinguatur. Cum autem quod distinguit ab alio, constituat idem sibi ipsi, iam esse rei est ratio distinctionis, & identitatis proprijssimo modo. Quoniam autem esse rei inuoluit essentiam, & existentiam, hinc fit, quod illi duo primi gradus ibidem assignati colligantur; nempe secundùm essentiam, & secundùm existentiam. Circa hos tamen gradus obseruandum est, quòd distinctio secundùm essentiam non potest esse distinctio actualis, nisi sit etiam secundùm existentiam, quia essentia rei imbibitur in ipsa entitate, nec aliud esse habet, nisi in ipsamet re entitatiuè sumpta. Econtra verò potest esse distinctio secundùm existentiam absque eo, quòd sit secundùm essentiam, nam possunt plures entitates participantes eamdem essentiam inter se secundùm existentiam distingui: ex hoc enim prouenit

Quomodo primus, & secundus gradus locū habeat.

uenit multiplicatio indiuiduorum. Rursus obseruandum est, quòd cum dicimus, aliqua distingui secundùm existentiam, non est ita accipiendum, quasi secundùm solam rationem existentiæ contingat distinctio; sed nomine existétiæ intelligi debet tota entitas rei indiuidua, quæ si erit eiusdem speciei cum alia, à qua distinguitur, secundùm entitatem, seu existent iam distinguetur: si verò erit diuersæ speciei erit distinctio etiam secundùm essentiam.

Tertius gradus non est verè distinctus à cæteris.

VI. Tertius verò gradus, qui assignabatur, cum videlicet pro esse intelligitur modus essendi intrinsecus rei, non videtur constituere diuersum gradum distinctionis, aut identitatis à prædictis; nam cum iste modus essendi sit intrinsecus, & ingrediatur constituiuum, est pars essentiæ; vnde si est eiusdem rationis constituit identitatem essentialem si verò diuersæ, constituit diuersitatem essentialem. Quod etiam confirmatur exemplo ibidem allato, nam, si color secundùm esse reale consideretur, dicitur differre secundùm modum à colore cósiderato secũdùm esse intentionale: hæc autem distinctio est essentialis: color enim intentionaliter sumptus non est verè color, neque aliquam rationem coloris, participat, sed tantùm dicitur color, quia est quædam intentionalis similitudo repræsentatiua illius; Neque dubiũ est, quin nedum essentialiter distinguatur à colore, sed etiam ꝙ nõ sit in eodé genere entis: at quæ distinguuntur tantùm secundùm modum debent habere eamdem essentiam, sed ratione alicuius modi diuersimodè modificatam.

VII. Quintum genus identitatis, & distinctionis, quod vocatur secundùm formam, neque probari potest. Quia vel ista distinctio secundùm formam sumitur secundùm entitatem formæ, vel secundùm essentialia formæ: vel secundùm vtrumque; nullo enim alio modo accipi potest, vt consideranti patet. Primò modo iam ista distinctio erit inter entitatem, & entitatem, atque adeo reducetur ad distinctionem præcedentem secundùm esse. Secundò modo; neque tali pacto est genus distinctum à præcedenti, nam erit distinctio secundùm esse rei, quatenus dicit essentiam, & reducetur ad primum gradum distinctionis præcedentis: & eodem pacto de hac distinctione philosophandum est, ac de illo gradu. Tandem tertiò modo, erit absoluta distinctio secundùm esse, quia esse rei inuoluit tum essentiam, tum existentiam; quod etiam indicauit Arist. ibid. citatus dum inquit *Non esse idem esse homini, ac esse musico*. Ex quibus colligitur, quòd si hæc distinctio physicè accipiatur, non constituit nouum genus: si verò metaphysicè, neque adhuc constituit, quia res metaphysicæ, vt tales sunt, non habent distinctionem, nisi illam, quam possunt habere in esse physico.

Idétitas & distinctio secundùm formam reducitur ad identitatem, & distinctionem secundum esse.

Arist.

Occurritur responsioni.

VIII. Vno solùm modo videtur hæc distinctio posse esse diuersa à distinctione secundùm esse, quia distinctio secundùm esse importat esse adæquatum, forma verò, cum non sit esse adæquatum rei, neque distinctio secundùm formam erit secundùm esse adæquatum. Sed hoc nihil proficit pro constituendo nouo genere distinctionis; nam cum assignatur distinctio secundùm esse, accipitur hæc distinctio vniuersalissimè, quemadmodum etiam accipitur esse. Quocirca sicuti esse vniuersalissimè sumptum continet sub se omnia genera entium, ita etiam distinctio secundùm esse continet sub se omnes distinctiones secundùm esse, siue sint secundùm esse adæquatum, siue inadæquatum. Præterea si intelligatur de esse physicè sumpto semper verum est, quòd distinctio secundum esse adæquatum distinguat. Vel enim loquimur de esse composito, & tunc nõ potest vnum distingui ab alio, nisi distinguatur tanquam Indiuiduum, & tũc necessariò requiritur, quòd distinguatur etiam secundùm materiam. Si verò loquamur de esse physico simplici, tunc etiam necessariò requiritur, quòd distinguatur etiam secundum materiam. Si verò loquamur de esse physico simplici, tunc etiam necessario debet secundùm se totum distingui; eadem enim simplex entitas non potest partim distingui, partim non distingui, alioquin non esset simplex entitas. Eodem autem pacto philosophandum est de identitate seruata proportione; vnde etiam huiusmodi identitas erit identitas secundùm esse.

Quàm late pateat distinctio secũdùm esse.

IX. Sed nec probari possunt gradus illi, quos in tali genere distinctionis

nis Achillin. inuenit. Et quod spectat ad primum, quo aliqua secundùm formam dicuntur distingui, aut esse idem adæquatè, vel inadæquate, si de forma physica procedat, falsum conti net; nam vel loquimur de distinctione entitatiua, & hæc semper est secundùm esse adæquatum, quia cum sit simplex entitas, non potest partim distingui, partim non distingui. Vel sermo est de distinctione essentiali, vt pure essentia lis est, & tunc fit transitus ad esse Metaphysicum, & non amplius debet at tendi forma secundum esse physicum, sed secundùm esse metaphysicum: & si in hoc sensu accipiatur, neque verum habet, quia forma metaphysica est sim plicissima quidditas, cum se habeat semper ad modum differentiæ, vnde consistit in indiuisibili: & proinde identitas, & distinctio secundùm ipsam debet necessariò contingere secundùm esse adæquatum.

Distinctio secundū formam debet esse secundum esse adæquatum.

X. Secundus porro gradus, quo plura eamdem formam numero participant, importat identitatem impropriè dictam: illa enim plura tantùm ratione extrinseci possunt dici idem: quod non ponit aliquam veram identitatem, vt supra dictum est, distinctio verò huic identitati opposita, qua plura participant diuersam formam, iam patet, quomodo reducenda sit ad distinctionem secundùm esse. Imo hæc distinctio non est peculiaris gradus distinctionis, sed distinctio secundùm formam vt sic. Tertius quoque gradus, neque est propriè secundùm formam, sed potius secundùm naturam. Hæc verò identitas, siue vnitas, vel accipitur formaliter, & hoc pacto est vnitas essentiæ, quæ reducitur ad identitatem secundùm esse, & est conuenientia quædam secundùm esse essentiale, vnde non est peculiaris gradus identitatis, quia peculiaris gradus debet dicere peculiarem aliquam rationem identitatis. Vel accipitur fundamentaliter, & materialiter; & tunc non est propriè identitas; nam dicit esse entitatiuum naturæ multiplicatæ, in quo inuoluit distinctionem entitatiuam naturarum. Quartus deniq; gradus, vt verum sensum habeat, debet intelligi sano modo, ita vt obiectum, & potentia cum quadam proportionalitate participent eamdem formalitatem. Proportionalitas autem in hoc consistit, quòd potentia habeat per modum potentiæ eamdem rationem formalem, quam habet obiectum in ratione obiecti, quia potentia ab obiecto desumit specificationem: continere autem tanquam potentia rationem aliquam formalem communem proportionatam obiecto, non est aliud, quàm potentiam posse attingere obiectum sub tali formalitate, sub qua obiectum specificat potentiam. Ex hoc autem sequitur, nullam formam, neque secundùm esse entitatiuum, neque secundùm esse essentiale communem esse potentiæ, & obiecto: sed potius entitatiuè, & essentialiter etiam secundùm formam, secundùm quam ponitur idētitas, inter se distingui: & solùm conuenire secundùm quamdā proportionem; quæ tamen non debet præferri distinctioni essentiali, & entitatiuę, cū hæc sit propria, & non secundùm proportionem: vnde & hic gradus inutilis est ad asserendam identitatem, aut distinctionem.

Cū plura participant eā de formā, an sit vera identitas.

Vnitas naturæ pluribus indiuiduis quomodo identitatē importet.

Idētitas formæ inter potentiam & obiectū nō est vera identitas.

XI. Circa verò sextum genus identitatis, & distinctionis, nihil ferè occurrit dicendum: nam ex ipsis terminis patet, non esse diuersum ab alijs. Cum enim definitio explicet esse rei essentiale, nec aliud præter ipsum dicat, identitas, & distinctio, quæ secundùm definitionum desumitur, non est diuersa ab ea, quæ sumitur ab esse rei. In hoc ergo solùm differt, quòd procedit secundùm terminos magis notos; vtimur enim definitione ad explicandam naturam rei. Hinc est, quòd distinctio, & identitas, quæ est secundùm esse, magis explicetur per ipsam definitionem: vnde consequenter hæc identitas, & distinctio magis deseruit argumentationi, & ex hoc capite vtilis est, & magis deseruit, quàm identitas, & distinctio secundùm esse, non quia reuera diuersa sit, sed quia procedit per terminos magis congruos argumentationi.

Idētitas, & distinctio secundū definitionē nō distinguitur ab ea, quæ est secundū esse.

XII. Septimum identitatis, & distinctionis genus, videlicet secundùm modum, optimum quidem est, si congruenter explicetur, & ab alijs distinctum. Nam in rebus ipsis, vt consideranti patet, dantur quædam affectiones, quæ secundùm se non dicunt

Distinctio secundū modū, & idētitas, quomodo sit admittēda.

Pro-

propriam entitatem, sed inuoluunt in suo esse entitatem subiecti, vt est sessio respectu sedentis, intensio respectu qualitatis; cùm ergo huiusmodi modi, seu affectiones non dicant propriè entitatem subiecti, sed modum entis, hinc fit, vt huiusmodi distinctio non possit esse secundùm entitatem rei, sed erit secundùm modum, & affectionem illius. An autem sit secundùm rem, an secundùm rationem examinabimus infra.

Distinctio & identitas secundũ habilitatẽ non cõstituũt speciale genus.

XIII. Octauum verò distinctionis, & identitatis genus, quod secundùm Habilitatem ponitur, videtur omninò superfluum, nec aliud exprimere, nisi tales terminos distinctionis materialiter sumptos. Quod ex eo ostenditur, quia ista habilitas, vel est secundùm esse rei, vel secundũ aliquid superadditum, & habens propriam entitatem. Si primum, iam ista distinctio non erit alia, quàm secundùm esse, vel tantùm entitatiuum, vel etiam essentiale. Si secundum, tunc poterit attendi distinctio vel secundùm habilitatem, vel secundùm rem, quæ habet habilitatem. Si primo modo, iam erit distinctio secundùm esse entitatiuum habilitatis, nec erit diuersa à distinctione secundùm esse. Posteriori modo erit tantùm identitas & distinctio rõne alicuius extrinseci, atq; adeo valde impropria, nec inter genera distinctionũ, & identitatum enumeranda.

Genus identitatis & distinctionis secundũ dispositionẽ est superfluũ.

XIV. Quod autem spectat ad nonũ genus distinctionis, & identitatis facilè reijcitur, vt superfluus: cùm enim sit secundùm dispositionem, & nomine dispositionis intelligatur modus quidam; quæro de hoc modo, an sit intrinsecus rei, & sic pertinebit ad essentiam ipsius, nec secundũ ipsum erit noua distinctio, aut identitas ponenda diuersa ab ea, quæ est secundùm esse. Si verò sit extrinsecus essentiæ, etiã superfluus erit, quia iam posita est distinctio secundùm modum. Decimum similiter distinctionis, & identitatis genus nihil noui continet supra distinctionem, & idẽtitatem, quæ est secundùm esse, nam siue ista distinctio sit in actu, siue in potentia, semper est secundùm esse rei: vnde distinctio in actu, & distinctio in potentia essent potius species distinctionis secundũ esse. Sed neque hoc dici potest, quia partes essentiales in toto, quarum distinctio ponitur in potentia, actu distinguuntur; nam licet actu vnitæ sint, vnaquæq; tamen habet propriam entitatem, quæ nõ est entitas alterius: ex quo fit, quòd licet actu discretæ non sint, actu tamen sint distinctæ. Quod præterea ex eo cõfirmatur, quia inter partes essentiales debet intercedere vnio, quomodo autem potest intercedere, nisi intelligantur ea, quæ actu distincta sunt, vniri? Deniq; si in rigore distinctio in potentia accipiatur, ea tantùm intelligi põt, quæ non est, sed tantùm põt esse, vnde nullam de facto importabit distinctionẽ sed tantùm poterit alicui aduenire, ex eo, quòd sit in potentia ad ipsam; vnde de facto habebit suam identitatẽ. Nec potest esse in potentia ad distinctionem, nisi in se habeat partes, in quas possit diuidi; cum autem partes importent esse ipsius, statim ac diuiditur in partes, diuiditur secundùm proprium esse, atque adeo distinctio illa tunc consurgens, est distinctio secundùm esse.

Distinctio & identitas secundũ actum & potentiam non cõstituit propriũ genus.

Distinctio & identitas secundum rem demonstratam inutilis.

XV. Denique duo posteriora identitatis, & distinctionis genera superflua omnino, & inutilia sunt. Et quod spectat ad distinctionem, & identitatem secundùm rem demonstratam: hæc reuera nullam aliam distinctionem, & identitatem importat, quàm secundùm esse, quia videlicet res, de qua loquimur vel est vna, vel multiplex. Cum autem dicitur secundùm rem demonstratam, dicitur talis per extrinsecam quamdam denominationem, quæ ad nihil deseruit. Cum enim distinctiones, & identitates ponantur, vt facilius in rerum cognitionem deueniamus; hæc distinctio, quatenus secundùm rem demonstratam dicitur, nullo pacto deseruit ad aliquam cognitionem acquirendam. Quod verò spectat ad distinctionem secundùm positionem localem, atque identitatem, superfluas esse, statuendũ est, cum desumãtur secundũ locum, qui est aliquid extrinsecum rei, quæ dicitur habere identitatem, vel distinctionem: vnde hæc identitas, & distinctio erit tantùm per denominationem extrinsecam, nec quicquam in reipsa ponet, & solùm erit propriè identitas, & distinctio loci, non autem rei locatæ. Ex his autem, quæ hucusque dicta sunt, constat, non esse multiplicanda tot genera distinctionum, & identitatum,

Distinctio & identitas secundũ positionẽ localẽ superflua.

sed ad pauciora hæc omnia reduci possе, ad duo videlicet, quæ contineant omnia ista, & propriè in re ponant identitatem, & distinctionem. Hæc autem duo erunt distinctio, & identitas secundùm esse: & secundùm modum. Distinctio autem secundùm esse subdiuidi potest, & in eam, quæ est per rationem, & in eam, quæ est à parte rei. Sed hæc inferius suo loco vberius tractabuntur.

Sententia Scotistarum.

SECTIO III.

Sententia Scotis ponẽs septẽ genera. Sirectus Burlifer. Mauri.

I. Scotistæ septem distinctionum, & identitatum genera constituunt. Ita præcipuè Sirectus in Formalit. Scoti, Burlifer, & Mauritius ibid. & alij. Antequam autem ipsorum sententiam referamus, duo fundamenta ponenda sunt, in quibus tota eorumdem doctrina fundatur. Primum est, quòd omnis distinctio, quæ est in intellectu, prius reperitur à parte rei; ex quo inferunt, quòd tot entitates debent esse à parte rei, quòt formalitates concipit intellectus: vnicuique enim formalitati debet correspondere à parte rei propria entitas, ne intellectus in concipiendo decipiatur; deciperetur autem, si aliquid conciperet, quòd non esset à parte rei. Præterea intellectus nõ facit sibi obiectum, sed supponit, vnde cum intellectus concipit aliquas distinctiones, seu formalitates distinctas, debet earumdẽ distinctionem supponere à parte rei. Alterum autem fundamentũ est, quia volunt aliud esse realitatem, & aliud entitatem. Nomine autem realitatis intelligunt omne id, quòd se solo & per se potest terminare aliquam productionem, vt est omne accidens, quod per suum esse proprium potest terminare productionem distinctam à productione substantiæ, & se solo etiam corrumpi. Nomine verò entitatis intelligunt aliquid minus realitate, & opposito modo se habet respectu realitatis in ordine ad productionem: dicit enim aliquid, quod per seipsum non potest terminare aliquam productionem, nec se solo potest corrumpi. Est tamen aliquid positiuum, & ab ijs distinctum, sine quibus nec produci, nec corrumpi potest; quod & formalitas appellari potest, siue etiam gradus. His autem fundamentis præsuppositis, explicant sententiam suam de distinctionibus, & identitatibus.

Duo fundaméta pro hac senẽtẽtia.

1. genus identitatis, & distinctionis secũdum rónem.

II. Asserunt ergo, primam identitatem, & distinctionem esse Rationis, & in eo consistere; quòd aliqua eodem, vel diuerso conceptu concipiantur; si eodem conceptu concipiuntur, habent identitatem rationis, si autem diuerso, habent distinctionem rationis. Hæc autem distinctio rationis debet fieri per actum comparatiuum intellectus comparando idem cum seipso, ita vt ex parte obiecti nulla intercedat distinctio, sed tantùm fingatur per intellectum, vt cum dico; homo est homo. Ex hoc autem quidam inferunt, quòd nihil potest dari tam diuersum ab alio, quod non habeat cum ipso aliquam identitatem rationis; sic licet nihil magis sit diuersũ ab alio, quàm creatura ab ipso Deo; adhuc tamen habent inter se aliquam identitatem rationis, nam cùm d cimus, Deus est, Petrus est, Petrus habet identitatem rationis cum Deo in ratione subiecti; Sed non rectè loquuntur, quia sicut distinctio rationis debet esse secundùm esse rei, quod ratione à seipso distinguitur, ita identitas opposita huic distinctioni debet esse secundùm esse rei, vt cum idem non concipitur distinctum à seipso; at identitas in ratione subiecti est tantùm quædam conuenientia secundùm aliquid extrinsecum rei, & aliquid secundæ intentionis, vnde in præsenti materia non facit ad propositum.

An inter omnia possit interuenire identitas rónis

2. genus prouenĩens ex fundamẽto contradictionis & dicitur ex natura rei.

III. Secunda autem identitas, & distinctio est ex natura rei, & est inter illa, quæ nata sunt præter opus intellectus fundare duo contradictoria, neque aliquam maiorem distinctionem habent, quam istam, quæ sufficiat pro fundanda contradictione. Debent autem ex intrinseca sua ratione posse fundare ista contradictoria, vt est ratio generica, & ratio specifica, quia ratio specifica, seu differentialis est contractiua, ratio verò generica non est contractiua, sed contrahibilis; sic etiam totum est constitutum, pars verò non est constitutum. Identitas autem ex natura rei est, cum aliquid ex intrinseco suo ita est idem cũ aliquo, vt nõ possit fundare contradictoria. ista au-

tem distinctio ex natura rei, vel est formalis ex natura rei, vel est modalis cũ scilicet est inter modum, & rem.

3. genus. Idẽtitas, & distinctio formalis.

IV. Hinc tertia distinctio, & identitas est formalis. Illa autem habent distinctionem formalem, quæ ita se habent, vt vnum non inuoluatur in quidditate alterius in primo modo dicendi per se, cuiusmodi se habent actio, & passio; subiectum, & propria passio. Vnde identitas formalis est eorum, quæ in aliquo quidditatiuè conueniunt, ita vt vnum alterum quidditatiuè contineat.

4. genus. Distinctio & identitas realis.

V. Quarta distinctio, & identitas est realis, quæ propriè secundùm ipsos est inter realitates positiuas, seu, quod idem est, inter rem, & rem: siue inter illa, quæ habent diuersas existentias actuales, & subsistentias, ita vt possit vnum produci, & corrumpi sine alio. Ex hac autem distinctione excludunt subiectum, & propriam passionem, quia propria passio non habet realitatẽ, seu non est res diuersa à subiecto. Excludunt præterea essentias, quoniam hæ non distinguuntur inter se secundùm existentias actuales. Identitas verò realis est negatio diuersitatis secundùm realitatem, aut actualem existentiam: intelligi autem debet, quòd sit negatio fundamentaliter accepta, non autem formaliter.

5. genus. Distinctio & identitas essentialis.

VI. Quinta autem distinctio, & identitas est Essentialis. Distinctio autem essentialis est inter ea, quæ habent quidditates distinctas, ita vt si non sint separatæ saltem separari possint, vt accidens, & substantia. Hinc differt à formali, quia formalis non est inter rem, & rem, sed solùm inter formalitates: differt autem à reali, quia realis est inter rem, & rem sine essentiali diuersitate: vnde hæc essentialis distinctio est inter rem, & rem cum essentiali diuersitate: Identitas verò essentialis est negatio diuersitatis, tum secundùm existentiam, seu secundùm rem, tum etiam secundùm essentiam.

6. genus Distinctio & identitas se totis subiectiuè.

VII. Sexta distinctio, & identitas dicitur, Se totis subiectiuè, Sed diuersimodè solet explicari. Quidam enim dicunt, ea se totis subiectiuè distingui, quæ non conueniunt in aliqua natura generica contrahibili per veras differentias. Ita docent Sirect. &

Sirectus.

Trombeta circa Formalit. Scot. art. 2. Alij verò dicunt; ea se totis subiectiuè distingui, quæ non reperiuntur in aliquo vno indiuiduo, aut subiecto, aut supposito, & habent suas realitates actualiter distinctas, & separatas, vt sunt plura indiuidua eiusdem speciei. Et ità docent Burlifer ibid. art. 2. & Mauritius in Epitome earumdem formalit. Volunt autem hanc distinctionem esse diuersam à reali, quia realis non requirit actualem separationem extremorum; hæc verò requirit: Identitas autem correspondens distinctio ni priori modo acceptæ erit cum aliqua conueniunt in aliqua natura communi contrahibili per veras differentias. vt verò correspondet distinctioni posteriori modo acceptæ, erit cum aliqua sunt in eodem indiuiduo, aut subiecto, aut supposito.

Tromb.

Burlifer Maurit.

VIII. Denique vltima distinctio, & identitas dicitur, Se totis obiectiuè. Distingui autem se totis obiectiuè conueniunt ijs rebus, quæ nullam rationẽ obiectiuam habent communem, neq; illum prædicatum quidditatiuum etiam transcendens, vt sunt duæ vltimæ differentiæ, quæ per ipsos neque conueniunt in communi ratione entis. Identitas vero huic distinctioni opposita est, cum aliqua plura conueniunt in aliqua ratione communi obiectiua.

7. genus distinctio & identitas se totis obiectiuè.

IX. Ex his autem inferunt quædam corollaria, quorum primum est; quòd huiusmodi distinctiones ita se habent, vt vltima inferat omnes priores, & semper posterior supponat priorem: quia si inter se comparentur prior est semper minor, quàm posterior, vnde semper inuoluitur in posteriori. Identitates verò opposito modo se habent, nam prior infert posteriorem, non verò econtra, ita vt prior identitas sit omnium maxima, & omnes alias supponat, secunda verò reliquas omnes posteriores inuoluat, & sic de reliquis. Secundùm verò corollarium est. Quòd maior identitas est identitas secundùm rationem, quia hæc dicit omnimodam identitatem: minor verò est identitas se totis obiectiuè: econtra verò maior distinctio est distinctio se totis obiectiuè, minor verò est distinctio rõnis. Tertium corollarium quòd cum distinctione rationis stat identitas ex natura rei: cum distinctione verò

Quædam corollaria.

ex natura rei stat identitas formalis; & sic in reliquis semper superior distinctio compatitur secum identitatem posteriorem: distinctio autem se totis obiectiuè, nullam secum patitur identitatem. Hæc tota doctrina Scotistarum circa genera identitatum, & distinctionum, quàm, quoad fieri potuit, breuissimè attulimus.

Censura circa allatã doctrinam.

X. Hæc sanè corollaria supposita tradita doctrina rectè procedunt; atque etiam assignatæ distinctiones, & identitates, si cum recta explicatione accipiantur, veræ sunt; sed nimis multiplicantur, quàm necesse sit, & ad pauciora genera reduci possent, si rectè expenderentur. Hoc tamen præstabimus infra, dum singula genera examinabimus; & quænam admittenda sint determinabimus. Interim tamen probari non possunt duo illa fundamenta, quibus tota hæc ipsorum doctrina innititur. Et quod spectat ad primum, dum in eo asseritur, quòd omnis distinctio, quàm in rebus intellectus concipit, debet esse à parte rei, ne in concipiendo decipiatur, falsum omnino assumitur: aliud est enim loqui de distinctione, & aliud de fundamento distinctionis. Licet enim verum sit, quòd, ne intellectus falsum concipiat, debet in re præcedere fundamentum distinctionis, ita vt res, seu formalitates, quæ concipiuntur distingui, conueniant obiectis nemine cogitante, non est tamen necesse, vt habeant illam distinctionem, quàm ipsis tribuit intellectus. Intellectus enim ex natura sua præcisiuus est, & eamdem rem simplicem in plures formalitates potest partiri, eam concipiendo per plures conceptus inadæquatos. Ex hac autem efficacia intellectus sequitur, quòd posito suo fundamento à parte rei, possit ea distinguere, quæ ante distincta non sunt. Quod ex eo quoq; confirmatur: nam certum est, quòd ante opus intellectus idem non distinguitur à seipso; potest tamen intellectus ex vi suæ reflexionis, & actus cōparatiui comparare idem cum seipso, & tali pacto distinguere; hoc autem multò magis præstare poterit, si habeat aliquod motiuum ex parte obiecti, ita vt possit, prout dictum est, eamdem simplicem rem in plures formalitates diuidere. Vnde cum dicitur, intellectum supponere, non autem facere sibi obiectum, non est intelligendum de quocunque modo, quo se habet obiectum respectu intellectus, sed de ipso esse obiecti: intellectus enim ex vi suæ præcisionis mutat obiectum quò ad esse obiectiuum de vno statu ad alium, & de particulari reddit vniuersale. Deinde etiam quod concipit in vno obiecto, potest alteri applicare vel cum fundamento, vel sine fundamento, vt cum fingit ens rationis, & hoc pacto quāuis primum obiectum supponat non non tamen supponit secundum, sed potest illud sibi facere: & proinde propositio illa sic absolutè prolata falsa est.

An omnis distinctio concepta debeat præcedere intellectum ne decipiatur.

Quando intellectus possit non supponere obiectum.

XI. Quò ad secundum fundamentum eiusdem sententiæ, neque videtur rectè procedere illa distinctio de realitate, & entitate, atque est magnus abusus terminorum, dum entitas transfertur ad significandas formalitates. Licet enim huiusmodi formalitates sint entia, non tamen dicendæ videntur entitates: entitas enim ex communi vsurpatione, & modo loquendi significat rem aliquam in actu positam, atque adèo se sola habentem propriam existentiam. Imo si adinuicem comparentur entitas, & realitas, magis propriè entitas significat rem per se solam producibilem, seu existentem, quàm significet realitas: realitas enim ex intrinseco suo tantùm significat formam aliquam, qua aliquid constituitur ens reale: at formalitates quoque, & conceptus obiectiui entia realia sunt, & positiua. Prætcrea admisso etiam hoc abusu terminorum, adhuc falsitatis conuincitur; nam quomodo fieri potest, quòd in re aliquid sit ab alio distinctum præcisa quacunque operatione intellectus, & habeat propriam entitatem, nec tamē sit se solo producibile? aut si non est se solo producibile, quomodo potest habere propriam entitatem distinctam ab alijs absque opere intellectus? Præterea si vna formalitas in re est distincta ab alia, iam erit distincta secundùm suam realitatem, quia est aliquid reale pōsitum extra causas, cur ergò erit tantùm entitas, & non realitas. Sed de hoc fusius suo loco.

Entitas non significat solã aliquã formalitatẽ sed aliquid se solo producibile.

Sententia Thomistarum, & Nominalium.

SECTIO IV.

I. THomistæ facili admodum doctrina totum negocium de distinctionibus, & identitatibus breuiter expediunt; atque duo tantùm identitatum, & distinctionum genera ponunt. Ita Capr. Duraud. Soncin. & alij locis infra citandis. Primum autem genus continet distinctionem, & identitatem *Realem*, quæ est à parte rei ante opus intellectus, & conuenit ijs, quæ vel important res diuersas, vel sunt vna atque eadem res. Secundùm autem genus est identitas, & distinctio *Rationis*, quæ habet esse per intellectum; tunc autem contingit, cum eadem res in se ipsa cum distinctione ab intellectu concipitur. Hoc autem genus distinctionis subdiuidunt in eam, quæ est sine vllo fũdamento ex parte obiecti, vt cum idem distinguitur à seipso, & vocant distinctionem *Rationis ratiocinantis*; & in eam, quæ fit cum fundamento ex parte obiecti, vt cum distinguimus gradus essentiales, & vocant distinctionem *Rationis ratiocinatæ*.

Sentētia Thomis. Capr. Durand Soncin.

Duo solũ genera distinctionũ, & identitatum.

II. Huc etiam coincidunt Nominales, licet paulò aliter explicent suam sententiam. Et quidem ponere duplex distinctionis, & identitatis genus, nẽpe *Realem*, & *Rationis* certum est apud oẽs. Solùm dubium esse potest de subdiuisione illa distinctionis rationis: videntur enim agnoscere solam distinctionem rationis ratiocinantis. Sed reuera, si attentè ipsorum doctrina consideretur, hanc quoque subdiuisionem admittunt; nam Ocham. in. 1. dist. 2. quæ. 3. & 4. negat, diuina attributa in se ratione distingui; imo quæst. 4. negat vniuersaliter, rem aliquam ratione à seipsa distingui; ex quo patet, quo sensu neget distinctionem eorum, quæ habent diuersas formalitates, videlicet, quia ex eo, quòd intellectus aliqua distinguat, non sequitur distinctio in ipsis obiectis, sed solùm in distinguente intellectu; nõ negat tamen, diuersas formalitates de eadem re obijci nobis per diuersos cõceptus: & in hoc ipso sensu cæteri loquuntur.

Sentētia Nominalium præcedenti coincidens.

Ocham.

III. Præterea Gabr. in 1. dist. 2. q. 11. art. 3. dub. 2. & 3. ait in diuinis Relationem distingui à natura formaliter. Explicat autem hanc distinctionem formalem, quòd consistat in diuersis conceptibus, quos de Deo formamus. Idem autem habet Arimin. in 1. dist. 8. quæst. 2. art. 1. & 2. vbi ait, Quòd cum aliquid per plures conceptus concipimus, pluralitas non est in obiectis, sed in ipsis conceptibus. Deinde subdit, Quòd distinctio attributorum non dicit id, quod supponitur in Deo, sed attenditur ratione extrinseci connotati. Ex quibus patet, ponere etiam ipsos distinctionem rationis cum fundamento, nam tunc est distinctio cum fundamento in re, cum aliquid per vnum conceptum explicatur, quod non explicatur per alium.

Gabr.

Arimin.

IV. Sed vlterius Gabr. citata illa dist. 2. quæst. 1. & 3. Tres modos distinctionis realis numericæ assignat, videlicet *Realem essentialem*, *Realem non essentialem*, & *Formalem*. Primò modo distinguuntur ea, quorum vnum non est aliud, & verè inuicem negantur, vt sunt duo indiuidua eiusdem speciei, in quibus quicquid est singulariter tale indiuiduum, non est aliud: vnde natura Petri singularis non est natura Pauli singularis. Pro quo aduertendum est, quod ly *essentialiter* non debet sumi, prout dicit distinctionem quidditatiuam essentiæ, sed prout dicit distinctionem entitatiuam secundùm essentiam, quæ contingit in multiplicatione indiuiduorum. Secundò modo distinguuntur ea, quorum vnum non est aliud, sed vnum singulare est, vtrũque, & est simpliciter vnum. Sed hæc distinctio habet tantùm locum in Deo, in quo personæ distinguuntur realiter, & essentia, quæ est vna simplicissima, est quælibet persona. Tertiò modo distinguuntur ea, quæ de se inuicem affirmatiuè prædicantur, sed aliquid singulare, quod affirmatiuè dicitur de vno, non dicitur de alio, sic se habent essentia diuina, & relatio; siue essentia, diuina, & persona diuina. Atque hæc est tota doctrina Nominalium circa genera identitatum, & distinctionum, quamuis hæc posterior pars contineat solùm quamdam subdiuisionem distinctionis numericæ.

Tres modi distinctionis numericæ.

Resolutio quaestionis.

SECTIO V.

I. Pro resolutione huius difficultatis notandum est primò, Quòd cum quaeritur, quot sunt genera distinctionum, sermo est de distinctionibus, quae constituunt prima genera, & immediatè diuidunt genus vt sic, seu distinctionem in communi sumptam. Hinc enim diuidenda est distinctio in sua genera; cũ autẽ aliquid in inferiora diuiditur, debent ea assignari, quae immediatè se habent ad rationem communem; alioquin si aliquod genus assignaretur, quod immediatè diuideret rationem communem vt sic, aliud verò, quod nõ immediatè diuideret, nimis confusa esset diuisio, & pene infinita membra diuidentia excogitari possent, & rectus ordo procedendi in scientijs tolleretur. Rectus enim modus diuidendi in scientijs est, vt prius ratio communis in membra immediatè se habentia distribuatur, deinde haec ipsa membra subdiuidantur, si opus sit.

Qualiter in diuisione procedendum.

II. Secundò notandum est. Quòd tunc rectè assignatur aliqua diuisio, cũ membra primò diuidentia ita se habẽt ad rationem communem, vt sub seipsis complectantur omnia alia inferiora siuè genera, siuè species, nec sit aliquid, quòd participet rationem communem, & sub ipsis non contineatur: vnde aequè debent patere membra diuidentia simul sumpta, ac patet ratio diuisa: & haec est certissima regula ad inuestigandum, an rectè assignetur diuisio. Hine in assignandis primis generibus distinctionum ita procedere debemus, vt sub ipsis omnes aliae distinctiones, quae excogitari possũt, contineantur tanquam membra subdiuidentia, vel mediatè, vel immediatè.

Quaenam sit recta diuisio.

III. His autẽ praemissis facilis est resolutio quaestionis: vnde dicendum est. Duo esse prima genera distinctionum, & identitatum, nempe Realẽ, & Rationis. Prob. inter Ens reale, & rationis nihil datur mediũ, nã omnino impossibile est, excogitari aliquam rationem entis, quae non dicat aut ens reale, aut ens rationis: nam vel illa ratio entis importat verum ens, quod habeat esse independenter ab intellectu: & tunc erit ens reale; vel non importat ens, quod habeat esse independenter ab intellectu, sed in esse dependeat ab ipso; & hoc erit ens rationis; Et cum aliquod ens necessariò importet, similiter necesse est, vt tale ens aut dependeat ab intellectu, aut non dependeat in esse: haec enim sunt contradictoria, quorum alterum necesse est, verum esse. Quamobrem Ratio illa entis communissima, quae solet concipi tanquam abstrahẽs ab ente reali, & rationis, si daretur, adaequatè diuideretur per ens reale, & rationis; cum autem non detur, saltem ens reale, & rationis erunt prima membra, ad quae quaecunque ratio entis excogitabilis reducetur. Vnde eodem modo philosophandum est de distinctionibus; cum enim habeatur communissimus conceptus distinctionis, qui de suo formali dicit ponere vnum extra aliud, & constituere extrema, quae se mutuò excludant ex vi distinctionis; atque huiusmodi conceptus communissimus, vt pote quia formaliter est quid negatiuum, reperiri possit tam in entibus realibus, quàm in entibus rationis: si quidem entia quoque rationis inter se distinguuntur, atque distinctio formalis ipsorum fundatur in ijsdem distinctiuis, in quibus fundatur distinctio entium realium, quoniam intellectus fingendo entia rationis, sicuti nonenti applicat rationem entis realis, ita etiam applicat distinctiuum entium realium. Cum igitur communissima ratio distinctionis reperiatur tam in entibus realibus, quàm in entibus rationis, distinctio Realis, & Rationis adaequatè, & immediatè diuidunt distinctionem vt sic. Sicuti enim non est excogitabilis aliqua ratio entis, quae non reducatur ad reale, aut rationis, ita neque poterit excogitari aliqua distinctio, quae non reducatur ad realem, & rationis, nam sicuti distinctio consequitur ad ens tanquam quid in ipso fundatum, ita etiam quae adaequant ipsum ens, adaequant etiam, quae ab ipso cõsequuntur, vt pote quia habent eamdem latitudinem cum ipso ente. Per distinctionem autem rationis debet intelligi non solùm distinctio, quae reperitur in entibus rationis, sed omnis distinctio, quaecunque fingitur ab intellectu, quia licet fingatur ab intellectu, adhuc participat formalem rationem di-

Cõclusio. Duo sũt prima genera distinctionum, & identitatum.

Distinctio realis, & rõnis adaequat omnẽ distinctionem.

distinctionis, nam intellectus eam desumit ab entibus, quæ verè distinguuntur, & applicat ijs, quæ non distinguuntur; vnde distinctio rationis non est terminus fictionis intellectus, quasi sit quid fictum, sed entia distincta. Quin addo, quòd aliquando distinctio rationis, vt cum fit cum fundamento intrinseco obiecto, habet, quòd consequatur ab intrinseco rei; cum enim intellectus versatur circa aliquod obiectum, & per diuersos actus concipit separatim diuersas formalitates, vt cū in homine per vnum actum concipit rationalitatem, & per alium animalitatem, tunc distinctio illa, qua hæ formalitates distinguuntur, posito hoc modo concipiendi, consequitur ab intrinseco earumdē formalitatum, quia quælibet habet ex vi sui esse formalis, quòd non sit alia: & propter hāc rationem dixerunt Scotistæ, hanc distinctionem esse ex natura rei, præcedentem operationem intellectus: re vera tamē est rationis, quia licet consequatur ab intrinseco, prouenit tamen ab operatione intellectus, quia illæ formalitates non habent talem modum essendi, quo vna ab alia seorsim existat à parte rei, sed tantùm in esse obiectiuo, atque intellectus est ille, qui tribuit talem modum essendi, dum obiecta realia concipit per diuersos conceptus inadæquatos: vnde cum tribuat talem modum essendi, quia solùm habet locum in esse obiectiuo, causat etiam consequenter distinctionem, quãuis non immediatè, cum consequatur ex formalitatibus habentibus talem modum essendi: & ideo distinctio est rationis, nec vllo pacto præcedit formaliter operationem intellectus, sed solùm virtualiter. Distinctio ergo realis, & rationis adæquatè diuidunt distinctionem vt sic cum complectantur sub se omnes distinctiones excogitabiles: & etiā immediatè, quia non dantur alia membra vniuersaliora, quæ magis immediatè se habeant ad distinctionem vt sic. An autem sint vera genera, & rigorosè dicta, non est hic disquirendum, præsertim quia ex ijs, quæ infra dicturi sumus circa has distinctiones, id facilè vnusquisque colligere poterit.

Quomodo distinctio rōnis sit verè distinctio.

IV. Secunda etiam ratio addi potest inquirendo, An hæc distinctio sit in rebus absque vlla negociatione intellectus, an verò requiratur negociatio intellectus præscindentis, & separantis, vt suo modo habeat esse. Alterum enim ex his duobus necessarium est; quia non datur aliquis alius modus intermedius, quo aliquid possit habere esse. Si autem primum dicatur, iam distinctio ista erit distinctio realis, cum habeat suum esse in rebus ante operationem intellectus, quod enim habet esse independēter ab intellectu, reale est. Si verò admittatur secundùm, constat iam ex terminis ipsis, quod huiusmodi distinctio erit rationis, cum habeat esse solùm per intellectum.

2. ratio. *Omnis distinctio aut fabricata per intellectum, aut independens ab ipso.*

V. Tertiò etiam argumentari possumus ex eo, quòd omnis distinctio cōsurgit ex aliquo esse nam non potest concipi distinctio aliqua, nisi etiam concipiantur extrema, quæ distinguuntur, ergo in omni distinctione debet assignari aliquod extremum, quod secundùm aliquam rationem ab alio distinguatur. Vel ergo hoc esse, prout est extremum distinctionis, est talis condicionis, vt possit esse à parte rei, etiam prout est extremum distinctionis, & tunc distinctio quoque erit à parte rei, quia consequitur esse, quod est à parte rei. Vel est talis condicionis, vt solùm per intellectum habeat talem modum essendi, & tunc etiam distinctio erit tantùm per intellectum; qualis enim est radix, tale etiam est id, quod ipsam consequitur. Et confirmatur, quoniam omnis distinctio consequitur constitutiuum rei in suo esse, constitutiuum enim est etiam distinctiuum, & constitutiuum in esse entitatiuo est etiā distinctiuum secundùm tale esse: vel ergo tale constitutiuum, prout tale est, habet esse à parte rei, & sic etiam constituet distinctionem à parte rei. Vel habet esse tantùm obiectiuè in intellectu, & tunc tantùm constituet distinctionem respectu intellectus, atque adeò Rationis.

3. ratio. *Distinctio proportionatur extremi in quib. fundatur.*

VI. Denique sufficientia huius diuisionis, ex eo quoque colligitur, quòd nulla distinctio reperiri potest, quæ ad alterum ex his generibus non reducatur, vt patebit si per singula genera fiat inductio. Et quidem si loquamur de septem illis generibus, quæ communiter à Scotistis assignari solent, res clara est, nam si loquamur de distinctione reali, & rationis nulla difficultas

4. ratio.

est,

est, vt per se patet, Si verò loquamur de essentiali, hæc reducitur ad distinctionem realem, nam est à parte rei absque vlla operatione intellectus. De distinctione verò ex natura rei controuertitur, an sit in re ante operationem intellectus, an verò tantùm, per intellectum; quicquid verò sit, clarum est, reduci ad vnum ex illis generibus: Distinctio verò formalis solùm habet esse per intellectum, vnde reducitur ad distinctionem rationis; sic etiam distinctio se totis obiectiuè, cùm per ipsos Scotistas reperiatur tantùm inter quasdam rationes, & formalitates præcisas ab intellectu, vt sunt vltimæ differentiæ: Distinctio verò se totis subiectiuè secundùm primum modum, quo explicatur; reducitur ad distinctionem rationis, quia non conuenire in aliqua natura communi per veras differentias contrahibili, est quidam modus essendi, qui est tantùm obiectiuè in intellectu: iuxta verò secundùm modum, quo explicatur, reducitur ad distinctionem realem, cum distinctio sit penes indiuiduum, suppositum, aut subiectum. Et eodem modo philosophandum est de cæteris generibus identitatum, & distinctionum, quæ afferri possunt, nam semper aut habebit esse independenter ab intellectu, aut dependenter ab ipso.

Omnes distinctiones reducuntur ad Realem, aut Rationis.

Obiectio ex Fonseca.

VII. Sed contra hanc diuisionem in hoc sensu allatam insurgit Fonseca 5. Metaph. cap. 6. quæst. 7. sect. 1. quia nullus antiquorum dixit; Figuram distingui realiter à quantitate, & tamen distinguitur ante opus intellectus Præterea dantur multi modi essendi, qui nec sunt entia realia, nec rationis, & tamen distinguuntur tum inter se, tum ab entibus ante operationem intellectus. Vnde concludit, quòd danda sit aliqua distinctio media inter realem, & rationis, quæ sit membrum immediatè diuidens distinctionem vt sic.

Diluitur.

Sed hæc, quæ obijcit, nullius sunt momenti, & procedunt ex eo, quod distinctio realis ab ipso in alio sensu vsurpatur: ipse enim per distinctionem realem intelligit illam, quæ est à parte rei inter rem, & rem; seu inter entitatem & entitatem: nos verò intelligimus illam simpliciter, quæ est à parte rei præscindendo à qualitate extremorum, quæ distinguuntur. Quocirca magis amplè distinctionem realem nos vsurpamus: in sensu verò ab ipso vsurpata est potius quædam species distinctionis realis, quàm distinctio realis vt sic.

Duplex acceptio distinctionis realis.

Hinc ad primam instantiam dico, quòd cum Veteres negant distingui realiter modos illos à subiecto, intelligunt de illa distinctione reali, quæ est inter rem, & rem; non autem de distinctione simpliciter reali; prout dicit esse à parte rei. Ad secundam autem instantiam respondetur, modos illos, licet non sint entitates, habere tamen rationem entis; quam dicunt secundùm suam propriam formalitatem. Sed quicquid sit de hoc, parum interest: sufficit, quòd ante opus intellectus, distinguantur à subiecto; & hoc pacto pertinent ad distinctionem realem. Si verò quis contenderet non distingui ante opus intellectus, tunc dicimus, pertinere ad distinctionem Rationis; vnde semper quicquid dicatur, verum est, ad alterum ex illis duobus generibus reduci.

De Identitate reali. Quid sit.
Disputat. XLIX.

Sententia Scotistarum.

SECTIO I.

I. Vt suam sententiam explicent Scotistæ, videlicet Sirect. tract. de Formalit. art. 4. secundi principalis Trombeta ibid. part. 4. art. 4. notant prius *Reale* deriuare à *Ratus* seu à *Re*: vnde tripliciter accipi potest, prout à triplici *Re* potest deriuare, videlicet à *Re essentiæ*, à *Re existentiæ*, & à *Re subsistentiæ*. Sed in præsenti non sumitur, prout deriuatur à re essentiæ, sed solùm à re existentiæ, & subsistentiæ. Ratio autem huius exclusionis est, quia in diuinis habetur distinctio realis cum vnitate essentiæ. Hoc annotato dicunt; illam esse Identitatem realem, ad quam tria concurrunt: Primum est, quòd vnum non

Sententia Scotist. Sirectus. Tromb.

possit separari ab alio, ita vt hæc separabilitas impossibilis sit. Secundùm, quòd hæc inseparabilitas oriatur ex intima natura ipsorum, & non ex causa extrinseca. Tertium, quòd nulla sit dependentia, aut origo inter ipsa. Primam autem condicionem suadent tanquam necessariam ex Scot. in 2. dist. 1. quæst. 5. Quia sicuti contradictio prolata de aliquibus cum veritate concludit distinctionem existentiæ inter illa; hoc est cum non implicat contradictio, quòd aliqua separentur, concluditur distinctio existentiæ; ita cum implicat, quòd aliqua recipiant prædicationem contradictoriam secundùm existentiam; hoc est cum aliquid non potest existere non existente alio, ita vt hæc separatio impossibilis sit, concludit identitatem realem.

Tres conditiones assignata à rea.

II. Cœteras autem duas condiciones deducunt tanquam consequentes ex prima; atque secunda confirmatur à Siretto, quia nisi hæc condicio adderetur, sequeretur, quod quælibet relatio, quæ per intellectum inest essentiæ diuinæ, esset realis, quòd tamen est falsum. Hanc porrò sequellam probat, quia sunt inseparabiles ab ipsa essentia; si ergo sola inseparabilitas inferret realem identitatem, iam istæ relationes identificarentur cum diuina essentia, quod autem identificatur cũ ente reali, est reale. Tertium denique requisitum probant, quia nihil potest seipsum producere, aut à se dependere, vnde identitas realis, cum faciat idem sibi ipsi, excludit dependentiam, & originem ab ijs, quæ sunt idem identitate reali. Hæc autem est summa sententiæ Scotistarum circa identitatem Realem.

III. Verũ ex hac sentẽtia sic explicata deducũt nõnulla corollaria. Primũ est, q̃ propter defectũ primę cõdicionis partes non sunt idem realiter cũ toto, nã sunt separabiles ab ipso. Secundum, quòd propter defectũ secundæ condicionis relatio rõnis, qua essentia diuina refertur ad creaturas, vt imitabilis ab ipsis, nõ habet identitatẽ realẽ cũ ipsa, quia licet sit inseparabilis, nã nõ põt in tellectus diuinus non intelligere essentiam diuinam vt imitabilẽ à creaturis: ista tamen inseparabilitas nõ pronenit ex intrinseca rõne relationis, sed ab extrinseco, nẽpe ab intellectu diuino, qui nõn potest non intelligere talem relationem. Vnde etiam iuxta sententiam Arist. licet motus sit inseparabilis à cœlo, nã per ipsum illi cõpetit moueri ab æterno, non tamen est idem realiter cũ ipso, quia ista inseparabilitas conuenit ab extrinseco, nẽpe ratione intelligentię mouẽtis. Tertiũ corollariũ est, quòd propter defectũ tertiæ condicionis, totũ non est idem realiter cum partibus, licet sit inseparabile ab ipsis: quia depẽdet ab ijsdem tanquam à constitutiuis. Sic etiam passiones sunt inseparabiles ex natura sua à subiecto, & tamen non sunt idem realiter cum ipso, quia depẽdent ab illo. Quartum corollarium. Ex omnibus his condicionibus simul sumptis deducunt, in diuinis omnia attributa, & omnes personas esse idem realiter cum essentia, quia sunt inseparabiles ex intrinseca natura, neque vllam habent cum ipsa dependentiam, aut originem. Item propter eamdem rõnẽ, differentię essentiales, & oẽs modi intrinseci in eadẽ re sunt idẽ realiter cũ ipsa. Similiter etiam omne superius est idem cum suo inferiori, quatenus existit in illo. Quintũ deniq; corollariũ. Quòd ea, quæ sunt in potentia obiectiua, neq; distinguuntur inter se, neq; sunt idem realiter, quia ad distinctionẽ, & identitatem requiritur, quòd vtrumq; extremũ sit quid positiuum existens.

Quædam corollaria huius sententiæ.

3. corol. 4. corol. 5. corol.

Expenditur allata Opinio.

SECTIO II.

I. Hæc opinio videtur sine aliqua necessitate vti illa distinctione de *Reali*, prout prouenit à *Re existentię*, & à *Re subsistentia* nam si ideo excludunt *Reale*, prout prouenit ab esse essentiæ, quia non facit ad propositum; ex hoc etiam capite debet excludi *Reale*, prout prouenit ab esse subsistentiæ: nam subsistentia vel ponitur habere propriam realitatem, vel non: sed dicit tantùm modum quemdam. Si primum; iam habet etiam propriã existentiã; vnde si adest identitas, aut distinctio secũdũm ipsam, iam est identitas, aut distinctio secundùm realitatem, prout desumitur ab existentia. Si secundum; neq; potest secundũ ipsos distingui realiter, quia non habet propriam realitatem, secundùm quam distinguatur

Inutilis distinctio de Reali desũpto à realitate existẽtiæ, & subsisten tiæ.

realitas enim per ipsos est tantùm illa, quæ per se potest produci, & consequẽter habere propriam existẽtiam; cũ ergo omnis distinctio realis debeat esse secundùm realitatem, & non possit esse realitas, quæ non dicat rem, quæ per se non sit producibilis, nec potest esse, nisi sit secundùm esse existentiæ.

Omnis idẽtitas realis est secundũ realitatẽ etiã existentiæ.

II. Præterea nedum attendendo ipsorum principia, sed etiam veritatem, impertinens est huiusmodi distinctio; nam identitas realis debet esse secundùm rem, prout est à parte rei, aut saltem prout potest esse. Sed quicquid potest esse à parte rei, potest esse existens: & ideo quicquid habet idẽtitatem realem, habet identitatem secundùm realitatem existentiæ. Præterea identitas realis non consequitur, nisi rem indiuiduam, quatenus rõne sui esse indiuidui non est distincta à seipsa: ex hoc ergo fit, quòd omnis realis idẽtitas sit etiam secundùm esse existentię, quia omnis indiuidua realitas, cũ sit producta, vel producibilis, inuoluit etiã existentiã, vel actualẽ, vel possibilẽ. Quocirca non est necesse, recurrere ad illã distinctionem de *Reali*, prout sumitur à *Re existentia*, & à *Re subsistentia*.

III. Quòd autem attinet ad explicationem identitatis Realis, probari mihi non possunt requisita illa, quæ pro huiusmodi identitate necessaria ponuntur. Et quò ad primum, nullo pacto implicantia separabilitatis potest esse constitutiuum huius identitatis, sed potius est quid consequens, ita vt ex illa tanquam ex signo à posteriori colligatur identitas, sicuti ex separabilitate colligitur distinctio. Confirmatur. Valet argumentari saltem tanquã per causam virtualẽ, ideò implicat talis separatio, quia extrema inuicẽ idẽtificãtur realiter, ergo inseparabilitas supponit identitatem constitutam in suo esse saltem in aliquo priori signo.

Inseparabilitas nõ est formale cõstitutiuũ identitatis Realis.

IV. Cętera autẽ duo requisita eadem rõne refutantur; cum enim in ista implicantia separabilitatis fundentur, eadem quoque de ipsis est ratio, & sicut inseparabilitas est posterior identitate, ita etiam talis conditio huiusmodi inseparabilitatis, & negatio dependẽtiæ, & originis. Præterea peculiariter quoque impugnari possunt; & secundùm quidẽ omnino superfluum videtur. Si enim semel concedimus separationem quò ad existentiam implicare, iam ex vi huius implicantiæ sequitur, quòd ista inseparabilitas sit ab intrinseco rei, quæ habet identitatem: si enim esset ab extrinseco, cur saltem per Dei potentiã non posset fieri separatio, aut quæ implicantia, quòd per suspensionem sui concursus tolleret causam illam extrinsecam, ex qua prouenit huiusmodi inseparabilitas, cum omnia ad extra liberè conseruet. Præterea omnis implicantia, prouenit ex essentijs rerum, & æquè se habet tum respectu Dei, tum respectu creati intellectus, quia semper etiam in esse obiectiuo implicant, quæ semel implicant; at quæ proueniunt à causa extrinseca, non proueniunt ab essentijs rerum, nec fundant in seipsis intrinsecam contradictionem; vnde respectu Dei simpliciter non implicant, nec etiam obiectiuè respectu nostri intellectus, sed solùm ex quadam suppositione.

Implicãtia oritur ex rerum essẽtijs.

Si autem fiat recursus ad relationes rationis, quæ Deo inseparabiliter conueniunt, nihil prodest, nam vel loquimur de ipsis fundamentaliter sumptis, vel formaliter. Si primum, cum nihil aliud sint, nisi Deus, quatenus imitabilis à creaturis, identificantur cum ipso Deo, & sunt aliquid reale, & hoc pacto cognoscuntur ab ipso Deo. Si autem sumantur formaliter, tunc sunt entia rationis ficta ab intellectu, & si conueniunt Deo, tantùm rõne intellectus creati cõueniunt, & proinde separabiles sunt ab ipso. Si verò conueniunt Deo etiam respectu intellectus diuini, quod tamen non est probabile, neq; adhuc sequitur, quòd simpliciter inseparabiles sint, quia à nostro intellectu separari posset, dũ cõcipit Deũ absq; his relationib. Deinde si essent inseparabiles, ab intrinseco suo essẽt tales: essent .n. inseparabiles rõne necessariæ cõnexionis, nã tũ essentia diuina ex natura sua exigeret illas relationes, tũ etiã relationes illæ ex natura sua essent cõnexæ cum diuina essentia; relatio enim ex natura sua annexa est cum ratione proxima fundandi, ergo ex intrinseca natura extremorum oriretur inseparabilitas, & tamen non sequeretur identitas, quia adhuc, vt quid superueniens conciperentur relationes istę. Atque ita philosophandum est, si ponantur istæ relationes esse rationis, vt ponunt Scotistæ. Tandem per ip-

Quomodo se habeant relationes Dei ad creaturas.

ipsos quoque, quod in se non dicit aliquid positiuum; quomodo ergo ponunt istam condicionem, vt excludant relationes illas rationis, quæ ideo tribuuntur, quia cum sint entia rationis sufficienter ex natura sua excluduntur, ne possint identificari cum ente reali.

Nõ posse dependere à se ipso prouenit ab identitate

V. Tertia quoque condicio superflua est, quia licet idem non possit dependere, neque originem habere à seipso: hoc tamen non constituit aliquid idem cum seipso, sed supponit, ita vt ex eo, quòd sit idem, non possit dependere, aut originem habere à seipso. Præterea omnis negatio dependentiæ debet fundari in aliquo positiuo, ratione cuius conueniat talis negatio, ergo etiam dicere negationem nedum actualis dependentiæ, sed etiam aptitudinalis debet fundari in aliquo positiuo, ratione cuius implicet, idem dependere à seipso; hoc autem non videtur, quodnam aliud possit esse præter ipsam identitatem.

Cur requisita assignata à Scotistis non possint constituere identitatem.

VI. Denique contra hæc omnia requisita arguitur. Quia ex intrinseca sua ratione non sunt inter se connexa, sed vnum reperitur, sine alio, & proinde sunt realiter separabilia, ergo non possunt simul concurrere ad constituendam vnam identitatem, quia vna identitas est vna simplex ratio, nec inuoluit aggregationem plurium. Præterea inquiro, an dum constituunt identitatem, sint inter se connexa, & inseparabilia, an non. Si primum; cum ex natura sua non sint connexa, debet dari aliquid vnum, in quo connectantur: si autem erit aliquid vnum, iam habebit idẽtitatem independenter ab his requisitis & proinde hæc requisita non erunt cõstitutiua identitatis. Si autem dicatur non esse connexa, sed separabilia, iam sequetur hoc absurdum, quòd identitas poterit tolli ex parte à re illa, quæ habet identitatem, quod omnino implicat. Hæc & similia obijci possent contra huiusmodi requisita pro constituenda identitate, quæ satis conuincũt, quã falsò ponãtur cõstitutiua idẽtitatis.

An partes sint separabiles à toto.

VII. Neque, quæ ex hac opinione sic explicata colligunt Scotistæ, adprobanda sunt. Licet enim ex separabilitate colligatur distinctio, non tamen rectè hanc doctrinam applicant, dum inquiunt, vt in primo corollario retulimus, partes non esse idem cum toto, quia ab ipso separari possunt. Nam possumus ab ipsis inquirere, dum asserunt, partes esse separabiles à toto, an intelligant de partibus omnibus simul sumptis, & tunc falsum assumunt, quia partes simul sumptæ sunt ipsum totum, vnde ratio totius separari nõ potest ab ipsis. Si verò loquantur de singulis partibus seorsim acceptis, hæ tantùm se parari possunt ab alijs partibus componentibus vnum totum, non autem à toto: vnde ab ipsis solùm distinguuntur, & ad summum possunt dici separabiles à toto, quatenus separantur à partibus, ex quibus ipsum componitur. Præterea cum omnis realitas per ipsos dicat aliquid per se producibile, si partes realiter distinguerentur à toto necesse esset, vt totum, prout contradistinctum à partibus haberet suam realitatem: hinc autem sequeretur, quòd destructis partibus, non destrueretur totum, & quòd totum esset producibile absque eo, quòd partes existerent, aut producerentur, quod quàm absurdè diceretur, per se clarum est.

Totũ non distinguitur separabiliter à partibus.

VIII. Secundum quoq; corollariũ falsum continet, vt patet ex dictis in examinanda secunda condicione. Tertium similiter vt falsum reijciendum est. Si enim totum realiter distinguitur à partibus, iam habet per ipsos suam realitatem se sola producibilem: ex hoc autem fit, quòd possit intelligi totum vt terminus productionis absque eo, quòd intelligantur partes; quod enim est per se terminus productionis, potest se solo secundùm propriam rationem intelligi absque aliquo alio. Cum autem totum essentialiter constet ex partibus componentibus, non potest intelligi, quòd existat, nisi etiam intelligatur, partes existere, ex quibus constat; est enim maxima implicantia, quòd intelligatur cõstitutum absque suo constitutiuo. Deinde si ideo separari non potest totum, licet realiter distinctum, à partibus, quia ab ipsis dependet, peto in quo genere causæ dependeat, an in genere efficientis, an in genere materiali, an verò in formali; non in genere efficientis, quia partes nõ concurrunt effectiuè ad totũ: deinde cum dependentia efficientis possit suppleri à Deo, sicuti etiã dependentia causæ materialis, quemadmodũ supplet respectu accidentium in eucharistia, posset etiam hanc dependentiam totius à

partibus, supplere. Restat ergo, quòd sit in genere causæ tum formalis, tum materialis intrinsecæ componentis, nam non esse in genere causæ finalis certum est; et ex hoc conuincitur, quòd totum non distinguatur realiter separabiliter à suis partibus, seù realiter entitatiuè, quia effectus formalis non distinguitur entitatiuè à causa formali, aut materiali intrinsecè componente.

Vera sententia.

SECTIO III.

Duplex oppositio inter Idem, & Diuersũ

I. Vt veram sententiam explicemus circa identitatam realẽ, aduertendum est, quod *Idem*, & *Diuersum*, seu *Distinctum* duplici oppositio ne opponuntur, nimirum Positiua, & Negatiua, seu Priuatiua. Si enim *Diuersum*, seu *Distinctum* consideretur materialiter, seu secundùm rationem entis, opponuntur positiuè: & hoc docuit Arist. 10. Metaph. tex. 9. vbi habet quòd ex quatuor modis oppositionis duo interueniunt inter *Idem*, & *Diuersum*, Priuatiuum quidem, & Contrarium; non autem contradictorium, aut relatiuum: oppositio autem contraria profecto ex parte vtriusque extremi positiua est. Si verò *Diuersum* seu *Distinctum* consideretur formaliter, nempe secundùm formam, qua constituitur Distinctum, cum hæc sit tantùm negatio identitatis, consequenter dicendum est, opponi oppositione negatiua, siue priuatiua; quia ratio diuersitatis, aut distinctionis, secundùm quam opponitur, est ratio tollens identitatem. Deinde aduertendum est. Quòd in decisione huius quæstionis proportionaliter procedendum est ad ea, quæ diximus de vnitate transcendentali: cum enim identitas sit quædam vnitas inuoluit consequenter in se ipsa vnitatem transcendentalem, & insuper addit supra ipsam rationem talis vnitatis, qua constituitur in ratione identitatis. In hoc autem, quòd superadditur necessariò seruanda est proportio ad vnitatem transcendentalem. Hinc ergo fit, quòd sicut vnitas transcendentalis dicit aliquid positiuum, vt suo loco probatum est, quo ens constituitur indiuisum in se, ex quo

Arist.

Idẽtitas realis seruat proportionẽ ad vnitatem transcendẽtalem.

etiam sequitur diuisio à quocunque alio, ita etiam identitas realis debet dicere aliquam positiuam rationem, qua aliquid constituitur idem in se, seu entitatiuè indiuisum, ex quo postea sequetur diuisio à quocunque alio.

II. Denique obseruare oportet, quòd identificari cum alio, etiam prout realiter dicit esse tale solùm à parte rei, non posse conuenire, nisi ijs rebus, quæ habent rationem identificabilitatis, quia sicut non potest aliquid alteri vni ri, nisi sit vnibile; ita nec potest aliquid cum alio identificari, nisi habeat aliquid, secundùm quod identificetur. Ratio autem identificabilitatis in eo consistit, quòd res identificabilis dicat aliquam rationem entis, quæ secundùm suum esse propriè sit capax existentiæ, & entitatis, licet non se sola, sed vnita cum alijs rationibus, cum quibus est simul producibilis: sic quia rationes inferiores identificantur simul cum superioribus, & econtra superiores cum inferioribus vnaquæque illarum intrinsecè est capax existentiæ, & entitatis propriè dictæ, & intrinsecè terminat productionem. Ratio autem est, quia idem non potest esse diuersum à seipso; si autem vnaquæque ratio non esset capax suæ partialis identitatis, sed aliqua tantùm, iam poneretur diuersitas in ipsis, nec possent constituere vnam identitatem. Præterea identitas dicit vnitatem secundùm illam rationem, secundùm quam est identitas, cum ergo identitas sit secundùm esse, & realitatem, debet dicere vnitatem entitatis participatam ab omnibus rationibus, quæ simul identificantur.

Quibus conueniat identitas realis, & quid identificabilitas.

III. His ergo prænotatis, facilis est resolutio difficultatis. Vnde dicendum est. Identitatem consistere in vnitate entitatis, si secundùm seipsam explicetur: si verò explicetur in ordine ad causam efficientem, consistit in vnitate producibilitatis, seu in connexione illa necessaria, quàm habent rationes omnes in ordine ad producibilitatem in eadem entitate. Nomine autem producibilitatis intelligitur non producibilitas propriè dicta, sed quæcunque aptitudo, quam habet res, vt ponatur à parte rei. Sic autem explicata conclusio probatur, Identitas enim solùm saluare debet rationem talis vnitatis, cum sit quædam vnitas: cum

Concl. In quo formaliter consistat idẽtitas Realis

In quo saluetur idẽtitas

ergo vnitas sit positiua ratio, qua res constituitur indiuisa in se, iam identitas, cum sit vnitas secundùm realitatem rei, & realitas rei, prout est à parte rei, non sit aliud, quàm entitas ipsius, erit vnitas secundùm entitatem. Et confirmatur. Vnitas transcendentalis ratione positiui, quod dicit, est tantum ratio entis, quatenus simplex, & indiuisa in ratione entis, ergo seruata proportione identitas erit ratio entitatis, quatenus simplex, & indiuisa. Præterea posita vnitate in ratione entitatis, quam habet ratione suæ simplicitatis, constituitur talis species vnitatis, & entitas constituitur indiuisa in se in ratione entitatis, ergo per hoc formaliter habetur identitas realis; identitas enim realis est talis vnitas, & per ipsam constituitur res indiuisa in se entitatiuè.

2. ratio. IV. Secundò etiam addi potest, quia illa connexio rationum, qua in ordine ad producibilitatem in eodem esse physico connexæ sunt, necessariò facit rationes illas terminum vnius productionis inseparabiliter, ita vt vnaquæque cum alijs sibi correspondentibus debeat produci, ergo ponit identitatem in entitate, prout est à parte rei; hæc autem identitas in nullo alio consistit, quam in vnitate entitatis. Consequentia probatur, quia productio, quocunque modo se habeat, reddit actuale totum id, quod dicit terminus illius secundùm potentiam obiectiuam, atque adeo etiam connexionem illam, quam ex intrinseco suo habent rationes illæ obiectiuæ inter se; cum ergo reddat actuale conferendo rationem entitatis, seu entis physici in actu, iam etiam connexioni illi tribuet rationem entis in actu, atque adeo connexio illa tanquam ratio entis in actu connectet omnes illas rationes: connexio autem secundùm rationem entis est identitas realis.

Quomodo identitas realis consurgit ex connexione intrinseca diuersarũ formalitatum.

3. ratio. V. Præterea Posita hac vnitate entitatis habetur sufficiens fundamentum, ex quo consequatur inseparabilitas, ita vt non possint quò ad existentiam per quamcunque potentiam duo contradictoria verificari de eadem entitate, ergo ex vi vnitatis entitatis habetur identitas. Antecedens certum est, quia hæc vnitas, & simplicitas entitatis fundatur in intrinseca illa connexione, quam habent prædicata, & rationes obiectiuæ in ordine ad existentiam; quæ cum essentialis sit, neque etiam per Dei potentiam variari potest. Consequentia verò patet, quia inseparabilitas, præsertim illa, quæ implicat, non in alio fundatur, quàm in identitate, vnde ponitur tanquam signum illius. Hinc Arist. 1. Phys. tex. 60. colligit distinctionem inter materiam, & formam ex eo, quòd sunt separabiles. & D. Aug. 7. de Trinit. c. 3. & lib. 6. cap 5. ex eodem signo colligit distinctionem inter magnitudinem, & colorem.

Vnitas entitatis est fundamentum inseparabilitatis.

Arist. D. Aug.

In quo consistit distinctio Realis. Disp. L.

Auctorum sententiæ.

SECTIO I.

I. Explicata identitate reali, statim occurrit eius oppositum, nempe distinctio Realis, de qua inquirendum est, in quonam formaliter consistat. Circa autem hanc quæstionem duplicem reperio sententiam. Prima est Scoti, & Scotistarum præcipuè Sireti in suis Formalit. art. 2. principali par. 5. eiusdem art. Trombetæ ibid artic. 4. par. 4. eiusdem artic. conclus. 2. Meurisse 2. Metaph. cap. 3. quæst. 2. & sequitur Achill. tract de distinct. cap. 22. Volunt, distinctionem realem esse inter illa, quæ habent formaliter aliã, & aliam realitatem positiuam actualis existentiæ, vel subsistentiæ. Requiritur, quòd habeant aliam, & aliam realitatem, quia, quæ habent vnam tantùm realitatem, non distinguuntur realiter. Debet autem esse positiua, quia distinctio realis debet esse secundùm extrema positiua, vnde debent excludi negationes, & priuationes. Præterea debet hæc realitas esse actualis existentiæ, vt excludantur quidditates rerum, quæ non possunt distingui realiter inter

1. opinio Distinctionẽ realẽ importare aliam, & aliam realitatẽ. Scot Sirect Tromb. Meurisse. Achil.

se. Ponitur denique vel actualis subsistentiæ, vt includantur personæ diuinæ, quæ solùm secundùm subsistentias realiter distinguuntur. Vnde ex his inferunt, quòd distinctio realis est inter ea, quorum vnum potest esse sine alio, Fundamentum autem est, quia idem non potest simul esse, & non esse; ergo si semel vnum potest esse sine alio, iam habet realitatem distinctam, secundùm quam potest esse, cum habeat negationem identitatis cum illo. Hanc sententiam sequũtur fere communiter etiam Thomistæ; & solùm in hoc differunt, quod Scotistæ volunt, omnia, quæ distinguuntur secundùm realitatẽ, & realitatem, posse etiam inuicem separari; Thomistæ verò negant, id esse vniuersaliter verum.

In quo differant Thomistæ a recenti sententia.

II. Secunda sententia est Heruei quodlibet. 3. quæst. 3. Dnrandi in 1. dist. 2. quæst. 2 num. 6. quam etiam sequitur Hurtad. in Metaph. disp. 6. sect. 2. Volunt, distinctionem realem esse illã, quæ contradistinguitur à distinctione rationis, & est omnis illa, quæ reperitur à parte rei ante operationem intellectus. Potest etiam tribui hæc sententia Nominal. dum tantùm duo genera distinctionum ponunt; Realem videlicet, & Rationis. Cum enim quæcunque distinctio reperitur in re ante opus intellectus, non sit distinctio rationis, necessariò reducenda est ad Realem. Imo Thomistæ quoque in hac sententia esse debent, cum ipsi quoque duo tantùm genera prima distinctionum ponant Realem, & Rationis: vnde nescio, quomodo pro priori sententia citari possint, si loquantur de distinctione reali, prout est primum genus diuidens distinctionem vt sic. Solùm ergo prior sententia potest ipsis tribui, prout loquuntur de distinctione reali, quæ non est primum genus, sed aliqua species.

2 opinio Distinctionẽ realẽ esse illã, quæ est à parte rei. Herv. Durand. Hurtad

Nomin.

Thomist.

Resolutio quæstionis.

SECTIO II

I. In hac sententiarum varietate nihil ferè discriminis reperio, atque controuersia solùm est in verbis, orta ex diuersa explicatione, seu acceptione terminorum; vt autẽ omnis ambiguitas tollatur. Notandum est, quòd communiter distinctio Realis accipitur pro ea distinctione, quæ est à parte rei inter rem, & rem, non quòd hæc importet primum genus distinctionis respectu distinctionis vt sic, sed quia ex communi vsurpatione vsus obtinuit, quod huiusmodi distinctio nomine generis appelletur. In tradenda tamen doctrina de distinctionibus non est standum communi vsui, sed enucleatius earumdem natura declaranda est, & quid in rigore spectata veritate dicendum sit, attendendum est. Certum autem est, quòd Reale dicitur omne id, quod est à parte rei, & contradistinguitur ab omni eo, quod est fabricatum per intellectum; quia nõ potest aliquid constitui in aliquo ordine, nisi participet rationem illius ordinis saltem aliquo modo sufficienti, vt possit in tali ordine constitui; at quod est à parte rei, constituitur in rerum natura: quod autem est fabricatum per intellectum, non potest constitui in rerum natura, imo contradistinguitur ab eo, quod constituitur. Si ergo, quod est per intellectum, est aliquid rationis, quia est in ordine entium, quæ per rationem fabricantur, quod erit in ordine entium realium necessariò erit aliquid reale:

Communis acceptio distinctionis realis.

Quidnã reale dicatur.

II. Secundò etiã aduertere oportet, quòd distinctio potest considerari, & secundùm seipsam, & ex parte extremorum. Primo modo, attenditur qualitas ipsius distinctionis, hoc est illud non esse aliud extremorum; & qualificatur ex modo, quo vnum extremũ est extra aliud. Secundo modo attenditur qualitas extremorum, vnde si distinctio sumat denominationẽ ab ipsis, qualia erunt extrema, talis quoque erit distinctio. Cœterum in tradenda doctrina, & inuestiganda natura distinctionum, attendere præcipuè debemus distinctionem secundùm seipsam quia tali pacto dicit propriam, & quidditatiuam rationem formalem. Si verò attendatur, quatenus qualificata ab extremis, iam non amplius attenditur formalitas distinctionis, sed denominatio sumpta ab extremis.

Qualitas distinctionis ex duplici capite consideratur.

III. Dicendum est ergo. Distinctionem realem esse illam, quæ est à parte rei nemine cogitante: ita vt sit inter extrema, quæ habeant distinctam producibilitatem. Nomine autem producibilitatis non debet intelligi pro-

Concl. Quænam sit distinctio realis.

producibilitas propriè dicta sed largè sumpta, prout dicit illud posse poni extra causas, & à parte rei constitui, quocunque modo contingat, siue per emanationem, siue per qualibet resultantiam etiam impropriè dictam, vt etiam disp. præcedenti dictum est. Hæc autē conclusio sic explicata nulli argumento in oppositum, quod sit alicuius momenti, subiacet, & habet probabilio rem sensum, & explicationem, quàm si dicamus distinctionem realem esse illā, quæ est inter rem, & rem, posita enim conclusio explicat rationem formalem distinctionis realis. Et suaderi potest, quia dum ponimus distinctam producibilitatem, auferimus connexionem illam, qua ab intrinseco rationes quiddi ativæ connectuntur in ordine ad producibilitatem in eodem esse, & relinquimus esse terminorum, ergo relinquimus extrema distincta realiter, hoc est nemine cogitante, ante opus intellectus. Consequentia autem satis clara est, quia sicuti iden titas consurgit ex rationibus, quæ inuicem identificatur, & ex connexione illa tanquam ratione formali identificationis: ita à parte rei ablata hac connexione, & positis extremis habetur tota oppositio identitatis; nam per ablationem illius connexionis ponitur oppositum negatiuum, seu priuatiuum identitatis; & cum relinquantur extrema positiua cum tali distinctione producibilitatis, ponitur etiam oppositum positiuum identitatis.

Per quid auferatur idēt. tas realis.

IV. Secundò etiam suaderi potest, quia sicuti fundamentum inseparabilitatis quò ad producibilitatem, itaut implicet separabilitas, constituit identitatem realem, ita ex opposito fundamentum separabilitatis constituet distinctionem realem: sed quæ habent distinctam producibilitatem, possunt separari ad inuicem quò ad esse, quia potest produci vnum sine altero; vnde possunt contradictoria de huiusmodi extremis verificari; nempe esse, & non esse; produci, & non produci; ergo quæ habent distinctam producibilitatem, habent distinctionem realem. Quocirca distinctio realis in nullo alio consistet formaliter, quàm in extremis quatenus non habent intrinsecam connexionem in ordine ad productionem.

2. ratio.

Fundamētū distinctionis realis.

V. Secundò dicendum est. Si distinctio consideretur, quatenus qualificatur ab extremis, illa est distinctio Realis, quæ est inter rem, & rem. Nomine autem rei intelligi debet quodcūque reale positiuum, quod sit à parte rei, & habeat suam peculiarem producibilitatem, seu suum proprium esse. Hoc ideo addidi, vt includantur etiam Personæ diuinæ, quæ ratione solius originis, aut relationis inuicē distinguuntur realiter, & extrema distinctionis sunt rationes reales positiuæ habentes in filio, & spiritu sancto suam propriam producibilitatem. Ratio autem huius conclusionis est, quia realitas ex parte extremorum dicit aliquid positiuum, & esse proprium distinctum ab alijs rebus, quæ sunt à parte rei; si ergo distinctio realis sumitur, prout dicitur talis ex parte extremorum, debent extrema dicere aliquam propriam realitatem.

2. concl.

Quænam sit distinctio realis qualificata per extrema

VI. Sed contra prædicta insurgit grauis obiectio, nā modi, vt sessio idētificātur realiter cū subiecto, cuius sunt modi, & tamen à parte rei ab ipso distinguuntur, ergo identificatio realis stat cum distinctione à parte rei, ergo distinctio à parte rei non est distinctio realis, quia distinctio realis opponitur identitati reali. Pro solutione autem huius difficultatis supponendum est, quòd modi, qui dicuntur realiter identificari cum subiecto, non habent propriam entitatem, sed solùm sunt modi entitatis, quam afficiunt. Vnde ex hoc fit, quòd non possint positiuè identificari cum re, cuius sunt modi, quia vt aliquid cum alio identificetur, necesse est, vt ex intrinseco suo sit capax entitatis, quia identificari cum alio non est aliud, quàm habere eamdem entitatem cum illo: quomodo ergo, quod ex intrinseco suo non est capax entitatis, potest habere eamdem entitatem cum subiecto? Præterea ad desitionem modi vel desinit aliqua entitas subiecti, vel non. Si desinit, quomodo est eadem entitas modi cum entitate subiecti? Si enim aliqua entitas desinit non desinente alia, profectò ab ipsa distinguitur, neque enim potest eadem entitas desinere, & remanere, alioquin contradictoria de eodem verificarentur. Si verò non desinit aliqua entitas subiecti desinente modo, iam modus positiuè non identificatur cum entitate subiecti. Dicendum est igitur, hos

Obiectio.

Solutio.

Quomodo modus identificetur cū subiecto

mo

modos negatiuè tantùm identificari cum subiectis, hoc est non habere propriam entitatem distinctam ab entitate subiecti, sed solùm esse in rebus, quas afficiunt, ita vt nihil aliud sint, quàm res ipsa tali, aut tali pacto secundùm suam entitatem se habens. Cum ergo possit desinere tali pacto se habere absque eo, quòd aliquid entitatis amittat; hinc fit, vt modi isti distinguantur in re à subiecto, & hæc distinctio opponatur identitati reali, quia tamen non habent propriam entitatem, ideò dicuntur identificari negatiuè cum suo subiecto.

An distinctio realis adæquetur per distinctionem inter rem, & rem. Disp. LI.

Punctus difficultatis, & Auctorum opiniones.

SECTIO I.

I. Nomine distinctionis realis intelligimus illam, quæ est à parte rei nemine cogitante; & de hac inquirimus, an adæquetur per distinctionem realem, quæ est inter rem, & rem; an verò à parte rei concedenda sit alia distinctio, quæ non sit inter rem, & rem, & præcedat in rerum natura quodlibet opus intellectus. Difficultas autem esse potest de pluribus generibus distinctionum, vt patet in recensitis ex Scotistarum sententia; sed hic non oportet inquirere de singulis, hoc enim commodius præstabimus, cum in particulari de ipsis agemus; solùm ergo inuestigandum erit de distinctione, quam vocant modalem, & est inter rem, & modum rei. Difficultas autem in hoc sita est, an huiusmodi distinctio pertineat ad distinctionem rationis, an verò ad distinctionem realem.

II. In hac autem controuersia pro prima sententia citantur Durand. in 1. dist. 2. quæst. 2. Henr. quodlib. 3. q. 3. Ocham. in 1. dist. 2. quæst. 3. Gandauens. 2. Metaph. quæst. 10. asserentes; Omnem distinctionem realem esse inter rem, & rem, & negantes distinctionem modalem, tanquam eam, quæ sit à parte rei, vt præcipuè habetur apud Suarez in Metaph. disp. 7. sect. 1. num. 9. Verùm immeritò hæc sententia his Doctoribus tribuitur. Nam verum quidem est, ipsos negare distinctionem mediam inter distinctionem realem, & rationis, non tamen negant distinctionem modalem: sed æquiuocatio oritur ex diuersa acceptione terminorum; nam cum isti Auctores negant distinctionem mediam inter Realem, & Rationis, sumunt ly Realem pro ea distinctione, quæ est à parte rei, vt patet ex citatis locis, & rationibus, quas pro sua opinione adducunt. Dum verò alij Auctores hanc sententiam ipsis tribuunt, putant, eos accipere distinctionem realem, prout dicit distinctionem inter rem, & rem, alioquin non possent huiusmodi sententiam ipsis tribuere.

1. opinio Omne distinctionē realē esse inter rem, & rem. Durand. Henr. Ocham. Gaudau.

III. Secunda ergo sententia est Soncin. 7. Metaph. quæst. 36. & aliorum Recentiorum apud Fonsecam 5. Metaph. cap. 4. quæst. 7. sect. 2. qui reuera negant distinctionem modalem esse à parte rei, & eam reducunt ad distinctionem rationis. Putant enim, omnia, quæ non distinguuntur vt res, & res, distingui tantùm per operationem intellectus: vnde consequenter volunt, distinctionem realem adæquari per distinctionem inter rem, & rem. Fundamentum autem huius sententiæ est, quia non datur medium inter ens reale, & rationis, ergo neque inter distinctionem realem, & rationis; si autem daretur à parte rei distinctio modalis, quia modus non habet entitatem propriam, daretur medium inter distinctionem realem, & rationis. Confirmatur. Distinctio est passio entis, ergo non potest latius patere, quàm ens, nec distinctio realis, quàm ens reale; sed modus non est ens reale, ergo non potest distinctio realis extendi ad ipsum. Secundò. Vel extrema huius distinctionis sunt res, vel nihil: si primum,

2. opin[illegible] se à [illegible] te rei [illegible]

mum, ergo est distinctio inter rem, & rem; si secundum, ergo est distinctio rationis, seu inter non entia.

3 Sent. Distinctionem realẽ non adæquari per distinctionem quæ est inter rem, & rem. Fonseca Suarez Hurtad Serna.

IV. Tertia sententia est Scotistarum, quam etiam sequuntur nonnulli Nominales, & Neutrales communiter Fonseca 5. Metaph. cap. 4. q. 6. sect. 2. Suarez in Metaph disp. 6. sect. 1. num 16. Hurtad. item in Metaph. disp 6. sect 2 Serna in Log ca disp. 1. sect. 4. art. 4. & alij, qui asserunt, dari hanc distinctionem modalem à parte rei ante opus intellectus, atque adeo non esse distinctionem rationis. Verùm ita ponunt hanc distinctionem, vt sit membrum immediatè diuidens distinctionem vt sic, non verò, quòd sit genus distinctionis realis. Sed dissentit Hurtadus, qui vult, distinctionem vt sic immediatè diuidi in Realem; & Rationis, & nomine Realis intelligit quamcunq; distinctionem, quæ fit à parte rei, quẽadmodum nos quoq; superius tradidimus.

Vera sententia.

SECTIO II.

I. VT autem veram sententiam explicemus, præmittendum est primò. Quòd nomine distinctionis rationis hic non debet intelligi distinctio illa, quæ intercedit inter non entia, seu entia rationis, quia licet sit rationis, quatenus est ficta per intellectũ ex eo, quòd fingit ipsa entia rationis, quia tamen sicuti entia rationis, dicũtur entia per ordinem ad entia realia, & positiua, ita etiam habent suas distinctiones per ordinem ad distinctiones, quæ intercedunt inter entia positiua, & ideo non sumuntur tanquam membrũ contradistinctum à distinctione reali. Distinctio ergo rationis sumitur, prout conuenit entibus realibus, & positiuis: sed ex eo dicitur rõnis, quia fabricatur per intellectum. Entia enim realia sunt illa, quæ diuiduntur in diuersos conceptus, sic essentia hominis, quæ realiter est vna, & positiua, diuiditur in rationalitatem, & animalitatem: tàm autẽ rationalitas, quàm animalitas, licet distinctæ sint per opus rationis, sunt tamen conceptus reales positiui, & hæc distinctio in ente positiuo fundatur.

In quo sensu accipiatur distinctio Rationis

II. Secundò etiã præmittere oportet duplicem illam considerationẽ, quã superius attulimus de distinctione videlicet considerata secundùm esse proprium formale, & prout qualificatur ex parte extremorum: vnde etiam quæstio duplici modo resolui potest, & de distinctione vt dicit rõnem formalem distinctionis in recto, & de distinctione pro vt importat id, quod dicit in obliquo, nempe extrema: hoc enim pacto considerabitur, prout qualificata per extrema: & sicuti primo modo dicit extrema in obliquo, posteriori modo eadẽ dicet in recto, vt formalia qualificatiua. Si enim hoc posteriori modo consideretur, militat quædam peculiaris ratio de distinctione modali, quia cum in ipsa alterum extremum sit modus quidam, qui non dicit propriam entitatem, aliquid peculiare ex hoc capite habebit, quod non habeat distinctio illa, cuius vtrumque extremum dicit propriã entitatẽ.

Duplex consideratio distinctionis.

III. Denique præmittendũ est tanquam certum, dari quosdam modos extrinsecos rebus, & merè accidentales, vt est sessio respectu sedentis, figura respectu quantitatis: qui si attentè considerentur, in seipsis non sunt entia, sed solùm afficiunt res ipsas tanquam modi entis. Quod ex eo colligimus, quia si essent entia in seipsis, non possent esse modi entis; nam esse modum entis ex intrinseca sua ratione dicit tantùm in obliquo rationem entis, & hoc habetur ex vi modi vt sic, quia modus essentialiter tantùm in obliquo dicit rem, cuius est modus. Et confirmatur ex eo, quia non possumus concipere huiusmodi modos, nisi concipiamus etiam entitatẽ subiecti; quòd si haberent propriam entitatem, possent concipi tanquam entia in seipsis, nihil cogitãdo de entitate subiecti tanquam de constitutiuo illorũ in esse entitatiuo. Sic figura intrinsecè inuoluit quantitatem; & hoc ipsum inductione patet etiam in cœteris.

Modus non est ens in seipso.

IV. His præmissis pro resolutione Dico primo. Dari quãdam distinctionem, quæ non sit inter rem, & rem, sed inter rem, & modum, quę si secundũ esse proprium, & formale distinctionis cõsideretur, omnino fit à parte rei nemine cogitãte, atq; adeo realis sit. Rõ huius concl. à posteriori desumenda est, videlicet ex præcipuo signo distinctionis, quæ est separabilitas. Modi .n. isti, quos diximus, esse alterum extremum huius distinctionis, à parte rei nemine cogitã-

1. concl. Datur à parte rei distinctio modalis nemine cogitãte

te sunt separabiles à subiecto absq; eo, quòd aliquid entitatis subiecti deperdatur, ergo, signum est, distingui vera distinctione à parte rei reali. Consequentia ista per se nota est, nam euidentissimum est, quòd quotiescunque aliquid separatur ab alio absq; eo, quòd istud aliquid de sua entitate deperdat, id, quod separatur, debet esse distinctũ ab eiusdem entitate, quæ remanet, alioquin contradictoria de eodem verificarentur. Antecedens autem probari pôt inductione, nam sessio separatur à sedente præter quodcunq; opus intellectus, absq; eo quòd deperdatur aliqua entitas de sedente, nam reuera à parte rei ex sedente fit non sedens: item seruata tota entitate quantitatis deperditur præsens figura, & alia succedit, quod præsertim patet in rebus fluidis, quæ variantur in figura ex sola variatione continentis; & hic idem discursus fieri potest per singulos hos modos accidentales.

Modi separabiles à subiecto.

V. Secundò etiam confirmari potest conclusio. Vna quantitas mutari potest de vna figura in aliam, & valet ista propositio ***Figura à parte rei non est quantitas***: rursus etiam valet ista. ***Figura non potest concipi sine quantitate***, ergo figura distinguitur à parte rei à quantitate, & non tanquam res à re, sed tanquam modus, & proinde necessariò concedenda est distinctio aliqua, quæ fit à parte rei, & non fit inter rem, & rem. Antecedens quò ad singulas partes est clarum, nam remanente eadem quantitate experimur mutationem de vna figura in aliam: vnde conuincitur ex hoc etiam secunda pars, quòd à parte rei figura non sit quantitas, quia quando vnum à parte rei mutatur, & non mutatur aliud, seu quando idem remanet sub diuersis terminis, tunc verum est dicere, quòd à parte rei vnum non sit aliud. Præterea, quòd non possit concipi figura absque quantitate, id patet ex conceptu, quem de ipsa formamus, & prouenit ex vi modi vt sic, vt supra etiam adnotauimus. Solùm ergo ostendere oportet, quomodo consequentia in isto antecenti fundetur. Et quidem quod spectat ad distinctionem; fundatur distinctio realis in eo, quod à parte rei figura non sit quantitas, & quod eadem quantitas secundùm propriam entitatem possit esse successiuè sub diuersis figuris. Quòd autem sit distinctio tanquam modi à subiecto, funda tur in eo, quòd figura non habeat propriam entitatem, nec possit concipi sine entitate subiecti.

2. ratio.

Quãtitas eadẽ pôt recipere diuersas figuras.

VI. Dico secundò. Hanc distinctionem, si consideretur secundùm seipsam formaliter in ratione distinctionis, esse æquè realem, ac est illa, quæ est inter rem, & rem. Hæc conclusio non indiget alia probatione, nisi vt eius sensus rectè explicetur. Distinctio igitur secundùm se considerata nihil aliud dicit, nisi quòd vnum extremum non sit aliud, ita tamen, vt à se formaliter excludat esse extremorum, & tantùm ea connotet in obliquo. Ex quo fit, vt distinctio considerata, secundùm id, quod dicit formaliter in recto, non pendeat à qualitate extremorum, sed solùm ab extremis in confuso sumptis, præscindendo ab eo, quòd sint talia, vel talia, quia connotat tantùm illa secundùm rationem extremi formaliter, non autem connotat vt habentia tale, vel tale esse, quia hoc pertinet ad esse materiale. Hinc autem sequitur, quòd cum distinctio in eo consistat, quòd vnum extremum non sit aliud modo explicato, non possit distinctio realis ex vi sui esse formalis dicere aliquid positiuum reale, quia hoc positiuum formaliter non diceret illud *Non esse aliud* in quo consistit ratio formalis distinctionis; sed tantùm prout realis est, dicit, quòd sit à parte rei inter extrema, quæ à parte rei se inuicem excludant, ita vt vnum non sit alterum. Cum ergo iam distinctio, quæ est inter rem, & rem, & quæ est inter rem, & modum æquè fiunt à parte rei, & vtraque æquè dicat, vnum extremum non esse aliud, iam æquè etiam erunt reales.

2. concl. Distinctio modalis est æque realis in ratione distinctionis ac illa, quæ est inter rẽ, & rem.

VII. Dico tertiò. Hanc distinctionẽ, si cõsideretur ex parte extremorũ, inuoluere aliquid rõnis, atq; adeo ex hoc capite posse aliquo pacto dici distinctionẽ rõnis, simpliciter tamen non esse ita appellandã. Rõ huius cõclusionis desumẽda ẽ ex parte alterius extremi, nẽpe modi. Cũ enim modus ex se nullã dicat propriam entitatem, & præcisa entitate subiecti nulla ei remaneat entitas, hinc fit, vt non possit concipi tanquam extremum contradistinctum à subiecto,

3. concl. Distinctio modalis quomodo inuoluat aliquid rationis.

nisi

niſi ei tribuatur per intellectum aliqua entitas: neque enim poteſt intellectus ferri in aliquod obiectum, quod per ſe terminet intellectionem, niſi habeat aliquam rationem entis, & ſi concipiatur tanquam exiſtens à parte rei, debet inſuper habere rationem entitatis poſitiuæ, cum ratio entis ſit obiectum intellectus, ratio verò entitatis ſit illud ens, quod dicuntur res, quando ſunt à parte rei. Quocirca non poteſt intellectus concipere modum, prout eſt à parte rei extremum contradiſtinctum à ſubiecto, niſi ei tribuat entitatem aliquam: cum autem tribuimus aliquid alicui, quod ipſi non conuenit, iam conficimus ens rationis; & ſicut cum aliquid, quod non eſt ens, concipimus ad modum entis, conficimus ens rationis, ita etiam cum aliquid, quod non eſt entitas, concipimus ad modum entitatis. Vis ergo argumenti in hoc ſita eſt, quòd diſtinctio debet intelligi inter extrema, vt contradiſtincta ſunt; cum ergo non poſſit intelligi modus vt contradiſtinctus à ſubiecto, niſi cum aliquo figmento rationis, conſequens eſt, vt huiuſmodi diſtinctio, ſi conſideratur ex parte extremorum, ex parte alterius ſit diſtinctio per opus rationis. Quòd autem diſtinctio rationis non ſit appellanda, neque ad hoc genus reducenda, facilè ſuadetur, quia tum in denominatione, tum in reducenda ſpecie ad aliquod genus, attendi debet formalitas rei: cum igitur formalitas huius diſtinctionis nullo pacto ſit rõnis, neq. diſtinctio dici debet Rõnis neq; ad huiuſmodi genus eſt reducẽda.

[Modus non concipitur vt contradistinctus à subiecto, nisi cum aliquo figmento rationis.]

VIII. Ex dictis autem ſequitur hoc corollarium. Quòd ſi diſtinctio conſideretur ex parte extremorum, & vt qualificata per ipſa, illa tantùm dici poteſt realis, quæ eſt inter rem, & rem; ſi videlicet reale ſumatur, prout dicit extrema, quæ verè entia ſint, ſeu veræ entitates: nam ſolæ res, vt inuicem contradiſtinctæ, ſunt veræ entitates: modi verò, vt contradiſtincti à ſubiecto, inuoluunt aliquod ens rationis, & proinde non ſunt purè reales. Et in hoc ſenſu verum eſt, omnem diſtinctionem realem adæquari per diſtinctionẽ, quæ eſt inter rem, & rem. Quamobrem in hoc quoque ſenſu habet locum ſecunda ſententia, neque aliquid falſitatis continet, ſed quia procedit ſine huiuſmodi diſtinctione, qua nos vſi ſumus, ideo vt falſa reijcienda eſt.

[Quæ distinctio ex parte extremorum dicenda sit realis.]

Solutio argumentorum in oppoſitum, & eorum, quæ obijciuntur.

SECTIO III.

I. FVndamentum oppoſitæ ſententiæ, quatenus contra nos militat, nullo negocio diſſoluitur. Concedimus enim, quòd inter ens reale, & rationis non datur medium, ſi ens reale ſumatur pro omni eo, quod eſt à parte rei præciſa qualibet operatione intellectus. Et hoc etiam pacto ſeruata proportione ad ens reale, & rationis, ſi per realem diſtinctionem intelligatur illa, quæ eſt à parte rei, & non eſt fabricata per intellectum, concedimus inter diſtinctionem realem, & rationis non dari medium, ſed hæc duo genera adæquatè diuidere diſtinctionem vt ſic, vt ſupra etiam dictum eſt. Verùm ſi ens reale ſumatur, prout dicit id, quòd habet propriam entitatem, tunc falſum eſt, inter ens reale, & rationis non dari medium, nam dantur modi, qui non dicunt propriam entitatem, & tamen ſunt quid reale; ens enim, prout dicit propriam entitatem, non immediatè contradiſtinguitur ab ente rationis, ſed ens, quod ab ipſo immediatè contradiſtinguitur eſt illud, quod habet eſſe independenter ab intellectu: hoc autem ſubdiuiditur in illud, quod habet propriam entitatem, & in illud, quod non habet propriam entitatem, ſed eſt ens entitate alterius, cuiuſmodi ſunt modi. Sic etiam diſtinctio ſeruata proportione, quæ immediatè contradiſtinguitur à diſtinctione rationis, eſt illa, quæ eſt à parte rei, & ſubdiuiditur in diſtinctionem, quæ eſt inter rem, & rem; & quæ eſt inter rem, & modum.

[Ad primum.]

[Quomodo detur distinctio media inter reale & rõnis.]

II. Atq; ex dictis ſoluitur etiã difficultas, quæ tangitur in confirmatione eiuſdem rationis; neque enim ſequitur, quòd diſtinctio realis latius pateat, quã ens reale, ſi inter diſtinctionẽ realẽ, & ens reale ſeruetur debita cõparatio; diſtinctio enim realis, quæ eſt inter rẽ & rẽ, debet comparari ad ens reale, quod dicit propriam entitatem; diſtinctio verò, quæ eſt inter rem, & modum debet comparari ad ens reale, quatenus in-

[Ad conf.]

[Quomodo distinctio realis cõparanda ad ens reale.]

includit etiam modum, quia modus, adhuc est aliquid reale, & conuenit rebus nemine cogitante.

Ad secundum.

III. Secundum quoque argumentum facilè soluitur: concedimus enim, quòd alterum extremum huius distinctionis non est res, sed neque etiam est nihil, sed modus rei; vnde contradistinguitur à nihilo, est enim aliquid reale à parte rei nemine cogitante. Argumentum ergo procedit ex falsa suppositione, quòd, quicquid contradistinguitur à nihilo: sit res propriè dicta, quod tamen est falsum, quoniam præter res dantur etiam modi reales: neque de hoc est dubium, vt patet ex distributione prædicamentorum, ex quibus aliqua sunt, quæ non dicunt propriam entitatem, sed solos modos entitatis. Cum ergo dantur hi modi, non sequitur ex eo, quòd huiusmodi distinctio non sit inter rem, & rem, esse inter nihil, sed est inter rem, & modum realem, atque adeò est distinctio realis.

Modus non est res, sed quid reale.

Instantia.

IV. Verum contra allatam solutionem instari potest. Ens obiectiuè sumptum, quando transit in ens, quod est à parte rei, transit in entitatem, quia quod est extra causas in rerum natura, constituitur tale ratione alicuius entitatis: vel ergo hic modus dicit entitatem, vel non. Si primum, iam iste modus erit res aliqua, atque adeo distinctio erit inter rem, & rem. Si secundum; iam modus non erit quid reale, nam aufertur ipsa realitas. Respondetur. Duplici modo contingere posse, quòd aliquid sit reale, vel tanquam res, & entitas: vel tanquam aliquid de ipsa re, seu entitate. Esse autem reale hoc secundo modo nihil aliud dicit, nisi fundari in realitate rei, non autem dicere propriam entitatem, vnde consequenter non dicit esse aliquid reale in seipso, sed in alio. Modus ergo non dicit realitatem, siue entitatem; sed neque ex hoc sequitur, quòd simpliciter non sit aliquid reale, sed solùm, quòd non sit aliquid reale in seipso: adhuc tamen est aliquid reale in alio, nempe in re, cuius est modus: est enim entitas rei, prout tali, aut tali pacto se habet; vnde sufficit, quòd sit quid reale, prout inuoluit entitatem subiecti: quia adhuc stat, quòd sit aliquid reale à parte rei, quia ex intrinseca sua ratione inuoluit entitatem subiecti, quod non competit negationibus, aut entibus rationis.

Solutio

Duplex modus [illegible] circa [illegible]

Quomodo modus illi participet

Obiectio.

V. Sed præterea obijcere quis posset. Isti modi habent suam peculiarem essentiam, & suam peculiarem formalitatem, ratione cuius constituuntur in esse modi, & distinguuntur à quocunpue alio, quod non est modus. Rursus sunt à parte rei extra causas, ergo si habent propriam essentiam, habent etiam propriam existentiam, quia existentia non est aliud, quã essentia extra causas; & consequenter distinctio inter rem, & modum est distinctio secundùm existentias, atque adeo secundùm rem, & rem. Respon. modos istos habere quidem propriam essentiam, sed hanc non esse de se sufficientem pro constitmenda peculiari entitate sibi propria, vnde nec habent propriam existentiam contradistinctã ab existentia subiecti. Illa enim sola essentia extra causas posita est existentia, qnæ de se constituit peculiarem entitatem, & potest esse terminus alicuius peculiaris influxus. Huiusmodi autem non est essentia modi; quia modus est essentialiter modificatio quædam illius, cuius est modus: modificatio autem ex intrinseca sua ratione nihil aliud facit, nisi modificare esse alterius, non autem constituere aliquod esse peculiare, vnde intrinsecè modus innoluit rem, cuius est modus, sine qua non potest concipi.

Resp.

Qualem [illegible] habe[ant] mo[dum]

Instantia

VI. Posset tamen aliqnis eamdem obiectionem vrgere. Modus est aliquid, & est extra essentiam rei, cuius est modus, ergo est etiam extra entitatem; nam entitas rei dicit tantùm essentiam positam extra causas. Sed occurrendum est; verum quidem esse, quod entitas rei est eiusdem essentia posita extra causas; sed adhuc verum est, quod ista essentia, prout est posita extra causas, est diuersimodè secundùm suam entitatem modificabilis: vnde permanente eadem essentia, & entitate est susceptiua diuersorum modorum, neque ex hac variatione subit variationem in entitate, sed solùm eadem entitas diuersimodè se habet, quod clarè patet in sessione: nam idem homo pro diuersa habitudine ad extrinsecum locum dicitur stans, vel sedens, nulla entitate de nouo produ-

Solutio

cta,

cta, aut deperdita. Ex hoc porrò sequitur, quòd licet modus formaliter loquendo sit extra essentiam, vt essentia est, quia non est formaliter essentia rei, non hinc tamen fiat, vt sit extra entitatem, quia cum sit modificatio illius, illam essentialiter inuoluit tanquam id, quod modificatur, & non est aliud, quam entitas rei sic, aut sic se habens. Atque ex dictis soluitur etiam alia instantia, quæ fieri posset, quòd videlicet existentia nihil aliud sit, quàm res extra causas, & aliud sit, quantitatem v. g. esse extra causas, & aliud Figura; seu aliud, Petrum esse extra causas, & aliud sessio, vnde modus, & subiectum videntur importare diuersas existentias. Respon. enim, existentiam formaliter loquendo esse rationem, qua res constituitur extra causas, non autem esse ipsam rem extra causas: non hinc tamen colligitur distincta existentia, sed tantùm esse distinctas rationes, quæ existunt, sicut aliud est, animalitatem existere, aliud rationalitatem, & tamen eadem existentia existunt; ita in casu nostro seruata proportione separabilitatis. Cum autem ratio figuræ, & cæterorum modorum de se non sit sufficiens pro constituenda propria entitate, hinc fit, vt neque constituant propriam existentiam, sed cum sit modus entitatis, sicut per ipsam est actuale ens, ita etiam per ipsam sit existens; nam modus existens non est aliud, quàm entitas rei existens tali pacto se habens.

VII. Sed rursus quis insurget. Desinit modus non desinente re, cuius est modus: hoc autem esset impossibile, si modus haberet eamdem existentiam cum re, cuius est modus, quia non potest aliquid desinere, nisi desinat etiam eiusdem existentia; cum ergo quamdiù manet subiectum, perseueret etiā eius existentia, deberet etiam perseuerare modus, si existeret existentia subiecti. Et confirmatur. Quòd aliquid existat, nihil aliud dicit, nisi essentiam, & existentiam, sed perseuerante subiecto remanet existentia, essentia verò nunquam corrumpitur, ergo remaneret etiam modus existens. Responderi posset, quod res nedum desinit cum desinit existentia, sed etiam cum existentia desinit actuare essentiam: sicuti etiam accidentia nedum possunt desinere si eorumdem existentia destruatur, sed etiam si subiectum desinat ipsis substare, quia necessariò dependent ab ipsius substentatione, nisi aliunde suppleatur. Sed hæc responsio non satisfacit, quatenus ponit existentiam subiecti actuare modos, nam non possunt modi actuari per existentiam, nisi habeant essentiam actuabilem: quæro ergo de hac essentia actuabili, an actuetur, vt posita extra causas, an vt in potentia obiectiua. Si primum dicatur, iam ante huiusmodi actuationem supponitur existens. Si secundùm, iam essentia modi, vt in potentia obiectiua, est actuabilis ab existentia; cur ergo non à propria? capacitas enim existentiæ in proprio esse facit, vt illi sit debita propria existentia, & quod possit esse terminus alicuius causæ efficientis; Deinde non posset reddere existens, nisi actuaret, & non posset actuare, nisi vniretur: quomodo autem, quod existit, potest vniri cum eo, quòd est tantùm in potentia obiectiua?

VIII. Respondetur ergo. Quòd sicuti modi, cum desinunt, non desinunt secundùm aliquam entitatem, quia in seipsis illam non habent, ita neque debent desinere, secundum aliquam existentiam, quia existentia sequitur tantùm entitatem. Implicat igitur, quòd aliquid desinat, & non desinat eius existentia, si id quod desinit, secundùm aliquam entitatem desinat, quia existentia idem est, ac entitas actu existens: modus ergo sicut nō desinit secundùm aliquam entitatem, ita neque debet desinere secundùm existentiam, sed sufficit, si desinat secundum suum esse, seu secundùm suam propriam rationem, quam formaliter dicit, & in recto. At licet dicatur existere existentia subiecti, non tamen dicit in recto existentiam subiecti, sed solùm in obliquo; vnde neque secundum existentiam illius debet desinere, sed sufficit, si desinat secundùm quod est propriè modificatio subiecti. Cum ergo, prout dicit modificationem, nihil aliud sit, nisi illud taliter se habere subiecti, hinc fit, vt ad eius desitionem sufficiat, quòd subiectum desinat tali pacto se habere: hoc autem per id contingit, quod incipit alio modo se habere incompossibili cum præcedenti.

IX. Hinc patet etiam ad confirma-

Marginalia: Modus, licet extra essentiam, nō tamen extra entitatem. — Aliæ instantia. — Quomodo modus non dicat distinctam existentiam. — Altera instantia. — Resp. — Reijicitur. — Existentia subiecti nō actuat modos. — Vera resp. — Quomodo modus desinat absq. desitione alicuius existentiæ.

In quo consistat existere modi.

mationem. Rem enim existere dicit essentiam actuatā per existentiam: hoc tamen verum est, si res intrinsecè dicat aliquam entitatem, quia sicuti est entitas in seipsa, ita etiam in seipsa habet existentiam: at modus, cum in seipso non habeat entitetem, sed ex vi suæ essentiæ sit modificatio quædam, ita vt sine subiecto non possit intelligi, res aliter se habet respectu ipsius, atque modum existere non est aliud, quàm subiectum in proprio esse sic modificari; quia vniuersaliter verum est, quòd existentia cuiuscunque rei consistit in actualitate possibilitatis eiusdem: cum igitur possibilitas modi sit, posse modificare, & inesse subiecto, existere modi erit, quòd actualiter insit, & modificet: at si separetur à subiecto, non actualiter inest, neque actualiter modificat, & ideo non existit.

3. obiec.

X. Denique obijci potest. Multiplicato inferiori, multiplicatur etiam superius; ergo si multiplicatur modus supra subiectum ex eo, quòd est extremum distinctionis, debet etiam multiplicari ratio entis, quia est quid superius ad modum, ergo modus tanquam ens distinguitur à subiecto, & consequenter distinctio est entitatiua.

Respōsio.

Quō multiplicato inferiori debeat multiplicari superius.

Respondetur ad multiplicationem inferioris sequi multiplicationem superioris eo pacto, quo superius descendit ad inferius. Cum ergo ens vniuersalissimè sumptum diuidatur in substantiam, & accidens; deinde accidens in ea accidentia, quæ habent propriam entitatem, & in ea, quæ non habent, vt sunt modi; hinc fit, vt ens modo proportionato descendat ad modos actuando illos, vt sunt puræ modificationes subiecti, & solùm contradistinguendo à nihilo dependenter à subiecto, non verè conferendo aliquam entitatem, vnde non distinguitur tanquam ens physicum à subiecto, quia ens actuale physicum idem est, ac entitas; sed solùm vt modificatio illius.

∴

Quotuplex sit distinctio realis inter rem, & rem.

Disp. LII.

Auctorum sententia.

SECTIO I.

I. Diximus, distinctionem realem diuidi in eam, quæ est inter rem, & rem, & in eam, quæ est inter rem, & modum ipsius: nunc difficultas insurgit, an ea, quæ est inter rē, & rem sit tantùm vnius rationis, an verò adhuc subdiuidi possit. Prima ergo sententia est eorum omnium, qui putant, totum distingui à suis partibus simul sumptis solùm ratione, qui fundant hanc suam doctrinam in eo, quòd detur tantùm vnica distinctio inter rem, & rem, qua diuersæ entitates vicissim separantur quò ad communicationem in eodem esse: vnde quò ad præsentem materiam docent sequentes sua principia. Distinctionem inter rem, & rem, esse vnius tantùm generis. Ita communiter sentiunt Græci expositores, & complures etiam ex Latinis circa caput 2. lib. 1 Phys. vt Alexander, Themist. Simpl. Philop. Eudem. Ægid. & alij: præterea Soto eodem lib. 1. phys. cap. 2. quæst. 3. Astudil. quæst. 6. Tolet. quæst. 7. Ruuius cap. 3. quæst. 1. Vallesf. controuer. 4. Ad Tyrones, Suarez in Metaph. disp. 36. sect. 3. Aresius 2. de Gener. quæst. 13. sect. 3. Et complures etiam ex Theologis Durand. in 3. dist. 24. quæst. 1. artic. 1. Paludan. in 3. distinct. 1. quæst. 1. & quamplures alij, præsertim ex Recentioribus.

1. opinio Distinctione inter rē, & rē esse tātū vnius gen. Alex. Them. ... Phil. ... Eud. Aegid. ... Astud. ... Va... Sua. ... Palud.

II. Fundamentum proprium huius sententiæ nullum apud Auctores citatos inuenio; supponunt enim in hoc consistere rationem distinctionis realis inter rem, & rem, quòd dentur diuersæ

Fūdamenta alle... opi...

res, quarum vna non communicet cum alia in entitate, sed sint diuersæ entitates. Cœterum fundari potest hoc pacto in duplici principio. Primum est, quòd de ratione distinctionis est, quòd ponat extrema vnum extra aliud, hoc enim importat res adinuicem distingui; distinctio enim separat, & ponit diuersitatem, seu pluralitatem extremorum. Alterum porrò principium est, quòd extrema distinctionis realis, prout est inter rem, & rem, debeant esse res: vnde sic argui potest. Distinctio realis dicit rem, quæ sit extra aliam rem, ergo cum quælibet res vindicet sibi propriam entitatem, iam distinctio realis dicet entitatem, quæ sit extra aliam entitatem, atque adeo vnius tantùm generis entis.

III. Præterea etiam argumentari possumus ex ijs, quæ supra diximus disputat. 50. sect. 2. dum explicaremus, in quonam consisteret ratio distinctionis realis. Diximus enim, ea realiter distingui, quæ habeat distinctam producibilitatem; ergo quæ distinguuntur vt res, & res, debent esse distinctæ entitates, quarum vna non communicet cum alia. Nec aliqua alia distinctio, quæ sit maior ista haberi potest, & proinde distinctio inter rem, & rem erit vnius tantùm generis, illa nimirum, qua vna entitas extra aliam ponitur. Atque hæc sunt, quæ pro hac sententia afferri possunt, quæ quidem magni ponderis sunt, nisi aliqua explicatio adhibeatur.

2 opinio ponens du-plicē di-stinct. inter rē, & re.

IV. Secunda autem sententia asserit, dari aliud genus distinctionis inter rem, & rem præter illud, quo vna entitas ponitur extra aliam, & in hoc consistit, quòd importet duas res diuersas, non tamen extrema distinctionis constituant diuersas entitates; sed licet vnum extremum habeat propriã realitatem, quæ sit diuersa à realitate alterius, non habet tamen entitatem, quæ est extra entitatem alterius, & hoc pacto asserunt, totum distingui à suis partibus simul sumptis: neque enim vllo pacto defendi potest, totum esse aliquam tertiam entitatem superadditam entitati partium, quod nonnulli in hoc sensu defendentes, sententiam huiusmodi improbabilem reddiderunt. Vnde hanc sententiam tenentur sequi ij omnes, qui volunt probabiliter defendere, totum distingui realiter à suis partibus simul sumptis. Atque hoc genus distinctionis, quod ponitur ab hac sententia, traditum fuit ab Herueo quodlib. 2. quæst. 14. & à Soncin. 4. Metaph. quæst. 42. conclus. 2. Cuius verba libet ponere, vt manifesta fiat ipsius sententia. ait ergo. *Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd, vt dicit Heru. quodlib. 2. quæst. 14. dupliciter aliquid differt ab alio seipso; vno modo, quia vnum non est alterum, nec vnum est aliquid alterius, nec aliquid vnius est aliquid alterius, sed quemadmodum vna intelligentia distinguitur ab alia seipsa; & hoc modo non distinguitur totum a partibus, tum quia partes sunt aliquid totius, tum quia, quę differunt hoc modo, seipsis differunt per quodlibet sui, & in nullo conueniunt. Alio modo differt aliquid ab alio seipso, non quòd illud aliud sit aliquid eius, vel econtra, sed ex entitate sua habet, quòd non sit illud, & econuerso, & hoc modo differt totum à partibus, quia totum habet ex sua entitate, quòd non sit suæ partes, sed quòd sit ex partibus.* Heru. Soncin.

V. Imo etiam Scot. eamdem doctrinam tradit in 3. distinct. 1. quæst. 1, §. *Quantum ad tertium artitulum, &c.* vbi docens, quomodo totum realiter distinguatur à suis partibus, ait, non esse aliquam tertiam entitatem, seu formam superadditam partibus, quæ sit forma totius, sed esse tantùm tertiam naturam, quæ non sit extra entitatem partium. inquit enim: *Dico quòd si intelligatur in toto, pręter formam partis, cuiusmodi est in homine anima intellectiua, esse aliam formam, quasi superuenientem illi, quę sit etiam aliquid ipsius potius, quia completius constituit totum, quàm illa alia forma, iste intellectus est falsus, quia tunc esset in homine aliqua forma constituens hominem perfectius anima intellectiua quod est inconueniens.* Et hoc ipsum prosequitur ostendens, quòd daretur processus in infinitum: & paulò post subdit. *Si tamen intelligatur forma totius nō aliquid constituens totum, sed ipsa natura tota, vt quidditas, hoc modo concedi benè potest, quòd forma totius sit alia à forma partis.* Et inferius concludit de natura, seu toto. *Est quoddam ens absolutum tertium aliud à partibus vtrisq; & ambabus coniunctim, & diuisim.* Atque hæc sententia procul dubio vera est, indiget tamen aliqua explicatione. Scot.

Præfertur secunda sententia, & declaratur.

SECTIO II.

I. HÆc posterior sententia cum aliqua moderatione accepta adeo vera est, vt nemo eam refutare possit. Sciendum igitur est, distinctionem illam, qua entitates ita separantur, vt vna non communicet cum alia, esse omnium maximam inter distinctiones, quæ sunt inter rem, & rem: cum enim distinctio sequatur esse rei, nulla maior distinctio in hoc genere excogitari potest, quàm illa, qua res separat seipsam ab alia secundùm entitatem. Duo autem præstat hæc distinctio: primum, quòd ex vi ipsius constituantur extrema, quæ sint res, quia hoc habetur ex vi cuiuscunq; distinctionis, quod per ipsam constituantur aliqua extrema: vnde si distinctio sit inter rem, & rem, debent extrema distinctionis esse res. Alterum est, quòd huiusmodi distinctio ita constituit pluralitatem extremorum, vt ipsis tribuat propriam entitatem, quæ non communicet cum entitate alterius, sed omnino sit extra ipsam.

Quænam maxima distinctio ex ijs, quæ sint inter rē, & rē.

II. Ex his autem duobus, quæ præstat, alterum propriè se tenet ex parte extremorum: alterum verò ex parte distinctionis. Habere enim tale esse, vt per ipsum constituantur in esse rei, & non in esse alicuius modi, propriè imbibitur in extremis tanquam constitutiuum, non verò spectat ad rationem formalem distinctionis, cum ipsa sit inter extrema tanquam separatio ipsorum: esse verò rem inuoluitur in quolibet extremo; quocirca cum ratio distinctionis sit vna, esse verò extremorum sit multiplex, non potest pertinere formaliter ad rationem formalem distinctionis. Quòd verò ponat entitatem extra entitatem, hoc propriè spectat ad rationem formalem distinctionis, quia ipsius est separare extrema, & vnum aliquo modo ponere extra aliud. Quare cum ad distinctionem non minus concurrant extrema, quàm ratio formalis distinctionis, hinc fit, vt duplici modo considerari possit distinctio, videlicet ex parte ipsius distinctionis: & ex parte extremorum, vt etiam supra adnotauimus, & consequenter etiam, quòd distinctio sit huius, vel illius rationis prouenire potest tum ab extremis, tum ab ipsa separatione extremorum.

Duo præstat distinctio, alterū ex parte distinctionis, alterū ex parte extremorū.

III. His autem præmissis sit prima conclusio, Necessariò concedenda est alia distinctio realis, præter illā, quæ ponit entitatem extra entitatem, in qua quidem extrema distinguantur tanquam res, & res; non tamen vnum dicat entitatem extra entitatem alterius. Ratio huius conclusionis ex eo à priori desumitur, quòd de ratione distinctionis est, prout formaliter, & in communi sumitur, ponere vnum extremum extra aliud extremum, ergo quando extrema, quorum vnum ponitur extra aliud, sunt res, distinctio erit realis inter rem, & rem, quia sicuti, vt visum est, esse rem se tenet ex parte extremorum, ita quòd distinctio sit realis, quatenus dicit esse inter rem, & rem, habetur tantùm ab ipsis extremis. Sed potest dari distinctio, in qua vnum extremum ponatur extra aliud tanquam res, & non tanquam entitas aliqua physica; ergo præter distinctionem inter entitatem, & entitatem, dabitur etiam alia distinctio inter rem, & rem. Quòd autem possit dari ista distinctio, quæ est inter rem, & rem, & non inter entitatem, & entitatem, ex eo colligitur; quia quotiescunque ex partibus essentialibus constituitur vna aliqua natura, tunc natura illa est aliqua res extra rem, quam dicunt partes simul sumptæ: non est tamen tertia entitas. Quòd autem sit res extra rem, quam dicunt partes simul sumptæ, facilè conuincitur, quia certum est, quòd talis natura aliquo modo distinguitur ab ipsis partibus, cum sit tertia essentia ab ipsis diuersa, & possint dari partes, vt anima rationalis, & corpus absque hac tertia natura. Interrogo ergo de extremis huius distinctionis, an sint res, an verò modi, an puræ formalitates. Non potest dici, quòd sint modi, quia ex vna parte adsunt partes, quæ de se sunt entitates, ex altera verò adest natura, modus autem non dicit aliquam naturam substantialem completam: nec etiam sunt puræ formalitates, quia certum est, partes esse res; natura verò non potest esse pura formalitas, tum quia vt talis est

1 Corol. Dat alia distinctio inter rē, & rem, quæ nō sit inter entitatem, & entitatē.

terminat *vt quod* generationem, at pura formalitas nequit per se, nedum *vt quod*, sed neque *vt quo* produci; tum etiam quia natura, vt talis est, dicit aliquid physicum, quod sit principium proprietatum physicarũ realium quomodo ergo potest esse formalitas metaphysica?

Confir. IV. Confirmatur totus hic discursus. Datur distinctio, quæ si consideretur ex parte distinctionis, non separat entitatem secundùm esse physicum, & tamen ponit extrema vnum extra aliud, quæ sint res, ergo datur distinctio inter rem, & rem ex parte extremorum, quæ non sit inter entitatem, & entitatem. Antecedens prob. Plus enim requiritur, vt aliquid communicet cum alio in esse rei, quàm vt communicet in esse entitatis. Ratio est, quia vt communicet in esse entitatis, sufficit, quòd non adsit separatio secundùm entitatem: vt verò communicet in esse rei, neque debet posse fieri separatio secundùm essentiam totalem. Voco autem essentiam totalem illam, quæ includit omnes formalitates subordinatas, & quæ requiruntur ad complendam determinationem entis vt sic vsque ad indiuiduationem. Extrema autem huius generis reperiuntur in pluribus distinctionibus, quæ ab Auctoribus oppositæ sententiæ dicuntur esse rõnis ratiocinatæ; quæro enim, an in illo toto, & an in illa natura, quam ratione ratiocinata distinguunt à partibus simul sumptis includatur ratio entis vsque ad aliquam rõnem speciei infimæ, an non. Certè dici non potest, ꝙ non includatur, quia dicit naturam illam completam, quæ resultat ex cõiunctione materiæ, & formæ, quæ est quædam substantia completa constituta in tali specie infima, vnde non potest dicere vnam tantùm formalitatem, sed omnes à ratione entis vsque ad rationẽ specificam, quomodo ergo non erit res aliqua? aut quomodo saluari potest ratio naturæ physicæ completæ absque re aliqua physica?

(Maior est, communicatio in esse rei, quam in esse entitatis.)

V. Secunda conclusio. Præter hãc distinctionem, qua extrema distinguuntur tanquam res, & res, non verò tanquam entitas, & entitas, debet dari aliqua etiam alia distinctio realis ex parte distinctionis, non verò ex parte extremorum. Hæc conclusio facilè declaratur, & simul probatur supposita natura distinctionis realis inter rem, & rẽ. quæ est omnium maxima, si sit secundùm entitatem; ponit enim vnum extremum extra aliud secundùm esse entitatiuum; ergo si datur casus, in quo vnum extremum sit extra aliud secundùm entitatem, iam erit distinctio realis ex parte distinctionis. Rursus si extremũ deficiat ab esse rei, & entitatis; ita vt proprium esse, per quod constituitur in esse extremi non dicat aliquã entitatem sibi propriam, aut rem aliquam, sed sit in entitate alterius, iam distinctio non erit realis ex parte extremi, quia extrema non sunt res. Datur autem huiusmodi distinctio, nam potest intellectus in pluribus entitatibus considerare aliquas formalitates diuersas, & requirentes diuersam entitatem, vt sunt differentiæ diuisiuę generis: tunc enim illæ formalitates, cum sint identificatæ cum diuersis entitatibus, vna erit extra aliam entitatiuè; verùm extrema formaliter non erunt res; & proinde distinctio erit realis ex parte distinctionis, non verò ex parte extremorum.

(2. concl. Datur distinctio realis ex parte distinctionis, & nõ ex parte extremorum.)

VI. Dices, hanc esse distinctionem secundùm rationes metaphysicas, & secundùm esse obiectiuum, vnde non est distinctio aliqua, quæ conueniat rebus physicis, sed supponit distinctionem rationis, & postea comparantur adinuicem diuersæ formalitates metaphysicę; vnde est tantùm distinctio metaphysica, quam etiam possunt habere formalitates, quę in eadem entitate identificantur. Hæc quidem obiectio locum haberet, si istę formalitates cõsiderarentur secundùm esse abstractum, & secundùm esse purè obiectiuum, quia tunc eodem prorsus modo distinguerentur inter se duæ formalitates diuersarum entitatum, ac distinguuntur duæ formalitates eiusdem entitatis. Verùm tradita doctrina non procedit de formalitatibus hoc pacto consideratis, sed de ipsis, prout sunt idẽtificatæ in aliqua physica entitate; quod idẽ est, ac si vna aliqua entitas physica secundũ esse inadæquatum comparetur cum alia, vt si ponatur actio identificata cũ termino, & terminus, quatenus habet rationem actionis comparetur cum subiecto: tũc enim ratio formalis actionis cõsideratur, prout est identificata cum termino.

(Occurritur obiectioni)

Rursus non consideratur adæquatè terminus secundùm totum suum esse, sed tantùm prout dicit ipsum fieri; tunc autem nulla distinctio ponitur in termino secundùm esse reale, vt dicemus infra, etiam quatenus terminat cognitionem. Cum igitur tali pacto non dicat neque entitatem, neque rem aliquā, & sit extra entitatem subiecti, iam aderit distinctio realis inter rē, & rē, quantum est ex parte distinctionis, non autē quantum est ex parte extremi. Quod etiam ex eo patet, quia quando diuersæ formalitates exigunt diuersas entitates, habent ex naturā sua repugnantiā, vt coalescant in eamdem entitatē; vnde magis distinguuntur inter se, quàm illæ, quæ in eamdem entitatem coalescunt, siquidem distinguuntur ex vi illius repugnantiæ, quæ cùm sit talis condicionis, vt ponat eas in diuersa entitate, iam habent eamdem distinctionem, quantum est ex parte distinctionis, quam habent entitates diuersæ, præsertim cum sint partiale constitutiuum diuersarum entitatum.

Altera obiectio. VII. Rursus dices contra illam duplicem acceptionem distinctionis, qua diximus, considerari posse, & ex parte extremorum; & ex parte ipsius distinctionis. Distinctio enim constituit vnū extremum extra aliud, ergo qualia sunt extrema quę constituuntur, talis quoq; erit distinctio secundùm rationem distinctionis; quia essentia distinctionis in hoc consistit, quòd ponat extrema vn ū extra aliud. Confirmatur etiam, quoniā tota distinctio est id, per quod extrema inuicem distinguuntur ergo quale erit distinctiuum, talis simpliciter erit distinctio, cum igitur distinctiuum se teneat ex parte extremorum, qualia erunt extrema, talis simpliciter erit distinctio.

Solutio. Aliud modus distinctionis, aliud esse extremorum. Respondetur, In distinctione duo posse attendi, & ipsamet extrema præcisè modo illo, quo vnum est extra aliud, attendendo solùm ad esse extremorum: & modus, quo vnum extremum ponitur extra aliud; hæc enim duo valde diuersa sunt, quia iste modus attenditur penes illud non communicare, quod habet vnum extremum cum alio; Esse verò extremorum dicit tantùm constitutiuum intrinsecum ipsorum, non attendendo, quomodo non communicent ad inuicem. Cum ergo essentia distinctionis in hoc consistat, quòd ponat vnum extremum extra aliud, vt cognoscatur, qualisnam sit secundùm suam rationem formalem, debet semper attendi modus, quo vnum extremum ponitur extra aliud. Cum enim, vt visum est, fieri possit, quòd sine distinctione entitatis habeantur extrema; quæ sint res quædam: tunc modus distinctionis non erit realis prout dicit ponere entitatem extra entitatem, quia modus dicit ponere vnum extremum extra aliud, vt sit entitas diuersa; sed erit tantùm realis, quatenus ponit rem extra rem, & quatenus ipsa extrema sunt res: non erit tamen simpliciter realis, ex parte modi, quo vnū extremum ponitur extra aliud, quia non tollit omnimodam communicationem inesse, cum distinguat tantùm secundùm esse rei: non secundùm entitatem: Quare rectè ponitur duplex illa acceptio distinctionis. Hinc etiam ad confirmationem respondetur. Quòd sicuti in distinctione considerari possunt extrema, & modus distinctionis, ita etiam ipsum distinctiuum cōsiderari potest, & quatenus constituit extrema & quatenus ponit modum distinctionis. Potest autem contingere, quod distinctiuum constituat extrema tanquā res, non tanquam diuersas entitates, & hoc pacto talis erit distinctio, quale distinctiuum, nimirum non erit simpliciter realis ex parte modi distinctionis, quia non tollet communicationem in entitate: erit tamen simpliciter realis ex parte extremorum, quia extrema erunt simpliciter res, nec erit distinctio omnium maxima, quia non separabit extrema modo entitatiuo.

Satisfit argumentis in oppositum, & nonnulla difficultates resoluuntur.

SECTIO III.

Ad primum in oppositū. I. QVod autem spectat ad argumenta, quæ in oppositum adducebantur. Ad primum dicimus, vera quidem esse illa principia, quæ ibi assumebantur, non tamē rectè applicari ad inferendam conclusionem. Ex eo enim, quòd distinctio debeat ponere vnum extremum extra aliud, & quòd extrema distinctionis, inter rem,

& rem debeant eſſe res, ſequitur tantùm, quòd vnum tanquam res debeat eſſe extra aliud, non verò quòd debeat eſſe extra aliud tanquam entitas extra entitatem: falſum eſt enim, quòd argumentum ſupponit, quamlibet rem debere habere propriam entitatem; quia poteſt habere entitatem, quæ etiā ſit entitas alterius rei, vt iam patet ex dictis. Res enim latius patet, quàm entitas; omnis enim entitas eſt etiam res aliqua, ita vt multiplicata entitate debeat etiam multiplicari res; non autem econtra multiplicata re, debet multiplicari entitas. Quod clarè ex eo patet, quia ſi in productione compoſiti partes præexiſtant, ita vt ſolùm debeant vniri, tunc nulla entitas producitur, & tamen producitur, ſeu reſultat aliqua res, nempe natura illa, quæ conſtituitur ex illis partibus, vt contingeret, ſi anima præexiſtens vniretur corpori.

Res latius patet quam entitas.

II. Ad ſecundum. Cum in ſuperioribus diximus, ea diſtingui realiter, quæ habent diſtinctam producibilitatem, locuti ſumus de quacunq; producibilitate ſiue propria, ſiue impropria, vt ſunt reſultantiæ. Rurſus etiam intelligi debet de quacunque diſtinctione producibilitatis. Hoc autē ſuppoſito, falſum eſt vniuerſaliter, ea, quę non habent diſtinctā entitatem, non habere diſtinctam producibilitatem; ſufficit .n. quòd habeant diſtinctā realitatē, vt patet in natura, quæ ex partibus eſſentialibus conſtat, licèt enim natura non habeat entitatem aliquam extra entitatē partium, poſſunt tamen produci partes abſque eo, quòd producatur natura, vt conſtat de natura humana, cuius partes corpus, & anima poſſunt eſſe ſeparatæ abſque eo, quòd ſit tertia illa realitas, nempe humana natura, & rurſus poteſt de nouo conſurgere natura abſque eo, quòd de nouo producantur partes, vt ſi præexiſtentes vniantur. Et in cœteris poſſumus eodem modo philoſophari.

Ad ſecūdum.

Diſtinctio producibilitatis nō requirit diſtinctam entitatē.

III. Sed ob maiorem declarationem huius quęſtionis nonnullæ difficultatęs ſoluendæ occurrunt; quarum prima eſt, an huiuſmodi diſtinctio, quæ eſt inter rem, & rem, & non inter entitatem, & entitatem, ſi conſideretur non ſecundùm extrema, ſed ſecundùm modum, quo vnum extremum ponitur extra aliud, ſit in rebus ante opus intellectus, an tantùm habeatur per rationem diſtinguentem: & poſita hac diſtinctione per intellectum, poſtea extrema ſe habeant vt res. Ratio dubitandi eſt: quia ſi præcedit opus intellectus, videtur eſſe diſtinctio entitatiua. Econtra verò ſi eſt tantùm per intellectum, non debet poni inter diſtinctiones reales. Reſpondetur. In hac difficultate certum eſſe, quòd ante opus intellectus non eſt aliqua diſtinctio ſecundùm entitatem, alioquin iam vna entitas eſſet extra aliam. Verùm negari non poteſt, quin vnum extremum ſit extra aliud tanquam res, quod patet ex eo, quia reuera à parte rei producitur alterum extremum, quod eſt res, ita vt ſit illud, quod phyſico modo generatur. Cum ergo extremum habeat eſſe phyſicum, & per phyſicam productionem ponatur in eſſe, cur non erit tanquam res diſtinctum diſtinctione phyſica, quæ tamen non ponat entitatem extra entitatem? Accedit etiam ſeparabilitas in re vnius extremi manente altero extremo, quæ contingere poteſt ſaltem in natura humana, vt ſi remanentibus partibus, deſtruatur natura. Cum autem inſtatur, quòd diſtinctio, quæ eſt in rebus ante opus intellectus, debet ponere entitatem extra entitatem, ſuppoſito quòd alterum extremum non ſit modus, reſpondetur adhuc aliam limitationem eſſe adhibendam, quę in hoc conſiſtit, quòd extrema non ſe habeant vt eſſentialiter includens, & eſſentialiter incluſum, vt contingit in gradu ſuperiori, & inferiori, in ſubiecto, & paſsionibus metaphyſicis, atque alijs huiuſmodi: quę, ſi diſtinguerentur à parte rei ante opus intellectus, deberent diſtingui entitatiuè, quia non ſe habent, vt eſſentialiter includens, et eſſentialiter incluſum, nec alterum extremum eſt modus. Quando verò ſe habent vt eſſentialiter includens, et eſſentialiter incluſum, quemadmodum contingit in toto eſſentiali, et partibus eſſentialibus; nam totum eſſentialiter includit partes tanquam intrinſecum conſtitutiuum, & partes eſſentialiter includuntur in toto; tunc quamuis à parte rei diſtinguantur tanquam res, et res, non tamen diſtinguuntur en-

Prima difficultas.

Diſtinctio inter rē, & rē, & nō inter entitatē, & entitatē eſt ante opus intellectus.

Quænam diſtinctio in rebus ante intell. ſit entitatiua, & quæ non.

titatiuè. Ratio autem huius discriminis est, quia illud se habere extremorum tanquam essentialiter includens, & essentialiter inclusum ponit communicationem in entitate; vnde quamuis ratione diuersæ formalitatis, seu naturæ separentur tanquam res, ita vt possit vnum esse sine alio, non possunt tamen omnimodè separari, sed adhuc retinent aliquam communicationem in esse, quæ non finit, ea separari in entitate.

IV. Secunda autem difficultas, quænam sit huiusmodi diuisio, quando distinctio inter rem, & rem in communi diuiditur in eam, quæ ponit entitatem extra entitatem, & in eam, quæ ponit tantùm rem extra rem, atque etiam in eam, cuius extrema propria non sunt res, entitatiuè tamen distinguit. Respondetur perfectam distinctionem vndequaque inter rem, & rem dicere duas rationes, nempe ipsa extrema distinctionis, & modum eiusdem. Hic autem modus addit aliquam maiorem distinctionem extrinsecè, quando distinguit etiam secundùm entitatem. Modò prima distinctio, quæ est inter entitatem, & entitatem, participat tum rationem formalem, per quam constituuntur extrema distinctionis, tunc etiam ipsum modum. Secunda verò participat rationem formalem extremorum, non verò modum perfectè, cum non tollat totam communicationem quòad esse, sed relinquat communicationem in entitate. Tertia autem participat modum, non autem rationem extremorum. Vnde, Distinctio vt sic inter rem, & rem diuiditur secundùm quosdam gradus ipsius. Singuli verò hi gradus, prout intrinsecè participantur à suis inferioribus dicuntur vniuocè de ipsis, quia æqualiter ab omnibus participantur: consistunt enim in indiuisibili, nec possunt participari secundùm magis, & minus, idest magis, aut minus perfectè.

2. difficultas.

Qualis sit diuisio distinctionis inter rē, & rem.

De Identitate, & Distinctione Rationis, Disp. LIII.

Varij modi dicendi.

SECTIO I.

1. IN explicanda, quid sit Identitas, & Distinctio rationis, prius varij modi dicendi referendi sunt, deinde videndum, quid pro resolutione difficultatis dicendum sit. Primus ergo modus dicendi desumitur ex D.Th. in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. in corpore, qui vt explicet, quid sit distinguirationem. Primò inquit, quod *Ratio* nihil aliud est, nisi id, quod intellectus apprehendit, alicuius rationem significare, & hoc ipsum esse definitionem in ijs, quæ habent definitionem; in ijs verò, quæ non habent, esse conceptum æquiualentem, quo explicamus rem ipsam: vnde semper ratio est conceptus explicatiuus rei, quatenus per tale nomen significatur. Secundò ait; quòd huiusmodi ratio non est in rebus subiectiuè, sed in ipso intellectu: in rebus verò est tantùm obiectiuè, prout adest in re aliquid illi correspôdens, vel proximè, vel remotè: proximè quidem, quatenus res extra animam assimilatur conceptui, ita vt conceptus sit similitudo illius. Remotè verò, cum res non assimilatur conceptui, sed id, quod consequitur rem, quatenus est obiectiuè in intellectu: & per primum modum assimilationis habetur aliquid primæ intentionis, per secundum verò habetur aliquid secundæ intentionis. Hac ergo explicatione posita; identitas rationis erit, cum aliqua erunt idem secundùm rationem sic explicatam: distinctio verò, cum aliqua non erunt idem.

Primus modus dicendi. Quid sit identitas & distinctio rationis. D. Th.

II. Secundus modus parum à relato differt, & est Soncin. 4. Metaph. quæst. 29. & lib. 7. quæst. 36. Vbi notat, tripliciter contingere posse, quòd ali-

Secūdus modus dicend Soncin.

aliqua distinguantur, vel sint idem secundùm rationem. Primò quidem accipiendo rationem obiectiuè pro re concepta, siue pro entitate reali cuiuslibet rei; & sic idem est distingui ratione, ac distingui realiter tanquam res, & res; verùm huiusmodi distinctio ad propositum non facit. Altero modo sumendo rationem, prout importat conceptus, quibus res concipiuntur, & prout ratio se tenet ex parte potentiæ concipientis; & hoc pacto distinctio secundùm rationem est realis, sicuti etiam identitas, quia conceptus, quibus res concipiuntur, sunt reales; sunt enim operationes intellectus inter se distinctæ tanquam res, & res: vnde neque hoc pacto sumpta distinctio rationis facit ad propositum. Tertiò denique modo, prout ad propositum facit, sumitur ratio, prout dicit rem cognitam, non absolutè sumptam, sed vt stat sub conceptu, seu prout est obiectiuè in intellectu; & hoc pacto res distinguitur à seipsa, prout stat sub diuersis, & distinctis conceptibus.

Tertius modus. Fonseca. Suarez. Meurisse.

III. Tertius modus communis est apud Recentiores, & eum tradit Fonseca 5. Metaph. quæst. 6. sect. 3. Suarez in Metaph. disp. 7. sect. 1. num. 4. Meurisse 2. Metaph. cap. 3. quæst. 3. qui volunt, Distinctionem rationis esse illam, quæ habet originem ex operatione intellectus, ita vt huiusmodi distinctio fabricetur ab ipsa ratione; & ideo dicitur rationis; quia sicuti distinctio illa est realis, quæ est in rebus ante opus intellectus, ita illa est rationis, quæ habet suum esse per intellectum. Et hic modus videtur valde facilis ad explicandam huiusmodi distinctionem.

Quartus modus. Sirectus. Tromb. Achill.

IV. Quartus denique modus est Scotistarum, quem tradunt præcipuè Sirectus in suis Formalit. art. 2. principali par 1. Trombeta ibid. art. 2. par. 2. & sequitur Achillin. lib. de Distinct. cap. 19. Pro explicatione autem supponunt primò, quòd duplex est actus intellectus *Rectus*, seu *Directus*, & *Collatiuus*. *Rectus* est, cum directè aliquid concipimus v. g. hominem, leonem, ita vt per ipsum intellectus feratur in rem absolutè. *Collatiuus* vero est, cum rem intellectum comparat, vel cũ seipsa, vel cum alia. Trõbeta addit etiã actum *Reflexum* esse, quo intellectus tendit vel in actum præcedentem in potentia, vel in obiectum iam cognitum. Sed hic in præsenti ad propositum non facit.

Duplex actus intellectus Rectus & collatiuus.

Multiplex acceptio Rationis.

Secundò supponunt *Rationem* sumi multipliciter: primò quidem pro definitione, seu quidditate rei, quia cum definitio sit indicatiua obiecti respectu intellectus, dicitur ratio. Secundò pro potentia ratiocinante. Tertiò pro ipso discursu potentiæ ratiocinantis, & progressu illo à præmissis ad conclusionem. Quartò pro ipsa forma, quia forma est ratio cognoscendi compositum.

V. His autem præsuppositis asserunt primò. Illa esse eadem secundùm rationem, quæ habent eumdem conceptum indistinctum, tum ex parte rei, tum ex parte intellectus, sic homo est idem sibi ipsi. Addit etiam Trombeta pro maiori explicatione: conceptum ex parte intellectus duplici modo considerari posse, & quatenus est actio quædam, qua intellectus concipit obiectum; & quatenus obiectum passiuè denominatur cognitum. Primo modo est ens reale, & habet suam identitatem realem; secundo modo est ens rationis, & significat denominationem derelictam in obiecto ex applicatione intellectus ad ipsum. Sic si lapis consideretur secundùm esse cognitum formaliter, dicit ens rationis, & extrinsecam denominationem, & consequenter habet suam vnitatem rationis, quæ est fundamentum identitatis. Secundò asserunt: Ea distingui ratione, quæ distinguuntur per actum collatiuum intellectus præcisè, ita vt ex vi huius actus tanquam distincta concipiantur. Ex hac autem sententia sic explicata deducunt nonnulla corollaria. Vnde inferunt primò, quòd identitas rationis est absolutissima, & independens ab actu collatiuo intellectus, quia fundatur in simplici intelligentia obiecti; cum econtra distinctio rationis illi opposita non possit non pendere ab actu collatiuo intellectus, quia per talem actum acquirit proprium esse. Inferunt secundò; Hanc identitatem absolutissimam esse tantùm relationem fundamentalem identitatis, vnde non requirit duo extrema: actualis verò relatio identitatis non datur absque actu collatiuo intellectus, quia cum sit inter duo extrema inuicem comparata,

ue-

necessariò debet interuenire actus collatiuus.

Fertur iudicium de singulis.

SECTIO II.

I. Antequam, quid in hac re dicendum sit, decernamus, singulos modos dicendi relatos expendere oportet. Et quòd spectat ad primum, non videtur sufficienter explicare distinctionem rationis. Vnde cum ait *Rationem* importare definitionem, aut id, quod stat loco definitionis, non satis congruè, prout ad propositum facit, loqui videtur, quia licet definitio, & quidditas rei rationis nomine importetur, non rectè tamen hic applicari videtur, quia cum dicitur, rationem esse id, quod per significationem nominis importatur, & hoc esse definitionem, videtur solùm posse intelligi de nomine significante aliquid vniuersale, definitio enim non versatur circa indiuidua, sed solùm circa vniuersalia, vt talia sunt, quia explicat tantùm quidditatem rei, condiciones autem indiuiduales non sunt de quidditate rei. Ex hoc verò sequitur, quòd distinctio rationis sit tantùm inter vniuersalia, quod non potest esse, nisi sit essentialis, & secundùm naturas completas, quia definitio, aut quod stat loco illius in ijs, quæ non habent definitionem, non sunt prima genera, in quibus D. Th. exemplificat. Hæc autem falsa sunt, nam circa res indiuiduas potest esse distinctio rationis, nam idem distinguimus à seipso, Petreitas distinguitur ratione à natura Petri. Si verò accipiatur nomen non habens significationem vniuersalem, sed indiuidualem, tunc malè dicitur id, quod significatur per nomen, esse definitionem, aut quod stat loco illius. Præterea quæ significantur per nomen habens significationem de re singulari, non semper distinguuntur sola ratione, sed vt plurimum à parte rei, & vt res, & res. Quocirca hæc acceptio Rationis valde ambigua est, nec confert ad explicandam distinctionem rationis.

Distingui rône nō est distingui definitione

II. Præterea neque, quod secundo loco ait, satisfacit. Cum enim dicitur, quòd *Ratio* sic explicata est obiectiuè in ipsis rebus, quatenus conceptui correspōdet aliquid in rebus proximè, vel remotè, videtur hæc distinctio omnino superflua; nam ideò aliquid in rebus correspondet conceptui, quia conceptus terminatur ad ipsum, vt ad obiectum, si autem non terminatur, nullo pacto id conceptui correspondet: sic cum concipio tantùm rationalitatem, huic conceptui correspondet quidem ex parte obiecti ratio quidditatiua rationalitatis, animalitas verò nullo pacto correspondet, quia non concipitur. Vel ergo id, quod dicitur correspondere remotè, concipitur, vel non. Si primum, correspondet proximè, quia proximè, & immediatè conceptus terminatur ad id, quod per ipsum concipimus. Si secundum, neque proximè, neque remotè correspōdet conceptui. Denique illud ens secundæ intentionis, quod remotè correspondet conceptui, licet consurgat in ipsa re cognita, non tamen se habet per modum actualis obiecti respectu intellectus, sed requiritur actus reflexus, vt cognoscatur; si ergo non cognoscitur, quomodo illi conceptui remotè correspondet? Et confir. quoniam quilibet conceptus adæquatur per suum obiectum, quod repræsentat, ergo cū ille conceptus nullo pacto repræsentet secundam intentionem, neque secunda intentio vllo pacto illi correspondebit.

Cōceptui mētis nō correspōdet aliquid ex parte obiecti.

III. Secundus autem modus dicendi, licet in eo rectè procedat, quòd assignat distinctionem rationis per ordinem ad intellectum, deficit tamen in assignanda ratione formali talis distinctionis, cum dicit, quòd id distinguitur ratione, quod stat sub diuersis conceptibus, & ea sunt idem, quæ sunt sub eodem conceptu. Vnde reijcitur, quia non assignat distinctionem in ipso obiecto, sed tantùm ratione extrinseci, distinctio autem debet se tenere ex parte obiecti. Deinde inquiro, an loquatur de obiecto eodem, an de diuerso: si secundùm, illa distinctio nedum erit rationis, sed plusquam rationis, & multoties realis inter rem, & rem. Si verò loquatur de eodem obiecto, neque videtur distingui per id, quòd sit sub diuersis conceptibus, quia eodem pacto se habet sub diuersis conceptibus, nisi aliquid aliud addatur, ac si per diuersos conceptus suc-

Distinctio rationis non sal uatur per id, quòd obiectum diuersis conceptibus cōcipiatur.

ceßiuè conciperetur; tunc autem nulla interueniret distinctio. Et vrgeri potest amplius. Vel quod substat diuersis conceptibus idem omnino est in seipso, prout substat vnicuique, vel habet in se aliquam diuersitatem. Si primum, iam nulla distinctio ex parte obiecti habetur, sed tota est in solis conceptibus. Si secundum; iam non potest dici, quòd distinctio rationis in eo consistat, quòd idem subsit diuersis conceptibus.

IV. Tertius quoque modus non plenè satisfacit, quia licet verum sit, distinctionem rationis in hoc contradistingui à reali, quòd non conuenit rebus ante operationem intellectus, sed habet esse solùm per rationem, non tamen explicat rationem formalem distinctionis, quia procedit per causam effectiuam distinctionis, non per formalem; vnde ad rectè percipiendam naturam distinctionis, adhuc restat inquirendum, in quonam formaliter consistat.

Distinctio rõnis an rectè explicetur per d. q. fias ab intellectu.

V. Hinc ex dictis facile erit, iudicium ferre de quarto modo. Quod enim spectat ad explicationem identitatis, rectè quidem procedit, quatenus dicit, constitui per eumdem conceptum indistinctum ex parte ipsius rei, sed quatenus addit etiam ex parte intellectus videtur superfluum. Vel enim si ponatur conceptus præcisè multiplex ex parte intellectus, & non aliud, poni tur aliqua distinctio in conceptu obiectiuo, vel non. Primum non potest dici, quia conceptus ex parte intellectus mensuratur à conceptu obiectiuo, & de se nihil ponit in obiecto, nisi esse cognitum, quod ponitur à quolibet conceptu; & proinde conceptus obiectiuus erit omnino idem respectu cuiuscunque conceptus mentalis. Si ergo non ponitur aliqua distinctio ex præcisa multiplicatione conceptus mentalis in conceptu obiectiuo, similiter etiam vnitas conceptus mentalis non ponet identitatem in conceptu obiectiuo; & ideo superfluum est ad constituendam identitatem rationis requirere identitatem conceptus mentalis, cum sit præsertim quid extrinsecum tali identitati. Quod autem spectat ad explicationem distinctionis, ipsi quoque recurrunt ad causam effectiuam distinctionis, non autem assignant rationem formalem; & ideo quò ad hoc eadem est ratio, ac de præcedenti.

Diuersitas cõceptus mẽtalis non cõstituit formaliter distinctionẽ rationis.

Resolutio quæstionis.

SECTIO III.

I. In explicanda huiusmodi distinctione præsupponẽdum est, quòd distinctio rationis habet tantùm esse per intellectum, vt tertius, & quartus modus dicendi asserebant: si enim præcisa operatione intellectus reperiretur, iam esset distinctio realis. Ex hoc autem fit, quòd debeat semper esse cum identitate reali, ita vt extrema secundùm quod distinguuntur ratione, debeant realiter identificari, alioquin nisi identificarentur, intellectus non conficeret distinctionem, sed illam præsupponeret; vnde non esset distinctio rationis, sed realis.

Distinctio rõnis est in identitate reali

II. Rursus etiam præsupponi debet. Quòd, cum quicquid per intellectum fingitur, cum ordine quodam, & proportione ad id, quod est à parte rei, fabricetur, vt accidit in formatione entis rationis, quod cum ordine ad ens reale fabricatur, etiam distinctio rationis debet cum proportione ad distinctionem realem formari. Quia autem non possumus habere distinctionem realem, nisi habeamus duo extrema inter se nemine cogitante distincta; nec rursus possint esse distincta, nisi sit in vnoquoque ipsorum ratio distinctiua: ita neque possumus habere distinctionem rationis, nisi habeamus duo extrema per intellectum distincta, vt possimus dicere de ipsis, saltem prout secundùm rationem distincta sunt, quòd vnum non sit alterum propter rationem distinctiuam, quæ sit in vnoquoque ipsorum.

Distinctio rõnis seruat proporõnẽ ad realẽ.

III. Hoc autem præsupposito, clarum est, quomodo proportionem seruare debemus in declaranda distinctione rationis, cum enim distinctio realis attendatur secundùm esse extremorũ, quæ distinguuntur, ita vt per illud ipsum esse distinguantur, per quod constituuntur, siquidem distinctiuum est etiam constitutiuum; eodem pacto proportionaliter dicendum est de distinctione rationis, vt videlicet in ipsa quoque extrema secundùm esse, quod habent obiectiuè in intellectu inter se di-

Distinctio rõnis requirit diuersitatẽ obiectiuã in extremis.

stin-

stinguantur. Cum igitur ratio distinctiua debeat inesse extremis tanquam ipsorum constitutiuum, & distinctiuũ, consequenter non possumus adstruere, aut formare aliquam distinctionem rationis, nisi in extremis adsit aliqua diuersitas obiectiua, ex vi cuius inter se distinguantur, & vt distincta cognoscantur. Hoc autem contingere non potest, nisi vnum diuerso modo repræsentetur ac alterum, quia si vt idem, & eodem omnino modo repræsentaretur, non conciperetur distinctio aliqua; imo cum constitutiuum extremorum sit etiam distinctiuum, necessariò ad concipiendam distinctionem duplex constitutiuum, quorum vnum non sit aliud, concipere debemus.

Cõclusio in quo consistat distinctio rationis.

IV. His autem adnotatis facilis est resolutio; vnde dicendum est. Distinctionem rationis esse illam secundum quam vna ratio obiectiua in ordine ad intellectum non est alia, ita vt posita quocunque modo pluralitate rationum obiectiuarum habeatur distinctio rationis. Declaratur, & simul probatur. In distinctione rationis duo seruare debemus, & rationem communissimam distinctionis vt sic, & rationem talis distinctionis. Ratio distinctionis vt sic in eo consistit, quòd vnum extremum non sit aliud: ratio verò talis distinctionis, quòd ponat tali modo vnum extremum extra aliud, atque quòd circa talia extrema versetur. Distinctio ergo rationis debet dicere quòd vnum extremum non sit aliud, & hoc ex vi distinctionis vt sic; deinde ex eo, quòd est rationis, debet esse circa talia extrema, quorum vnum ex vi intellectiuæ operationis non sit aliud: hoc autem totum saluatur, si pro extremis accipiantur rationes obiectiuæ, quatenus substant cognitioni, quia si solùm, quatenus substant cognitioni, multiplicantur, ita vt vna non sit altera secundùm esse obiectiuum, & in ordine ad intellectum, iam ex vi intellectus habetur, quod vnum extremum non sit alterum. Nomine autem rationis obiectiuæ intelligi debet quæcunq; ratio attingibilis ab intellectu, & quocunque modo possit attingi.

Verificatio cõtradictoriorũ arguit distinctionem.

V. Secundò etiam declaratur. Potissima via ad inuestigandam distinctionem à posteriori est contradictio, ita vt ea distinguantur secundùm illam rationem, secundùm quam possunt fundare contradictionem; & ideo ex contradictione tanquam ex certissimo signo colligitur distinctio, cum de eodem contradictoria dici non possint. Hinc ea, quæ secundùm rem fundant contradictionem, secundùm rem etiam distinguuntur secundùm illam rationẽ, qua fundant contradictionem. Si autem ponantur plures rationes obiectiuæ, secundùm quod plures sunt, & in ordine ad intellectum, possunt fundare contradictionem, nam vna est talis, vt non sit alia, quod verificari non posset, si etiam in ordine ad intellectum identificarentur. Quòd autem possint fundare cõtradictionem patet ex eo, quòd sunt plures rationes, & ipsa pluralitas est ratio fundandi aliquam contradictionem, vt patet in rebus, quæ realiter plures sunt.

Pluralitas ponit distinctionem.

VI. Rursus etiam confirmari potest ex altera analogia ad distinctionem realem. Sicuti enim, quæ habent plures realitates, seu entitates, ita vt inuicem separari possint, distinguuntur tanquam res, & res: nec alia ratione, nisi quia entitas vnius, non est entitas alterius; ita positis pluribus rationibus obiectiuis, iam vna non est alia, & ita se inuicem habent, vt saltem secundùm rationem possint inuicem separari, quia hoc habet ab intrinseco suo pluralitas, vt dicat plura, quorum vnum non constituitur per aliud. Quamobrem ex hoc etiam capite constat, distinctionem rationis consistere in eo, quòd vna ratio obiectiua in ordine ad intellectum præcisè non sit alia.

Quid identitas rationis.

VII. Ex dictis autem colligitur, quid sit *Identitas rationis*: oppositò enim modo de ipsa philosophari debemus. Quocirca duo ipsa quoque includere debet, rationem nimirum identitatis vt sic, & rationem talis identitatis. Ratione ergo identitatis vt sic; quæ sunt eadem ratione, debent importare vnitatem secundùm esse; quia vnitas secundùm esse, sicut est illa, quæ constituit rem, ita etiam facit, vt eadem sit sibi ipsi. Ratione verò talis identitatis debet ista vnitas esse secundùm rationem obiectiuam, siue sit primæ, siue secundæ intentionis: quia cum identitas rationis sit summa identitas, non ipsi sufficit, quòd res in seipsa habeat identitatem, nisi etiam habeat in ordi-

di-

dine ad intellectum; quia etiam distinctio rationis est in ordine ad intellectum, & stat cum identitate, quam tes habet in seipsa.

Cur identitas, & distinctio rationis sic appellentur.

VIII. Colligitur secundò Identitatem, & distinctionem rationis sic appellari, quia sunt in ordine ad rationem, hoc est ad intellectum: vnde dicitur talis denominatione extrinseca. Sed hoc discrimen reperitur inter identitatem, & distinctionem, quòd distinctio consurgit ex operatione intellectus tanquam per causam effectiuam, identitas verò non fit per intellectum, sed supponitur, & solùm est talis, quia in ordine ad cognitionem retinet secùdùm esse obiectiuum omnimodam indistinctionem. Et ex hoc capite, licet denominatio sumatur per ordinem ad intellectum, fundatur tamen in esse obiectiuo rei. Denominatio verò distinctionis fundatur etiam in ratione fabricante huiusmodi distinctionem. Præterea appellantur etiam identitas, & distinctio rationis, quia cum habeāt rationem obiecti cognoscibilis, secundùm rationem cognoscibilitatis important identitatem, aut distinctionem; & hoc modo sumitur denominatio ab esse intrinseco ipsarum.

Distinctio rōnis fit ab intellectu, nō autē identitas.

An detur distinctio rationis, quæ fit per solum actum collatiuū intellectus. Disp. LIV.

Sensus quæstionis, & opposita sententia. *Sect. I.*
Vera sententia. *Sect. II.*
Solutio argumentorum in oppositum. *Sect. III.*

Sensus quæstionis, & opposita sententia.

SECTIO I.

I. Explicatis ijs, quæ pertinent ad identitatem, & distinctionem rationis in communi sumptas; nunc eius diuisio expendenda est: vt autem hoc præstemus, videre oportet, an dentur membra diuidentia, & quænam illa sint. Communiter autem distinctio rationis diuidi solet in eam, quæ est sine fundamento in re; & in eam, quæ fit cum fundamento in re occasione desumpta ex duplici modo, quo fabricari potest ab intellectu Cum enim in intellectu sit duplex vis, altera collatiua, altera præcisiua, secundùm hanc duplicem virtutem potest duplici modo distinguere: si enim concipiat aliquid, deinde per vim collatiuam conferat cum seipso, tunc consurgit distinctio per actum collatiuum, quæ est sine fundamento in seipsa. Si verò vtatur virtute præcisiua, & ita circa rationes obiectiuas versetur, vt vnam ab alia præscindat, tunc consurgit distinctio per virtutem præcisiuam, quæ dicitur esse cum fundamento in re, quia vnum extremum dicit aliquid desumptum ex reipsa, quod non dicit alterū. Vt autem huiusmodi diuisionem examinemus, expendenda sunt singula membra, nam esse sufficientem, & immediatam constat ex seipsa: tum quia non apparent alia membra, in quæ immediatè possit diuidi, tum quia omnis distinctio rationis, quæ excogitari potest, sub his duobus membris comprehenditur. Nunc ergo primum membrum expendendum est, & videndum an importet aliquam veram distinctionem secundùm rationem tantùm. Quia autem hæc distinctio secūdùm actū collatiuū contingit solùm, cum idem distinguitur à seipso, idcirco sensus quæstionis erit, an propriè distinctione rōnis idem distinguatur à seipso.

Diuisio distinctionis rōnis.

II. In hac difficultate duas sententias reperio. Prima negat, idem propriè distingui à seipso: & vult distinctionem nullo pacto neque denominatiuè cadere supra rem, quæ dicitur distingui à seipsa ratione, sed solùm supra conceptus formales, quibus rem ipsam concipimus, & cum seipsa comparamus Ita tenent Nominal. Gregor. in 1. dist. 8. quæst. 2. Gabr. dist. 2. q. 3. Sequitur etiam Hurtad. in Metaph. disp. 6. sect. 5. §. 72. Vasquez 1. par. disp. 117. cap. 3. quia conceptus illi sunt synonimi. Vnde secundùm hanc opinionem huiusmodi distinctio non est vera distinctio: distinctio enim propriè dicta in suo genere debet cadere supra rem ipsam, non autem supra aliquid extrinsecum. Quòd autem Gregor. intelligat non de distinctione rōnis ratiocinatæ, seu non de illa, qua per conceptus

1. opinio Distinctionē rōnis ratiocinantis nō esse veram distinctionem.

Gregor. Gabr. Hurtad. Vasquez.

inadæquatos concipitur obiectum, sed de distinctione rationis ratiocinantis, patet, dum initio ar. ait. *Tertiò aliquid potest dici distingui ab aliquo ratione, quia eius sunt plures rationes, & ipsum secundùm vnam differt à seipso secundùm aliam, sic quòd extrema talis distinctionis non intelliguntur esse ipsæ rationes* (per ly rationes intellige conceptus formales) *nec aliqua aggregata ex rationibus illis, sed ipsamet res ex præcisè diuersis huiusmodi rationibus importata differat à seipsa, quemadmodum multorum verba Doctorum sonare videntur in ista materia, & in alijs. Et in hoc sensu intelligo quæstionem, ad quam respondendo pono conclusionem negatiuam; & probo generaliter, quod impossibile est, aliquam rem sic à se ratione distingui.* Quæ verba ideo recitaui propter non nullos, qui putant, negare distinctionē, qua res secundùm conceptus inadæquatos distinguitur. Imo hoc clarius tradit paulo infra, nam in quarta probatione conclusionis ait. *Quamuis intellectus rem vnam possit distinguere ab alia, & vnam in seipsa distinguere, scilicet vnam eius partem ab alia, nulla tamen per intellectum à seipsa distinguitur, siue simplex, siue composita, sic, quòd ipsa tota sit, quod distinguitur, & ipsa tota sit, à quo distinguitur.*

Fūdamēta huius opinionis.

III. Probant primò hanc opinionem, quia sicuti ens rationis non pōtest distingui per ens reale, ita neque ens reale poterit distingui per ens rationis; si autem idem distingueretur à seipso per actum collatiuum, ens reale distingueretur per ens rationis. Secundò cum distinctio fundet contradictionem, si idem distingueretur à seipso, aliqua ratio esset eiusdem, & non esset eiusdem, quod implicat. Sequela autem probatur, quia cum fundet contradictionem, iam contradictoria de extremis verificarentur: vnde quatenus idem esset vnum extremū haberet aliquam rationem, vt esset contradictorium positiuum; quatenus verò in hac distinctione esset alterum extremum, illam non haberet. Tertiò. Idem per rationem non euadit multiplex, quod autem distinguitur, euadit multiplex. Si dicas, idem euadere multiplex obiectiuè, contra quia hoc indicat solùm distinctionem conceptuum formalium. Quartò si idem realiter mutetur, vt si Petrus ex calido euadat frigidus, non facit, quòd distinguatur à seipso, ergo multò minus id præstabit operatio intellectus, cum ponat minorem mutationem. Denique intellectus non mutat entitatem rei, neque tollit identitatem realem, ergo non ponit distinctionem secundùm rationem.

IV. Opposita autem sententia tribuitur D. Th. in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. & Capr. in 1. dist. 8. quæst. 4. Et eam tradunt Soncin. 4. Metaph. quæst. 28. conclus. 2. Fonseca 5 Metaph. cap. 6. q. 6. sect. 3 Achillin. tract. de Distinc. cap. 19. & communis est præsertim apud Recentiores. Asserit autem, distinctionem, quæ fit per actum collatiuum, non cadere propriè supra conceptus formales, sed supra rem ipsam conceptam, quatenus habet esse obiectiuum in intellectu, ita vt propriè idē dicatur distingui à seipso, quia cum est in intellectu, nouum quoddam esse intelligibile acquirit, secundùm quod attenditur distinctio. Et quidem congruenter hæc sententia procedere videtur, nam si attendatur distinctio, quæ cadit supra conceptus formales, non est distinctio rationis, sed realis, nam isti conceptus nemine cogitante, & à parte rei inter se tanquam qualitates habentes propriam entitatem distinguuntur; distinctio verò rationis est minor distinctio, & quæ tantùm per intellectum habetur; vnde debet cadere supra obiectum ipsum, ita vt propriè secundùm rationem idem distinguatur à seipso.

Altera opinio admittēs distinctio-nē secū-dū actū collatiuum. D. Th. Capr. Soncin. Fonseca Achil.

Vera sententia.

SECTIO II.

I. IN hac difficultate non sine distinctione procedendum arbitror. Vt autem, quid dicendum sit, aperiamus, aduertendum est. Quòd cum quærimus, an per actum collatiuum idem propriè secundùm rōnem distinguatur à seipso, sensus non est, an per huiusmodi actum ponatur aliqua distinctio in entitate rei, nam tali pacto esset distinctio realis, nam esset secundùm entitatem. Certum est autem, quòd per actum intellectus non potest causari distinctio realis, & frustra quæreretur, an di-

Intellectus non ponit distinctionē in obiecto.

distinguatur secundùm rationem. Sensus ergo est de esse obiectiuo, an videlicet idem ita per rõnem distinguatur à seipso, vt distinctio cadat supra ipsũ esse obiectiuũ, &, quod est idem sibi ipsi, concipiatur distingui à seipso, licet reuera non distinguatur.

Quod requiratur, vt idem distinguatur à seipso.

II. Secundò aduertẽdum est. Non posse concipi, idem distingui à seipso, nisi etiam concipiatur aliqua ratio, per quam tanquam per formale distinctiuum distinguatur. Ratio clara est, quia non potest concipi constitutum, nisi interueniat constitutiuum: cum autem idem sit constitutiuum, & distinctiuum, vt etiam superius dictum fuit, hinc fit, vt dum concipimus, idem distingui à seipso, debeamus concipere duo distinctiua, atque adeo duo constitutiua extremorum, neque enim distinctio minus, quàm inter duo esse potest. Ex hoc autem valde augetur difficultas, quia, quod est distinctum ab altero, non debet esse illud, à quo distinguitur: vnde cum in distinctione eiusdem à seipso debeant concipi duo extrema distinctionis, atque adeo duo distinctiua, sequeretur, quòd idem non esset seipsum, quod est omnino absurdum.

Qualiter in distinctione vnũ extremũ non possit esse alterũ.

III. Vnde vlterius tertiò aduertendum est. Quòd licet in distinctione necessarium sit, quòd vnum extremum non sit alterum, non est tamen necesse, quòd totaliter non sit alterum, sed sufficit, quòd non sit alterum secundùm illam rationem, secundùm quam distinguitur, quia tunc habetur sufficiens ratio distinctionis, & sufficiens constitutiuum extremorum; solùm enim extrema distingui debent, & vnum non esse alterum, prout formaliter extrema sunt. Verùm in distinctione eiusdem à seipso ex duplici capite potest attendi ratio distinctiua, vel scilicet ex aliqua prima intentione, vel ex aliqua secunda intentione. Sed quod spectat ad primum caput, non videtur penes ipsum posse attendi rationem distinctiuam. Ratio est, quia quicquid primæ intentionis reperitur, cum idem distinguimus à seipso, clauditur totum in eo, quod est idem sibi ipsi, & pertinet ad esse ipsius; cùm autem in distinctione eiusdem à seipso debeat, quod est idem sibi ipsi, esse in vtroque extremo distinctionis, alioquin non conciperetur idem distingui à seipso, sed alterum distingui ab altero, consequenter totum id, quod est primæ intentionis, & repetitur in vno extremo, deberet reperiri etiam in alio. Restat igitur, quòd ratio distinctiua attendatur secundùm aliquid secundæ intentionis, quod acquirit obiectum ex eo, quod ab intellectu concipiatur, & per actum collatiuum cum seipso comparetur.

Concl. datur distinctio eiusdem à seipso, & quomodo.

IV. Ex his ergo colligitur resolutio quæstionis. Dicendum enim est; idem propriè distingui à seipso secundùm aliquid, quod sit secunda intentio, non autem secundùm esse, quo est idem sibi ipsi. Quòd autem ex vi alicuius secundæ intentionis idem propriè distinguatur à seipso, probari potest, quia secunda intentio propriè competit obiecto, prout habet esse obiectiuum in intellectu; & cadit supra ipsum obiectum, sic, dum idem confertur cum seipso, acquirit aliquem ordinem rationis ad seipsum, ergo propriè distinctio cadit supra ipsum obiectum, & propriè distinguitur à seipso. Consequentia ista per se nota est, nam huiusmodi ordo se tenet ex parte solius obiecti, & est ratio distinctiua; potest enim intellectus concipere huiusmodi ordinem tanquam aliquid cognoscibile, si ergo idem habet hunc ordinem ad seipsum per actum collatiuum, iam habet per quod distinguatur à seipso, posito autem distinctiuo necessariò concedenda est distinctio.

Quomodo obiectum per actũ collatiuũ acquirat diuersas secundas intentiones.

V. Secundò confirmatur. Dum per actum collatiuum idem conferatur cum seipso, habemus duos actus mentales, qui terminantur ad idem obiectum, ita vt idem collatum sibi ipsi præter ordinem rationis, quem acquirit ad seipsum, acquirat etiam esse cognitum per vtrumque actum intellectus, quod sufficiens est ad ponendas rationes distinctiuas, quæ sint secundæ intentiones; idem enim obiectum refertur ad vtrumque actum secundùm esse cognitum, & prout refertur ad vnum, non refertur ad alium, imo potest referri ad vnum, & non ad alium, ita vt hi respectus nedum sint ad distinctos terminos, sed etiam sint inuicem separabiles. Quare si sumatur illud secundò intentionale, quod tũc con-

surgit obiecto, iam habemus diuersas rationes distinctiuas, quæ siut secundæ intentiones.

Vbi est verificatio cōtradictionis ibi est distinctio.

VI. Præterea addi potest. Quòd ita obiectum esse cognitum refertur ad vnum actum, vt quatenus ad ipsum refertur, non referatur ad alterum, & possit fundare contradictionem secundùm huiusmodi esse cognitum, ita vt possit esse cognitum, & possit non esse cognitum: cum ergo, vbi est fundamentum contradictionis, concedenda sit distinctio secundùm illam rationem; quæ fundat contradictionem, necessariò concedendum est, cum idem per actum collatiuum refertur ad seipsum, adesse distinctionem secundùm esse cognitum, sicuti adest distinctio secundum esse entitatiuum inter ea, quę fundant contradictionem secundùm ipsum esse entitatiuum. Et hoc amplius declaratur. Esse cognitum est denominatio desumpta ab actu cognitionis, ergo ad multiplicationem actus cognoscitiui multiplicatur esse cognitum; nam multiplicata forma, multiplicatur etiam denominatio ab ipsa desumpta, ergo dum concipimus id, quod est idem sibi ipsi, & sic conceptum per actum collatiuum conferimus ad seipsum, habemus distinctum esse cognitum, atque adeo distinctionem.

Qualiter distinctio eiusdem à seipso accipienda sit.

VII. Ex dictis autem colligitur, quòd cum dicimus, idem distingui a seipso, sensus non est, quòd idem, quatenus tum realiter, tum formaliter est idem sibi ipsi, à seipso distinguatur: tūc enim adesset implicantia in terminis, & ipsamet identitas esset ratio distinctionis; sed solùm distinguitur à seipso secundùm aliquod esse, quod de nouo acquirit ex eo, quòd comparatur cū seipso per intellectum, quod est secunda intentio, quæ tamen suo modo propriè, & intrinsecè afficit obiectum, cui conuenit; quod valde adnotandum est pro solutione argumentorum in oppositum. Vel dici potest, quòd, quando intellectus comparat idem cum seipso, vtitur eo, quod est vnum, tanquam pluribus, & ex eo, quòd vtitur tanquā pluribus, sequitur, quòd possit esse fundamentum diuersarum secundarum intentionum; sicuti autem habet ab actu collatiuo intellectus, quòd adhibeatur tanquam multiplex, ita etiam habet ab eodem, quòd sit fundamentum diuersarum secundarum intentionum, statim autem ac intelligitur, non solùm vt habens diuersas secundas intentiones, sed etiam vt fundamentum harum secundarum intentionum, habentur distinctiua, & intelligitur, quòd distinguatur à seipso in ordine ad actum collatiuum, quia quatenus est fundamentum, vnius secundæ intentionis, non est fundamentum alterius, & proinde fundat contradictionem.

Serna. Nō exeo quòd distinctio est sine fundamento est stati ratiocinantis.

VIII. Secundò colligitur, non rectè Sernam in Logica disp. 1. sect. 4. quæst. 4 art. 4. velle, quòd aliquando contingat distinctio rationis absque eo, quòd idem repetatur in vtroque extremo, vt cum quis concipit attributa diuina distingui realiter, quia tunc distinctio non habet fundamentū in re. Quia licet non adsit fundamentum est tamen ad modum distinctionis realis, aut modalis, aut rationis ratiocinatæ, prout ab intellectu concipitur, non autem rationis ratiocinantis. Et ideo participat quidditatem alicuius ex his distinctionibus, sed fictо modo, quia essentia harum distinctionum ponitur, vbi non reperitur.

Solutio argumentorum in oppositum.

SECTIO III.

Ad primum.

I. AD primum pro opposita sententia neganda est paritas: licet enim verum sit, quòd ens rationis non possit distingui per ens reale, non rectè tamen deducitur, quòd neque ens reale possit distingui per ens rationis. Ratio disparitatis est; quia si ens rationis deberet distingui per ens reale, cum distinctiuum adueniat rei, quæ distinguitur, deberet etiam ens reale aduenire enti rationis, & in ipso fundari; quomodo autem potest ens reale fundari in ente rationis, aut esse contra ctiuum illius? Ens autē reale potest fundare ens rationis: imo cum ens reale sortiatur diuersas denominationes, & habeat diuersas perfectiones, potest intellectus in ipso fingere diuersos respectus rationis, imo multoties necesse est, eos fingere, alioquin non posset concipere plures rationes, sic ergo idem distinguitur à seipso per diuersos respectus, & per diuersas denominationes, seu quatenus ratione actus col-

Quomodo ens reale possit distingui per ens ratio nis.

latiui habet, quod sit fundamentum diuersarum secundarum intentionum.

Ad secundum.

II. Ad secundum. Extrema distinctionis non fundare contradictionem, nisi quatenus extrema sunt formaliter: contradictio enim tantùm fundatur in distinctione, vt distinctio est, atque adeò in ipsa pluralitate. Hinc autem fit, quòd rationes illæ, quæ dicuntur de extremis ratione contradictionis, dicantur de ipsis, prout habent in se pluralitatem; vnde nunquam de eodem, vt idem est, eadem ratio dicitur, & non dicitur, sed quatenus est sub vno extremo distinctionis dicitur vna ratio, quæ non dicitur de ipso, prout est sub alio extremo. In distinctione ergo eiusdem à seipso eadem ratio conuenit eidem, & non conuenit, quatenus est sub diuersis extremis distinctionis, & prout tanquam multiplex adhibetur, ita vt constituatur sub diuersis extremis distinctionis. Quocirca eadem ratio dicitur, & non dicitur de eodem, quatenus potest fundare plures secundas intentiones, vel quatenus illas dicit, non autem quatenus est idem sibi ipsi.

Quomodo in distinctione eiusdé à seipso fiat contradictio.

Ad tertium.

III. Ad tertium dicendum est, quod euadere multiplex potest contingere dupliciter, & Realiter, & in ordine ad actum intellectus. Rursus etiam in ordine ad actum intellectus potest aliquid esse dupliciter multiplex, nimirum secundùm esse primæ intentionis, & secundùm esse secundæ intentionis, prout est fundamentum eiusdem secundæ intentionis. Non potest aut aliquid per intellectum euadere multiplex realiter, nã intellectus nõ immutat realiter res ipsas. Solùm ergo multiplicitas per rationem causari potest secundùm esse obiectiuum. Sed per actum collatiuum non causatur secundùm esse primæ intentionis, quia cùm idem confertur cum seipso, totum id, quod est in eo, quod confertur, & est primæ intentionis, debet etiam esse in eo, cum quo confertur, alioquin idem non conferretur cum seipso. Vnde solùm causatur multiplicitas secundùm esse secundæ intentionis, vt supra explicatum est; neque hoc indicat solam distinctionem conceptuum mentalium, sed distinctionem, quæ se teneat ex parte obiecti in ordine tamen ad conceptus formales.

Quomodo intellectus causet distinctionem rationis.

Ad quartum.

IV. Ad quartum negatur assumptum. Falsum est enim, quòd dum Petrus ex calido fit frigidus, non causetur aliqua distinctio secundùm esse accidentale Petri, quia concretum ex Petro, & calore distinguitur à concreto ex Petro, & frigiditate; vnde cum ex calido fit frigidus, sicuti causatur concretum accidentale distinctum, ita etiam causatur distinctio, quia Petrus calidus distinguitur à seipso frigido: hæc tamen distinctio non est inter extrema actualia; quòd si Petrus permaneret etiam calidus, iam haberemus distinctionem inter extrema actualia secundùm esse accidentale. Sic ergo idem ratione distinguitur à seipso per secundas intentiones, seu prout est fundamentum diuersarum secundarum intentionum, quia sicuti per actionem realem versantem circa subiectum causatur mutatio realis, ita per actionem intellectus versantem circa obiectum causatur mutatio secundùm aliquam secundam intentionem.

Qualiter actio realis, & actus intellectus proportionaliter causent distinctione in obiecto.

Ad quintum.

V. Ad quintum negatur consequentia, quia sicut potest res retenta sua entitate, & identitate reali acquirere nouum esse obiectiuum, ita vt rationes distinctiuæ sint secundæ intentiones, & huiusmodi distinctio stabit cum identitate reali. Ratio est, quia distinctio sumitur secundùm aliquas denominationes extrinsecas, quæ de se non immutant intrinsecè obiectum. Addo etiam, posse intellectum distinctionem virtualem reddere in actu, non quidem præstando, quod in re ipsa actualis sit, sed in ordine ad actualem operationem intellectus.

Quam distinctioné possit res acquirere retentà identitate.

VI. Ex dictis autem colligitur, Non omnem distinctionem rationis supponere fundamentum à parte rei; nam cum idem distinguimus à seipso, nullum fundamentum habemus, vt satis patet ex terminis eiusdem distinctionis. Vnde cum D. Th. in 1. dist. 2. quæst. 1. artic. 3. docet, quòd distinctioni rationis correspondet aliquid ex parte obiecti, non est intelligendus, quòd correspondeat cuilibet extremo diuersitas rationum obiectiuarum, quæ sint primæ intentiones, sed quòd eadem ratio obiectiua subsistet diuersis secundis intentionibus, & prout illis subsistat, aut illas potest fundare, constituat vtrumque extremum distinctionis, vt cum homo distinguitur à seipso per di-

uer

uersas secundas intentiones; ly homo, qui est vnica tantum prima intentio, constituit remotè vtrumque extremũ, quod plurificatur per secundas intentiones, vel in ordine ad ipsas. Ex quo etiam fit, quòd huiusmodi distinctio, quatenus est aliquid contradistinctum ab eo, quod est à parte rei, sit aliquid fictum per rationem, tum quia non est à parte rei, tum etiam quia dependet à secundis intentionibus, quæ non habẽt esse reale, sed sunt quid fictum ab intellectu.

De distinctione rationis cum fundamento. Disp. LV.

Explicatur natura huius distinctionis.

SECTIO I.

I. ALterum membrum, diuidens distinctionem rationis vt sic, erat distinctio rationis, quæ oritur ex vi præcisiua intellectus, & habet fundamentum à parte rei, nunc autem natura huius distinctionis exponenda est. Et primò aduertere oportet; nomine virtutis præcisiuæ intelligi vim illam intellectus, qua versando circa rem simplicissimam secundùm entitatem, potest illam per diuersos conceptus inadæquatos intelligere; vt cum in substantia concipimus rationem entis, & rationem propriam substantiæ: tunc enim, licet res in seipsa sit vna, euadit tamen multiplex secundùm esse obiectiuum; non quidem quòd multiplicetur, sed solùm quia in diuersas rationes obiectiuas diuiditur, quarum vna explicat aliquid de perfectione rei, quod non explicat altera.

Quid virtus præcisiua intellectus.

II. Huiusmodi autem præcisio ex diuersis causis originari potest. Et primò quidem ex plenitudine, & abundantia perfectionis rei, quæ vnico conceptu intelligi non potest ex eo, quòd superet intellectum, vt contingit in distinctione attributorum diuinorum; ideo enim distinguuntur, quia propter infinitam eiusdem perfectionem non potest intellectus vnico conceptu ipsam intelligere, vt docuit D. Thom: in 1. distinct. 2. quæst. 1. artic. 3. vbi ait; *Quia res, quæ Deus est, superat nostrũ intellectum. Intellectus enim noster non potest vna conceptione diuersos modos perfectionis concipere, tum quia ex creaturis cognitionem accipit, in quibus sunt diuersi modi perfectionum secundùm diuersas formas; tum quia hoc, quod est in Deo vnum, & simplex, plurificatur in intellectu nostro, etiam si immediatè à Deo reciperet, sicut multiplicatur possessio bonitatis in alijs creaturis.* Hæc D. Th. qui pergit diffusè, hoc ipsum declarare. Ex quo etiam colligitur, quòd huiusmodi præcisio originem quoque habet ab intellectu nostro, qui propter suam imperfectionem improportionatus est; vnde per diuersos conceptus debet accipere cognitionem rei. Quod etiam D. Th. expressit quæst. 7. de Potentia artic. 6. dum ait: *Diuersitatis, vel multiplicitatis rationum, & nominum causa est ex parte intellectus nostri, qui non potest pertingere ad illam Dei essentiam videndam secundùm quod in se est; sed videt eam per multas similitudines eius deficientes, in creaturis, quasi in speculo resultantes*, Hæc autem ratio, ex qua oritur distinctio obiectiua rationum, non est diuersa à præcedenti, quia vtraque fundatur in improportione, quæ est inter intellectum, & obiectum.

Causæ ex quib. originatur præcisio, & distinctio rõnis.

D. Th.

III. Altera ergo radix præcisionis est ipsa rerum natura, quæ quantumuis in perfectione finita sit, & proportionata capacitati intellectus creati, est tamen ex intrinseco suo talis cõditionis, vt non nisi per diuersos conceptus concipi possit, licet in re vna sit. Sic actio, & passio, licet identificentur ad inuicem, non possunt tamen vnico conceptu intelligi, sed necessariò per duplicem conceptum illas concipimus, & tanquam rationes inuicem distinctas. Tertia denique radix est vis ipsa præcisiua intellectus, qua potest præscindere, & in plures rationes obiectiuas eamdem rem partiri sumendo

Altera radix distinctionis ratio-tionis ipsa rei natura.

Tertia radix vis præcisiua intellectus.

mo-

motiuum ex rebus ex eo, quòd eadem res importet, aut diuersa connotatam, aut diuersas habitudines & respectus, aut ex aliquo alio capite absque aliqua necessitate, quæ proueniat, aut ex rebus ipsis, aut ab imperfectione intellectus: sic distinguimus rationes superiores ab inferioribus, quia reperimus aliquam conuenientiam in pluribus secundùm rationes superiores, differentiam verò secundùm rationes inferiores. Et huiusmodi præcisio præter experientiam, qua continuò experimur, nos in progressu scientiarum diuidere res in huiusmodi rationes obiectiuas, conuincitur etiam ex eo, quòd, dum per discursum aliquid colligimus, non colligimus semper res ipsas secundùm totam perfectionem, sed tantùm secundùm aliquā rationem, quia id, quod vt notum assumimus ad aliquid inferendum, est solùm illatiuum alicuius rationis obiectiuæ, vt ex eo, quòd sit ens, colligimus habere vnitatem.

IV. Ex dictis autem colligitur discrimen inter distinctionem huiusmodi, & eam, quæ fit per actum collatiuum intellectus, quæ vocatur rationis ratiocinantis. In hac enim ipse intellectus format extrema distinctionis; quatenus facit, quòd id, quod est idem sibi ipsi, fundet diuersas secundas intentiones, & habeat diuersas habitudines consurgentes per opus intellectus, secundùm quas constituuntur extrema distinctionis. At in distinctione, quæ est cum fundamento à parte rei, inuenit intellectus in re vtrumque extremum, nam reuera cum distinguimus in Deo sapientiam, & iustitiam, in Deo est ratio sapientiæ, & ratio iustitiæ, & solùm intellectus eas partitur in duplicem rationem obiectiuam desumpta analogia ad sapientiam, & iustitiam creatam.

Extrema distinctionis rōnis rōcinatæ quomodo realia; rōnis verò rōcinatis quomodo nō realia.

V. Cæterum notandum est, quòd licet dicamus, extrema distinctionis rationis ratiocinatæ esse à parte rei, non hinc sequitur, quòd ipsa distinctio sit à parte rei: in re enim simplici secundùm entitatem distinguuntur illa extrema, vnde distinctio est tantùm in esse obiectiuo. Verum tamen est, ad esse fundamentum huius distinctionis, quia licet rationes illæ obiectiuæ in re non sint distinctæ, sunt tamen distinguibiles in ordine ad intellectum, quod idē est, ac adesse in re distinctionem virtualem, seu in potentia, quæ postea accedente præcisione intellectiua redditur actualis, & sicut potest intellectus ea, quæ plura sunt concipere vt vnum, atque vnitatem fundamentalem reddere formalem, ita circa rem, quæ habet identitatem realem eodem ferè modo negotiatur, eam diuidendo, atque distribuendo in plures rationes obiectiuas; & hoc pacto virtualem distinctionem facit actualem.

Distinctio rōnis rōcinatæ est tantū fundamētaliter à parte rei.

VI. Quòd autem huiusmodi distinctio habeat fundamentum à parte rei, conuincitur ex eo, quòd non possumus ad libitum formare extrema distinctionis, seu formalitates, sed debemus necessariò has, vel illas concipere iuxta exigentiam naturæ ipsius rei, circa quam distinctionem fabricamus. Rursus certum etiam ordinem seruare debemus in coordinandis huiusmodi rationibus, ita vt priùs ponamus rationes, quæ latius patent, quàm minus vniuersales; quod euidentissimè indicat, huiusmodi rationes desumi ab obiecto, non autem per intellectum fingi. Rursus ex hoc habetur, hanc distinctionem radicari in obiectis, dum hæ formalitates ex natura sua hunc potius ordinem requirunt, quàm alium, quod non est aliud, quàm obiectum ex natura sua esse distinguibile.

Vnde colligatur habere fundamentū à parte rei.

VII. Atque ex his colligitur, cur huiusmodi distinctio non sit omnino fictitia, licet non sit realis. Ratio est, quia totum id, quod in vtroque extremo concipitur, vt cum in homine distinguimus animalitatem, & rationalitatem, reperitur à parte rei, licet non habeat actualem distinctionem: Sicut etiam, cum concipimus naturam vniuersalem, non concipimus aliquid fictum, sed concipimus id, quod est à parte rei diuerso tamen modo se habens, non ex seipso, sed ex modo concipiendi intellectus. Quòd si vrgeas, intellectum concipere rem aliter, ac est. Aduertendum est, quòd sicut ex parte obiecti considerari potest, & ipsum esse obiecti materiale, & modus, quo afficitur tale esse, ita etiam ex parte cognitionis attendi debet, & ipsa cognitio, & modus cognitionis. Hoc tamen discrimen est, quòd modus, qui se tenet ex parte obiecti, induit rationem obiecti, & terminat cognitionem,

Distinctio rōnis rōcinatæ nō omnino ficti-tia.

modus verò cognitionis, non sic habet vt obiectum, neque terminat cognitionem, quæ sistit in actu directo, sed solùm illam, quæ consistit in actu reflexo. Rursus aduertere oportet, falsitatem, & fictionem se tenere ex parte obiecti, cum videlicet illi aliquid tribuimus, quod reuera à parte rei non conuenit, vt cum negationes ad modum entis cõcipimus. Ex hoc autem sequitur, quòd possumus sine falsitate, & fictione aliquid intelligere, illud non concipiendo secundùm totum id, quod illi conuenit à parte rei, dummodo tamen, quæ conueniunt, de ipso non negentur: vnde est illud axioma, ***Abstrahentium non est mendacium***. Ratio autem est, quia cum præscindimus, & abstrahimus, seu in diuersas rationes partimur rem, quæ simplex est, non immutatur aliquid, quod se teneat ex parte obiecti, sed totum prouenit ex modo cognitionis, quæ tali pacto res considerat, quia non iudicamus, rem esse abstractam, aut diuisam, licet ex modo cognitionis sic obijciatur. Vnde consurgit distinctio ex vi modi cognitionis, & est tantùm in ordine ad nostrum conceptum. Verum tamen est, quòd etiam per alium actum possumus concipere rem cum tali modo, quem habet in ordine ad cognitionem, & tunc formatur ens rationis, quia concipitur obiectum cum aliquo modo, nempe cum distinctione, quam reuera non habet.

Abstractio pura est sine deceptione.

VIII. His autem sic explicatis concludendum est. Hanc distinctionem consurgere tum ab obiecto, tum ab intellectu. Obiectum concurrit ad ipsam, quia exhibet materiam obiectiuam, ex qua formentur extrema: nam est tale, vt per plures conceptus obiectiuos intelligi possit. Intellectus autem verè, & effectiuè format conceptus formales, ratione quorum res in intellectu habet esse obiectiuum distinctum, quia cum inadæquatè correspondeat conceptibus formalibus, & prout correspondet vni, non correspondeat alteri, ex hoc consurgit distinctio in obiecto in ordine ad intellectum. Et hæc est natura distinctionis, quæ habet fundamentum in re, quæ vocari solet distinctio rationis ratiocinatæ, vt indicetur non esse omnino formatam per operationem intellectus, sed aliquo modo originari, & habere esse ab obiectis.

Quænam concurrat ad distinctionẽ rõnis ratiocinatæ.

Oppositæ sententiæ, & resolutio quæstionis.

SECTIO II.

I. Hanc distinctionem rationis sic explicatam negant Scotistæ, quos supra recensuimus, dum ex eorum sententia recitaremus varia distinctionum genera: & putant omnem distinctionem rationis concludi intra genus illius distinctionis, quæ fit per actum collatiuum. Fundamenta huius sententiæ hic afferenda sunt, vt melius nostram sententiam confirmemus. Primò ergo arguunt. Si aliqua res, quæ est vna, & simplex distingueretur in plures rationes obiectiuas, sequeretur, quòd aliquid illi conueniret, quod non conueniret: hoc autem dicit maximam implicantiam. Sequela autem ostenditur, quia quod distinguitur ab aliquo, habet rationem distinctiuam, quæ non conuenit extremo, à quo distinguitur, ergo hæc ratio conuenit, & non conuenit eidem rei, quia eadem res est in vtroque extremo.

Opinio negãs distinctione rõnis cũ fundamẽto.

Primũ argumentũ.

II. Secundò. Vbicunque est distinctio, ibi est aliqua pluralitas. Si ergo aliquid distinguitur ratione cum fundamento in re; vel hæc pluralitas est entium rationum, & tunc distinctio non erit in ente reali, aut si erit in ipso, erit tantùm distinctio penes secundas intentiones. Vel est entium realium, & hoc implicat, quia quod est vnum, excludit pluralitatem entium realium. Si autem quis respondeat, quòd non sunt plura entia realiter, sed solùm secundùm rationem, quia per operationem intellectus euadunt plura. Instant, quia non potest intellectus rem vnam multiplicare in plures. Rursus si dicas, censeri plura licet non sint, adhuc instant. Quia tunc esset iudicium falsum, nec verè adesset distinctio. Verùm adhuc responderi posset, & est vera doctrina. Extrema illa constituere pluralitatem secundùm esse obiectiuum, ita vt res, quæ est vna à parte rei, sit multiplex obiectiuè; sed adhuc instant. Quia cum dicimus, esse plura obiectiuè, vel intelligitur, quòd sint plura obiecta, & hoc non

Secundũ.

potest dici, quia si res præcisè ponitur obiectum, cum res sit vna, erit etiam vnicum obiectum; si autem res non est præcisè obiectum, sed aliquid factum in ipsa ab intellectu, iam distinctio non cadit supra rem præcisè, sed supra id, quod fabricatur per intellectum. Si autem dicatur, quòd non sunt plura obiecta, sed esse plura obiectiuè, idem est, ac si dicatur, idem esse obiectum plurium conceptuum formalium, quod non ponit pluralitatem ex parte obiecti, sed solùm in conceptibus formalibus.

Tertium

III. Tertiò. nulla res, quæ est ipsa, fit non ipsa: si autem distingueretur in plures rationes, fieret non ipsa, quia diuideretur in seipsa. Si dicas fieri non ipsam secundùm rationem tantùm, non verò secundùm rem. Contra est, quia vel sumitur res, & ratio, prout faciunt vnum aggregatum, & hoc impertinens est, quia tunc non saluatur distinctio, quæ ponitur ex parte obiecti. Vel sumitur res præcisè, prout substat diuersis rationibus, & tunc falsum est, quòd res considerata per vnum conceptum non sit eadem prout considerata per alium.

Quartũ.

Quartò. Ista distinctio non potest fieri per rationem, quasi ratio sit formale distinctiuum, quia tali pacto vnaquæque res per proprium esse intrinsecum distinguitur ab alia: nec potest esse formale distinctiuum extrinsecum, quia quod extrinsecum est non distinguit, nisi supponat intrinsecè distinctum. Sed nec potest distingui à ratione tanquam ab efficiente, quia ratio neque obiectiuè distinguit res simplices, sed solùm cum supponitur aliqua compositio. Hæc sunt potissima argumenta, quibus nituntur probare, non dari distinctionem rationis cum fundamento à parte rei.

Opposita sententia. D.Th. Capr. Fonseca. Suarez.

IV. In oppositum tamen est vera sententia, quæ desumitur ex D. Th. in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. & quæst. 7. de Potent. ar. 3. & 1. par. quæst. 13. ar. 4. & alibi Capr. in 1. dist. 8. quæst. 4. art. 2. ad argumenta contra 2. conclus. secundo loco facta, & sequuntur communiter tum Thomistæ, tum cæteri omnes, & præcipue Fonseca 5. Metaph. cap. 6. quæst. 9. Suarez in Metaph. disp. 7 sect. 1. & satis conuincitur ex ijs, quæ diximus sect. præcedenti in explicanda eius natura, ex quibus apertè constat, concedendam esse. Et peculiariter etiam probari potest. Quoniam posita virtute præcisiua intellectus, quæ necessariò concedenda est, vt patet, cum præscindimus naturam à condicionibus indiuidualibus, necessariò sequitur, quòd possit partiri eamdem naturam in plures rationes obiectiuas: huiusmodi autem partitio est distinctio rationis cum fundamento in re, quoniam sumit motiuum ex obiecto, vt cum distinguit genus, & differentiam ex eo, quòd per genus res aliqua cum aliis conueniat, à quibus differt per differentiam.

Concl. Datur distinctio rationis cũ fundamẽto in re.

Confir.

V. Confirmatur Ideò potest intellectus pręscindere naturam à condicionibus indiuiduantibus, quia natura est aliquid communius;& etiam in ipsa natura simplici specifica potest pręscindere magis commune à minus communi; cur ergo non poterit intellectus partiri naturam in huiusmodi rationes formâdo plures conceptus obiectiuos? tunc autem aderit fundamentum à parte rei; nam natura secundùm rationes magis vniuersales cum alijs cõuenit, secũdùm minus vniuersales est diuersa, quod est sufficiens motiuum,& fundamentum ad fabricandam huiusmodi distinctionem. Quòd autem huiusmodi distinctio non sit maior, quàm rõnis, videbimus infra, cum examinabimus distinctionẽ ex natura rei. Rursus confirmatur ex multiplicitate prædicatorum essentialium, quæ concurrunt ad constituendam vnicam naturam: cuicunque enim prædicato aliquid correspondet ex parte naturæ, quod est constitutiuum illius, ratione cuius natura habet aut aliquod peculiare connotatum, aut peculiarem aliquam habitudinem. Præterea quodlibet prædicatum dicit aliquam peculiarem rationem obiectiuam, ergo iam habemus diuersitatem extremorum cum fundamento ex parte obiecti, quæ consurgit per præcisionem intellectus, quæ quidem distinctio nulla alia est, quam rationis cũ fundamento in re.

2. ratio

VI. Secundò etiam declarari potest ex parte compositionis. Compositio enim ex sua intrinseca ratione dicit aliquid coalescens ex pluribus, & quomodo plura sunt, talis etiam est compositio. Quod autem coale-

scit ex pluribus, & intrinseca sua ratione est resolubile in ipsa, saltem per intellectum. Sed nullum est ens creatum adeo simplex, quod licet excludat compositionem in entitate, non includat tamen compositionem metaphysicam, ergo non datur aliqua entitas, quæ non sit diuisibilis per intellectum in plures rationes obiectiuas, ex quibus coalescit compositio metaphysica. Cum autem compositio metaphysica sit secundùm esse obiectiuum, aut neganda est compositio metaphysica, aut concedendum, rem simplicem posse in plures rationes obiectiuas distingui ab intellectu.

Cōpositio metaphysica fūdat distinctionē rōnis cū fundamēto.

3. ratio

VII. Tertiò argumentor. Fieri potest, quòd obiectum excedat capacitatem intellectus, qui non possit totum adæquatè cognoscere, vt accidit in Deo respectu intellectus creati, qui ob infinitam perfectionem non potest vnico conceptu intelligi; tum quia eius perfectiones ex creaturis colligimus, in quibus cum dispersæ sint, & distinctæ, in Deo quoque illas concipimus distinctas, ergo concedenda est distinctio rationis, quæ habeat fundamentum in re. Consequentia ostenditur, quia huiusmodi distinctio originem habet ab intellectu, qui ob suam limitationem non potest totum simul cognoscere, sed in plures obiectiuos conceptus partitur: distinctio autem, quæ fabricatur ab intellectu est distinctio rationis. Rursus est aliquod fundamentum ex parte obiecti, nam quælibet ratio, quæ ab alia distincta concipitur, habet diuersa connotata, & est se sola ab alijs seorsum participabilis, & conceptibilis, quæ sunt sufficientissima fundamenta pro fabricanda distinctione. Confirmatur, ex eo, quòd non intelligimus per proprias species substantias spirituales, sed per alienas, ipsarum quidditatem colligimus per diuersos discursus, ergo necessariò concedenda est pluralitas rationum obiectiuarum. Consequentia ex eo deducitur, quòd non potest per applicationem vnius speciei complete intelligi tota natura rerum spiritualium, & substantiarum; tum quia per discursum non colligimus totam essentiam, sed paulatim per plures discursus, vnde etiam plures conclusiones efformamus: cum autem quilibet discursus aliquid de nouo inferat, necessariò vbi sunt plures discursus, debent esse plures rationes cognitæ. Scotistæ autem hanc distinctionem non admittunt, quia vbicunque interuenit fundamentum, & distinctio virtualis à parte rei, volunt adesse distinctionem ex natura rei, quæ præcedat operationem intellectus.

Distinctio rōnis cū fundamēto cōuincitur ex perfectione obiecti.

Modus cognoscendi per discursus causat distinctionē rationis cū fundamento in re.

Soluuntur argumenta in oppositum.

SECTIO III.

I. Argumenta oppositæ sententiæ facilè dissoluentur, si rectè natura huiusmodi distinctionis consideretur. Et quod spectat ad primum; verum est, quòd illud, quod tanquam ratio distinctiua conuenit vni extremo, non potest conuenire alteri, alioquin non esset ratio distinguendi, sed ratio conuenientiæ. Quocirca quod tali pacto conuenit vni extremo huius distinctionis, quatenus extremum est, non potest alteri tribui; sed cum infertur, quòd aliquid eidem conueniret, & non conueniret, negatur consequentia. Pro quo aduertendum est, quòd res duplicem statum habent alterum à parte rei, alterum in esse obiectiuo. Illud ergo, quod vni tantùm extremo conuenit, simpliciter conuenit rei, quæ distinguitur, quatenus est à parte rei; verùm ita illi conuenit, vt non sit eius esse adæquatum, sed tantùm pars de esse ipsius. Vnde ex hoc fit, quòd cum esse rei diuiditur secundùm esse obiectiuum, hæc ipsa ratio, quæ dicit partem de esse ipsius rei, remaneat in vnico tantùm extremo, & nullo pacto conueniat alteri secundùm esse obiectiuū. Neque hinc oritur aliqua difficultas, si modus, quo res diuiditur, rectè attendatur, & quomodo vnaquæq; ratio obiectiua dicat esse inadæquatum rei. Diuiditur enim eo fermè pacto in esse obiectiuo proportionaliter, quo diuideretur, si diuisio fieret secundùm esse reale.

Ad primum.

Quomodo in distinctione rōnis ratiocinatæ, q̄ vni extremo cōuenit, nō conueniat alteri.

II. In secunda verò ratione tāgitur vera responsio, quæ in eo consistit, quòd nimirum adsit pluralitas secundùm esse obiectiuum, non autem secundùm esse reale; vnde non multiplicatur res à parte rei, sed tantùm res, quæ in se est realiter vna, consideratur

Ad secundum.

per

Quomodo falsè tur ratione in diuisione rónis rónatæ.

per plures actus, & vnusquisque actus attingit tantùm partem essentiæ ipsius, vnde remanet aliquid aliud de ipsa, quod per alium actum concipiatur. Ad instantiam ibi factam respon. quòd vnitas rei non obstat pluralitati secundùm esse obiectiuum, quia ad hanc non requiruntur plures res, sed sufficit pluralitas rationum obiectiuarum, quæ desumi potest ex vnica tantùm re, si in plures rationes diuidatur per præcisionem. Hæ verò rationes obiectiuæ singulæ sunt obiecta adæquata respectu cuiuscunque actus, quo concipiuntur: sunt autem quid inadæquatum respectu rei, à qua præscinduntur, quia per singulas inadæquatè attingitur. Hinc ad formam argumenti dicendum est; esse plura obiecta, si per obiectum intelligitur aliquid cognoscibile; non esse autem plura obiecta, si per obiectum intelligatur res, quæ sit à parte rei, & dicat completam entitatem. Hoc tamen, vt dictum est, non obstat, quo minus adsit distinctio secundùm esse obiectiuum.

Ad tertium.

III. Ad tertium dicendum est, quòd quandiu manet esse aliquius rei, nunquam ex ipsa fit non ipsa: sicuti enim constituitur ipsa per esse tale, ita quandiu res perseuerat in suo esse, semper etiam perseuerat ipsa: hoc enim est de ratione cuiuscunque constituti, vt necessariò permaneat, quoad vsque permanet constitutiuum. Imo licet Deus possit rem quamlibet destruere, aut in aliam conuertere, vt contingit in eucharistia, dum panis, & vinum conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi, nullo tamen pacto potest facere, quòd ipsa fit non ipsa, quia tunc deberet res esse, & non esse ipsa, quod neque potest concipi. Cum ergo res diuiditur per præcisionem in plures rationes obiectiuas, nullo modo fit non ipsa; tum quia remanet secundùm esse reale; tum quia remanet etiam secundùm esse obiectiuum. Solùm ergo modificatur secundùm esse, ita vt esse illud, quod erat vnum, euadat diuisum secundùm esse obiectiuum, vnde variatur tantùm modus essendi, non autem esse. Et sicut cum quantitas bipalmaris diuiditur in duas partes palmares, non per hoc euadit non ipsa, sed ex indiuisa fit diuisa, ita etiam in casu nostro à fortiori non redditur diuersa à seipsa.

Non pòrres fieri non ipsa

In distinctione rónis rónatæ res non fit nó ipsa

Præterea si consideretur euadere diuersam, vt innuitur in responsione, quæ ibi tangitur, neque aliquid absurdi tunc sequeretur, quia tunc res euaderet non ipsa secundùm esse obiectiuum, quatenus partialiter corresponderet vni conceptui, & partialiter alteri. Cœterum nunquam concedendum est, quòd euadat non ipsa per mutationem sui esse.

Ad quartum.

IV. Ad quartum respondetur, Per rationem posse nos intelligere vel potentiam ratiocinantem, seu actum illius, vel rationem aliquam quidditatiuam, & cognoscibilem ab intellectu. Primò modo dicendũ est huiusmodi distinctionem esse ab ipsa effectiuè: ista tamen effectio ita accipienda est, non quòd per aliquem influxum influat in rem, quam diuidit, quia intellectus non habet influxum aliquem extra seipsum, sed quatenus intellectus natus est diuidere ea, quæ saltem metaphysicè composita sunt: ista autem diuisio in eo consistit, quòd intellectus possit res inadæquatè concipere. Atque ex hoc patet ad instantiam, negamus enim, intellectum non posse diuidere res simplices secundùm esse obiectiuum: neque ad hunc effectum debet supponi compositio secundùm esse reale, sed solùm metaphysica, & secundùm esse obiectiuum. Si verò Ratio secundò modo accipiatur, dicimus, diuisionem per ipsam fieri formaliter intrinsecè, quia ratio sic accepta est ipsummet esse partiale rei, quod habet in esse obiectiuo, quod vni conceptui formali correspondet: vnde instantia, quæ contra hoc affertur, nullius est momenti, & ex dictis soluta manet. Cõstat autem ex his, dari etiam alterum membrum diuisionis distinctionis secundùm rationem vt sic, nempe distinctionem, quæ habet fundamentum à parte rei: & proinde distinctionem rationis vt sic rectè diuidi in eam, quæ est per actum collatiuum sine vllo fundamentò in re, & in eam, quæ est per actum præcisiuum cum fundamento à parte rei.

Quomodo distinctio rónis ròcinatæ fiat à ròne.

An distinctio rationis ratiocinatæ ponat distinctionem in obiecto. Disp. LVI.

Punctus difficultatis, & oppositę sententię.

SECTIO I.

I. NOn quærimus de distinctione illa, siue virtuali, siue quæcunque alia sit, quæ ex parte obiecti supponitur tanquam fundamentum pro distinctione, quam format intellectus, quia certum est, hanc reperiri in ipso obiecto; sed quæstio est de distinctione, quæ consurgit ex operatione intellectus, an nimirum huiusmodi distinctio consurgat in obiecto, an verò sit tantùm subiectiuè in intellectu, seu insit tantùm conceptibus formalibus illius. Punctus difficultatis. Vt autem plenè punctus difficultatis teneatur, aduertendum est, obiectum considerari posse, & specificatiuè, seu secundùm proprium esse, quo repræsentatur intellectui, & est aliquid cognitum. Vel reduplicatiuè, prout obijcitur intellectui, & habet esse cognitum, ita tamen, vt reduplicatio cadat, non supra id, quod cognoscitur, sed supra illud obijci intellectui, atque denominationem desumptam ab actibus intellectus. Et in hoc sensu certum est, quòd si distinctio habetur in conceptibus formalibus, habetur etiam in obiecto considerato secundùm huiusmodi denominationes. Solùm ergo difficultas superest de obiecto considerato secundùm proprium esse, quod intellectui manifestatur.

Opinio negatiua Hurtad. D. Th. Thomist. Nomin. II. Sententiam negatiuam tradit Hurtad. in Metaph. disp. 6. sect. 4. quam etiam tribuit D. Th. & Thomistis; & videtur etiam desumi ex Nominalib. Gabr. in 3. d. 2. q. vnica art. 3. ad argum. Scoti Ocham. in 1. d. 2. q. 3. & 4. Arim. dist. 8. q. 2. ar. 1. & 2. Heru. quodlib. 3. ar. 3. non tamen adeo clarè loquuntur, vt certum omnino sit, eos in hac sententia fuisse, vt putat ipse Hurtad. sed probabiliter tantùm censeri potest, ipsos negasse hanc distinctionem ex parte obiecti; quamuis probabilius dici posset, noluisse per hanc distinctionem poni, aut indicari distinctionem aliquam, quæ sit in ipsis obiectis realiter, & à parte rei. Quicquid tamen sit, fundatur hæc sententia primò. Argumentum primum. Quia ad ponendam distinctionem requiritur ratio distinctiua; hæc autem non est in obiecto, sed tantùm in intellectu, cum enim sit separatio, & abstractio vnius ab alio, formaliter est actus intellectus. Quòd si dicas, distinctionem, quæ est formaliter in intellectu communicare distinctionem etiam obiectis per suum effectum formalem. Vrgent, quia iam illa distinctio non attingit duas formalitates distinctas in obiecto, nam obiectum, vt adæquatè distinguitur à cognitione, & quocunque actu intellectus, non habet formalitates distinctas. Nec recurri potest ad effectum formalem, quia sicuti esse cognitum non dicit aliquid intrinsecum in obiecto, sed solùm intellectui, ita etiam esse distinctum non dicit aliquid in obiecto, sed solùm in intellectu.

Secundũ. III. Secundò argumentantur. Antequam cognoscatur animalitas, & rationalitas, non habent aliquid, per quod inuicem distinguantur, alioquin à parte rei distinguerentur; ergo per distinctionem rationis non ponitur distinctio aliqua in obiecto, quia tota distinctio sistit in actibus intellectus. Neque recurri potest ad distinctionem fundamentalem, quia obiectum non fundat cognitionem, nisi secundùm id, quod habet in seipso, cum autem in obiecto non sit aliud, & aliud, non potest in ipso esse fundamentum, vt intellectus attingat vnum sine alio. Tertiò addunt, quòd cognitio terminatur ad obiectum vnum realiter, & hoc est obiectum immediatum, ergo non terminatur ad conceptus obiectiuos distinctos. Tertium. Consequentia prob. quia esse reale obiecti est etiam esse formale, vel ergo hoc esse formale est aliud, & aliud in obiecto, vel non: Si primum,

ergo distinctio est realis: si secundum, quomodo facit, quòd obiectum in se non sit vnum? Confirmatur. Ratio non est ex parte obiecti, sed ex parte conceptuum, ergo etiam distinctio rationis. Denique arguunt. Si cognitio, quæ terminatur ad rationale, non terminatur etiam ad animal, sequeretur, quòd distinguerentur à parte rei, tum quia vni conueniret vnum prædicatum, quod non conueniret alteri, tum quia non solùm esset diuersitas in cognitione, sed etiam in obiecto.

Quæ tū.

IV. Opinio autem concedens ex vi huius distinctionis secundùm rationem ratiocinatam prouenire aliquam distinctionem etiam ex parte obiecti, communis est, & potius videtur supponi, quàm probari, vt est præcipuè apud Vasquez 1. par. disp. 117. cap. 1. Serna in Logica disp. 1. sect. 4. ar. 3. 5. Resoluitur difficultas. Nec enim volunt hanc distinctionem ideo esse rationis, quia fit tantùm in actibus intellectus, nec vllo pacto cadat supra obiectum, sed ideo esse rationis, quia non est realiter in obiecto, sed tantùm per rationem, quod est maximè aduertendum, ne propter æquiuocationem terminorum resolutio quæstionis difficilis reddatur.

Opinio affirmati uæ. Vasquez Serna.

Resoluitur quæstio.

SECTIO II.

I. VT huius rei veritatem aperiamus, paulatim procedere debemus, & primò præmittendum est tanquam certum; Ex vi huius distinctionis, quam format intellectus præbentibus motiuum ipsis rebus, nullam distinctionem realem in ipso obiecto contingere, sed solùm realem distinctionem esse in actibus intellectus. Hoc etiam docuit D. Th. opus. 9. q. 1. pro defensione Tarantasij, vbi hæc habet. *Ratio vniuscuiusque significata per nomen est conceptio intellectus, estque in intellectu sicuti in subiecto; in re autem intellecta sicut in repræsentato.* Et infra loquens de diuinis attributis, quæ asserit, differre ratione, ait. *Sunt idem re, quia essentia diuina est vna, & eadem, quam intellectus noster diuersis conceptionibus repræsentat.* Et paulo post subdit. *Calumniosè autem contra hoc obijcitur, quòd ipsa differentia sapientiæ, & bonitatis in Deo sit, & non solùm in intellectu creato.* Et clarius habet quæst. 3. eiusdem opusculi, vbi inquit. *Ex ijsdem etiam patet hoc, quòd tertiò ponitur sanum habere intellectum, scilicet diuersitas rationis sapientiæ, potentiæ, bonitatis fundatur in intellectu sicut in subiecto, in Deo sicut in obiecto, quod præstat causam, & fulcimentum suæ veritati. Vt tamen intelligatur, quòd præstat fulcimentum veritati, in quā tum repræsentatur per vnamquamque conceptionem intellectus nostri intelligentis huiusmodi attributa, non autem quantum ad hoc, quòd ipsa diuersitas attributorum repræsentet aliquam diuersitatem in Deo, vt in contrarium obijcitur. Hæc enim diuersitas conceptionum, seu rationum non prouenit ex diuersitate Dei, sed ex defectu intellectus nostri, qui rem vnam perfectè non potest intelligere, nisi per multa, qui intelligit attributa, secundùm quod perfectio inuenitur in rebus creatis.* Hæc D. Th. quibus manifestè docet, ex hac distinctione rationis, cui correspondent diuersi cōceptus obiectiui ex parte obiecti; non poni distinctionem aliquam realem in obiecto.

Distinctio rōnis rōcinatæ nō ponit reale distinctioné in obiecto D. Th.

II. Præterea aduertendum est, quòd obiectum nedum considerari potest secundùm esse reale, quòd habet in seipso, sed etiam secundùm esse obiectiuum, quod habet in intellectu, & consistit in eo, quòd ipsi intellectui repræsentatur; quòd autem hoc concedi debeat tanquam aliquid distinctum tū ab obiecto, prout habet esse in seipso, tum ab ipso actus intellectus, apertè conuincitur; obiectum enim multoties aliter repræsentatur, ac fit in seipso, & aliquid attingit intellectus, quod re vera non est in obiecto tunc autem id, quod repræsentatur, necessariò concedendum est, esse quid diuersum ab obiecto, quia idem secundùm idem non potest aliter, atque, aliter se habere, vt accidit in casu isto. Præterea neque est ipse conceptus intellectus, quia conceptus intellectus non est id, quod repræsentatur, sed ratio repræsentandi. Cum autem intelligo Petrum, Petrus repræsentatus se habet vt quod, & tanquam obiectum. Debet ergo concedi istud esse obiectiuum, quod neque sit conceptus formalis intellectus, prout repræsentatiuus, neque sit obiectum ipsum secundùm esse reale, quod

Datur esse obiectiuum distinctum ab obiecto & cognitione.

ha-

habet in seipso: sed sit obiectum, quatenus intentionali modo continetur ab ipsa cognitione, tanquam à ratione manifestatiua obiecti.

Conclusio 1. Distinctio rationis nō cadit supra obiectum, prout est à parte rei.

III. His autem præmissis dicendum est primo. Si obiectum consideretur secundùm esse reale, quod habet extra intellectum, distinctio rationis cū fundamento non cadit supra ipsū. Hoc ad summum conuincunt rationes prioris sententię; & confirmatur amplius, quia distinctio rationis, etiam si fiat cū aliquo fundamento in re, est merū opus intellectus, ita vt habeat tantùm esse in ipso intellectu, ergo ex vi ipsius non potest poni aliqua distinctio in obiecto, prout habet esse extra intellectum, alioquin ista distinctio non haberet esse solùm in intellectu, quia se extenderet ad aliquid, quod esset extra intellectū.

Distinctio rōnis ēt cū fundamēto habet esse solū in intellectu.

Confirmatur. quia operatio intellectus est tota immanens, ergo cum hæc distinctio sit operatio rationis, debet secundùm se totam remanere in intellectu, nec redundare in obiectum extra intellectum.

Secunda ratio

IV. Secundò ostenditur conclusio, Intellectus, dum cognoscit aliquod obiectum, per nullam præcisionem, aut abstractionem causat aliquam mutationem in ipso secundū esse reale: præcisio enim intellectus non immutat obiectum in seipso, quia in ipsum nullam habet efficaciam. Sed distinctio rationis est solùm actus cogitationis cum aliqua præcisione, & abstractione, ergo non potest causare aliquam mutationē in obiecto, & consequenter nec etiam ponere distinctionem, si ante non habebat: & hoc nedum verum est de distinctione, quæ fit realiter in ipso obiecto, sed etiā quę se teneat ex parte obiecti, secundùm quod obijcitur intellectui, ita enim intellectui obijcitur, sicuti est in seipso.

Intellectus nōn immutat obiectū secundū esse reale.

Confirmatur; quoniam huiusmodi distinctio rationis consurgit per cognitionem speculatiuam; cognitio autem speculatiua ex natura sua supponit omninò obiectum, nec vllo pacto facit; in quo contra distinguitur à practica, ergo sicuti non facit simpliciter obiectum, ita neque etiam potest immutare, ita vt diuerso modo obijciatur, ac in se est, vnde obiectum solùm prout est in se absque aliqua immutatione, quæ fit ab intellectu, debet terminare cognitionem speculatiuam.

Tertia ratio.

V. Deniq; hoc ipsum confirmatur. Si huiusmodi distinctio poneretur in obiecto, quatenus terminat cognitionem, poneretur etiam aliqua ratio cognoscibilitatis, sed implicat, quòd ponatur in obiecto aliqua ratio cognoscibilitatis, ergo etiam, quòd ponatur distinctio; sequella maioris certa est, quia si poneretur distinctio in obiecto, intellectus attingeret ipsam, ac obiectum perciperetur alio modo, ac si intellectus non fabricaret circa ipsum distinctionem; hoc autem nequit fieri sine noua aliqua ratione cognoscibilitatis, quæ sit in obiecto, quia quotiescunque aliquid de nouo cognoscitur, adest etiā noua ratio cognoscibilitatis, quæ terminet cognitionem.

Si intellectus poneret distinctionem in obiecto, poneret ēt nouā rōnē cognoscibilitatis.

Ratio etiam clara est, quia cum cognoscibilitas sit passio entis, consequitur tantùm ab intrinseco entis; cum ergo intellectus non possit variare entitatem, neque etiam potest ponere in obiecto aliquam rationē cognoscibilitatis. Quod prætereà confirmatur. Ista distinctio non potest consequi obiectum, alioquin esset distinctio ante opus rationis, ergò neque poni potest in obiecto, quando cum fundamento intellectus circa ipsum distinguit. Consequentia probatur, quoniam cum obiectum terminat cognitionem, terminat eo prorsus pacto, quo est in se ipso, alioquin deciperetur, nec attingeret obiectum, sicuti est.

Secunda Conclusio

Distinctio rōnis ponit distinctionem in obiecto, vt est intentionali modo in intellectu.

VI. Secundò dicendum est; distinctionem rationis cum fundamento ponere distinctionem in obiecto, quatenus intentionali modo existit in intellectu. Colligitur ex Arist. pluribus in locis præsertim lib. 1. de Cœl. tex. 92. vbi docet *Aliud est Cœlum simpliciter, & aliud hoc Cœlum*, distinguens naturam vniuersalem à singulari, ita vt ponat distinctionem ex parte obiecti, quæ cum non possit esse in obiectò terminante cognitionem, erit in obiecto obiectiuè, & intentionali modo existente in intellectu. Verba Arist. sunt *Est ergo aliud hoc cœlum, & simpliciter cœlum: Atqui hoc est vt species, atque forma, illud vt cum materia mixtum*. Et ex D. Thom. 1. contra Gent. cap. 35. vbi docet nomina dicta de Deo non esse synonima, quia non significant eamdem rationem.

VII. Et facile probari potest. Intellectus enim cum habeat vim præcisiuam, potest formare conceptus inadæqua-

dęquatos circa res, quas intelligit, ita vt parte m tantùm de ipſarum quidditate attingat, quod præſertim contingit, quando cognitione abſtractiua aliquid cognoſcimus, cuius eſſentia non eſt nobis adequatè explorata, vt patet circa conceptus, quos de Deo, & ſubſtantijs ſeparatis formamus, ergo diſtinctio rationis cum fundamento ponit diſtinctionem in ipſo obiecto, quatenus intentionali modo exiſtit in intellectu.

Obiectũ pót eſſe inadequatũ eſſe obiectiue in intellectu.

Conſequentia probatur, quia conceptus inadæquatus ponit tantùm partem rei cognitæ in intellectu, & ſicuti res ſolùm inadæquatè concipitur, ita etiam inadæquatè tantùm intentionali modo exiſtit in intellectu, & veluti diuiditur in partes, ita vt diuiſio cadat ſupra ipſum obiectum, quatenus habet eſſe intentionale: diſtinctio autem rationis cum fundamento fit, quando concipitur res aliqua per conceptus inadæquatos. Confirmatur. In diſcurſu aliquid infertur, quod non erat cognitum de tali obiecto, ſeu aliqua tantùm ratio metaphyſica, vt d ſtincta à cœteris formalitatibus, vt cum ex eo, quòd Angelus eſt intellectiuus, infero eſſe etiam volitiuum. Imò in ipſomet Deo vnum attributum infertur ex alio, ſic ex eo, quòd eſt æternus, infero eſſe immutabilem; hoc autem fieri non poſſet, niſi diſtinctio eſſet in obiecto, prout intentionali modo eſt in intellectu: diſcurſus enim ex intrinſeca ſua ratione eſt proceſſus à re nota ad rem ignotam, in quo inuoluitur diſtinctio ex parte rei cognitæ, atque adeo in ipſo obiecto.

Secunda ratio.

VIII. Secundò dum intellectus diſtinguit cum fundamento in re, termini diſtinctionis ex intrinſeca ſua natura, prout ſunt obiectiuè in intellectu, habent inter ſe diuerſitatem, ita vt diuerſitas non ſolùm ſit in actibus intellectus, ſed etiam in formalitatibus, quę ſunt obiectiuè in intellectu, ergo diſtinctio rationis cum fundamẽto ponit diſtinctionem in obiecto ſecundùm rationes metaphyſicas obiectiuas. Antecedens patet diſcurrendo per ſingulas diſtinctiones, quæ fiunt cum fundamento; nàm extrema ita ſe habent, vt quod importat vnum formaliter, & explicitè, non importet alterum: ſic quod dicit rationalitas, non dicit animalitas; rurſus iſta extrema fundãt diuerſas habitudines aliud enim fundat rationem genericam, & aliud ſpecificam, aut alias diuerſas rationes. Præterea vnum extremum in ſenſu formali negatur de altero, ita vt negatio cadat ſupra ipſa extrema, ſic rationalitas nõ eſt animalitas. Denique vna ratio eſt radix vnius proprietatis, altera verò alterius, quæ omnia ſaluari non poſſunt, niſi extrema ex intrinſeca ſua ratione dicerent formalitates diuerſas. Quod etiam conuincitur ex eo, quòd vnum ex his extremis poteſt eſſe obiectiuè in intellectu abſque eo, quòd adſit alterum; vnde cum ſecundùm proprium eſſe obiectiuum ſeparentur, neceſſariò diſtinctio ſe tenet ex parte obiecti obiectiuè exiſtentis in intellectu. Vnde hinc elicitur conſequentia deducta, quòd nimirum diſtinctio rationis ponat diſtinctionem in obiecto ſecundùm eſſe intẽtionale acceptum. Nam ex eo, quòd intellectus vtitur ſua vi præciſiua, conſurgũt in ipſo iſtę diuerſæ formalitates.

Extrema diſtinctionis rationis ratiocinatæ habent inter ſe diuerſitatẽ in ratione obiectiuas.

IX. Confirmatur, quando intellectus diſtinguit rationem ſpecificam à generica, tunc conſurgit ex parte obiecti ratio aliqua obiectiua, quæ tantùm eſt propria talis ſpeciei, & aliqua, quæ conuenit etiam alijs ſpeciebus; ergo debent huiuſmodi extrema eſſe ex intrinſeca ſua ratione diuerſa, quia ex ſe altera habet, quòd ſit propria vnius ſpeciei: altera verò, quòd ſit communis pluribus. Præterea diſtinctio optimè conuincitur ex eo, quòd vnum extremum ex ſe habeat aliquid, quo alterum careat: tum enim ſicuti adeſt diuerſum conſtitutiuum, ita etiam neceſſariò adeſt diuerſum cõſtitutum, & conſequẽter diſtinctio. In diſtinctione autem rationis cum fundamento extrema ita ſunt inuicem diuerſa ſecundùm eſſe intrinſecum, vt vnum habeat aliquid, quo alterum careat: ergo huiuſmodi diſtinctio ponit diſtinctionem in obiecto prout intentionali modo exiſtit in mente. Denique quando intellectus diſtinguit inter rationem genericam, & ſpecificã, ita diſtinguit, vt ſimul concipiat confici ex illis duobus rationibus vnum compoſitum metaphyſicum tanquam ex actu, & potentia metaphyſicis, & concipit hanc compoſitionem ſe tenere ex parte obiecti; ergo aliquo pacto in obiecto cauſatur diſtinctio, quia compoſitio ſtare non poteſt, niſi diſtinctio ſit inter componentia.

Confir.

Rationes metaphyſicæ obiectiuæ ab intrinſeco ſuo habent diſtinctionem

Satiſfit

Satisfit argumentis in oppositum.

SECTIO III.

Ad primum. Quomô in distinctione rônis ratiocinatæ extrema habeât diuersa distinctiua

I. AD primum oppositæ sententiæ concedimus, verum esse, quòd ad distinctionem requiratur ratio formalis distinctiua: hæc autem reperitur in obiecto, quatenus intentionali modo existit in intellectu. Vnde falsum est, quòd intellectus non attingat formalitates diuersas, quia licet obiectum non habeat huiusmodi distinctionem in se ipso, quatenus consideratur, prout secundùm esse reale terminat cognitionem, si tamen attendatur, prout habet esse intentionale, accipit diuersitatem formalitatum, quia intellectus per suã vim præcisiuam veluti in partes diuidit essentiam rei, & in plures inadæquatos conceptus partitur: huiusmodi autem conceptus inadęquati ex intrinseco suo dicunt diuersitatem, vt iam patet ex dictis in sect. præcedenti. Quocirca præcisè loquendo distinctio nõ habetur ex eo, quòd obiectum subsit diuersis actibus intellectus, sed quia ita subest, vt secundùm partes correspondeat singulis actibus. Vnde vnus actus continet in esse intentionali vnicam tantùm portionem obiecti, non autem totum esse ipsius: & idcirco distinctio redundat etiam in obiectum, nec solùm per extrinsecam denominationem dicitur distingui, sicuti dicitur esse cognitum.

Ad secundum

II. Ad secundum etiam concedimus, quòd antequam cognoscatur animalitas, & rationalitas, non adest in obiecto aliqua distinctio, alioquin distinctio nõ esset ab intellectu distinguẽte, sed à parte rei. Rursus etiam verum est, quòd obiectum nõ fundat cognitionem, nisi prout est in se ipso. Ex hoc tamen tantùm concluditur, quòd intellectus formans hanc distinctionem, non ponat distinctionem in obiecto, quatenus secundùm esse reale terminat cognitionem: & quòd intellectus non attingat hanc distinctionem, quasi sit in obiecto: non tamen sequitur, quòd intellectus per suam vim præcisiuam non possit aliquam simplicem entitatem in plures conceptus inadæquatos partiri, & per vnicum concipere tantùm partẽ essentiæ v. g. in homine animalitatem, non concipiendo rationalitatem: tunc autem necessariò id, quod subest vni actui, habet ab intrinseco suo, quòd distinguatur ab eo, quod per alium actũ repręsentatur, quia quòd dicit obiectũ, prout in vno actu relucet, non dicit, pro ut relucet in alio.

Quomodo distinctio rônis ratiocinatæ sit ex parte obiecti, licet nõ sit antequã obiectum cognoscatur per diuersos actus.

Ad tertium.

III. Tertium quoq; eodem modo soluitur, aliud est enim loqui de obiecto, prout secundùm esse reale terminat cognitionem, & aliud de obiecto, prout mediante esse intẽtionale distinctis actibus repræsentatur intellectui. Primo modo obiectum non recipit ab intellectu aliquam distinctionem in se ipso, neque esse formale distinguitur ab esse reali eiusdem, neque etiam formalitates inter se distinguuntur. At alia est ratio de obiecto, prout sub diuersis actibus intentionali modo existit; tunc enim potest in seipso habere distinctionem, & ratio à priori est, quia esse intentionale obiecti habetur ex vi ipsius intellectus attingentis obiectum, pronr est quid reale in seipso, & consequenter sicuti potest cognoscere per partes obiectum, ita etiam potest per partes illi tribuere esse, quo intentionali modo in ipso existat; Et hoc contingit in distinctione rationis cum fundamento, tunc enim per vnum actum recipit partiale esse intentionale, & per alium aliud partiale esse; & hoc modo causatur distinctio in esse intentionali intrinseco obiecti. Hinc ad confirmationem respondetur. Ratiõe nõ se tenere quidem ex parte obiecti, quatenus secundùm esse reale terminat cognitionem: se tenere tamen ex parte obięcti, quatenus secundùm esse intentionale existit in mente, quia habet hoc esse intentionale, quatenus in actibus intellectus manifestatur.

Quomodo p distinctiõnẽ rõnis causetur distinctio in esse intrinseco obiecti.

Ad quartum.

IV. Atque ex dictis colligitur etiã solutio ad quartum. Dicimus enim, hãc distinctionem non poni in obiecto, quatenus terminat cognitionem secundùm esse reale, alioquin tunc distinctio esset realis, non rationis, sed quatenus habet esse repręsentatum in intellectu per conceptus inadæquatos, & veluti in quodam speculo relucet in cognitione; dum enim intellectus per conceptus inadæquatos concipit rem aliquã, tunc in vnico conceptu relucet tantùm pars obiecti, atque adeo distinctio est in obiecto, quatenus habet esse obiectiuum in cognitione.

Quo-

Quotuplex sit distinctio rationis cum fundamento. Disp. LVII.

Expenduntur fundamenta distinctionis rationis.

SECTIO I.

I. ANtequam ad expendenda fundamenta, in quibus distinctio rationis fundatur, accedamus, aduertendum est. Necessitatem formandi distinctionem rationis prouenire ex limitatione, & imperfectione nostri intellectus, qui vel nequit rem totam vnico conceptu intelligere, vel cogitur vti alienis speciebus, quæ cum non repræsentent totum obiectum adæquatè, debet pluribus vti, vt rem adæquatè intelligat; ex quo fit, quòd ipsam per plures conceptus intelligat, atque plures rationes obiectiuas in ipsa distinguat, quas alioquin non distingueret, si per propriam speciem cognosceret. Quod similiter docuit D. Th. quæst. 7. de Potent. art. 6. in corpore, dum loquens de diuinis attributis ait. *Diuersitatis ergo, vel multiplicitatis nominum causa est ex parte intellectus nostri, qui non potest pertingere ad illam Dei essentiam videndam, secundum quod est. Sed videt eam per multas similitudines eius deficientes, in creaturis, quasi in speculo, resultantes.* *Vnde si ipsam essentiam videret, non indigeret pluribus nominibus, nec indigeret pluribus conceptionibus.* Cœterum huiusmodi radix, seu fundamentum distinctionis est extrinsecum rebus; de quo modo non loquimur, quia est commune cuicunque distinctioni; sed inquirimus fundamenta, quæ se tenent ex parte obiectorum; & quæ fundant distinctionem, quæ sit radicata in ipsa rerum natura.

Necessitas formandi distinctionem rationis. *D. Th.*

II. Primum igitur fundamentum, quòd se tenet ex parte obiectorum, sunt diuersa connotata, cum videlicet eadem res simplex habet diuersas connotationes, quibus correspondent diuersi termini, præbentes intellectui fundamentum, & motiuum, vt possit rem diuersis conceptibus intelligere in ordine ad huiusmodi connotata. Hoc fundamentum traditur communiter ab omnibus præsertim D. Th. in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. & opusc. 9. quæst. 1. 2. & 3 & citata quæst. 7. de Potent. art. 6. in corpore Maior in 1. dist. 8. quæst. 4. Gregor. ibid. quæst. 2. art. 2. Gabr. dist. 2. quæst 1. art. 3. dub. 4. secutus ipsum Ocham. quem ibid. citat. Præterea Durand. eadem dist 2 quæst. 3. num 10. & sequent. Capr. dist. 8. quæst 4. art. 1. conclus. 4. & art. 3. circa finem in solut. argumen. Gotfred quodlib. 7. quæst. 1. Nyphus 12. Metaph. disp. 13. cap. 4 Vasquez 1. part. disp. 117. cap. 3. atque ab alijs com pluribus.

1. fundamentum distinctionis rationis. *D. Th. Maior. Gregor. Gabr. Ocham Durand. Capr. Gotfr. Nyphus Vasquez*

III. Ratio fundamentalis facilis est, & euidens. Dantur enim multa simplicia, quæ habent diuersas connotationes, & diuersos terminos, aut quia causent diuersos effectus, aut quocunque alio modo. Rursus quotiescunque aliquid habet diuersa connotata, non correspondet singulis adæquatè, & secundùm se totum, quia ita correspondet vni, vt etiam correspondeat alteri, atque vnumquodque connotatum aliquam peculiarem rationem Indicat in ipso connotante. Quo stante intellectus accedit, & quia potest res inadæquatè concipere, concipit connotans vnico conceptu, quatenus correspondet vni connotato, & non prout correspondet alteri: altero vero conceptu concipit, prout correspondet alteri tantũ cõnotato: sic igitur con-

Quomodo diuersa connotata fundent distinctionem rationis.

consurgunt diuersi conceptus obiectiui, desumente intellectu fundamentum, & occasionem ex illa diuersitate connotatorum. Ex quo etiam apparet, huiusmodi fundamentum esse extrinsecum rei, circa quam fabricatur distinctio.

Quomodo diuersa cõnotata moueant intellectũ ad distinguendum ratione.

IV. Secundò etiam declarari potest necessitas huius fundamenti. Quia illud est fundamentum distinctionis rationis, quod se tenens ex parte obiectorum prębet motiuum intellectui adhibendi suam virtutem præcisiuam, & partiendi res in plures ra iones obiectiuas, quæ se habeant, vt extrema distinctionis in ordine ad rationem. Hoc verò motiuum præbent diuersa connotata, quatenus sua diuersitate inducunt quamdam virtualem distinctionem in ipsum connotans, saltem in ordine ad habitudinem; mouent enim intellectum, vt faciat quamdam redu plicationem, & consideret obiectum tantùm, quatenus correspondet tali connotato, non verò quatenus correspondet cæteris. Præterea hoc ip sum confirmatur. Quodlibet enim con notatum supponit aliquid in connotante, in quo fundetur connotatio, & quando id, in quo fundatur connotatio, dicit perfectionem, vnum connotatum non correspondet adæquatè toti perfe ctioni connotantis, si cõnotans habeat plura cõnotata. Sic opera misericordię, quæ sunt à Deo non manifestant adæquatam perfectionem Dei; sicuti neque etiam opera iustitiæ: & tamen indicant aliquam perfectionem.

2. fundamẽtũ distinctionis rõnis.

V. Alterum fundamentum distinctionis secundùm rationem non est penes aliquod connotatum, sed est intrinsecum ipsi obiecto, in quo fundatur distinctio; & solet communiter dici virtualis distinctio, quæ in eo consistit, quod obiectum participet aliquas rationes inuicem quidem identificatas, quæ tamen ex natura sua sint separabiles. Huiusmodi autem separabilitas non ita debet intelligi, quòd sint separabiles in eadem entitate, in qua fundantur, sed quòd talis ratio possit etiam in alia entitate reperiri absque cæteris rationibus, cum quibus in aliqua entitate identificatur, vt accidit in ratione generica, quæ ita reperitur in vna specie identificata cum ratione differentiali, vt etiam reperiatur sine tali ratione differentiali in alia specie. Hoc etiam fundamentum ponitur communiter ab omnibus, & nullo pacto negari potest, cum euidenter conuincatur ex eo, quòd aliquando contingit distinguere inter ea, quæ ita cum alijs rationibus identificantur, vt reperiantur separata ab ipsis, & cum rationibus alterius generis identificata; quod clarè patet in ratione generica, v. g. animalitate; hæc enim ita cum rationalitate identificatur, vt quantum est ex natura sua possit esse sine rationalitate, sed cum aliqua alia differentia.

Ex natura generica, & differẽtiali cõuincitur fundamẽtũ distinctionis intrinsecũ obiecto.

VI. Præterea hoc ipsum etiam confirmatur ex natura rationis genericæ, & differentialis. Ratio enim generica debet esse ex sua natura quid vniuersalius, quàm differentialis, ita vt possit diuidi per plures differentias: rursus ex natura sua debet se habere vt potentia metaphysica receptiua differentiarum. Econtra differentia ex natura sua debet esse contractiua generis, ita vt limitet ipsum ad certam, & determinatam naturam veluti diuidendo vniuersalitatem ipsius, & se debet habere vt actus metaphysicus generis, & constituere compositum metaphysicum; ergo quando distinguimus ratione inter genus, & differentiam, habemus fundamentum ab intrinseco obiecti distinctionis, cum distinctio fundetur in intrinseca natura rationis genericæ, & differentialis. Confir. Quando aliquod compositum resoluitur in ea, ex quibus componitur, huiusmodi resolutio habet fundamentum in intrinseca natura compositi, ergo etiam quando natura specifica distinguitur in rationem genericam, & differentialem, habet distinctio fundamentum in intrinseca natura speciei tanquam in ea, quæ dicit metaphysicam compositionem.

VII. Sed dices, huiusmodi compositionem non esse realem, sed tantùm haberi per rationem distinguentem rationes metaphysicas, & postea illas componentes. Sed licet verum sit, quòd compositio formaliter sumpta habeatur per rationem, quia ista compositio formaliter sumpta dicit extrema distincta, & in vnum coeũtia, quod fieri nequit, nisi prius intellectus distinguat: adhuc tamen verum est, quòd compositio virtualis

Respons. Reijcitur

præ-

Cõpoſitio virtualis pręcedit in natura ſpecifica opus ſ[illegible]no.

præcedit in obiecto. Si enim duæ ſpecies inuicem comparentur, ita ſe habent, vt partim ſint ſimiles, partim diſſimiles, in pluribus enim conueniunt, verùm in eſſentia partialiter differunt, quod ſatis ex eo colligitur, quòd natura vtriuſque eſt principium earumdem, & diuerſarum proprietatum, ſic natura angeli, & hominis eſt principium intellectionis, & etiam in homine eſt principium aliarum proprietatum, quarum non eſt principium in angelo, & rurſus in angelo eſt principium aliquarum proprietatum, quarum non eſt principium in homine: quod manifeſtiſſimum ſignum eſt, has naturas partim inter ſe conuenire ſecundùm eſſe phyſicum, partim differre. Hæc autem partialis conuenientia, & diuerſitas conſtituunt quamdam virtualem compoſitionem, quæ præbet fundamentum, vt poſſit intellectus naturam ſpecificam in partes diuidere.

Primum genus diſtinctionis rationis ratiocinatæ aſſeritur.

SECTIO II.

1. Conſtituto hoc duplici fundamento, in quo fundatur diſtinctio rationis, vt videamus, quotuplex ſit huiuſmodi diſtinctio, inquirendum eſt, an debeat multiplicari iuxta illud duplex fundamentum; neque enim ex alio capite multiplex eſſe poteſt; quia ſi conſideretur ſecundùm ſe ipſam, omnes ſunt eiuſdem generis, cum vnaquæque hoc tantùm præſtet: videlicet ſeparationem in diuerſas formalitates eorum, quæ dicunt vnam ſimplicem entitatem. Et ſicuti huiuſmodi diſtinctio differt ab alia diſtinctione rationis ex eo, quòd habet fundamentum, ita ſi diuerſificari debet, id debet habere ratione fundamenti, quatenus in ipſo ſit diuerſitas: quia quotieſcunque aliquid contrahitur ad naturam certam, non poteſt rurſus diuerſificari, niſi ipſum contractiuum recipiat diuerſitatem. Difficultas autem in hoc conſiſtit, an illa duo fundamenta diſtinguendi ſint ſeparabilia, ita vt poſſit dari aliqua diſtinctio, quæ fundetur in vno ex illis fundamentis, & non in alio, & econtra. Si

Per quid debeat multiplicari diſtinctio rõnis cum fundamẽto.

enim vnum tantùm ex illis fundat diſtinctionem ſe ſolo, neceſſariò multiplicanda erit diſtinctio: ſin minus, ſicut non multiplicantur fundamenta, ſed vtrumque ſimul concurrit, ita etiam diſtinctio erit tantùm vnius generis.

Punctus difficultatis.

II. Et primò videndum eſt, an poſſit dari aliqua diſtinctio, quæ habeat fundamentum tantùm in connotatis, non verò in intrinſeca natura obiecti, quod eſt ſubiectum diſtinctionis. Et prima quidem ſententia negat, poſſe dari diſtinctionem, quæ fundetur in ſolis connotatis, ſed quamlibet diſtinctionem habere etiam fundamentum in intrinſeca natura obiecti. Huius opinionis nullum certum Auctorem inueni; neque enim hęc quęſtio agitari ſolet; elici tamen poteſt ex doctrina multorum, pręcipuè Scotiſtarum. Dum enim illam ſolam diſtinctionem rationis agnoſcunt, quæ ſit ſine aliquo fundamento, & cæteras omnes putant prouenire ab intrinſeca ratione obiecti, conſequenter etiam negant diſtinctionem rationis, quæ fundetur in ſolis connotatis. Fundamentum verò eſſe poteſt, quia quotieſcunque aliquid diſtinguitur per ordinem ad diuerſa connotata, habet ex intrinſeco ſuo, quòd reſpiciat illa connotata, ergo ex intrinſeca ſua natura habet, quòd ſit diſtinguibile in ordine ad diuerſa connotata, & conſequenter ſecundùm ſuum eſſe intrinſecum fundat diſtinctionem rationis.

1 opinio Nõ dari diſtinctionẽ, quæ fundetur in ſolis connotatis.

III. Oppoſita verò ſententia ſatis frequenter reperitur apud Auctores, quam obiter tradunt, dum rerum diſtinctiones aſsignãt: videlicet poſſe dari aliquam diſtinctionem rationis, quæ habeat fundamentũ in ſolis connotatis. Hanc tradunt communiter Nominales, dum docent, diſtinctionem attributorum in eſſentia diuina eſſe deſumendam ſolùm ex diuerſis effectibus connotatis, quos in creaturis experimur. vt Maior in 1. diſt. 8. quæſt. 4. Gabriel iuxta doctrinam Ocham. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. dub. 4. Gregor. diſtinc. 8. q. 2. art. 2. Præterea Durand. in 1. diſt. 2. quæſt. 3. num. 15. Sic etiam docent, qui putant creationem, & conſeruationem diſtingui ſolùm penes connotata extrinſeca vt D. Th. 1. part. quæſt. 104. art. 1. ad 4., &

Oppoſita opinio.

Maior. Gabr. Ocham. Gregor. Durand. D. Th.

q. quæst. 3. de Potent. art. 3. ad 6 Heru. de Mundi æternitate quæst. 1. Ferrar. 3. contra Gent. cap. 65. Capr. in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 2. Suarez in Metaphys. disp. 21. sect. 2. num. 3 Et hæc sententia vera est, & necessaria ad explicandas quamplures difficultates.

Aliud distinctionem poni in obiecto, & aliud poni in intrinseca natura obiecti.

IV. Sed antequam probetur. Aduertendum est, aliud esse, quòd distinctio ponatur in obiecto eo modo, quo per rationem ponitur, & aliud, quòd sit in obiecto. Primũ dicit pcisè, q obiectũ per conceptus inadæquatos concipiatur, quocunque modo conceptus formentur, & ex quocunque motiuo, & sufficit, quòd obiectum ita cognoscatur, vt secundùm id, quod conceptus explicitè dicit, non repræsentet totum esse obiecti, licèt implicitè dicat totum obiectum. Quòd verò distinctio sit in obiecto ex intrinseca natura ipsius, dicit vlterius, quòd ponatur in obiecto sumpto motiuo ab ipsomet obiecto, ex quo postea sequitur, quòd formalitates, quæ in obiecto distinguuntur vna ex natura sua excludat aliam, atque nõ per ordinem ad aliquid extrinsecum, sed quia huiusmodi exclusio oriatur ex intrinseca natura ipsius formalitatis.

Concl. Datur distinctio rationis, quæ fundetur in solis extrinsecis connotatis.

V. Hoc autem præmisso, quòd debeant dari distinctio, quæ fundetur tantùm in extrinsecis connotatis prob. Et primò certum est, quòd sola extrinseca connotata constituãt sufficiens fundamentum distinctionis; ex vi enim ipsorum intellectus sufficienter mouetur ad distinguendum: vnde quantum est ex hoc capite, certum est, posse dari distinctionem, quæ fundetur in solis connotatis. Solùm autem dubium esse potest, an huiusmodi connotata possint reperiri absque intrinseco fundamento distinctionis in obiecto. Quòd autem reperiri possint, cõstat, quia quæ in aliquibus inferioribus dispersa sunt, possunt in aliquo superiori, non quidem formaliter, sed eminenti modo contineri, ergo tunc aliquid, quod ex intrinseco suo non erit distinguibile, poterit distingui tantùm ratione connotatorũ.

Datur obiectum distinguibile per rationẽ ex solis extrinsecis connotatis.

Antecedens posset ostendi per plures inductiones, sed præcipua est in sensu communi interno; hic enim vnica simplici virtute eminẽti modo elicit actus omnium sensuum externorum, ita vt sensatio interna, non formaliter, sed per æquiualentiam sit quælibet sensatio externa. Consequentia verò prob. quia tunc id, quod continet eminenter plura, potest recipere distinctionem in ordine ad illa, quæ tanquam eminenter contenta connotat, atque adeo tunc potest diuidi in plures conceptus partiales. Rursus hæc diuisio non potest fũdari in intrinseca natura obiecti, quia illæ rationes inferiores, quæ eminenti modo continentur in aliqua superiori, licèt prout formali modo possunt existere, sint ex natura sua separabiles, illa tamẽ eminentialis continentia illas vnit in vnica simplici formalitate, & tollit separabilitatem. Vnde necessariò concedenda est huiusmodi distinctio, quæ oriatur tantùm ex connotatis.

VI. Confirmari etiam potest hic discursus in omnipotentia Dei. Hæc enim habet essentialiter plura connotata, quatenus plures termini, qui sunt intra eius obiectum, ipsi correspondẽt & tamen omnipotentia non est ex natura sua distinguibilis ab intrinseco in plures potentias, ergo datur aliqua distinctio rationis, quæ habeat tantùm fundamentum in extrinsecis connotatis. Consequentia est euidens; quia iã distinguimus potentiam Dei in diuersas potentias, nempe naturalem, supernaturalem, ordinariam, absolutam: rursus potentiam productiuam talis, & talis effectus, cum ergo huiusmodi distinctio non proueniat ab intrinseco omnipotentiæ, fundabitur tantùm in extrinsecis connotatis. Antecedens verò prob. Quia omnipotentia ex intrinseca sua ratione est vna simplicissima ratio formalis, quæ respicit omne possibile sub ratione possibilis, & sicuti potentiæ creatæ in sua ratione formali non patiuntur distinctionem, quæ oriatur ab intrinseco potentiæ; ita neque etiam omnipotentia diuina, cum ipsa sit magis vna, & simplex. Quod ẽt amplius declarari potest. Ratio formalis possibilitatis non est ex natura sua capax distinctionis in ratione possibilitatis, sed solùm respicit distinctionem, quatenus determinatur ad res diuersas possibiles, ergo neque etiam omnipotentia ex intrinseca sua ratione potest fundare distinctionem, quia ex æquo correspondet rerum possibilitati. In quo valde aduertendum est, quòd omnipotentia non est aliquid coalescens ex di-

Confir.

Quomodo in Deo distinguãtur diuersæ potentiæ.

uersis

uersis potentijs, sed est vna simplicissima ratio potentiæ, quæ respicit omne possibile, sicuti potentia visiua dicit simplicissimam rationem potentiæ metaphysicam, quæ respicit omne coloratum; ex quo fit, quòd non includat diuersas rationes formales potentiæ, ita vt ratione ipsarum possit ab intrinseco distingui, sed sicuti respicit vnàm simplicissimam rationem obiecti formalem: Ita etiam est vna simplex ratio formalis potentiæ. Quod colligitur etiam ex infinitate; est enim intrinseca sua ratione infinita; si autem ab intrinseco suo esset distinguibilis in plures veluti partiales potentias, iam ab intrinseco suo includeret finitatem, quia vnaquæque illarum potentiarum esset finita in ratione potentiæ, siquidem non diceret omnem rationem potentiæ.

VII. Vt autem perfectè teneatur natura huius distinctionis, quæ oritur ex extrinsecis connotatis sciendum est, duplici modo contingere posse. Primò quidem si ex vi connotatorum, quando distinguimus per ordinem ad ipsa, resultet, & veluti deriuet distinctio etiam in obiectum, ita vt ex vi vnius connotati partialiter tantùm intellectus attingat obiectum, & formet de ipso cōceptum inadæquatum, quod tunc contingit, quotiescunque obiectum habet simul plura connotata sibi inadæquatè correspondentia, vt accidit in omnipotentia Dei, quatenus ipsi correspondent plures termini. Altero autem modo contingit, quando vnumquodque connotatum adæquatè correspondet obiecto, ita vt totum obiectum concipiatur ex vi cuiuscunque connotati, & tunc nulla distinctio deriuat in ipsum, sed solùm obiectum distinguitur ratione connotatorum, prout ipsis substat, vt contingit in creatione, & conseruatione; in potentia creatiua, & conseruatiua: conseruatio enim, & creatio, sicuti etiam potentia creatiua, & conseruatiua, quatenus subsunt diuersis connotatis extrinsecis, distinguuntur. Vnde ratione huius duplicis modi subdiuiditur in eam, quæ est solùm extrinseca obiecto, circa quod distinctio versatur, & in eam, quæ aliquo pacto deriuat in obiectum.

Ad fundamētū in oppositū. VIII. Hinc ad fundamentum oppositæ sententiæ facilè respondetur. Habere quidem obiectum ex intrinseco suo, quòd dicat illa connotata: non tamen ex hoc sequi, quòd ab intrinseco suo sit distinguibile in plures formales rationes, quia vel connotata respondent illi successiuè secundùm se totum consideratò; & tunc euidens est, quòd non habet ex hoc capite ab intrinseco suo, quòd possit distingui, quia secundùm se totum subest cuilibet connotato; si verò connotata simul, & inadæquatè ipsi correspondeant; tunc neque semper arguunt in ipso fundamentum intrinsecum distinctionis, quia per vnam simplicem rationem metaphysicam potest vindicare sibi plura connotata, quæ sint singula veluti cōnotata partialia, vt patet in Dei omnipotentia. Hoc autem non facit, vt in ipso obiecto sit fundamentum intrinsecum distinctionis; imo tota distinctio redundat in obiectum solùm ex vi connotatorum, quod ex eo patet, quia nisi cogitemus de connotatis, nullum fundamentum habebimus ad distinguendum.

Alterum distinctionis genus ex altero fundamento.

SECTIO III.

I. ALterum caput difficultatis erat, an possit dari distinctio rationis, quæ non sit cum ordine ad extrinseca connotata, sed fundetur solùm intrinseca natura obiecti: quod in idem recidit, an omnis distinctio rationis sumatur ex comparatione ad aliquam distinctionem realem: si enim sumitur distinctio per comparationem obiecti ad connotata, cum connotata inter se à parte rei differant, tunc distinctio sumetur per comparationem ad distinctionem realem; atque econtra si sumitur per comparationem ad distinctionem realem, sumitur per ordinem ad diuersa connotata. Non enim quæcunque distinctio realis sufficit, vt per ordinem ad ipsam conficiatur distinctio rationis; sed debet esse distinctio eorum, quæ dicant aliquam habitudinem ad obiectum, quod subijcitur distinctioni. Ratio est, quia quando obiectum distinguitur per ordinem ad distinctionem realem, non debet distinctio realis otiosè se habere, sed de- In ordine ad quā distinctionem reale fieri possit distinctio rōnis.

bet conferre aliquid ipsimet obiecto, ratione cuius sit distinguibile, quòd idem est, ac constituere fundamentum distinctionis: quæ autem sunt extrinseca obiecto, solùm, si sint connotata, possunt præstare fundamentum distinctionis.

1. opin. Omnem distinctionem rationis fieri per comparationem ad realem, Goffred. Durand. Heru. Henr. Vasquez

II. In hac ergo difficultate prima sententia asserit, omnem distinctionem rationis debere fieri per comparationem ad distinctionem realem, & in ordine ad diuersa cōnotata. Ita Goffred. quodlib. 7. quæst. 1. Durand. in 2. dist. 2. qu. 3. nu. 15. & sequent. Herueus quodlib. 7. quæst. 3. Henr. quodlib. 5. quæst. 1. Vazquez 1. par. disp. 117. cap. 3. & etiā colligi potest ex doctrina aliorum Auctorum: imo eam tribuunt nonnulli Nominal. locis citatis sect. præcedenti: sed reuera id non sentiunt; nam solùm ibi docent, distinctionem attributorum esse solùm per ordinem ad diuersa connotata. non verò asserunt, omnem distinctionem rationis debere fieri per comparationem ad distinctionem realem, quæ fit in diuersis connotatis. Fundamentum huius sententiæ affertur à Durando, qui sic arguit. Si præter albedinem non esset alius color, non cognosceremus, rationem coloris posse esse sine albedine, & sic etiam contingit in reliquis, circa quæ formatur distinctio rationis, ergo per hoc, quòd color reperitur sine albedine, colligimus genus, & speciem differre ratione, ergo distinctio fit cū ordine ad extrinseca connotata, quæ differunt realiter.

Opposita sententia. D. Th. Soncin. Capr. Hurtad.

III. Secunda sententia negat, omnem distinctionem rationis debere fieri per comparationem ad extrinseca connotata, sed posse fundari in sola natura obiecti: Hanc opinionem sequuntur quamplures præsertim ex Thomistis. Ita enim tradunt D. Thom. in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. Soncin. 4. Metaphys. quæst. 29. Capr. in 1. dist. 8. qu. 4. & Hurtad. in Metaph. disp. 6. sect. 5. §. 167. Verùm Soncin Capr. & Hurtad. addunt. Non solùm ad formandam distinctionem rationis non esse necesse recurrere ad extrinseca connotata, sed neque etiam requiri, quòd intellectus respiciat ad aliquam distinctionem realem, ad cuius similitudinem effingat distinctionem rationis; sed etiam si intellectus nulllam cognouisset distinctionem realem; imo etiam si esset impossibilis, adhuc posset formare distinctionem rationis. Verùm de hoc puncto agemus sect. sequenti.

IV. Nunc autem dicimus cum hac secunda sententia. Dandam esse aliquam distinctionem rationis, quæ habeat fundamentum in intrinseca natura obiecti, nec necesse sit recurrere ad extrinseca connotata, vt habeatur sufficiens fundamentum distinctionis. Addidi, quòd non sit necesse recurrere ad extrinseca connotata, quia fieri potest quòd res, quæ distinguitur ratione, habeat diuersa connotata extrinseca, non tamen distinctio sumatur in ordine ad ipsa. Antequam autem probetur conclusio, adnotandum est, aliud esse, quòd distinctio conficiatur ab intellectu per ordinem ad extrinseca connotata, & aliud, quòd ab extrinseco, seu etiam per ordinem ad extrinseca habeatur cognitio obiecti. Si distinctio fabricetur per ordinem ad extrinseca connotata, tunc illa cōnotata cōcurrunt suo modo ad distinctionem, præbendo motiuum, quòd intellectus distinguat. Si verò ducant tantùm in cognitionem obiecti, tunc non sunt motiua distinctionis, sed tantùm fundamentum habetur ex natura obiecti, quatenus intrinsecè est tale, vt habeat rationes formales distinguibiles.

Concl. Datur distinctio rationis fundata in obiecto, & nō in extrinsecis cōnotatis.

V. Hinc facilè prob. Quando obiectum ex intrinseco suo fundat distinctionem, & est aliquid absolutum, potest sufficienter distinctio formari absque eo, quòd intellectus respiciat ad extrinseca connotata, ergo datur distinctio rationis, quæ habeat fundamentū in sola natura intrinseca obiecti. Consequentia est euidens, quia si intellectus respiciens tantùm ad naturam obiecti distinguat, distinctio illa nullo pacto fundatur in extrinsecis connotatis, aut ab ipsis desumitur. Antecedens verò conuincitur, quia obiectum secūdùm suum intrinsecum est distinguibile ab intellectu in plures formalitates, vt supponitur, & patet ex dictis in sect. 1. ergo si intellectus respiciat tantùm naturam obiecti, iam distinguet in plures formalitates cum fundamento absque eo, quòd respiciat ad aliquid extrinsecum. Quòd vero possit respicere ad solam naturam obiecti, euidens est, quia supponimus, obiectum esse absolutum; absoluta autem cognoscuntur absque

1. Ratio.

Posito fundamento distinctionis in obiecto pōt intellectus distinguere respiciendo solùm ad ipsum.

ordine ad extrinseca.

2 Ratio. VI. Secunda ratio desumi potest ex nostra cognitione, quam per discursum assequimur: multoties enim discurrendo aliquas tantùm rationes formales de obiecto cognoscimus, in quibus inadæquatè consistit essentia obiecti, ergo habetur distinctio rationis fundata in sola intrinseca natura obiecti. Antecedens est certum experientia in pluribus discursibus, per quos aliquid de obiecto cognoscitur; sic omnes conclusiones alicuius scientiæ, quæ de ipsius obiecto colliguntur, v. g. in Physica de corpore naturali, continent rationes partiales obiectiuas, quæ ingrediuntur constitutiuum eiusdem corporis, vt quòd sit corruptibile, quòd sit mobile. Consequentia autem probatur, quia intellectus postquam intulit conclusiones, potest simplici apprehensione illas concipere: tunc autem illas distinguit, absque aliquo respectu ad extrinseca connotata, sed solùm ex fundamento, quo ex natura sua sunt distinguibiles.

Quomodo in discursu contingat distinctio rationis absq; ordine ad extrinseca connotata.

3. ratio. VII. Tertia ratio addi potest desumpta ex modo, quo talem distinctionem formamus: si enim fieret per ordinem ad extrinseca connotata, impossibile esset, quòd intellectus distingueret, nisi etiam conciperet connotata. De facto antē potest distinguere absq; eo, quòd cogitet de aliquibus extrinsecis connotatis, ergo non est necesse, omnem distinctionem rationis fieri cũ ordine ad extrinseca. Minorem satis ostendit ipsa experientia, quòd enim extrinsecum connotatum concipio, quando concipio tãtùm animalitatem, & rationalitatem? Confirmatur quoniam possum concipere solam animalitatem nihil aliud concipiendo: rursus possum concipere solam rationalitatē, nihil aliud concipiendo, ergo possum etiam simul vtranque concipere tanquam distinctas rationes obiectiuas, cum iam per suum primum conceptũ seorsim ab alijs habeant esse distinctũ. Maior verò probatur, quotiescunque enim aliquid est tale per ordinem ad aliud, concipi non potest, nisi etiam cõcipiatur terminus illius ordinis, cum relatiua sint simul cognitione. Si ergo distinctio rationis esset talis per ordinē ad aliquod extrinsecum, non posset haberi, nisi conciperentur etiam ipsa extrinseca connotata.

Intellectu possumus formare distinctionē rationis non cogitãdo de extrinsecis connotatis.

4. ratio VIII. Denique confirmatur hæc opinio, nam quotiescunque adest sufficiens distinctiuum in re, quæ distinguitur, frustra recurritur ad extrinsecum, à quo desumatur distinctio: quod enim est distinctiuum, est etiam constitutiuũ, vnde quæcunque habent proprium cõstitutiuum ab alijs, habent etiam proprium, & intrinsecum distinctiuum, & qualis est diuersitas in constitutiuo, talis est etiam distinctio. Verùm quoties distinctio fundatur in intrinseca ratione obiecti, extrema distinctionis habent proprium constitutiuum, ergo habent etiam proprium distinctiuum intrinsecum; difficultas huius argumenti consistit in minori, cum maior sit euidens, facilè tamen probatur. Diuersæ enim formalitates habent inter se distinctionem essentialem metaphysicam, vt patet in ratione generica, & differentiali, quarum vna se habet per modum potentiæ, altera per modum actus: vna est quid magis commune, altera quid magis contractum; denique sunt rationes, quæ secundùm se totas diuersæ sunt.

Distinctio rõnis fundata in intrinseco obiecti habet propria distinctiua absq; ordine ad extrinseca.

IX. Ex dictis igitur concludere oportet, dandam esse distinctionem rationis cum fundamento in re, quæ radicetur in natura obiecti; & originem habeat ex quidditate ipsorum extremorum, quatenus ex natura sua habent, quòd dicant formalitates diuersas, quarum vna ita sit coninncta cum alia, vt possit esse sine illa; quæ quidem distinctio in rebus est veluti inchoata, & in ipsis in potentia continetur, quia continetur totum illud esse, per quod extrema inuicem distinguuntur: reducitur verò in actum perfectum ab intellectu, dum, quæ erant separabilia, actu separat: Atque hęc doctrina colligitur etiam ex pluribus locis Arist. prę̃sertim cum ponit distinctionem inter vniuersalia, & particularia. vt cum 1. Poster. & 2. Metaph. docet; de particularibus non esse scientiam, sed tantùm de vniuersalibus. Præterea 1. Metaph. cap. 1. docet hominem per se non sanari, sed Calliam, aut Socratem, quia generationes circa singularia sunt. Rursus 3. de anima tex. 9. docet; Quidditatem, & id, cuius est quidditas, in materialibus differre, & 7. Metaph. tex. 43. ait; Genus se habere vt materiam, differentiam

Eadē doctrina iuxta mentē Arist.

tiam verò vt formam; & cœtera huiusmodi habet pluribus in locis; quam etiam doctrinam communiter sequuntur, & explicant ibidem Interpretes præsertim Alexander, & Auerroes.

Alexander Auerr.

X. Ad rationē, quam adducit Durand. pro opposita sententia, dicimus, Aliud esse distinguere obiectum in diuersas formalitates, & aliud deuenire in cognitionem fundamenti, quòd fundat distinctionem. Hoc enim fit per diuersos actus, & diuersas cognitiones, quarum vna non est necessariò connexa cum alia; possum enim deuenire in cognitionem fundamenti, in quo intellectus fundat suam distinctionem, & non distinguere: & econtra possum distinguere absque eo, quòd aliquo processu cognitionis deueniam in huiusmodi cognitionem, quòd tunc fit, quando supponitur aliàs cognitum fuisse fundamentum. Vnde si nullus color reperiretur præter albedinem, verùm quidem est, quòd non haberemus motiuum ad cognoscendum, posse colorem esse sine albedine, quia ex eo, quòd color reperitur cum nigredine, cognoscimus, posse esse sine albedine; Sed hoc nos tantùm ducit in cognitionem fundamenti distinctionis, non verò deseruit ad fabricandam ipsam distinctionem, vnde penes extrinseca desumitur tantùm cognitio fundamenti distinctionis, non verò distinctio.

Ad fundamētū in oppositionē.

Aliud cognoscere fundamētū distinctionis, aliud distinguere.

XI. Posset tamen quis nihilominus instare. Non potest aliquid cognosci vt distinctum in plures formalitates, nisi cognitio fiat per plures species intelligibiles, alioquin, si vna esset tantùm species, vnus etiam esset actus, & obiectum per modum vnius repræsentaretur, ergo omnis distinctio fit per ordinem ad distinctionem realem, imo in ordine ad alias perfectiones realiter distinctas, quòd ex eo ostenditur, quia quando idem obiectum cognoscitur per diuersas species, ideo non cognoscitur per propriam speciem, quia propria species repræsentat totum obiectum; cognoscitur ergo per species aliarum rerum, vnde obiectum intelligitur cum ordine ad perfectiones illarum rerum, quarum sunt species. Respondetur, quando dicimus, distinctionem rationis non debere esse necessariò cū ordine ad aliqua realiter distincta, intelligimus de ijs, quæ se tenent ex parte obiecti, quod subijcit distinctioni; illæ verò species distinctæ se tenent ex parte cognitionis: vnde sicuti requiruntur actus distincti, ita etiam species distinctæ, quia hæ se tenent ex parte actuum. Quòd verò fiat cognitio per alienas species, non sequitur, quòd obiectum distinguatur cum ordine ad perfectiones illarum rerum, quarum illæ sunt species, quia hoc per accidens se habet ad distinctionem; nec prouenit ex necessitate obiecti, sed ex necessitate potentiæ, quæ cum non recipiat proprias species ab obiecto, vtitur alienis. Hinc nullo pacto est necessariū, quòd intellectus, dum distinguit, respiciat ad res illas.

Instantia.

Solutio.

Distinctionis nō sitis ordine ad illas species, quibus intellectus vtitur.

XII. Sed hic dubitare aliquis posset, an præter hæc duo genera distinctionis cum fundamento, debeat etiā poni tertium, quod fundetur tum in intrinseca natura obiecti, tum etiam in connotatis extrinsecis. Ad quod breuiter respondetur, dari etiam distinctionem, quæ in vtroque fundamento fundetur; quòd tunc contingit, quando extrema, quæ ab intrinseco obiecti distinguuntur, sunt etiam relatiua, tunc enim habent terminos proprios tanquam extrinseca connotata. Cœterum quia totum id, quod termini huiusmodi conferunt distinctioni, redundat prius in ipsam naturam extremorum, quàm in distinctionem, & consequenter non sunt fundamentum immediatum distinctionis, & obiectum ab intrinseco præbet sufficiens fundamentum, ideo huiusmodi distinctio non censetur genus diuersum ab eo, quòd habet fundamētum in sola intrinseca natura obiecti.

An detur tertium genus distinctionis fundatū in intrinseca natura obiecti, & in extrinsecis cōnotatis.

Distinctionem rationis non debere fingi ad similitudinem distinctionis realis.

SECTIO. IV.

I. Alterum, quod asserebant non nulli ex Auctoribus in secunda sententia relatis sect. præcedenti, erat, non esse necessarium, distinctionem rationis cum fundamento formari ad similitudinem distinctionis realis; sed etiam si intellectus nullam realem distinctionem præcognosceret, posse habere distinctionem rationis, quia hæc est omninò independens à reali. Hoc

Aliorum opinio non debere fingi ad me dum distinctionis realis.

autem

autem sic conantur persuadere. Primò quoniam si intellectus nullam cognouisset distinctionem realem, posset adhuc formare hanc propositionem *Homo est homo, Animalitas non est rationalitas*, ergo posset conficere distinctionem rationis, tum cum fundamento, tum sine fundamento absque eo, quòd illam conficiat ad similitudinem distinctionis realis. Secundò; posset saltem intellectus per cognitionem infusam, si non per acquisitam, habere plures conceptus de eadem re; tunc autem haberet distinctionem rationis absque aliqua comparatione, & similitudine ad distinctionem realem, vnde non est necesse, quòd per comparationem ad ipsam de facto fingatur. Tertiò Ignorata quacúque distinctione reali potest intellectus formare hanc propositionem, *Ens est vnum*, tunc autem erit distinctio rationis inter ens, & vnum, & non reducetur huiusmodi distinctio in aliquam distinctionem realem, nam conceptus entis, & vnius sunt priores conceptu cuiuscunque distinctionis realis; cum autem omne prius possit esse sine posteriori, poterit esse distinctio rationis absque distinctione reali. Quartò; quod potest causare diuersos effectus in diuersis subiectis, potest etiam causare in vno, si sit capax, sed idem obiectum potest mouere diuersos intellectus ad diuersos conceptus, sic albedo potest mouere vnum intellectum ad cognitionem coloris, & alium ad cognitionem albedinis, ergo cum intellectus sit capax plurium conceptuum, potest mouere eumdem intellectum ad plures conceptus. Confirmatur; nam albedo à longinquo mouet ad cognitionem tantùm coloris vt sic, propinqua verò mouet ad cognitionem albedinis, ergo idem quoque dicendum est respectu intellectus.

II. Verùm licet hæc sententia probetur, non tamen propter rationes allatas. Vnde notandum est, distinctionem rationis debere esse simul cum identitate reali, & in eo tantùm consistere; quòd obiectum secundùm esse intentionale, quod habet in mente, subeat aliquam multiplicitatem, quatenus per partes, obijcitur medijs pluribus actibus, atque adeo diuersis cognitionibus obiectum per partes attingitur. Difficultas ergo in hoc sita est, an statim, ac per plures conceptus formales intellectus attingit obiectum per partes, ex vi huius partitionis, quæ fit mediantibus conceptibus formalibus habeatur distinctio, an verò necesse sit, ipsi applicare conceptum distinctionis realis, sicuti ratio entis positiui applicatur non enti, quando formatur ens rationis.

III. Dicendum igitur est, Non esse necesse, distinctioni rationis, siue sit cum fundamento, siue sine fundamento, applicari rationem distinctionis realis, sed eo ipso, quòd obiectum subest secundùm partes diuersis actibus, aut idem comparatur cum seipso, habetur distinctio rationis. Probatur conclusio. Posita aliqua multiplicitate in obiecto, ponitur etiam distinctio, sed eo ipso, quòd obiectum per conceptus partiales obiectiuos subest diuersis actibus, aut idem comparatur cum seipso, ponitur in ipso aliqua multiplicitas, ergo ponitur etiam distinctio. Maior nota est ex ipsis terminis; multiplicitas enim nequit vllo pacto esse, aut concipi sine distinctione, nam intrinsecè tanquam constitutiuum illam inuoluit. Minor verò prob. quia multiplicitas fit, quotiescunque ponuntur plures partes, aut reduplicatur eorum, eo ipso autem quòd obiectum concipitur per plures inadæquatos conceptus, veluti partitur in plures partes secundùm esse obiectiuum, quia vni conceptui correspondet aliquod esse partiale obiecti, & alteri correspondet aliud esse partiale. Rursus si obiectum secundùm se totum cum seipso comparetur, acquirit diuersas rationes, prout est sub diuersis actibus, per quas veluti reduplicatur, ergo quocunque modo consideretur, acquirit semper aliquam multiplicitatem, quia in plura diuiditur secundùm esse obiectiuum, saltem ratione diuersi modi se habendi, qui ponit aliquam veluti replicationem in obiecto.

IV. Secundò. Vt habeatur distinctio rationis, non est necesse, vt ipsi applicetur formale distinctiuum distinctionis realis, ergo neque ratio distinctionis realis. Anteced. certissimum est, quia distinctiuũ reale consti-tuit

Concl. Distinctio rónis nõ est cõcipienda ad modũ realis.

1. ratio.

Quomodo cõsurgat multiplicitas in obiecto per distinctionem rõnis.

2. ratio

tuit distinctionem realem; quale enim est distinctiuum, talis quoque debet esse distinctio: distinctio autem rationis non se habet ad modum distinctionis realis; quemadmodum necessariò se deberet habere, si ipsi applicaretur formale distinctiuum reale. Consequentia verò probatur. quoniam omnis distinctio fundatur in distinctiuo, & ab ipso est inseparabilis; quomodo ergo potest alteri applicari distinctio realis, nisi etiam applicetur distinctiuum? Confir. omnis distinctio realis aut est inter rem, & rem, aut inter rem & modum, vt supponimus ex supradictis. Si igitur distinctio realis applicaretur distinctioni rationis, deberet ipsamet distinctio rationis esse talis, vt caderet supra extrema, quæ se haberent veluti res, aut saltem vt res, & modus, quod tamen est falsum, cum se habeant vt formalitates. Consequentia tenet, quia distinctio rationis esset ad similitudinem realis distinctionis. Secundò etiam confir. Quia ens rationis dū concipitur ad modum entis realis, se habet omnino, vt ens reale, ergo si distinctioni rationis applicaretur distinctio realis, ita vt ad similitudinem ipsius formaretur, se deberet habere omnino ad modum distinctionis realis, quod falsum est, cum distinctio realis, & rationis sint omnino diuersæ, vt consideranti patet.

Distinctioni rónis nō applicatur distinctiuū distinctionis realis.

V. Denique tota necessitas applicandi distinctionem realem distinctioni rationis, inde prouenire tantùm potest, quòd non habeat propriam distinctionem, nec alia fingi possit: sic quia non ens non habet aliquam rationem entis debet ipsi applicari ratio entis realis, per cuius similitudinem obijciatur intellectui: frustra enim si haberet propriam rationem distinctionis, applicaretur alia ratio distinctionis: Sed habet propriam rationem distinctionis, ergo non est necesse ipsi applicare rationem distinctionis realis, ita vt ad eius similitudinem concipiatur. Maior non indiget alia probatione, satis enim est per se nota; quis enim afferat, rem, quæ habeat propriam distinctionis rationem, debere ipsi applicari rationem alienæ distinctionis, vt sit distincta? Min. verò declaratur; statim enim ac obiectum secundùm conceptus inadæquatos per diuersos actus obijcitur, habet diuersas rationes formales, quarum vnaquæque habet proprium esse, per quod à cæteris contradistinguitur; si ergo huiusmodi rationes habent proprium distinctiuum, habent etiam propriam distinctionem, quia posito distinctiuo ponitur distinctio. Et eodem modo proportionaliter phylosophandum est de distinctione, qua idem per actum collatiuum distinguitur à seipso.

3. ratio.

Distinctio rónis habet propriā rōnē distinctionis ex se.

VI. Sed contra allatam doctrinam vrget non leuis obiectio. Ideo enim ens rationis debet concipi ad modum entis realis, quia de se est non ens, ergo cum distinctio rationis de se sit non distinctio, non dicit identitatem realem, debet se habere ad modum distinctionis realis. Hæc quidem obiectio satis difficilis est, nihilominus si res attentè consideretur, magna disparitas inuenietur; Quod enim de se est non ens, nullum statum habere potest, in quo acquirat aliquod esse reale sibi proprium, & ideo semper, vt aliquo pacto habeat esse, debet concipi ad modum entis. Non sic autem contingit in distinctione rationis, præsertim quando fit cum aliquo fundamento; nā tunc obiectum, quod habet identitatem secundùm esse reale, quod habet extra intellectum, acquirit alium modum existendi, nempe intentionalem: dum autem habet hunc modū existendi diuidi potest ab intellectu in partes: dū autem diuiditur in partes, vnaquæque pars ex vi sui esse intrinseci obiectiui habet suum formale distinctiuum, & ideo non est opus recurrere ad realem distinctionem, quasi debeat ad modum ipsius fingi; sed habet propriam distinctionem, quæ resultat ex proprijs distinctiuis.

Diluitur obiectio.

Quomodo saluetur distinctio rōnis absq; eo q̄ sit ad modū distinctionis realis.

VII. Argumenta verò, quæ pro citata, & approbata sententia attulimus non sunt magni momenti, & nullo negocio solui possunt. Cum enim in primo assumitur, posse intellectum absq; cognitione alicuius distinctionis realis, formare hanc propositionem, ***Animalitas non est rationalitas***, responderi posset, Formationem propositionis supponere distinctionem terminorū, & talis propositio supponit, q̄ animalitas sit distincta à rationalitate: propositio enim supponit obiectum: vnum autem non esse aliud supponit esse di-

Argumēta citatæ sententiæ inualida.

stin-

stinctiuum ab illo. Cum autem huiusmodi distinctio fit per rationem formata, propositionis formatio supponit esse factam distinctionem ab intellectu. Vnde cum dicitur, ignorata quacunque distinctione reali, posse intellectum formare huiusmodi propositionem, virtualiter, & implicitè dicitur, posse distinguere ignorata distinctione reali; & hoc est, quod in controuersiam venit, vnde argumentum occultè assumit id, quod est probandum.

Expenditur secundum. VIII. Similiter etiam secunda ratio occultè petit principium; licet enim possit intellectus per cognitionem infusam habere diuersos conceptus de eadem re, per quos res ipsa veluti diuisa in plures formales rationes repræsentetur: an tamen hoc possit habere independenter à distinctione reali, argumentum non probat, sed tanquam certum supponit, & tamen est id, quod est probandum, nec alia via conuinci potest, nisi ostendatur, rem illam eo ipso, quòd est sub diuersis conceptibus formalibus, habere in seipsa distinctionem. Sic etiam ad tertium negari posset assumptum, *Reijcitur tertium.* cum asseritur ignorata distinctione reali posse fieri hanc propositionem, Ens est vnum, tanquam copulatiuam distinctorum ob rationem allatam ad primum argumentum: licet enim possit formari propositio tanquam ostensiua identitatis, quæ est inter ens, & vnum, non tamen tanquam copulatiua distinctorum. Quòd si fieri potest, aliunde probandum est. Cum autem dicitur, conceptum entis, & vnius esse priorem quacunque distinctione reali, respondetur, esse priorem præcisè loquendo, & prout dicit rationes simul identificatas, seu vnam simplicem essentiam; non tamen prout inuicem distinguuntur, & ideo allata ratio non vrget; semper enim verum est, quòd quicquid formatur ab intellectu est quid posterius natura eo, quod habet esse independenter ab intellectu.

Ad quartum. IX. Quarta quoque ratio nihil plus cœteris valet. Respondetur enim, aliquos effectus esse, qui si sunt ab eadem causa in diuersis subiectis, se habent vt distincti effectus: si verò sint in eodem subiecto coalescunt in vnum: sic vnum obiectum, quod est aptum causare in diuersis intellectibus diuersos conceptus, non mouet eumdem intellectum secundùm diuersas rationes, quia aptum est vnica cognitione secundùm se totum cognosci, & proinde causabit in illo intellectu vnicum conceptum suipsius, nisi aliunde contingat distinctio, quam posse contingere sine respectu ad distinctionem realem, argumentum non probat. Ad id verò, quod tangitur in confirmatione, dicimus, falsum esse, quòd cum visio tendit in obiectum valde remotum, attingat solam rationem coloris vt sic: & ratio est, quia quælibet sensatio tendit in obiectum existens, vt existens, & præsens est, ita vt attingat existentiam obiecti, atque adeo obiectum singulare: solus enim intellectus est vniuersalium; at quomodo potest coloratum singulare attingi, nisi attingatur ratio talis coloris indiuidui? Rursus quomodo potest attingi talis color in indiuiduo, nisi etiam attingatur talis color in specie, & quidem infima? Cum ergo obiectum valde remotum videtur, & non apparet illius coloris, cuius apparet in propinquo, non hoc contingit, quia non attingatur talis color specie; sed quia ratione distantiæ, ita modificatur per medium, vt appareat illius coloris confusi, qui tamen est aliquis color in specie infima; vnde etiã posset color dari, qui talis de propinquo appareret.

An visio attingat in obiecto distanti solam rõnẽ coloris vt sic.

An in cognitione intuitiua possit fieri distinctio rationis, Disp. LVIII.

Punctus difficultatis, & Auctorum opiniones.

SECTIO I.

I. Supponendum est, cognitionem esse in duplici differentia Alia dicitur *Abstractiua*, & alia *Intuitiua*. *Abstractiua* est illa, quæ fertur in obiectum, quod secundùm se non est

præsens, sed tantùm fit præsens per speciem intelligibilem; vnde huiusmo di cognitio abstrahit à præsentia, & existentia obiecti. Cognitio verò *Intuitiua* econtra se habet, & nedum debet fieri per propriam speciem obiecti, sed etiam requirit actualem existentiam, & præsentiam obiecti, ita vt formaliter attingat obiectum secundùm esse existentiæ actualis, & actualis præsentiæ; ex quo fit, quòd modo quodam experimentali debeat ferri, qui quidem modus in eo consistit, quod anima mediante cognitione experiatur ipsum esse præsens obiecti, vt experitur in cognitione visiua: dum enim obiectum præsens cernimus mediante visione, experimur præsentiam talis obiecti, & hac ratione visio, dicitur intuitiua, desumpta denominatione, à cognitione visiua: quæ dicitur intueri obiectum. Quem modum cognoscendi expressit etiam D. Paulus in cognitione beata, cum 1. Corint. 13. ait *Tunc autem facie ad faciem*, scilicet videbimus: & hanc cognitionem opponit cognitioni abstractiuæ, quam vocat cognitionem. *Per speculum in ænigmate*.

Cognitio Abstracti ua, & Intuitiua, & quid vtraq. sit

1. Corin. 13.

II. Supposito ergo hoc modo explicandi cognitionem *Abstractiuam*, & *Intuitiuā*, quem tradunt communiter scholastici; quærimus an, per cognitionem intuitiuam possit haberi distinctio rationis cum fundamento in re; de abstractiua enim non est difficultas, cum ita fieri continuò experiamur; distinctiones enim, quas cum fundamento formamus, fiunt per cognitionem abstractiuam. Difficultas autem in hoc sita est, an obiectum, quod in se habet identitatem, & est omnino simplex, possit per partes repræsentari cognitione intuitiua, ita vt per vnum actum cognitionis intuitiuæ attingatur vna formalitas verb. grat. animalitas in Petro, nihil aliud, præter ipsam, de esse Petri cognoscendo, & per alium actum alia formalitas. Si enim hoc fieri potest, per cognitionem intuitiuam haberi poterit distinctio rationis, quia poterit intellectus per plures actus attingere simul plures formalitates tanquam distinctas.

Punctus difficultatis.

III. Prima sententia asserit, per cognitionem quoque intuitiuam posse haberi distinctionem rationis, ita sentiunt omnes illi Theologi, qui putant, posse à Beatis videri cognitione clara, & intuitiua vnum attributum sine alio saltem de potentia Dei absoluta. Et similiter ij quoque, qui existimant per eamdem Dei potentiam absolutam videri posse essentiam diuinam intuitiuè sine personis; in tali enim casu cum attributa simul identificentur, & etiam personæ cum essentia, qui vnum sine alio videret cognitione intuitiua, videret partialiter obiectum, atque adeo aliquam distinctionem rationis per cognitionem intuitiuam conficeret. Huius opinionis sunt Scot. in 1 dist. 1. quæst. 2. §. *Quantum ad ipsum articulum &c.* & cum eo Scotistæ ibid. Lychet. Bassolis Antonius Andreas, & alij, & ex Recentioribus specialiter Faber disp. 11. cap. 3. Solet etiam tribui hæc sententia Riccar. in 3. dist. 14. art. 1. quæst. 4. in responsione ad vltimum *D. Bonauent.* art. 1. quæst. 2. Ferrar. 3. contra Gent. cap. 66. §. *Pro solutione &c.* Capr. in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 3. ad 8. Durandi contra 1. conclus. Verùm hi Auctores nihil tale affirmant, sed solùm, Deum non videri à beatis secundùm omnem modum cognoscibilitatis, & hoc prouenire ex parte modi cognoscendi, quia rem infinitam cognoscunt finito modo, non verò ex parte rei cognitæ. Hanc autem sententiam de distinctione rationis per cognitionem intuitiuam ex professo confirmat Hurtad. in Metaph. disp. 6. sect. 6. subsect. 2. & 4.

1. sententia asserttua.

Scot. Lychet. Bassolis. Anton. Andreas Faber. Riccar. D. Bon. Ferrar. Capr.

Hurtad.

IV. Fundamenta pro hac sentētia plura possent adduci, præcipua tamen sunt, quia fieri potest, quòd obiectum ratione perfectionis, quam habet, non possit exprimi ab intellectu per vnicum conceptum, ergo tunc concipiet pluribus conceptibus, atque adeo partialiter per singulos: vnde licet cognitio sit intuitiua, continget distinctio rationis. Secundum. Tunc aliquid intellectus distinguit ratione, quando cognoscit in ipso vnam rationem non cognita altera, hoc autem potest contingere in cognitione intuitiua: dum enim intellectus cognoscit albedinem, cuius propriam speciem accipit per sensus, potest aliquando albedo cognosci sub ratione coloris non cognita ratione albedinis, vt cum longè ocu-

Fūdamēta huius sentētiæ

lus prospicit obiectum, nec discernit, an sit album; tunc autem est cognitio in tuitiua, quia tendit in obiectum præsens, & tamen cognoscit vnam rationē tantùm sine alia. Tertium. Quando Angelus seipsum intuetur, non cognoscit seipsum, vt est principium illius cognitionis, illa enim cognitio non repræsentat seipsam, & non secundùm omnem rationem, vnde illa cognitione conficit distinctionem rationis, quia distinguere ratione est vnum cognoscere sine alio. Quartum Beatus, dum intuetur diuinam essentiam, non videt ex vi visionis essentiæ actus liberos Dei, vt certum est apud omnes Theologos, ergo tūc separat naturā ab actu libero, atque conficit distinctionem rationis per cognitionem intuitiuam. Confir. Effectus liberi videri possunt in actibus liberis, non verò in essentia: rursus qui videt Deum vt volentem aliquid liberè, & qui non videt, vt volentem, alio nomine explicabit Deum vt volentem, ac vt non volentem, ergo adest distinctio rationis, tum quia, actus liber aliquid repræsentat, quòd non repræsentat essentia, tum quia Deus volens liberè, dum differt nomine conceptoà seipso præcisa volitione, differt etiam obiecto. Quintum. Actio terminatur ad rem existentem, & præsentem; & tamen potest attingere vnam formalitatem non attingendo aliam, ergo licet cognitio sit intuitiua poterit attingere vnam formalitatem non attingendo aliam. Anteced. prob. Nam Deus concurrit ad vnam formalitatem actus mali non concurrendo ad aliam, nempe ad malitiam. Consequentia verò tenet à paritate rationis, præsertim quia ad cognitionem intuitiuam, sufficit, quòd attingatur aliquid existens, & præsens; cur autem non potest videri obiectum sub vna formalitate vt existens non viso sub alia. Sextū. Obiectū habet cum virtuali distinctione diuersa prædicata, imo contradictoria in ordine ad cognitionem abstractiuam, ergo etiam in ordine ad intuitiuam; nullum .n. discrimen ostendi potest, propter quòd idem non valeat etiam quò ad cognitionem intuitiuam.

Secunda sententia non posse haberi distinctionem. V. Altera tamen sentētia negat, posse in cognitione intuitiua haberi distinctionem rationis, etiam per potentiam Dei absolutam. Ita sentiunt omnes ij, qui negant etiam de potentia absoluta posse clara visione videri vnum attributum Dei sine alio, aut essentiam sine personis propter cognitionem intuitiuam, quæ ex natura sua debet ferri in totum obiectum adæquatè sumptū. Ita Henr. quodlib. 13. quæst. 1. Caiet. 2. 2. quæst. 2. art. 8. quam etiam tradiderat D. Thom. ibid. in responsione ad 8. præterea Gabr. in 1. dist. 1. quæst. 5. art. 2. Maior in 4. dist. 49. quæst. 2. Soto quæst. 3. art. 3. conclus. 2. Molina 1. par. quæst. 12. art. 8. disp. 4. Vasquez ibid. disp. 48. cap. 2. Suarez de Deo vno lib. 2. cap. 22. & ferè communiter Recentiores Theologi tàm Thomistæ, quàm Neutrales. Fundant autem hanc suam sententiam in eo, quòd cognitio intuitiua debet attingere obiectum sicuti est in seipso, vt aliter non appareat in mente cognoscentis, quàm in se sit, ergo cum in seipso sit indistinctum, debet in cognitione intuitiua indistinctū apparere. Verùm respondent Auctores oppositæ opinionis, aliud esse obiectum sicuti est, & aliud obiectum apparere secundùm se totum: in cognitione intuitiua, quando contingit distinctio rationis, obiectum non apparet aliter, ac est, sed apparet sicuti est, licet non secundum se totum.

[margin: ...nem rationis in cognitione intuitiua.] *[margin: Henr. Caiet. D. Th. Gabr. Maior. Soto Molina. Vasq. Suarez.]* *[margin: Fundamentum.]*

Secunda sententia præfertur, & confirmatur.

SECTIO II.

I. Cæterum contra responsionem, qua Auctores oppositæ sententiæ nituntur soluere argumentum huius posterioris sententiæ optimè vrgeri potest, inquirendo; an cum obiectum per cognitionem intuitiuam apparet tantùm partialiter, percipiatur aliqua distinctio, an non. Si primum asserant, fateri etiam debent, obiectum aliter apparere, ac est in seipso, quia in se nullam admittit distinctionem, & tamen apparet cum distinctione, quomodo ergo illa est cognitio intuitiua, cum implicet, ipsam repræsentare obiectum, aliter, ac est, supposito quod adsint requisita necessaria? Si autem secundùm asserant, nulla ratione tueri possunt distinctionem rationis, quia iam nulla est distinctio; imo falsum asserunt, quia quotiescunque obiectum concipitur

[margin: Cognitio intuitiua repræsentat obiectum sicuti est]

tan-

tantùm partialiter illa pars, quæ manifestatur ita dicitproprium esse, vt excludat esse alterius partis, atque habeat proprium constitutiuum, vt si quis cõciperet animalitatem non concepta rationalitate, vnde habet etiam propriũ distinctiuum, & consequenter distinguitur ab alia parte: sic non alia ratione in cognitione abstractiua contingit distinctio rationis, nisi quia per vnum conceptum concipitur tantùm pars obiecti.

II. Sed vt melius hæc posterior sententia explicetur, & confirmetur Aduertendum est, quòd distinctio rationis debet fundari in obiecto, quòd sit simplex, & dicat omnimodam identitatem: Ex hoc autem fit, quòd quando intellectus format distinctionem rationis, debeat distinguere in aliqua simplici entitate, & ipsam partiri in plures rationes formales, quæ omnes contineantur identificatæ in tali entitate, tanquam constitutiuæ ipsius. Quocirca quando intellectus non cognoscit obiectum cum aliquo accidenti, aut cum aliquo extrinseco connotato, tunc non conficit distinctionem rationis, quia non distinguit, neque partitur aliquam simplicem entitatem, sed solùm cognoscit vnam entitatem sine alia, quæ iam à parte rei est distincta.

Distinctio rõnis debet esse circa simplicẽ entitatem.

III. Præterea etiam certum esse debet, illam non esse distinctionem rationis, quando contingit, quòd potentia non attingit obiectum secundùm omnem rationem ipsius, ex eo quòd natura sua non sit secundùm omnem rationem attingibile à tali potentia, alioquin sequeretur, quòd etiam sensus conficeret distinctionem rationis, quãdo v. g. visus attingit obiectum secundum rationem colorati, non autem secundùm rationem tangibilis, aut gustabilis: hoc autem est omninò absurdũ, quia sensus nõ est omninò præditus illa virtute præcisiua, quæ necessaria est pro conficienda distinctione rationis, & reperitur in solo intellectu. Ratio autem à priori assignari potest, quia potentia distinguens, debet etiam posse percipere distinctionem, distinctio autem non potest percipi, nisi percipiantur extrema, quòd tunc fieri non potest, quando potentia attingit obiectum secundùm vnam rationem, & non secundùm aliam ex eo, quòd illam rationem non potest attingere. Rursus conficere distinctionem rationis est partiri ea, quæ vt identificata obijciuntur, vnde debet potentia in eo, quòd percipit, distinguere plures rationes formales.

Distinctio rõnis nõ cõtingit quà obiectũ non attingitur sm aliquam rõnẽ, q̃ nõ est attingibilis à potentia.

IV. Ponimus ergo nostram conclusionem, non posse per cognitionem intuitiuam fieri distinctionem rationis. Prima autem ratio pro hac conclusione desumi debet ex natura cognitionis intuitiuæ, quæ debet repræsentare obiectum vt existens, & præsens, ergo debet illud repræsentare secundùm totum suum esse, quantum cognoscibile est à potentia, cui ræpræsentatur. Antecedens est certum apud omnes, cum hoc sit proprium constitutiuum cognitionis intuitiuæ. Consequentia verò prob. quia non potest repræsentari præsentia obiecti, nisi repræsententur ea omnia, quæ intrinsecè inuoluit actualis, & physica præsentia, & existentia: præsentia autem physica, & existentia intrinsecè inuoluunt totum esse completum alicuius entitatis. Confirmatur: implicat, concipi præsentiam physicam exercitam, nisi etiam concipiatur aliqua tota entitas, quæ habeat omnes illas rationes, quæ cum ipsa identificantur, in qua exerceatur ista præsentia, ergo implicat etiam repræsentari aliquid præsens cum præsentia physica, nisi etiam repræsentetur aliqua tota entitas. Antec. patet ex natura præsentiæ, quæ non est intelligibilis, nisi simul cum re, quæ sit præsens, & consequenter seruata proportione nequit intelligi talis præsentia, nisi intelligatur talis res. Consequentia verò tenet à fortiori, quia si nequit intelligi, neque abstractiua cognitione, multò minus poterit repræsentari per cognitionem intuitiuam. Confir. Cognitio intuitiua fertur etiam in rei actualitatem, quæ intrinsecè, & formaliter dicit aliquam entitatem physicam: atque adeo attingit aliud physicum vt existens à parte rei, ergò sicuti implicat, aliquid existere à parte rei, quòd non sit aliqua integra entitas; ita etiam implicat videri aliquid vt existens à parte rei, & non videri vt entitatem physicam integram. Si autem videtur aliqua integra entitas physica, non potest contingere distinctio rationis.

Concl.

Non põt dari distinctio rõnis per cogni in oẽ intuitiuam.

Non põt repræsẽtari obiectum pręsens nisi repræsentetur sm totũ suũ esse.

V. Secundò adhuc argumentari pos- *2. ratio*

possumus ex parte cognitionis intuitiuæ ex alio tamen capite, quatenus scilicet fieri debet per propriam speciem obiecti præsentis, prout in se est, & experimentali modo. Tunc enim quæro de ista specie an immittatur ab obiecto, an vero ab aliquo extrinseco intellectui infundatur. Si sit ab obiecto ipso, tunc sicuti obiectum immittit speciem adæquatam, ita etiam cognitio attingit totum obiectum adæquatum, quantum cognoscibile est ab ipsa potentia: species enim, quæ est ab obiecto, repræsentat, quantum repræsentabile est, & potentia tantum erit in actu, quantum ab ipsa specie mouetur. Et confir. species, quæ est ab obiecto non repræsentat partem tantùm obiecti, nec plures partes, quia illas non habet, ergo neq; intellectus ex vi illius speciei potest formare aliquam distinctionem circa obiectum. Si autem species ab aliquo alio infundatur, tunc vt cognitio esset intuitiua, deberet species esse connaturalis obiecto, ità vt repræsentaret obiectum eo modo, quo est in se: species enim intelligibilis debet esse talis in repræsentando, quale est obiectum in essendo, alioquin non seruaret debitam connaturalitatem cum obiecto, ergo implicat quòd repræsentet tantum aliquam formalitatem simul cum præsentia, quia diuerso modò repræsentaret, ac obiectum est in seipso, cum in se nõ dicat hanc formalitatem separatam ab alijs. Confirmatur. Species, quæ non est ab obiecto, sed ab extrinseco infundente, non potest connaturali modo repræsentare obiectum, nisi repræsentet eo modo, quo repræsentaret si flueret ab obiecto; sed si flueret ab obiecto, non repræsentaret cum distinctione, vt visum est, ergo neq; dum est ab extrinseco infundente.

Cognitio intellectus commensuratur cum specie repræsentatiua obiecti.

Confir.

VI. Secundò principaliter confir. hæc ratio. Cognitio intuitiua ita debet esse à specie propria obiecti, vt sit manifestatiua illius prout est à parte rei præsens, ergo non potest cognitio intuitiua distinguere in obiecto. Consequentia tenet, quia si distingueret in obiecto, deberet aliquis actus partialiter tantùm attingere obiectum: actus autem ille non esset intuitiuus, neque enim repræsentaret obiectum prout est à parte rei præsens cum non sit præsens secundùm illam tantùm rationem, sed secundùm totum suum esse, & essentialiter prout est à parte rei, dicat omnes rationes, quas in tali esse includit, ita vt præsentia cadat essentialiter supra esse entitatiuum. Vrgetur amplius, vel illa cognitio, in qua contingit distinctio rationis intuitiuo modo est repræsentatiua obiecti, quatenus entitatiuo modo existit præsentialiter; & quatenus dicit identitatem, per quam simul identificantur omnes formalitates illius entitatis, vel non. Si primum, ergo non potest repræsentare vnam formalitatem tantùm, sed debet repræsentare totum obiectum; neque enim potest cognosci obiectum, vt entitatiuo modo existens, nisi repræsentetur entitas. & hæc non potest manifestari, nisi repræsententur omnes rationes, quæ in ipsa reperiuntur. Rursus neque potest repræsentari identitas, nisi repræsententur rationes identificatæ. Si verò non repræsentat obiectum cum illa identitate, & vt entitatiuo modo existens, iam repræsentat opposito modo, quia repræsentatur aliquo alio positiuo modo se habens, atque consequenter non eo modo, quo est in se, vnde non erit cognitio intuitiua.

Obiectũ nõ repræsentatur vt in se est, nisi repræsẽtur vt entitatiuo modo existens, & cũ identitate totius esse.

VII. Tertia quoque ratio ex eadẽ natura cognitionis intuitiuæ desumenda est. Cum enim debeat hæc cognitio repræsentare obiectum, sicuti est, non potest repræsentare aliquid amplius; rursus debet repræsentare obiectum, vt existens, & præsens, quo posito sic possumus argumentari. Si per cognitionem intuitiuam haberi posset distinctio rationis sequeretur, quòd per talem cognitionem repræsentaretur aliquid implicans, hoc autem nedum est peculiari modo contra naturam cognitionis intuitiuæ, sed etiam cuiuscunque cognitionis, quæ vera sit, ergo non potest per cognitionem intuitiuam haberi distinctio rationis. Tota difficultas cõsistit in probatione sequelæ maioris, nam circa minorẽ nulla est difficultas; sed facilè probatur attendendo ad possibilitatem modi, quo obiectum existit, implicat namque obiectum à parte rei præsens existere, & non cum aliqua entitate integra quę includat omnes formalitates constitutiuas sui ipsius; itaut aliquam tantùm formalitatem coniungi cum existentia, & actuali præsentia sit omninò impossibile, vt si poneretur

3. ratio.

Distinctio per cognitionẽ intuitiuã dicit aliquid implicãs ex parte obiecti.

tan-

tantùm rationalitas cum existentia, & præſentia ſine animalitate. Ratio eſt, quia huiuſmodi formalitates ſunt ab intrinſeco connexæ per identificationem, & ſunt omnino inſeparabiles, etiam per Dei potentiam, ergo ſi per cognitionem intuitiuam contingeret diſtinctio rationis, repræſentaretur per ipſam aliquid implicans, quia deberet repreſentari aliqua tantùm formalitas cum exiſtentia, & actuali præſentia.

4. ratio.

VIII. Quartò adhuc argumentari poſſumus ex natura eiuſdem cognitionis intuitiuæ. De natura enim ipſius eſt, quòd repræſentet aliquod indiuiduum, & ſingulare; ſed ſi per cognitionem intuitiuam contingeret diſtinctio rationis, non repræſentaret aliquod indiuiduum, & ſingulare, ergo ſicuti implicat, cognitionem intuitiuam non repræſentare aliquod indiuiduum, & ſingulare, ita etiam implicat haberi per ipſam diſtinctionem rationis. Tota vis argumenti dependet à probatione minoris: pro qua ſupponendum eſt; certum eſſe, quòd ſi illa cognitio non repræſentaret ſingularitatem, & præſentiam rei, non repræſentaret aliquid ſingulare, quia iam rationes repræſentatæ abſtraherent à ſingularitate. Rurſus etiam certum eſt, quòd quotieſcunque ratio aliqua abſtrahit ab entitate phyſica, iam non eſt amplius ſingularis, ſed vniuerſalis eo modo, quo poteſt eſſe, quia dum abſtrahit ab entitate phyſica, dicit ſuã præciſam rationem formalem, quæ de ſe eſt cõmunicabilis pluribus. Modo ſic minor prob. Quotieſcunq; aliqua ratio abſtrahit ab entitate phyſica, non eſt amplius ſingularis, ſed fit vniuerſalis, quia eſt in ſtatu præciſionis, quicquid enim eſt in ſtatu præciſionis, non eſt amplius ſingulare, ſed ſi per cognitionem intuitiuam fieret diſtinctio rationis, tunc rationes illæ, quæ per talem cognitionem repræſentarentur, abſtraherent ab entitate phyſica, & eſſent in ſtatu præciſionis, ergo non repræſentarentur vt quid ſingulare. Confir. Quando intellectus cognitione intuitiua diſtinguit obiectum aliquod ſingulare, vel quod per illam cognitionem attingit, participat indiuiduationem; vel non. Si primum, hoc eſt impoſſibile, quia cum ſit vnica tantùm ratio indiuiduationis, poteſt ſe tantùm tenere ex parte vnius extremi: aut ſi ſe tenet ex parte vtriuſque extremi, multiplicatur ratio indiuiduationis, & repræſentatur aliquid, quod non ſit in obiecto, quod eſt contra rationem cognitionis intuitiuæ. Si autem ponatur aliquod extremum, quod non participet rationem ſingularitatis, quòmodo illa cognitio poteſt eſſe intuitiua, cum de eius ratione ſit, quòd repræſentet rem ſingularem, & indiuiduam?

In cognitione intuitiua non põt ſtare diſtinctio rõnis, & repræſentatio rei ſingularis.

5. ratio.

IX. Denique vltima ratio addi poteſt ex modo, quo debet procedere intellectus, dum ratione diſtinguit, tunc enim intellectus debet operari aliquid intentionali modo circa obiectum, & ponere in ipſo diſtinctionem, quam non habet. Ex quo ſequitur etiam, quòd obiectum debeat repræſentari cum diſtinctione, tanquam illam in ſe haberet. Sed cognitio intuitiua repræſentat obiectum ſolùm vt in ſe eſt, nec aliquid in ipſo ponit, alioquin repræſentaret aliter ac eſt, ergo implicat in cognitione intuitiua haberi diſtinctionem rationis. Confir. Intellectus, dum ratione diſtinguit, ponit in obiecto id, quod implicat obiectum habere à parte rei, ergo non poteſt diſtinctio rationis ſtare ſimul cum intuitiua cognitione. Antecedens euidens eſt, nam intellectus, dum diſtinguit ratione, diſtinguit circa ea, quæ habent identitatem phyſicam, & realem, et conſequenter non poſſunt habere aliquam diſtinctionem, ſed ſolùm ipſis tribuitur ab intellectu: conſequentia probatur. Per cognitionem enim intuitiuam non immutatur obiectum, ſed ſicuti in ſe eſt, repræſentatur: immutaretur autem, ſi cognitio intuitiua tribueret ipſi diſtinctionem.

Intellectus diſtinguẽs ponit diſtinctionẽ in obiecto, quã non habet à parte rei.

Soluuntur fundamenta oppoſitæ ſententiæ.

SECTIO III.

Ad primum.

I. STatuta vera ſententia facile erit expedire argumenta, quæ militant contra ipſam. Ad primum ergo negamus, obiectum poſſe eſſe adeò perfectum, quod non poſſit vnico conceptu exprimi cognitione intuitiua, nullum enim obiectum poteſt eſſe adeo perfectum, quod in perfectione

Obiectũ quãuis perfectũ vnico cõceptu per ipsi pót cognitio ne intuitiua.

excedat ipsum Deum; & tamen cum qui intuitiuè videt Deum, vt accidit in beatis, vnico conceptu percipit perfe ctionem ipsius, licet non comprehensiuo modo. Adde, quòd si non posset vnico conceptu percipere totam, per fectionem obiecti, nec etiam posset illud cognitione intuitiua attingere, quia sicuti de ratione cognitionis intuitiuę, est, quòd per ipsam repræsentetur to tum obiectum, vt in se est, ita si non potest eam intellectus vnico conceptu exprimere, neq. intuitiuè cognoscere posset. Vnde obiectum, quod secundùm se totum non potest vnico conce ptu cognosci, neq. potest cognosci intuitiuè. Accedit etiam, quòd distinctio rationis debet fieri circa illud obiectum, quòd vt vnum vnico conceptu possit concipi: debet enim intellectus percipere identitatem, vt distinguat ratione: si autem conciperet tantùm partem obiecti ex eo, quòd non possit totum percipere, illa non esset distinctio rationis. Denique id, quod potest pluribus actibus cognosci, potest etiam attingi vnico actu: vnde allata ratio nullam vim obtinet.

Ad secũdum.

11. Ad secundum. Non semper intellectum, quotiescunq. cognoscit vnam rationem sine alia, formare distinctionem rationis: sed rursus requiri, quòd ratio, quæ non cognoscitur, sit ex natura sua, intelligibilis simul cum alia eodem actu. Quo supposito negatur minor, neq. enim in cognitione intuitiua, vt visum est, potest vna ratio cognosci sine alia, quæ sit attingibilis ab eadem cognitione ex natura obiecti, & sit identificata in eadem entitate, vt sect. præcedenti probatum fuit. Ad id autem, quod pro confirmatione maioris adducitur resp. intellectum in tali casu attingere totum id, quod attingit sensus, & sicuti sensus non attingit aliquam tantùm rationem obiecti, quæ sit ratione distineta ab alijs, neq. conficit distinctionem rationis, ita neq. intellectus cognoscendo totum id, quod cognoscit sensus. Præterea neq. sensus, vt etiam supra dictum est, attingit solam rationem coloris vt sic, quia cum feratur in indiuiduum, & singulare, debet consequenter etiam attingere talem colorem specie. Sicuti enim implicat, aliquid esse

Cognitio vnius sine alio non est seper distinctio rationis.

Quid per cipiat oculus videns aliquẽ colorem quẽ distin ctè non percipit.

à parte rei indiuiduum, nisi sit in specie determinata vltima, ita etiam implicat, oculum ferri in obiectum, prout est à parte rei, & non attingere illud secundùm aliquam rationem vltimam specificam. Cum ergo attingit colorem à longè v. g. albedinem, & non apparet vt albedo, hoc inde fit, quia species illius coloris simul vnitur cum specie medij, quæ cum sit virtutis longè efficacioris absorbet efficaciam speciei coloris, quæ debilis est, & facit, quòd confuso modo repræsentet illum colorem; ex quo fit quod color alius appareat, ac est, quia cum species debilis sit, afficitur à medio vt tali pacto repræsentet. Nihilominus semper oculus percipit aliquem colorem determinatæ speciei, quod ex eo quoque constat, quia potest dari aliquis color, qui talis omnino à propinquo appareat, qualis apparet albedo, cum longè remotè conspicitur. Cum ergo intellectus id totum concipiat, quod intuetur oculus, in tali casu aliquem colorem determinatum specie concipiet; non verò cognitione intuitiua distinguet inter rationem coloris vt sic, & talem colorem. Quod etiam dicendum est, quando cognitio intellectiua correspondet obiecto immediate cognito per vnicum solum sensum, & percipitur secundùm vnicam tantùm rationem sensibilitatis, vt secundùm esse tangibile, non verò secundùm alias rationes: tunc enim neque contingit distinctio rationis in cognitione intellectiua, quia cùm cognitio nostra dependeat à sensibus, quando intellectus percipit obiectum ex vi alicuius sensus, quantum perceptibile est mediante illo sensu, nec potest aliquid aliud mediante illo sensu cognoscere, non distinguit ratione, quia non percipit obiectum secundùm alias rationes, quod ex eo satis liquet, quia dum alio sensu percipit idem obiectum secundùm aliam rationem sensibilitatis, non distinguit ratione, quia habet vnicum actum cognitionis intellectiuæ, qui correspondet omnibus sensationibus, nec potest ratione distinguere inter diuersas sensibilitates, quando tantùm ratione distinctæ sunt, nisi comparet obiectum id diuersos sensus, quibus correspondet, quæ cognitio non est imme-

In per cognitio em intellectiu. correspõ centẽ vnĩ sẽsui nõ fit distinctio rõnis.

diatè correſpondens cognitioni ſenſitiuæ, ſed reflectitur ſuper rationem talis, & talis cognitionis ſenſitiuæ, & rationes formales obiectiuas ipſis correſpondentes: atque hæc cognitio eſt abſtractiua, non verò intuitiua, quia tunc abſtrahit à præſentia, & exiſtentia obiecti, & conſiderat tantùm rationes formales obiectiuas. Denique quando ſenſus attingit obiectum aliquod, quamuis attingat illud ſecundùm præciſam rationem ſui obiecti, attingit tamen totam illam entitatem ſub illa ratione formali, ita vt ratio illa formalis obiectiua ſit ratio attingendi totam entitatem, quæ ſecundùm reliquas rationes materiali modo ſe habet: vnde conſequenter cognitio quoque intellectiua correſpondens ſenſitiuæ attingit totam illam entitatem, quemadmodum attingit ſenſus, & ideo non contingit diſtinctio rationis.

Alia reſpon. III. Vel etiam alio modo reſpondere poſſet negando cognitionem illã, qua intellectus percipit res cognitas ſẽſu exteriori, eſſe propriè intuitiuam, quia licet fiat per propriam ſpeciem, & fortaſſe per eandem, quam immittit obiectum, de quo ſuo loco dicturi ſumus, non eſt tamen propriè cognitio intuitiua, cum fiat mediante ſenſu. Ex quo fit, quòd ſicuti obiectum non ſubſternitur immediatè cognitioni intellectiuæ, ſed tantùm ſenſitiuæ, ita neq; attingatur illo experimentali modo, qui requiritur ad cognitionem intuitiuam, ratione cuius anima experiatur immediatè ſe ferri in obiectum intellectiuæ potentiæ. Quare neq; ſpecies illa, per quam fit intellectio, eſt propria ſpecies illius obiecti, quatenus correſpondet intellectui, cum ſit per ſe primò ordinata ad ſenſũ. Si enim eſſet propria ſpecies, deberet repræſentare totum obiectum; ſed ſecũdariò tantùm repræſentat aliquã rõnẽ obiecti, quatenus primariò repræſentat aliquam rationẽ ſenſibilitatis ſenſui; & ratione ſenſus repræſentat eandẽ rõnẽ, quatenus intelligibilis eſt, intellectui; non tamẽ facit, quòd intellectus immediatè feratur in obiectũ experimentali modo: modus enim experimentalis requirit immediationem inter obiectum, & potentiam.

An cognitio intellectiua correſpõdẽs ſenſitiuæ ſit intuitiua.

Obiectio IV. Verùm ex dictis inſurgit grauis obiectio: videntur enim falſa, quæ diximus ſect. præcedenti, nempe quòd ſi intellectus cognoſceret vnam tantùm rationem obiecti, illa cognitio eſſet abſtractiua, & quòd ratio cognita eſſet vniuerſalis. Item ſi in vno extremo attingeret ſingularitatem, alterum extremum eſſet ſine ſingularitate: vidèmus enim, quòd cognitio ſenſitiua attingit vnam tantùm rationem obiecti, & non aliam, & tamen illa cognitio non eſt præciſiua; nec ratio cognita eſt vniuerſalis. Rurſus vnus ſenſus attingit vnam rationem, alter ſenſus aliam, & tamen vnuſquiſque attingit ſuam rationem ſingularem; cur ergo etiam intellectus non poterit vnamquamque rationem attingere vt ſingularem ea ſingularitate, quam habet in ſe obiectum? Reſpon. adnotando differentiam, quæ eſt inter potentiam intellectiuam, & ſenſitiuam. Illa enim eſt potentia vniuerſalis, hoc eſt, quæ habet talem rationem formalem obiecti, per quam ſubſternitur obiectum cognitioni ſecundùm omnem rationem cognoſcibilitatis. Cum enim quælibet ratio cognoſcibilis, quę quocunque modo eſt in obiecto, participet rationem veri, hinc fit, vt ex vi formalis obiecti quæcunque ratio ſubſternatur cognitioni intellectiuæ. Ecõtra verò potentiæ ſenſitiuæ ſunt potentiæ particulares, hoc eſt habent talem formalem rationem obiectiuam, quæ licet ſubſternat totam entitatem ſenſibilem ſenſui, non tamen ſubſternit obiectum ſecundùm omnem rationem cognoſcibilitatis: ſic ratio formalis potentiæ viſiuæ ſubijcit tantùm entitatem coloris, non tamen ſecundùm omnem rationem cognoſcibilem. Quo poſito dicimus, quòd ideo quando intellectus cognoſcit vnam rationem ſine alia, eſt cognitio abſtractiua, & præciſiua, quia aſſumit vnam rationem obiecti; & aliã; quæ ex vi ſuæ rõnis formalis obiectiuæ ipſi ſubſternitur, relinquit; non autẽ ſic ſenſus, nã attingit totã entitatẽ ſenſibilẽ ſub vna tantũ rõne, & ideo non põe vnam rõnem aſſumere, & aliã relinquere, quia non habet plures rationes, ſed vnam tantùm, ſub qua totum obiectũ attingitur materiali modo. Ex hoc autem fit, quòd neque huiuſmodi ratio cognita ſit vniuerſalis, quia non abſtrahit ab entitate; cum autem intellectus cognoſcit vnam tantùm rationem, ſine ſit ratio ſingularitatis,

Reſp.

Intellectus potentia vniuerſalis, ſenſus particularis.

siue quælibet alia, semper est præcisa, quia abstrahit ab entitate physica; & quia intellectus assumit vnam rationem sui obiecti, & aliam relinquit, quam cognosceret ex vi eiusdem obiecti. Cum verò additur; sensum quemlibet attingere suam rationem obiecti singularem, hoc ideo fit, quia attingit totam illam entitatem singularem sub tali ratione sensibilis, vnde sensus non attingit diuersas rationes singularitatis, sed quilibet attingit eamdem. Si autem intellectus tribueret singularitatem vni rationi obiectiuæ, quia separat formalitates inter se, poneret singularitatem ex parte vnius extremi, & cum sit vna tantùm ratio singularitatis in obiecto, si tribuitur vni extremo, non potest tribui alteri, nisi multiplicaretur; quod non contingit in sensitiua cognitione, in qua tota singularitas, quæ attingitur ab vno sensu, attingitur etiam ab alio, si contingit, quòd eadem res sit obiectum plurium sensuum.

Ad tertium V. Ad tertium. Angelum seipsum intuendo cognoscere etiam se vt principium illius intuitionis, quia cognitio seipsam vt quo manifestat, nam cum sit ratio manifestandi obiectum, non indiget alia manifestatione vt ipsa manifestetur. Non hinc tamen fit, vt ex parte sui ipsius aliquid amplius cognoscat, quia esse principium illius cognitionis non dicit aliquid superadditum angelo præter cognitionem. Vnde etiam si non se cognosceret vt principium illius, cognitionis, non ideo formaret distinctionem rationis, quia non relinqueret aliquid de suo esse substantiali, quod non cognosceret.

Angelus seipsū intuens cognoscit se vt principiū illius intuitionis.

Ad quartum. VI. Ad quartum concedendum est; Ex vi visionis diuinæ essentiæ non videri aliquem actum liberum Dei, vt communiter docent omnes Theologi; neque tamen inde fit, quòd intellectus conficiat distinctionem rationis: quod ex eo euidenter conuincitur, quia ad distinctionem rationis requiritur, vt separentur formalitates, quæ pertineant ad constitutionem alicuius entitatis, & aliquæ non videantur, quæ tamen debeant videri ex natura obiecti visa tali entitate. At, visa essentia diuina, ex vi huius visionis non videntur actus liberi, quia non sunt cognoscibiles ex natura obiecti, ex eo, quòd diuina essentia cognoscatur, sed opus est peculiari aliqua cognitione. Præterea actus liberi non sunt formalitates constitutiuæ diuinæ essentiæ, nam visa essentia diuina sine actibus liberis, videtur tota essentia, alioquin si aliqua formalitas non videretur, quæ esset constitutiua diuinæ essentiæ, quod videretur, non esset diuina essentia, sicuti non esset diuina essentia, si illi deesset talis formalitas. Rursus si Deus nullos haberet actus liberos, adhuc esset Deus, sicuti modo est. Cum ergo actus liberi non sint formalitates pertinentes ad constitutionem diuinæ essentiæ, ex eo, quòd non videantur, non sequitur distinctio rationis. Quid autem dicant huiusmodi actus liberi formaliter, spectat ad Theologos explicare. Interim hoc certum debet esse, quòd quatenus liberi sunt, & poterant non esse, non dicunt aliquid positiuum superadditum, & intrinsecum Deo, quia nihil est in ipso intrinsecè, quod potuerit non esse: Hinc ad confir. respon. concedendo, actus liberos, quatenus liberos, dicere aliquid, quod non videatur in essentia, & quòd sint cognoscibiles à beatis alia cognitione ab ea, qua intuentur diuinam essentiam, negamus tamen, quòd visa essentia si non videntur, contingat distinctio rationis.

Visa essentiā diuinā, & nō actus liberos Dei non conficit distinctionē rationis.

VII. Ad quintum dicimus, quòd licet concedatur in effectu esse aliquā formalitatem, ratione cuius præcipuè tribuitur vni causæ, aut quæ formaliter sit radix, cur requiratur concursus alienius causæ, vt est ratio entis participati in creaturis, quę est radix, vt ad ipsarum productionem exigatur cōcursus Dei immediatus, nunquam tamen actio physica attingit aliquam tantùm formalitatem, & non totam entitatem, quod præcipuè dicendum est, si ponatur actio identificata cum termino. Et quamuis quando plures causæ partiales concurrunt ad eumdem effectum vna formalitas tribuatur vni causę, & altera alteri, vt cum species intentionalis simul cum potentia concurrit ad cognitionem; semper tamen interuenit vnica tātùm actio physica, quæ physico modo attingit totū esse physicum effectus. Ad probationem

Ad quintum.

An aliquādo actio attingat aliquā tātū formalitatem.

in oppositum, quando in actu peccaminoso Deus non dicitur concurrere ad malitiam, ideo dicitur non concurrere; non quia non concurrat ad totam entitatem physicam actus, sed quia malitia est aliquid morale, & annexum actui physico, non verò quid physicum intrinsecè imbibitum in entitate phisica; quod solùm oritur ex eo, quòd actus physicus ratione voluntatis creatæ deflectit à recta ratione: hinc non sequitur, actionem attingere vnam formalitatem alicuius entitatis physicæ, non attingendo aliam.

Ad sextum. VIII. Ad sextum denique, negat. consequentia: & facilè disparitas assignatur ex natura cognitionis intuitiuæ, quæ, vt dictum est, sect. præcedenti, cum debeat ferri in obiectum, vt actu præsens experimentali modo; debet ferri in aliquam entitatem physicam, atque adeo nullo modo vti potest virtuali distinctione diuidendo obiectum in plures rationes formales.

In cognitione comprehensiua non pôt esse distinctio rônis. IX. Ex dictis autem sequitur à fortiori: Quòd si non potest per cognitionem intuitiuam haberi distinctio rationis, multò minus haberi potest per cognitionem comprehensiuam; non solùm enim comprehensiua cognitio est intuitiua, sed etiam, quia ita attingit obiectum, vt cognoscatur secundùm omnem rationem. Si autem fieret distinctio rationis, cum non possit esse, nisi sint plures actus cognitionis, inquiri posset de cognitione illa, quæ attingit vnum extremum, an sit comprehensiua, an non. Certè responderi debet, esse comprehensiuam, alioquin non essemus in casu allato. Sed quomodo potest esse comprehensiua, si non attingit obiectum secundùm omnem formalitatem, & secundùm omnem rationem cognoscibilitatis?

An ex vi distinctionis rationis de eodem verificentur contradictoria. Disp. LIX.

Rationes dubitandi, & opposita sententiæ.

SECTIO I.

I. AD inuestigandam plenius naturam distinctionis rationis, quam conficit intellectus cum fundamento in re, videndum est, an sit talis conditionis, vt ex vi ipsius possint verificari contradictoria de eodem, seu quod idem est, an sufficiat ad tollendam contradictionem, & facere, vt quæ alloquin essent contradictoria respectu eiusdem, non se habeant contradictorio modo. Ratio dubitandi esse potest, quia distinctio rationis, etsi fiat cum fundamento, non variat naturam subiecti, quòd afficit, ergo si præcisa distinctione non possunt de ipso contradictoria verificari, nec etiam poterunt verificari posita distinctione. Quod enim retinet eamdem naturam, retinet etiam semper easdem prædicationes, & eadem semper de ipso verificantur. Confir. Contradictio in eo consistit, quòd tribuat subiecto prædicatum aliquod, & illud ipsum remoueat ab eodem; quod enim vnum contradictorium affirmat, negat alterum, ergo stante etiam distinctione rationis non possunt contradictoria de eodem verificari, quia vel posita distinctione illud prædicatum, penes quod est contradictio, conuenit tali subiecto, vel non; si primum, ergo non potest ab ipso cum veritate remoueri; si secundum, ergo non potest ipsi cum veritate tribui. 1. ratio dubitandi.

II. Secundò etiam dubitatur, quia contradictio inuoluit maximam implicantiã, quæ oritur ex illo principio vniuer- 2. ratio dubitandi.

uersalissimo *Idem non potest esse, & non esse*, ergo non potest distinctio rationis facere, quòd ea, quæ sunt contradictoria, respectu eiusdem se habeant contradictorio modo, quia non tollit implicantiam, quam dicit contradictio, Vnde adhuc aliquid implicans poneretur in subiecto. Confir. distinctio rationis non facit, quòd aliquid sit, & non sit, aut simpliciter, aut secundùm quid: cum ergo cōtradictoria dicant aliquid esse, & non esse, non possunt ex vi huius distinctionis alicui conuenire.

Tertia rō dubitādi.

III. Tertiò etiam arguitur. Contradictio consistit in affirmatione, & negatione: affirmatio autem, & negatio ita se hebent, vt si vna sit vera, altera sit falsa, ergo stante etiam distinctione rationis de eodem non possunt verificari contradictoria. Antecedens certum est, quia cum necessariò idem sit, aut non sit, etiam necesse est, esse tale, vel non esse tale, atque aut verum erit, non esse tale, aut verum erit, esse tale. Consequentia verò prob. quia non potest idem esse verum, aut falsum, cum ergo vnum ex contradictorijs fit verum, & alterum falsum, si ratione distinctionis rationis possent de eodem verificari, posset idem esse verum, & falsum. Si autem dicas tolli contradictionem, atque adeo non sequi, quòd idem sit verum, & falsum, Vrgetur responsio, quia veritas, aut falsitas consistit in conformitate, aut difformitate ad id, quòd est in re, cum autem per distinctionem rationis non fiat mutatio in re, neque potest fieri, quòd ea, quæ sunt contradictoria respectu alicuius, non sint amplius contradictoria.

1 opinio Nō sufficere distinctionē rōnis ad tollēdam contradictionem.

IV. In hac difficultate duas reperio sententias, quarum prima negat, distinctionem rationis sufficere ad tollendam contradictionem, & desumitur ex doctrina Scotistarum, dum ponunt contradictionem pro signo distinctionis ex natura rei, quæ per ipsos est in rebus independenter ab intellectu. Atq; huiusmodi doctrina præcipuè desumitur ex Io. Vallonio in sua quæst. Metaphys. supra Formalit. Scoti ar. vltimo principali, Syrect. tractatu super easdē Formalit. art. 2 principali, & 2. partiali. Idem etiā colligitur ex Anton. Trombeta supra easdem Formalit. & idem videntur sentire communiter Scotistæ; Verum tamen est, quòd non agnoscūt aliam distinctionem rationis præter illam, quæ fit per actum collatiuum intellectus, quo idem sibi ipsi comparatur, & distinctionem rationis, quam nos ponimus cum fundamento, volunt esse distinctionem ex natura rei; vnde tota diuersitas huius sententiæ oritur ex eo, quòd variant in assignandis distinctionibus

Io. Vallon. Syrect. Anton. Trōbeta.

2 sententia. Distinctio nē rōnis cū fundamēto sufficere ad tollendā contradictionem.

V. Opposita tamen sententia concedit, distinctionem rationis cum fundamento esse sufficientem, vt contradictoria possint de eodem verificari, ex eo videlicet, quòd distinctio faciat, vt ea, quæ erant contradictoria, non se habeant contradictorio modo. Atque hæc sententia videtur communiter supponi tanquam certa, & ea frequenter Auctores vtuntur ad euitandam contradictionem, quæ nonnunquam videtur sequi ex doctrina, quam tradūt: imò necessariò admittēda est ob explicationem plurium difficultatum, quæ in tota philosophia, & Theologia occurrunt, quas neque Scotistæ possent explicare, nisi vbi nos ponimus distinctionem rationis, ipsi admitterent distinctionem ex natura rei: Hanc autem opinionem ex professo tradit Soncin. 4. Metaphys. quæst. 30. vbi clarè hanc quæstionem disputat.

Soncin.

Secunda sententia confirmatur.

SECTIO II.

Contradictio formali non habet esse nisi per intellectum.

I. EX his duabus sententijs secunda omninò certa est: sed antequā ad eius confirmationem accedamus, adnotandum est. Contradictionem non esse in rebus ante opus intellectus, si formaliter eam accipiamus: est enim in rebus tantùm fundamentum, in quo radicatur alterum ex contradictorijs; cōtradictio verò formalis habetur tātùm per intellectum. Cum enim consistat in affirmatione, & negatione, quatenus sunt enunciatiuæ, vt docet Arist. Cap. de oppositis, & consequenter sit oratio quædam enunciatiua, vt ibid. etiam docet Arist. constat, non posse habere esse, nisi per intellectum, quia affirmatio, & negatio, seu oratio enunciatiua est tantùm per intellectum aliquid de altero enunciantem. Sicuti autem propositiones habent fundamentum in re, ita etiam contradictoria habent fun-

Arist.

da-

damentum, vel veritatis, vel falsitatis.

Sensus præsentis quæstionis

II. Præterea etiam adnotare oportet; quòd cum quærimus, an distinctio rationis sufficiat ad tollendam contradictionem, quæstio intelligi debet, an ea, quæ sunt contradictoria, reddat nō contradictoria respectu obiecti non prout in se est, sed prout subest distinctioni rationis. Diximus enim supra, obiectum posse considerari, prout est extra intellectum terminans tamen cognitionē, & prout existit obiectiuè in ipso. Prout habet esse extra intellectum, seruat identitatem, nec in ipso ponitur distinctio aliqua; prout verò habet esse obiectiuum, recipit in se distinctionem. Contradictoria ergo comparari debent ad obiectum, non prout habet esse extra intellectū, sed prout obiectiuè existit in ipso, atque non prout dicit identitatem, & vnitatem, sed prout dicit distinctionem; & hoc pacto quæritur, an prout contradictoria comparantur ad ipsum, cessent ratione distinctionis, quæ in ipso ponitur, esse contradictoria, quòd valde aduertendum est, quia ex hoc dependet solutio rationum dubitandi.

Concl. Distinctio rōnis tollit cōtradictionē

III. His igitur præmissis ponimus conclusionem cum posteriori sententia. Distinctionem rationis facere, vt ea nō sint contradictoria respectu obiecti, quæ alioquin essent contradictoria. Prob. sicuti distinctio, quæ est à parte rei, ponit vnum extremum extra aliud à parte rei, ita distinctio rationis cum fundamento ponit vnum extremum extra aliud in esse obiectiuo, ergo quæ erant contradictoria respectu obiecti considerati secundùm identitatem rei, desinunt esse contradictoria respectu eiusdem, prout secundùm esse obiectiuum dicit distinctionem. Consequentia probatur, tum quia distinctio realis tollit contradictionem secundùm esse reale, vnde distinctio rationis debet tollere contradictionem secundùm illud esse, quod inuoluit huiusmodi distinctionem; hoc autem esse non est aliud, quàm obiectiuum: tum quia contradictoria, vt sint talia, debent comparari ad aliquod, quòd se habeat vt vnū, atque idem: quod si se habeat vt multiplex, desinunt esse contradictoria: at ex vi distinctionis rationis obiectum se habet vt multiplex, & dicit plures formalitates, ita vt quæ sūt propria vnius, non sint propria alterius. Ratio autem à priori est, quia tota implicantia, quā dicunt contradictoria, fundatur in eo, quòd idem non potest simul esse, & non esse, cum ergo non posse simul esse, & non esse proueniat ex ipsamet identitate, si auferatur identitas, & ponatur multiplicitas, quemadmodum ponitur in distinctione rationis, cessat omnis ratio contradictionis, & implicantiæ.

Vnde prouenit implicantia contradictoriis.

Confir. Distinctio rōnis limitat formalitates

IV. Confir. Dum per distinctionem rationis partitur obiectum in plures formalitates, limitantur singulæ, vt vna non sit alia, & contrahuntur ad certum esse formale, per quòd inuicem contradistinguuntur. Ergo possunt cōtradictoria cum veritate de his formalitatibus affirmari, ita vt vnum affirmetur de vna, & alterū de altera, & distinctio rationis tollet contradictionem. Consequentia probatur. Quotiescunque enim aliquid limitatur ad certum esse, nō participat aliud, & pōt de ipso negari, & è contra: Sic dum intellectus distinguit animalitatem, & rationalitatē, animalitas ita contrahitur ad formale esse animalitatis, vt negari possit de rationalitate, & econtra rationalitas de animalitate; Valet enim ista propositio, *Animalitas non est rationalitas*. & è contra *Rationalitas non est animalitas*. Quando autem duo inuicem negantur, verificantur de ipsis contradictoria, sic esse principium risibilitatis, & non esse principium risibilitatis sunt contradictoria, & de rationalitate dicitur, quòd sit principium risibilitatis, de animalitate verò, quòd non sit.

2. ratio

V. Secundò declaratur amplius. Contradictio formaliter sumpta contingit tantùm per intellectum, & consequenter cadit tantùm supra obiectū, prout intellectui obijcitur, ergo si obiectum, prout obijcitur intellectui, est capax prędicatorum cōtradictoriorum poterunt de ipso contradictoria prædicari cum veritate. Posita autem distinctione rationis obiectum est capax cōtradictoriorum, prout obijcitur intellectui, tunc enim se habet vt multiplex, vnde quòd conuenit vni extremo distinctionis, non conuenit alteri; rursus extrema habent inter se aliquam oppositionem, quia vnum excludit alterum à seipso, cur ergo non erunt capacia contradictoriorum, cum desinat contradictio? contradictio enim est tantùm re-

respectu eiusdem, non respectu diuersorum: extrema autem distinctionis rationis in esse obiectiuo se habent vt diuersa.

Soluuntur rationes in oppositum.

SECTIO III.

I. Rationes dubitandi possent omnes vnico verbo expediri, si diceretur, procedere tantùm de obiecto, prout habet esse extra intellectum, & dicit suam propriam realitatem, qua vel est à parte rei, vel potest esse: non autem de obiecto, prout est obiectiuè in intellectu, quia tunc subit distinctionem, quam in se non habet, prout est extra intellectum: maioris tamen facilitatis gratia singillatim ad omnes respondebimus. Ad primam igitur dicendũ est, quòd licèt distinctio rationis nõ immutet esse obiecti, quatenus cõalescit ex prædicatis essentialibus, neq; enim tollit, aut immutat prædicata essentialia; immutat tamen, non secundũ esse reale, sed secundùm obiectiuum modum existendi ipsius. Immutatio autem in hoc consistit, quòd quia per virtutem præcisiuam diuidit obiectum, & per diuersos actus totum quidem obiectum concipit, sed per singulos inadæquatè: hinc fit, vt secundùm suum esse non se habeat vt vnum, & idem, sed vt plura; hęc autem sola immutatio sufficit, vt de eodem obiecto possint verificari contradictoria, quatenus vnum dicitur de vna parte, alterum de altera. Ad confir. eiusdem rationis concesso antecedenti, negatur consequentia, & ad probationem, quæ adducitur, respon. si loquamur de obiecto identicè considerato, hoc est secundùm totam suam entitatem, verum quidem est, quod nõ potest idem prædicatum conuenire, & non conuenire: si tamen loquamur de obiecto, prout diuiditur in diuersas formalitates, tunc non solùm potest idem prædicatum vni parti conuenire, & alteri non conuenire, sed etiam hoc necessarium est, & implicat oppositum, alioquin illæ non essent diuersæ formalitates.

Ad prim.

Quomodo immutatione distinctio rõnis ponat in obiecto.

II. Ad secundam dicimus; Contradictoria consistere in affirmatione, & negatione. Implicantia ergo in hoc consistit, quòd ab eodem idem prædicatum remoueatur, atque eidem tribuatur; Si verò prædicatum ad idem obiectum non comparetur, iam amplius non adest implicantia. Oritur ergo implicantia ab vnitate subiecti: vnde cum distinctio rationis tollat vnitatem, & constituat subiectum vt multiplex, tollit etiam implicantiam, quã importat contradictio. Hinc ad confir. eiusdem rationis. Si distinctio rationis faceret, quòd idem esset, & non esset, non tolleret contradictionem, sed faceret, quòd contradictoria, quatenus contradictoria eidem conuenirent, quod nos non asserimus, & omnino implicat, sed solùm dicimus, quòd distinctio rationis tollit contradictionem, quia mediante ipsa applicantur extrema contradictoria cum veritate diuersis extremis distinctionis.

Ad secun.

Quomodo distinctio rõnis tollat implicantiã contradictionis.

III. Eodem quoque modo soluitur tertia ratio. Tunc enim ex contradictorijs alterum est verum, & alterũ falsum, quando eidem subiecto applicantur, quia solùm vnum ex ipsis est verum, alterum falsum, quando se habent, vt contradictoria. Quoniam verò mediante distinctione rationis applicantur diuersis subiectis secundũ esse obiectiuum, ideò vtrunque est verum, imo debent necessariò esse vera, si considerentur extrema, quatenus sũt diuersæ rationis, quia quòd vni conuenit, vt tale est, nullo pacto conuenire potest alteri. Ad instantiam respond. Enunciationem, qua contradictoria enunciantur, esse conformem rebus, quatenus habent esse obiectiuum; pro quo sufficit, quòd fiat illa mutatio, quã supra diximus, quæ consistat in eo, quod obiectum diuidatur in diuersas formalitates secundùm esse obiectiuum: sicuti enim hæc mutatio facit, vt obiectum, quòd antea obijciebatur, vt vnum, obijciatur vt multiplex, ita etiã facit, vt ea, quæ ratione vnitatis non poterant de ipso enunciari, possint enunciari.

Ad tertiam.

Quã ex cõtradictorijs alterum sit verũ, alterum sit falsum.

IV. Ex dictis colligitur. Quòd hucusque dictum est de distinctione rationis cum fundamento à parte rei, dici debere cum proportione de distinctione rationis sine fundamento, quæ fit per actum collatiuum. Tota enim ratio, cur distinctio rationis cum fundamento tollat contradictionem, est, quia ponit diuersa extrema, quorum vnum

An distinctio rõnis sine fundamento tollat cõtradictionẽ.

ne-

negari potest de altero: hoc autem etiã contingit in distinctione rationis fine fundamento, saltem aliquo pacto; nam extrema illius subsunt diuersis actibus cognitionis, & quatenus vnum subest vni ex his actibus reduplicatiuè loquẽdo, non subest alteri; & proinde vnum cum hac reduplicatione potest negari de altero; & hoc pacto possunt de ipsis contradictoria verificari. Sic cum dicitur, homo est homo, esse subiectum, & non esse subiectum, quæ contradictoria sunt, possunt de ipso verificari, quia, prout subest vni actu, est subiectum, non verò prout subest alteri. Et hæc de natura distinctionis rationis satis sint.

De distinctione ex natura rei an, & quid sit Disp. LX.

Sententia Scotistarum.

SECTIO I.

Quænam dicatur distinctio ex natura rei.

I. Distinctio ex natura rei dicitur illa, quæ oritur ex natura ipsorum extremorum; vnde quæcunque habent, quòd ex natura extremorum distinguantur, & non ab intellectu tantùm, dicuntur distingui ex natura rei. Ex quo fit, quòd distinctio ex natura rei complectatur plura genera distinctionum, vt etiam adnotauit Trombeta in Formalit. Scoti ar. 2. circa finem §. *Notandum etiam &c.* vbi ait, posse sumi, prout est genus ad omnes species distinctionum, quæ sunt ante opus intellectus. Sed hoc pacto hic non sumitur à nobis, certum est enim in hoc sẽsu dari à parte rei, nam, vt vidimus, datur distinctio inter rem, & rem, & etiam distinctio modalis, quæ est ante opus intellectus. Sumitur igitur distinctio ex natura rei pressiori modo, tanquam contradistincta à distinctione reali, & modali, & quæ sit omnium minima ex ijs, quæ reperiri possunt ante opus intellectus, vtpotè, quæ non dicit aliquam separabilitatem extremorum, sed tantũ in eo consistit, quòd possit fundare contradictionem; quotiescunque enim aliqua possunt fundare prædicata contradictoria; asserunt Scotistæ, distingui ex natura rei, & hanc distinctionem ponunt in rebus ante operationem intellectus. Ita tradunt Bonet. 3. Metaph. cap. 38. Bannes 1. par. q. 3. art. 3. dub. 1. Aquar. in additionib. super Capr. in 1. dist. 33 Frãciscus à Christo in 1. dist. 2. quæst. 3. Vorrileng. dist. 8. quæst. vnica art. 1. Sarnanus in Directorio Theol. verbo *Distinctio*, Bassolis in 1. dist. 22. quæst. 3. ar. 2. & quæst. 4. ar. 2. & 3. Mayron. dist. 8. quæst. 3. 5. & 7. Aquilan. quæst. 4. Anton. Andr. ibid. Orbellis ibidem Bargius, & Lychet. in quæst. 3. alias 4. Scoti. Gillius lib. 2. de Essent. Dei tract. 5. cap. 2. num. 8. Vallonius quæst. super Formalit. Scoti ar. 2. principali, & 2. partiali, Syrectus ibid. Pistorius sect. 29. Trombeta item ibid. ar. 2. §. *Pro declaratione distinctionis &c.* Sequuntur etiam Achillinus tract. de Distinct. cap. 20. 23. & 26. Fonseca 5. Metaph. cap. 6. quæst. 6. sect. 2. Meurisse 2. Metaph. cap. 3. quæst. 4. Hinc concludunt, Ea omnia distingui ex natura rei, quæ habent formalitates diuersas, vt sunt rationes superiores, & inferiores, & quæ communiter ponuntur distingui ratione cum fundamento in re.

Trõbe a. — Quomodo distinctio ex natura rei hic accipienda ex Scotistis. — Bonet. Bannes Aquar. A Christo. Vorrileg. Sarnan. Bassol. Mayron. Aquilan. Ant. And. Orbellis. Bargius. Lychet. Gillius. Vallon. Syrect. Pistor. Trõbeta. Achilin. Fonseca Meurisse.

Fundam.

II. Fundamentum præcipuum est desumptum ex prædicatis contradictorijs, neq; enim contradictoria possunt eidem cõuenire ante opus intellectus; sed si conueniunt, necessariò debet supponi distinctio, ratione cuius possint verificari. Cùm igitur de his formalitatibus possint ante operationem intellectus verificari contradictoria, debet ante intellectum cogitantem supponi distinctio. Verùm hoc fundamentum nullum est; nam distinctio rationis, vt disp. præcedenti sect. 2. probatum fuit, præsertim quando fit cum fundamento in re, sufficiens est ad tollendam contradictionem; & sicuti per ipsos ex eo, quod adest distinctio ante opus intellectus possunt de obiecto verificari cõtradictoria, cur non poterunt verificari posita distinctione per intellectum, cũ adhuc per ipsam ponatur diuersitas extremorum? Quòd si vrgeant, hæc con-

Insufficiẽs est.

tra-

tradictoria conuenire ante opus intellectus, falsum omnino assumunt, quia contradictio, vt etiam disp. præcedenti dictum est, consistit in affirmatione, & negatione, quæ solùm habentur per intellectum, vnde præciso opere intellectus nulla cōtradictio haberi potest, sed tantùm fundamentum contradictionis. Cum igitur contradictoria tribuuntur eidem obiecto, vt verificentur de ipso, sufficit, si habeat fundamentum talis contradictionis: fundamentum verò contradictionis idem est, ac fundamentum distinctionis, quam format intellectus eo ipso, quòd tribuit contradictoria eidem subiecto, quia quatenus tribuit vnum contradictorium considerat obiectum secundū vnam tantùm rationem, alioquin non tribueret cum veritate; sic si quis de Petro enunciaret, esse communicabilem pluribus differentibus specie, falsum omnino proferret; si tamen reduplicet rationem animalis, quòd scilicet, quatenus animal, dicit quid communicabile pluribus speciebus, vera erit propositio.

Paris formalitatibus non conueniūt contradictio ante intellectus operatione.

III. Alterum fundamentum afferunt: nempe quia aliquid est extra definitionem essentialem rei, & non se habet tanquam res distincta realiter: seu dantur quædam rationes, quæ distinguuntur conceptu obiectiuo: quicquid autem distinguitur conceptu obiectiuo, & est extra definitionem, distinguitur aliquo modo in re. Verum nihil concludit: vel enim procedit de definitione secundùm esse physicum, vt cum definitur homo esse id, quod constat ex anima rationali, & corpore organico, & hoc pacto cum definitio amplectatur totum esse adæquatum, quicquid est extra definitionem est etiam extra definitum physicum, & consequenter est extra entitatem illius, vnde se habet aut tanquam modus, aut tanquam res. Si verò procedit de definitione metaphysica, tunc falsum est, quod ea, quæ sunt extra definitionem essentialem, sint in re distincta, quia tunc non definitur obiectum secundùm totum esse adæquatum, quod habet à parte rei: sed secundùm esse obiectiuum metaphysicum, quod habet in intellectu; hoc autem esse, prout subijcitur definitioni, semper supponit aliquam distinctionem rationis, uam supponit aliquam præcisionem; qua res, quæ definitur abstrahatur saltem à singularitate, cum singularia non possint definiri. Cum autem addunt, quæ distinguuntur conceptu obiectiuo, distingui à parte rei; hoc deberent probare, quia hoc est, quod in controuersiam venit.

Alterum fundamētū inualidum.

IV. Hanc autem sententiam tradunt Scotistæ ex doctrina ipsius Scoti, quamuis sint aliqui, vt præcipuè Hurtadus in Metaph. Disp. 6. sect. 3. qui putant, quòd Scotus per distinctionem ex natura rei nullam aliam intellexerit, quàm distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ est virtualiter in obiecto, nam in 1. dist. 2. quæst. 7. §. *Sed hic restat*, vbi agit de huiusmodi distinctione circa medium ait. *Sed nunquid hæc distinctio dicetur realis? Respondeo, non est propriè realis actualis, intelligendo, sicut communiter dicitur, actualis illa, quæ est differentia rerum, & in actu, quia in vna persona non est aliqua differentia rerum* (loquitur enim de persona diuina, de qua dixerat, relationem distingui ex natura rei ab essentia) *propter simplicitatem diuinam, & sicut non est realis actualis, ita non est realis potentialis, quia nihil est ibi in potentia, quod non sit in actu. Potest autem vocari differentia rationis, non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed vt ratio accipiatur pro quidditate rei, secundùm quod quidditas est obiectum intellectus. Vel alio modo vocari potest differentia virtualis, quia illud, quod habet talem distinctionem in se, non habet rem, & rem, sed est vna res habens virtualiter, siue eminenter duas realitates, quia vtrique realitati, vt est in illa re, competit illud proprium, quod inest tali realitati, acsi ipsa esset res distincta.*

Hurtad.

Io quo sēsu Sco. admiserit distinctionem ex natura rei.

Scot.

V. Sed reuera non assequuntur mētem Scoti. Nam contra hanc expositionem nedum est tota schola Scotistarum, sed etiam cæteri Theologi & Philosophi. Deinde iuxta mentem Scoti, licet hæc distinctio nō ponat compositionē, neq; tollat identitatē rei, aut simplicitatē, ponit tamen diuersas formalitates, & realitates in obiecto; ita vt sit de genere distinctionum, quę sunt in obiecto, prout est à parte rei; quomodo ergo est distinctio rationis,

vera mēs Scoti.

quæ est tantùm per intellectum. Tertiò quia ponit hanc distinctionem formalem in diuinis inter personalitates, & essentiam diuinam, & ait; *Dico sine assertione, & praiudicio sententia melio ris, quòd ratio, qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentiæ, vt essentia, habent aliquam distinctionem præ cedentem omnem actum intellectus creati, & increati*; Distinctio autem rationis, licet præcedat secundùm fundamentum, non tamen præcedit secundùm rationem distinctionis, & Scotus vult, præcedere secundùm rationem distinctionis, tum quia id colligit ex eo, quòd essentia actu communicatur non communicata personalitate; tum quia dixerat antea; Videri impossibile plurificari personam non plurificata essentia; & respondet non esse impossibile, quia essentia distinguitur ex natura rei à persona; tum quia dicit, quòd ante actum intellectus est aliqua entitas communicabilis; tum quia inquit *Si dicas, quòd ante omnem actum intellectus patris non est aliqua distinctio sed est entitas omnino vnius, & eiusdem rationis. Contra igitur, entitatem illam vnius rationis totam communicat pater, & ita nullam entitatem positiuam in se habet pater, quam non communicat filio, ergo communicat ei paternitatem sicuti essentiam.* Tum quia paulo post subdit, Hanc esse maiorem distinctionem, quàm sit inter abstractum & concretum, & tamen hæc distinguuntur ratione cum fundamento.

VI. Præterea quartò etiam vrgere possumus; quoniam in eodem §. ait Deum, dum intuetur propriam essentiam, & personalitatem, intueri duo obiecta formalia per se terminantia cognitionem, & hæc cognitio est intuitiua, & ex hoc concludit, quod cū intuetur vt duo obiecta, hæc distinctio non est ab intellectu, sed in obiecto ante actum intellectus; vnde inferius subdit; *Potest concedi, quòd ante omnem actum intellectus est realitas essentiæ, qua est communicabilis, & realitas suppositi, qua suppositum est incommunicabile, & ante actum intellectus hæc realitas formaliter non est illa.* Ecce ergo, quomodo ponit distinctionem ante opus intellectus, non autem solùm fundamentum. Atque hoc etiam colligitur ex dist. 8. quæst. 4. §. *Ista tamen propositio* post medium, vbi ait; *Cum igitur intellectus diuinus non cognoscat essentiam suam, nisi intuitiua cognitione, quacunque distinctio ponatur ibi in obiecto, siue sit distinctorum obiectorum formalium, siue vt rationum causatarum per actum intellectus, sequitur, quòd illa distinctio erit in obiecto, vt actu existens est*, & *ita si ista est obiectorum formalium distinctorum, in obiecto erunt ista formaliter distincta, & habetur tunc propositum, quòd distinctio talis obiectorum formalium præcedit actum intellectus.* Hanc autem distinctionem, quam ponit inter diuina attributa, ponit esse eamdem cum distinctione ex natura rei, & vult esse in obiecto secundùm rationem formalem distinctionis ante opus intellectus; vult enim, totam illam distinctionem, quam intellectus percipit, reperiri in obiecto. Denique sequenti §. *Ad quæstionem respondeo &c.* de eadem distinctione ait; *Est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectum omni modo, & est ista, quod sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei: sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re.* Ex quibus satis euidenter manifestum fit, Scotum per distinctionem ex natura rei non intellexisse aliquam distinctionem, quæ fiat ab intellectu, vt est distinctio rationis cum fundamento, sed aliud genus distinctionis, quæ secundùm se totam præcedat actum intellectus. Vnde cum vocat illam distinctionem rationis, non ideo sic eam vocat, quasi fiat à ratione, sed ibi sumit rationem pro quacunque formalitate, ait enim. *Potest vocari differentia rationis, non quòd ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed vt ratio accipiatur pro quidditate rei &c.* Sic etiam cum illam vocat virtualem, non quia accipiat esse actualem ab intellectu, sed propter æquinalentiam, quia cum dicat solùm plures formalitates ex natura rei distinctas, seu plures realitates, æquiualet tamen pluribus rebus distinctis realiter, vt in eodem §. explicat idem Scotus. Hæc ideò latius retuli, vt intelligatur, non rectè eos procedere, qui conantur istum Doctorem trahere in oppositam sententiam.

Qualiter distinctio ex natura rei admittenda.

SECTIO II.

Communis sent. D. Th. Henr. Aegid. Toletan. Rubio Riccar. Durand Ocham. Gabr. Alliacens. Castro. Argent. Heru. Soncin. Iauel. Soto. Suarez.

I. Communis sententia extra scholam Scotistarum negat, huiusmodi distinctionem ex natura rei, quæ sit contradistincta à distinctione inter rem, & rem, aut inter rem & modum, posse reperiri à parte rei, sed putat esse omnino fictitiam. Pro hac sententia citantur D. Th. q. 7. de Potent. ar. 6. Henr. in Sum. ar. 26. quæst. 1. ad 6. & quodlib. 5. quæst 6. in corpore Aegid. in 1. dist. 2. par. 1. quæst. 3. & dist. 8. par. 2. ar. 1. quæst. 4. ad 3. Toletan. quæst. vnica art. 3. conclus. 3. Rubio 93. art. 1. Riccar. dist. 2. ar. 1. quæst. 3. Durand. quæst. 2. num 6. Ocham. quæst. 1. littera D. Gabr. quæst. 1. Alliacens. quæst 6. art. 2. Andreas de Nouo Castro dist. 32. quæst. 1. *§. Notandum &c.* Argent. dist. 6 q. 1. art. 2. Herueus quodlib. 1. quæst. 2. *§. Modo restat tertiò* Soncin. 7. Metaph. quæst. 30 Iauel. tract. 1. de Transcend. cap. 1. Soto quæst. 3. de Vniuersali, & cap. 4. de Proprio quæst. 2. & alij, quos non est necesse nominatim referre, nã omnes ferè præter Scotistas ita sentiunt: & de hac distinctione agunt, vel cum tractant de Distinctionibus ex professo, vt Suarez in Metaphysica disp 7. sect. 1. vel cum agunt de distinctione graduum essentialium. vel vt communiter Theologi, dum quærunt, quo modo diuina attributa inter se distinguantur, & specialiter illam reijciunt Cumel. 1. par. quæst. 28. art. 2. disp. 2. Caiet. quæst. 54. art. 4. Serna in Logica disp. 1. sect. 4. ar. 2. *§. Reijcitur omnis, &c.* Nos autem dicimus, huiusmodi distinctionem ex natura rei debere quidem admitti, non quæ præcedat actum intellectus, sed tantùm fundamentaliter, ita vt accipiat esse formale ab intellectu, & consequenter esse eamdem, ac distinctionem rationis cum fundamento.

Concl. Distinctio ex natura rei admittenda, sed non ante intellectum.

II. Quod autem spectat ad primũ, quod à nobis asseritur; hanc videlicet distinctionem non reperiri formaliter ante opus intellectus probatur, quia extrema huius distinctionis ita se habent, vt vnum sit extra aliud secundùm proprium esse, imo ita se habet, vt concipi possit sine illo, ergo si à parte rei sunt distincta, se debent habere vt entitates, quod implicat, quia tunc distinctio non esset tantùm ex natura rei, sed realis. Antecedens non indiget alia probatione, sed sufficit declarare, qualia sint extrema distinctionis; sunt enim formalitates diuersæ, quæ inuicem possunt negari, & se habent absoluto modo, ita vt ad concipiendam vnam non sit necesse, aliam concipere: sic animalitas est omnino extra rationalitatem: Ratio à priori est, quia huiusmodi rationes obiectiuæ sũt inter se diuersæ, & sunt veluti partes obiecti, quod per conceptus inadæquatos intelligitur; ex quo fit, quòd non minus vna, quàm altera habeat proprium esse metaphysicum, & obiectiuum, nec vna se habeat tanquam modus alterius, sed simul cum illa sit partiale constitutiuum alicuius essentiæ. Principalis verò conseq. prob. Quia, quod est extra aliud à parte rei, est extra illud secundùm illud esse, quod natum est esse à parte rei, sed solùm esse entitatiuum physicum natum est esse à parte rei, ita vt formalitates non sint aptæ ad essendum à parte rei, nisi prout sunt in entitatibus physicis, ergo si huiusmodi formalitates essent inter se distinctæ, ita vt vna esset extra aliam à parte rei, iam deberent esse tot entitates, cum debeat vna esse extra aliam secundùm esse, quod aptum est esse à parte rei. Quod vlterius vrgeri potest, nam distinctiuum, & constitutiuum idem sunt, & res per proprium esse inter se distinguuntur; vnde distinctio consequitur esse, & distinctio, quæ est à parte rei, esse, quod est à parte rei, & modus distinctionis modum essendi, quare cum distinctio consequatur extrema, prout vnum habet esse seorsim ab alio, distinctio, quæ est à parte rei, potest tantùm consequi extrema, quæ non communicant in esse, quod est à parte rei; vnde cum solùm esse entitatiuum possit esse à parte rei; & proinde communicatio, quæ est secundùm esse, quod est à parte rei, sit secundùm esse entitatiuum, consequenter quoque non commu-

Distinctio formalitatum, si est à parte rei est entitatiue.

Quod nõ esse cõsequatur distinctio à parte rei.

nicatio, quæ est secundùm esse, quod est à parte rei, erit in esse entitatiuo: hinc distinctio à parte rei consequetur solùm extrema, quæ in esse entitatiuo non communicant.

2. ratio.

III. Hæc quidem ratio efficax est; si attentè eius vis perpendatur, quæ rursus declarari potest ex altero opposito, nempe ex identitate, quæ opponitur distinctioni: imo etiam ex cōpositione sumitur efficax argumentum. Et quod spectat ad identitatem, quæ opponitur distinctioni, quæ est à parte rei, nihil aliud dicit, quam simplicitatem, & vnitatem entitatis; ex vi enim vnitatis in entitate habetur identitas à parte rei, ita vt hac sola posita, ponatur & identitas, nec requiratur maior vnitas; nam posita maiori vnitate habetur maior identitas, nempe formalis, aut aliqua alia; & hac ablata aufertur identitas à parte rei, ergo distinctio, quæ opponitur huiusmodi idētitati, & est à parte rei, debet dicere multiplicitatem entitatum; neque enim potest à parte rei poni distinctio, nisi ponatur oppositum identitatis, quæ est à parte rei. Præterea distinctio, quæ est à parte rei, est ex genere suo apta, & sufficiens ad constituendam compositionem à parte rei, si cœtera concurrant, vt si extrema se habeant tanquā actus, & potentia, sicuti se habet ratio generica, & differentialis, quæ per Scotistas distinguuntur in re ante opus intellectus, ergo si distinctio ex natura rei est in re ante opus intellectus, huiusmodi extrema constituent compositionem à parte rei ante opus intellectus; qualis est enim distinctio, talis etiam est compositio, si ex distinctis fiat vnum. Vnde non video, quomodo Scotistæ possint saluare, quod in Deo non sit realis compositio à parte rei, dum ponunt in ipso attributa distincta inter se à parte rei, & etiam relationes ab essentia. Cœterum compositio, quæ est in rebus à parte rei nemine cogitante, dicit vnionem diuersarum entitatum; si ergo huiusmodi distinctio est in rebus, iam erit distinctio inter rem, & rem, & non ex natura rei, atque adeo entitatiua.

Distinctio à parte rei nō ponitur nisi ablata idētitate à parte rei.

3. ratio.

IV. Tertiò amplius confir. Extrema huius distinctionis, inuoluunt rationem entis, ita vt in vnaquaque sit própria ratio entis, ergo si distinguuntur ante opus intellectus actualiter, distinguuntur tanquam entitates. Antecedens certum est, quia huiusmodi formalitates verè sunt aliquid positiuum. Conseq. verò probatur. Quia si distinguerentur in re actualiter, distinguerentur tanquam entia actualia, atque adeo tanquam entitates. Quòd autem tanquam entitates distinguerentur, patet, quia ratio entis, prout à parte rei existit, contradistincta à quocunque alio, transit in entitatem, nam transit in rationem entis physicam productam. Confir. quælibet formalitas se habet tanquam aliqua forma, & formalitates, quæ sunt extrema huius distinctionis, sunt aliquid in actu positū, ergo si ante opus intellectus distinguuntur, iam à parte rei realiter distinguntur, & dantur tot formæ in composito, quot sunt formalitates. Consequentia in eo fundatur; quòd quotiescunque aliqua non communicant in esse, quod habent à parte rei, distinguuntur secundùm illud esse, quod habent à parte rei. Cum ergò esse, quod res habet à parte rei, sit esse physicum, & entitatiuum, iam entitatiuo modo distinguentur, & consequenter, reali distinctione.

Distinctio secundū rōnē entis à parte rei existēntis est entitatiua.

V. Altera autem pars nostræ sententiæ, quam initio sect. proposuimus, quòd videlicet detur distinctio ex natura rei, & sit eadem, ac distinctio rationis, quæ habet fundamentum in natura intrinseca obiecti, colligitur ex ijs, quæ diximus in explicandis fundamentis huius distinctionis, vbi ostendimus, dari quoddam fundamentum distinctionis intrinsecum naturæ obiecti, quod per conceptus inadæquatos distinguitur. Ex quo ita arguimus. Distinctio, quæ fit cum fundamento intrinseco obiecto, oritur tanquam ex radice ex natura eiusdem obiecti, nam extrema illius distinctionis habent ex intrinseca sua natura, quòd possint distingui, vt patet in animalitate, & rationalitate, ergo cum distinctio ex natura rei sit illa, quæ oritur ex natura extremorum, distinctio rationis cum tali fundamento erit distinctio ex natura rei: & hæc distinctio reperitur inter ea omnia, quæ Scotistæ ponunt distingui ex natura rei ante opus intellectus.

Altera pars cōclusionis.

Quænam distinctio rōnis sit ex natura rei.

VI. Declaratur vlterius; Posita di-

stinctione rationis cum fundamento in intrinseca natura obiecti, extrema distinctionis distinguuntur ad inuicem per proprium esse intrinsecum, & formalis ratio constitutiua ipsorum est etiam distinctiua, ergo illa extrema distinguuntur ex natura rei, quia distinguuntur ratione propriæ naturæ, & proprij esse intrinseci. Quando enim intellectus partitur obiectum in diuersas formalitates, nedum reperit motiuum in obiecto conficiendi hanc partitionem, sed ex vi etiam huius fundamenti formalitates illæ habent, ꝙ per propriū esse distinguantur. Quod confirmatur exemplo distinctionis inter entitatem, & entitatem; duæ enim entitates ideo habent ab intrinseco suo esse, quòd inuicem entitatiuo modo distinguantur, quia distinguuntur per propriam entitatem, sed etiam huiusmodi formalitates habent per esse proprium, quòd distinguantur, ergo distinctio erit ex natura rei, quatenus prouenit ab intrinseco extremorum.

Formalitates eiusdem obiecti ex natura sua distinguuntur.

Occurritur quibusdam obiectionibus.

SECTIO III.

I. PRæter fundamēta Scotistarū, quæ sect. 1. attulimus, & resoluimus, vrgēt etiā allatā doctrinā nonnullæ obiectiones, quibus oportet satisfacere. Primò ergo obijciūt nonnulli Recētiores, quòd in seipso nō habet distinctionem, optimè concipi potest vnico conceptu, cum enim in se habeat tantùm vnicum esse, optimè illud esse manifestatur per vnicum tantùm conceptum. Econtra verò, quæ non rectè possunt concipi vnico conceptu, distinguuntur à parte rei; at diuersæ formalitates, quæ ex natura sua distinguuntur, nullo pacto possunt concipi vnico conceptu, ergo distinguūtur à parte rei. Respondetur, licet verum sit, quòd stante vnico esse possit de ipso haberi vnicus cōceptus, si sit obiectum proportionatum; falsum tñ est, ꝙ ea, quæ nō rectè possunt cōcipi vnico cōceptu distinguantur in re; hoc enim potest prouenire ratione obiecti, quòd secundùm se totum non sit proportionatum, vt accidit in Deo, qui ob summam perfectionem nequit à viatoribus vnico conceptu concipi, nedum secundùm ea, quæ ponuntur distingui ex natura rei, sed neque etiam secundùm ea, quæ ponuntur non distingui ex natura rei, vt sunt actus liberi, & ideæ, atque cœtera huiusmodi. Rursus potest prouenire ex imperfectione intelligentis, qui aut defectu medij, aut defectu applicationis obiecti, non attingat totum esse illius, vt prouenit in discursu, in quo per media venamur cognitionē obiecti. Minor etiam eiusdem argumenti falsa est, quia licet illæ formalitates, quatenus distinctæ, non possint concipi vnico conceptu, quia habent esse distinctum; quatenus subsunt diuersis conceptibus; possunt tamen concipi vnico conceptu, quatenus constituunt vnicam essentiam: sic licet animalitas, & rationalitas, quatenus sunt formalitates distinctæ, requirant duos actus, vt tamen constituunt vnicam naturam humanam, possunt concipi vnico actu, nedum cognitionis intuitiuæ, sed etiam abstractiuæ. Addo etiam, illas formalitates, supposito quòd iam receperint distinctionem ab intellectu, posse concipi, vt distinctæ sunt, vnico actu, quid enim prohibet hoc fieri, cum experiamur intellectum vnico actu plura supposita realiter distincta intelligere? Imo cum sensus vnica sensatione plura obiecta percipiat, quanto minus id denegandum intellectui, cum sit potentia perfectior? quod si dicant, non se loqui de conceptu formali, sed obiectiuo, quòd videlicet quæ non possunt cōcipi vnico concep tu obiectiuo, distinguantur in re, adhuc falsum est, istas formalitates non posse concipi vnico conceptu obiectiuo, cū importet vnicam simplicem essentiam, quæ consistit in indiuisibili. Deinde assumunt, quòd ipsis esset probandum, videlicet, quæ habent distinctos conceptus obiectiuos distingui in re, & hoc ipsum est, quòd venit in quæstionem, an semper sit verum; vnde argumentum peccat petendo principium.

Primo obiectio.

Respōsio.

Nō sæpe distinguūtur, quæ nō possūt cōcipi vnico conceptu

Quomodo plures formalitates possint concipi vnico conceptu.

II. Deinde secundò etiam obijciunt. Nequit intellectus formare distinctos conceptus de eadem re finita, nisi ante opus intellectus sint in ipsa distinctæ formalitates, vel intellectus aliquid addat, ergo dum intellectus concipit in homine diuersos conceptus, vt animalitatem, & rationalitatem, debent aut istæ formalitates esse in ipso distinctæ, aut aliquid addere: sed non addit

2. obiectio

ali-

aliquid, quia quicquid concipit, spectat ad essentiale constitutiuum hominis. Ita arguunt hi Recentiores: assumptũ tamen non probant, vt autem argumentum maiorem vim habeat, sic probari posset, quoniam ad ponendam distinctionem debet dari distinctiuum; si ergo in obiecto ante opus intellectus non sunt distinctæ formalitates, debet intellectus ponere in ipso aliquod distinctiuum, per quod consurgit distinctio.

Respõsio

Nihilominus respondetur, non esse necesse ad distinctionem, quòd ante formalitates sint inter se distinctæ in obiecto, neque quòd intellectus ponat aliquod distinctiuum, sed sufficere, quòd intellectus per vim suam præcisiuam diuidat obiectum in diuersas partes secundùm esse obiectiuum.

Quomodo consurgit distinctio inter diuersas formalitates.

Sicut enim sufficit, vt partes continui, quæ vnum sunt, distinguantur, si fiat diuisio; ita etiam accidit circa obiecta: Statim enim ac intellectus ea diuidit in partes, consurgit distinctio ex natura ipsarum partium, vt supra explicatum est pro hac verò diuisione sufficit fundamentalis distinctio.

3. Obiectio.

III. Tertiò obijciunt. Valet ista propositio *Actio non est passio*. *Animalitas non est rationalitas*, ergo huiusmodi formalitates debent esse distinctæ in obiecto ante opus intellectus. Probant autem consequentiam, quia verbum *Est* denotat id, quod est, vel non est, & tribuit propositioni vim enunciatiuam, qua enunciat de rebus, prout sunt à parte rei.

Respõsio

Resp. propositionem enunciare non solùm de ijs, quæ sunt à parte rei, sed etiam de ijs, quæ sunt obiectiuè in intellectu, sic etiam plura enunciat de entibus rationis, quæ tamen habent tantùm esse obiectiuum in intellectu.

De huius propositio enunciat.

Cum ergo dicitur, Animalitas non est rationalitas; enunciatur hoc de ipsis prout habent esse obiectiuũ in intellectu, & in sensu formali, quatenus induunt rationem diuersarum formalitatum. Si enim propositio intelligeretur de ipsis, prout se habent à parte rei, falsa omnino esset: intellecta verò de esse obiectiuo vera est, quia cũ intellectus diuidat obiectum in plures formalitates, in tali statu vna formalitas non est alia.

4. obiectio

IV. Quartò etiam obijci potest supposito, quòd detur vniuersale à parte rei saltem physicum, vt nos docuimus; tunc natura communis est vna, & eadem in omnibus inferioribus: inferiora autem à parte rei non sunt vnũ, ergo natura secundùm suum esse formale distinguitur ab inferioribus, quoniam illi conuenit vnitas, & inferioribus multiplicitas præcisa quacunque operatione intellectus.

Respõsio

Sed occurrendum est; quòd quamuis natura sit vna vnitate formali; propter suam tamen latitudinem reperiri potest in pluribus entitatiuè distinctis, & cum ipsis identificari, vt fusè suo loco explicatum fuit. Hoc ergo stante, quamuis natura sit vna in multis, non sequitur, quòd debeat ab ipsis distingui ante opus intellectus.

Nãra nõ distinguitur à parte rei ab indiuiduatione licet hæc sit multiplex, & illa vna.

Ratio est, quia sicut natura habet latitudinem, ratione cuius est identificabilis cum pluribus indiuiduationibus, ita salua distinctione indiuiduali cum qua non opponitur vnitas naturæ, facit, quòd totum esse physicum vnius indiuidui sit idem formaliter, seu essentialiter cum toto esse physico alterius indiuidui, sicut indiuiduatio distinguit totum esse indiuiduali modo; neq; hoc repugnat, quia vnitas, & distinctio subordinato modo se habent, & vtraque habet suam determinatam mensuram, per quam adæquat totum esse, sed determinato modo. Vnde ex esse distincto indiuiduali, & vno essentiali ratio subordinationis fit vnum adæquatum esse secundum vnicam communicationem, & mensuram à parte rei, & ideo indiuiduatio, & natura non habent à parte rei distinctionem ex eo, quòd natura sit vna; & indiuiduatio multiplex.

V. Verùm posset quis instare; possunt stare simul vnitas realis formalis, & distinctio realis entitatiua, quia cum sint diuersi ordinis, vna non tollitur per aliam, ergo cum etiam identitas, entitatiua, & formalis distinctio ex natura rei sint diuersi ordinis; hæc non tolletur per illam. Antecedens habet locum secundùm nostra principia; nam natura est vna non obstante distinctione entitatiua. Hæc instantia diluenda est assignando disparitatem. Natura namq; dum est in pluribus indiuiduis non induit ex vi indiuiduationis diuersitatem essentialem, seu formalem, & ideo non cõstituitur sub diuersis mensuris essentiæ; sed manet sub propria.

Cur gradus formales essentiæ eiusdẽ excludãt distinctionẽ formalẽ ex natura rei.

At gradus formales, quia subordinantur inter se essentiali modo in ordine ad constituendam vnam essentiam, quæ consistat in

indi-

indiuisibili, ideo à parte rei ex vi vnitatis indiuisibilis essentiæ fiunt vnum sub vna mensura formali talis essentiæ, atque adeo ex vi talis vnitatis, quæ est secundùm esse formale excluditur à parte rei distinctio formalis: Esse enim distinctum pertinet intrinsecè ad modum essendi; & ideo quæ communicant in eodem modo essendi, communicant etiam in distinctione, vel in distinctione illius generis, in quo est modus essendi. Hinc cum formalitates identificatæ in eadem entitate communicent in eadem essentia indiuisibili, communicant etiam in eodem modo essendi in distincto ipsius, & se habent, *vt quo*; vnde non possunt existere distincto modo, alioquin non se haberent *vt quo*, sed haberẽt, *vt quod*, propriũ modũ essẽdi.

Qualis sit identitas ex natura rei.

VI. Ex dictis autẽ colligitur. Quòd etiam identitas ex natura rei erit species quædam identitatis, quę reducetur ad identitatem rationis; & in eo consistet, quòd dicat vnitatem in eo, in quo distinctio ex natura rei dicit multiplicitatem. Sicuti ergo distinctio ex natura rei dicit multiplicitatem secundùm solas rationes obiectiuas; ita identitas ex natura rei dicet vnitatem secundùm esse obiectiuum, quod sit omnino vnũ. In quo adnotãdum est discrimen, quod intercedit inter identitatem ex natura rei, & distinctionem. Distinctio enim ex natura rei supponit tantùm fundamentum in obiecto, non verò est in ipso formaliter: ècontra verò identitas est in rebus ipsis, & intellectus tantùm illam attingit, non verò facit, in quo seruat oppositionem cum distinctione. Ratio autem reddi potest ex natura identitatis, & ex natura etiam intellectus: identitas enim dicit vnitatem ipsius esse, quæ est passio cum ipso identificata: sicuti ergo intellectus non facit esse rei, ita neque facit identitatem. Præterea ideo intellectus formare potest distinctiones rationis, quia habet vim præcisiuam, qua potest vnum ab alio separare, non tamen habet vim vnitiuam, qua res distinctas possit in vnum esse vnire; & ratio est, quia intellectus non potest tollere à rebus, quæ ipsis conueniunt. Cum ergo ab intrinseco habeant distinctiuum; per quod inuicem distinguantur, non potest ab ipsis auferre distinctiuum, & reducere illas ad identitatem.

Distinctio inter identitatem ex natura rei, & distinctionem ex natura rei.

De distinctione, & identitate formali Disp. LXI.

Expenditur doctrina Scotistarum.

SECTIO I.

I. Præter explicatas identitates, & distinctiones alias etiam ponunt Scotistæ, vt supra in relatione sententiæ ipsorum disp. 48. sect. 3. visum est. quarum vna est Formalis; Distinctionem autem, & identitatem formalem ponunt, & explicant communiter Scotistæ præsertim, qui disputant supra formalitates Scoti, vt Vallon. sua quæst. supra easdem Formalit. ar. 3. Syrectus ar. 2. principali, & 3. partiali Trombeta ar. item 3. Achillinus tract. de Distinct. cap. 22. & hoc genus distinctionis, & identitatis satis familiare est apud Doctores tam Theologos, quàm Philosophos, vnde de eius existentia dubitari non potest. Solùm difficultas consistit in explicando, quænam sit huiusmodi identitas, & distinctio.

Sententia Scotistarum. *Vallon. Syrect. Trõbeta. Achillin.*

II. Scotistæ, præsertim modo citati, notant, Formalitatem dici à forma, non quæ sit forma partis, quemadmodum est anima respectu corporis, sed quæ sit forma totius: nomine autem formæ totius intelligũt abstractũ naturæ totius, vt est humanitas respectu hominis. Vocant autem formam, quia constituit concretum, & vt quo ipsum totum in tali esse formali. Hinc non intelligunt aliquam formam physicam, quæ sit aliqua entitas, sed tantùm metaphysicam, & conceptum aliquem obiectiuum. Atque hæc docrina valde deseruit pro explicanda natura distinctionis, & identitatis formalis. Rursus notant, huiusmodi formalitatem posse esse totalem, & adæquatam, vel tantùm partialem, & inadæquatam. Sic humanitas respectu hominis est totalis, & adæquata, quia dicit totum illud esse, quod vt quo constituit hominem; animalitas verò,

Quid Formalitas.

& rationalitas vnaquæque seorsim est formalitas partialis.

III. Hoc ergo prænotato asserunt Scot. ex Scoto in 1. dist. 3. quæst. 4. Ea esse idem formaliter, quorum vnum includit alterum in primo modo dicendi per per se: ait enim *Voco identitatem formalem, vbi illud, quod dicitur sic idem, includit illud, cui sic est idem in ratione sua formali, & per se primo modo*. Primum autē modum dicendi per se ita explicant, quòd tunc contingat, quando prædicatum est intra conceptum formalem subiecti, vt cum rationalitas prædicatur de homine. Ex opposito distinctionem formalem esse illam, in qua vnum non includit alterum in primo modo dicendi per se: seu quando non ita se habent, vt vnum non sit de conceptu essentiali alterius. Addūt præterea, quòd duplex est identitas Formalis, nempe *Mutua*, & *non Mutua*; Mutua est illa, quorum vnum identificatur alteri formaliter, & econtra, vt homo, & animal rationale. Nō mutua est inter illa, quorum vnum est idem formaliter alteri, quia est idem sibi ipsi eadem identitate; hoc est quando aliquid identificatur cū alio formaliter ex eo, quòd hoc habet eamdem identitatem, cum se ipso, qua illud primum cum hoc identificatur, vt contingit in superiori, & inferiori, vt animalitate, & homine: animalitas enim est idem cū homine formaliter ea idētitate, qua homo est idem sibi ipsi: non autem econtra homo est idem formaliter cum animalitate. Ex hoc autem oritur dissidium inter ipsos Scotistas, Hybernicus. Valion. Trōbeta nam aliqui vt Hybernicus, Vallonius, & alij volunt, quòd inferius sit formaliter idem cum superiori, & non econtra. Trombeta verò oppositum sentit, & vult, superiùs identificari formaliter cum inferiori, & non econtra.

Idētitas formalis nō cōsistit in eo quod prædicatum conueniat subiecto in primo modo dicendi per se. IV. Verùm in hac Scotistarum doctrina plura sunt, quæ mihi nequaquam probari possunt. Et quod spectat ad explicationem identitatis formalis, & distinctionis, non rectè procedit; nam si identitas formalis in eo consisteret, quòd prædicatum esset in primo modo dicendi per se, quatenus dicitur de eo, cum quo identificatur formaliter, sequeretur, quòd in ipsamet identitate formali esset distinctio formalis, quòd est omnino absurdum. Sequela ostenditur, quia identitas formalis per ipsos dicit inclusionem alterius in primo modo dicendi per se, ergo in ipsa identitate formali datur includens, & inclusum; includens autem, & inclusum distinguuntur saltem formaliter: Præterea vbi sunt diuersæ rationes obiectiuæ, sunt etiam diuersæ formalitates, & etiam distinctio formalis; sicuti vbi sunt diuersæ entitates, est distinctio entitatiua, sed cum vnum includit alterū in primo modo dicendi per se, sunt diuersæ rationes obiectiuæ, nempe ratio obiectiua prædicati, & ratio obiectiua subiecti. Quod etiam ex eo declaratur, quoniam homo includit in primo modo dicendi per se rationalitatem, & tamen rationalitas non est idem formaliter cum homine; siquidem homo dicit naturam humanam per modum totius; rationalitas verò dicit tantùm partem, & multò minus est idem formaliter cum animalitate, vt per se patet.

Et vrgeri potest hæc instantia. Quæ cōueniūt in primo modo dicendi per se, à parte rei sunt identificata cum eo, cui conueniunt, vt rationalitas est identificata cum homine; verùm non se habent, vt quid conueniens in primo modo dicendi per se, nisi accedat distinctio facta per intellectum, ergo cum debeat poni distinctio, vt ponatur conuenientia in primo modo dicendi per se, & distinctio ponat diuersas formalitates, malè identitas formalis explicatur per id, quòd vnum includat alterum in primo modo dicendi per se. Quare licet essētia illa, quæ coalescit ex incluso, & includente dicat vnam solam formalitatem, non tamen illam dicit, quatenus dicit rationem inclusi, & includentis, sed solùm quatenus ex vtroq; resultat quædam tertia essentia, quæ consistit in indiuisibili. Quod rursus declaratur, quia vbi est aliquid includens alterum, siue in primo modo dicendi per se, siue quocunque alio modo, adest compositio rationis secundùm diuersas rationes obiectiuas, vt vbicunque est compositio, est, & iam distinctio saltem formalis quò ad partes componentes. Accedit etiam, quòd eadem simplex formalitas, circa quam formari potest solùm propositio identica, habet identitatem formalem, & tamen non includit aliquid in primo modo dicendi per se, cum idem non includat seipsum.

Conueniētia in primo modo dicēdi per se requirit diuersas formalitates.

Al-

VI. Alterum, quod ex doctrina allata adprobari non potest, est illa identitas formalis non mutua: omnino enim imperceptibilis est. Quomodo namque fieri potest, quòd vnum identificetur cum alio, & hoc non identificetur cum ipso; siue enim superius identificetur cum inferiori, siue inferius cum superiori, implicat omnino quòd identificatio non sit mutua: quod etiam confirmatur. Identificatio dicit simplicitatem, ita vt identificatio formalis dicat simplicitatem formalem; si autem vnum identificetur cum alio, & hoc non identificetur cũ illo, non adesset simplicitas. Confir. secundò. Identificatio tollit multiplicitatem, sed si vnum identificaretur cum alio, & hoc non identificaretur cum illo, adesset multiplicitas, quod est contra naturam identificationis. Tertiò posito quod vnum distinguatur ab alio, hoc quoque distingui debet ab illo ex vi distinctiui, quod est in ipso, ergo omnino implicat identitas formalis non mutua. Consequentia declaratur, quia si esset non mutua, vnum identificaretur cum alio, & hoc distingueretur ab ipso: quomodo ergo identificaretur, si ex vi distinctiui proprij id, cum quo identificatur, distingueretur? Certè hoc non minus implicat, quàm quòd idem distinguatur, & non distinguatur ab eodem.

Implicat identitas non mutua.

VIII. Tertium quod ex eadem doctrina allata adprobari nõ potest, est corolarium, quod deducunt. Nimirum quod superius sit idem formaliter cum inferiori, vt Trombeta ait, aut quod inferius sit idem formaliter cũ superiori, vt sentiunt alij Scotistæ. Siue enim superius comparetur cum inferiori, siue inferius cum superiori, semper comparatur pars cum suo toto, aut totum cũ parte; sicuti ergo implicat, partem totius physici identificari realiter, & entitatiuè cum toto physico: ita etiam implicat, partem totius metaphysici identificari formaliter cum toto metaphysico, aut econtra totum cum parte. Præterea illa sunt idem formaliter, quorum vnum non potest concipi seorsim ab alio, & in quo nõ possunt distingui diuersæ formalitates, statim enim ac distinguuntur, habetur distinctio formalis sed siue superius cõparetur cũ inferiori siue inferius cũ superiori, habentur diuersæ formalitates, & vnũ põt concipi sine alio; superius enim potest concipi sine inferiori, vt animal sine homine, & alia est formalitas animalis, alia hominis, quomodo ergo inuicem formaliter identificabuntur? Rursus inferius includit formaliter aliquam rationem, quæ accidit superiori tanquam aliquid metaphysicum extrinsecum, & per hanc rationem formaliter constituitur in esse inferiori: quomodo ergo potest esse idem formaliter cum superiori.

Superius nõ est idẽ formaliter cum inferiori aut ecõtra.

VIII. Sed dices. Superius formaliter prædicatur de inferiori; homo enim est formaliter animal, ergo superius est idem formaliter cum inferiori: econtra verò inferius non prædicatur formaliter de superiori, ergo inferius non est idem formaliter cum superiori. Ecce ergo quomodo datur identitas formalis non mutua. Respondetur. Cum dicitur, superius prædicari formaliter de inferiori, sensum non esse, quòd superius identificetur formaliter cum inferiori, sed solùm, quòd superius secundũm suum esse formale includatur in inferiori: huiusmodi enim prædicatio fundatur in inclusione, qua esse formale prędicati includitur in subiecto; non verò fundatur in identificatione formali, quia eo ipso, quòd ponitur inclusio, tollitur identificatio formalis. quod amplius ex eo constat, quia superius non adæquatur cum inferiori, sed latius patet, quã ipsũ. Quomodo autẽ esse partiale, & latius patens potest esse idem formaliter cum totali, et minus patente.

Obiectio

Resp.

In quo fundetur prædicatio formalis per rõnis de inferiori

Vera explicatio identitatis, & distinctionis formalis.

SECTIO II.

I. IDentitas opponitur immediatè multiplicitati, & distinctioni, quã tollit tanquam oppositum suipsius: ex quo fit, quòd identitas debeat dicere vnitatem simplicitatis, quæ est omniũ maxima; Vnitas enim cõpositionis nõ tollit distinctionẽ, neq; multiplicitatem partium, vt patet in composito substãtiali ex materia, et forma, in quo partes licet vnitæ, adhuc retinent proprium esse distinctum. In hac autem vnitate identitatis possunt reperiri plu-

Identitas maxima vnitas.

res gradus; quale est enim esse rei, quæ dicit identitatem, talis est etiam vnitas identitatis. Hinc primus gradus, seu prima identitas est Realis, seu entitatiua; quia cum primum esse sit ipsum esse entitatiuum, quod est à parte rei, prima etiam identitas, quæ correspondet huic esse, est entitatiua, quæ inter omnes identitates minima est, vt potè quæ est capax alicuius distinctionis, saltem rationis. Sicuti e contra identitas rationis est omnium maxima, vt pote quia dicit talem vnitatem, quæ neque admittit minimam distinctionem, quę est secundùm rationem. Identitas verò formalis est maior identitate reali, hæc enim stat cum distinctione formali; vnde identitas formalis dicit aliquem maiorem gradum vnitatis, & simplicitatis.

Quid dicatur identitas formalis.

II. Cum ergo identitas proportionetur esse rei, identitas formalis debet dicere simplicitatem secundùm esse formale. Esse autem formale est quoddam esse abstractum ab entitate physica. Ratio autem à priori est, quia esse formale se habet veluti forma, & constitutiuum vt quo physicæ entitatis, quæ est veluti concretum ex esse formali, & materiali. Hinc esse formale erit forma metaphysica, seu metaphysicum cōstitutiuum entitatis physicæ, cuiusmodi est humanitas respectu hominis: in quo sicuti etiam in esse physico possunt considerari partes essentiales constitutiuæ: hæ autem sunt prædicata quidditatiua, seu gradus essentiæ, & formalitates, ex quibus tota integra natura coalescit; vnde esse formale nedum potest attendi secundū esse totale alicuius naturæ, sed etiam secundùm esse partiale, & consequēter etiam identitas, & distinctio formalis vtroque modo potest considerari. Cæterùm sicuti habemus esse formale respectu esse physici, quod est esse abstractum, ita etiam concedi debet esse abstractum respectu esse metaphysici; cum enim esse metaphysicum se habeat ad modum concreti, potest habere etiam proprium esse abstractvm, quod se habet *vt quo*, & vt forma cōstitutiua illius; sic animalitas est formale abstractum, & constitutiuū animalis, & tamen animal dicit solùm aliquod esse metaphysicum, & consequenter etiam

Quid esse formale.

secundùm hoc esse formale potest haberi distinctio, & identitas formalis. Constat igitur, distinctionem, & identitatem formalem posse esse multiplicem, sicut multiplicari potest esse formale.

Conclusio. Identitas formalis & distinctio quo formaliter cōsistant.

III. Dicendum igitur est. *Identitatem formalem dicere simplicitatem, & indiuisionem secundùm esse formale. Distinctionem verò econtra dicere multiplicitatem ratione formalitatum.* Atque sic explicata facillimè suadetur; distinctio enim formalis, & identitas debent seruare proportionem ad identitatem, & distinctionem vt sic, ergo sicuti distinctio, & identitas vt sic dicunt multiplicitatem, & indiuisionem secundùm esse vt sic, ita distinctio, & identitas formalis debent dicere multiplicitatem, & indiuisionem secundùm esse formale. Confirmatur Identitas realis dicit simplicitatem secundùm esse entitatiuum, & distinctio realis dicit multiplicitatem secundùm idē esse, ergo seruata proportione distinctio formalis debet dicere multiplicitatem secundùm esse formale: & identitas formalis dicet indiuisibilitatem secundùm esse formale. Rursus, sumatur aliquod esse formale, quæro de hoc, an dicat plures formalitates, an non? Si primum, ergo non dicit identitatem formalem, quia iam continet plures formalitates, in quas est diuisibile, & dicit compositionem ipsarum: & sicuti quod habet identitatem entitatiuam non potest dicere plures entitates, ita quod dicit identitatem formalem non potest dicere plures formalitates. Si secundum; hoc est, quod intendimus, nempe identitatem formalem dicere simplex esse formale. Accedit etiam, quòd quotiescunque vnum potest concipi seorsim ab alio, distinguitur ab illo, saltem formaliter, vt patet in animalitate, & rationalitate, si ergo identitas formalis non diceret indiuisibilitatem secundùm esse formale, iam non esset identitas.

Obiectio

IV. Sed contra hoc posset aliquis insurgere; Natura quælibet, ver. gr. humana dicit identitatem formalem sui esse essentialis, & tamen nō dicit indiuisibilitatem, nam est diuisibilis in suas partes metaphysicas constitutiuas, nēpe rōnalitatem, & animalitatē, ergo identitas formalis nō dicit indiui-

sibilitatem secundùm esse formale.

Responsio Huic obiectioni occurrendum est, declarando, quomodo requiratur indiuisibilitas ad identitatem formalem: *Quomodo ne cessaria indiuisibilitas pro identitate formali* solùm enim requiritur, quatenus dicit identitatem, ita vt solùm secundùm illam rationem formalem, qua dicit identitatem, necessaria sit. Cum ergo natura dicat identitatem formalem quatenus dicit illud esse completum, seu formam totius, sufficit, quòd secundùm hanc rationem sit indiuisibilis: est autem indiuisibilis sicuti & quælibet essentia; sunt enim essentiæ sicuti numeri, quæ consistunt in indiuisibili; sic si homo diuidatur in animalitatem, & rationalitatem, non erit amplius homo.

An distinctio formalis sit diuersa a distinctione rationis V. Ex hac autem explicatione concludendum est, hanc distinctionem, si sit purè formalis, fieri enim potest, quòd sit coniuncta cum reali, vt si cōparentur simul natura humana, & equina, concludendum inquam est, non esse diuersam à distinctione rationis, quæ fit cum fundamento desumpto ex intrinseca ratione obiecti. Quod facilè ostenditur; distinctio enim formalis, vt talis est, dicit tantùm multiplicitatem secundùm esse formale: sic etiam ex distinctione rationis, dum per ipsam obiectum diuiditur in diuersas partes, consurgunt diuersæ formalitates, vt patet in animalitate, & rationalitate: vnde Scotistæ vocant hanc distinctionem formalem ex natura rei. Sic etiam identitas formalis est eadem, ac identitas opposita huiusmodi distinctioni rationis, quia sicuti identitas formalis dicit simplicitatem secundùm esse formale: ita etiam identitas, quæ correspondet distinctioni rationis cum fundamento intrinseco in obiecto, dicit simplicitatem secundùm esse obiectiuum, seu secundùm aliquam formalitatem. Aduertendum tamen est, quòd cum distinctio rationis dicat identitatem realem, & partitionem eiusdem obiecti in diuersas rationes obiectiuas, sola illa distinctio formalis reducetur ad distinctionem rationis, quæ fit secundùm esse formale inadæquatum, aut secundùm esse abstractum ab esse metaphysico .....

De identitate, & distinctione essentiali. Disp. LXII.

Explicatur identitas essentialis.

SECTIO I.

I. Quod spectat ad identitatem essentialem notant communiter Scotistæ vt Syrectus supra Formalit. Scoti ar. 2. principali 5. verò partiali, Maurit. & Vallonius art. 5. *Syrect. Maurit. Vallon.* Identitatem essentialem posse sumi dupliciter: primò pro identitate, qua aliqua identificantur vni essentiæ singulari, & iuxta hanc acceptionem *Duplex acceptio identitatis essentialis.* volunt inter identitatem realem, & essentialem non esse aliquam differentiam, præter quàm in diuinis, vbi cùm tres personæ identificentur cum vna essentia singularissima, sunt idem essentialiter, & tamen inter se realiter distinguuntur. Altero modo sumitur identitas essentialis, cum aliqua dicuntur de essentia alterius; sicut rationalitas est de essentia hominis. Quibus prænotatis asserunt, ea esse idem essentialiter primo modo, quæ vni singularissimæ essentiæ identificantur. Secundo *Opinio scotistarum.* autem modo, ea esse idem essentialiter, quæ concurrunt ad constituendam vnā aliquam essentiam. Consentit Lychet. in 2. distinct. 1. quæst. 3. §. *Ad quæstionem*. Meurisse 2. Metaphys. cap. 3. quæst. 5.

II. Verùm Trombeta ar. 2. principali, & 5. partiali non admittit secun- *Trombeta* dum modum identitatis essentialis. Fundamentum ipsius est, quia esse de essentia alterius est esse idem formaliter, proinde identitas essentialis coincideret cum formali. Præterea ex primo modo identitatis essentialis, quem solùm admittit, infert duo corollaria, quorum primum est, quòd identitas essentialis est maior identitate reali, quia non tantùm dicit vnitatem in existentia, sed etiam in na-

tura, & eſſentia; realiſ enim identitas fundatur in rei exiſtentia. Alterum corollarium eſt. Ex identitate eſſentiali non valere inferre. quòd illud, quod eſt idem eſſentialiter cum altero, ſit etiam de eſſentia: licet econtra valeat inferre, quòd illud, quod eſt de eſſentia, ſit idem eſſentialiter. Ratio huius diſcriminis redditur ab ipſo, quia prima paſſio ſecundùm Scotum non eſt de eſſentia ſubiecti, & tamen eſt idem eſſentialiter cum ipſo, cum habeat eamdem naturam ſingularem cum ipſo, ſecundùm quam eſt inſeparabilis. Hunc modum explicandi identitatem eſſentialem videtur ſequi etiam Gabr. in 1. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3.

Gabr.

III. Achillin. autem Tract. de Diſtinc. cap. 24. diuerſimodè explicat, ſeu potius addit alterum modum identitatis eſſentialis; quòd videlicet ea ſint idem eſſentialiter, quæ conueniunt in vna natura eſſentiali, aut quidditate. Fonſeca verò 5. Metaph. cap. 6. quæſt. 6. ſect. 2. hanc identitatem, & diſtinctionem eſſentialem reducit ad formalem; ponit enim duplicem diſtinctionem, & identitatem formalem, alteram eſſentialem, & alteram purè formalem. Et hæc eſt tota doctrina, quam tradunt Auctores de identitate eſſentiali.

Alter modus identitatis eſſentialis ex Achillino.

Opinio Fonſecæ.

IV. Et quidem quod ſpectat ad primum modum identitatis eſſentialis, non videtur rectè explicare identitatem eſſentialem, ſed potius realem. Quòd enim aliquid identificetur cum aliqua eſſentia ſingulari, videtur ſolùm ponere identitatem realem, non verò eſſentialem, quod ex eo oſtenditur, quia identitas facit formaliter, quòd, quæ concurrunt ad identitatem, participent de eadem ratione formali identitatis; & ratio à priori eſt, quia identitas eſt intrinſeca ijs, quibus conuenit, cum ſequatur ipſorum eſſe, ergo, quæ dicuntur identitatem eſſentialem, debent participare rationem formalem identitatis eſſentialis; quod fieri non poteſt, niſi etiam eadem eſſentia ſecundùm proprium eſſe conſiſtat in ijs, quæ ingrediuntur talem identitatem; ſicuti non poteſt haberi identitas realis, niſi eorum, quæ reali er identificantur, ſit vna entitas. Nunc ergo inquiro, an quando aliqua identificantur vni eſſentiæ ſingulari, ea, quæ identificantur cum ipſa, ſint conſtitutiua eiuſdem eſſentiæ, an non. Si primum, tunc primus modus identitatis eſſentialis non eſſet diſtinctus à ſecundo; ſolùm enim primus modus vult, quòd illa ſint identificata cum eſſentia, non verò ſint conſtitutiua illius, ſed ſupponant eſſentiam conſtitutam. Si ſecundum, nullo pacto concipi poteſt, quòd dicant identitatem eſſentialem, cum eſſe eſſentiæ in ipſis non conſiſtat. quomodo enim quis concipiet, aliquid identificari realiter cum alio, ſi non ingreditur intrinſecum eſſe entitatiuum illius?

Identificatio cum eſſentia ſingulari nō ponit identitatē eſſentialem.

V. Quare maximè aduertere oportet, quòd aliud eſt identitas eſſentialis, & aliud, quòd aliqua ſint idem eſſentialiter. Identitas enim eſſentialis dicit rationem formalem identitatis: quòd aliqua ſint idem eſſentialiter, dicit tantùm, quòd aliqua participent rationem identitatis eſſentialis: proinde diuinæ perſonæ erunt idem eſſentialiter, quia participant eamdem naturam ſingularem eſſentialem, ita vt identitas eſſent alis conſiſtat in ipſa natura, quæ eſt communicata tribus perſonis: Si verò perſonalitates comparentur cum eſſentia, ſuppoſito, quòd non ſint de eius quidditate, vt ſupponit ſententia Scotiſtarum, & ferè communis Theologorum, tunc erunt tantùm idem realiter cum eſſentia, non verò eſſentialiter, quia præciſis perſonis adhuc completa, & abſoluta intelligitur eſſentia diuina. Et confir. amplius. Si intellectus ab identitate aliquid ſeparet, non remanet amplius identitas, quæ erat antea; de ratione enim identitatis eſt, vt dicat inſeparabilitatem eorum, quæ identificantur, ſecundùm rationem illam identitatis; at ſi identitas eſſentialis conſiſteret tantùm in eo, quòd aliqua identificarentur cum eſſentia ſingulari, poſſet remanere identitas facta ſeparatione ſecundùm illam ipſam identitatem, quæ manet, quod eſt omnino implicans; quis enim dicat in identitate reali fieri ſeparationem ſecundùm ipſam, & remanere totam identitatem realem? Quòd autem ſic contingeret, clarum eſt, quia identitas

Aliud eſt identitas eſſentialis & aliud aliqua eſſe idem eſſentialiter.

essentialis manet quousque manet eadem essentia; at si cõsisteret in eo, quòd aliqua cum vna essentia identificarentur, adhuc ijs præcisis remaneret eadem essentia, vt patet in diuinis suppositio, quòd relationes non sint de essentia, & quando abstrahitur natura à pluribus indiuiduis.

Quæ idē tificatur cum aliqua essentia, possunt esse alterius prædicamenti.

VI. Rursus hic modus identitatis essentialis impugnatur, quia fieri potest, quòd ea, quæ identificantur cum aliqua essentia, sint alterius prædicamenti, vt sunt primæ passiones, quæ se habent vt qualitates saltem metaphysicæ, & tamen Scotistæ volunt, esse idem essentialiter, & tamen hoc est maximum absurdum, quòd ea, quæ differunt summis generibus, sint idem essentialiter. Deinde identitas essentialis est maior, quàm realis, quia realis dicit idẽtitatem solùm secundùm entitatem, essentialis verò etiam secũdùm essentiam; quæ sicuti est aliquid magis intimum rei, ita dicit etiam intimiorem identitatem; si autem identitas essentialis consisteret in eo, quòd aliquid identificaretur cum aliqua essentia, nulla maior identitas, quàm realis ex hoc intelligi posset; non igitur saluare potest identitatem essentialem. Quod etiam confir. Identitas essentialis debet dicere vnitatem secũdùm esse essentiale, Vel ergo quę identificantur cum aliqua essentia, sunt vnum in essentia, vel non. Si primum, ergo sunt de essentia illius, & primus modus coincidet cum secundo, Si secũdùm, ergo non dicunt identitatem essentialem, quia non aderit vnitas secundùm essentiam. Denique cuiuscunque rei vna est tantùm ratio formalis, quæ consistit in indiuisibili, & per consequens etiam idẽtitas essentialis debet dicere vnicam tantùm rationem formalem: Si autem darentur duo illi modi identitatis essentialis, aut daretur duplex ratio formalis constitutiua identitatis essentialis, aut deberet dari vna ratio communis illis duobus modis, quæ se haberet vt genus ad suas species, quæ tamen assignari nõ potest.

VII. Præterea nec etiam probari possũt corollaria illa, quæ deducit Trõbeta: continent enim implicantiam inter se: in primo enim ait, quòd identitas essentialis est maior reali, & quòd dicit non solùm vnitatem in existentia, aut subsistentia, sed etiam in natura. In secundo verò docet, quòd non valet inferre ex identitate essentiali, esse de essentia subiecti, & quòd prima passio est idem essentialiter cum subiecto. Nã prima passio, & natura non dicunt vnitatem inter se in natura; cum enim prima passio sit extra naturam, vt quid consequens ad ipsam, per consequens est etiam extra vnitatem naturæ, quomodo ergo potest esse idem essentialiter cum subiecto, seu natura, si identitas essentialis dicit vnitatem in natura? Deinde si identitas essentialis dicit vnitatem in natura, quomodo non valet inferre, esse de essentia ex eo, quòd dicit identitatem essentialem? quicquid .n. ingreditur vnitatem naturæ, ingreditur etiam essentiam illius.

Concl. Identitas essentialis dicit vnitatem essentiæ.

VIII. Vt ergo habeamus veram explicationem identitatis essentialis. Dicendum est; Identitatem essentialem formaliter dicere vnitatem, & simplicitatem essentiæ. Hic modus coincidit cum secundo modo, quem ponunt Scotistæ: volunt enim, quòd identitas essentialis in eo consistat, quòd vnum sit de essentia alterius, quòd idem est, ac si dicatur, quòd vnum participet in vnitate, & simplicitate alicuius essentiæ. Nec differt à modo identitatis essentialis, quẽ ponit Achillin., quamuis enim videatur, identitatem essentialem cum multiplicitate numerica ponere; reuera tamen intelligit de vnitate essentiæ reduplicatiuè sumpta, non quatenus dicit multiplicationem in pluribus indiuiduis; si enim consideretur, prout est multiplicata in pluribus, tunc non adest identitas, sed tantùm conuenientia in eadem natura specifica. Debet ergo considerari essentia se sola præscindendo ab indiuiduatione, & hoc pacto eius simplicitas constituet identitatem essentialem. Quòd si consideretur, vt est indiuidua, tunc eius identitas non debet attendi, prout vnum indiuiduum comparatur cum alijs, sed se solo: tunc enim ratione vnius essentiæ indiuiduatæ dicet identitatem essentiæ indiuiduatam.

Identitas essentialis duplici modo accipitur.

IX. Ex quo nt, quòd identitas essentialis duplici modo considerari possit; nimirum prout consistit in natura præcisa à conditionibus indiuiduantibus, & tunc erit identitas essentialis communis, quia habebit aptitudinem ad se communicandam multis. Vel

prout

prout consistit in natura determinata, ad tale, vel tale indiuiduū, & tunc dicit identitatem essentialem singularem. Rursus aduertere oportet, quòd cum dicimus, identitatem essentialem dicere simplicitatem secundùm esse essentiale: hoc esse essentiale diuersimodè accipi potest: vel pro quacunque formalitate; vel pro aliqua integra essentia, vt est, v. g. natura humana. Non debet autem sumi primo modo, quia essentia ex propria sua significatione dicit naturam integram, formalitates verò sunt tantùm constitutiua essentiæ; Rursus essentia dicit aliquid, quod possit esse à parte rei, quòd non competit formalitatibus: rursus formalitates sūt quidem rationes essentiales, seu prædicata quidditatiua, non tamen sunt essentiæ. Solùm ergo identitas essentialis consistit in simplicitate eiusdem essentiæ, seu naturæ integræ.

Quomodo simplicitas essentiæ cōstituat identitatem essentialem.

X. Quod autem sic rectè explicetur identitas essentialis, ostendi potest ex proportione ad alias identitates. Identitas enim realis dicit simplicitatem secundùm esse reale, ergo seruata proportione identitas essentialis dicet simplicitatem secundùm essentiā. Præterea; vbi est eadem natura, ibi debet esse etiam identitas: posita autem simplicitate naturæ, & essentiæ est eadē natura, & essentia, quia vbi est simplicitas, non potest esse diuersitas, & vbi non est diuersitas naturæ, est eadem natura, ergo posita in essentia simplicitate habetur identitas essentialis formaliter. Minor nota est, nihil enim est idem sibi ipsi, nisi per identitatem; quòd si natura est eadem, ergo per idētitatem naturæ, quæ est essētialis. Hinc personæ diuinæ non alia ratione dicuntur esse idem in essentia, nisi quia illis communicatur vna simplex essentia singularis.

Obiectio.

XI. Hanc tamen doctrinam vrget quædam difficultas, quia sequeretur, si identitas essentialis diceret simplicitatem essentiæ, quòd materia, & forma essent idem essentialiter, quia constituunt eamdem simplicem essentiam, quod fieri non potest; quia, quæ sunt distinctæ realiter, non possunt esse idē essentialiter.

Solutio.

Respondetur tamen, consequentiā inconuenienter deduci, quia fit transitus à constitutiuo ad constitutum: identitas enim essentialis attenditur secundùm naturam essentialem, quæ constituitur, qua ipsa essentia dicitur eadem sibi ipsi, non verò attenditur secundùm constitutiua: cum igitur materia, & forma sint constitutiua naturæ essentialis, non sequitur, quòd materia debeat esse idem essentialiter cum forma ex vi identitatis essentialis eiusdem naturæ; sed solùm, quòd sicuti sunt cōstitutiua vnius essentiæ, ita etiam sint constitutiua vnius identitatis essentialis: Quòd si vrgeas; illud, quod est de essentia, participare in identitate essēntiali, vnde cum materia, & forma sint de essentia naturæ constitutæ, participabunt de identitate essentiali.

Occurritur instantiæ.

XII. Hæc quidem instantia nulla est in sententia ponentium, Totum essentiale, seu ipsam naturam non distingui à partibus simul sumptibus, concederent enim, materiam, & formam esse de essentia naturæ constitutæ, & participare cum ipsa in identitate essentiali; non tamen sequi, quòd sint idem essentialiter inter se, quia neutra ex ipsis participat adæquatè in identitate essentiali, sed tantùm inadæquatè. In sententia tamen ponentium totum essentiale distingui tanquā tertiā naturā à suis partibus, grauiter vrget. Nihilominus dicendum est, eo modo, quo sunt de essentia, participare etiam in identitate essentiali essentiæ. Sicuti ergo sunt de essentia tāquam causæ intrinsecæ physicæ, ita etiam solùm participant in idētitate essentiali naturæ tanquam causæ physicæ intrinsecæ. Huiusmodi autem participatio in hoc consistit, quòd natura, prout dicit suam identitatem essentialem, non possit concipi absque materia, & forma, tanquam potens sine ipsis subsistere, sed quòd concurrant ad identitatem illius, vt constitutiua physica. Ex hoc autem fit, quòd identitas essentialis naturæ, sicuti ipsa natura, prout est completa, sit extra materiam; & formam, quia constitutum ex eo, quòd resultat à constitutiuis, secundùm suum esse adæquatum est extra ipsa. Quod etiam declaratur in sententia ponentium totum distingui tantum formaliter à partibus simul sumptis: tunc enim in hac quoq; sententia totum, seu natura, vt distincta à partibus, dicit suam identitatem essentialē, & tamen est extra materiam, & formā, vt extremum contradistinctum ab ipsis:

igitur materia, & forma non communicant in essentiali identitate naturæ, vt quid formaliter intimè inclusum in ipsa, sed solùm vt constitutiua eiusdem naturæ, & identitatis. Atque hoc verum est, siuè totum essentiale ponatur vt formalitas distincta à partibus simul sumptis, siue tanquam res cum reali distinctione.

An identitas essentialis coincidat cum formali.

XIII. Ex dictis autem colligitur, hanc identitatem, & per consequens etiam distinctionem non coincidere cũ formali, quod enim non coincidat cum formali, quatenus esse formale dicit esse inadæquatum, satis constat ex supradictis. Sed neque coincidit cum identitate, quæ est secundùm esse formale abstractum ab esse metaphysico; tum quia hoc esse non dicit aliquam essentiam completam, tum quia abstractum ab esse metaphysico se habet etiam vt quædam formalitas: vnde solùm posset coincidere cum idẽtitate secundùm esse formale completum. Sed neque cum hac coincidit: discrimen autem est, quòd illud esse formale dicit formam metaphysicam constitutiuam totius, vt supra explicatum est, vt humanitas, atque adeò identitas formalis est secundùm esse abstractum formale: Essentia verò dicit ipsũ concretum essentiale, nempe ipsam naturam, vnde etiam identitas, & distinctio est secundùm naturam, & essentiam in concreto sumptam.

In quo consistat distinctio essentialis.

SECTIO II.

Primus modus dicendi Syrecti.

I. Explicata identitate essentiali, facile erit explicare, in quo consistat eius oppositum, nempe distinctio essentialis. Antequam tamen nostram explicationem proferamus, expendendi sunt aliqui modi, quibus Auctores explicant huiusmodi distinctionem. Primus ergo affertur à Syrecto art. 2. principali supra Formalit. Scoti 2. verò partiali, vbi iuxta ea, quæ dixerat de identitate essentiali, asserit, distinctionem essentialem esse illam, qua naturæ, & essentiæ realiter diuersæ distinguuntur; vel quando aliqua non concurrunt ad constitutionem intrinsecam, & quidditatiuam alicuius. Sed hic modus nõ probatur, nam dum asserit, distinctionem essentialem esse illam, qua naturæ realiter diuersæ distinguuntur, nullo modo explicat rationem formalem distinctionis essentialis, sed tantùm distinctionem realem: quid enim spectat ad essentialem distinctionem, quod essentiæ sint realiter distinctæ? Licet enim ad distinctionem essentialem consequatur distinctio realis, nihil tamen facit huiusmodi distinctio ad constitutionem essentialis distinctionis: imò sequeretur quòd duæ naturæ eiusdem speciei solo numero distinctæ distinguerentur inter se essentialiter, quod valdè absurdum, & implicans est. Quòd verò distinctio essentialis in eo consistat, quòd vnum sit extra essentiam alterius, neque rectè dictum videtur, quia licet ex eo, quòd vnum sit intra essentiam alterius vt cõstitutiuum talis essentiæ rectè inferatur esse idem essentialiter; non tamen ex opposito, quòd vnum sit extra essentiã alterius, infertur, quòd sit distinctum essentialiter. Ratio discriminis est, quia non omne, quod est extra essentiam se habet vt quædam essentia, sed potest se habere vt proprietas, vt modus, aut vt aliquid aliud. Quod autem est distinctum ab alio, se debet habere tanquam quædam essentia, si distinguatur essentialiter; hæc enim sola ex vi sui esse habet distinctiuum essentiale; cœtera verò tantùm impropriè essentialiter distinguuntur, prout videlicet essentia sumitur pro quacunque quidditate.

Reijcitur.

Secũdus modus dicendi Trõbetæ.

II. Secundus modus affertur à Trombeta ar. 1. Distinctionem videlicet essentialem in hoc differre à reali, quòd realis fundatur supra existentiam rei, essentialis verò supra naturam existentem, Sed neque hic modus plenè satisfacit: ex hac enim explicatione sequeretur, quòd inter naturas vniuersales præcisa existentia, & indiuiduatione non esset distinctio essentialis, quod tamen non debet admitti, cum vna natura vniuersalis sit diuersæ essentiæ ab alia, cur ergo non erit distincta? Sequela autem ostenditur, si enim hæc distinctio fundatur supra naturam existentẽ, cum natura vniuersalis non sit existens, neque, vt talis est, possit existere, neque etiam poterit fundare distinctionem essentialem. Præterea præcisa quacunq; existentia adhuc natura habet idẽtitatẽ essentialem, ergo præcisa quacunque existentia debet natura habere etiam

di-

distinctionem essentialem.

Concl. Distinctio essentialis dicit multiplicitatem secundũ essentiã.

III. Dicendum igitur est. Distinctionem essentialem dicere formaliter multiplicitatem secundùm essentiam. Sequitur ex dictis sect. præcedenti, dũ enim identitas essentialis dicit indiuisibilitatem secundùm essentiam, distinctio debet dicere multiplicitatem secundùm essentiam: in hoc enim consistit oppositio inter distinctionem, & identitatem, quòd distinctio dicat multiplicitatem secundùm illud, secundùm quod idẽtitas dicit simplicitatem. Hæc explicatio suaderi potest proportionaliter ad ea, quæ diximus pro confirmatione explicationis identitatis. Sicuti enim distinctio realis dicit multiplicitatem secundùm esse reale, & formalis secundùm esse formale, ita essentialis debet dicere multiplicitatem secundùm esse essentiale. Præterea de ratione distinctionis est, quod ponat vnum extremum extra aliud, & eo ipso, quòd ponit vnum extremum extra aliud, ponit multiplicitatem, ergo cum distinctio essentialis sit secundùm esse essentiale, debet ponere multiplicitatem secundùm essentiam. Atque huiusmodi explicatio facilis est, nec subiecta difficultati alicuius momenti; cum qua coincidit etiam explicatio, quam tradit

Achillin. Achillinus tract. de Distinct. cap. 24. dum docet; Ea esse distincta essentialiter, quæ sunt alterius rationis, hoc est definitionis: vnde hinc fit, quòd distinctio essentialis, sicut ponit diuersitatem in natura, ita ponat etiã in definitione, cum definitio explicet essentiã rei, & ita etiã docet

Meurisse. Meurisse 2. Metaphys. cap. 3. quæst. 5.

De identitate, & distinctione Subiectiua, & Obiectiua Disp. LXIII.

Expenditur identitas, & distinctio se totis subiectiuè.

SECTIO I.

I. Haec genera identitatum, & distinctionum fuerunt vltima, quæ disp. 48. sect. 3. in referenda sententia Scotistarum recensuimus, & hic examinanda reliquimus: ponuntur autem à solis Scotistis; ideo videndum est, an debeant admitti tanquam à cæteris identitatibus, & distinctionibus distincta. Quòd autem spectat ad eam, quam vocant *Se totis subiectiuè*, eam explicant Mauri. supra Formalit. Scoti ar. 2. principali 6. verò partiali Syrectus ibid. Trombeta item ibid., & alij Scotistæ, & Achillin. tract. de Distinct. cap. 25. Antequam autem proponant suam sententiam præmittunt nonnulla, quorum primum est; Duplicem esse realitatem subiectiuam, & obiectiuam: nomine realitatis intelligunt quãcunq. rationem entis positiuam; in quo satis impropriè loquuntur, cum realitas ex vi sui proprij significati importet tantũ tale esse, quod sit constitutiuum non cuiuscunque formalitatis, sed alicuius rei physicæ. Stante autem hac acceptione volunt, Realitatem subiectiuam esse illam, quæ ex natura rei est in supposito, vel in indiuiduo, quod existat. Realitatem verò obiectiuam esse quicquid potest esse obiectum intellectus. Secundùm, quòd aduertunt, est. Cuicunque conceptui communi correspõderc duplicem realitatem, alteram, quam dicit in seipso, quæ abstrahit ab omni existentia, & ab ijs, quæ connexa sunt cum existentia. Alteram verò, quæ dicit actualem existentiam, atq; ea, quæ connexa sunt cum existentia. Tertiò

Opinio Scotistarum. Syrect. Mauric. Trõbeta. Achillin.

aduertunt, quòd realitas obiectiua alia est contrahibilis per aliam realitatem, respectu cuius se habet potentialiter, & huiusmodi sunt omnia genera, & omnes species etiam specialissimę, quæ per alium gradum entis superadditum contrahuntur: alia verò est realitas, quę est tantùm contrahibilis per aliquos modos intrinsecos, qui non important distinctam realitatem à re, cuius sunt modi, & hoc pacto omnia transcendentia communia Deo, & creaturis contrahuntur.

Duplex modus identitatis & distinctionis se totis subiectiuè.

II. His autem prænotatis ponunt duos modos identitatis, & distinctionis *Se totis subiectiuè*; quorum primus est, quòd ea sint idem *Se totis subiectiuè*, quæ conueniunt quidditatiuè in aliqua realitate contrahibili per aliquam realitatem differentiæ: & econtra ea esse distincta *Se totis subiectiuè*, quæ in nulla realitate contrahibili per aliam realitatem quidditatiuè conueniunt. Alter modus est, quòd ea dicuntur idem *Se totis subiectiuè*, quorum realitates possunt esse in eadem re, vel per identitatem, vel per modum informantis, aut informabilis. Econtra verò ea distinguuntur *Se totis subiectiuè* hoc secundo modo, quorum realitates non possunt esse simul in eadem re aliquo ex his modis. Ex quibus colligitur, quòd ratio formalis huiusmodi identitatis consistit in vnitate alicuius, quod se habeat subiectiuo modo; sicuti ratio formalis huius distinctionis consistit in multiplicitate rationis subiectiuæ, quæ se habeat subiectiuo modo. Addunt tamen Scotistæ, quòd hic secundus modus identitatis, & distinctionis se totis subiectiuè potest esse, nedum secundùm esse subiectiuum indiuiduale, sed etiam secundùm esse subiectiuum suppositale, si nimirum subiectum sit aliquod suppositum. Addit insuper Achillin. hanc distinctionem quò ad secundùm modum differre à reali, quia ad realem sufficit tantùm separabilitas extremorum: ad hanc verò requiritur insuper actualis separatio. Hanc autem doctrinam applicant pro explicanda distinctione, & identitate se totis subiectiuè secundùm particulares casus, vnde deducunt aliqua corollaria, vt quòd omnia, quæ sunt in vno indiuiduo, sint idem se totis subiectiuè, quoniam communicant in vna aliqua ratione subiecti, & alia huius[...] quæ ad præsens negocium non faciunt.

III. Verùm vt nostram sententiam proferamus, nullo pacto mihi videtur debere admitti huiusmodi genus distinctionis: & contra ipsum facit, quòd stante allata doctrina, eadem differrent se totis subiectiuè, & non differrent, atque adeo contradictoria de eodem verificarentur. Si enim duo indiuidua eiusdem speciei inuicem comparentur, differrent se totis subiectiuè, quia non sunt in eodem subiecto neque per identificationem, neque per informationem: rursus essent idem subiectiuè, quia conueniunt quidditatiuè in aliqua realitate contrahibili per aliam realitatem: vnde quatenus indiuidua quædam sunt secundùm ipsam rationem indiuidui differrent, & essent idem eodem genere distinctionis & identitatis, quod est maximè absurdum. Neque soluit difficultatem, si dicatur, differre, & esse idem, prout ad diuersa comparantur, atque adeo non habere locum contradictionem, quoniam quæ semel aliqua identitate identificantur, non possunt amplius opposita distinctione distingui: sic quæ semel realiter identificantur, non possunt amplius realiter distingui permanente identitate reali: & quæ sunt idem formaliter, non pôssunt simul formaliter distingui. Et ratio à priori est, quia, dum res semper habet idem esse, retinet etiam semper idem distinctiuum, aut identificatiuum, quia ratio identificatiua, & distinctiua ita est intrinseca rei, vt pertineat ad esse ipsius; vnde permanente esse rei eodem, implicat, quòd non habeat semper eamdem distinctionem, vel identitatem. Si ergo aliqua semel sunt idem se totis subiectiuè, non possunt amplius quocunque modo distinctione opposita distingui.

Non debet admitti identitas, & distinctio se totis subiectiuè.

IV. Rursus tota hæc idẽtitas, & distinctio cõsistit in idẽtitate, & distinctione alicuius rõnis subiectiuę, aut ipsius subiecti, ergo non debet poni genus distinctũ à cæteris. Cõsequẽtia hæc ostẽditur, quia si hęc rõ subiectiua dicit tãtũ aliquã rõnẽ subiecti metaphysicã, & quę sit obiectiuè in intellectu, iam hæc idẽtitas, & distinctio erit formalis. Si verò dicat.

Identitas, & distinctio se totis subiectiue nõ cõsistit in diuerso genere à cæteris.

dicat ipsum subiectum, physicum, siue indiuiduum, siue suppositum huiusmodi distinctio, & identitas erit secundùm esse, quod est à parte rei, & consequenter erit distinctio, & identitas realis, seu entitatiua, vnde nullo pacto debent multiplicari tot genera identitatum, & distinctionum. Quòd si dicas, esse quidem realem, aut formalem, adhuc tamen dicere rationem subiecti, secundùm quam habetur identitas, aut distinctio, hæc responsio nedum euacuat difficultatem, sed magis auget, nam si ex eo, quòd dicit intra distinctionem, & identitatem siue realem, siue obiectiuam rationem subiecti, debet multiplicari noua species identitatis, & distinctionis, sequitur, quòd quot sunt rationes formales, quæ excogitari possunt intra distinctionem, & identitatem siue formalem, siue realem, tot etiã debeant multiplicari species identitatũ, & distinctionum, vnde deberent poni innumeræ species.

Esse in eodem subiecto nõ ponit aliquã identitatem.

V. Præterea, quòd aliqua sint in eodem subiecto per informationem, nullum ponit identitatem in ipsis, sed adhuc realiter distinguuntur: sic albedo, & sapor in lacte adhuc inter se realiter distinguuntur, sed solùm dicit identitatem subiecti, qua est idem sibi ipsi, & est identitas realis: non ergo rectè ponitur alia species identitatis. Confirmatur, quæ sunt in eodem subiecto inter se distincta, non minus distinguuntur, quàm si essent in diuersis subiectis realiter distinctis, quia tunc distinguerentur realiter, quæ est maior distinctio, quæ possit esse à parte rei, & si sint etiam in diuersis subiectis realiter distinctis, adhuc realiter solùm distinguuntur, & tamen retinent idem esse, ergo frustra dicuntur esse idem subiectiuè, quando sunt in eodem subiecto. Si verò loquamur de identitate subiectiua per identificationem, hæc nulla est, quia identificatio dicit identitatem realem: Et est eadem ratio proportione seruata, ac de identitate subiectiua per informationem, quia ratio quoque subiectiua metaphysica habetur solùm supposita distinctione rationis facta per intellectum, quia ratio subiectiua distinguitur à cœteris rationibus, quæ sunt in tali entitate: supposita autem huiusmodi distinctione, sicuti ratio subiectiua est separata à cœteris, ita cœteræ rationes non possunt esse idem cum ipsa, vnde nec recipere possunt aliquam identitatem ratione huiusmodi idẽtitatis subiectiuę.

Neq. ratione cõcreti ex subiecto, & ijs, quæ in ipso sunt, admittẽda identitas se totis subiectiuè.

VI. Si verò alio modo explicent identitatem, & distinctionem, quòd videlicet identitas, & distinctio non cadat supra ea, quæ sunt in eodem subiecto, vel per identificationem, vel per informationem, sed supra concretum, quod est ex ratione subiectiua, & ijs, quæ in ipso sunt, vel per informationem, vel per identificationem, neque euadunt difficultatem. Illud .n. concretum habet tantùm identitatem rõne subiecti, quę, si subiectũ sit physicũ, nullo pacto redundat in ea, quæ sunt in ipso, & tantùm rõne illius constituitur vnum concretum, quod est vnum non per identitatem, sed quia, quæ sunt in subiecto, vniuntur cum ipso: & ex parte subiecti est identitas realis, nec est necesse fingere aliud genus identitatis, & omnes rationes hucusque adductæ æqualiter militant. Si verò subiectum sit ratio metaphysica contrahibilis, cùm non habeatur, nisi posita distinctione rationis, neque etiam potest haberi identitas secundùm aliquam rationem concreti, quia per distinctionem rationis separantur à ratione subiectiua ea, quę in ipsa identificantur, vt cum separatur rationalitas ab animalitate. Rursus in tantum erit identitas se totis subiectiuè, in quantum erit conuenientia quidditatiua in eadem ratione, seu vt dicunt ipsi, in eadem realitate contrahibili: at quis non videt, hanc esse identitatem essentialem, si natura, secundum conuenientiam, quę adest, sit completa, vt cum duo indiuidua conueniunt in eadẽ natura? Si verò nõ sit cõpleta, esse cõueniẽtiã formalẽ, quatenus conueniunt in vna ratione quidditatiua, quæ se habet, vt formalitas quędã obiectiua?

An identitas, & distinctio se totis obiectiuè admittenda.

SECTIO II.

Sententia Scotistarum affirmatiua.

I. HAnc etiam identitatem, & distinctionem ponunt soli Scotistæ, quam in præsenti sectione examinare oportet. Suppositis igitur ijs, quæ pro identitate, & distinctione

se totis subiectiuè præmiserunt, asserūt Identitatem *Se totis obiectiuè* in ijs esse, de quibus potest prędicari aliquod prædicatum quidditatiuū, siue sit prædicamentale, siue transcendens, siue dicat aliquam realitatem potentialem contrahibilem per aliam realitatem, siuè quemlibet alium conceptum realem. Econtra verò illa distingui *Se totis obiectiuè*, de quibus non potest aliquod huiusmodi prædicatum prædicari.

Corolla- rij eiusdem opinionis.

II. Atque ex hac doctrina inferunt nonnulla corollaria. Primum est, quod Deus, & creatura, & omnia decem prædicamenta sunt idem se totis obiectiuè, quia omnibus istis correspondet conceptus communis entis, qui de ipsis omnibus prædicatur quidditatiuè. Alterum corollarium est, quòd passiones entis inter se, & ab ente distinguuntur se totis obiectiuè, quia nihil de ipsis cōmune prædicatur quidditatiuè, quia cum non prædicetur ens, multò minus potest prædicari aliqua alia ratio. Tertium est, quòd vltimæ quoq; differentiæ distinguuntur se totis obiectiuè, quia cum sint inter se primò diuersæ, non habent aliquam rationem communem, quæ de ipsis prædicetur quidditatiuè. Has autem vltimas differentias constituunt in duplici genere; alias .n. vocant vltimas vltimitatæ specificationis, cuiusmodi sunt differentiæ specierum specialissimarum: alias verò vocant vltimas vltimitatæ determinationis, & sunt differentiæ indiuiduales, quæ determinant naturam speciei specialissimæ. Et hæc est tota doctrina Scotistarum, quæ ad propositum facit pro hoc genere identitatis, & distinctionis, quam tradunt Maurit. art. 2. principali supra Formalit. Scoti 7. vero partiali. Vallon. Syrectus, & Trombeta ibid.

Maurit. Vallon. Syrect. Trombeta

III. Hæc tamen doctrina mihi non probatur, & nō solū absq. vlla necessitate huiusmodi distinctio, & identitas introducitur, sed neq; etiam aliquo pacto admitti pōt. Et quòd spectat ad distinctionē; admittitur ex falso fundamento, quòd possint dari aliquæ rationes, quæ neq; in ratione entis conueniant: at quis nō videat, hoc esse maximū absurdū? cū .n. ratio entis sit quid transcendens, imbibitur intrinsecè, & essentialiter in quocunq; ratione inferiori, quæ quocūq; modo sit realis. Prætetea vel istæ rationes, quæ non conueniunt in ratione entis, sunt quid reale, vel non: non secundū, quia essent purū nihil, neq; haberent esse, per quod inter se distinguerētur. Si ergo primū, quomodo nō participant intrinsecè rationem entis, cum nō possit haberi aliquid reale sine ente? idē .n. est esse reale, & esse ens. Rursus istæ rationes sunt intelligibiles, ergo participant rationem veri, & consequenter rationem entis, quia vbi est passio, ibi ēt radix passionis. Quod autē participēt rationem veri patet, quia debent participare rationem formalem obiecti intelligibilis, quod est verum, vt verum. Quòd si non datur distinctio, neq; etiam potest dari identitas; distinctio enim ex genere suo tollit identitatē: vnde talis distinctio debet opponi tali identitati, & cum omnis identitas sit amouibilis per oppositam distinctionem; dum non potest dari distinctio *se totis obiectiuè*, nec etiam dari poterit identitas *se totis obiectiuè*.

Non datur distinctio se totis obiectiue, nec identitas.

IV. Secundò insto cōtra eādē doctrinā inquirēdo, quidnā intelligāt per ly *se totis* vel .n. intelligunt, ꝙ ea, de quibus dicitur idē quidditatiuū prædicatū, sint idē sm̄ totū suū esse; & hoc non pōt intelligi, quia quæ conueniunt in vna aliqua ratione quidditatiua, nō sūt idē secūdū se tota. Vel quòd prout quædā tota sunt, sint idē secundū aliquod esse obiectiuū: & neq; hoc pōt dici, quia ꝙ habeāt aliquam rationem communem, non facit, quòd sit idem, in ratione totius, & solùm ponit conuenientiam, & aliquam identitatem, vel formalem, vel essentialem. Vel denique intelligunt, quòd sint idem secundùm aliquod totum potentiale; & neq; hoc potest dici, tum quia cum aliqua dicuntur idem se totis obiectiuè, ly *se totis* cadit supra extrema, quæ sunt idem: tum quia includunt etiam prædicata transcendentia, quæ non possunt se habere vt tota potentialia.

Idētitas se totis obiectiuè in non admittenda.

V. Tertiò impugnatur hæc doctrina, quia tota identitas, qua aliqua dicuntur esse idē se totis obiectiuè cōsistit in vnitate, seu cōueniētia vnius rationis quidditatiuæ, ergo hæc distinctio, & identitas non est distincta à formali; quia ēt formalis dicit vnitatem vnius rationis formalis: quod .n. hæc ratio, quæ quidditatiuè de pluribus prædicatur, se habeat obiectiuè respectu intellectus, non

variat identitatem, & distinctionem: imo etiam ratio formalis, qua constituitur identitas formalis, se habet obiectiuè, & quælibet alia ratio, per quam constituitur quæuis alia identitas, obiectiuo modo se habere potest, Præterea huiusmodi distinctio, & identitas coincideret etiā cum distinctione, & identitate *se totis subiectiuè*, quæ secundùm primum modum, quem ponunt Scotistæ, vt sect. præcedenti vidimus, dicit quamdam rationem communem, quæ de pluribus prædicatur, sicuti etiā dicit identitas *se totis obiectiuè*: ratio enim illa, quæ se habet vt contrahibilis per aliam realitatem, dicitur de ijs, quæ in ipsa sunt.

Corolla... a Scoti... a ū fal...

VI. Constat ergo ex hucusque dictis, hoc genus distinctionis, & identitatis nullo modo debere admitti: sed non minus reijcienda sunt corollaria, quæ inde deducunt, vt pote etiam in se falsa. Nam quòd spectat ad secundum, & tertium, nititur illi principio, quòd ens non prædicatur quidditatiuè de suis passionibus, & de vltimis differentijs, quod iam falsum esse, ostendimus in priori tomo: & etiam falsitatem ipsius modo tetigimus in hac sectione num. 3. Primum quoque corollarium non debet admitti propter summam distantiam, quæ est inter Deum, & creaturas; non enim ens dicitur vniuocè de Deo, & creaturis, cum ens, quod dicitur de Deo, sit tale per essentiam, ens verò, quod dicitur de creaturis, secundùm suam communissimam rationem sit tale per participationem, ita vt nulla ratio entis abstrahi possit à creaturis, quæ non inuoluat esse participatum. Deinde cum identitas dicat maximam vnitatē, absurdum est, ponere huiusmodi identitatem inter Deum, & creaturas, quia identitas non solùm dicit æqualitatem, sed aliquid amplius: quis autem non videt, secundùm nullam rationem poni posse æqualitatem inter Deum, & creaturas?

An inter Deū, & creaturas sit idētitas in rōne entis.

De inuestigatione identitatum, & distinctionum.

Disp. LXIV.

Primus modus inuestigandi identitatem, & distinctionem.

SECTIO I.

I. Explicata natura, & numero idētitatum, & distinctionum secūdùm genera, & species, accedendum est ad tradendum modum, quo huiusmodi identitates, & distinctiones inuestigari possunt. Plurimum .n. interest habere certam regulam, qua sine errore applicari possint rebus ipsis, prout occasio tulerit: nosse enim distinctiones, & nō cognoscere, quando sint in rebus, nihil confert ad scientiam acquirendā. Hoc autem totum in hac disputatione explicabimus, & præcipuè incumbemus ad inuestigāda signa distinctionis realis, de quibus præcipuè dubitatur. Primus ergo modus inuestigandi identitates, & distinctiones attendi potest penes connexionem, quam vna distinctio, aut idētitas habet cum alia, tum .n. cognita vna distinctione, aut identitate, poterit ex ipsa alia inferri. Vt autem hunc modum adhibere possimus, explicare debemus connexionem inter identitates, & distinctiones, quas attulimus, & sunt Distinctio inter rē, & rē, cui correspondet identitas realis; Distinctio inter rē, & modū, cui correspōdet idētitas quidē realis, qua tñ aliquis modus idētificatur cū re, cuius est modus, quēadmodū sūt

Primus modus inuestigādi distinctionem

modi intrinseci; Distinctio, & identitas essentialis. Distinctio rationis cum fundamento, cum qua coincidit distinctio formalis, & ex natura rei, cui correspondet identitas secundùm esse formale; Et Distinctio rationis per actum collatiuum, qua idem distinguitur à seipso; cui etiam correspondet propria identitas, nempe secundùm rationem.

Idẽtitas secundũ rõnẽ omniũ maxima. Maurit. Syrectus Tromb. Vallon. Quasidẽtitates inferat.

II. Prima ergo, & omnium maxima identitas est secundùm rationem, quia hæc nullam admittit distinctionem. Ita etiam docent communiter Scotistæ Maurit. Syrectus, Trombeta, Vallonius art. 3. principali supra formalitates Scoti part. 2. Addunt etiam, hanc identitatem omnes alias inferre. Verùm non ita absolutè hæc doctrina accipienda, sed procedendum est cum aliqua distinctione. Identitas ergo rationis semper, & vniuersaliter infert identitatem formalem, atque adeo etiam identitatem ex natura rei. Ratio est, quia identitas rationis est identitas, & simplicitas secundùm aliquod forsse obiectiuum; hoc autem esse obiectiuum, quatenus dicit aliquod esse simplex, et indiuisibile, dicit etiam identitatem secundùm esse formale, quia non potest haberi esse obiectiuum, nisi inuoluat aliquod esse formale; quia etiam si hoc esse obiectiuum sit aliqua entitas, adhuc ista entitas inuoluit aliquod esse formale. Si verò loquamur de identitate reali, non semper hæc infertur ab identitate secundum rationem, sed tantum secundùm subiectam materiam, si videlicet id, quod dicit identitatem secundùm rationem, sit aliqua entitas; si verò sit formalitas aliqua, non inferetur, quia tunc, quod habet identitatem secundùm rationem, non habet entitatem aliquam, per quam habeat identitatem realem; sola enim entitas physica fundat huiusmodi identitatem. Aduertendum tamen est, quòd cum dicitur, identitatem secundùm rationem non inferre identitatem realem, debet intelligi, quod non semper habet annexam huiusmodi identitatem, si consideretur illud esse, in quo fundatur identitas rationis, quatenus obiectiuè existit in intellectu; quia si consideretur, prout est extra intellectum, tunc cum non possit reperiri, nisi in aliqua entitate physica actuali, vel possibili, per consequens debet habere annexas alias rationes, cum quibus realiter identificatur, & ideò tunc inferet identitatem realem.

Idẽtitas formalis infert realẽ nõ autẽ rõnis opposita distinctionis rõnis sine fundamẽto

III. Et idem dicendum est etiam de identitate formali respectu realis, quæ infertur ab ipsa eo modo, quo infertur ab identitate rationis. Identitas enim rationis non infert identitatem realem, nisi mediante formali. Si verò identitas formalis, seu rationis, quæ opponitur distinctioni rationis, quæ fit cum fundamento, comparetur ad identitatem rationis, quæ opponitur distinctioni rationis, quæ fit sine fundamento, hæc non infertur ab illa: distinctio enim rationis sine fundamento stat cum identitate formali, quia cum per ipsam idem distinguatur à seipso, potest etiam idem formale distingui à seipso, vt cum dicitur rationalitas est rationalitas; tunc autem habetur idẽtitas formalis cum distinctione rationis sine fundamento. Has igitur identitates infert identitas rationis, & formalis.

Idẽtitas realis nullã aliam per se infert.

IV. Quod autem spectat ad identitatem realem, quia hæc est omnium minima, non infert ex se aliquam aliam identitatem; Non essentialem propriè dictam, quia licet inferat aliquam connexionem plurium rationum in eadem entitate, non tamen istæ rationes constituunt necessariò aliquam essentiam completam, vt patet in materia, & forma, quarum vnaquæque dicit identitatem realem, non verò essentialem, nisi essentia sumatur pro quacunque quidditate. Verùm tamen est, quòd aliquando infert, vt quando entitas ipsa est sufficiens pro constituenda aliqua essentia completa, vt contingit in substantijs simplicibus. Neque infert identitatem formalem, quia in eadem entitate possunt distingui plures formalitates, atque adeo neq, infert identitatem rationis quocunque modo accipiatur. Nullam ergo vniuersaliter loquendo aliam identitatem infert.

Idẽtitas essẽtialis nullã aliã per se infert.

V. Identitas autem essentialis, & si aliquando inferat identitatem realem, quando videlicet ipsa à reali infertur, id tamen non habet à seipsa, sed est per accidens ex eo, quòd talis essentia habeat annexam simplicitatem entitatis: potest enim de se esse cum distinctione entitatis, vt patet in

na-

atura, seu essentia, quæ consurgit ex materia, & forma. Sed neque infert identitatem rationis, aut secundùm esse formale obiectiuum, quippe in eadem essentia reperiuntur plures rationes obiectiuæ. Identitas verò modalis, qua modus identificatur cum re, cuius est modus, infert nedum identitatem realem entitatiuam, sed etiam essentialem, quatenus essentia sumitur pro qualibet physica quidditate. Ratio autem est, quia modus non identificatur cum re, cuius est modus, nisi sit modus intrinsecus; si autem est modus intrinsecus, est de quidditate rei, cuius est modus, & ideo infert vnam quidditatem; & realitatem physicam. Non infert tamen identitatem secundùm rationem, aut formalem, quia modus intrinsecus potest ratione distingui ab essentia. Et hæc quò ad identitates, quæ intelligi debent in rebus creatis: nam de Deo hic non loquimur: sicuti etiam solùm de creatis intelligi debent, quæ mox dicturi sumus, quò ad distinctiones. Ab hac autem doctrina variant nonnihil Scotistę, sed propter diuersitatem doctrinæ, quam tradunt, dum explicant distinctiones, & identitates. Ipsorum tamen doctrinam non retulimus, cum non sit opere pretium in ipsa immorari, est enim parui momenti.

VI. In quantum autem attinet ad distinctiones, quomodo videlicet vna inferatur ex alia, ita procedendum est, vt à facilioribus incipiamus; Distinctionem videlicet rationis, per actum collatiuum nullam aliam inferre: cù enim sit omnium minima, non potest trahere secum aliquam aliam distinctionem; hæc enim supponit omnimodam identitatem, & formalem, & secundùm esse obiectiuum, quia idem esse reale est in vtroque extremo. Distinctio autem rationis cum fundamento infert distinctionem sine fundamento, seu per actū collatiuum; hoc tamen pacto, quòd vbicunque potest esse distinctio rationis cum fundamento, potest à fortiori esse etiam sine fundamento, & idem dicendum de distinctione ex natura rei; & formali, cum hæ sint idem cum distinctione rationis, quæ fit cum fundamento intrinseco obiecto. Huiusmodi autem distinctio nullam aliam infert, quia post distinctionem sine fundamento hæc est omnium minima, & stat cum identitate tum essentiali, tum reali, tum modali; vnde non licet ex ipsa inferre distinctionem realem, aut modalem, aut essentialem.

VII. Distinctio autem essentialis infert ex genere suo distinctionem rationis cum fundamento, seu formalem puram, quod ita intelligi debet, quòd distinctio essentialis inuoluat in seipsa etiam formalem, quia essentia inuoluit etiam esse formale, ratione cuius, quæ essentialiter distinguuntur, distinguuntur etiam formaliter; Non tamen infert distinctiònem rationis sine fundamento propriè loquendo; licet enim, quæ essentialiter distinguuntur, possint habere illos respectus rationis, quos habent extrema distinctionis per actū collatiuum: non tamen propriè ex vi illorum respectuum constituitur distinctio rationis sine fundamento, quia per hanc propriè debet idem comparari cum seipso, quod non contingit si extrema distinctionis essentialis comparentur inter se. Rursus distinctio essentialis infert realem, quæ enim in essentia non communicant, neq; communicant in entitate. Sicuti enim implicat, quòd vna essentia communicet cum alia, ita etiam implicat, quòd communicet in entitate; quæ enim in entitate communicant, habent omnes rationes formales inter se subordinatas, & ideo constituunt vnam essentiam. Hoc tamen intelligi debet de distinctione essentiali, quatenus dicit extrema, quæ sint completæ essentiæ, ita vt habeant sufficiens esse ad essendum à parte rei. Atque hoc extenditur etiam ad illas essentias, quæ non important quidem naturas completas, important tamen sufficiens esse; quod possit se solo produci. Quòd si distinctio essentialis sit inter extrema, quæ abstrahant à materia signata, vt sunt naturæ in communi consideratæ; tunc ratione subiectæ materiæ non infert distinctionem realem entitatiuam physicam, quia non dicunt entitatem physicam, sed tantùm realem essentialem, quatenus essentiæ illæ sunt quædam res. Quas distinctiones infert essentialis

VIII. Ex distinctionibus autem, quæ sunt à parte rei. Si loquamur de Modali, hæc nullam aliam infert præter formalem, seu rationis cum funda-

men-

Quae distinctiones inferat modalis.

mento intrinseco. Ratio est, quia modus dicit suum esse formale, quo distinguitur à re, cuius est modus, vnde innoluit etiam illam rationem distinctiuam, qua distinguuntur ea secundùm rationem, quæ habent fundamentum in intrinseca natura obiecti: non verò infert distinctionem rationis sine fundamento ob eamdem rationem, per quam illam non infert distinctio essentialis. Rursus neque infert distinctionem essentialem, quia modus non dicit aliquam essentiam: vt autem aliqua essentialiter distinguantur, requiritur, quòd vnumque extremum sit quædam essentia. Sed neque infert realem entitatiuam, quia hæc est tantùm inter rem, & rem; modus verò non est res, neque habet esse ita contradistinctum à subiecto, vt in ipso subsistere possit.

Distinctiones quas infert realis inter rem & rem.

IX. Altera autem distinctio, quæ est à parte rei, nempe inter rem, & rem infert quidem aliquas alias distinctiones, non tamen omnes. Infert formalem, seu rationis cum fundamento, quia diuersæ entitates habent etiam diuersas rationes obiectiuas saltem indiuiduales, quæ cum sufficientes sint ad constituendas diuersas rationes indiuiduationis, ita etiam sufficiunt ad constituenda diuersa extrema secundùm esse obiectiuum. Rursus aliquando infert distinctionem essentialem; verùm non ex natura sua, sed solùm per accidens, quando contingit, aliquam essentiam exigere simplicitatem entitatis, atque entitates, quæ sunt extrema huius distinctionis, non sunt indiuidua eiusdem speciei infimæ. Si verò essentia sumatur, pro quacunq; quiditate, illam semper infert, quoties extrema non sunt eiusdem speciei infimæ: quia si sint eiusdem speciei infimæ, non interuenit inter ipsa distinctio essentialis, Non autem infert distinctionem rationis sine fundamento ob rationem, quam attulimus de distinctione essentiali. Sed neque infert distinctionem modalem, quia distinctio modalis dicit ex genere suo, quòd alterum extremorum sit modus, nec habeat propriam entitatem, cuius oppositum debent dicere extrema distinctionis inter rem, & rem, vnde cum adsit ratio opposita in extremis, non potest illam distinctionem inferre: in feret tamen maiorem, quæ æquiualens erit etiam modali.

An maior distinctio inferat minorem & an minor ferat maiorem.

X. Ab hac quoque doctrina discrepant in nonnullis Scotistæ; sed non fuit necesse ipsorum sententiam referre, quia non habet fundamentum, quod sit alicuius momenti. Interim colligitur, falsam esse illam regulam, quod distinctio maior inferat omnes alias minores, vt distinctio inter rem, & rē omnes alias; & quòd minor non inferat maiorem, nam essentialis infert realem. Solùm ergo hæc regula habet locum in distinctionibus subordinatis, seu quæ sunt inter gradus essentiæ subordinatos, vnde generica infert specificam, & indiuidualem; indiuidualis autem non infert specificam, nec specifica genericam. & proportionaliter de identitate philosophandum est. Vnde Arist. 5. Metaph. tex. 12. habet. *Semper autem posteriora sequuntur praecedentia, vt puta quacunque numero, specie quoque vnum sunt; quacunque verò specie non etiam numero, sed genere cuncta vnum sunt, quacunque etiam specie: quacunque autem genere, non omnia specie, sed secundum analogiam; quacunque verò analogia vnum, non omnia genere.* Quamobrem distinctio generica infert specificam, & indiuidualem, quia quæ differunt genere, non possunt conuenire in vnam essentiam, & multò minus in vnum indiuiduum: econtra verò quæ differunt numero, non differunt necessariò specie, & quæ specie, non differunt necessariò genere, vt per se patet. Hinc autem identitas numerica infert omnes alias superiores, quia indiuiduum dicit vnam, atque eamdem essentiam; non autem generica infert alias inferiores, quia sub eodem genere sunt diuersæ species & sub eadem specie plura indiuidua. Arist.

Quædam signa distinctionis inter rem, & rem.

SECTIO II.

I. Vidimus sect. præcedenti, quando vna distinctio possit deduci ex alia, nunc alia peculiaria signa cuiusconque distinctionis inuestiganda sunt. Incipiemus autem à signis distinctionis, quæ est inter rem, & rem, cum ipsa sit præcipua distinctio. Certum est autem, ea distingui realiter, quæ di-

cunt

cunt entitatem distinctam, ita vt extrema sint duæ entitates: nunc autem quærimus, vndenam inuestigari possit, quòd ea, quæ distinguuntur sint duæ res. Primum autem signum est diuersitas suppositorum, statim enim ac habemus diuersa supposita, habemus etiam distinctionem realem. Hāc regulam tradit etiam Scot. in 2. dist. 1. quæst. 4. Meurisse 2. Metaph. cap. 3. quæst. 2. Fonseca 5. Metaph. cap. 6 quæst. 6. sect. 1. ponit tamen alios duos modos distinctionis, quæ oritur ratione diuersitatis suppositorum, sed hi duo modi reducuntur ad separabilitatem, de qua infra. Hæc autem regula fundatur in incōmunicabilitate; suppositum enim dicit esse physicum per se subsistens, & incommunicabile alteri supposito: si ergo duo supposita se habent incommunicabiliter, neque coire possunt in vnam entitatem, sed necessario entitatiuè distinguuntur. Hæc tamen regula non dicitur conuertibiliter, quia licet vbicunque sunt diuersa supposita, sit distinctio realis, non tamen econtra vbicunque est distinctio realis, est etiam distinctio suppositorum; patet in accidentibus; plura enim accidentia in eodem supposito sunt realiter distincta. Nonnulli tamen Recentiores, vt eam defendant tanquam vniuersalem, sumunt in propriè suppositum pro eo videlicet, quod potest per se existere quocunque modo siue naturaliter, siue per Dei potentiam. Sed tunc amplius hæc regula non desumitur ex distinctione suppositorum, sed fundaretur in separabilitate extremorum, & existentia per se seorsim ab alio, quæ fundat aliam regulam, de qua dicemus infra: nunc autem admittenda est præsens regula, sed non vt conuertibilis.

1. signũ distinctionis, diuersitas suppositorũ.

II. Alteram regulam affert Syrectus art. vltimo supra Formalit. Scoti & est, quòd ea sint distincta realiter; quæ sunt in pluribus rebus realiter distinctis, quā tradunt Scot. & Meurisse citati. Verùm hæc regula indiget aliqua explicatione, propter difficultates, quæ statim contra ipsam consurgunt. Nam totum essentiale secundùm proprium esse est in partibus, quatenus resultat ex ipsis, & non habet aliam entitatem extra entitatem partium, & tamen non distinguitur realiter à seipso. Rursus anima rationalis est in diuersis partibus corporis, & tamen seruat suam identitatem. Limitant ergo hanc regulam nonnulli Recentiores; quòd esse in aliquo potest contingere dupliciter, vel per receptionem, vel per identificationem: regula ergo intelligenda est de modo essendi in alio per identificationem. Verùm neque huiusmodi limitatio euacuat difficultatem; totum enim est in partibus, & iuxta plurimorum sententiam identificatur cum partibus, aut si ponitur res distincta à partibus simul sumptis, non tamen est entitas extra entitatem partium, quasi sit tertia aliqua entitas superaddita. Deinde essentia diuina est in personis per identificationem, quæ realiter distinguuntur, & tamen seruat suam identitatem.

2. signũ realis distinctionis esse rebus distinctis Syrect. Scot. Meuris.

Limitatio.

Reijcitur.

III. Vt ergo cum recto sensu regula accipiatur, dicendum est, requiri, quòd adæquatè sint in diuersis rebus realiter distinctis. Ideò enim fallit regula in toto essentiali, anima rationali, & diuina essentia, quia nullum ex his est adæquatè in aliqua re distincta ab alia realiter, sed tantùm inadæquatè. Ita enim essentia diuina est in patre, vt non sit totaliter, & adæquatè in ipso, sed etiam in cæteris personis: sic etiam totum essentiale est in materia vt non sit adæquatè in ipsa, sed etiam in forma, & idem dicendum est etiam de anima. Hac autem limitatione adhibita, hæc regula habet locum tum in ijs, quæ sunt in diuersis rebus per identificationem; cui ex opposito correspondet pro signo identitatis Identificari adæquatè eum vno tertio: quæ enim vni tertiò adæquatè identificantur, etiam inter se identificantur: tum etiā in ijs, quæ sunt in rebus distinctis per receptionem, siue res istæ distinctæ sint diuersa supposita, siue diuersa subiecta; statim enim ac aliqua recipiuntur adæquatè in rebus realiter distinctis, debent inter se esse realiter distincta.

Verus eius sensus regulæ.

IV. Nihilominus vrget adhuc alia difficultas. Nam si modi comparentur inter se, non distinguuntur realiter, cum extrema non se habeant tanquam res, & tamen possunt esse in rebus realiter distinctis: non ergo est vniuersalis regula illa, quòd ea distinguantur realiter,

Difficultas quo ad modos.

liter; quæ sunt in rebus realiter distinctis. Huic difficultati multipliciter occurri potest. Et primò conceden do, huiusmodi modos, si præcisè considerentur secundùm rationem modi, non distingui inter se realiter; quia tamen debent inter se comparari, prout sunt à parte rei, & prout dicunt aliquod esse, hinc fit, quòd distinguantur realiter; cum enim modus non habeat propriam entitatem, sed sit ens entitate subiecti; ita vt nedum possit esse, sed neque concipi, nisi concepta re, cuius est modus, sicuti est ens entitate subiecti, ita etiam distinguitur distinctione subiecti, quæ cum sit realis, modi quoque inter se realiter distinguentur. Vel etiam responderi posset. Hos modos excludi à regula tradita, quia neque sunt in alio per identificationem, cum sint separabiles, quod est contra rationem identificationis, neque sunt in alio per receptionem; quod enim recipitur in alio, debet habere proprium esse, secundùm quod recipiatur: modi autem non habent hoc proprium esse. Si militer autem hæc regula non est conuertibilis, licet enim omnia, quæ sunt in rebus realiter distinctis inter se distinguantur, non tamen econtra omnia, quæ realiter distinguuntur, sunt in rebus realiter distinctis.

3. signũ distinguẽ ea realiter quæ se habẽt vt producens, & productum. D. Th. Fonseca. Mayron. Sirect. Gillius. Scot. Meuris.

V. Tertia regula desumitur ex productione, & sumitur ex doctrina D. Th. 1 par. quæst. 41. art. 4. quam etiam tradit Fonseca 5. Metaph. cap. 6. q 6. sect. 1. Mayron in 1. dist. 8. q. 1. art 3. & tract. De Formalit. art. 2. §. *Nunc autem* Sirect. in Formalil. ar. 4. minus princip & art. vltimo principali par. 1. Gillius lib. 2. de Dei essent. tract. 5. cap 3. num. 3. Scot. in 2. d. 1. q. 4. Meuris, in Metaph. lib. 2. cap. 3. q. 2. & alijs; illa nimirum distingui realiter, quæ se habent vt producens, & productum, seu inter quæ adest origo aliqua in genere efficientis, quod ideò addidi, vt comprehẽdantur etiã emanationes, quibus vnum fluit ab alio. Hæc autem ratio originis adeo efficax est ad inferendam distinctionem realem, vt ne à summa quidem simplicitate essentiæ impediri possit, vt patet in diuinis. Ratio autem, cur inferat, est, quia nihil potest efficere seipsum, sed si aliquid est productum, aut factum, debuit ab aliquo alio illi communicari esse: communicare enim esse alicui dicit habere esse in se, per quod possit illud alteri communicare: produci verò supponit antea non habuisse esse, quæ omnia non possunt eidem conuenire, alioquin idem esset, & non esset. Hæc etiam regula optima quidem est, non tamen conuertibilis, quia non omne, quod realiter distinguitur ab alio, se habet vt producens, & productum.

VI. Patitur nihilominus hæc regula aliquam difficultatem: vnde obijcit Achillin. tract. de Distinc. cap. 23. Passiones originantur à subiecto, & tamen non distinguuntur realiter ab ipso. Obiectio ex Achillino. Respondent aliqui, regulam valere de propria origine, vbi est vera ratio causæ, & effectus, quod non contingit, quando passiones originantur à subiecto. Resp. Sed instat Recentior quidam, quoniam anima est vera causa sui motus, & tamen motus non distinguitur realiter ab anima. Verùm hæc difficultas procedit, quia non rectè accipitur vis originationis, seu emanationis: hic enim loquimur de physica originatione, & emanatione, quæ fit per influxum physicum, & verum; quotiescunque autem interuenit verus influxus physicus, seu communicatio esse, implicat, quòd non sit distinctio realis. Influxus physicus ponit distinctionẽ inter cõmunicãs & esse communicatum. Ratio à priori est, quia communicans esse, antequam communicet, supponitur habere proprium esse sistendo tamen in creatis, de quibus procedunt allatæ difficultates; nisi enim haberet proprium esse, neque etiam posset communicare esse alteri. Rursus si interuenit verus influxus physicus, debet per hunc influxum poni in actu aliquod esse, influxus enim est aliquod esse in fieri, ergo erit aliquod esse distinctum realiter ab eo, à quo est influxus; vnde quando passiones sunt physicæ, & originantur per verum influxum physicum, etiã realiter à subiecto distinguuntur. Si verò passiones sint metaphysicæ, tunc non originantur per verum influxum physicum, & ideò realiter non distinguuntur. Idem quoque dicendum de motu, qui non fit per aliquem influxum, qui sit communicatiuus alicuius esse, sed tantùm per successiuam applicatio-

nem mobilis ad spacium, in quo fit motus: an autem resultet aliquis modus intrinsecus, an non, alibi est disputandum.

An idem possit seipsum iteratò producere.

VII. Alia autem difficultas, quòd posset aliquid seipsum iteratò producere, facilè etiam dissoluitur; hoc enim contingere solùm potest virtute replicationis, qua accipiat esse replicatum; replicatio autem non est opus alicuius creaturæ, sed solius Dei, quia dicit iteratam communicationem totius esse; totum autem esse integrum potest à solo Deo communicari, vnde creatura ad summum, vt instrumentum concurrere potest ad hanc replicationem; cum autem effectus non egrediatur de continentia instrumenti, quia non continetur in ipso, sed tantùm in causa principali, ideo non est necesse, quòd ex vi productionis distinguatur ab ipso secundùm esse, quod accipit per productionem; & ideo regula valet de producente, vt causa principali.

Quartū signū ex distincta generatione.

VIII. Quartam regulam tradunt Scotistæ desumptam ex generatione, & corruptione. Ea videlicet esse distincta realiter, quæ distinctis generationibus generantur, aut distinctis corruptionibus corrumpuntur: ea verò esse idem, quæ aut eadem generatione generantur: aut eadem corruptione corrumpuntur. Atque huiusmodi regula desumitur etiam ex Arist. 4. Metaph. tex. 3. vbi docet; Ens, & vnum identificari inter se, quia nec in generatione, nec in corruptione separantur; & 7. Topicor. cap. 1. ait; *Quæcunque simpliciter eadem, etiam generationes eorum, & corruptiones eadem*. Sed contra hanc regulam insurgit Achillin. De Distinct. cap. 23. inquiens, non esse simpliciter veram, quia licet quæcunque eadem generatione generantur, aut eadem corruptione corrumpuntur sint idem, non tamen valet econtra, quòd quandocunque aliqua distinctis generationibus generantur, aut distinctis corruptionibus corrumpuntur, sint inter se distincta, propterea quod relationes, & fundamentum diuersa generatione generantur, & corrumpuntur, & tamen non distinguuntur realiter inter se.

Arist.

Obiectio Achil.

Solutio.

IX. Hæc tamen obiectio corruit, si explicetur de quanam generatione intelligatur; non enim relationes fiunt per veram generationem physicam, sed ad summum per quamdam resultantiam, qua nihil in esse ponitur, sed solùm fundamentum, & termini veniunt in complexionem; vel ad summum resultat aliquis modus suppositο, quòd relationes dicant huiusmodi esse modale: quòd si dicunt aliquid tantùm ratione distinctum, aut denominationem extrinsecam, multò minus vrget difficultas. Debent ergo intelligi de generatione physica, non quidem prout dicit productionem solam substantialis formæ, sed prout dicit quamcunque productionem, qua esse alicui communicatur, siue substantiale, siue accidentale: & similiter corruptio debet accipi, prout huiusmodi generationi opponitur. Et hoc pacto explicata habet optimum fundamentum, quia quælibet generatio, aut productio ex intrinseca sua ratione dicit communicationem alicuius esse independenter ab alia productione; rursus sumit suam vnitatem à termino, ergo distinctæ productiones communicant esse distinctum. Similiter cum corruptio tollat id, quod ponit generatio, distinctæ corruptiones tollent distinctas entitates.

De quâ generatione, & corruptione intelligenda præcedens regula.

X. Sed adhuc vrget alia difficultas. Quia etiam si intelligatur de hac productione, non tamen adhuc videtur vniuersaliter verum, quòd, quæ eadem generatione generantur, sint idem realiter, quippe potentiæ, seu proprietates alicuius formæ, & virtutes physicæ, per quas operatur, eadem generatione generatur cum forma, & tamen distinguuntur ab ipsa realiter. Rursus totum eadem generatione generatur cum forma, & tamen distinguitur ab ipsa realiter. Propter has difficultates Soncin. 4. Metaph. q. 22. vbi latè hanc materiam tractat, explicans textum Arist. quem modo ex 4. Metaph. citauimus, adhibet regulam limitatiuam, quam etiam amplectitur Fonseca 5. Metap. cap. 6. quæst. 6. sect. 1. quòd videlicet ea distinguantur, quæ distinctis generationibus producuntur, & ea sint idem, quæ eadem generatione generantur, si intelligatur tantùm de ijs, quæ æque primò correspondent generationibus: hinc

Alia obiectio.

Responsio. Soncin. Fonseca

to-

totum, & forma non sunt idem, licet eadem generatione fiant, quia generatio per se primò terminatur ad formam, ex cuius productione, quatenus ipsa forma communicatur materiæ, resultat compositum, quod licet sit primarius terminus, quò ad intentionem, non tamen æquè primò producitur cū forma in executione. De potentijs verò animæ, aut potentijs operatiuis, seu virtutibus alterius formæ dicimus, si sunt realiter distinctæ à forma, distincta productione produci, quia fiunt per emanationem, quæ sicuti dicit influxum distinctum ab influxu, quo producitur forma, ita etiam dicit distinctam generationem. Dicuntur autem produci eadem generatione, qua forma, quia dum generatur forma, accipit esse, ex quo statim emanant potentiæ, aut virtutes, non verò quia non adsint distincti influxus. Verùm quod spectat ad totum etiam respondere potest. Quòd totum non distinguitur à forma, nisi prout consideratur secundùm proprium esse adæquatum; vt autem dicit proprium esse adæquatum dependet etiam à materia, & si consideretur secundùm esse entitatiuum distinguitur à forma tantùm inadæquatè; vnde, prout distinguitur à forma, habet etiam distinctam productionem sibi correspondentem, illam nimirum, qua producitur materia, & ideò seruata proportione adhuc in ipso valet regula. Si verò consideretur, vt est quædam tertia essentia, & comparetur ad partes simul sumptas, tunc sicuti ab ipsis distinguitur, ita etiam habet proportionatam productionem, nempe illam resultantiam, qua resultat ex eo, quòd partes iam habentes proprium esse inuicem communicantur.

Virtutes operatiuæ formæ producuntur distinctis productionibus.

XI. Atque hæc regula sic explicata vniuersalis est, & conuertibilis, ita vt quoties adsunt distinctæ generationes, adsint etiam distinctæ res, & quotiescunque adsunt distinctæ res, debeant etiam adesse distinctæ generationes, per quas acceperint esse, quod à fortiori dicendum est in sententia, quæ ponit productionem identificari cum re producta: & eodem modo philosophandum est etiam de corruptione. Hæc tamen regula non videtur magni facienda, ob difficultatem, quæ est in vsu ipsius; licet enim distinctio generationis, & corruptionis in plurimus percipiatur; difficilè tamen percipitur in omnibus; nec minus obscurum est, quando generationes, vel corruptiones sint distinctæ, quàm de entitatibus ipsis. Vnde videtur petere principium, & assignari aliquid quod est æquè obscurum, præsertim, si ponatur productio non distingui à re producta; tunc enim realiter loquendo idem est productio, seu generatio, ac res, quæ generatur. Accedit etiam, quòd huiusmodi regula non habet aliquam efficaciam ad inducendam cognitionem distinctionis realis, vel identitatis, nisi mediante separatione, qua per generationem, aut corruptionem vnum separatur ab alio: si enim distinctæ generationes simul loco tempore, & subiecto fiant, ita vt nulla appareat separatio, nullo pacto inducent in cognitionem distinctionis. Vnde hæc regula habet totam suam efficaciam ex alia, quæ consistit in separabilitate extremorum.

Allata regula inutilis.

XII. Ex huiusque autem dictis sequitur contra Suarez in Metaphysica disp. 7. sect. 2. num. 16. non rectè ipsum asserere, quòd quotiescunque termini requirunt ex natura sua distinctas actiones, non debeat statim inferri, quòd realiter distinguantur; quia fieri potest, inquit ipse, quòd huiusmodi termini sint tantùm modi, & tunc modaliter tantùm distinguerentur, sicut modaliter tantùm distinguuntur actiones, nam actiones habent tantùm suam distinctionem ex terminis ipsis. Vt enim ommittam, an duo modi, prout sunt à parte rei, inter se comparati modaliter tantùm distinguantur, de quo dictum est supra, non rectè hoc infert: ratio autem est, quia modi non sunt per se producibiles, neque requirunt influxum aliquem peculiarem, sed tantùm resultant: vnde ex natura sua non requirunt aliquas actiones, quas per se primò terminent; nos verò loquimur de productionibus, quæ dicunt influxum physicum, quæ sicuti communicant aliquod esse entitatiuum actuale, ita etiam distinctæ productiones communicant distinctum esse entitatiuum actuale; atque statim ex distinctis productionibus va-

Suarez.

Reijcitur doctrina Suarez.

Modi nō terminant per se aliquas peculiares actiones.

et inferri distinctio realis termino rum. Quod autem Suarez num. 18. eiusdem sect. addit: Debere hanc regulam intelligi seclusio miraculo, quia diuina virtute potest eade m res producere plures actiones totales, hoc oritur ex incerto principio, quòd idem effectus totalis possit esse per diuinam potentiam simul à pluribus causis totalibus, quod suo loco examinandum relinquimus.

Expenditur alterum signum distinctionis inter rem, & rem.

SECTIO III.

1. Signum, ex quo colligitur tanquam ex certa regula distinctio extremorum, est eorumdem mutua separabilitas quò ad existentiam; quod contingit, cum possunt in diuersis locis simul existere vel vnum sine alio, & econtra. Dixi, mutuam separabilita tem esse signum huiusmodi distinctionis, quia; nisi mutua sit, infert tantùm distinctionem modalem, in qua, cum alterum extremorum sit modus, non potest existere separatum à re, cuius est modus. Desumitur autem hoc signum ex doctrina Arist. 7. Topicor. cap. 1. loco 15. vbi ait. *Amplius si potest alterum sine altero esse, non erit idem.* Quod etiam habet ibid. Aphrodis. Atque hac regula vtitur etiam D. August. lib. 5. de Trinit. cap. 6 vbi colligit distinctionem inter colorem, & magnitudinem, quia potest mutato colore manere eadem magnitudo; quod tamen ità debet intelligi, non quòd magnitudo ipsa coloris; quam dicit ratione sua entitatis sit distincta à colore, sed alia magnitudo, quæ est in subiecto, in quo est color. Tradunt etiam hanc regulam Scotistæ supra Formalit. Scoti ar. 1. Syrect. Maurit. Trombeta, qui idem etiam habet 5. Metaph. quæst. 3. art. . Vallon. Achill. tract. de Distinc. cap. 23. & frequens est apud Scholasticos Durand. in 1. dist. 30. quæst. 2. Mayron. dist. 8. quæst. 1. art. 3. Scot in 2. dist. 1. quæst 5. & in 3. dist 8. quæst. 1 Ocham. in 1 quæst. 3. Gabr. quæst. item 3. art. 3. dub. 1. Herui. quod lib. 3. quæst. 3. Gandauens. 6 Metap. quæst. 10. Ferrar. 1. Phys. quæst. 10 Venet. 3 Phys. tex. 19. Suarez in Metaph. disp. 6. sect. 2. Fonseca 5. Metaphys. cap. 6. quæst 6. sect. 1. Astudillo ibid. Serna in Logica disp. 1. sect. 4. art. 4. §. 2. Meurif. 2. Metaph. cap. 3. quæst. 2. & communiter apud omnes.

II. Habet autem hæc regula duos modos, quatenus ex duplici separatione colligitur distinctio realis. Primus est, quando ita aliqua separantur, vt vtrumque extremum maneat distinctum à parte rei; vt si duæ partes integrantes eiusdem corporis diuidantur; vel si Deus conseruet accidentia sine subiecto, vt contingit in eucharistia, & conseruet etiam subiectum sine accidentibus: & hic modus habet maximam euidentiam distinctionis, quia actu ipsa extrema manent separata. Alter modus est, quando non vtrumque extremum manet separatum, sed vnum tantùm, alterum verò corrumpitur, tunc signum est, quòd illud, quod incorruptum manet, distinguatur tanquam res ab eo, quod corrumpitur, vt contingit in transmutatione substantiali, quando manet subiectum sub alia forma. Quòd si econtra alterum quoque extremum manere potest alio corrupto, etiam ipsum distinguitur tanquam res ab alio extremo, vt si Deus mutaret materiam sub forma, distingueretur realiter, quia potest esse sine materia illa, sub qua primo est, & etiam materia potest esse sine forma.

III. Hæc autem regula habet firmissimnm fundamentum in illo vniuersalissimo principio, quòd implicat, *Idem esse, & non esse*: si enim contingit, vnum existere sine alio, tunc necessariò illa inter se distinguuntur realiter, alioquin idem esset, & non esset; quod etiam dicendum est, si vtrumque extremum separatum maneat, quia tunc poterit vnum destrui absque alio. Præterea identitas dicit simplicitatem; vbicunque autem est simplicitas, non potest esse separabilitas, neque enim idem separari potest à seipso. Quòd autem debeant esse distincta tanquam res, & res oritur ex mutua separabilitate: vel enim vtrumque extremum manet separatum, & tunc necessariò debet vtrumque esse res; modus enim non potest esse sine re cuius est modus. Vel vnum existit sine alio, & tunc, si vtrique conuenit existere sien alio, erit

Duplex modus colligêdi distinctionem ex separatione.

Fundamentum istius regulæ.

distin

distinctio realis inter rem, & rem; quia, dum vtrumque extremum potest sine alio existere, erit necessariò quædam entitas. Deniq; pro hac regula aduertendum est, separabilitatem debere fieri in indiuiduo, hoc est, quòd res illa in indiuiduo, quæ est alteri vnita, separetur, itaut ex separatione desinat esse vnita; vnde non est censenda separatio illa, quando eadem ratio communis reperitur in pluribus, vt se habet animalitas respectu hominis, & leonis, quia est eadem ratio animalitatis, quæ propter suam latitudinem se extendit ad plura. Præterea separatio in hoc cõsistit, quòd vnum extremum sit extra aliud secundùm entitatem physicam, itaut neque sit identificatum, aut vnitũ cum ipso, sed omnino discretum. Quod ideò addidi propter nonullas obiectiones de creaturis, & Deo, de diuinis personis, quæ ita realiter distinguuntur, vt vnum non possit esse sine alio: dicimus enim ad distinctionem sufficere, quòd vnum ita sit extra aliud, vt neque sit vnitum cum ipso,

Obiectio ex Fonf. IV. Contra autem allatam doctrinam insurgit Fonseca 5. Metaph. cap. 6. quæst. 6. sect. 1. qui non adprobat hanc regulam, quia in his, quæ realiter distinguuntur, non semper potest vnum esse sine alio; nam in relatiuis vnum ab alio distinguitur, & tamen vnum non potest esse sine alio. Rursus etiam diuinæ personæ distinguuntur realiter, & tamen vna non potest esse sine alia. Si autem dicatur, sufficere alietatem, in contrarium est, quia non sufficit quacunque alietas extremorum, sed requiritur realis; & tunc est petitio principii, idem enim esset, extrema habere alietatem realem, ac distingui realiter. Sed

Solutio. respondetur, cum dicitur, vnum extremum distinctionis realis posse esse sine alio, id assignari tanquam sufficiens signum, non verò id esse necesse, quòd locum habeat in omnibus distinctionibus realibus, sed sufficere, quòd extrema dicant separabilitatem, seu extraneitatem cum existentia ipsorum extremorum, quod præcipuè contingit, quãdo extrema habent necessitatem essendi, vt contingit in personis diuinis. Deinde in relatiuis, licet quatenus relatiua sunt, non possit vnum esse sine alio, potest tamen esse sine alio secundùm propriam entitatem, & sicuti distinguuntur tantum realiter ratione entitatis, ita sufficit, quòd vnum possit esse sine alio secundũ entitatem. Præterea cum dicitur recurrere ad alietatem extremorum, esse petitionẽ principij, nescio quomodo id objiciatur; non enim fit recursus ad alietatem extremorum, sed ad separationem, ex qua deinde infertur extremorum alietas realis, quæ sufficienter colligitur ex eo, quòd aut vnum extremum possit existere sine alio; aut quòd ambo possint simul separata existere. Vt autem separata dicantur existere, sufficit, si vnum neque identificetur, neque vnitum sit cùm alio, quod saluatur tum in diuinis personis, tum in relatiuis.

An separatio extremorũ sit adæquatum signum distinctionis realis. V. Cæterum circa hoc signum dubitatur apud Doctores, an sit adæquatum, & conuertibile; ita vt non solùm vbicunque interuenit separatio, sit distinctio realis; sed etiam econtra, vbicunque est distinctio realis, possit saltẽ per Dei potentiam interuenire separatio actualis. In qua difficultate sunt oppositæ sententiæ, quæ originantur ex diuersis opinionibus circa existentiam aliarum rerum, præsertim materiæ, & formæ. Vnde qui putant, materiam

Affirmatiua sententia. posse existere sine forma, volunt etiam hoc signum esse conuertibile, item qui ponunt, existentiam non distingui realiter ab essentia, quos non est necesse referre, vt pote quia nõ tractant quæstionem in terminis. Suarez autem in Metaph. disp. 7. sect. 2. num. 22. vult, esse adæquatum signum, & difficultatem tractat ex professo; Id autem sic declarat, quoniam non potest repugnare mutua separatio ratione entitatis, quia entitas cuiuslibet extremi est vera entitas distincta ab alia; nec ratione dependentiæ, quia licet ex hac oriatur naturalis inseparabilitas, non tamen respectu potẽtiæ Dei, potest enim supplere hanc dependentiã; nam nõ potest esse tanquam ab aliquo intrinseco componente, cum sit vna entitas extra aliã; quando autem dependentia non est tãquam ab aliquo intrinseco componente, potest à Deo suppleri, etiam si sit in genere causæ formalis, aut materialis, quia tunc dependet à causa materiali tanquam à substentante, & à causa formali tanquam ab extrinseco actuante.

VI. Altera verò opinio est Thomista.

mistarum, qui asserunt iuxta propria principia, non esse signum adæquatum, nec conuertibiliter dici, propterea quòd materia, quæ realiter distinguitur à forma, non potest existere sine ipsa: sic etiam essentia, & existentia realiter distinguuntur, nec possunt inuicem separari: rursus etiam animæ, & potentiæ realiter distinguuntur, nec tamen possunt separatæ existere. Ita præcipuè docet Capr. in 1. dist. 3. quæst. 3. ar. 2. ad 3. Adami, Gillius lib. 2. de Essent. Dei tract. 5. cap. 3. num. 5. Et Capr. vt circa hoc certam aliquam regulam tradat, quando videlicet hoc signum non habet locum, reducit omnes casus particulares ad duo capita dist. 8. quæst. 1. ar. 2. ad 9 Gotfr. Primum est, quando vnum extremorum est essentialiter cõnexum cum alio, & hac ratione materia nõ potest separari à forma, nec existentia ab essentia. Secundùm caput est, quando vnum resultat ex natura sua ex eo, quòd ponitur alterum, & ex hoc capite subiectum, & passio; anima, & potentiæ separari non possunt.

VII. Hæc tamen Thomistarum sententia non rectè procedit, nam vel non tribuit extremis distinctionis realis propriam existentiam, vel si aliquibus tribuit, non semper eodem modo sumit distinctionem realem. Quòd .n. non tribuat omnibus extremis existentiam, patet in materia, quæ per ipsos recipit existentiam à forma; rursus quã existentiam potest habere essentia, prout contradistinguitur ab ipsa existentia? Si autem aliquibus extremis tribuunt, vt fortasse passioni, & subiecto, non videtur concedenda eadem distinctio inter extrema, quorum vtrumque habet propriam existentiam, & inter ea, quorum alterum caret propria existentia. Rursus resultantia illa, supposito quòd id, quod resultat, sit quædam entitas realiter distincta à subiecto, non videtur importare aliquam implicantiam, quòd non possit fieri separatio extremorum secundùm existentiam; si enim hæc resultantia tendit ad entitatem realem, certè debet esse per aliquam efficientiã emanatiuam; cur autem Deus non potest impedire huiusmodi efficientiam? Præterea postquam iam accepit esse, id, quod resultat, vel dependet in conseruari ab eo, à quo resultauit in genere efficientis, vel solùm in genere causæ materialis: in quocunque genere depẽdeat, potest dependẽtia suppleri à Deo: vnde ponitur frustra hoc secundum caput, & ad summum debet recurri ad solam dependentiam essentialem.

VIII. In hac igitur difficultate hoc certum esse debet, quòd huiusmodi signum non complectitur distinctionem illam inter rem, & rem, cuius extrema non dicunt entitatem extra entitatem. Si enim vnum extremum non habet entitatem extra entitatẽ alterius, quomõ fieri potest, quòd inuicem separentur? & quòd separata possint existere? cum id, quòd sine aliquo alio potest existere, debeat etiam dicere propriam entitatem, in qua existat, alioqnin eadem entitas existeret, & non existeret. Ex quo fit, quòd etiam si totum comparetur ad partes simul sumptas, non est tamen separabile, quia se habet vt includens ipsas partes, quamuis etiam dici posset, quòd sicut inadeqnatè distinguitur ratione alterius partis ab vna quaque parte, ita etiam ratione ipsius possit separari. Sed quicquid sit, solùm restat videre, an conuertibiliter dicatur respectu illius distinctionis, in qua extrema sunt entitas, & entitas.

IX. Dicendum igitur est: Hoc signum conuertibiliter dici respectu distinctionis, in qua extrema dicunt entitatem, & entitatem. Vt autem hoc nostrum dictum verificetur, intelligi debet de separatione in communi sumpta, prout complectitur modum vtrumque, illum scilicet, quo ita extrema separantur, vt possint separata existere; & alterum, quo ambo extrema ita se habent, vt vnum possit sine altero existere, nec requiritur, quòd possit existere sine quocunq; eiusdem ordinis, sed sufficit, quòd possit esse sine hoc; vel illo: atque separabilitas sic explicata vniuersalis est, & conuenit cuicunque distinctioni, etiam si inter extrema reperiatur essentialis dependentia, aut essentialis connexio.

X. Ex quibus sufficienter patet veritas huius dicti, & ratio à priori reddi potest, quia essentialis connexio diuersarum entitatum non potest esse secundùm indiuiduum ipsarum, quia sicuti secundùm esse indiuiduale non possunt habere necessitatem essendi, ita neque necessariam connexionem, sed solùm secundùm speciem, præsertim, quia

essen-

Margin notes: ...entẽtia ...egatiua / ...ap. ...illius. / ...endi ...sentẽ Tho... ...larũ. / Ad quã dist. ...ã nõ se extendat tractũ signum. / Concl. Separatio signũ cõuertibile distinctionis entitatiuæ. / Essentialis cõnexio extremorũ esse essẽtiale, nõ verò indiuiduale.

essentialis connexio oritur ex natura extremorum. Neque contra hoc facit quicquam ratio allata à Suarez, quia licèt Deus possit supplere causam efficientem, & materialem, non tamen supplere potest causam formalem, etiã si se habeat vt extrinsecum actuãs, quia causa formalis concurrit seipsam exhibendo. Rursus neque potest tollere connexionem essentialem, & facere, quòd vnum possit esse sine alio, quando est essentialiter connexum cum illo, vt patet in relatiuis; sicuti autem connectuntur relatiua per coexigentiam, & tanquam extrema separata; ita aliqua alia extrema possunt connecti vt intimè vnita. Verùm licet hæc regula conuertibiliter dicatur, vt visum est, non tamen admodum vtilis est, si vt conuertibilis accipiatur. Ratio est, quia in plurimis recurrendum est ad Dei potentiam, cum naturaliter non possint separari: cum autem non fuerit facta separatio in omnibus, æquè incertum est, an possit fieri; vnde non minus difficile est, cognoscere, an possit separari, quàm an dicant entitates distinctas; vnde cũ non possit in vniuersum deseruire, tradenda est aliqua regula, quæ conuertibilis sit, & in vniuersum deseruiat.

Ad fundamentũ Suarez.

Distinctionem existentiarum esse vniuersale, & conuertibile signum distinctionis inter rem, & rem.

SECTIO IV.

I. Traditur cõmuniter hoc signũ, ea nimirum distingui realiter, quæ habent distinctas existentias; sed etiam tanquam inutile reijcitur præsertim à Suarez in Metaph. disp. 7. sect. 2. num. 14. Aduertere autem oportet pro intelligentia, quòd licet modi sint separabiles à re, cuius sunt modi, non habent tamen propriam existentiam contradistinctam ab existentia subiecti, sicuti neque habent propriam entitatẽ; existentia enim sequitur entitatẽ. Vnde isti modi tantùm modificant esse rei, quatenus existens est, quod nihil aliud est, quàm ipsum esse rei, non quidem acquirẽs, aliquid entitatiuum de nouo, sed secundùm suum esse diuersimodè se habens, vnde est mutatio in esse sine aliqua entitate de nouo. Et consequenter quandò modi desinunt, non deperditur aliqua entitas, & existentia, sed tantùm illa modificatio, quæ erat facta sine aliqua noua entitate. Et hoc saltem certum debet esse apud omnes, quod modi non dicunt talem existentiam, per quam possint se solis existere, aut constituere vnam aliquam actualem entitatem, alioquin non essent modi, sed res. Hoc ergo posito, asserunt, ea distingui realiter entitatiuè, quæ habent distinctas existentias completas, ita vt vna sit adæquatè extra aliam, ad contradistinctionem modorum, qui non habent existentias, si modò aliqua ipsis tribuatur, quæ sit adæquatè extra existentiam subiecti. Vnde corruit difficultas ex Personis diuinis, quæ licet non habeant distinctas existentias distinguuntur tamen realiter, quia non importat tres entitates completas, sed sunt idem in eadem entitate; signum verò procedit de ijs, quæ ita distinguũtur, vt vnum non communicet cum alio in entitate.

Suarez.

Modi nõ habẽt propriã existentiam.

II. Verùm impugnatur hoc signũ à Suarez, quia vel existẽtia ponitur distincta ab essẽtia, & tũc eadẽ existentia possunt diuersæ res existere, vt concedunt Thomistæ, nam materia, & forma eadem existentia existunt. Deinde plures res, seu essentiæ habent etiam plures existentias; & tunc non minus difficile est cognoscere distinctionem existentiarum, quàm essentiarum, nisi recurratur ad separationem. Vel ponitur existentia identificata cum essentia, & tunc idem esset dicere, ea distingui realiter, quæ habent distinctas existẽtias, ac si diceretur, ea distingui realiter, quę habent distinctas entitates, vnde peteretur principium. Præterea arguit etiã ex parte modorum, quia sicuti modi habent distinctas essentias, ita etiam habent distinctas existentias. Sed hæc vltima ratio iam corruit ex dictis initio sectionis.

Impugnatio ex Suarez.

III. Verùm quod spectat ad traditam regulam, ego eam optimam existimo, neque vllo pacto interuenire petitionem principij; quod ita declaratur. Quia licèt existentia, & essentia sint idem realiter, ex vi tamen existentiæ formaliter sumptæ aliquid cognoscitur, quod non cognoscitur ex vi rei præcisa existentia; & cum res ex vi suæ quidditatis habeat, quòd distingui debeat realiter vt res, ex vi existentiæ cognosci-

Allata regula optima est.

gnoſcitur id, quod conuenit rei, quæ exiſtentiæ ſubſternitur. Vnde ſi exiſtentia ſit diſtincta à cœteris, facit etiam, vt id, quod ipſi ſubſternitur, cognoſcatur non communicare in eſſe cum alio, atque adeo ſecundùm eſſe diſtingui adæquatè, & ideo velnti à poſteriori colligitur diſtinctio rei exiſtentis.

Vnde colligatur distinctio existentiarum.

IV. Solùm, cũ valde difficile ſit, cognoſcere diſtinctionẽ exiſtẽtiarũ, inquiri poſſet, vnde diſtinctio ipſarũ colligatur. Huiuſmodi interrogationi reſponderi poſſet; Colligi ex ijs ſignis, quibus diximus hucuſq; colligi diſtinctionem realẽ, quia cũ exiſtentia, & eſſentia inuicẽ identificentur, vnde colligitur diſtinctio entitatio colligitur ẽt exiſtẽtiarũ; ſed tũc hæc regula nõ magis valeret, quam illæ, quas in ſuperioribus tradidimus. Reſpondet ergo Recentior quidam, illas eſſe diſtinctas exiſtentias, quæ ſaltem per Dei potentiam poſſunt habere plures ſubſiſtentias: nomine autem ſubſiſtentiæ intelligit, non rationem illam, per quam res eſt per ſe, ſed tantùm exiſtentiam ſeparatam ab alijs, ſupplente Deo quamcunque dependẽtiam. Sed hæc reſponſio recurrit ad aliã regulam, qua diximus inueſtigari diſtinctionem realem, nempe ad ſeparabilitatem; idem eſt enim, poſſe habere diuerſam ſubſiſtentiam iuxta hunc Doctorem, ac poſſe exiſtere ſe ſolo ſeparatum ab alio: vnde cum hic modus dicendi confundat vnam regulam cum alia, neque allatam confirmet, reijciendus omnino eſt.

V. Alia igitur via procedendum eſt; atque ſi à poſteriori loqui velimus, difficile eſt tradere aliquam aliam regulam. A priori verò facilior modus aſſignatur; cum enim exiſtentiæ in tantũ diſtinguantur, in quantum res perunt diſtingui, cuius ſunt exiſtentiæ, atque ab ipſis habeant à priori, quòd diſtinguantur: vt videamus, quando ſint diſtinctæ exiſtentiæ, inquirendum eſt, quando res petunt diſtinctas exiſtentias. Res autem petunt diſtinctas exiſtentias, quando dicunt aliquam quidditatem per ſe conceptibilem, & quæ non exigat concipi ſimul cum eſſe alterius intrinſecè inbibito in ſeipſa. Rurſus præter hoc requiritur, quòd dicat totam illam ſeriem rationum metaphyſicarum, quæ requiruntur ad deſcendendum à ſumma ratione entis vſq; ad aliquam rationem infimam alicuius ſpeciei, quæ poſſit immediatè indiuiduari: ita vt inter rationem entis, & infimam ſpeciei indiuiduabilem intercedant omnes aliæ rationes intermediæ. Deniq; requiritur, quòd interueniat aliqua ratio incommunicabilitatis, ratione cuius tale eſſe non poſſit cum alio communicare. Ratio eſt, quia diſtinctio ſupponit diſtinctiuum: omne autem diſtinctiuum dicit aliquam rationem incommunicabilitatis: hæc autem ratio incommunicabilitatis, vel eſt ratio differentialis, vel ratio indiuiduationis. Cum ergo hæc tria concurrunt, ſtatim res illa exiget propriam exiſtentiam ab alijs diſtinctam; atque adeo propriam entitatem, quia habet ſufficiens eſſe pro ipſa conſtituenda. Atque hoc ſignum vniuerſaliter verum eſt pro indagãdis omnibus diſtinctionibus realibus entitatiuis, & ſemper inſeruire poteſt. Et innuitur etiam à D. Baſil. hom. 6. in Hexam. circa initium dum ait, *Vt igitur diuerſa ſunt hęc natura, albedo, inquam, & corpus dealbatum ſic & ea, quę modò diximus, differunt quidem, vnita tamen ſunt potentia creatoris. Itaque ne mihi dixeris; fieri hoc non poſſe, vt lux à corpore Solis ſeparetur. Nec enim ego lucis à Solis corpore ſeparationem mihi, ac tibi poſſibilem eſſe dico; ſed aſſerendum eſſe cenſeo, quæ mentis ſola agitatione, cogitationeque diſparari à ſe poßunt, re ipſo ſeiungi facultate creatoris vtriuſque naturę poſſe.* Hoc autem ita debet intelligi de ſeparatione, quæ fit per intellectum, vt extrema remaneant cum integro eſſe entitatiuo, alioquin nec per Dei potentiam poſſent ſeparata exiſtere. Rationes verò adductæ à Suarez in oppoſitum nihil officiunt, ſi ponatur exiſtentia identificari cum eſſentia, vt nos ponimus: quomodo aũt hoc ſtante hæc regula non petat principium, ſatis conſtat ex dictis.

D. Basil.

Ad fundamenta Suarez.

Traduntur ſigna cœterarum diſtinctionum.

SECTIO V.

I. EX dictis in explicanda natura diſtinctionum, & identitatum facile erit colligere ſigna, ex quibus inferantur. Incipiendo autem à modali quæ ipſa quoque eſt à parte rei, communiter in hoc conueniunt, quod di-

cat aliquam separabilitatem à parte rei; omnis enim distinctio dicit aliquam separabilitatem extremorum, & qualis est distinctio, talis etiam est separabilitas; vnde si distinctio sit tantùm secundùm rationem separabilitas quoque erit secundùm rationem; si verò erit à parte rei, etiam separabilitas debet esse à parte rei. Debet tamen assignari aliquod discrimen, per quod hęc separabilitas distinguatur ab illa, quæ est signum distinctionis entitatiuæ; nam hæc quoque per separationem extremorum dignoscitur. Itaque concludunt, hanc separabilitatem non esse mutuam, quemadmodũ quando indicat distinctionem entitatiuam: in distinctione enim reali vtrum que extremum potest esse sine alio, in modali verò vnum tantũ extremũ pôt sine alio, nempe subiectũ sine modo, & non modus sine subiecto. Hoc autem prouenit ex natura extremorum, quia in distinctione reali entitatiua quodlibet ex extremis habet propriam entitatem, secundùm quam est separabile ab alio extremo, in modali verò alterum extremum non habet propriam entitatem, secundùm quam sit separabile. Neque rectè obijcit Recentior quidam, quòd relationes nec sint modi, nec entitates, & tamen sint separabiles à subiecto. Non enim rectè asseritur, relationes separari à subiecti, & distingui tantùm ratione, separatio enim dicit desitionem alicuius esse; quòd si relatione ratione tantùm distinguuntur, ablato termino nihil à subiecto separatur, sed solùm subiectum non amplius refertur ex eo, quòd non est in complexione cum termino: non autem subit aliquam mutationem in seipso, quemadmodum subest, quando modus separatur: modus enim sicuti ex natura sua modificat subiectum, ita per sui præsentiam, aut absentiam infert aliquam mutationem.

Occurri-tur obiectioni.

II. Atque ex his concluditur. Hanc separationem non mutuam esse signum vniuersale, & conuertibile cum distinctione modali, ita vt quotiescunque aliqua modaliter distinguuntur, sint separabilia non mutuò; & econtra huiusmodi separabilitas inferat tantùm, & semper distinctionem modalem. Et ratio desumitur ex ijs, quæ dicta sunt sect. præcedenti de separabilitate mutua: quia licet contingat in distinctione reali vtrum extremum non posse simpliciter separari ab alio, per Dei tamen potentiam potest saltem ab hoc, vel illo extremo in indiuiduo. Cum ergo separabilitas est non mutua, tunc quia prouenit ex natura vnius extremi, quòd nequit separari, quia non habet propriam entitatem, secundùm quam separetur, ideo semper infert tantùm modalem distinctionem: & econtra quæcunque huiusmodi distinctione distinguuntur, tali separabilitate cognoscuntur.

Separabilitas non mutua signum cõuertibile distinctionis modalis.

III. Atque huiusmodi signum desumitur ex Arist. 7. Top. cap. 1. loco 15. & D. August. 6. de Trinit. cap. 6. Neque procedit contra ipsũ obiectio, quã facit Gillius li. 2. de Essentia Dei Tract. 5. cap. 1. num. 5. nempe, quòd si esset vniuersaliter verum, sequeretur, in actibus diuinis liberis esse distinctionem à parte rei; quia actus liber includit essentiam Dei, seu actum necessarium, & tñ poterat non esse in Deo saltem in illo priori, in quo Deus consideratur liber ad volendum, & non volendum, vnde si valeret regula, actus liber distinguere tur à parte rei ab actu necessario. Non inquam procedit, quia actus liber, secũdũ quod poterat non esse in Deo, non dicit aliquid intrinsecum ipsi, sed tantũ extrinsecam terminationem, vt suo loco explicabimus, & ideo non sequitur ex allata regula aliqua distinctio intrinseca Deo à parte rei; Idem enim actus est liber, & necessarius, quia libertas ipsius in eo consistit, quòd possit causare, & non causare; atque adeo copulari cum creatura, & non copulari, vt latius suo loco dicemus. Quare non est adhibenda huic regulæ limitatio Gillij, vt .v. tunc solùm valeat, quando rationes formales, secundùm quas resultat aliqua distinctio, sunt absolutæ, quia ẽt in respectiuis habet locum.

Arist. August. Gillius.

IV. Neque item subsistit obiectio eiusdem Gillij num. 6. sequenti, quòd hoc signum non sit certum, quia fieri potest, quòd aliqua distinguantur ex natura rei, neq; tamen sint separabilia ob mutuam depẽdentiam essentialem, quã habeant ad inuicem. Non enim potest talis dependentia mutua essentialis interuenire, quæ impediat separationem etiam respectu Dei. Deberet enim esse in

Alia obiectio. Gillius

in genere causæ formalis, vt impediret, quia in omni alio genere suppleri potest; in genere autem formali non potest internenire, quia eo ipso, quòd distinguitur ex natura rei, alterum extremum non habet tale esse, qnod in seipso subsistere possit extra aliud extremum, quia habet tantùm esse modale, quod neque concipi potest sine subiecto. Rursus ex vi distinctionis ex natura rei vnum extremum non potest pertinere ad constitutionem intrinsecam entitatis alterius extremi, alioquin identificaretur in eadem entitate, vt formalitas quædam. Vnde, cum superueniat entitati iam completæ, & non sit alia entitas, necessariò erit accidens illius. Non potest autem subiectum habere essentialem dependentiam à suo accidenti in genere causæ formalis, alio quin quomodo interueniret connexio accidentalis? præsertim quia cum accidens sit posterius natura suo subiecto, non potest subiectum quò ad existentiam ab ipso per se dependere. Neque rursus est alicuius momenti altera obiectio eiusdem Gillij ibid. quòd hoc signū sit inutile, quia non omnia, quæ separari possunt tantùm à Deo, separata sunt; non .n. est necessaria actualis separatio, quia signum distinctionis non est separatio, sed separabilitas, hæc autem cognoscitur absque separatione, ex eo nimirum, quòd extrema ita obijciuntur intellectui, vt non babeant repugnantiam ad separationem non mutuam.

Vnde petenda signa distinctionis rationis.

V. Quòd verò spectat ad signa distinctiónis rationis, quæ ex diametro opponitur distinctioni, quæ est in re, varia assignāda sunt, prout variæ sunt species ipsius. Verùm circa hoc adnertere oportet, quòd sicuti hæ distinctiones dantur solùm obiectiuè in intellectu, ita etiam signa ipsarnm desumi debent à rebus, non prout snnt à parte rei, sed prout sunt obiectiuè in intellectu: vnde huiusmodi signa debent esse aliquid, quod consequatur esse illud, quod obiectiuè distinguitur, & inferat alietatem extremorum, qualis requiritur ad constituendam distinctionem. Posset autem quis assignare vniuersalem regulam ad cognoscendam quamlibet distinctionem rationis, cum videlicet intellectus illam format circa aliqnod obiectum, quod habeat identitatem realem. Deinde si aplicabit ea, quæ directa sunt de natura extremorum harum distinctionum, facilè etiam cognoscet, qualis sit distinctio, an cnm fundamento, vel sine fundamento. Verùm vt magis in particulari procedamus, commnniter assignatur pro adæquato signo distinctionis, quæ fit sine fundamento, Repetitio eiusdem conceptus obiectiui, quotiescunque enim vtrumque extremum distiuctionis continet eumdem conceptum obiectiuum, tunc illa distinctio erit rationis sine fundamento: & econtra quotiescunque aliqua erunt distincta ratione sine fundamento, extrema huius distinctionis dicent repetitionem eiusdem conceptus obiectini: & ratio manifesta est; quia in hac distinctione debet idem distingui à seipso; hoc autem nullo pacto intelligi potest, nisi idem conceptus obiectiuus includatur in vtroque extremo.

Signum distinctionis rationis cum fundamento ex extrinsecis connotatis.

VI. Si autem loquamur de distinctione rationis, quæ habet fundamentum in re; si hoc fundamentum sit tantùm ratione extrinseci connotati, non aliunde certius signum haberi potest, quàm intuendo motiuum, quod habet intellectus pro formanda distinctione. Si enim habeat motiuum, quod non sit intrinsecum obiecto, quod subijcitur distinctioni, tunc erit distinctio rationis cum fundamento desumpto ab extrinsecis connotatis, atque non erit necessarium aliud signum inqnirere. Verum tamen est, quòd etiam alia signa inferunt hanc distinctionem, quæ inferunt etiam distinctionem cum fundamento intrinseco ipsimet obiecto. Signa autem, quæ inferunt distinctionem cum fundamento intrinseco, plura assignari solent, quæ coincidunt cum illis, quæ ponunt Scotistæ pro distinctione formali, & distinctionis ex natura rei, sicuti distinctiones ipsæ coincidunt cum distinctione rationis, quæ habent intrinsecum fundamentum in obiecto.

Signa distinctionis cum fundamento intrinseco.

VII. Cum ergo in distinctione rationis cum fundamento intriuseco requiratur diuersitas secundùm conceptus obiectiuos, optima via est ad inuestigandam huiusmodi distinctionem, inquirere, an in extremis adsit tātum diuersitas obiectiua, an aliqua alia

maior:

maior: quod facilè percipitur ex negatione illius signi, quod diximus, esse adæquatum, & vniuersale distinctionis entitatiuæ. Si ergo extrema distinctionis habeāt diuersitatem secundùm esse formale, & obiectiuum, & non dicant omnes rōnes à prima raōne entis vsq; ad indiuiduale, distinctio erit tātū rationis cum fundamēto intrinseco; per hoc enim sufficienter distinguitur à distinctione qualibet, quæ fit à parte rei: omnis .n. distinctio à parte rei dicit saltem alterum extremum, quòd sit entitas, & consequenter includens omnes illas rationes, quæ intermediant inter ens, & vltimam indiuidualem. Atque hoc signum infallibile est, & vniuersale, seu conuertibile; desumitur enim ex natura extremorum, quæ cum semper eodem modo se debeant habere, fundant etiam semper idem signum, per quod huiusmodi distinctio cognoscatur.

Aliud signū eius dē distinctionis Maurit. Trōbet. Syrect. VIII. Aliud signum pro distinctione ex natura rei assignant Scotistæ, vt Maurit, Trombeta, Syrect. ar. vltimo supra Formalit. Scoti, quòd nobis deseruiet pro hac distinctione rationis. Nimirum quòd verificatio cōtradictoriorum cum reduplicatione inferat distinctionem rationis tantùm; quod ex doctrina supra tradita disp. 59. sect. 2. desumitur, vbi ostendimus, distinctionē facere, ne contradictoria modo cōtradictorio se habeant respectu eiusdē obiecti identicè sumpti. Verùm hic dubium est, an hoc signum maiorem aliquam distinctionem inferat, quàm rationis. Sed occurrendum est ex modo dictis. Ideo enim dictum fuit, requiri reduplicationem; quotiescunque enim ponitur reduplicatio, extrema illa ex vi reduplicationis dicūt aliquod esse inadæquatum obiecti, atque adeo non aliquam entitatem, sed tantùm aliquem conceptum obiectiuum. Aliud etiam

An sit adæquatū dubium occurrit, an sit adæquatum, & proprium huius distinctionis. Dicimus enim loco modo citato circa finē sect. quod etiam distinctio rationis sine fundamento tollit suo modo contradictionem. Cui respondendum est. Vt sit signum adæquatum, & conuertibile, debere proportionari cum extremis distinctionis. In hoc autem proportio consistet, quòd contradictio non sit secundùm aliquem respectum rationis, sed secundùm esse intrinsecum, & constitutiuum obiecti, quia tunc contingit secundùm esse formale, quod intrinsecè dicunt extrema distinctionis. Præterea quia distinctio quoque essentialis dicit diuersitatem extremorum secundùm esse obiectiuum, & non semper dicit distinctionem realem entitatiuam; hinc fit, quòd fundat contradictionem secundùm huiusmodi esse essentiale. Vt igitur allatum signum sit omnino conuertibile, debet contradictio cadere supra aliquid, quod non dicat aliquam essentiam completam, sed solùm aliquid de aliqua essentia.

IX. Atque hic aduertendum est, hoc signum non coincidere cum pura reduplicatione, quæ dicit aliquid, in quantum tale; sed cum reduplicatione, quæ fit secundùm esse inadæquatum rei. Non enim quotiescunque aliquid tribuitur alteri cum reduplicatione, infertur statim distinctio rationis; sed fieri potest, quòd fit maior distinctio nempe realis, sic cum dicitur paries quatenus albus, est quid accidentale, huiusmodi reduplicatio stat cum distinctione reali, immo ipsam infert. Ex quo fit, quòd malè Scotistæ supracitati ponant hoc signum pro inuestiganda distinctione purè formali; huiusmodi enim distinctio excludit realem, quam non excludit semper reduplicatio, vt modo dicebamus. Cumqua reduplicatione cōueniāt hoc signum.

X. Potest autem hoc signum adhuc magis extendi, ad alias videlicet oppositiones, nempe relatiuam, priuatiuam, aut quamcunque aliam, ita vt quotiescunque conceptus obiectiui tollunt huiusmodi oppositiones respectu eiusdem entitatiuè sumpti, & conueniunt eidem adhibita tamen reduplicatione, vt supra etiam diximus, & oppositio sit secundùm aliquod esse intrinsecum obiecti, necesse sit, quòd interueniat distinctio rationis cum fundamento. Et reddi potest ratio, quia si hæc distinctio tollit oppositionem contradictoriam, & facit, quòd contradictoria non se habeant contradictorio modo, sed eidem identicè sumpto conueniant, multò magis tollet reliquas oppositiones, quæ minores sunt, quam prædicta. Verùm pro completa Quā quælibet oppositio sit signū distinctionis cū fundamento.

intelligentia huius signi dicendum est, quòd cum dicitur esse adæquatum, & conuertibile, debet intelligi non de distinctione, quæ habet intrinsecum fundamentum in obiecto tantùm, sed etiam de illa, quæ fundatur in extrinsecis connotatis; nam etiam de extremis huius distinctionis possunt cum veritate enunciari contradictoria: quod.n. obiecto conuenit, quatenus dicit vnum connotatum, non conuenit, quatenus dicit alterum.

Reijciuntur quædam alia signa.

X. Alia signa pro inuenienda distinctione formali tradunt citati Scotistæ, vt quando vnum non est de conceptu alterius; quando habent diuersas definitiones, aut descriptiones; quando aliquid est demonstrabile de vno, & non de alio. Verùm huiusmodi signa neque propria sunt distinctionis formalis, quia applicari possunt etiam reali, & essentiali, neque inducunt in cognitionem distinctionis, sed supponunt cognitam; vt.n. cognoscã, vnum non esse de conceptu alterius, debeo cognoscere, esse distincta etiam formaliter. Sic etiam, vt habeantur distinctæ definitiones, aut descriptiones: quomodo enim vnum definietur separata definitione ab alio, nisi cognoscatur esse distinctum ab illo? sic etiam quomodo cognoscam aliquid de vno demonstrari, & non de alio, nisi cognoscam illud esse distinctum? Hæc ergo signa inutilia sunt, & ideo non amplius est in ipsis immorandum.

An verificatio contradictionis inferat distinctionem in re.

SECTIO VI.

Punctum difficultatis.

I. Distinctionem rationis tollere contradictionem, ita vt, quæ contradictoriè se habent, possint de extremis ipsius verificari, docuimus in superioribus, quia distinctio extremorum facit, quòd ea, quæ alioquin contradictoria essent, contradictoria non sint. Hoc tamen pacto contradictoria verificantur tantùm de obiecto, prout est obiectiuè in intellectu; vnde in præsenti quæstio non procedit de obiecto tali pacto cõsiderato. Sed prout est extra intellectum à parte rei. Verùm quia adhuc contradictoria de ipso tali pacto considerato stante fundamento distinctionis rationis verificari possunt, si adhibeatur reduplicatio, quia tunc reduplicatio æquiualet distinctioni rationis. nam partialiter tantùm subijcit obiectum prædicato, quod de ipso vel negatur, vel affirmatur, ideò proposita quæstio intelligi debet de verificatione contradictoriorum absque aliqua reduplicatione.

II. Partem negatiuam videntur amplecti complures ex Theologis, dũ tribuunt Deo prædicationes contradictorias, tanquam ipsi conuenientes à parte rei. Et habet difficile fundamentum, nam à parte rei in diuinis essentia communicatur, & personalitas non communicatur, & tamen communicari, & non communicari, licet contradictoria sint, non inferunt distinctionem, in re inter essentiam, & personalitatem ergo verificatio contradictoriorum sine reduplicatione, & à parte rei non infert distinctionem in re. Sic etiam pater in diuinis generat verbum per intellectum, non autem per voluntatem, & tamen in re nulla est distinctio inter intellectum, & voluntatem. Præterea hoc ipsum declarari potest alijs etiam exemplis, nam actus peccaminosus est à Deo, prout dicit esse physicum, non verò prout dicit malitiam; vnde verum est dicere, quòd à parte rei entitas actus producitur à Deo, malitia autem non fit à Deo, quæ contradictoria sunt, & de eodem actu verificantur. Atque alia huiusmodi exempla afferri possent, sed prætermittenda sunt, nam difficultas, quæ est in vno, est etiam in cæteris.

Negatiua sententia.

III. Cæterum oppositam sententiam ego verissimam puto. Eam autem tradunt Ocham. in 1. dist. 2. quæst. 1. litera D. Gabr. quæst. 1. ar. 1. & ar. 3. dub. 1. & 2. Aliacen. quæst. 6. ar. 2. Littera M. Bonet. 3. Metaph. cap. 8. Achillin. Tract. de dist. cap. 23. Gillius lib. 2. de Essent. Dei tract. 5. cap. 1. num. 8. Pro cuius explicatione sciendum est: idem esse asserere, duo contradictoria posse de aliquibus verificari, ac ea, de quibus contradictoria efferuntur inuicem negari. Quòd ita explicatur. Quando vnum prædicatum effertur de aliquo, debet tale prædicatum habere connexionem cum ipso; cum autem eius cõtradictorium effertur de subiecto, & remouetur huiusmodi prædicatum ab ipso, non debet habere connexionem; ex quo necessariò sequitur, quòd ea, de qui-

Ocham. Gabr. Aliacen. Bonet. Achil. Gillius.

quibus cum veritate contradictoria essferuntur; ita se habeant, vt vnum non sit alterum; vnum enim habet connexionem cum altero ex prædicatis contradictoris nempe positiuo, alterum verò non habet: sic homo habet connexionem cum risibilitate; lapis verò non habet, vnde ab ipso remouetur risibilitas. Cum ergo non possit idem habere cum eodem connexionem, & non habere, sequitur quòd id, de quo prædicatum contradictorium positiuū effertur, non sit id, de quo idem prædicatum negatur.

Verificatio cōtradict. nō fac ead. modo v num, a n de al tero.

IV. Atque ex modo dictis alterū sequitur valde adnotandum, quòd eo modo, quo contingit verificatio contradictoriorum, debeat etiam vnum ex ijs, de quibus contradictoria verificantur, negari de altero: hoc est, quòd si verificatio fit cum reduplicatione, etiam vnum negabitur de altero cum reduplicatione, si verò sine reduplicatione, negatio quoque erit sine reduplicatione. Cum ergo prædicatio, qua vnum prædicatur de altero sit in duplici differentia. Formalis, & Identica, etiam in duplici differētia erit prædicatio, qua vnum de alio negatur. Hoc autem discrimen est inter prædicationem idēticam, & formalē quod forma lis fit cum reduplicatione, siue sit affirmatiua, siue negatiua: vnde particula negatiua excludit non totaliter prædicatum à subiecto, sed solùm quatenus tale est: vnde in sensu formali dicitur, Homo quatenus rationalis non est sensibilis. Si verò sit identica, particula negatiua excludit totaliter prædicatum à subiecto, vt cum dicitur Homo non est lapis. Hinc fit, vt quæ in sensu formali verè negantur, in sensu identico falsa sint, sic animalitas non est rationalitas in sensu identico, falsa est.

V. In præsenti ergo difficultate, quia quærimus, an verificatio contradictoriorum sine reduplicatione inferat distinctionem in re, debet sensus esse de verificatione contradictorium in sensu identico, ita vt ex vi ipsius sequatur, quòd ea, de quibus contradictoria verificantur, possint inuicem negari in sensu identico; ex quo valde facilis fit resolutio totius difficultatis. Sed antequam ad veræ sententiæ probationem accedamus, aduertendum est, quòd si loquamur de effectibus, qui sunt quomodocunque à pluribus causis, aliud est, quòd secundùm vnā rationem tribuatur vni causæ, hoc est quòd quædam ratio sit causa, cur tali causæ tribuantur, & alia ratio sit causa, cur alteri causæ tribuantur: & aliud esse, quòd secundùm vnam rationem sit ab vna causa, & secundùm aliam ab alia, ita vt ratio, quæ est ab vna causa, nullo pacto sit ab alia. Hoc enim omnino implicare arbitror in effectibus indiuisibilibus; cum enim esse horum effectuum sit indiuisibile, influxus quoque debet esse indiuisibilis; at quomodo influxus indiuisibilis potest esse partim ab vna causa, partim ab alia, ita vt influxus, qui est ab vna causa non sit ab alia? Sed hoc opportuniori loco commodius examinandum erit.

Effectus Indiuisibilis nō potest ita esse ab vnā rōne esse ab vna causa & secunda aliam ab alia.

Concl. Verifica tio cōtradictoriorum sine reduplicatione fert distinctionē à parte rei.

VI. Dicendum ergo est. Verificationem contradictoriorum in sensu identico, & sine reduplicatione inferre distinctionem realem, seu à parte rei. Quod declaratur primò. Quando contradictoria verificantur de aliquibus sine reduplicatione, faciunt etiam, quòd ea, de quibus verificantur, possint sine reduplicatione, & in sensu identico negari, ergo inferunt distinctionem à parte rei. Antecedens euidens est ex ijs, quæ num. 3. & 4. adnotauimus. Conseq. ostenditur. Quotiescunque enim vnum negatur de alio, non communicat cum illo in illo sensu, in quo negatur, neque habet aliquam connexionem: vnde si negatur in sensu formali, non habet connexionem cum ipso in sensu formali, ergo si negatur in sensu identico, & sine reduplicatione non habet connexionem in sensu identico: vnde necessariò entitatiuè distinguitur.

Confir.

VII. Confir. Si verificatio contradictorium in sensu identico, & absque reduplicatione non inferret distinctionem realem, sequeretur, quòd idem esset, & non esset; atque destrueretur illud primum, & certissimum principium, *Quòd idem non potest simul esse, & non esse*, quod est fundamentum totius philosophiæ. Sequela demonstratur. Ponatur aliquid, cui identicè conueniat aliquod prædicatum absque reduplicatione, certè hoc prædicatum debet identificari cum alijs prædicatis in

Quomodo si de eodē verificarentur contradictoria, esset & non esset.

in vna aliqua entitate v. g. albedo, quæ est qualitas, ratio qualitatis identificatur albedine in eadem entitate. Quæro ergo, an aliquid, de quo hoc prædicatum negatur, sit quid distinctum realiter ab albedine, an verò idē cum ipso. Si primum: certè verificatio contradictoriorum in hoc sensu infert distinctionem realem. Si secundum, ergo idem entitatiuè est qualitas, & non qualitas, quod non est aliud, quàm idem esse, & non esse secundùm aliquod esse. Præterea identitas includit totum esse rei, ita vt, quod semel ipsi conuenit tanquam aliquid in tali entitate identificatum, nunquam possit de tali re negari, si ergo verificantur de aliquibus contradictoria, debent illa esse realiter distincta.

Occurritur respõsioni.

VIII. Nec video, quomodo efficacia huius rationis eludi possit, nisi dicatur id, quod affirmatur, & negatur, non affirmari, & negari absolutè, sed secundùm quid, ita vt possit idem secundùm quid esse tale, & secundùm quid non esse tale. Sed tunc grauiores difficultates vrgent. Nam negatio in sensu identico absolutè, & simpliciter excludit prædicatum à subiecto, vnde nullo pacto potest ipsi cunuenire, alioquin non simpliciter excluderetur. Præterea si secundùm quid conuenit, iam non conuenit secundùm esse identicū, sed secundùm aliquam formalitatem, quod enim conuenit secundùm esse identicum, identificatur cum toto esse rei: si autem conuenit secundùm formalitatem, conuenit tantùm cum reduplicatione, hoc est quatenus tale. Rursus quodlibet prædicatum, quod conuenit alicui ab intrinseco, & de se præcisè importat aliquam formalitatem, perfundit totam entitatem rei, cui conuenit, vnde in esse identico, & entitatiuo, simpliciter, & absolutè cōuenit, quia entitas illa simpliciter imbibit in se talem formalitatem, sic albedo est simpliciter qualitas, quamuis ratio qualitatis importet tantùm formalitatem, quia hæc formalitas perfundit totam entitatem illius. Denique esse identicum est vnum, ergo quod ipsi conuenit secundùm esse identicum, nullo pacto negari potest de ipso secundùm idem esse identicum, alioquin idem simul esset tale, & non esset tale.

Quod cōuenit entitati rōne formalitatis cōuenit absolutè.

2. ratio

IX. Secunda ratio addi potest ex maximo absurdo, quod sequeretur, videlicet; Aliquid negatiuum esse idem cum positiuo, seu duo extrema contradictoria nullo pacto distingui inter se; quis autem non videat, quantum hoc absurditatis contineat, cum contradictorium negatiuum omnino destruat, quod dicit positiuum? Sequela ostenditur ex illo principio, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, quod licet non sit verum in diuinis, quia essentia ratione suæ infinitatis non adæquatè identificatur cum vna persona tantùm, sed petit essentialiter esse in tribus; in creatis tamen, quia cessat ratio mysterij, est omnino verum in quocunque ente physicè accepto, seu secundùm entitatem, quam habet à parte rei, quia quoties vnum cum alio identificatur ratione suæ incommunicabilitatis, adæquatè cum ipso identificatur: & hoc etiam locum habet in rationibus communibus, quatenus cōsiderantur, vt coarctata ad esse indiuiduale. Si ergo contradictorium positiuum conuenit alicui entitatiuè considerato, & in sensu identico, iam cum ipso identificatur; vnde si id, cui conuenit alterum contradictorium, nempè negatiuum, non est distinctum, sed idētificatur cum eo, cui conuenit positiuum, iam contradictoria erunt idem inter se, quia sunt idem eidem tertio indiuiduo, & incommunicabili.

Cōtradictoria essent idē inter se, si eidem indiui. duo conuenirent

3. ratio

X. Tertiò declarari potest ex signo tradito, quo inuestigatur distinctio inter rem, & rem, quod communiter ab omnibus admittitur, nempe ex separabilitate: & sic potest confici ratio. Si contradictoria non inferrent distinctionem in re, sequeretur, quòd separabilitas non esset signum distinctionis realis, quòd est omnino falsum, cum nullum sit certius signum. Sequela probatur, quia in tantùm separabilitas infert distinctionem realem, in quantum non potest idem simul esse, & non esse; si autem semel ponantur contradictoria verificari sine distinctione reali eorum, de quibus verificantur, sequetur, quòd cōtradictoria de eodem, quò ad esse, & non esse verificarentur, nam contradictoria facient, quòd idem sit, & non sit: vnde corrueret tota efficacia separabilitatis pro inferenda distinctione reali, cum in eo solùm fundetur

Separatio nō esset signū distinctionis realis, si cōtradictoria de eodem à parte rei verificarentur.

quod contradictoria non possunt de eodem verificari, seu quod idem non potest simul esse, & non esse. Confir. contradictoria quælibet habent eandem oppositionem, quam habet hæc contradictio. *Idem non potest simul esse, & non esse*. tota enim fundatur in eo, quòd contradictoria seinuicem destruunt; ergo si hæc contradictio ponit distinctionem realem, etiam quælibet debet ponere. Confirm. 2. Non potest idem ab aliquo separari, & non separari, sed positiuum contradictorii in sensu identico non separat à parte rei prædicatum à subiecto, quod in ipso ponit, negatiuum verò separat à parte rei, ergo nisi verificatio contradictoriorum importaret distinctionem realem, idem prædicatum esset separatum, & non separatum à parte rei ab eodem subiecto in sensu identico considerato.

Alia confir.

XI. Præterea, vel ista verificatio contradictoriorum in sensu identico sine reduplicatione stat cum identitate, & vnitate existentiæ, vel cùm pluralitate. Si primum, tunc sequitur, quòd idem existat, & non existat, id enim, supra quod cadit contradictio, existet, quatenus per contradictorium positiuum ponitur in tali entitate: & non existet, quatenus per contradictorium negatiuum, tollitur à subiecto. Et augetur etiam absurditas, quia quotiescunque plura prædicata in vna entitate identificantur, ad existentiam, vel non existentiam vnius sequitur etiã existentia, vel non existentia aliorum, ex quo sequeretur, quòd idem simpliciter existeret, & non existeret. Si verò alterum membrum dilemmatis admittatur, nempe quòd inferat distinctionem existentiarum, iam inferet etiã distinctionem realem, quia distinctio existentiarum habet annexam etiam distinctionem rerum.

Idẽ existeret, & nõ existeret, si cõtradictoria de codẽ a parte rei verificarentur.

XII. Verùm pro complemento huius quæstionis inquiri potest, quam distinctionem in re inferat verificatio contradictoriorum, an solam distinctionem inter rem, & rem; an verò sufficiat modalis. Respondetur breuiter, Quòd cum verificatio contradictoriorum inferat talem distinctionem inter ea, de quibus contradictoria verificantur, vt possint inuicem negari in sensu identico, vt supra ostensum est, necessariò huiusmodi distinctio, debet esse inter rem, & rem. Et ratio est, quia licet modus sit separabilis à subiecto, cum tamen non habeat ex se proprium esse physicum, sed solùm sit ens entitate subiecti, non potest in sensu identico negari de subiecto. Hinc in sensu identico falsa est huiusmodi propositio; hæc quantitas non est hæc figura; quia figura cum quantitate identificatur, ex eo, quòd non habet aliam entitatem, licet sit modus illius separabilis. Præterea modus nihil sibi peculiare vindicat in sensu identico, sed solùm quatenus modus est, cũ inuoluat semper entitatem subiecti, vnde nihil de ipso in sensu identico affirmari potest, quod non conueniat etiam subiecto, quia in ratione entis physici hoc illi conuenit ratione subiecti: vnde quando prædicata contradictoria cũ veritate, de modo, & subiecto efferuntur, non debent intelligi in sensu identico, vt cum dicitur, modus corrumpi, & subiectum non corrumpi, sed in sensu quasi formali, quia videlicet, cum desinit modus, non desinit aliqua entitas, sed tantùm illa ratio modificans subiectum. Verumtamen est, quòd stante separabilitate modi à subiecto, prout modus accipitur secundùm proprium esse, & vt quid contradistinctum à subiecto, possunt cõtradictoria de ipso, & subiecto verificari, quia tunc alterum contradictoriorum non efficitur de modo considerato in sensu identico, sed in sensu quidem physico, non tamen entitatiuo, sed cum reduplicatione, quia cum modus separatur à subiecto, non trahit secum aliquod esse entitatiuum.

Quã distinctionẽ in re inferat, verificatio contradictoriorum.

Modus in sensu idẽtico nihil peculiare habet, quod non sit etiã subiecti.

XIII. Ad rationes in oppositum, & ad primam dicitur. Essentiam diuinam à parte rei communicari, & personalitatem non communicari, non esse contradictoria, licet essentia, & personalitas sint vnum, & idem esse. Ratio autem est, quia esse diuinum habet modum essendi infinitum, ratione cuius eadem natura est in pluribus personis realiter distinctis, & ideo illi conuenit communicatio, personæ verò autem communicari: & hæc duo ratione infinitatis essendi in eodem esse imbibuntur. Hinc alterum ipsorũ non exprimit adæquatè modum essendi entis per essentiam, & ideo non se

Ad rõnes in oppositum.

habent ambo, vt contradictoria, quia de ratione contradictoriorum est, vt se habeant contradictorio modo, vt supra id cadat vnum, supra quod cadit alterum; vnde debet vtrumque seorsim adæquare subiectum: & si non adæquat, non se habent contradictorio modo, quia ratione inadæquationis non tollitur ab vno, quod ponitur per alterum. Videntur autem, hæc duo in casu nostro contradictoria, quia nobis obijcitur esse diuinum, vt finito modo se habens, quia repræsentatur per species creatas. Adde quòd totum esse diuinum communicatur filio, ita vt quod est paternitas in patre, sit filiatio in filio, quia id, quod est pater, est filius idem omnino, vt habetur in cap. *Damnamus, De Summa Trinit.* & nos suo loco latius dicemus. Cum autem dicitur, quòd per intellectum pater producit Verbum, non verò per voluntatem, etiam voluntate producit, si loquamur in sensu identico: & illa contradictoria habent tantùm locum in sensu formali cum reduplicatione, & ideo nihil contra nos deducitur, quia tantùm dicimus, tunc contradictoria inferre distinctionem in re, quando in sensu identico, & sine reduplicatione verificantur. Adde, quòd sicut intellectus, & voluntas sunt idem esse, ita totum esse producit voluntate, & totum producit etiam intellectu: vnde producere intellectu non adæquat totam vim productiuam, sicut nec producere voluntate, & solet adhuc contradictio verificari ratione inadæquationis, quia vnum extremum non adæquat totum subiectum.

XIV. Ad cœtera exempla, & ad primum respondetur, Deum non concurrere ad malitiam, licet concurrat ad esse physicum actus peccaminosi, quia malitia non producitur per se per aliquem influxum physicum. Deus autem concurrit tantùm ad entitatem physicam, quæ producitur. Malitia verò est tantùm quid connexum, & consistit in eo, quòd actus physicus, quatenus est à voluntate creata, deflectit à recta regula, & conuertitur ad alium finem, ad quem non deberet conuerti, vnde non habet conformitatem, sed difformitatem cum recta ratione, & in hac difformitate consistit malitia, quæ, vt dictum est, non per se producitur, sed est quid morale annexum cum actu physico, vnde non producitur per aliquem influxum, neque à Deo, neque à voluntate, sed imputatur voluntati, quia dum operatur, tenetur dirigere suos actus physicos, quemadmodum dirigi debent, vt resultet debita moralitas, & proinde non sequitur, verificari contradictoria de eodem à parte rei absque distinctione. Quo malitia peccati se habeat ad actum physicũ.

DE SECVNDA PASSIONE ENTIS, nempe Veritate.

POST vnitatem occurrit nobis Veritas altera passio Entis, vt suo loco diximus, cùm agcremus de passionibus entis in communi; vnde cum ea, quæ spectant ad vnitatem, quatenus stat intra abstractionem metaphysicam, explicauerimus; modò sequentes ordinem naturæ, quem in tradenda doctrina exigunt ea, quæ in scientijs tractantur, disputationes circa secundam entis passionem instituemus, quibus ipsius naturam, & quidditatem declarabimus, quatenus similiter intra metaphysicam abstractionem continetur.

An veritas sit pasſio entis. Disp. L XV.

Variæ acceptiones veritatis, & quomodo inuicem se habeant.

SECTIO I.

Punctus difficultatis.

I. IN hac disputatione duo capita difficultatis occurrunt, vt enim videamus, an veritas sit passio entis, prius examinandum est, an adæquetur cum ipso ente; cum enim passio debeat adæquari cum subiecto, nisi veritas adæquaretur cum ente, non esset passio ipsius. Verùm non statim, ac adæquatur, sequitur, quòd sit pasſio entis, sed insuper requiritur, quòd secundùm suam rationem formalem reperiatur in ipso; & ideo alter punctus difficultatis in hac disputatione examinandus occurrit, an veritas sit formaliter in rebus; nisi enim formali modo esset in ipsis, non propriè esset passio entis, sed aliquid aliud, ratione cuius tribueretur enti aliqua veritas. Sed antequam aliquid decernamus, videndum est, in quanam significatione modò veritas sumenda sit, & quid importet; habet enim plures, & varias significationes, vt colligitur ex D. Anselmo Dialog. de Veritate c. & D. Aug in Soliloq. lib. 2. c. 5. & seq. quas oportet hic recensere.

Variæ significationes veritatis D. Ansel. D. Aug.

II. Frequens autem acceptio est veritatis, præsertim apud Dialecticos pro veritate enũciationis, qua enunciatio ipsa, seu iudicium intellectus dicitur verum, vt cum intellectus iudicat, hominem esse risibilem. Atque hæc acceptió veritatis traditur a D. Anselmo in citato Dialogo cap. 2. & cõsistit in eo, quòd enunciatio ita enunciet, quemadmodũ res se habet, siue affirmando, siue negando; vnde D. Ansel. inquirens, quãdo enũciatio sit vera, respõdet. *Quando est, quod enunciat. Dico autẽ quod enunciat. & quando negat esse, quod non est, quia sic enunciat, quemadmodũ res est.* Et inferius loquẽs de eadẽ veritate enunciationis ait. *Quid igitur sibi videtur ibi veritas? Nihil aliud scio, nisi cum significat esse, quod est, tunc est in ea veritas, & est vera.* Quamobrẽ cũ essentia enũciationis cõsistat in eo, quòd aliquid enunciet, veritas ipsius nihil aliud importabit, quàm conformitatẽ in enũciando ad rem enunciatã, & propterea cõcludit ibid. D. Ansel. *Ergo nõ est illi aliud veritas, quàm rectitudo.* Verùm aduertere oportet, quòd vt enunciatio vera sit, nõ solùm debet significare, quemadmodũ instituta est, vt significet, sed etiã debet enũciare id, quod accepit significare. Fieri enim potest, quòd aliqua propositio significet, quẽadmodũ accepit significare, & falsa sit, vt si i nocte dicat, Dies est; tunc enim ꝓpositio significat,

Veritas enunciationis.

vt accepit ſignificare, ſeu quemadmodum ex natura ſua inſtituta eſt, vt ſignificet, non tamen ſignificat id, quod accepit ſignificare; quia non ſignificat id, quod eſt, accepit enim ſignificare eſſe diem, & tamen non eſt Dies. Vnde inquit D. Anſelm. *Vera quidem non ſolet dici, cum ſignificat eſſe. quod non eſt, veritatem tamen, & rectitudinem habet, quia facit quod debet. Sed cum ſignificat eſſe, quod eſt, dupliciter facit, quod debet, quoniam ſignificat, & quod accepit ſignificare, & ad quod facta eſt. Sed ſecundum hanc rectitudinem, & veritatem, qua ſignificat, eſſe quod eſt, vſu recta, & vera dicitur enunciatio, non ſecundùm illam, qua ſignificat eſſe, etiam quod non eſt.*

III. Hoc autem prouenit ex eo, quia ſicuti eſſentia enunciationis eſt inuariabilis, ita etiam ſignificatio ipſius, per quam eſſentia conſtituitur: & ideo ſemper ſignificat, quemadmodum inſtituta eſt, vt ſignificet, inuariabiliter. Verùm cum contingat id, quod ſignificat, poſſe variari eo, quòd contingenter ſe habeat, hinc fit, vt eadem propoſitio de vera poſſit euadere falſa retinebit ſemper tamen aliquam veritatem, nempe illam, qua verè ſignificat, quemadmodum inſtituta eſt, vt ſignificet. Sic iſta propoſitio, *Petrus currit*, vera eſt aliquando, cum nimirum Petrus verè currit, & aliquando falſa, cum Petrus non amplius currit. Hinc duplex veritas in propoſitione ſtatuenda eſt, nimirum veritas enunciationis, ſeu ſignificationis, qua verè ſignificat, quemadmodum debet ſignificare; & veritas ad rem ſignificatam, qua ſignificat, quem admodum res ſe habet: vtraque autem conſiſtit in quadam conformitate, prior quidem in conformitate ad inſtitutionem ſignificationis; poſterior verò in conformitate ad rem ſignificatam. Sed, vt docet D. Anſelm. ratione ſolùm poſterioris veritatis enunciatio dicitur vera.

Duplex veritas enunciationis.

IV. Verùm huiuſmodi veritas enunciationis, ſeu ſignificationis non ſolùm reperitur in iudicio illo intellectus, quo iudicat aliquid eſſe, vel non eſſe, ſed etiam ſe extendit ad propoſitionem vniuerſalem, ſiue ſcriptam; quia enim verba, & ſcriptura exprimunt conceptus mentis, quando verba, aut ſcripta, aut vocalia aſſumuntur ad exprimendum interdum iudiciũ intellectus continens enunciationem veram; propoſitio illa externa, ſiue vocalis, ſiue ſcripta dicitur vera, quotieſcunque ſignificat conceptum mentis, quemadmodum eſt in ipſa mente; & proinde veritas quoque ipſius conſiſtit in eo, quòd rectè ſignificat, ſeu in conformitate ad conceptum mentis ſignificatum. Quin veritas ſignificationis adhuc magis amplè accipi poteſt, vt non ſolùm ſignificet veritatem propoſitionum ſiue mentalium, ſiue externarum, ſed etiam pro veritate cuiuſcunque, quod quocunque modo aliquid ſignificet, & cõſiſtet in eo, quòd id, quod ſignificat, ita ſignificet, quemadmodũ debet ſignificare, vt cum ego aliquid operor, quemadmodum debet operari, tunc illa operatio ſignificabit, me ita debere operari, & erit vera in ſignificando, quia ſignificabit me ita debere operari, & veritas ipſius ſimiliter conſiſtet in conformitate ad rem ſignificatam. Atque hoc ipſum quoq; adnotauit D. Anſelm. cap. 10. citati Dialogi inquiens. *Videamus ergo, quam lata ſit veritas ſignificationis. Namq non ſolum in his, quæ ſigna ſolemus dicere, ſed & in alijs omnibus quæ diximus, eſt ſignificatio vera, vel falſa. Quoniam namq; non eſt ab aliquo faciendum, niſi quod quis debet facere, eo ipſo, quòd aliquis aliquid facit dicit, & ſignificat, hoc ſe debere facere: quòd ſi debet facere, quod facit, verum dicit; ſi autem, non debet, mentitur.*

Veritas propoſitionis externæ.

Veritas ſignificationis amplè ſumpta.

V. Quia autem veritas enunciationis eſt veritas cognitionis, quatenus enunciatio eſt in mente ex eo, quòd iudicium illud intellectus eſt cognitio quædam, ideo appellatur veritas cognitionis, quæ quamuis ſpeciali modo ſit in ipſa enunciatione, ſeu ſecunda operatione intellectus ex eo, quòd iudicatiuo modo in ipſa reperitur, extenditur tamen etiam ad ſimplicem apprehenſionem; & ſicuti veritas enunciationis in eo conſiſtit, quòd intellectus enunciet per iudiciũ illud, quemadmodũ debet enunciare, ita veritas apprehenſionis in eo conſiſtit, quòd intellectus apprehendat, quemadmodum debet apprehendere, ſeu quod in apprehenſione conformetur cum obiecto; Et ideo hinc conſurgit alia acceptio veritatis pro veritate cognitio-

Veritas cognitionis.

tio-

tiones amplè sumpta, & importat conformitatem ad rem cognitam. Hinc D. Thom. 1. par. quæst. 16. artic. 1. in corpore ait. *Cum verum sit in intellectu secundum quod conformatur rei intellectæ, necesse est, quòd ratio veri ab intellectu ad rem intellectam deriuetur &c.*

D. Th.

VI. In hac autem veritate cognitionis fundatur quædam alia specialis veritas, quæ dicitur veritas opinionis, quæ est quædam specialis veritas cognitionis: vnde oritur alia acceptio veritatis pro veritate opinionis, quam tradit D. Anselm. in citato Dialogo cap. 3. inquiens, *Cogitationem quoque dicimus veram, cum est, quòd aut ratione, aut aliquo modo putamus esse, & falsam, cum non est*; Et hæc similiter veritas opinionis quamdam rectitudinem importat, quia opinio conformatur cum re opinata. Hinc sub dit idem D. Anselm. citato capite. *Nihil rectius dicitur veritas cogitationis, quàm rectitudo eius. Ad hoc namque nobis datum est, posse cogitare esse, vel non esse aliquid, vt cogitemus esse, quod est, & non esse, quod non est.*

Veritas opinionis. D. Anselm.

VII. Ad sensus quoque extenditur veritas; vnde oritur alia acceptio, quæ est in sensu in ordine ad obiecta ipsa sensibilia. Cum enim detur veritas cognitionis amplè sumpta, quatenus ex parte intellectus se tenet, atque in sensu quoque fit quædam cognitio, qua sua obiecta percipit, ex parte quoque ipsius debet concedi aliqua veritas, vt similiter tradit in eodem Dialogo D. Ansel. cap. 6. inquiens. *Est quidem in corporis sensibus veritas, sed non semper, nam fallunt nos aliquando*; Et hæc veritas similiter consistet in conformitate illa, qua sensus per cognitionem sensitiuam conformatur cum suo obiecto, ex eo; quòd illud percipit, sicuti est. Verùm circa hoc aduertit D. Ansel. quòd veritas, & falsitas non est propriè in sensu externo; sed in interno, quatenus per opinionē, esse æstimatiuum versatur circa sensationes externas. Inquit enim. *Non mihi videtur hæc veritas, vel falsitas in sensibus esse, sed in opinione. ipse namque sensus interior se fallit, non illi mentitur exterior*. Atque hoc probat ex eo, quod visus æquè repræsentat, & eodem modo puero, & seni draconem sculptum, & tamen puer timet, quia æstimat verum draconem, non autem senex; sic etiam ab æstimatiua prouenit, cum audientes vocem alicuius, putamus esse alterius. Cum vero baculus cuius medietas sit in aqua repræsentatur fractus, aut quid huiusmodi aliter ac in se est, ideo sensus ita repræsentat, quia ita petit manifestari obiectum ratione specierum intentionaliū, quas immittit.

Veritas sensuum. An veritas sit in sensu externo.

VIII. Verùm censerem, veritatem, quatenus in sensu reperiri potest, esse in sensu externo, & non in interno tantum. Si enim est in intellectu, quia cognoscit, quemadmodum cognoscere debet, ita vt in cognitione conformetur cum obiecto, cur non erit etiam in sensu exteriori, cum ipse quoque repræsentet obiectum; quemadmodum repræsentari debet, atque adeo conformetur cum ipso; tunc enim rectus est, & commensuratus obiecto. Quod verò spectat ad falsitatem, putarem, eam non haberi quo ad vsque veniatur ad iudicium intellectus, vel ad illud iudicium, quod circa obiecta sensata promit æstimatiua. Cum enim falsitas consistat in difformitate cognitionis, non potest esse in cognitione sensitiua, quia numquam est difformis obiecto. Quamuis enim contingat, obiectum reuera aliter repræsentari, ac in se est, non per hoc sensatio redditur difformis obiecto, quia stantibus talibus circumstantijs obiectum est tali pacto repræsentabile. Vnde aduertere oportet, obiectum duplici modo consideran dum esse, & prout in se est, & tunc dicit solum proprium esse: & vt est repræsentabile, & tunc dicit omnes circunstantias, quæ simul in esse obiecti concurrunt cum ipso ad immutandā potentiā sensitiuam. Quando autē repræsentatur aliter res, ac est in se, id prouenit ex aliqua circūstātia obiectiua, quæ simul cū specie obiecti conuenit ad immutandā potentiam; sic baculus cuius medietas est in aqua repræsentatur fractus rōne refractionis speciei intentionalis. Cum autem veritas cognitionis in eo consistat, quòd repræsentet obiectum, sicuti tunc est repræsentabile, quādo cognoscitur, cognitio illa sensitiua, vera erit, quia repræsentat obiectum, sicuti tunc est repræsentabile, quamuis aliter, ac in se sit.

Veritas, & nō falsitas est in sensu externo.

IX. Verùm ad alia quoque, quàm

[Veritas voluntatis.] ad cognitionem se extendit veritas, nimirum ad voluntatem: vnde oritur alia acceptio, qua importatur veritas voluntatis. Sicuti enim intellectus veritatem habet, quando rem cognoscit, sicut cognoscibilis est: ita etiam quando voluntas vult, quemadmodum velle debet. tunc dicitur habere suam veritatem, quia in volitione sua conformatur cum obiecto, & cum regulis, quæ sunt mensura volitionum. Atque huiusmodi acceptionem veritatis desumpsit D. Anselm. ex eo, quòd de Lucifero dicitur, eum in veritate non stetisse, hoc est non voluisse, sicut debuisset velle. hinc ait. cap. 3. eiusdem Dialogi.. *Sed & in voluntate. dicit ipsa Veritas, veritatem esse, cum dicit, Diabolum non stetisse in veritate. Non enim erat in veritate, neque deseruit veritatem, nisi voluntate. Si enim semper voluisset, quod debuit, nunquam peccasset*.

[Veritas operationis.] X. Hinc autem oriuntur aliæ acceptiones veritatis, sumitur enim aliquando pro debita mensura operationum, & dicitur veritas operationis: & tunc contingit, quando operationes habent illam debitam mēsuram, quam ex natura sua exigunt. Si enim tali pacto fiant, habent suam veritatem, quia conformantur cum regulis debitis, quod docuit idem D. Anselm. cap. 5. eiusdem Dialogi. *Verum in actione quoque nihilominus veritas credenda est, sicut Dominus dicit, quia qui malè agit, odit lucem, & qui facit veritatem, uenit ad lucem*. Atque ex eo tribuit veritatem operationibus, quia benè fiunt, cum sua debita rectitudine; & post pauca concludit. *Nihil apertius, quàm veritatem actionis esse, rectitudinem facere*. Et quia operationes aliæ sunt liberæ, & morales, aliæ verò naturales, & necessariæ, idcirco duplex veritas in ipsis reperitur Mòralis, & Naturalis, seu necessaria. Cum enim actio naturalis fit, quemadmodum fieri debet, habet suam veritatem naturalem: & similiter quando actio moralis fit, quemadmodum fieri debet, habet suam veritatem moralem. Quod totum explicauit D. Anselm. [Veritas actionis alia moralis, alia naturalis] citato loco inquiens. *Vnde animaduerti potest, rectitudinem, seu veritatem actionis, aliam esse necessariam, aliam non necessariam. Ex necessitate namque ignis facit veritatem, & rectitudinem, cum calefacit; & non ex necessitate facit homo rectitudinem, & veritatem, cum benè facit.*

[Veritas entis.] XI. Denique amplissime sumitur veritas pro veritate cuiuscunque rei, qua esse ipsius verum est, & solet dici veritas essentiæ, seu veritas rei quò ad esse: & consistit in eo, quòd res ita habeat esse, quemadmodum, debet habere, & in quacunque re inuenitur. [D. Ansel.] Vnde D. Anselm. cap. 7. eiusdem Dialogi habet. *Quicquid igitur est, verè est, in quantum est, quod ibi est* (nempe quod est in summa veritate). Insuper *Absolutè concludere potes, quia omne, quod est, verè est, quoniam non est aliud, quam quod ibi est*. Præterea. *Est igitur veritas in omnium, quæ sunt essentia, quia hoc sunt, quod in summa veritate sunt*. Insuper hanc eamdem acceptionem veritatis credit D. August. [D. Aug.] in seliloquijs cap. 5. inquiens. *Certe hic lapis est, & ita verus est, si non se habet aliter, ac videtur, & lapis non est, si verus non est*. Et infra. *Etenim si esset, verum esset; nec verum quicquam esse, nisi quod ita est, vt videtur*. Et rursus post pauca. *Verum est, quod ita se habet, vt cognitori videtur, si velit, possitque cognoscere*.

XII. Cœterum præter has omnes acceptiones veritatis, vsurpari etiam solet ad manifestandum quoddam excellens attributum Dei, & tunc importat ipsam veritatem Dei, qua Deus ipse verus est. [Deus summa veritas.] Verùm quia veritas in Deo, est veritas per essentiam, ita vt longè eminentiori modo sit in ipso, nec propriè sit veritas, sed aliquid supra veritatem ratione infinitatis, quam includit, quæ etiam facit, vt infinitè distet à veritate creaturarum; nec iuxta nostra principia, quæ in priori tomo tradidimus, quando disput. 28. & sequentibus ostendimus, nullam esse conueniētiam, nec etiam analogam in ratione entis inter Deum, & creaturas, sit aliqua proportio conuenientiæ inter veritatem creaturarum, & eam, qua Deus dicitur verus, ideo cum vocamus summam veritatem, vt denotemus, esse veritatem per essentiam, & à qua omnia alia vera suam veritatem participent tanquam à prima causa, quæ dat quicquid in cœteris est.

Vn-

Vnde habet D. Ansel. in eodem Dialogo de Verit. cap. 11. *Considera, quia omnes supradictæ rectitudines, ideo sunt rectitudines, quia illa, in quibus sunt, aut fiūt, aut faciunt, quod debent. Summa veritas non ideo est rectitudo, quia debet aliquid, omnia enim illi debent aliquid, ipsa verò nulli quicquam debet, nec vlla ratione est, quod est, nisi quia est* Et post pauca subdit; *Vides, quomodo ista rectitudo causa sit omnium aliarum veritatum, & rectitudinum, & nihil sit causa illius.*

Quæ analogia inter has acceptiones veritatis.

XIII. Cum ergo tam variè veritas vsurpari possit, si inuicem comparentur omnes istæ acceptiones, illa acceptio, qua summa veritas importatur, quia quomodo se habeat ad alias acceptiones, constat ex ijs, quæ citato loco dicta sunt in priori tomo, excogitari potest inter ipsas quædam analogia proportionis quidem, non autem attributionis, vt vult Valentia tom. 1. disp. 1. quæst. 16. puncto 1. Quod ex eo patet, quia vnaquæque ex his acceptionibus importat suam propriam, & peculiarē, rōnem, atque commēsurationem sibi intrinsecam, vt discurrenti patebit. Veritas enim significationis vniuersaliter accepta importat conformitatem rei significantis ad rem significatam, quæ fit ipsi intrinseca; & si accipiatur pro sola enunciatione mentali, importat conformitatem ipsius ad rem significatam, si verò pro propositione vocali, seu scripta, importat conformitatem ipsius ad conceptum mentis, & ipso mediante ad obiectum. Similiter veritas cognitionis dicit intrinsecam conformitatem ad rem cognitam, si.n. est in intellectu, dicit, quòd ita ei repræsentet obiectum, quemadmodum est in seipso; si in opinione, quòd ita opinetur quemadmodum res est; si verò in sensu, quòd ipse quoque in sua cognitione conformetur cum obiecto sensibili. Quòd si transeamus ad veritatem voluntatis, & operationis, ipsa quoque importat intrinsecam rationem rectitudinis, & conformitatis, nam in voluntate dicit, quòd volitio conformetur cum debitis regulis volendi; & in operatione dicit, quòd fiat quemadmodū debet, atque adeo quòd ab intrinseco conformetur cum sua mensura. Deniq; veritas quò ad esse importat intrinsecam rectitudinem in ipso ente, quia ita sit, quemadmodum debet esse. Cum ergo omnes istæ acceptiones importent intrinsecam rectitudinem in re vera, cōcludere oportet, quòd non interueniat analogia attributionis inter ipsas, quādoquidem in tali analogia aliqua analogata debent intrinsecè participare formam analogiæ; aliqua verò tantùm extrinsecè, & per ordinē ad ipsā. Verū cum sint diuersæ rationes veritatis, & vna seruet proportionem ad aliam, quatenus proportionali modo ad aliam dicit aliquam rationem rectitudinis, & aliquam conformitatem, concludendū est, quod interueniat analogia proportionis.

Valentia

Propositiones intrinsece veræ.

XIV. Nec verum est, quod aliqua dicantur vera per solam denominationem extrinsecam, vt de obiecto intellectus, cognitione sensitiua, & propositione asserit Valentia citatus; nam obiectum intellectus non dicitur verū, quia vera cognitione cognoscatur, sed quia est in se aliquod verum intelligibile, & est, quemadmodum debet esse, vt de omni ente clarius fiet ex dicendis infra: nec cognitio sensitiua est vera per attributionem ad intellectiuam, sed quia ab intrinseco suo verè conformatur cum obiecto. Nec similiter propositiones sunt veræ, quia sint pura signa veritatis, quæ est in mente; non enim sunt pura signa huiusmodi veritatis, sed ita significant conceptus mentales, vt etiam cum ipsis conformetur ex eo, quòd ab intrinseco suo significant id, quod dicunt isti conceptus, & proinde ratione huius conformitatis participāt intrinsecè veritatem, & non extrinsecè tantùm.

Conceptus vnivocus veritatis ad omnia vel ale extendens.

XV. Atque ita philosophandum est, si consideretur hæ acceptiones veritatis, quatenus vnaquæque importat propriam rationem rectitudinis, seu conformitatis. Si verò consideretur, prout inter se conueniunt in eo, quod vnaquæque dicit rationem veritatis, seu conformitatis, tunc haberi potest conceptus vniuocus, qui importet rationem veritatis vt sic. Cum enim quæcunque sunt vera secundùm quamlibet ex his acceprionibus, importent talem rationem rectitudinis, & conformitatis, necesse est etiam, vt importent cōformitatem, & rectitudinem, vt sic quia talis conformitas fundatur in conformitate vt sic, atque adeo poterit intellectus formare vnicum conceptum

rectitudinis, & conformitatis vt sic, qui intrinsecè participetur, & æqualiter eò, quòd consistat in indiuisibili, ab omnibus ijs, quæ participant veritatem aliquo modo ex numeratis; atque cum rectitudo, seu conformitas huiusmodi sit veritas, iam veritas importabit cõceptum vniuocum. Oppositum autem

Valentia sentit Valentia supracitatus, quia diuersi sunt conceptus, quibus res istæ dicuntur veræ. Sed licet sint diuersi cõceptus, prout vnaquæq; res dicit propriam veritatem, habent tamen idem commune fundamentum rectitudinis, & conformitatis vt sic, ratione cuius vniuocè conueniunt; nam posito quocunque vero, semper in ipso reperietur rectitudo, & conformitas ad aliquid aliud, & ideo intellectus per suam vim præcisiuam relicta propria ratione conformitatis cuiuscunque formare poterit conceptum vniuocum concipiendo præcisam rationem rectitudinis, & conformitatis. Quod etiam indicauit D.

D. Ansel. Ansel. in illo Dialogo de verit. nam cũ plures acceptiones enumerasset, quibus veritas vsurpari solet, reducit totam rationem veritatis, prout est sparsa in diuersis rebus, ad vnicam rationẽ rectitudinis, tanquam ad propriam rationem, in qua formaliter consistat veritas: format enim suum discursum adnotando, in vnaquaque aceptione veritatis reperiri quandam rectitudinem, & hinc deducit, quòd rectitudo sit formalis ratio veritatis, & communis, se extendens ad ea omnia, quæ quocunq; modo vera dicuntur. Hinc etiam est definibilis vnica definitione, quod similiter negat Valentia, & definitur à D. Anselmo cap. 12. illius Dialogi, quod sit *Rectitudo sola mente perceptibilis*. Per rectitudinem autem intelligi debet conformitas illa, quia res vera cum aliquo conformatur.

In quanã acceptione accipienda veritas, vt est passio entis XVI. Ex dictis autem colligitur, in quonam sensu accipi debeat veritas, quando sumitur tanquam passio entis; cum enim non possit esse alia veritas, quàm illa, qua ens est verè ens, necessariò iuxta vltimam acceptionem sumenda est, quia diximus importare veritatem essentiæ, seu quò ad esse: in hoc .n. sensu propriè est veritas cõsequens ens, & se extendit ad omnia entia; vnumquodque enim ens habet suum esse, quemadmodum debet habere: Vnde si consideretur ens vt sic, possumus ipsi quoque tribuere suam veritatem, qua verè sit ens. Et sicuti ens est quid transcendens, quod in quocunque alio ente reperitur: ita etiam talis veritas erit quid transcendens, quæ reperietur in quacunque veritate.

Veritatem adæquari cum ente.

SECTIO II.

I. Adnotatis varijs acceptionibus veritatis, & earumdem habitudine adinuicem explicata, videndum est, an veritas dicit veritatem quo ad esse vt sic adæquetur cum ente. Veritas autem quò ad esse vt sic nulla alia est, quàm prima ratio veritatis, seu veritas communissimè sumpta; cum enim quælibet veritas secundùm quamcunque acceptionem considerata importet suã peculiarem conformitatem, atque hęc conformitas debeat esse alicuius conformitas, quatenus aliquid cum alio conformatur, necesse est, vt sic sit conformitas secundùm tale esse, nempe illius rei, cuius est veritas; quomodo .n. erit conformitas alicuius, nisi aliquod esse per ipsã cõformetur? Cũ ergo talis veritas dicat conformitatẽ quò ad esse tale, per quàm constituitur veritas quo ad esse tale, seruata proportione, debet prima ratio veritatis dicere conformitatem quò ad esse vt sic; & hoc pacto veritas, de qua inquirimus, an adæquetur cum ente, est veritas essentiæ in communi, & secundùm suam maximam latitudinem. Quænam sit veritas vt sic.

II. Atque de hac veritate dubium est an adæquetur cum ente, & ratio dubitandi ex eo prouenit, quia videtur se extendere ad non ens; sicuti enim verũ est *Ens esse*, ita etiam verum est *Non ens non esse* vnde Arist. 4. Metaph. tex. 2. habet *Quare, & ipsum non ens, esse non ens, dicimus*: eadem enim veritate, qua verum est, ens esse ens, est etiam verum, non ens esse non ens. Quod insuper cõfirmari potest, Quoniam sicuti dantur propositiones veræ negatiuæ earum autem veritas in eo consistit, quòd enuncient non esse id, quod non est quãobrem veritas in ipsis se extendit ad nõ esse, quia huiusmodi propositionum veritas consistit in non esse, seu in negatione ipsius esse; vnde cum talis ve- Rõ dubitandi. Arist.

ritas contineatur in non ente, iam prima ratio veritatis se extendet ad non ens.

Concl. Verum adæquatur cum ente. III. Dicendum nihilominus est. Verum, prout importat primam rationem veritatis, adæquari cum ente vt sic, ita vt hinc sequatur, quòd omne ens sit verum, & omne verum sit ens cum conuertentia mutua secundùm subsistendi consequentiam. Ita docet D. Thom. 1. par. quæst. 16. ar. 3. Caiet. ibid. atque alij in eodem loco, & communiter ab omnibus tanquam certum supponitur. Atque hoc ipsum etiam docuit Arist. 3. Metaph. tex. 4. inquiens *Quare vt se habeat vnumquodque secundùm esse, ita etiā secundum veritatem*. Cum ergo Arist. tribuat veritatem rebus eo modo, quo tribuit esse, ita vt eodem pacto participēt esse, & veritatem, iam non separat veritatē ab ipso esse, vnde oportet, quòd ponat necessariam connexionem inter esse, & veritatem, ita vt posito esse consequatur veritas, & econtra. Verùm vt consequenter ad nostra principia loquamur, debet ens sumi, prout cō plectitur tantùm creatum, quia hoc solum est propriè ens; Deus verò non est propriè ens, sed supra ens propter suā eminentiam, quemadmodum etiam debet sumi veritas, vt scilicet non se extendat ad veritatem, qua Deus dicitur verus, neque enim propriè Deus est verus, sed ipsa veritas per essentiam, seu supra veritatem.

1. Ratio D. Tho. IV. Prob. autem hæc conclusio ratione, quā vtitur D. Thom. loco citato. Supponit autem, quod ratio veri cōsistat in ratione cognoscibilis; & hoc supposito format argumentum omne ens est cognoscibile, & quicquid ens est, cognoscibile est, ergo cum veritas consistat in ratione cognoscibilis. Omne ens habebit veritatem, & quicquid verum erit, etiam ens erit, quia posita ratione entis, ponitur cognoscibilitas, & posita cognoscibilitate, ponitur ens. Per cognoscibilitatem autem intelligitur cognoscibilitas in ordine ad intellectum, quia hæc ad omnia se extendit, vt ibid. adnotat Caiet. ad quæ se extendit quæcunque alia cognoscibilitas, nā intellectus est potentia quædam vniuersalis, quæ omnia attingit, etiam quæ attinguntur à cæteris potentijs. Probat autem antecedens, quòd scilicet omne ens sit cognoscibile, & econtra, nam in tantum aliquid cognoscitur, in quantum est ens, ita vt quicquid in ipso est ens, cognosci possit, & non possit aliquid attingi, quod non sit ens, sed necessariò totum id, in quod cognitio fertur, sit ens, ergo posita ratione entis ponitur cognoscibilitas ex eo, quòd quælibet ratio entis cognosci potest, atque adeo omne ens est cognoscibile: & econtra posita cognoscibilitate ponitur ratio entis ex eo, quòd intellectus non potest cognoscendo aliquid attingere, in quò non attingat rationem entis, atque adeo omne cognoscibile est ens.

Confir. ex Arist. Quomodo anima fiat omnia. V. Et in confirmationem addit, quòd tradit Arist. 3. de Anima tex. 37. quòd scilicet anima cognoscendo fiat omnia; hoc enim verum est, quatenus intellectus per suam cognitionem exprimit in se similitudines rerum intellectarum, dum enim intelligit lapidem, exprimit in se similitudinem lapidis, dū intelligit leonem, format in se similitudinem leonis, & sic de cæteris, atque huiusmodi similitudo nō est aliud, quā esse intentionale rerum cognitarum, seu illa imago, qua res cognitæ repræsentantur intellectui. Cum ergo intellectus de se possit omnia cognoscere, consequenter potest omnia fieri. Hinc ergo deducitur, quod omnia sint cognoscibilia, quia per cognitionem intellectus fit omnia, atque adeo quòd posito ente ponatur cognoscibilitas. Rursus cum intellectus intelligēdo fiat id, quod intelligit, debet consequenter quicquid cognoscibile est, habere aliquam rationem entis, quam possit intellectus in se exprimere; Atq; adeo omne ens erit cognoscibile, & omne cognoscibile erit ens. Hæc quidem ratio rectè procedit, & efficax est, nec infringi aliquo pacto potest, nisi negetur suppositum. Quod scilicet veritas consistat in cognoscibilitate. Verùm quamuis veritas non dicat formaliter cognoscibilitatem, quod modo non est disputandum, adhuc tamen discursus vim suam obtinet; adhuc enim verum est, quòd veritas, & cognoscibilitas se mutuò inferant, ita vt posita vna ponatur & altera, atq; ablata auferatur. & proinde si omne ens est cognoscibile, est ēt verum, & si omne cognoscibile est ens, omne etiam verum est ens. Hoc autem sic declaratur, quoniam statim ac habeo

cogno-

cognoscibile, habeo aliquid ita commensuratum, & ordinatum in se, vt cognosci possit, atque adeo oportet, vt subsistat in se iuxta suam mensuram; si autem subsistat iuxta suam mensuram, iam habet conformitatem ad illam, quæcunque illa sit, atque adeo veritatem, cum veritas consistat in commensuratione ad suam mensuram: & hoc pacto omne cognoscibile est verum. Rursus statim ac habeo aliquid verum, habeo aliquid cognoscibile, quia hoc ipso, quod verum est, cognoscibile est; veritas enim est quędam ratio attingibilis ab intellectu. Quamobrem posito cognoscibili ponitur verum, & ablato aufertur, quoniam ipsamet veritas est cognoscibilis; & similiter, posito quod verum est, habetur cognoscibile, & ablato aufertur, nam aufertur id, quod est in se commensuratum, vt sit ordinatum ad cognitionem: atque adeo in teruenit perfecta adæquatio.

2. ratio. VI. Secundò addere possumus illam rationem, qua veritas tanquam passio demonstratur de ipso ente: si .n. ostenditur, veritatem conuenire enti tanquam passionem, hoc est tanquam quid necessariò consequens ab intrinsecis principijs ipsius, consequenter etiam ostenditur, esse quid adæquatum, & conuertibile cum ente. Ratio autem ita se habet. Est ens, ergo est verum. Vt autē efficacia ipsius percipiatur, oportet ostendere, quomodo deducatur consequentia, & aperire, quænam sit ratio connectendi hos duos terminos, nempe ens, & verum: in hac enim ipsa ratione fundatur tota vis consequentiæ. Ratio autem huiusmodi nulla alia est, quam explicatio ipsius termini entis, & Veritatis, quæ, vt diximus, consistit in quadam rectitudine, & commensuratione: vnde cum percipiatur, quid sit veritas, sumenda est explicatio conceptus entis, vt de ipso veritas demonstretur; huiusmodi enim explicatio æquiualet definitioni, & cum definitio in ijs, in quibus reperitur, sit medium demonstrationis, quo passio demonstratur de subiecto, ipsa quoque erit mediū pro demonstrandis passionibus entis. Ens autem in suo conceptu nihil aliud dicit, nisi habere esse. Sic ergo procedit demōstratio. Quod habet esse in se, habet esse verum, seu participat veritatē, eò quòd habet esse cum debito ordine,

Demonstratio veritatis tanquam passionis de ente.

rectitudine, & commensuratione, nam habet esse in se eo modo, quo debet habere; & si non habet esse eo modo, quo debet habere, non habet esse in se, quia impossibile est, quod esse alicuius sit, & non sit eo modo, quo debet esse, quod euidentius patebit, si id consideretur in aliquo ente particulari; vt enim homo habeat esse, oportet, vt habeat eo modo, quo debet habere, nimirum vt habeat cum tali mensura, & cum tali essentia; & si non habet eo modo, quo debet habere, nimirum cum tali essentia, & mensura, impossibile est, quòd habeat suum esse. Hic autem subnectitur minor; Ens habet esse, & deducitur consequentia, ergo habet veritatem; quæ consequitur ab intrinsecis principijs ipsius, quia consistit in eo, quòd habeat esse, sicut debet habere.

3. ratio. VII. Tertiò argumentor. Veritas ex natura sua, cum sit quædam conformitas, est alicuius veritas, itaut impossibile sit, dari veritatem, nisi etiam detur id, cuius sit veritas, quia eo ipso, quod est conformitas quędam, concipitur necessariò & id, quod conforme est, & id cui conforme sit. Hinc autem fit, vt nō possit veritas latius patere, quam ens communissimè sumptum; cum enim extra ens nōn sit aliquid, sed solùm merum nihil, neque etiam adest extra ipsum quicquam, cuius veritas sit veritas. Rursus neque potest minus latè patere, quam ens communissimè sumptum, nam cum ex intrinseco suo sit alicuius conformitas, nempe alicuius entis, debet veritas vt sic, quæ est prima ratio veritatis, esse veritas entis vt sic, vt in latitudine seruetur debita proportio, qua enti communissimè sumpto tribuatur veritas communissimè sumpta, seu primæ rationi entis tribuatur prima ratio veritatis. Quod insuper confir. Quoniam talis veritas, vt veritas enunciationis, aut cognitionis est veritas talis entis; ergò vt seruetur debita proportio debet veritas vt sic, quæ est prima ratio veritatis, consequi ens vt sic, quod importat primam rationem entis. Ex his ergo concluditur, quòd veritas adæquetur cum ente, nam non potest nec latius patere, nec minus latè, quàm ipsum ens.

Veritas non latius patet, quā ens.

Ad rationem dubitandi. VIII. Ad rationem autem dubitandi, initio sectionis allatam respondet D.Thom. citato art. 3. quæs. 16. primæ

partis in responsione ad secundū, quòd non ens non est de se cognoscibile, sed fit tantùm cognoscibile, quatenus apprehenditur ad modum entis, vnde neque de se habet veritatem, sed solùm quatenus ad modum entis cognoscitur, & proinde veritas semper fundatur in ente. Hæc quidem responsio vera est, non tamen videtur adæquatè satisfacere difficultati: nam adhuc instari potest, quòd præscindendo ab eo, quòd non ens cōcipiatur ad modum entis, adhuc verum est de ipso puro non ente, quatenus non ens est, & absq; eo, quòd sit conceptum ad modum entis, quòd sit non ens, ita vt eodem modo sit verum, ens esse ens, ac non ens esse non ens.

Quid significet nō ens esse verè nō ens. Respondendum est igitur, quòd cum dicitur, verum esse, quòd non ens sit nō ens, sicuti est verum, quòd ens sit ens, tota veritas se tenet ex parte intellectus iudicantis, non autem ex parte obiecti, & in eo consistit, quòd intellectus ita concipiat, quemadmodum debet concipere, vt conformetur cum obiecto, & ideo quando iudicat, non ens esse non ens, verè iudicat, quia eō formatur eum obiecto; cum enim obiectum sit non ens, nullam participans rationem entis, id ipse concipit, & per suum iudicium enunciat, quando dicit, quod sit non ens, hoc est nullam participans rationem entis. Hoc autem iudicium promit formando ens rationis, & tribuendo non enti rōnē entis, quia non potest attingere non ens sub ratione non entis. *Quid dicat verū non ens* Quòd si rursus vrgeas. Nō ens esse verū non ens, respōdetur, quòd cum dicitur verum non ens, ly verum coarctatur ab ipso non ente ad significādū, quòd non ens non participet veram aliquam rationem entis, sed quamcunque rationem entis excludat, quemadmodum quando dicimus, ens esse verū ens, nihil aliud significamus, quàm rationē entis esse in ipso proprio modo. Ad confirmationem dicitur, veritatem propositionum non se tenere ex parte obiecti, sed solùm ex parte intellectus enunciantis; & ideo quòd aliqua propositio sit vera, nō sequitur veritas aliqua in obiecto, si alioquin illā ex se non habeat. Consistit.n. veritas propositionis in eo, quòd enunciet, & explicet, quemadmodum obiectum se habet, & proinde debet explicare, quod est, tanquam quod sit, & quod nō est, tanquam quod non sit. Hinc veritas propositionis negatiuæ in eo consistit, quòd explicet nō esse, quòd reuera non est, quia tali pacto cum obiecto conformatur; hinc cū id, quod non est, nullā in se habeat veritatem, neque etiam ponitur per propositionē negatiuā, sed remanet in ipsa, tanquam in ente positiuo; propositio.n. negatiua, licet dicat aliquid negatiuū ex parte obiecti, in se tamen formaliter dicit aliquid positiuum; est enim iudicium positiuum intellectus.

An veritas sit in rebus; aliorum opiniones.

SECTIO III.

I. ALter punctus difficultatis examinandus, ex quo dependet resolutio præsentis difficultatis, est, an veritas sit in rebus, & quæstio procedit de rōne formali veritatis, an videlicet sit intrinseca rebus. Vt aūt pūctus difficultatis rectè percipiatur, sciēdū est, quòd cū intellectus possit res oēs cognoscere, pōt consequenter in seipso formare notitiā verā de quacūq; re, & veritas talis notitiæ in eo consistet, quòd habeat cōformitatē cū re cognita: & huiusmodi veritas dicitur veritas cognitionis. *Punctus difficult.* Sicuti autem cognitio se extendit ad res omnes, ita ēt veritas cognitionis se extendere potest, vnde res omnes possūt dici veræ per ordinem ad intellectum, quatenus in ipso habent cognitionem sui veram. Cum.n. illa conformetur cū rebus, quatenus est manifestatiua esse earumdem, res ipsæ intentionali modo existunt in cognitione, atq; adeo in ipsa vero modo existunt, quia ita repræsentātur, sicuti sunt: & proinde possunt dici veræ per ordinem ad cognitionē, quatenus in ipsa vero modo existunt. Hoc autem in controuersiam non venit, quia certum est, huiusmodi veritatem cognitionis non reperiri intrinsecè, & formaliter, nisi in sola cognitione, quod declarauit etiam Arist. 6. Metaph. tex. 8. inquiens; *Non enim est falsum, & verum in rebus (vt quod bonum, verum, quod verò malum, falsum) sed in mente*. *Arist.* Solùm autem dubitatur, an veritas essentiæ sit formaliter, & intrinsecè in rebus, ita vt ab intrinseca forma denominentur veræ veritate propriè dicta.

II. Prima ergo sententia negat, veri-

1. opinio veritatē nō esse in rebus Herv. Durand. Caiet. Vasquez Henr. Hurtad. Valent.

ritatem esse formaliter in rebus, & vult res dici veras sola denominatione extrinseca desumpta ex habitudine, quam res dicunt ad cognitionem verā. Ita docent Herv. quodlib. 3 ar. 2. Durand. in 1. dist. 19. quæst. 5. num. 14. & quæst. 6. num. 9. qui ait. Veritatem esse tantùm in rebus fundamentaliter, & in intellectu obiectiuè eò, quòd velit, esse ens rationis, quod in nullo est subiectiuè, sed tantùm obiectiuè in intellectu. Præterea Caiet. 1. par. quæst. 16. art. 6. in fine Vasquez 1. par. disp. 77. cap. 4. qui latè de hoc disputat, & pro hac opinione citat etiam Heur. in summa quæst. 3. art. 3. & 4. Rursus Hurtad. in Metaph. disp. 7. sect. 1. §. 16. & in eamdem sententiam inclinare videtur Valentia tom. 1. disp. 1. quæst. 16. puncto 1. Et sequuntur nonnulli alij Recentiores. Quòd si inquiras à Vasquez, quomodo res dicantur veræ, & quomodo veritas sit passio entis, & verum sit obiectum intellectus. Neq; res dici veras, quatenus sunt aptæ causare veram cognitionem; vnde homo dicitur verus, quatenus causat veram cognitionem suipsius: & cap. 5. ait, Verum esse passionem entis non secundùm rationem formalem veritatis, sed prout importat vim illam causatiuam veræ cognitionis, seu veri indicij intellectiui. Rursus dicitur obiectum intellectus, non quòd importet rationem formalē obiecti, sed quia dicit conditionem quamdam consequentem ex respectu ad ipsum intellectum, vt etiam denominatio intelligibilis.

Rationes pro hac sētentia.

III. Argumentantur autem primò. Falsitas simplex, nimirum ea, quæ non consistit in compositione, nō reperitur in rebus, ergo nec etiam veritas simplex. Antecedens probant, quoniam ideo res diceretur falsa, quia deficeret ab idea, vel ergo deficit in essentialibus, & tunc non deficit, quia non est; vel in integralibus, & tunc non est falsa, sed mala. Consequentiam probant. Quoniam oppositorum est eadem ratio, vnde si in rebus datur vnum, debet dari etiam alterum. Secundò. Res dicuntur falsę, quia causāt falsam cognitionem vt aurum falsum, quod extrinsecè apparet aurum, & non est, ergo etiam res dicitur vera non formaliter, sed quia causat veram cognitionem. Tertiò si res diceretur vera, quia habet suum esse, sequeretur, quòd negationes quoq; deberent dici veræ, cum & ipsæ habeāt suum esse. Quartò Falsitas est tantùm extrinseca denominatio, nam aurū dicitur falsum tātùm per ordinem ad cognitionem, nā semper in se est id, quod est, ergo etiam veritas erit tantùm extrinseca denominatio per ordinem ad cognitionem. Deniq; sequeretur, quòd ipsa quoq; falsitas esset vera, est.n. operatio intellectus, quæ est ens, vnde si veritas est intrinseca enti, falsitas habebit suā intrinsecā veritatē, q̄ erit vera.

2. sententia veritatē esse in rebus formaliter.

IV. Secunda autem sententia communis est. Asserit autem; Veritatē esse formaliter, & intrinsecè in rebus, ita vt per formam intrinsecam veræ dicantur, & non per solam extrinsecam denominationem desumptam à cognitione vera, quam causare possunt. Ita docet Ferrar. 1. contra Genr. cap. 60. §. *Aduerte &c.* Capr. in 1. dist. 19. quæst. 3. ar. 1. concl. 1. & 2. Soncin. 6. Metaph. q. 17. Iauel. de Transcend. cap. 5. Fonseca 4 Metaph. cap. 2. quæst. 6. sect. 7. Bannes 1 par. quæst. 16. ar. 1. Suarez in Metaph. disp. 8. sect. 7. n. 4. Auersa in Philosoph. quæst. 6. sect. 1. Meurisse. Metaph. cap. 3. quæst. 3 & communiter alij, quòd potius tanquam certum supponunt, quàm disputent, dum docent, verum esse rationem formalem obiectiuam intellectus, quemadmodum bonum voluntatis. Et hæc sententia procul dubio est D.Th. 1. par. quæst. 16. ar. 1. & quæst. 1. de Verit. ar. 2. qui sanè attētè legēdus est, prę sertim ar. illo 1. quæst. 16. nā videtur ponere veritatē in solo intellectu, & ab ipso deriuari in res ipsas, dū docet, res esse veras per ordinē ad intellectū. Sed re vera ponit formaliter et in rebus. Distinguit. n duplicē intellectū alium, ad quē res habet ordinē per se, & aliū, ad quē habet ordinē per accidēs: veritas aūt deriuatur in rē, nō à quocūq; intellectu, sed ab eo, ad quē dicit ordinē per se: & ad eū habet ordinem per se, à quo dependet quò ad suū esse: hinc modus deriuationis, quo veritas ab intellectu deriuat in res, cōsistit in cōmunicatione illius similitudinis: q̄ præexistit in intellectu, & quā exprimit in se esse, quę rebus cōmunicatur: vnde veritas rerum consistit in illa forma, seu similitudine, quam assequitur res, quæ ponitur in esse ex eo, quòd imitatur formam illam, quę erat in intellectu, à quo per se dependet

Ferrar. Capr. Soncin. Iauel. Fonseca. Bannes Suarez Auersa Meurisse

D.Th.

quo ad esse. Hinc concludit D. Tho. *Vnde vnaquęq. res dicitur vera absolutè secundùm ordinem ad intellectum, à quo dependet. Et inde est, quòd res artificiales dicuntur vera per ordinem ad intellectum nostrum. Dicitur enim domus vera, quę assequitur similitudinem formę, quę est in mente artificis: & dicitur oratio vera, in quantum est signum intellectus veri. Et similiter res naturales dicuntur esse vera, secundùm quod assequuntur similitudinem specierum, quę sunt in mente diuina. Dicitur .n. verus lapis, quia assequitur propriam lapidis naturam secundùm pręconceptionem intellectus diuini.* Hæc est doctrina D. Th. ex qua manifestè colligitur, ponere formaliter, & intrinsecè veritatem in rebus, quia si veritas consistit in illa similitudine ad suam ideam, quàm res imbibunt in proprio esse, quis non videt, esse quid intrinsecum rebus.

Veritatem esse formaliter in rebus.

SECTIO IV.

I. Si quis attendat, scientias omnes in hoc insudare, vt rerum veritatem assequantur, & earumdem naturas attingat, prout in se verè sunt, proculdubio hãc posteriorem sententiam veram fatebitur. Vt igitur eam declaremus, prius aduertimus; quòd qui ponunt in rebus veritatem formaliter, non ideo negant, res esse causam illius cognitionis, quæ est in intellectu creato. Certum est enim, quòd res causant illam cognitionem veram, quæ est in cognoscente: debet enim obiectum concurrere ad cognitionem, & mouere intellectum, vt in se formet similitudinem aliquam repræsentatiuam rei cognitæ, ratione cuius intellectus commensuretur cum ipsa, & habeat in se veram cognitionem illius. Sed negant, res dici veras ex hoc capite; Sed quemadmodum cognitio habet in se suam intrinsecam veritatem, qua dicitur vera, ita etiam volunt, res cœteras habere suam intrinsecam veritatem, à qua dicantur veræ denominatione intrinseca.

Res causant cognitionẽ veram.

II. Hinc ponenda est cõclusio. Veritas est formaliter, & intrinsecè in rebus, ita vt sint veræ per formam intrinsecam, quæ importet rationem formalem veritatis. Desumitur hæc cõclusio ex doctr. Arist. nam 2. Metaph. tex. 4. habet. *Quare vt secundùm esse vnumquodq; se habet, ita etiam secundùm veritatem.* & 5. Metaph. tex. 34. enumerans diuersos modos, quibus aliquid dicitur falsũ, ait. *Res itaq; falsę sic dicuntur, aut eo quòd non sunt, aut eò quòd imaginatio ab eis facta non entis est.* Si ergo quæ non sunt, falsa sunt per Arist. quæ sunt, erunt vera, & veritas erit in ipsa rõne entis, & lib. 6. Metaph. tex. 8. docet, id, quod verum est, esse ens, & quod non est, esse falsum. Inquit. n. *Quod aũt tãquã verũ, ens, & nõ ens vt falsum.* Et hoc ipsum sentiunt etiam Patres, pręsertim D. Ansel. Dial. de Verit. cap. 7. vbi habet. *Est igitur veritas in omnibus, quę sunt essentia, quia hoc sunt, quod in summa veritate sunt*, & D. Aug. lib. 2. Soliloquior. cap. 5. definiens verum ait *Esse id. quod est.*

Concl. Veritas est formaliter in rebus.

Arist.

D. Ansel. D. Aug.

III. Vt autem cõfirmemus nostrã conclusionem, aduertimus prius. Hanc formam intrinsecam tribuentem effectum formalem veritatis, non esse aliã realiter, quam ipsummet esse rei. Cum enim res nihil intrinsecum habeat, nisi propriũ esse, quia quicquid non est esse ipsius, quamuis ipsi vnitum sit, est quid extrinsecum, quod non potest aliquem intrinsecum effectum formalem eidem exhibere, sed tantùm effectũ in ipsa receptũ; idcirco si participat intrinsecam formã veritatis, non debet hæc forma esse distiucta ab esse rei, sed aliqua ratio in ipso intimè inhibita, & pertinens ad adæquatã constitutionem ipsius. Hoc autem præsupposito prob. conclusio. Veritas est formaliter in ipsa cognitione, ergo etiam est formaliter in obiecto. Circa antecedens nulla est difficultas, & ab omnibus conceditur, quia certum est, dari cognitionem, quæ sit conformis obiecto. Consequentia autem declaratur, attendendo ad veritatem cognitionis. Veritas enim cognitionis in eo consistit, quòd repræsentet obiectum, sicuti est in seipso; vnde illa cognitio falsa est, quæ aliter repræsentat obiectum: quocirca si consideremus id, ex quo formaliter habet cognitio, quòd sit vera, non erit aliud, quàm similitudo illa obiecti, quæ repræsentatiuè continet obiectum, & per quam cognitio formaliter habet, quòd sit conformis obiecto, & in tantum reddit cognitionem veram, in quantum est vera similitudo obiecti,

Veritas nõ est distincta ab esse rei.

quòd si non esset vera similitudo, neq; etiam faceret cognitionem veram. Quòd si inquiras, vnde formaliter habeat, quòd sit vera similitudo obiecti; certè non aliud responderi potest, nisi ex eo esse veram similitudinem obiecti formaliter, & reddere cognitionem formaliter veram, quòd continet in se illud ipsum esse formale, per quod constituitur obiectum in seipso; vnde dicitur vera, quia continet verum esse obiecti. Quia autem cognitio instituta est ad repræsentandum obiectum, ideo veritas ipsius, est veritas in repræsentando, & consistit in esse repræsentatino. Cû ergo cognitio habeat suam veritatem formaliter, quatenus continet similitudinem obiecti, quæ est ipsum obiectum repræsentatiuo modo existens in cognitione, & veritas ipsius sit veritas in esse repræsentatiuo, sequitur, quòd esse obiecti in esse repræsentatiuo sit veritas in esse repræsentatiuo. Hoc autem supposito conficitur argumentum pro probatione consequentiæ. Quod repræsentatiuo modo existit in cognitione, existit reali modo, & quo ad ordinem essendi in ipso obiecto, sed in cognitione existit veritas in esse repræsentatiuo, & huiusmodi veritas non est aliud, quàm esse obiecti, quatenus in esse repræsentatiuo continetur, ergo eadem veritas, quæ in esse repræsentatiuo est in cognitione, & importat formaliter obiectum in esse repræsentatino, erit in ipso obiecto reali modo, & importabit reale esse obiecti.

Confir. IV. Hinc autem est, quòd quædā dicimus vera, quædam falsa in essendo, independenter à cognitione, & absque vlla comparatione ad ipsam, sed solùm comparata inter se; atque mensuram veritatis, & falsitatis non aliunde sumimus, quàm ex illo ipso esse, quod participant: sic dicimus aurum verum, & aurum falsum, attendendo solùm ad illud esse, quod participant. Et si quis quærat, cur hoc sit aurum verum, non respondetur, quia potest causare verā cognitionem, sed quia participat verā naturam, & quidditatiua prædicata auri. Similiter, si quis quærat, cur hoc sit aurum falsum, non respondetur, quia causet cognitionē falsam auri, sed quia habet tantùm quandam similitudinem, non autem participat veram naturam, vnde per ordinem ad verum aurum mensuratur falsitas auri falsi. Hoc autē manifestè indicat, quòd concedenda est formalis veritas, quæ intrinseca sit cuicunque rei, & per quam in esse vero talis naturæ constituatur.

Res falsæ, & veræ absq; comparatione ad cognitionē

V. Secundò confir. eadem ratio ex proportione, quæ necessariò seruanda est inter actum cognitionis, & obiectum: cognitio enim, vt cognitio est, secundùm totum esse consistit in esse repræsentatiuo, vnde habet totum suū esse dependenter ab obiecto, ita vt non possit habere aliquid in se, quod non accipiat ab obiecto tanquam repræsentatum, quicquid enim dicit repræsentatio, vt talis, est quid repræsentatinum vt quo, repræsentatiuum autem habetur à repræsentato, quatenus exhibet id, quod debet repræsentari. Proportio ergo inter cognitionem, & obiectum, in hoc consistit, quòd nihil dicat cognitio, prout est repræsentans, quod nō sit in obiecto, tanquam in repræsentato, eò quòd seruant proportionem repræsentantis, & repræsentati. Si ergo veritas est in cognitione, est eo quòd cognitio vero modo repræsentat obiectum, atque adeo si est in ipsa vt in repræsentatione, debet esse in obiecto tāquam in repræsentato.

Alia cō fir. Proportio cognitionis ad obiectum.

VI. Posset tamen aliquis occurrere dicens. Quòd veritas non repræsentatur à cognitione, sed est ipsamet repræsentatio, & consistit in eo, quòd sit conformis obiecto, & ideò non hinc sequi, vt debeat esse in obiecto. Sed reijcitur; primò quidem, quoniam ipsamet repræsentatio cognitionis non est aliud, quàm imago illa obiecti, hæc aūt imago obiecti est in obiecto reali modo, & tamquam repræsentata; ergo si veritas est ipsamet repræsētatio, adhuc debet esse in obiecto, vt repræsentata. Confir. quoniam repræsentatio illa, quæ est imago obiecti, desumitur ab obiecto, & non est aliud, quàm ipsum obiectum existens in esse repræsentatiuo, ergo quicquid dicit illa repræsentatio, debet etiam dicere obiectum reali modo. Præterea cognitio, vt cognitio est, secundùm se totam est pura repræsentatio, vnde quicquid in se includit, debet esse per modum repræsentationis illius, si ergo dicit veritatem, debet dicere per modū repræsentationis; quicquid autem dicit per modum repræsentationis, debet esse in obiecto per modum

Responsio. Reijcitur

dum repræſentati. Confirm. quicquid habet cognitio in ordine ad obiectum, deſumitur ab ipſo tanquam à ſpecificatiuo, & hoc præcipuè patet quò ad veritatem, nam cognitio vera ſpecificatur ab obiecto vero, & falſa ab obiecto falſo, nec poteſt cognitio eſſe vera, niſi habeat obiectum verum: hinc in eo, quod cognitio habet in ordine ad obiectum, debet ſeruari proportio ſpecificati ad ſpecificatiuum, quia autem cognitio ſpecificatur ab obiecto tanquam à repræſentabili, ideo proportio ſpecificationis cognitionis ad ſpecificatiuum, erit repræſentantis ad repræſentatum, quæ in eo conſiſtit, vt quicquid dicit repræſentans repræſentatiuo modo, dicat repræſentatum tanquam repræſentabile: Vnde cum cognitio habeat veritatem in ordine ad obiectum, & ab ipſo deſumatur tanquam à ſpecificatiuo, debet eſſe in ipſo tanquam quid repræſentatum.

Quid cõformitas cognitionis cum obiecto. VII. Tertiò vrgetur eadem reſpõſio. Ratio conformitatis, qua cognitio conformatur cum obiecto, eſt formalis ratio, qua cognitio conſtituitur vera, per id .n. formaliter eſt vera, per quod eſt conformis obiecto. Sed quod exiſtit in obiecto, quatenus transfunditur in cognitionem, & in ipſa exiſtit in eſſe repræſentatiuo, eſt ratio formalis conformitatis cognitionis cum obiecto, nã in eo conſiſtit conformatio, quòd ſit vera repræſentatio obiecti, ergo eſſe obiecti exiſtens per modum repræſentationis, & imaginis in cognitione, eſt formalis ratio veritatis ipſius. Quamobrem cum ratio veritatis ſit ratio illa imaginis, & ratio imaginis ſit in obiecto reali modo, iam veritas erit in ipſo ſecundùm eſſe reale. Quod magis clarum fiet, ſi conſideretur aliqua cognitio in particulari, vt eſt cognitio lapidis. Veritas enim cognitionis lapidis in eo formaliter conſiſtit, quòd ſit lapis intentionali modo exiſtens, ita vt ratio illa lapidis intentionalis, ſicuti eſt ratio formalis conformitatis inter cognitionem, & obiectum, ita etiam ſit ratio formalis veritatis: at huiuſmodi ratio lapidis intentionalis reali modo, & quo ad eſſe eſt in obiecto, ergo ratio formalis veritatis, qua cognitio in eſſe cognitionis eſt vera, eſt in obiecto, quò ad eſſe, & facit obiectum verum quò ad eſſe. Quartò: Veritas cognitionis eſt veritas repræſentationis, qua repræſentatio eſt vera in repræſentando, & tunc eſt vera, quando repræſentat verum eſſe obiecti; indè autem formaliter habet veritatẽ repræſentationis, quòd rationes illæ, quibus conſtituitur obiectum in ſuo eſſe, coaptantur in ipſa, & coordinantur quò ad eſſe repræſentatiuum, ſicuti coordinantur in obiecto quò ad eſſe reale; ſic cognitio hominis habet ſuam veritatem repræſentationis ex eo formaliter, quòd ratio animalis rationalis reperitur in ipſa in eſſe repræſentatiuo, atque conſtituit hominẽ intẽtionalem, ergo ſi rationes illæ, quibus conſtituitur obiectum in ſuo eſſe, quatenus in eſſe repræſentatiuo reperiuntur in cognitione, conſtituunt veritatem cognitionis formali modo, quæ eſt veritas repræſentationis; quatenus reali modò reperiuntur in obiecto, cõſtituent veritatem obiecti, quæ erit veritas quòad eſſe: ſunt enim eædem rationes proportionaliter, nec fit alia variatio, niſi de eſſe intentionali ad eſſe reale, & ideo debent conſtituere eamdem veritatem proportionaliter.

3. Cõfr. VIII. Tertiò principaliter confir. idem argumentum. Datur cognitio vera, & cognitio falſa. Ideo autem cognitio falſa eſt falſa, non quia quantum ad eſſe cognitionis ſit falſa, nam eſt eſſentialiter cognitio, atque adeo habet verum eſſe cognitionis, quo in ſe ipſa vera ſit; ſed ideo eſt falſa, quia non adæquatur cum obiecto, & ideo non adæquatur, quia non continet in ſe intentionali modo eſſe illius obiecti, ſed aliquod aliud, ad quod repræſentandum non eſt inſtituta: quamobrem in cognitione vera duplex veritas reperitur, altera, qua vera eſt in ſuo eſſe; altera aũt, qua eſt vera repræſentatio obiecti. Cũ igitur cognitio habeat formaliter ſuam veritatem in eſſe repræſentationis ex eo, quòd cõtinet in ſe intentionali modo obiectum, ita vt quod dicit obiectũ reali modo, dicat cognitio intentionali modo: ſed obiectũ, vt exiſtit in cognitione, importat veritatẽ intẽtionalẽ, ſeu repræſentationis, & ideo quatenus reali modo exiſtit, importabit veritatẽ in eſſe reali, ſeu quò ad eſſe eſſentiæ.

Cur cognitio ſit falſa.

2. ratio. IX. Secundò principaliter prob. concluſio. Actus cognitionis ita comparatur cum obiecto, vt eſſentia ipſius proportionali modo ſit in obiecto, ergo ſi

go si in cognitione reperitur veritas intrinseca, debet etiam proportionali modo reperiri intrinseca veritas in obiecto. Anteced. declaratur simul, & probatur. Actus cognitionis seruat proportionẽ cum obiecto ex eo, quòd habet totum suum esse dependenter ab ipso. Proportio autem in hoc consistit, vt quod dicit actus per modum attingentiæ, eius obiectum dicat obiectiuo modo, & tanquam terminus talis attingentia, sic quia intellectio dicit rationem intellectiui per modum attingentiæ, eius obiectum dicit obiectiuo modo eamdem rationem intellectiui; nam ab intrinseco suo habet, quòd sit intelligibile; sic etiam quia sensatio dicit rationem sensitiui per modum attingentiæ, obiectum dicit intrinsecam rationem sensibilitatis. Ratio autem est, quia cognitio trahit obiectum ad potentiam, vt possit ab ipsa potentia attingi secundùm esse reale, & quia non potest trahi, vt sit in potentia secundùm esse reale, trahitur mediante cognitione, quæ idẽ est, ac attingentia formalis potentiæ, non potest autem obiectum trahi ad potentiam, nisi contineat in se esse obiecti per modum attingentiæ, quia in tantùm trahitur, in quantum esse ipsius defertur ad potentiam; & cum non deferatur secundùm proprium esse reale, non alio modo deferri potest, nisi cognitio in se illud contineat per modum attingentiæ, & econtra. Et ideo quando videmus aliquid esse in cognitione per modum attingentiæ, possumus rectè inferre esse in obiecto obiectiuo modo.

Quod est in cognitione per modũ attingẽtiæ est in obiecto obiectiuo modo.

Quo veritas cognitionis sit in ipsa.

Hinc autem declaratur consequentia. Nam veritas cognitionis est in ipsa per modum attingentiæ, non solùm quia cum cognitio sit secundùm se totam attingentia, quicquid est in ipsa, debet esse per modum attingentiæ, sed etiam quia cognitio ex eo formaliter, quòd vera est, tendit in obiectum vero modo, hoc est commensuratiuè ad ipsum, & facit, vt attingatur verum esse obiecti: & sicuti ratio intellectionis est in actu intellectiuo per modum attingentiæ, quia facit, vt attingatur esse intelligibile ipsius obiecti, ita quia veritas cognitionis tanquam ratio formalis facit, vt attingatur verum esse obiecti, debet esse in cognitione per modum attingentiæ. Atque quòd sit ratio formalis attingentiæ, inde etiã patet, quia ea posita, verum esse obiecti attingitur, & ablata non attingitur. Quare cum veritas sit in cognitione per modum attingentiæ stante veritate antecedentis, sequitur, vt debeat esse etiam intrinsecè in obiecto obiectiuo modo.

V. Tertiò argumentor. Ideo cognitio participat formaliter, & intrinsecè rationem veritatis, quia participat conformitatem, & adæquationem cum obiecto cognito, & talis adæquatio est ratio formalis cognitionis. Adæquatio autem cum obiecto in eo formaliter consistit, quòd cognitio dicat sua principia intrinseca debitè cõmensurata in ordine ad obiectum, vt sint talia, qualia exiguntur à cognitione, vt habeat suam debitam adæquationem cum obiecto: huiusmodi enim adæquatio, ratione cuius formaliter cognitio est vera, consurgit ex intrinsecis principijs cognitionis, & ideò qualia ipsa sunt, talis quoque est commensuratio cognitionis, si enim benè ad inuicem se habent, & iuxta debitam mensuram ordinata, tunc cognitio quoque in sua adæquatione rectè se habet, & consequenter non habet suã veritatem, qua verè repræsentet obiectum, sicuti est. Pari ergo modo philosophandum est in obiecto, obiectum enim habet sua intrinseca principia, quibus constituitur, & hæc sunt rectè inter se ordinata secundùm debitam mensuram, ita vt constituant illud ipsum esse: quod debent constituere; si ergo principia intrinseca cognitionis debitè commensurata fundant veritatem ipsius quò ad esse cognitionis, cur etiã principia obiecti, cum sint debito modo commensurata, non fundabunt veritatem obiecti, quò ad tale esse, ita vt sit in ipso intrinsecè formalis ratio veritatis? certè militat eadem ratio, & proinde si cognitioni tribuitur formalis veritas, debet etiam tribui cœteris rebus.

3. ratio.

Vnde veritas in cognitione oriatur.

Idẽ fundamẽtũ veritatis inter uersiõ in cognitione & in cęteris rebus.

XI. Quartò etiam argumentari possumus ex ea veritate, quam tribuũt rebus Auctores oppositæ sententiæ, tribuunt enim veritatem rebus, quatenus sunt causatiuæ veræ cognitionis. Verùm ex hoc ipso sequitur, quòd formalis veritas sit intrinsecè in ipsis, qđ sic declaratur. Cognitio in tantum 4. ratio.

est

Quò ex parte obiecti in ordine ad cognitioné interuenit cómẽſuratio, atq; adeo veritas.

eſt vera, in quantum originatur ab obiecto, ſibi ipſi commenſurata, atque adęquata, & ex eo formaliter intelligitur veritas cognitionis, quòd intelligitur eiuſdem commenſuratio cum obiecto. Verùm ex parte quoque obiecti in ordine ad cognitionem interuenit commenſuratio. Cum enim ſit cauſa cognitionis veræ, neceſſe eſt, vt habeat debita principia, quibus poſsit cauſare cognitionem veram: ex hoc autem fit, vt ratione horum principiorum ſit obiectum commenſuratum quò ad eſſe cauſatiuum veræ cognitionis reſpectu eiuſdem cognitionis; nam habet totum id, quod exigitur à cognitione vera, vt ab ipſo cauſetur. Quamobrem ſicuti cognitio commenſuratur cum obiecto in ratione repræſentatiui, ita obiectum commenſuratur cum cognitione vera in ratione cauſatiui veræ cognitionis. Sicuti ergo commenſuratio in ratione repræſentatiua reddit cognitionem veram, quatenus quædam repræſentatio eſt, ita commenſuratio cauſatiui reſpectu cognitionis reddet obiectum verum, quatenus ens, quoddam eſt cognoſcibile. Accedit etiam, quòd commenſuratio ex intrinſeca ſua ratione eſt mutua; non enim vnum poteſt alteri commenſurari, niſi hoc quoque eidem commenſuretur, quòd manifeſtum fit in quantitatibus, non enim vna quantitas poteſt alteri commenſurari, niſi hæc quoque eidem commenſuretur. Et proinde impoſſibile eſt, quòd cognitio cum obiecto commenſuretur, niſi ſimul etiam obiectum commenſuretur cum cognitione; ſi ergo cognitio habet intrinſecam veritatem ex eo, quòd ab intrinſeco ſuo commenſuratur cum obiecto, obiectũ quoq; habebit intrinſecam veritatem, quia ab intrinſeco ſuo commenſuratur cum cognitione.

Cómẽſuratio ex intrinſeca ſua ratione eſt mutua.

5. ratio.

XII. Denique argumentor ex diſcrimine inter entia rationis, & inter vera entia realia. Entia enim iſta rationis, qualis eſt chymera, dicuntur entia ficta, ſeu falſa ſecundùm ſe præciſè conſiderata independenter à quocunque alio, ita vt vnuſquiſque exiſtimet, falſitatem ſe tenere formaliter ex parte talium entium: & proinde quando cognoſcuntur, percipiuntur tanquam quid fictum, & non ſubſiſtens in ſeipſo. Ideo autem cenſentur falſa formaliter, & intrinſecè, quia ſunt impoſſibilia, nec participant eſſentialia vera conſtitutiua alicuius entis. E contra verò entia realia; nec ſunt impoſſibilia; & participant eſſentialia conſtitutiua talis, & talis entis; ergo entia realia erunt vera veritate ſibi intrinſeca ex eo, quòd participant propria conſtitutiua eſſentialia talis, & talis entis, quia quoties negatio eſt cauſa negationis, affirmatio etiam eſt cauſa affirmationis, & ideo ſi non participare eſſentialia conſtitutiua alicuius entis eſt cauſa non veritatis intrinſecæ, ſed falſitatis: participare talia eſſentialia erit cauſa veritatis intrinſecæ. Hinc autem fit, quòd homo pictus dicitur falſus in comparatione ad illum, qui participat eſſentialia conſtitutiua hominis, quia quod participat talia eſſentialia, dicitur verus homo in comparatione ad pictum. Rurſus Chriſtus nulla facta comparatione ad intellectum, ſed in ſeipſo intrinſecè eſt verus Deus, & verus homo; & hoc non aliunde habet, niſi quia in ſe dicit tale eſſe, ſeu tales naturas, vt altera includat propria eſſentialia Dei, altera verò propria eſſentialia hominis: & proinde cum in ſeipſo ſit verus Deus, & verus homo, neceſſe eſt, vt veritas ſit ipſi intrinſeca, qua in ratione Dei, & hominis verus ſit.

Entia rõnis cur falſa, & realia cur vera.

Soluuntur rationes oppoſitę ſententiæ.

SECTIO V.

Ad primum.

1. REſtat nunc, vt rationibus oppoſitę ſententiæ ſatisfaciamus. Cum ergo in prima dicitur, quòd falſitas ſimplex non datur in rebus, & proinde neque etiam debet dari veritas ſimplex, negatur conſequentia. Pro quo ſciendum eſt. Falſitatem eſſe in duplici differentia: alia enim eſt falſitas cognitionis, & alia rei. Vtraque autem falſitas eſt quid negatiuum, & contradictoriè, ſeu priuatiuè oppoſita veritati; in cognitione enim dicit negationem conformitatis cum obiecto; falſitas verò rei dicit negationem veri eſſe, ſeu eſſentialium conſtitutiuorum; vnde ſemper falſitas eſt negatio veritatis; nam in cognitione dicit negationem veritatis, dum dicit negationem conformitatis: falſitas verò

Falſitas cognitionis, & falſitas rei.

rò

rò rei, dum negat verum esse ipsius, negat veritatem talis rei. Ex hoc autem oritur discrimen, quòd falsitas cognitionis est negatio in apto subiecto, & determinato, nempe in cognitione, nam apta est, vt habeat veritatem. Falsitas verò rei, cum nihil aliud sit, quàm negatio eiusdem rei, & non ens, non habet subiectum determinatum, vnde licet veritas reperiatur, non debet ipsa reperiri in rebus, quia non ens non debet esse in rebus, ex eo quòd in ipsis sit ens. Vnde non valet arguere à negatione falsitatis simplicis ad negationē veritatis simplicis, quemadmodū non rectè quis argueret. In rebus non datur non ens, ergo neque ens.

Ad secundum. II. Ad secundum resp. Quod cum falsitas rei sit negatio illius veritatis, qua participat suum verum esse, est negatio consequenter esse ipsius, quia non potest tolli veritas talis esse, nisi etiam tollatur tale esse, & proinde sicut non ens non potest in ipsis reperiri.

Vnde aliqua etiā dicantur falsa. Ex quo fit, quòd cum aliquod ens dicitur falsum, ita tamen vt habeat verum esse reale, dicatur falsum non secundum illud esse, quod habet, quia reuera habet suum verum esse, sed solùm quò ad apparētiā, quia v. g. cū non sit aurum, apparet aurum: reuera tamen habet verum esse aurichalchi; vnde non habet veram falsitatem, sed apparentem; quæ tamen reducitur ad negationem alicuius esse veri, quatenus habet annexam negationem illius entis, quod præsefert importare, & non importat, cum importet alterius entis naturam: Atque quòd causet falsam cognitionem inde habet, quia habet quamdam similitudinem quò ad accidentia sensibilia, cum vero ente, quod propriè participat illam naturam, quā ipsum præseferre videtur. Hinc non dicitur falsum denominatione extrinseca, quia causet cognitionem falsam, sed dicitur falsum, quia non habet in se illud esse, quod præsefert habere; vnde quamuis reuera sit verum ens, apparenter tamen est falsum falsitate intrinseca, quia in intrinseco suo non habet illud, quod præsefert habere: & ex eo, quòd habet falsitatem intrinsecam apparentem, causat postea falsam cognitionem, quemadmodum entia vera ex eo, quòd habent intrinsecam veritatem, causant veram cognitionem.

Ad tertium. III. Ad tertium conceditur, vnamquamque rem dici veram, quia habet suum esse constans ex intrinsecis suis principijs essentialibus; sed tantùm abest, vt ex hoc sequatur, negationes debere esse veras, vt potius oppositum inferendum sit: si enim quod habet proprium esse, est verum ex eo, quòd participat tale esse, cum negationes nō participent aliquod esse, sed dicant ablationem illius esse, quod est verum esse, quomodo participabunt veritatem? tollunt enim veritatem, non autem participant.

An negationes habeant veritatē. Quòd si dicas, verè reperiri negationes, Respon. quòd sicuti ens, & forma reperitur in rebus, ita eius oppositum negatiuum non debet reperiri, & ideo negationes existunt tantùm obiectiuè in intellectu. Et in tantùm negationes dicuntur verè reperiri, in quantum intellectus potest vera cognitione cognoscere, non adesse aliquod ens positiuum. Hinc sequitur, quòd negationes sicuti auferunt ens, ita etiam auferant veritatem, & ad summum possint dici habere veritatem negatiuam, sicuti dicuntur existere negatiuo modo; quod tamen impropriè dicitur, & reuera habere veritatem negatiuam, non est aliud, quàm non habere veritatem. Ex quibus etiam colligitur solutio ad quartum; negatur

Ad quartum. enim, falsitatem esse extrinsecam denominationem desumptam à cognitione, quia ante falsam cognitionem supponitur falsitas in obiecto; quæ quidem, vt modo diximus, est tantùm falsitas apparens, cum obiectum reuera habeat suum verum esse. Quamobrem cū falsitas se teneat ex parte obiecti, atque sit secundùm esse ipsius, veritas quoque se tenebit ex parte obiecti, atque erit secundùm esse ipsius.

Ad quintum. IV. Ad quintum respondetur, in cognitione duo posse considerari, & rationem talis entis, & ordinem ad tale obiectum, qui quidem ordo non aliud importat, quàm conformitatem, aut difformitatem cum tali obiecto.

Duplex veritas in cognitione. Hinc autem fit, vt duplex veritas in cognitione considerari possit; altera quò ad essentiam, qua in seipsa iuxta sua essentialia vera sit; & altera in ratione repræsentationis, quæ consistit in conformitate ad obiectum, ita vt repræsentet obiectum, sicuti in se est. Quia autem potest

potest dari cognitio, quæ non sit conformis obiecto ex eo, quòd illud non repræsentet, sicuti est in se, ideo potest dari cognitio, quæ habeat vnam veritatem sine alia, nimirum veritatẽ quò ad essentiam. Quamuis enim cognitio non sit conformis obiecto, atq; adeo falsa, adhuc tamen habet veram essentiam cognitionis, vnde quò ad essentiam habet veritatem, quæ est veritas quædam essentiæ; in ratione verò imaginis, & repræsentationis in ordine ad obiectum, non habet veritatem; sed falsitatem, quia est difformis obiecto: & proinde eadem cognitio est simul vera, & falsa; vera quò ad veritatem essentiæ, & falsa falsitate repræsentationis. Quamobrem cum arguitur, quòd si veritas esset formaliter in rebus, falsitas esset vera, quia est operatio intellectus, quæ est ens, respondetur, quòd materialiter sumpta, & in concreto esset vera, non verò formaliter, & in abstracto: quia cognitio falsa duo dicit, & esse operationem intellectus, & negationem conformitatis cum obiecto: ratione operationis habet suam veritatem quò ad essentiam; ratione verò negationis nunquam est vera.

V. Ex his autem, quæ hucusque diximus, colligitur resolutio principalis quæstionis, si enim quæratur, an veritas sit passio entis, affirmatiuè respondendum est; difficultas enim ex eo oriebatur, quia dubium erat, an reperiretur in rebus, & an cum ente adæquaretur, ita vt seruata proportione vnicuique enti propria veritas conueniret, & proueniret ab intrinsecis principijs ipsius. Quamobrem cum in superioribus declaratum sit, quomodo veritas cum ente conuertatur, ita vt vnicuique rei ab intrinsecis suis principijs conueniat propria veritas; concludendum est; Veritatem esse passionem entis.

Quid dicat veritas de suo formali. Disp. LXVI.

Veritatem non esse formaliter ens rationis.

SECTIO I.

I. CVm veritas sit formali modo, & intrinsecè in rebus, & consequenter veritas trãscendentalis, quæ est passio entis, sit in ipso ente, nunc videndum est, quid de suo formali importet huiusmodi veritas, quatenus transcendentali modo se habet, & imbibitur in qualibet veritate peculiari, quia ex huius declaratione manifestũ fiet, quid de qualibet dicendum sit, cum vnaquæque quò ad rationem suam peculiarem veritatis importet proportionali modo id, quod dicit veritas vt sic: quod enim veritas vt sic dicit in communi, & indeterminato modo, talis veritas dicit secundùm determinatam rationem. Prius autem aliorum sententias expendemus; deinde nostram proferemus. Omittimus autem nunc sententiam Vasquez, qui cum neget, veritatem esse formaliter, & intrinsecè in rebus, volt consequenter consistere formaliter tantùm in denominatione extrinseca desumpta ab intellectu, qua ideo res denominantur veræ, quia causant cognitionem veram, quod etiam sentiunt alij, qui negant, veritatem formaliter in rebus: de hac enim opinione satis dictum est disput. præcedenti.

II. Est ergo prima sententia eorum, qui asserunt Veritatem de suo formali importare relationem rationis, quæ est relatio conformitatis in- 1. opin. Veritatẽ esse relationẽ rationis.

inter intellectum, & rem ipsam, seu est illa relatio conformitatis, quam intellectus concipit, res habere ad intellectum, quatenus intelligibiles sunt. Hæc opinio est Durand. in 1. distinct. 19. quæst. 1. Molinæ 1. par. quæst. 16. disput. 2. Fonsecæ 4. Metaphys. cap. 2. quæst. 6. sect. 1. Asserit autem Durandus, huiusmodi conformitatem non esse in essendo, quia inter res, & intellectum, cum sint diuersæ essentiæ, non conueniunt in essentia, sed esse conformitatem, quæ est tantùm obiectiuè in intellectu consurgentem ex eo, quòd res cognoscitur, sicuti est. Hoc autem Durandus docuit, quia putat, vt in illa quæstione se explicat, veritatem non esse formaliter in rebus, sed tantùm fundamentaliter, & proinde non haberi veritatem formalem, nisi quando ab intellectu cognoscuntur.

Durand. Molina Fonseca

III. Hanc sententiam sequutus est etiam Auersa in sua Philosophia quæst. 6. sect. 3. 4. & 5. qui quamuis nonnulla addat, vult tamen, veritatem de suo formali, quatenus est passio entis, importare relationem rationis. Ait enim, veritatem consistere formaliter in conformitate; atque huiusmodi conformitatem explicari posse per denominationem extrinsecam desumptam ab intellectu, seu ab eiusdem cognitione; nam posse cognosci, quod est denominatio desumpta ab ipsa cognitione formaliter, est quid commune cuicunque enti: atque tali pacto veritas explicata, vt sit passio entis, debet importare præcisè ipsam denominationem extrinsecam explicatam directè per ipsam cognitionem. Verùm subdit, debere veritatem, prout est passio entis, explicari per relationem rationis, quæ sit relatio conformitatis formata ab intellectu, quia cum passiones entis debeant esse quid ab ipso distinctum, nec detur aliquid distinctum, nisi sit quid rationis, consequenter veritas, quæ est passio ipsius, erit quid rationis, & cum conformitas sit quid respectiuũ, erit relatio rationis. Quod si inquiras ab Auersa, quænam sit hæc conformitas? respondet, quòd conformitas rerum, quatenus diriguntur, & regulantur, per cognitionem, potest, ac debet appellari veritas, non tamen est veritas, quæ sit adæquata passio entis, quia talis conformitas non se extendit ad Deum, cum à nullo reguletur, nec ad essentias rerum, quæ non fiunt per regulas artis, quia non sunt talis essentiæ, quia sic regulentur à cognitione, sed ideò tales cognoscuntur, quia sunt talis essentiæ. Rursus subdit, per hanc conformitatem posse intelligi illam, quam res habent, quatenus causant veram cognitionem, sed neque hanc posse constitui pro legitima passione entis, quia cum res non habeant hunc respectum causalitatis respectu intellectus diuini, & habeant hanc passionem veritatis respectu ipsius, consequenter hæc conformitas non erit vera passio entis, & seclusa tali causalitate adhuc res habent conformitatem cum intellectu, à quo cognoscuntur. Denique, inquit ipse, potest conformitas sumi pro ea, quæ conuenit rebus, quatenus sunt obiectum, & terminus cognitionis, & hæc est adæquata passio entis, hæc enim conuenit omni enti; & sicuti cognitio dicitur vera, quatenus conformiter fertur in obiectum, ita res dicuntur veræ, quatenus conformiter à cognitione attinguntur: & hoc modo res habent veritatem, etiam in ordine ad intellectum diuinum. Hæc est sententia Auersæ, quam per plures sectiones explicat.

Auersa.

IV. Hæc tamen sententia nullo pacto subsistere potest; vnde ponimus contra ipsam nostram conclusionem; veritatem de suo formali non importare relationem conformitatis, quæ sit relatio rationis. Hæc conclusio sequitur ex dictis disputatione precedẽti, quia si veritas est formaliter, & intrinsecè in rebus, nullo pacto potest esse ens rationis. Prob. autem, quoniã ens rationis, cum sit quid fictum ab intellectu, ita ut in se nihil sit, neq; etiã quò ad essentiam, est merè secundũ se totum quid contingens, & accidentali modo cõueniens, cuicunq; tribuitur, neque enim alicui ex natura sua cõuenit, sed sicuti in esse depẽdet ab intellectu illud fingente; ita etiã per accidens est, quòd alicui conueniat, quia per accidens est, quòd intellectus illud fingat, & attribuat alicui enti. Quis au-

Concl. Veritas nõ dicit de suo formali relationẽ rõnis

Nullum ens rõnis põt esse passio alicuius entis realis

autem non videat, hinc statim necessario inferri, non posse aliquod ens rationis, quodcunque illud sit, assignari pro passione alicuius entis realis? Passio enim entis realis debet illi necessariò, & per se conuenire, & independenter ab intellectu; alioquin non habet rationem passionis, quia tolluntur essentialia constitutiua ipsius.

Occurritur resp. V. Quòd si quis occurrat, adesse in rebus fundamentum fingendi huiusmodi relationem, & hoc fundamentum esse ipsam veritatem fundamentalem, & ideo non conuenire per accidens, sed per se ratione fundamenti, facilè reijcitur; nam tunc sequitur, quòd veritas fundamentalis esset passio, non autem relatio illa rationis, quia semper relatio rationis est quid fictum ab intellectu, & quid contingens & secundùm se contingenter conueniens, cui conuenit, quia conuenit dependenter ab operatione intellectus, quæ potest non esse. Deinde vel hæc veritas fundamentalis dicit rationem formalem veritatis; vel non dicit. Si dicit; iam habemus passionem entis realem, siquidem alia est ratio formalis veritatis, & alia entis, ad quid ergo fingitur respectus rationis, qui quamuis habeat fundamentum in re, nihilominus est formaliter quid fictum? Si verò non dicit, iam sequitur, quòd tota ratio formalis veritatis sit ens rationis, & quid fictum, & propterea non poterit esse vera passio entis, sed ad summum erit passio ficta. Accedit etiam, quòd nullum ens reale potest per se exigere aliquod ens rationis, quoniam sicuti non dependet ab ipso, quia est fictum ab intellectu, ita nec potest ens rationis per se ordinari ad ens reale, nec esse aliquod complementum illius, aut per se spectare ad esse ipsius; terminus autem exigentiæ per se ordinatur ad id, quod habet talem exigentiam, & spectat aliquo modo ad esse ipsius: vnde neque ex eo, quòd per se exigatur, potest huiusmodi respectus rationis esse passio entis.

2 argum. VI. Præterea. Passiones cuiuscunque subiecti ideo per se connectuntur cum ipso, quia consequuntur ab intrinsecis principijs, vnde etiam commensurantur cum eodem subiecto; ens autem rationis non potest consequi ab intrinsecis principijs entis realis, quod manifestè constat; nam hæc consecutio vel stat cum identitate illius, quod consequitur, cùm eodem subiecto, vt est consequutio passionum metaphysicarum, & tunc clarum est, quòd non pôt ens rationis cõsequi ab intrinsecis principijs alicuius entis realis, neque enim pôt identificari cum ipso: vel consecutio ponit distinctionem inter subiectum & id, quod consequitur, vt contingit in consequtione reali physica; & tunc hæc consequutio fit per realem influxũ physicum, atque adeo est ad terminum physicum realem, vnde non potest neque per hanc consecutionem ens rationis consequi ab intrinsecis principijs subiecti; quod etiam ex eo confir. quoniam connexio requirit extrema, quæ habeant aliquod esse in se, secundùm quod inuicem connectantur, ens autem rationis, cũ nullum habeat esse in se, non potest reali connexione connecti cum ente reali. Ens rõnis non pôt consequi ab intrinsecis principijs alicuius entis realis

3. arg. VII. Tertio argumentor. Si veritas de suo formali importaret ens rationis, sequeretur, quòd secundùm esse formale esset quid fictũ, nam ens rationis est formaliter quid fictũ, hoc autem est planè absurdum, quoniam veritas destruit fictionem, & ipsa fictio destruit veritatẽ, cum sit ablatio illius: & sicuti ens verũ, & fictum opponũtur, ita etiam veritas, & fictio; si autem veritas esset quid fictum, participaret intrinsecè rationem formalem fictionis. Quomodo autẽ fieri potest, quod ex ijs, quę negatiuo modo opponuntur, vnum alterum intrinsecè includat. Rursus cum entia vera dicantur, & sint vera per ipsam formam veritatis, si veritas de suo formali importaret quid fictum, iam entia realia essent vera per quid fictum, vnde nõ essent vera, sed ficta, quoniam fictio reddit fictum id, cui tribuitur. Et sicuti ens fictum opponitur ab intrinseco suo cũ ente vero, vt verum est, ita vt ab intrinseco habeat rationem formalem oppositionis, nempe fictionem, ita etiam ens verũ debet ab intrinseco suo habere rationẽ formalẽ oppositionis, nempe veritatem, qua opponatur cum ente ficto. quod præsertim verum est, quia, vt etiã vult Auersa, res habent suã veritatem, nedum in ordine ad intellectum creatum, sed etiam in ordine ad diuinũ; intellectus .n. diuinus cognoscit Veritas non esset veritas si importaret ens rationis.

Res veræ ex se ipsis, & independenter ab intellectu cogitãte

res, quatenus veræ sunt, & tamen eas cognoscendo non format aliquem respectum rationis, vnde non potest veritas consistere formaliter in aliqua relatione rationis. Adde etiam, quòd sicuti fictio, seu falsitas dicit aliquid negatiuum, quo res est falsa per defectum veri esse, ita veritas debet dicere aliquid reale intrinsecum positiuum, quia dicit illud, quod per fictionem, seu falsitatem tollitur.

Confir.

VIII. Quod etiam confir. Quoniam si veritas de suo formali importaret relationem rationis, res esse veras, esset ens rationis, atque quando non cognoscuntur actu, & non fingitur huiusmodi respectus, non essent veræ, quia carerent formali ratione veritatis: vnde modo essent veræ, modo non veræ. Atque cum habeant aptitudinem, vt sint veræ; quando non fingeretur talis respectus, essent priuatæ veritate: priuatio autem veritatis est falsitas, vnde eædem res modò essent veræ, modò falsæ, cum tamen semper eodem modo se habeant.

Entia nõ essent vera, si veritas diceret ens rationis.

Imo addo, quod falsò denominarentur veræ; illud enim falsum dicitur, quod non est, & dicitur esse, & ideo cum huiusmodi respectus rationis re uera non sit in rebus, seu fingatur, erit quid falsum, vnde etiam denominatio ab ipso desumpta erit falsa, vt pote desumpta à re falsa. Et eodem pacto se haberet, quando entia dicuntur vera, ac quando angeli dicuntur corporei, quia in vtroque ea sit denominatio desumitur ab ente rationis: & quamuis adsit in his casibus fundamentum fingendi tale ens rationis, adhuc tamen est verè ens rationis. Si verò denominatio desumitur à fundamento; tunc, cum desumatur à forma, iam in entibus erit forma dans esse verum, atque adeo ratio formalis veritatis.

4. argum

IX. Quartò. Quando concipitur veritas, intellectus format conceptum alicuius rationis realis, non enim existimat, se intelligere aliquid fictum, sed aliquid, quod sit intra latitudinem entis realis ex genere suo. Quod ex eo colligitur, quia veritas non dicit adunationem plurium entium incompossibilium, quemadmodum dicit hircocerus, sed simplicem rationem entis: vnde oportet, vt hæc ratio veritatis sit quid reale, vel non ens conceptum ad modum entis. Verum non est non ens conceptum ad modum entis: quia nunquam contingit, non ens concipi ad modum entis, nisi detur ratio illa entis realis, quæ applicatur non enti, & ad cuius similitudinem concipitur: & propterea ens rationis est posterius ente reali, quia oportet, vt intellectus prius cognoscat ens reale, deinde illud applicet non enti, & hoc pacto formet ens rationis. Quare si veritas esset ens rationis formaliter sumpta, oporteret, vt daretur ratio aliqua entis realis, in qua reperiretur talis ratio veritatis, quam deinde non enti applicaret, quemadmodum, quando intellectus concipit negationes ad modum cuiusdam formæ, quæ sit in subiecto, supponitur ratio formæ, quæ sit intra latitudinem entis realis, ad cuius similitudinem negatio concipiatur. Si autem supponitur ratio entis realis, in qua reperiatur ratio veritatis, iam veritas erit quid reale.

Veritas ex suo formali concepta est quid reale.

Quod etiam confirmari potest, quoniam datur talis veritas, quæ non sit ens rationis, vt admittit etiam Auersa, nempe veritas cognitionis; habet enim cognitio ab intrinseco suo conformitatem cum obiecto, ratione cuius vera est, ergo etiam veritas transcendentalis debet esse quid reale positiuum, nàm imbibitur in quacunque determinatâ veritate tanquam prima inchoatio illius; vnde si talis veritas dicit talem rationem veritatis realem; veritas vt sic debet dicere rationem realem veritatis vt sic; & sicuti si ens vt sic non esset quid reale positiuum, nullum ens determinatum posset esse quid reale; ita si veritas vt sic non esset quid reale, nulla veritas determinata posset esse quid reale, quia rationes inferiores complent, quod inchoatum est in superioribus eo modo, quo reperiunt inchoatum, & superiores imbibuntur in inferioribus: ens autem rationis non potest imbibi in ente inferiori reali.

Veritas determinata a realis.

5. rat.

X. Quintò. Veritas de suo formali importat quamdam commensurationem vt etiam concedunt hi Auctores, & per ipsos est per ordinem ad intellectum: nec est in actu secundo per

auer-

Auersam, sed in actu primo. Verùm ex hac sequitur, quòd veritas sit quid reale positiuum: obiectum .n. sicuti ab intrinseco suo habet, quòd possit attingi à cognitione, atq; esse terminus illius, ita etiam habet, quòd in ratione obiecti, & termini ab intrinseco suo cum ipsa commensuretur: secundùm enim proprium esse intrinsecum exercet rationem termini, & obiecti. Quòd clarè patet, si considerentur singula obiecta potentiarum cognoscitiuarum, & præcipuè sensitiuarum, nam obiectum vnius ita vni correspondet, vt non correspondeat alteri; quod non aliunde prouenire potest, nisi quia ita cum vna commensuratur, vt non commensuretur cum alia. Quamobrem cum obiectum intellectus cum ipso commensuretur in ratione obiecti ab intrinseco suo, & veritas consistat in commensuratione ista, iam veritas erit quid reale intrinsecū rebus. Quòd etiam ex eo cõuincitur, quoniam specificatiuum, quo obiectum specificat potētiam, est quid reale intrinsecum obiecto: ratione autem huius specificatiui obiectum ita proportionatur cum potentia specificata, vt planè cum ipsa commensuretur: vnde si veritas rei ponitur in commensuratione obiecti ad potentiam in ratione termini, & obiecti, iam non erit relatio rationis, sed quid reale intrinsecum obiecto. Hinc est, quòd cum quis apprehendit aliquod obiectum, v. g. hominem, non solùm adest cognitio vera, sed aliquod verum, quod cognoscitur; tunc autem nulla adest relatio rationis, quia vt consurgat requiritur actus cognitionis reflexus, quo concipiatur, quia ens rõnis tunc tantùm est.

Res ab intrinseco suo commensuratur cum intellectu.

XI. Quod si respondeat Auersa. Veritatem habere plures significationes, & posse etiam importare aliquid positiuum, quod est entitas rei; non tamen tali pacto acceptam posse assignari pro passione entis, quia non distinguitur à subiecto, quod est contra rationem passionis, nullo negocio reijcitur. Quoniam ad passiones entis, vt supra suo loco ostēsum est; sufficit quæcunque distinctio à subiecto in esse formali metaphysico, & satis est, quòd secundùm id, quòd dicit explicitè, & secundùm conceptum inadæquatum diuersum sit ab eo, quòd explicitè, & secundùm conceptum inadæquatum dicit ens; quod saluatur in veritate illa reali, quam dicunt entia realia. Ens. n. secundùm suum conceptum explicitū id præcisè importat, quòd habet esse, & non aliud: vnde cum veritas explicetur per aliquam conformitatem, quamuis implicitè dicat rationem entis, non tamen explicitè, quia conceptus entis explicitus est quid absolutū, conceptus verò explicitus veritatis est ad aliud, conformitas enim in ordine ad aliud est conformitas. Præterea si in rebus detur intrinseca ratio veritatis, quæ dicit rationem formalem veritatis, cur non est constituenda pro passione?

Responsio Auersæ.

XII. Sextò etiā addere possumus. Respectus iste rationis debet habere suum fundamentum in ente, vt concedunt etiam hi Auctores, ita vt intellectus habeat inde motiuum ad ipsum fingendum. Quo posito sequitur, vt hoc motiuum formaliter loquendo, & secundùm id, quòd dicit explicitè, non possit esse ipsa rō entis vniuersalissima explicita, nam cùm sit vna, & eadem ratio explicita, non potest esse motiuū ad fingendos diuersos respectus rationis; idem enim motiuum simplex, & secundùm eandem rationem explicitam semper eodem modo mouet, atq; adeo semper mouet ad idem fingendum. Quare cùm enti tribuātur diuersæ passiones, aut concedendum est, has passiones esse reales conceptus obiectiuos aliquo modo inter se diuersos; aut saltem reperiri in ente diuersa motiua, ratione quorum illi conueniant huiusmodi passiones. Verùm statim, ac in ente ponuntur diuersa fundamenta, necesse est, vt habeāt inter se quò ad esse formale aliquam distinctionem: vnde adhuc in ipso reperientur diuersi conceptus obiectiui. Cur ergo isti conceptus non poterunt constitui pro passionibus? Habet enim ordinem posterioris respectu conceptus entis, & important secundùm esse explicitum aliquid diuersum ab eo, quòd dicit conceptus explicitus entis: vnde id, quòd ponitur tanquam fundamentum huius relationis conformitatis, erit veritas, quatenus est passio entis, nam dicit esse entis, quatenus ab intrinseco suo habet, vt possit cum aliquo commensurari secundùm proprium esse, vnde secundùm proprium esse habet rationem commensurationis.

Sextum argumentum.

Ex-

Expenduntur quædam aliæ opiniones.

SECTIO II.

2. opinio Veritatē esse naturam rei cum exclusione extranei.

I. CVm veritas non sit quid rationis formaliter sumpta, restat nunc videre quodnam reale formaliter importet. Est ergo secunda sententia Aureoli apud Capr. in 1. dist. 19. quæst. 3. qui, vt explicet, quomodo veritas sit quid positiuum, & quodnam formaliter dicat, inquit, Veritatem esse ipsam naturam rei; verùm quia hoc pacto non explicaret aliquid diuersum ab esse rei, addit, esse naturam rei cum negatione, & exclusione cuiuscunque extranei: sic dicitur aurum verum, quòd est purum à mixtione cuiuscunque extranei, homo pictus dicitur falsus, quia habet admixtam priuationem hominis veri.

Impugnatur.

II. Hæc sententia diuersos sensus habere potest, nullum tamen verum. Et primus quidem est, quòd veritas sit natura rei, quatenus dicit negationem extranei, ita ut huiusmodi negatio formaliter importetur à veritate; & hunc sensum, constat ex dictis, esse falsum, nam veritas est quid positiuum, vt patet etiam ex conceptu, quem de ipsa formamus. Vel potest intelligi, quòd rei natura sit formaliter veritas, ita ut negatio extranei solummodo connotetur, & neque hic sensus verus est, quia licet esse rei sit verum, & in eius natura imbibatur, est tamen veritas quid formaliter diuersum ab ipsa natura, & cum sit passio entis, debet originari à natura: & proinde quando natura rerum consideratur, quatenus vera est formaliter, debet explicari per quẽdam peculiarem conceptum, & rationem formalem, in qua formaliter consistat veritas. Præterea in esse rei non solùm includitur veritas, sed etiam cœtera prædicata, nimirum vnitas, bonitas, & alia, quæ concurrunt ad ipsum constituendum: & ideo necesse est, explicare veritatem per aliquod peculiare prædicatum, quod in esse rei continetur. Vel denique potest intelligi; quòd veritas materialiter consistat in ipsa natura rei, formaliter verò dicat illam connotationem, qua connotatur negatio illa, per quam extraneum quodcunque excluditur. Et neque hoc dici potest, quia veritas non consistit in eo, quòd res excludat extraneum, sed potius ex eo, quòd res vera est; sequitur, vt excludat quodcunque extraneum; neque aurum est verum, quia excludit aliud extraneum ens propriè loquendo, sed quia dicit proprium esse commensuratum iuxta debita principia. Deinde quæro, quid intelligatur per huiusmodi admixtionem extranei, an quòd extraneum ens non concurrat ad ens verum tanquam ipsius intrinsecum constitutiuum? Verùm cum talis admixtio impossibilis sit, cum nunquã extraneum ens possit aliud constituere; neque rectè dicitur, ens esse verum per exclusionem talis admixtionis, quemadmodum neque rectè diceretur, esse verum per exclusionem chymeræ; neq; potest realiter connotare talem negationem determinatè, quoniam realis connotatio est respectu alicuius realis. Vel intelligitur de admixtione quacunque per iuxta positionem: & neque hoc dici potest, quoniam huiusmodi ad mixtio per iuxta positionẽ, sicuti nõ est esse rei reale, ita neque tollit eius realẽ veritatem; nam quandiù perseuerat subiectum, perseuerant etiam passiones ipsius.

Veritas non consistit formaliter, in rei natura cum exclusione extranei.

III. Quidam ergo Recentiores Thomistæ, vt refert Suarez in Metaph. disp. 8. sect. 7. num. 5. asserunt; Veritatem de suo formali importare quamdam perfectionem realem absolutam, formaliter distinctam ab ente, quæ sit proprietas ipsius. Atq; adscribunt hanc opinionem D. Thom. quæst. 1. de Verit. ar. 5. Capr. in 1. dist. 19. quæst. 3. concl. 3. Soncin. 7. Metaph. quæst. 17. & Iauel. tract. de Transcend. cap. 5. Mouentur autem ex eo, quia veritas est realis perfectio, imo perfectio simpliciter simplex, quoniam in quocunque est melior ipsa, quam nõ ipsa, & in Deo dicit summam perfectionem. Rursus non est quid synonimum cum ente, non enim dicit id, quod habet esse, & habet diuersam definitionem ab ea, quam habet ens, quòd magis patet, si definiatur veritas entis particularis, & etiam natura ipsius, ex hoc autem sequitur, quod debeat distingui ab ente saltem formaliter.

3. opinio Veritatē dicere proprietate absoluta formaliter distinctam ab ente.

IV. Hæc sententia duplicem sensũ habere potest. Primus est, quòd veritas dicat perfectionem absolutam realem distinctam secundùm conceptum inadæqua- Impugnatur.

dæquatum ab ente, atque adeo tantùm secundùm esse explicitum; & hic sensus sanè verus est, quò ad modum distinctionis, quia veritas non potest maiori distinctione distingui ab ente; tunc tamen deficit, quia non explicat quid dicat formaliter ista perfectio absoluta. Alter sensus est, quem magis videtur ista opinio intendere, quòd ista perfectio absoluta distinguatur secundùm conceptum adæquatum ab ente; & tunc huiusmodi opinio, nedum deficit, quia non explicat rationem formalem veritatis, sed etiam falsa est, quia non potest veritas esse talis perfectio absoluta tali modo distincta ab ente. Quod satis ex eo constat, quia si veritas ponatur tali pacto distincta, potest ens præcisè considerari absque huiusmodi perfectione: tunc autem adhuc ens habet verum esse, quo intrinsecè verum est, & habet quod possit esse obiectum intellectus; atque adeo cum ipso commensurari, ergo ens esset verum absq; veritate, quod implicat. Rursus etiam considerari posset proprietas huiusmodi, vt contradistincta ab ente, quæ .n. conceptibus adæquatis distinguuntur, possunt seorsim se solis considerari; tali autem pacto esset quid reale; alioquin quomodo importaret veritatem realē, & quæ realiter redderet ens verum? Si autem est quid reale, inuoluet rationē entis, quoniam omnis realitas est per rationem entis; Si autem inuoluit rationem entis, quomodo ab ipso distinguitur conceptu adæquato, quæ enim conceptibus adæquatis distinguuntur, seinuicem excludunt. Quod amplius confir. quoniam quęlibet res secundùm totum suum esse adæquatum est vera; sic homo est verus secundùm totam suam quidditatem, & secundùm quamlibet formalitatem; vt autem hoc salueretur, necesse est, vt veritas in tota quidditate ita intimè imbibatur, vt non possit adæquatè ab ipsa separari, alioquin si separetur, saltem in esse obiectiuo remaneret quidditas absque veritate, & non esset quidditas intimè in suo esse vera. Vnde fundamentum huius sententiæ non rectè procedit, nam ex eo, quòd veritas dicat perfectionem, & non sit quid synonimum cum ente, non infertur necessariò distinctio secundùm conceptum adæquatum ab ente, quia ad hoc saluandum sufficit distinctio secundùm esse explicitum, & conceptū inadæquatum. Quod etiam ex eo suadetur, quòd veritas dicit quandam conformitatem; conformitas autem, ita ex natura sua imbibit esse illud, cuius est conformitas, vt nullo pacto possit subsistere, nisi saltem implicitè illud dicat. Quod clarè patet etiam in cæteris conformitatibus; quis enim concipiat vnam quantitatem esse conformem alteri, nisi etiam implicitè concipiat esse quantitatis?

Veritas non est perfectio absoluta formaliter distincta sm cōceptū adæquatū ab ente.

V. Quarta igitur opinio est Suarez in Metaphysica disp. 8. sect. 7. num. 25. Smising. tract. 3. de Deo vno disp. 1. quæst. 2. num. 40. & aliorum Recentiorum. Asserit autem, veritatem transcendentalem dicere ipsum esse rei reale, atque nihil superaddere, connotare tamen conceptum intellectus, cui conformetur ex eo, quòd per ipsum repræsentetur: hanc autem conformationem non esse necessariò actualem, quamuis possit esse, sed sufficere aptitudinalem. Vnde formaliter veritas dicit illam aptitudinalem conformitatem, quam res habent respectu cognitionis, à qua intellectui repręsentari possunt. Quę quidem sententia videtur satis congruenter procedere, dum explicat veritatem per aliquid reale intrinsecum entis, non tamen omninò satisfacit. Nam quamuis verum sit, quòd res secundum suam veritatem conformentur cum cognitione, & quatenus veræ sunt, intelligantur, non per hoc tamen formaliter constituuntur in esse vero; ita vt conformitas cum cognitione; sit ratio formalis veritatis, sed supponit ipsam veritatem, & res iam constitutas in esse vero. Quod ex eo manifestum sit, quoniam cognitio supponit obiectum constitutum in ratione obiecti formalis tanquam causam simul cōcurrentem cum potentia ad ipsam cognitionem: vnde sicuti cognitio actualis est posterior obiecto simul concurrente actualiter cum potentia, ita cognitio in actu primo est posterior obiecto potente concurrere ad ipsam cognitionem. Hinc autem fit, vt etiam aptitudinalis conformitas obiecti cum cognitione posterior sit obiecto potente concurrere ad cognitionem; nam cū in tantum possit conformari, in quantum potest repræsentari per ipsam cognitionem, ita vt conformitas conformetur

4 opinio veritatē consistere in adæquatione ad intellectum. Suarez Smising.

Expenditur allata opinio.

gat posita repræsentation etiam est posterior ipsa cognitione, atque adeo ipso obiecto potente concurrere ad cognitionem: hinc etiam est posterior ipsa veritate, nam cum obiectum concurrat ad cognitionem secundùm rationē veri, iam ratio veri præsupponitur ad cognitionem, atque conformitatem.

VI. Et insuper cōfir. iste discursus. Ista enim conformitas aptitudinalis dependet à possibilitate cognitionis, & obiecti, quia in tantum est possibilis, in quantum est possibilis cognitio, consurgit .n. ex repræsentatione obiecti facta per cognitionem. vnde est posterior cognitione. Rursus cognitio in tātū est possibilis, in quātū est possibilis talis potētia specificata per tale obiectū, vnde non solùm conformitas obiecti cum cognitione etiam aptitudinalis, est posterior cognitione, sed potentia, & obiecto vt specificatiuo talis potentiæ, & proinde aptitudinalis conformitas nō potest importare formaliter aliquid, quod inuoluatur ab obiecto vt specificatiuo talis potentiæ. Hinc concluditur, hanc conformitatem esse posteriorem veritate obiecti; cum enim obiectum, vt specificet potentiam intellectiuam, debeat esse constitutum in suo esse, debet importare in illo priori, in quo specificat, quicquid in proprio esse imbibitur, atque adeo includet veritatem tanquam in proprio esse imbibitā; imo secundùm hanc ipsam rationem veritatis specificat. Quod rursus declaratur, quoniam cognitio talis est, qualis est obiectum, cum ab ipso specificatur. Ex hoc autem fit, vt cognitio habeat suum esse verum, & suam repræsentationem dependenter ab obiecto, quia ab ipso desumet repræsentationem, nō autem vt obiectum habeat esse verum dependenter à cognitione, at si veritas consisteret formaliter in illa aptitudinali conformitate rei ad cognitionem, obiectum in sua veritate dependeret à cognitione, quia ista conformitas dependet à cognitione, quia nisi esset possibilis cognitio, neque esset possibilis conformitas; vnde veritas à cognitione tanquam à mensura, secundùm quā deberet obiectum in suo esse mensurari, redundaret in obiectum, quod tamen falsum est, quia ab obiecto redundat in cognitionem, cum cognitio, vt vera sit, debeat cum ipso conformari, & debeat esse talis, quale est obiectum; vnde cognitio debet mensurari cum obiecto, & ab ipso desumere suam adæquationem, & non econtra obiectum cum cognitione, quasi ab ipsa desumat suam veritatem ex eo, quòd cum ipsa adæquetur.

Conformitas obiecti cū cognitione est posterior cognitione.

VII. Quinta denique sententia est Thomistarum Capr. in 1. dist. 19. quæst. 3. ar. 1. concl. 2. Soncin 8. Metaph. quæst. 17. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 60. Bannes 1. par. quæst. 16. arr 3. & cæterorū Thomistarū, quos sequitur Gumel. citato loco 1. par. ar. 3. Hi volunt, Veritatem importare aliquid positiuum, quod sit perfectio quædam rei veræ, quæ non sit realiter distincta ab esse rei, sed tantùm ratione, quatenus per veritatem aliquid explicatur, quod non explicatur per conceptum entis. Quòd si rursus inquiras, quid formaliter dicat huiusmodi perfectio, respondent, dicere conformitatem cum intellectu diuino, Atque huiusmodi conformitatem volunt esse quid absolutum, quod tamen sine relatione explicari non potest. Aliqui autem volunt, hanc relationem esse realem, aliqui verò esse rationis, vt Soncin. qui tamen addit, hanc relationem non spectare ad constitutionem veritatis, sed tantùm ad explicationē; ita vt in se nō dicat talem relationem, non possit tamen concipi sine ipsa. Addunt etiam, huiusmodi conformitatem non posse concipi, nisi concipiatur ipsum esse rei. Quare concludunt; Veritatem esse ipsum esse rei, quatenus cōforme intellectui diuino. Volunt autē veritatem constitui per ordinem ad intellectum diuinum, & non ad creatum, quia ad intellectum diuinum dicit ordinem per se, ad intellectum verò creatum dicit tantùm ordinem per accidens. Sequitur Meurif. 2. Metaph. cap. 3. quæst. 3. qui citat etiam Scot 6. Metaph. quæst. 3. & desumitur etiam ex Alens. 6. Metaph. circa finem.

5 opinio veritatē dicere conformitatem ad intellectum diuinum. Capr. Soncin. Ferrar. Bannes Gumel.

Meurif. Scot.

VIII. Hæc sanè sententia cœteris probabilius procedit. & quò ad substantiam vera est: indiget tamen aliqua maiori explicatione, & quædam continet, quæ probari minimè possunt. Et quòd spectat ad illum respectum rationis, quem ponit, omnino superfluus censendus est, quoniam cum veritas sit quid reale imbibitum in esse rei, optimè potest concipi absque eo,

Tud eiū illa: r sē tentiæ.

quòd

rei, optimè pôt concipi absq; eo, quòd fingatur aliis respectus rõnis, præsertim quia nõ pôt cõcipi, nisi simul concipiatur esse rei, quatenus regulatũ ab intellectu diuino, & cũ ipso cõformatũ, & sicuti ab intrĩseco suo depẽdet ab illo, ita ẽt dicit ordinẽ intrinsecũ ad ipsũ quatenus regulantẽ, atq; adeo ordinẽ realẽ transcẽdentalẽ; vnde non est necesse recurrere ad relationẽ rõnis, quæ necessaria sit, vt concipiatur veritas. Præterea nec probari pôt, quòd res ab intrinseco suo non dicant ordinẽ per se ad intellectũ creatũ, quia licet per accidens tantũ, seu contingẽter actuali cognitione attingantur; per se tamen cognoscibiles sunt, atq; obiectũ intellectus; hoc .n. illis conuenit essentialiter, atq; adeo tãquã obiectũ ordinantur per se ad intellectũ: & licet per accidens sit, quòd cõformetur cũ cognitione actuali, non est tũ per accidens, quòd possint cõformari, quoniã hoc ipsis ab intrinseco cõuenit. Deinde qñ dicitur, veritatẽ consistere formaliter in conformitate ad intellectũ diuinũ, explicandũ esset, quomodo huiusmodi conformitas faciat formaliter res veras, & in quonam consistat.

Vera sententia.

SECTIO III.

I. Expensis aliorũ opinionibus, restat, vt quid nobis dicẽdũ videatur, aperiamus. Præmittimus aũt, quod in priori tomo tradidimus; nimirũ, Deũ non esse propriè ens, sed supra ens, & quid supereminentius, cum sit ipsũmet esse per essentiã; nec adesse inter Deum aliquã cõuenientiã in conceptu cõmuni, siue vniuocã, siue analogã. Et proinde primã, & vniuersalissimã rõnẽ entis, quod est propriè ens, & illud, quod habet essentiam, reperiri in solis creaturis. Hinc aũt fit, vt cũ inquirimus, in quo formaliter consistat veritas trãscẽdentalis, q̃ est passio entis vt sic, loquamur tm̃ de veritate corrȩspõdente ipsimet enti, & quæ in solis creaturis reperiatur. Vnde excluditur veritas illa, qua Deus dicitur verus, q̃a nõ est propriè veritas, sed quid supra veritatẽ, & quid supereminẽtius, quo Deus constituitur talis per essẽtiã, & infinito modo; seu est ipsũmet esse proprium Dei, quo in esse Dei cõstituitur, & à nobis nominatur veritas, quatenus ea, q̃ sũt in Deo explicamus ꝑ cõceptus perfectionũ, quas reperimus in creaturis. Et hinc fit, vt quãuis veritatẽ, quã attingimus in creaturis, explicemus ꝑ conformitatẽ ad aliud, qñ tñ cõcipimus veritatẽ in Deo, nõ eã possimus explicare ꝑ conformitatẽ ad aliud, quia sm̃ totũ suũ esse nulli conformatur, neq; quo ad ipsũ sumit mensurã ab alio: cũ sit oĩnò à se, & indepẽdẽs à quocunq; alio, & fons cuiuscunq; veritatis, quæ in quocunque alio ente reperitur.

Quare in Deo.

II. Hoc ergo ꝑmisso, vt paulati ad resolutionẽ procedamus, hoc prius tãquã certũ statuimus, Veritatẽ, qua ens vt sic & quçlibet alia res est intrinsecè vera, importare necessariò de suo formali aliquã cõformitatem, qua cũ aliquo alio cõformetur. Hoc sequit, & colligitur ex veritate cognitionis. Vt.n. cognitio vera sit, debet cõformari in repræsẽtãdo cũ obiecto, ita vt oĩnò illud repræsẽtet, prout est in se; quòd si aliter reprȩsẽtet, stati amittit suã veritatẽ, & falsa euadit. vnde veritas ipsius cõsistit formaliter in cõformitate cũ obiecto quò ad reprȩsẽtationẽ. Si ergo talis veritas dicit talẽ rõnẽ cõformitatis, veritas vt sic dicet eãdẽ cõformitatẽ, & adequationẽ vt sic, & in cõmuni q̃a iã ex genere suo veritas dicit cõformitatẽ, seu adæquationẽ, & proportio, q̃ sẽ ꝑ. est necessariò seruãda inter rõnẽ superiorẽ, & inferiorẽ, in eo cõsistit, vt ꝙ dicit inferior in determinato gradu, dicat superior in gradu indeterminato, & econtra, q̃a rõ inferior est determinatiua superioris cõplẽdo id, ꝙ in ipsa inchoatũ est in ordine ad cõstituẽdã eãdẽ nãtam. Et quẽadmodũ falsitas dicit defectum ab aliqua mẽsura, ita veritas excludet talẽ defectũ, et dicet cõformitatẽ cum aliqua mẽsura. Hinc D. Aug. lib. de Vera relig. c. 36. qui habetur in tom. 1. suorũ operũ, inquit. *Veritas est summa similitudo principij, quæ sine vlla dissimilitudine est.* nimirũ est cõformitas rei cũ suo principio omninò ꝑfecta, et oẽm ꝑrsus excludens dissimilitudinẽ. Per pricipiũ aũt intelligit Ideã rei. Et D. Ansel. Dial. de Verit. c. 12. eã definiẽs, ait, *Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis*; per rectitudinem autem intelligit conformitatem, et adæquationem.

Veritas dicit formaliter conformitatem.

D. Aug.

D. Ansel.

III. Verùm cum veritas importet de suo formali conformitatem, atque ex genere suo conformitas sit ad aliud, quoniam est respectu alterius, statim col-

colligitur, Veritatem esse quid respectiuum. Vnde concludimus secundò quòd licet veritas sit quid respectiuum formaliter, non importat tamen respectum prædicamentalem. Et hoc statim manifestum fiet, si consideremus veritatem vt sic esse passionem entis transcendentalis, atque adeo cum passio debeat adæquari cum subiecto debere habere eamdem latitudinē, & esse quid transcendens, præsertim quia debet reperiri, vbicunque reperitur subiectum. Quomodo ergo, si veritas vt sic est passio entis transcendentalis, poterit reperiri in determinato prædicamento, quemadmodū reperiretur necessariò, si esset formaliter relatio prædicamentalis? vnde cum veritas vt sic non dicat relationem prædicamentalē, neque veritas talis entis dicet talem relationem, cum debeat seruare proportionem ad suam rationem superiorem. Quod etiam ex eo confir. quoniā veritas conuenit enti vt sic, non solùm vt quid cum ipso identificatum, sed etiā vt inclusum in eius conceptu adæquato, quoniam in seipso formaliter intrinsecè imbibit veritatem, qua in esse entis verum est: tribuitur autem enti talis veritas tanquam passio ipsius consequens ab eius intrinsecis principijs: vnde impossibile est, quòd coarctet ens vt sic ad determinatum genus, sed illud faciet verum in sua vniuersalissima ratione, prout abstrahit à quocūque genere determinato; Si autem veritas esset relatio prædicamentalis, sicuti ipsa est determinati generis, ita cōtraheret ens ad determinatum genus, vnde non importaret esse verum in sua ampla vniuersalitate.

Veritas est quid transcendens.

IV. Atque rursus argumentari possumus, inquirendo, an huiusmodi relatio, in qua consistit formaliter veritas, sit de quidditate ipsius entis, an nō, sed veluti illi adueniat; si primum, iam non est relatio prædicamentalis, sed transcendentalis, quoniam in hoc distinguitur relatio trascendentalis à prædicamentali, quòd transcendentalis est de quidditate rei, pdicamētalis verò nō est, sed veluti superaduenit, & se habet ad modum accidētis. Si verò non est de quidditate entis, hoc est contra rōnē ipsius entis, quoniam quocunque accidentali præciso & secundum suam intimam rationem est quid verum, ita vt non possit haberi conceptus adæquatus entis, nisi intimè imbibat rationem veritatis. Quod etiam alio modo declarari pōt ex natura relationis prædicamentalis, quæ supponit necessariò fundamentum reale, in quo fundetur, & proinde hæc quoq; relatio debet supponere suum reale fundamentum, atque loquendo de veritate transcendentali eius fundamentum non posset esse aliud: quàm ipsum ens communissimè sumptum. Cum autem fundamentum relationis prædicamentalis possit concipi, imo & esse absque relatione; cum relatio accidentaliter se habeat ad ipsum, inquiri potest, an fundamentum huius relationis præcisè acceptum absque relatione sit verum, an non. Si est verum, ergo veritas non consistit formaliter in relatione prædicamentali, quoniā ipsa sublata habetur veritas. Si aūt sm̄ dicatur, manifestè falsitatis cōuincitur, quoniā fundamētū illud præcisa relatione habet suū esse verū, & qā intelligitur ab intellectu, cognoscitur habere esse, queādmodū debet habere, & iuxta suā mēsuram, vnde necessariò debet quò ad suā esśētiā participare veritatē, non .n. est ens fictū, aut falsū. Præterea ens est nullius generis determinati, sed tātū prima inchoatio cuiuscūq; entis determinati, ecōtra verò relatio prædicamētalis est determinati generis, & importat modū essendi determinatū, quo ens cōtrahitur ad determinatū genus. Ex hoc aūt fit, ꝙ sicuti ens est radix veritatis trāscēdētalis, quæ est veritas vt sic cōmunissimè sūpta, ita relatio prædicamētalis debeat esse radix talis veritatis, quia ꝙ causat ens in cōmuni, causāt ēt gradus determinatiui entis proportionaliter, & in particulari. Cū ergo relatio prædicamētalis, tāquā gradus determinatiuus entis, sit radix determinatę veritatis, tāquam passionis sibi proprię, manifestum fit, quòd non possit esse formalis ratio veritatis, quoniam radix non potest esse formaliter passio.

Conformitas, qua ens est verū, est de quidditate ipsius

V. Tertiò statuēdū est, vt colligitur ēt ex hucusq; dictis; veritatē esse aliqd de esse rei, seu ipsū esse rei sm̄ aliquā peculiarē rōnē, nimirū sm̄ rōnē cōformitatis, ita ut veritas transcendētalis non sit extra adæquatum conceptum entis transcendentalis, & quæcunque alia veritas non sit extra conceptum adæquatum illius rei, cuius est veritas. 3. concl.

Veritas non est extra conceptum adæquatū eius.

Hoc

Hoc autem ex eo patet, quòd res veræ sunt in sua intrinseca quidditate, quatenus participant verum esse, & vera essentialia constitutiua talis quidditatis, & prout factæ sunt iuxta propriam mēsurā: vnde domus dicitur vera domus, quando facta est iuxta suam debitam mensuram: eodem autem pacto se habet veritas in naturalibus proportionaliter, ac se habet in artificialibus. Cū ergo veritas dicatur secundùm esse rei, quod intimè in scipso verum est, non potest esse aliquid extra eius conceptū adæquatum, alioquin esset verum sine veritate, nam adhuc præcisa veritate res perseueraret in suo esse; hoc autem esse importaret veram essentiam talis rei, & vera constitutiua essentialia ipsius, atq; adeo esset verum absq; veritate, quod prorsus implicat. Hinc Arist. 2. Metaph. tex. 4. non distinguit veritatem ab esse; inquit enim. *Quare vt secundùm esse vnumquodq; se habet, ita etiam secundū veritatem*: & D. Aug. lib. 2. Soliloquior. cap. 25. in tom. 2. ait, *Verum est id, quod est*, quia quatenus aliquid participat suū esse, participat etiam suam veritatem, qua in suo esse verum est. Accedit etiā D. Hilar. lib. 5. de Trinit. inquiens *Per me aquę quòd aqua est, & per id abolere poteris, quòd vera sit*. Ecce ergo, quomodo ponit veritatem ita intimè superfusam rei entitati, vt tunc tollatur veritas, quando tollitur esse.

Arist. | D. Aug. | D. Hilar.

VI. Quartò concludimus. Veritatem de suo formali dicere intrinsecam conformitatem entis, quam habet respectu idearum, quæ sunt in mente diuina, cum quibus commensuratur, quatenus huiusmodi conformitas est explicatiua, & manifestatiua illius esse, quod ens verum participat, ita vt in quolibet ente explicet, & manifestet esse ipsius. Seù veritas formaliter consistit in esse rei; quatenus dicit illam explicationē, & manifestationem, qua seipsum manifestat tanquam conforme, & mensuratum cum Ideis, quæ sunt in mente diuina. Desumitur hæc conclusio ex D. Th. 1. par. quæst. 16. ar. 1. in corpore vbi hæc habet *Similiter res naturales dicuntur esse veræ secundùm quod assequuntur similitudinem specierum, quæ sunt in mente diuina. Dicitur enim verus lapis, quia assequitur propriam lapidis naturam secundùm præconceptionem intellectus diuini*. Et similia habet quæst. 1. de Verit. ar. 1. in corpore, quamuis non adeo clarè id dicat, cum potius videatur ponere veritatem in sola adæquatione cum intellectu, nec explicet de quo intellectu loquatur. Rursus desumitur ex D. August. De vera religione cap. 36. vbi vocat veritatem similitudinem cum principio, & insuper ait *Vera in tantum vera sunt, in quantum sunt; in tantū autē sunt, in quantum principalis vnius similia sunt*, & initio capitis inquit *Sed cui saltem illud manifestum est falsitatem esse, qua id putatur esse quod nō est, intelligit, eam esse veritatem, quæ ostendit id, quod est*. Et inferius; *Si enim falsitas ex ijs est, quæ imitantur vnum, non in quantum id imitantur, sed in quantum adimplere non possunt; illa est veritas, quæ adimplere potuit, & id esse, quod est illud. Ipsa est, quę illud ostendit, sicut est*.

4. concl. Veritas dicit cōformitatē rei ad suā ideam. | D. Th. | D. Aug.

VII. Vt autem hæc conclusio rectè intelligatur scire oportet. In Deo esse similitudines rerum omnium non solum, quæ existunt, sed etiam quæ possunt existere, quas Theologi Ideas appellant: huiusmodi autem ideæ sunt veluti exemplar, ad cuius similitudinem fiunt res omnes creatæ, & sunt mensura illius esse, quod ijsdem creaturis communicari debet; vnde si Deus vult producere aliquod ens, necesse est, vt illud producat mensuratum ad ideam, quam de ipso habet, ita vt ipsam omnino imitetur. Ex hoc porro fit, vt res omnes habeant quandam intrinsecam conformitatem imbibitam in proprio esse respectu harum idearū; & ratione huius conformitatis dicūtur veræ, quia posita huiusmo di conformitate participant esse debitè mensuratum, & quemadmodū debent participare, & proinde habent esse cū debita rectitudine, & veritate essentiæ. Verū res participantes esse debitè mēsuratū cū sua Idea, atq; ipsi omnino cōforme habent, quod sint manifestatiuæ propriæ quidditatis, ita ut quemadmodū Ideæ manifestant esse cōmunicādū effectui tāquā exēplar ipsius: ita esse rei productæ, aut producendę tanquam terminus communicationis manifestat suā quidditatē tāquā conformē proprię Ideæ, & tanquā per ipsā regulatā. Veritas ergo in eo formaliter consistit, quod sit commensuratio entis, quatenus manifestatiui esse participati ad propriam ideam, quæ est in intellectu diuino.

In Deo dantur Ideæ rerūomniū

VIII. Hæc autem conclusio duas habet partes, quarum prima est, quòd veritas dicat illam manifestationem, qua quidditas entis manifestatur; altera verò, quòd sit cum conformitate ad propriam ideam, quæ est in intellectu diuino. Et prima quidem pars facilè probatur ex analogia ad veritatem cognitionis. Veritas enim cognitionis, quæ est talis veritas, nempe repræsentationis, est veritas in ordine ad aliud, & ideo est etiam manifestatiua in ordine ad aliud, quia nimirum manifestat esse alterius. Hinc autem colligitur; Veritatem vt sic debere esse aliquo pacto manifestatiuam alicuius esse ex proportione, quàm debent seruare inter se rationes superiores, & inferiores ex eo, quòd cum superior sit inchoatio illius naturæ, quæ completur per inferiorem, debeat idem proportionaliter dicere; si enim talis veritas est manifestatiua talis esse, & tali modo, nempe per modum imaginis, veritas vt sic erit repræsentatiua, & manifestatiua esse vt sic. Rursus cum sit veritas quò ad essentiam, & consequenter non sit in ordine ad aliud, sed ad se, erit manifestatiua illius esse, in quo ipsa imbibitur per modum cuiusdam propositionis, qua esse rei proponatur cum sua debita conformitate, & mensura.

1 pars conclusionis

Quomodo veritas rei sit manifestatiua ipsius

IX. Altera verò pars cõclusionis, quòd veritas sit conformitas cum Idea, quæ est in mente diuina; Probatur primò, cum veritas non sit aliud, quàm conformitas, & ideo debeat reddere rem verã conformẽ cum aliquo, nõ est aliud, cũ quo reddat cõformẽ, & simul cõstituat in esse vero, quã ꝓpria mẽsura; cũ .n. esse rei intelligitur conforme propriæ mensuræ, tunc res intelligitur habere esse eo modo, quo debet habere; ita vt sit debitè ordinatum, & mensuratum, & habeat suam debitam formã quidditatis: statim autem ac intelligitur participare esse tali modo, intelligitur participare veritatem essendi: vnde veritas in essendo consistit in conformitate cum debita mensura. Cæterum mensura rerum quò ad earumdem esse, à qua per se dependent, nõ est alia, quàm Idea; idea enim regulat intellectum communicantis esse, ut tali pacto, atque tali mensura, & ordine communicet: Talis verò idea, à qua res per se dependent, est solùm in intellectu diuino, non autem in intellectu creato. Si enim intellectus creatus consideretur absque actuali cognitione rerum, nullam habet mensuram respectu ipsarum, nec inter ipsum, & res est aliqua conformitas. Si verò consideratur cum actuali cognitione rerum, neq; est mensura, quia ipse potius mensuratur, quã mensuret, quia vt cognitio sit vera, debet ipsa adæquari cum obiecto, non autem obiectũ cum cognitione, si quidem obiectum est independens à cognitione, & cognitio dependens ab obiecto, quia ab ipso causatur. Vnde etiam si nullus intellectus creatus esset possibilis, adhuc cœtera entia essent vera, quatenus essent conformia cum Idea propria, quæ est in mente diuina.

Altera pars conclusionis

X. Confir. discursus iste. Posita in quolibet ente conformitate cum propria idea, quæ est in intellectu diuino, statim intelligitur habere veritatem essendi absque eo, quòd intelligatur conformitas cum aliqua alia idea, aut cognitione, siue intellectu, ita vt idea, quæ est in mente diuina, sit adæquatus terminus talis conformitatis, ergo nõ est necesse ponere aliquem alium terminum talis conformitatis, quia præter adæquatum non est possibilis aliquis alius. Accedit etiam, quòd Idea diuina est prima mensura rerum omnium à quocunque independens, & proinde in ipsam, tanquam in primam originẽ, resolui debet cõformitas rerum. Quòd si ponitur in intellectu creato aliqua cognitio, seu idea, intellectus creatus illam non habet ex se, sed dependenter à rebus ipsis, quoniam in se est purus actus primus nullam ex se habens cognitionem, aut ideam, sed omnem cognitionem, & ideam sicuti habet rationem actus secundi, ita illam desumit ab obiecto, à quo mouetur, & determinatur, vt exeat in talem actum secundùm. Cum ergo intellectus creatus habeat omnem ideam, & cognitionem dependenter à rebus creatis, quomodo potest esse mensura ipsarum, cum iam supponat eas habere suum esse mensuratum? Rursus cum intellectus creatus habeat suum esse verum, & debitè mẽsuratum, non posset mensurari à seipso, quia nihil potest esse mensura suiipsius; vnde non haberet eamdem mensuram sui esse, quam habent cœtera entia; quod etiam absurdum est, quia omnia

Confir.

Idea diuina rerum est adæquatus conformitatis terminus

debent eadem mensura mensurari.

2. ratio.

XI. Secundò principaliter prob. conclusio, desumendo argumentum ex veritate cognitionis. Ideo enim cognitio est vera in repræsentando, quia conformatur cum obiecto, quod repræsentat: inde autem habet, quod conformetur, quia regulatur per ipsum: dum enim obiectum concurrit ad causandā cognitionem mouēdo intellectum, determinat intellectum, vt eliciat talem repræsentationem, quæ sit manifestatiua talis, & talis rationis, quæ continetur in obiecto, & ideo cognitio est conformis in repræsentando cum obiecto, quia ab ipso regulatur, & dirigitur tanquam à mensura. Ex quo elicitur, quòd veritas rei constituitur per conformitatem ad illam mensuram, à qua regulatur secundùm suam veritatem. At esse rerum omnium regulatur tanquam à mensura ab idea diuina, non autem à cognitione creata, aut ab aliqua creata idea, quia dirigitur ab illa idea, quæ concurrit ad communicandū esse simul cum agente; vnde cum intellectus creatus nullo modo concurrat ad productionem rerum, neque earum dem esse regulabit, & consequenter nō erunt veræ per conformitatem ad intellectum creatum, sed solùm per ordinem ad intellectum diuinum.

Cōformitas, quam dicit veritas est in ordine ad mēsura regulātē eius.

3 ratio

XII. Tertiò argumentor. Veritas rerum, qua intrinsecè veræ sunt, est veritas actualis, non aptitudinalis; non enim possunt esse veræ, sed actu veræ sunt, & sicuti intrinsecè dicunt propriū esse, & propriam quidditatem sibi cōmunicatam, ita debent etiam dicere propriam veritatem. Cum ergo actu dicant suum esse siue actuale, siue possibile, prout res concipiuntur actuales, aut possibiles, & veritas consistat in conformitate, debet in se inuoluere actualem conformitatem. Atque rursus illud, cum quo debent conformari, debet esse talis conditionis, vt posita re vera sequatur necessariò actualis conformatio, siquidem cum actu sit vera, debet habere actualem conformitatem. Ex hoc verò elicitur, id, cum quo ratione veritatis res conformari debent, nō posse esse intellectum creatum; sed necessariò debere esse aliquam mensuram, quæ habeat necessitatem essendi, & proinde posse esse solas ideas diuinas, quæ cum sint ipsemet Deus, necessariò existunt. Hoc autem sic declaratur. Producat Deus rem aliquam, aut conseruet res omnes, quæ de facto sunt, nulla tamen intellectuali creatura conseruata: cum enim res omnes creatæ contingenter existant, nec vllam habeant necessitatem existendi, potest quæcunque illarum existere absque alijs: tunc autem, quæ existent, sicuti habebunt actuale esse communicatum, ita etiam habebunt actualem veritatem, & commensurationem, & tamen non aderit aliquis intellectus creatus, ita vt in ordine ad ipsum habeant suam conformitatem; vnde sequitur, quòd non commensurentur per se cum intellectu creato, atque adeo non habeant veritatem in ordine ad ipsum.

Res debēt actu cōmēsurari cum aliquo, vt veræ sint

Confir.

XIII. Atque addi potest confirmatio desumpta ex doctrina D. Thom. 1. par. ar. 1. quæst. 16. vbi docet, entia vera dicere ordinem tantùm per accidens ad intellectum creatum, quod intelligi debet, non quatenus possunt cognosci, sed quatenus actualiter cognoscuntur; dicere verò ordinem per se ad intellectum diuinum, & ab ipso per se dependere. Hoc autem posito sic argumentor. Ens est intrinsecè, & essentialiter verum, atq; per se illi conuenit conformitas illa, ratione cuius est verum; non conuenit autem enti per se conformari cum intellectu creato, quia cum conformetur ratione cognitionis, & cognitio contingens sit, conformatio quoque contingens est, sed tantùm per se conformatur cum intellectu diuino, quia per se dependet ab idea, quæ est in ipso, & ideo veritas entis est tantùm in ordine ad ideas diuinas, non autem ad intellectum creatum. Nec iuuat recurrere ad aptitudinalem conformitatem, quia aptitudinalis conformitas non est veritas formalis, sed actualis conformitas, vnde cum res sint formaliter veræ, debent habere actualem cōformitatem respectu illius, quod est terminus talis conformitatis. Et si per impossibile nullus esset possibilis intellectus creatus, adhuc tamen cœtera entia eodem pacto essent vera, ac modo sunt, & tamen non haberent aptitudinalem illam commēsurationem, quia cum impossibilis esset intellectus, impossibilis etiam esset aptitudinalis cōmensuratio cum illo.

Res vera per se dicit ordinē, & actualē cōmensuratione ad mensurā veritatis

4. ratio

XIV. Quartò probatur conclusio.

Res sunt infallibilis veritatis, quia sẽper idem esse participant cum iisdem prædicatis, & constitutiuis essentialibus; nam statim ac variantur constitutiua essentialia, variatur etiam esse, & consurgit alia res, quæ similiter habet suam propriam veritatem; ergo non possunt habere intrinsecam veritatem in ordine ad intellectum creatum ratione actualis, aut aptitudinalis conformitatis. Consequen. prob. Huiusmodi namque conformitas fallibilis est, & ex intrinseca sua ratione potest esse falsa, quando scilicet contingit per cognitionem falsam: cum autem res in sua veritate sint certæ, & inuariabiles, atq; veritas consistat in conformitate ipsarum, qua quò ad suum esse cum aliquo commensurantur, oportet constituere aliquem terminum huius commensurationis, qui ipsam certam, infallibilem, & inuariabilem reddat: vnde cum conformitas sit respectu intellectus diuini omninò inuariabilis, & infallibilis, solùm per commensurationem ad intellectum diuinum res dicentur veræ, tanquam per veram mensuram propriæ veritatis.

Res quælibet est infallibilis veritatis.

XV. Quintò. Res omnes sicuti habent esse effectiuè à Deo, ita etiam habent effectiuè ab ipso intrinsecam veritatem. Quoniam cum veritas rei non distinguatur ab esse eiusdem, à quo effectiuè est esse, est etiam veritas, ergo veritas constituitur per ordinem ad solùm intellectum diuinum. Conseq. declaratur quoniam Deus est agens per intellectum, atque adeo ex idea; & ideo quando rebus communicat veritatem, & entitatem simul, regulat illud esse, atque illam veritatem, vt sit conformæ ideæ, secundùm quam operatur: & ex conformitate formaliter res habet, quòd sit vera quò ad essentiam, quia esse ipsius tali pacto se habet ex vi huiusmodi regulationis, quo iuxta sua intrinseca essentialia exigebat se habere, nec in aliquo deficit à debita mensura. Quare cum id habeat ex eo, quòd per ideã diuinam regulatur, concludere oportet, veritatem consistere in conformitate ad diuinam ideam.

5. ratio

Esse rei si regulatur per ideã diuinam.

XVI. Denique possumus argumẽtari præcisè de veritate transcendentali, quæ conuenit enti, vt sic communissimè sumpto; imo etiam de veritate cuiuscunque rationis communis, quæ præcedit rationem intellectus. Ratio enim superior habet, quòd ex natura sua sit prior inferiori: vnde ratio substantiæ est prior ratione corporis, & ratio entis vt sic est omnium prima; Atque in esse obiectiuo facta comparatione inter rationem superiorem, & inferiorem non valet conuertentia secundùm subsistendi consequentiam, quia licet posita ratione inferiori ponatur superior, tanquam ea, quæ necessariò ab ipsa supponitur; posita tamen ratione superiori non ponitur necessariò inferior: & proinde in esse obiectiuo ratio superior est prior natura inferiori, cũ valeat regula tradita ab Arist. in Postprædicam. Cap. de priori; quòd illud sit prius respectu alterius, à quo non valet conuertentia secundùm subsistendi consequentiam. Sumo ergo rationem entis, aut substantiæ, aut aliam, quæ ratione suæ cõmunitatis sit prior intellectu, atque has rationes sic præcisas considero: tunc in illo signo habent propriam veritatem intrinsecam, nam participant verum esse, quod dicunt, quando sunt immersæ in aliqua entitate physica, & proinde eodem modo veræ sunt in esse obiectiuo, & tamen nondum adest ratio intellectus, aut cognitionis, respectu cuius veræ dicantur, ergo non sunt veræ per conformitatem ad intellectum creatum, aut eiusdem cognitionem. Quando enim aliquid est tale per ordinem ad aliud, in eo signo, in quo ipsum ponitur, debet etiam poni terminus illius ordinis: sic quia potentia est talis in ordine ad obiectum, in eo signo, in quo ponitur potentia, debet intelligi obiectum, & quia pater est talis per ordinem ad filium, in eo signo, in quo ponitur pater, debet poni etiam filius. Nos vero dicimus, quòd cum ens, atque cœteræ aliæ huiusmodi rationes sint tantùm propriè in rebus creatis, & non sint communes Deo, consequenter in eo signo, in quo ponũtur, præintelligitur Deus, atque adeo habent suam veritatem per conformitatem ad diuinas Ideas.

6. ratio

Ratio superior prior inferiori.

Arist.

†††††
†††
†

Quibuſdam corollarijs eadem doctrina magis declaratur.

SECTIO. IV.

I. VT nonnullæ difficultates, quæ ſuboriri poſſent, tollantur, quædam corollaria ex dictis deducemus, quæ etiam traditam doctrinam magis explicabunt. Primò ergo deducitur. Veritatem conſiſtere in ordine quodam reali tranſcendentali, quem dicit res vera ad Ideas diuinas, quatenus ipſis conformatur, atq; adeo eſſe eidemmet intrinſecam, & eſſentialem; quod ſanè concordat cum ipſa ratione veritatis, quæ debet eſſe intimè imbibita in re vera; & proinde veritas quoque tranſcendentalis, quæ conuenit enti communiſſimè ſumpto, eumdem ordinem importabit. Quamobrem ens conſiderari poteſt, & quatenus eſt quid participatum, ſeù quatenus habet eſſentiam; & hoc pacto importat rationem entis ſecundùm ſuum conceptum inadæquatum explicitum, quo eſt radix ſuarum paſſionum: & quatenus eſt quid exemplificatum reſpectu diuinarum idearum; & cum ipſis concordat: & tunc habetur intrinſeca veritas, quæ ponitur tanquam paſſio ipſius. Conformitas autem entis vt ſic cum ideis diuinis proportionaliter ad cõformitatem entium particularium accipienda eſt, vt nimirum ſit conformitas in præciſa ratione eſſendi vt ſic. Cum enim ideæ diuinæ repræſentent res omnes in particulari ſecundùm totum eſſe adæquatum ipſarum, conſequenter repræſentant etiam ipſam præciſam rationem eſſendi, quam in ſe imbibunt. Ens ergo vt ſic, quia eſt quædam ratio præciſa, imitatur ideas diuinas inadæquatè, non prout repræſentant ens aliquod integrum, ſed prout repræſentant rationem eſſendi vniuerſalem communicabilem cuicunq; enti creato. Quod ſi ideæ diuinæ ponuntur diſtinctæ aliquo modo in ipſo Deo, ita vt vnicuiq; rei correſpondeat propria Idea; tunc ens non imitabitur ſpecialiter aliquam determinatam ideam, ſed quamlibet, inadæquatè, quatenus repræſentat præciſè rationem eſſendi vt ſic; vnde vt concipiamus hanc imitationem, ſicuti ex parte entis concipimus aliquid præciſum, ita oportet, vt concipiamus aliquid præciſum etiam ex parte idearum; hoc eſt aliquam rationem repræſentatiuam præciſam.

Veritas conſiſtit in ordine tranſcendentali.

Quomodo ens vt ſic cõformetur cum diuinis ideis.

II. Ex dictis etiam colligitur, an veritas addat aliquid ſupra ens, & quod nam illud ſit. Cum enim ens ita verum ſit, vt veritas ſit intimè ipſi infuſa, non poteſt veritas eſſe aliquid ſuperadditum, ita vt ſit extra eius adæquatum conceptum. Quia tamen alia eſt definitio, ſiue explicatio veritatis, & alia entis, ideò in conceptu adæquato entis conſiderantur diuerſi conceptus inadæquati, quorum vnus explicat aliquid, quod non explicat alter, quamuis implicitè dicat totum conceptum adæquatum: vnde quamuis veritas non ſit aliquid ſuperadditum enti adæquatè conſiderato, eſt tamen aliquid ſuperadditum conceptui inadęquato ipſius, non quidem additione ſimpliciter dicta, ſed ſecundùm quid, nempe ſecundùm eſſe explicitum, & conceptus inadęquatos. Vnde veritas, quatenus eſt paſſio entis, diſtinguitur ab ente ſecũdùm conceptus inadequatos explicitos, quæ diſtinctio eſt rationis cum fundamento in re.

An veritas ſit aliquid ſupe additum enti.

III. Tertiò colligitur. Quomodo ſe habeat veritas in ordine ad intellectum creatum, & quam commenſurationem ſeruet cum ipſo; habet enim aliquem ordinem reſpectu ipſius, cum poſſit per cognitionem cum intellectu adæquari. Cum enim veritas non conſtituatur in ſuo eſſe per ordinem ad ipſum, vt iam probatum eſt, & nihilominus intellectus cum ipſa conformetur, ſequitur, vt reſpectu ipſius ſeruet commenſurationem obiecti, & per veritatem formaliter entia conſtituantur in eſſe obiecti intelligibilis: ex eo enim quòd res ſunt veræ, habent, quòd ſpecificent potentiam intellectiuam, & cum obiectum non conſtituatur per potentiam, ſed econtra potentia per obiectum; res veræ non dicunt alium ordinem per ſe ad intellectum, quàm attingibilitatis, qui fundatur in veritate, quatenus ratione ipſius habent, quòd intellectiuo modo attingi poſſint. Et hinc etiam patet, veritatem non conſtitui per ordinem ad intellectum creatum, quia cum ſit formale obiectum intellectus, & prius ſit obiectum conſtitui in ſuo eſſe quidditatiuo, quàm ſpeci-

Quem ordinem ſeruet veritas ad intellectum creatum:

specificare potentiam, oportet, vt obiectum, seu ens prius constituatur in esse vero; deinde exercendo specificationem, & rationem obiecti, ordinetur ad intellectum creatum ipsum specificando. Vnde reijcitur Smising, qui tract. 3. de Deo vno disp. 1. quæst. 2. num. 41. docet. Quòd si res creatæ non dependerent ab intellectu diuino, sed fortuitò existerent, essent veræ eo modo, quo nunc sunt. Nam sicuti implicat, quòd sint, & non dependeant, à Deo, ita etiam quòd sint veræ, & non conformētur Ideis diuinis. Vnde conditionalis non rectè procedit, quia in antecedenti inuoluitur implicantia, quod res sint, & non dependeant ab intellectu diuino, vnde etiam illatio infert consequens, quod in se implicat, quia quale est antecedens, tale est etiam consequens proportionaliter.

Smising.

IV. Hinc etiam colligitur quomodo philosophandum sit de veritate cognitionis. Nec cognitio habet suam veritatem quo ad essentiam, quæ propriè non est veritas cognitionis, sed veritas talis entis in essendo, & in eo consistit, quòd consurgat ex talibus prædicatis, & constitutiuis essentialibus, quibus participet verum esse cognitionis; & hæc veritas communis est tam cognitioni veræ, quàm falsæ, cum vtraq; participet veram essentiam cognitionis. Et desumitur in ordine ad ideas diuinas, quæ ostendunt, cognitionem, vt habeat verum esse cognitionis, debere participare talem quidditatem. Rursus habet etiam aliam veritatem, à qua propriè denominatur vera, & dicitur veritas cognitionis, & est veritas repræsentationis, consistens in eo, quòd repræsentet obiectum, vt est in se ipso, & non aliter; vnde debet commensurari cum obiecto. Et quamuis veritas ista repræsentationis sit in ordine ad obiectum, ita vt intelligatur, cognitionem per conformitatem cum obiecto esse veram, adhuc tamen, si consideretur veritas ista, quatenus est intra latitudinem entis veri, constituitur per ordinem ad diuinas ideas, quia in Deo adest Idea, quæ ostendit, cognitionem debere conformari cum obiecto, vt sit vera in ratione repræsentationis; vnde semper quęcumq; veritas, quatenus est intra latitudinem veritatis, est talis per conformitatem ad Ideas diuinas; quamuis secundùm aliquam specialem rationem veritatis etiam per aliquid aliud mensuretur, nimirum secundùm rationem repræsentationis.

Qualiter se habeat veritas cognitionis.

V. An autem in hac conformitate, quam dicunt entia ratione veritatis ad ideas diuinas, fundetur aliquis respectus prædicamentalis, quo in super referantur ad ideas diuinas, quamuis aliqui affirment, negatiuè tamen respondendum est. Ratio est, quoniam huiusmodi respectus esset omnino superfluus, nec aliquid præstaret, quod non habeatur per respectum transcendentalem, illud enim, quod præstare posset, esset referre in ratione conformitatis, at relatio transcendentalis, dum refert ens, quatenus verum, ad ideas diuinas, refert in ratione conformitatis, & exercet totum id, quod relatio prædicamentalis. Neque dici potest, quòd sit necessaria, vt actu referat secundùm actualem commensurationem, quia ipsamet relatio transcendentalis est actualis respectus in ratione commensurationis. Accedit etiam, quòd res veræ in ratione commensurationis dicunt solum ordinem per se ad diuinas ideas, non autem accidentalem; quia sicuti sunt per se, & essentialiter veræ, ita etiam per se mensurantur, & referuntur; si autem dicerent respectum prędicamentalem, contingenter referrentur.

Dubium.

An in conformitate ad ideas diuinas fundetur relatio prædicamentalis.

VI. Quod verò spectat ad res artificiatas, colligitur quinto, per quem ordinem cōstituantur in esse vero. Cum enim dependeant per se ab Idea artificis, à quo fiunt, & ab ipsa regulentur tamquam à mensura, sequitur, vt debeant habere suam veritatem per conformitatem ad huiusmodi ideam, vt etiam docet D. Th. 1. par. quæst. 16. ar. 1. in corpore; sic dicitur vera domus, quæ adæquat ideam artificis, & assequitur illa formam, quam præconcipit artificiale agens. Ex hac enim idea fluit illud esse, quodcunque sit, quod habent artificiata, vt talia sunt, & consequenter fluit etiam veritas, quæ importatur ab ipsis in ordine artificiali. Et quamuis contingat multoties ideam artificis imperfectam esse; non per hoc tollitur, quin res artificiata sit vera per ordinem ad ipsam, quia adhuc per ipsam mensuratur; & quamuis res arti-

Respectu cuius intellectus res artificiatæ sint veræ.

D. Th.

tificiata imperfecta sit, quia mensuratur per imperfectam ideam, in hoc tamen consistit eius veritas, nam cum imperfecta sit ex imperfectione ideæ, sequitur, vt perfecto modo se habeat quò ad conformitatem respectu eiusdem ideæ: in hac autem conformitate consistit formaliter veritas. Non negauerim tamen, artificiata quoq; reduci ad diuinas ideas tanquam in omnium primas mensuras, ita vt idea creata sit proxima mensura, diuina verò sit media ta, & prima; quia cum ideæ creatæ dependeant quò ad suum esse ab ideis diuinis, debent ad illas reduci tanquam ad ideas, quæ sunt omnino per se, & independentes à quocunque alio.

Ideæ creatæ reducũtur ad ideas diuinas.

VII. Sextò colligitur, non obstare, quominus res dicantur veræ per conformitatem ad intellectum diuinum, quòd omnes æquè conformentur cum ideis diuinis, vnde videretur sequi, quòd omnes essent æquales in veritate; quod tamen non est admittendum, cum in veritate inæqualiter se habeant, sicut èt in entitate, quod etiam insinuat Arist. dum 2. Metaph. rex. 4. ait; *Quare vt secundùm esse vnumquodque se habet, ita etiã secundùm veritatem*; Non inquam hoc obstat, nam vnaquæque res perfectissimè cum idea diuina conformatur, & proinde quò ad modum conformationis omnes æqualiter se habent. Quò ad rem verò conformatam, seu secundùm id, quod conformatur, inæqualiter se habent, quia vna secundùm perfectius esse, altera secundùm minus perfectum conformatur, prout vnaquæq; illud participat. Hinc autem fit, vt in veritate formaliter accepta, quatenus dicit præcisam rationem conformitatis, omnes æquales sint, quia non vna magis, quàm altera conformatur, & ideo nec vna formaliter loquendo magis vera, quàm alia, sicut etiam nec magis ens intensiuè loquendo: vnde veritas secundùm suam præcisam rationem formalem dicitur vniuocè de omnibus rebus veris. In veritate autẽ materialiter accepta, nimirum in illo esse, quod verũ est inæqualiter se habent, quia participant esse cum diuersa mensura perfectionis. Et hoc pacto procedit Arist. dum ait, vnũquodque ita se habere secundùm veritatem, sicut se habet secundùm esse.

An veritas sit æqualis in omnibus rebus. Arist.

VIII. Rursus septimò colligitur, Quomodo, cũ veritas sit de quidditate entis etiam determinati, & prius res dicat suam essentiam, quàm ordinem ad diuinam ideam, nihilominus tamen, & veritas sit passio entis, & constituatur per ordinem ad diuinam ideam. Oportet .n., vt aliter philosophemur de essentia entis adæquatè sumpta, & de essentia eiusdẽ inadæquatè sumpta. Quia si loquimur de essentia adæquatè sumpta, tunc includit essentialiter veritatẽ, quæ non se habet ad modum passionis, sed ad modum constitutiui talis essentiæ: nec tunc verum est, quòd prius sit constituta in esse essentiæ, quàm dicat ordinem ad diuinam ideam: & ideo cũ tam ordo iste, quàm veritas sit de quidditate essentiæ adæquatè sumpta, optimè veritas importare poterit talem ordinem. At si loquimur de essentia inadæquatè sumpta, tunc secundùm suum esse explicitum neque dicit ordinem ad ideas diuinas, neq; explicitam rationem veritatis, & ideo ordo iste explicitè cõceptus, qui non est aliud, quàm ipsa formalis veritas, tribuitur essentiæ inadæquatè conceptæ tanquam passio.

Quomõ veritas sit de essẽtia entis, & tñ sit passio cõstituta per ordinem ad diuinam ideam.

IX. Octauò colligitur. An vera sit doctrina, quam tradit Suarez in Metaphysica disp. 8. sect. 7. num. 30. & 35. vbi docet, Deum verum esse per conformitatem ad proprium intellectum, seu cognitionem; hoc .n. minimè dici potest. Vt enim interueniat conformitas, oportet ponere distinctionem extremorum; non enim idem est conforme sibi ipsi, sed alteri, cum sibi ipsi sit idem; conformitas enim ex vi proprij conceptus nihil aliud dicit, nisi adæquationem, & cõcordantiã pluriũ inter se. Ex quo fit, vt nequeat Deus esse conformis propriæ cognitioni, quia cognitio Dei est ipsemet Deus. Accedit èt quòd si poneretur cõformitas aliqua inter Deũ, & propriã ipsius cognitionẽ, dicendũ potius esset cognitionẽ cõformari cũ Deo, quã Deũ cũ cognitione; nã cum cognitio se habeat, vt repræsentatiua Dei, cõformatio se deberet tenere ex parte ipsius, quoniã repræsentatio, sicuti instituta est ad repræsentãdũ, ita èt conformari debet cũ repræsentato. Quinimò quotiescũq; interueuit conformitas in rõne repræsentari, & repræsẽtatiui, debet interuenire èt mẽsuratio, vnde alterũ ipsorũ debet esse mensuratum, & alterum mensura: quò ad nos enim repræsentatio est mensura, quia nos ducit in co-

Suarez

Quomõ Deus dicatur verus.

gnitionē mensurati; quod verò ad rerū naturam spectat, repræsentatum est mensura, quia facit, vt repræsentatio sit talis in repræsentando, quale est ipsum in essendo, & proinde mensurat esse repræsentatiuum ipsius. Vnde melius dicitur Deus alio modo esse verus, ac sunt ista creata, nempe modo superemi- nentiori, & quatenus est causa veritatis in cæteris.

Quomò cognoscatur aliquid esse verū. X. Deniq; colligitur, an vt cognoscamus rerum veritatem, necessariò recurrendum sit ad diuinas ideas. Hoc. n. necessarium esse videtur, quia cum vna quæq. res constituatur in esse vero per ordinem ad ipsas, tanquam per mensuram suæmet veritatis, non videtur aliter cognosci posse: non enim relatiuum cognosci potest, nisi cum ordine ad suum terminum. Econtra verò hoc videtur impossibile, quia diuinæ ideæ nobis notæ non sunt, & tamen cognoscimus, res esse veras: et de facto rudes præsertim homines, et qui nihil de diuinis ideis sciunt, iudicant de rebus, an veræ sint. Respon. enim. quòd si loquamur de cognitione à priori, & per causam, non potest aliquod ens cognosci esse verum, nisi cum ordine ad diuinas ideas ex eo, quòd diuinæ ideæ ostendunt talem essentiam debere participare, vt in suo esse verum sit. Cum enim esse rei mensuretur per diuinam ideam, habet ab ipsa, quòd verum sit, vnde in ratione exemplaris est causa talis veritatis, atque causa necessaria, quia per se, & essentialiter vnaquæque res commensuratur cum diuina idea. Vnde D. D. Aug. August. lib. 12. Confess. cap. 25. inquit; *Si ambo videmus verum esse quod dicis, & ambo videmus, verum esse quod dico. vbi quæso id videmus? Nec ego vtique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate*. Quia nimirum vnaquæq; res est vera dependenter ab Ideis diuinis. Adest nihilominus alius etiam modus, quo veluti à posteriori cognosci potest. ens esse verum; & in hoc consistit, quòd intellectus noster cognoscens, rem aliquam esse veram ex vsu, atque experientia; per doctrinā ab alijs acceptam, format sibi certam ideam cuiuscunq; rei, quam tanquam veram cognoscit, & hac vtitur, vt mensura ad cognoscēda alia indiuidua eiusdem speciei, sic aurifex cognoscit, aurū esse verum aurum, quia iam sibi formauit certam ideam mensuratiuam veri auri. Præterea habet etiam homo lumē naturale à Deo infusum, quo mediante plura potest cognoscere tanquam per quandam mensuram ipsorum, quod præsertim locum habet in moralibus, circa ea, quæ agēda sunt. Vnde D. Aug. D. Aug. lib. 12. de Trinit. cap. 15. inquit; *Credendum est, mentis humanæ naturam sic rebus intelligibilibus connexam, vt in quadam luce sui generis omnia, quæ cognoscit, intueatur*. Et neque in hoc modo cognoscendi oportet recurrere ad diuinas ideas.

Qualis sit veritas entis
Disp. LXVII.

An veritas entis sit vna.
SECTIO I.

I. HAnc disputationem instituimus, vt quasdam condiciones veritatis explicemus, quarum explicatio valde confert ad notificandam naturam veritatis. Et quod prius in dubium venit, est, an veritas sit vna. Cum aūt quærimus, an sit vna, non loquimur de veritate præcisa transcendentali, quia certum est, hanc esse vnicam tantùm: non enim passio multiplicari potest, nisi etiā multiplicetur radix ipsius; vnde cum ens, quod est radix talis veritatis sit vnica simplicissima ratio, oportet etiam, quòd veritas ipsius vna sit. Cum ergo quæritur, an veritas entis vnica sit. quæstio procedit de veritate, prout reperitur in tali, & tali ente determinato, & consequenter ipsa quoq; est ad talem, & talem rationem veritatis determinata. Veritas entis trāscendentis est vna.

II. Huic difficultati respondet D. Th. tū 1. par. quæst. 16. ar. 6. tū quæst. 1. de Verit. ar. item 6. Quòd veritas, qua entia dicuntur vera, est partim vna, partim multiplex. Pro cuius declaratione aduertit, triplici modo reperiri posse in aliquo veritatē, seu posse habere triplicē modū existēdi. Propriè, primariò, & Sentētia D.Th.

hoc pacto reperitur in intellectu diuino, quia in ipso reperitur independenter à quocunq; & tanquam prima origo cuiuscunq; veritatis. Rursus potest reperiri in aliquo propriè, & secundariò vt reperitur in intellectu creato, qui habet veritatem deriuatam ab intellectu diuino. Deniq; reperiri potest impropriè, & secundariò: & hoc pacto reperitur in rebus, tum quia non sunt veræ, nisi per respectum ad aliud, & ideò impropriè sunt veræ, tum quia habent veritatem sibi deriuatam ab alio. Rursus aduertit, quòd quando res comparantur ad intellectum creatum, tunc accidentaliter se habent, & solùm secundariò veritas ipsarum mensuratur, & solùm respectu intellectus diuini veritas perse dicitur de ipsis, vnde per prius in ratione veri mensurantur ab intellectu diuino, & per posterius ab intellectu creato. Hinc autem concludit, quòd veritas propriè, & primariò, à qua res dicuntur veræ, est tantùm vna, quia quando aliquid dicitur analogicè de multis, inuenitur tantùm in vno ipsorum, à quo alia denominantur, & proinde forma denominans est tantùm vna: vnde cum veritas per prius dicatur de intellectu diuino, erit vnica tantùm in eodem intellectu, à quo cœtera denominabuntur vera, vt à sanitate, quæ est in animali cœtera, vt medicina, denominantur sana. Veritas autem secundariò, & propriè dicta est multiplex, quia in intellectu creato respectu plurium verorum sunt plures veritates; imo respectu eiusdem veri possunt plures intellectus habere plures veritates. Demum veritas impropriè dicta, & secundariò est multiplex iuxta multiplicationem rerũ. Notat autem in illo ar. 6. q. 1. de Verit. Quòd res denominantur veræ duplici modo; nam denominantur veræ à veritate, quæ est in intellectu diuino, tanquã à forma extrinseca, sicut cibus dicitur sanus à sanitate, quæ est in animali; à veritate autem, quæ est in ipsis denominantur veræ, tanquam à forma intrinseca.

Quomodo in Deo sit veritas, à qua creaturæ participent suam veritatem.

III. Cœterum quoniam huiusmodi doctrina valdè implicata est, paulatim enodanda est, & simul determinandum, quid de veritatis vnitate, & multiplicitate dicẽdũ sit. Et hoc primò tanquã certum tenendũ est, quòd cũ in Deo ponatur veritas, à qua deriuet veritas rerum creatarum, nulla alia ratione poni potest, nisi ratione idearum, quas habet de rebus omnibus, quia cum ab his ideis deriuet veritas in creaturas, quæ veræ sunt per conformitatem cum his ideis, non potest Deus in ordine ad creaturas habere aliam veritatem, quàm ratione idearum. Huiusmodi autem veritas, prout philosophamur de Deo per conceptus illos, quos desumimus à creaturis, non est veritas illa, qua Deus dicitur verus in se, sed est veritas idealis, qua Deus mensurat esse vnicuique communicandum, & secundùm quam Deus à creaturis imitabilis est, & proinde, si comparetur cum veritate illa, qua creaturæ veræ dicuntur, non conuenit vniuocè cum ipsa, non solùm quia inter ea, quæ sunt in Deo, & creaturis, nulla est conuenientia, siue vniuoca, siue analoga, sed etiam quia vna veritas est diuersi ordinis ab alia, cũ vna sit Idealis, & altera in essẽdo; adest tamẽ quidã ordo inter ipsas in ratione causantis, & causati, quo vna dependet ab alia, nam veritas illa Idealis, quæ est in Deo, est causa veritatis, quæ est in creaturis.

Quomodo vnaquæque res participata resolvatur in imparticipatam, e patet.

IV. Quod autem spectat ad rationem formalem veritatis, cum veritas idealis, quę est in Deo, sit alterius ordinis à veritate in essendo, quæ est intrinseca creaturis, meritò inquiri potest, in quanam ex his ratio formalis veritatis propriè saluetur. Respon. autem, quòd quicquid non est tale ex se, & independenter à quocunque, debet reduci in id, quod est tale independenter ab omni alio, & nõ est tale per essentiã, sed per participationem, & ideo tanquam dependens ab eo, à quo habet talem participationem, debet ad ipsum reduci, vt ad primam originem sui ipsius. Hinc autem fit, vt cum veritas creaturarum sit participata, debeat reduci in veritatem independentem, atq; inparticipatã, & quæ sit talis per essentiam. Hoc autẽ contingit, quando veritas creata resoluitur in diuinas ideas, quia vt sępius dictum est, ipsæ sunt prima origo, à qua profluit omnis alia veritas, & sunt tales per essentiam, atq; indepẽdenter à quocunq; alio. Ex hoc autem concluditur, quòd duplex rõ formalis veritatis ponenda sit, altera, quæ sit talis per participationẽ, quæ est veritas in essendo; & altera, quæ sit talis per essentiam, quæ erit

erit veritas idealis, quod locum habet non solùm in veritate, sed etiam in qualibet alia ratione, quæ in creaturis reperiatur, ita vt cuiuscunque rei duplex sit ratio formalis, altera in essendo, & altera in repræsentando, & vtraque sit propriè talis. Necessitas autem hæc inde colligitur, quia ratio formalis participata, prout dicit talem præcisam formalitatem, est quid participatum; ex genere autem suo non possumus sistere in eo, quod est participatum, sed debemus resoluere in eamdem ipsam rationem, prout imparticipato modo se habet; sic rationem entis participatam reducimus ad rationem entis imparticipatam. Fit autem huiusmodi reductio, quando res creatæ, & quælibet ratio ipsarum resoluuntur in ideas diuinas, tanquam in rationes imparticipatas.

Quomô se habeat rô idealis in mête Dei ad rône ideatam.

V. Si autem ratio participata, & imparticipata inuicem comparentur, quia vna est talis per essentiam, & altera per participationē, nullam in essendo habent conuenientiam, non solùm vniuocam, sed neque analogam; quia vt constat ex ijs, quæ diximus in 1. tomo Disp. 28. & sequentibus, inter ea, quæ sunt in Deo, & quæ sunt in creaturis nihil omninò commune reperitur, quia ratio infinitatis, & imparticipationis, quæ intimè imbibitur in quacunque ratione, quæ concipi potest in Deo, ita, quæ sunt in Deo, separat ab ijs, quæ sunt in creaturis, vt tollat omnem prorsus communitatem, vt ibidem abundè prosequuti sumus; Quin neque quæ sunt in creaturis, quò ad essendum sunt talia in ordine ad Deum per analogiam, quā vocant attributionis; sunt enim talia per formam intrinsecam, nam intrinsecè participant propriam essentiam, qua fiunt propriè, & intrinsecè talia, quò ad essendum. Hoc tamen non obstante habent inter se aliquam proportionē, quæ licet non sit quò ad essendum, est tamen quò ad repræsentationem, & consistit in ratione repræsentantis, & repræsentati; proportionantur .n. quò ad hoc, quòd ratio imparticipata, cum sit ratio idealis, dicit rationem illam per modū repræsentationis, quam dicit ratio participata per modum essendi. Ex hac aūt proportione sequitur, vt cēseatur vtraq; ratio vna, atque eadem ratio formalis, nam in vtraq; adest eadem res, in altera quidem per modum ideæ, in alia verò per modum essendi: hinc etiam eodem nomine nominatur, quamuis, vt modo dictum est, in essendo nulla sit conuenientia.

Rô eadē formalis reperiē propriè tam in idea, quā in ideato, licet diuerso modo.

VI. Ex his autem concluditur. Rationem formalem veritatis, sicut quamlibet aliam, reperiri propriè, & formali modo in Idea, & ideato, sed diuerso modo, nam in idea reperitur propria ratio formalis veritatis secundùm proprijssimam rationem formalem, sed per modum exemplaris: in ideato verò per modum essentiæ, & exemplificati. Quia tamen Idea diuina est quid imparticipatum, consequenter ratio formalis veritatis, quæ est in ipsa per modum exēplaris, est veritas per essentiam, & prima veritas, à qua originatur veritas ideata tanquam ab exemplari. Quamobrem, cum veritas idealis, quæ est in Deo, & importat proprijssimam rationem veritatis, & sit talis per essentiam, & prima, atque omnino independens; veritas verò ideata sit talis per participationem, & dependens essentialiter, & profluens à veritate imparticipata, dicitur à D. Th. veritas secundaria, & ēt impropria, quatenus dici solet improprium id, quod non est ipsum, quod est tale, sed quid ipsi assimilatum. Nihilominus tamen est proprijssimè veritas, quia dicit proprijssimam rationem veritatis quò ad essendum.

Quæ sūt talia intrinsece, nō dicūtur talia per formam extrinsecā.

VII. Quod verò spectat ad denominationem illam extrinsecam, qua docet D. Th. entia creata denominari vera à veritate, quæ est in mente diuina, scire oportet, quòd quando aliqua sunt talia per formam intrinsecam, non possunt dici talia denominatione extrinseca. Et ratio manifesta est, quoniam nomina imposita sunt, vt sint significatiua rerū, & proinde vnaquæq; denominatio, sicuti debet explicare id, ad quod significādum imposita est, ita quando imposita est ad significādum esse intrinsecum, debet ab eodē desumi. Quod ēt ex eo cōfir. quoniam respectu rei denominatæ potior est forma intrinseca, quàm extrinseca denominatio autem debet desumi à potiori; præsertim quia pôt vnūquodq; tale denominari, quale est intrinsecè: vnde si habet aliquam denominationē ab esse intrinseco, ad quid eadem denominatio illi tribuetur desumpta à forma extrinseca? id.n. fieri non potest,

quia

quia semper censebitur explicare esse intrinsecum, atq; adeò desumi ab ipso.
Res creatæ dicuntur veræ denominatione intrinseca. Quamobrem, cum res creatæ veræ sint per veritatem intrinsecam, quæ est veritas in essendo, non possunt denominari veræ in essendo denominatione extrinseca desumpta à veritate, quæ est in Deo, quia non est veritas in essendo, sed idealis in repræsentando.

Quomodo etiam denominatione extrinseca. VIII. Non hinc tamen sequitur, falsam esse doctrinam D. Th. quando docet; Res creatas dici veras denominatione extrinseca à veritate, quæ est in Deo; quando enim tali pacto denominantur veræ, est alia denominatio. Cum enim forma extrinseca veritatis non sit veritas in essendo, sed idealis non denominat res veras in essendo, sed idealiter veras, quoniam qualis est forma denominans, talis quoq; est denominatio. Quia tamen res creatæ non habent intrinsecam veritatem idealem, ideo à veritate ideali denominantur denominatione extrinseca. Quia autem denominatio, quamuis desumpta à forma extrinseca, debet aliquid intrinsecum in re denominata explicare, nimirum fundamentum, ratione cuius denominatio extrinseca ipsi tribuitur, ideo quando res dicũtur veræ à veritate ideali, quæ est in Deo, explicatur habitudo illa, quã seruant ad veritatem idealem, quæ in eo consistit, quòd sint mensuratæ veritate ideali, tamquã prima mensura totius veritatis.

Quomodo veritas prima sit veritas rerum creatarum. D. Ansel. Hinc D. Ansel. Dialogo de Verit. cap. 14. loquẽs de prima veritate, & explicans, quomodo sit veritas rerum, hæc habet. *Impropriè huius, vel illius rei esse dicitur, quoniam illa non est in ipsis rebus, aut ex ipsis, aut per ipsas, in quibus esse dicitur, habet suum esse. Sed cum res ipsę secundum illam sint, quæ semper præsto est his, quæ sunt, sicuti debent, tunc dicitur huius, vel illius veritas, vt veritas vocis, actionis, voluntatis, quemadmodum dicitur tempus huius, vel illius rei, cum vnum, & idem sit tempus omnium, quæ sunt in eodem tempore simul, & si non esset, hæc, vel illa res, non minus esset idem tempus. Non enim dicitur ideo tempus huius, vel illius rei, quia tempus est in ipsis rebus, sed quia ipsæ sunt in tempore.*

Veritas idealis [illegible] vna entium vera [illegible]. IX. Hinc autem concluditur. Veritatem idealem, realiter loquendo, esse vnam tantùm. Dixi realiter, quia an secundùm rationem distinguendæ sint in Deo plures ideæ iuxta rerum pluralitatem, non est huius loci, sed spectat ad Theologos. Atq; hoc voluit D. Th. quando docuit, veritatem propriam, & primariam, qua entia sunt vera, esse vnicam tantùm: neq; circa hoc adest difficultas aliqua, quia certum est, in Deo non esse ponendam pluralitatem rerum; vnde neq; poni possunt realiter plures veritates ideales. Quod egregiè explicauit D. Ansel. citato illo cap. 14. Dialogi de Verit. vbi inquit. *Si rectitudo non est in rebus illis, quæ habent rectitudinẽ, nisi cum sint secundum quod debent, & hoc solùm est illis rectas esse, manifestum est, earum omnium vnam solam esse rectitudinem.* Loquitur autem de rectitudine, seu veritate increata ideali. Et circa finem eiusdem capitis comparat veritatem idealem, cum tempore, quod est vnum respectu eorum omnium, quæ tempore mensurantur, inquiens. *Sicut tempus per se consideratum non dicitur tempus alicuius, sed cum res, quæ in illo sunt, consideramus, dicimus tempus huius, vel illius rei: ita summa veritas per se subsistens nullius rei est, sed cum aliquid secundùm illam est, tunc eius dicitur veritas, vel rectitudo.*

Quam veritatem habeat intellectus creatus respectu rerum creatarum. X. Quod verò spectat ad veritatem illam, quam D. Th. vocat propriam, sed secundariam, atq; eam collocat in intellectu creato, scire oportet, hanc nullam aliam esse posse, quàm eiusdem cognitionem, quatenus repræsentatiuam obiectorum; cum enim hæc veritas non sit veritas rerum in essendo, erit tantùm veritas in ræpresentando, & veluti ideali modo se habens. Intellectus enim creatus mediante cognitione rerum habet quamdam ideam, qua ipsi repræsentatur rerum natura: non est tamen prima idea, & à priori se habens; sed secunda, & a posteriori mensurans veritatem entium. Cum enim intellectus in rerum cognitione dependeat ab obiectis, quatenus mouent potentiam ad sui cognitionem, ita vt cognitio suo modo causetur ab ipsis, cognitio est posterior veritate obiectorum, atq; in veritate sua ideali dependet à veritate rerum in essendo; atq; adeo quando consideratur vt mensura rerum, non se habet à priori, quasi res sint veræ in essendo ex eo, quòd cum ipsa conformãtur; sed à posteriori, quia cum ipsa, vt vera sit, debeat conformari cum obiectis, ducit

nos

nos in cognitionem obiectorum, veluti effectus veritatis ipsorum, in esse ideali continens veritates obiectorum ab ijsdem acceptam. Hinc res quò ad suam veritatem in essendo non dependent ab hac veritate ideali creata, neq; dicunt ordinem per se ad ipsam, sed veritas ista idealis per se dependet ab obiectis, à quibus specificatur, & causatur. Dicitur nihilominus à D. Th. veritas propria, quatenus est in genere ideali, vt est veritas imparticipata, & quatenus se habet vt mensura: quamuis in rigore loquendo non sit veritas ex se, sed ab alio desumpta, & sumendo rationem proprij pro eo, quod est independens ab alio, dicenda esset veritas impropria. Dicitur tamen etiam secundaria, quia non est prima mensura veritatis rerum, sed secunda, à posteriori mensurans.

Quomodo eadem veritas se habeat ad res creatas.

XI. Huiusmodi autem veritas, cum consistat in cognitione creata, sequitur conditionem ipsius, & multiplicatur eadem multiplicatione. Sicut ergo respectu diuersorum obiectorum tam in eodem, quàm in diuersis intellectibus plantur diuersæ cognitiones, ita etiam dantur veritates diuersæ eadem differentia proportionaliter, qua differunt inter se obiecta cognita, cum enim cognitio sumat suam specificationem ab obiectis, & distinctionem, quanta est distinctio in obiectis, & multiplicatio, tanta quoque est in veritate, quæ quæ est in cognitione, vnde in tali quoq; veritate, saltem materialiter, adest distinctio generica, specifica, atq; indiuidualis, prout eadem distinctio reperitur in obiectis. Verùm addendum est, respectu eiusdem obiecti posse indiuidualiter multiplicari hanc veritatem; quia cum diuersi intellectus habere possint cognitionem eiusdem obiecti, in ipsis erit veritas idealis respectu eiusdem obiecti multiplicata numero. Deinde cum idem intellectus possit successiuè diuersis cognitionibus attingere idem numero obiectum, in ipso quoq; possunt esse successiuè diuersæ numero veritates ideales respectu eiusdem obiecti.

An veritas idealis in intellectu creato multiplicetur.

XII. Quod verò spectat ad veritatem, quæ est intrinsecè in rebus, & à D. Th. dicitur impropria; quatenus est ab alio transumpta, & secundaria, quatenus ab alio deribat, cum hæc non aliud sit, quàm esse rei, quatenus mensuratum à sua idea, dicendum est, quòd sicuti ens realiter multiplicatur in rebus creatis, ita quoq; multiplicatur veritas in essendo; vnaquæq; enim res habet suam propriam intrinsecam veritatem, qua tamquam per formam constituitur in esse vero, & ideato: vnde sicuti vnumquodq; ens non solùm dici t esse conforme suæ veritati ideali conformitate adequationis, sed etiam habere talem, & talem conformitatem, quæ in eo consistit, quòd tali, vel tali pacto ideas diuinas imitetur, ita etiam consurgunt in rebus non solùm distinctæ, sed etiam diuersæ veritates in essendo, sicuti sunt etiam diuersa ideata. Neq; obstat, quòd veritas prima, & imparticipata idealis sit tantùm vna realiter, quia nihilominus est diuersis modis imitabilis, & sicuti ab vno sole prouenıunt diuersi radij, & diuersa lumina, ita etiam ab vna veritate imparticipata possunt prouenire diuersa ideata, quia ratione suæ infinitatis ab vno Ideato finito non imitatur adæquatè.

Veritas in essendo quomodo multiplicetur.

An veritas sit immutabilis.

SECTIO II.

I. TRactat D. Th. hanc difficultatem 1. par quęs. 16. art. 8. & Quęs. 1. de Verit. ar. 6. & 1. par. conclu dit. Veritatem diuini intellectus seù idealem, quæ est mensura rerum omnium, esse immutabilem omninò, quia intellectus diuinus est omnino immutabilis in sua cognitione. Veritatem autem intellectus creati esse mutabilem, non quidem quasi sit subiectum mutationis, sed quia eadem re perseuerante, & eodem modo se habente, potest intellectus de vna, in aliam opinionem mutari; aut si manente eadem opinione res mutetur; vtroq; enim modo veritas mutatur in falsitatem. Hanc etiam doctrinam tradit in illa citata Quæs. 1. de verit. sed paulo aliter explicat, & alia insuper addit. Aduertit enim, quòd quando mutatio fit secundùm aliquid, hoc ipsum, secundùm quòd mutatio fit, aliquando mutari dicitur, cum videlicet est inhærens subiecto mutationis, vt contingit in albedine; aliquando id secundùm

Sententia D. Th.

quòd

quòd fit mutatio, non dicitur mutari, cum scilicet tantum extrinsecè afficit, vt contingit in loco; quando enim fit mutatio secundũ aliquid, nec fit mutatio secundùm locum, non dicitur mutari locus, sed locatum. Vnde concludit, formas inhærentes tantum mutari, quã do secundùm aliquid fit mutatio. Rursus aduertit, quòd mutatio secundùm formas inhærentes duplici modo contingere potest ex eo, quòd aliter formę generales mutari dicuntur, & aliter speciales. In mutatione enim formæ specialis non remanet eadem forma, nec secundùm esse nec secundùm rationem; si enim fit mutatio albedinis, nullo modo manet. In mutatione autem formæ generalis remanet eadem forma secundùm rationem, licet non secundùm esse, si enim fiat mutatio de albo in nigrum remanet idem color secundùm communem rationem coloris, sed non eadem entitas, & species coloris. Hinc colligit suam sententiam. Veritatẽ, quæ fit intellectus diuini, nunquam variari. Veritatem autem, quę est forma inhærens ipsis rebus, cum sit forma maximè generalis, in rebus mutabilis, mutari tanquam formam generalem non de veritate in falsitatem, sed de vna veritate in aliam, ita vt semper remaneat ratio veritatis, & res semper remaneat vera, sed alia, & alia veritate. Veritas autem in intellectu mutatur etiam de veritate in falsitatem; vt supra dictum fuit. Atq; hæc est doctrina D. Th.

Veritas intellectus diuini immutabilis.

II. In hac autem doctrina quædam certa omnino sunt: quædam autẽ quæ mihi omnino non satisfaciunt. Et quidem certum est; veritatem idealem diuini intellectus esse planè immutabilem; nulla enim mutatio in Deum cadere potest; cuius rei rationem reddere non est metaphysici, quamuis naturali lumine attingi possit, sed Theologi, qui Deum, & eius attributa contemplatur: oritur tamen immutabilitas ex eo, quòd sit ens, à se, & per essentiam. Insuper certum est, quòd veritas intellectus creati sit mutabilis, loquendo tamen de veritate cognitionis: quamuis magis propriè diceretur non veritatem, sed intellectum quò ad veritatem esse mutabilem, quia cum denominatio desumatur à forma, sequitur naturam formæ, & illi proportionatur; vnde sicuti forma tribuit suum effectum formalem subiecto, ita etiam debet denominare subiectum, cui tribuitur, denominatio enim, quando forma est intrinseca, explicat effectum formalem formæ. Quamobrem cum mutatio fiat semper circa aliquod subiectum, & se habeat ad modum formę, tribuit suum effectum formalem subiecto, & proinde ipsum quoq; debet denominari à mutatione mutabile, aut actu mutari: Et sic intellectus potius diceretur mutabilis secundùm veritatem cognitionis. Accedit etiam, quòd intellectus mutatur *vt quòd*: veritas autem est tantùm terminus mutationi, & ideo est tantum mutabilis, *vt quo*, quòd nihil aliud dicit, quam esse rationem, vt fiat mutatio in intellectu. Quòd autem contingat mutatio in intellectu, inde patet, quia modò potest habere cognitionem veram de eadem re, & modo falsam, vt experientia manifestum fit.

Intellectus circa cui mutatur secũdùm veritatem.

An distinctio mutationis secundùm formam generalem, & secundùm formam specialẽ admittẽda.

III. Quòd autem mihi satisfacere non potest, est duplex ille modus mutationis secundùm formam generalem, & secundùm formam specialem; & propterea neq; ipse D. Th. eam repetit in 1. parte, quia fortasse non amplius ei probabatur. Cũ enim mutatio sit ex natura sua quid physicum; nec potest contingere nisi physico modo debet necessariò fieri secundùm aliquid physicum; & tunc implicat planè, non fieri secundùm totam formam, quia forma non habet partes separabiles, quarum vna possit remanere absq; alia; sed omnes rationes ipsius sunt inuicem identificatæ, & posita vna necessariò ponuntur alteræ, & ablata auferuntur; impossibile est enim fieri mutationem, in qua remaneat forma, secundùm aliquam rationem generalem. Et quamuis succedat aliqua alia forma, quæ participet aliquam rationem genericam communem cum ipsa, non hinc sequitur, vt ramaneat forma præcedens secundùm aliquam sui rationem. Sed sicuti formę, quæ participant eamdem rationem generalem, non dicuntur vna atq; eadem, nisi cum addito nimirum genericè, aut specificè, ita ex eo, quòd in mutatione succedat forma, participans eamdem rationem generalem, non debet dici quòd remaneat eadem forma secundùm rationem, sed quòd succe-

succe-

succedat alia forma, quæ sit eiusdem rationis. Et ipsa exempla allata à D. Th. hanc distinctionem impugnant: inquit enim, quòd si fiat mutatio de albo in nigrum est mutatio secundùm formam generalem: quando verò fit mutatio albedinis, esse mutationem secundùm formam specialem: at quis non videt in vtroq; casu mutari formã specialem, quamuis in secundo non succedat alia forma. Ex eo enim, quòd succedat alia forma non facit, quin tota præcedens tollatur; semper enim secundùm eandem formam contingit mutatio, siue album mutetur in nigrũ siue in esse albedinis fiat mutatio; quòd enim succedente alia forma subiectum maneat sub eadem forma generica, non id prouenit, quia maneat aliquid de præcedente forma, sed quia succedit alia conueniens cum præcedente in aliqua ratione communi.

Vna veritas non mutatur in aliam.

IV. Alterum, quòd mihi probari non potest, est, quòd vna veritas in essendo mutetur in aliam in rebus mutabilibus: in tantum enim mutaretur, in quantum res ipsæ mutarentur; ex hoc tamen non fit quòd vna veritas mutetur in aliam, quia quamuis vna forma corrumpatur, & alia generetur, & sequatur mutatio de vno toto in aliud totum; non tamen per hoc vna veritas mutatur in aliam, sed tantùm vnum ens verum mutatur in aliud ens verum, ex quo sequitur postea diuersitas veritatis: aliud enim est loqui de veritate in abstracto, & aliud de veritate in concreto: nam quando in abstracto dicitur, vnam veritatem mutari in aliam significatur, quòd mutatio supra formã cadat directè, quod tamen falsum est, tum quia non est aliquid physicum, sed quid metaphysicum; tum etiam quia, etiam si esset quid physicum, neq; adhuc diceretur mutari in aliam veritatem, quia id, quòd dicitur mutari in aliud, debet esse aliquòd totum physicum. Loquendo autem de veritate in concreto, seu de ente vero, mutatio non cadit directè supra ipsam veritatem, sed supra illud totum physicum, quod in se est verum.

V. Cæterum quamuis entia mutabilia soleant suas mutationes subire, non hinc tamen sequitur, quòd mutetur veritas. Quia quando inquiritur, an veritas sit mutabilis, quęstio procedit de ipsa veritate formaliter sumpta, & an in suo esse intrinseco mutationem subeat: quòd non contingit ex eo, quòd entitas, in qua est veritas, existat, & non existat. Vnde veritas in suo esse formali est omnino inuariabilis quæcunq; illa sit. Quòd etiam intelligi debet de veritate cognitionis, quia licet cognitio possit aliquando esse vera, & aliquando falsa; veritas tamen illius semper eodem modo se debet habere, ita vt non possit permanere in esse veritatis, & in seipsa variari. Atq; ita docet D. Ansel. Dialogo de Verit. cap. 2. vbi loquens de veritate enunciationis, ait, esse illam, qua significat, quòd accepit significare, & de hac statim subdit. *Quippe ista immutabilis est ipsi orationi*: & cap. 14. arguit, omnia debere esse vera vnica veritate prima, cui conformentur; alioquin sequeretur, quòd veritas esset mutabilis, quòd dici non potest.

Omnis veritas in seipsa immutabilis.

D. Ansel.

VI. Ratio autem desumitur ex immutabilitate diuinarum idearum. Cum enim omnis veritas in essendo rerum creatarum, sit talis per conformitatem ad diuinas ideas, sicuti diuinæ ideæ, immutabiliter semper repræsentant: ita etiam semper eodem modo imitabiles sunt. Hinc cum impossibile sit, rem aliquam creatam reperiri, quæ non sit conformis diuinæ ideæ, quia sicuti est ens participatum, ita etiam habet suam veritatem participatam, impossibile est etiam, quòd non sit veritatis determinatę omnino immutabilis, quoniam debet necessario esse talis in essendo, quales sunt diuinæ ideæ in repræsentando. Præterea vnaquæq; res habet suum esse à Deo participatum: quando autem Deus communicat esse illud, communicat mensuratum ex idea, quia necessariò operatur ex Idea; cum autem vnaquæq; veritas habeat vnicum tantùm modum, quo diuinam essentiam imitatur, nam quotiescunq; datur diuersus modus imitabilitatis, datur etiam diuersum ens, & diuersa veritas, concludendum est, veritatem cuiuscũq; rei esse omnino inuariabilem in seipsa. Quòd etiam ex eo confir. quoniam; veritas rei sequitur esse tanquam passio, vnde non potest in seipsa variari, nisi etiam varietur essentia: verùm rerum essentiæ sunt sicuti numeri, & consistunt in indiuisibili, ita vt aut tollantur,

Vnde colligatur inuariabilitas veritatis.

tur, invariabiles persistant, quælibet enim variatio, si posset fieri, destrueret illam essentiam. Neq; D. Th. hanc immutabilitatem negat, quia cum posuit veritatem mutabilem, de alia mutabilitate locutus est.

An veritas entis sit æterna.

SECTIO III.

Sententia D.Th.

I. Circa qualitatem veritatis adhuc dubitatur, an sit æterna; quam difficultatem tractat. D. Th. 1. par. quæst. 16. art. 7. & quæst. 1. de Verit. art. 5. Respondet, quòd cum præter Deum nihil aliud sit æternum, non potest veritas rerum creatarum esse æterna, nisi ratione intellectus diuini, qui est ipsemet Deus: vnde si loquamur de veritate inhærente rebus creatis, non potest esse æterna, quia res ipsæ non sunt æternæ: & hoc etiam procedit de veritate intellectus versantis circa res ipsas, atque eas vera cognitione attingentis. Quia tamen adsunt diuinæ ideæ, quæ sunt æternæ, veritas idealis rerum creatarum est æterna: & insuper quia veritas ista idealis rerum creatarum est extrinseca quædam mensura veritatis, quæ est in rebus; hinc fit, vt veritas creata dici possit æterna, non in seipsa, sed in sua extrinseca mensura. Atq; hæc est doctrina, quam in vtroque loco tradit D. Th.

Quid dicat æternitas?

II. Circa eam tamen nonnulla aduertere oportet, vt saluetur communis modus loquendi, quo aliqua dicuntur æternæ veritatis, nimirum ea omnia, quæ necessaria sunt, vt in hoc contradistinguantur a contingentibus, quæ non dicuntur æternæ veritatis ex eo, quòd esse possunt, & non esse; & tamen in ideis diuinis tam necessaria, quàm contingentia æterna sunt; Vnde sciendum est, quòd æternitas importat durationem prorsus indefectibilem, quæ caret principio, & fine ex eo, quòd sit à se: vnde est etiam immutabilis abstrahendo modò ab eo, an immutabilitas sit de conceptu formali æternitatis, an verò ex ipsa consequatur. Quòd ergo spectat ad æternitatem, quatenus dicit durationem indefectibilem, hęc nullo modo conuenire potest veritati alicuius rei creatæ positiuè, quia non habet aliam durationem, quàm rei creatæ, quæ cum sit temporalis, non potest positiuè reddere aliquid æternum. Quia tamen veritas præcisè secundùm propriam suam rationem considerata non est capax durationis: & sicuti nullam habet durationem, ita etiam non habet principium, aut finem illius, ideo impropriè, & negatiuo modo potest dici æterna, quatenus nec habet positiuum æternitatis, & caret etiam defectibilitate. Atq; hanc doctrinam expressit etiam D. Th. citato loco 1. par. ad 2. *Dicendum, quòd aliquid esse semper, & vbiq; potest intelligi dupliciter. Vno modo, quia habet in se, vnde se extendat ad omne tempus, & ad omnem locum, sicuti Deo competit esse vbique, & semper. Alio modo quia non habet in se, quo determinetur ad aliquem locum, vel tempus, sicut materia prima dicitur esse vna. quia non habet vnam formam, sicuti homo est vnus ab vnitate vnius formæ, sed per remotionem omnium formarum distinguentium.* Et concludit, tali pacto vniuersalia esse æterna, & nos idem quoq; dicimus de Veritate entium creatorum præcisè considerata, prout abstrahit ab omni duratione.

Quomodo veritati tribui possit æternitas negatiua.

D.Th.

III. Verùm etiam hoc aduertere oportet, quòd quamuis consideretur præcisè, non est tamen sine principio quò ad suum esse intrinsecum: hoc autem ex eo prouenit, quia quò ad suum esse intrinsecum est quid participatum, & ideatum: non enim est veritas à se, cum non sit quid infinitum simpliciter, & talis per essentiam; si enim secundùm suum esse intrinsecè est quid exemplificatum, quando consideratur, prout existens in entitate actuali, erit etiam quid exemplificatum, quando præcisè absq; duratione sumitur, nam est eadem omnino veritas, & semper dicit commensurationem ad diuinas ideas. Est autem ab alio, quatenus est transumpta ab ideis diuinis. Vnde ideæ diuinæ sunt principium ipsius in ratione exemplaris. Cum autè æternitas nō excludat omne prorsus principium, ex hoc quoque capite repugnat veritati præcisè consideratæ esse æterna, & cum non possit præscindere ab hac ratione principiati, neque negatiuo modo quò ad hanc rationem poterit ipsi tribui æternitas.

Veritas præcisè accepta habet principium in ratione exemplaris.

Quomodo veritas rationi immutabilitatis dicatur aeterna.

IV. Quia tamen æternitas præter durationem indefectibilem, & negationem principij, dicit etiam immutabilitatem omnimodam in suo esse, ex hoc quoque capite potest veritas præcisa à duratione sortiri aliquam denominationem æternitatis, nam immutabiliter se habet, vt in sect. præcedenti declaratum fuit ex eo, quòd semper cum diuinis ideis immutabilibus commensurata est: vnde ad differentiam eorum, quæ mutantur, potest dici æterna, quatenus eadem semper perseuerat in esse obiectiuo, si enim concipio veritatem naturæ humanæ, aut alterius rei, necesse est, vt eam semper eodem modo se habentem concipiam, quoniam debeo eam concipere ideis diuinis commensuratam, quæ semper ratione suæ immutabilitatis eodem modo mensurant. Atq; hac ratione D. Aug. De libero arbitr. lib. 6. c. 8. inquit, *Nihil magis æternum, quàm ratio circuli, aut duo, & tria esse quinque*. Per hanc enim æternitatem intelligit immutabilitatem. Et eadem ratione aliqua dicuntur æternæ veritatis, vt propositiones necessariæ. Verùm hæc quoq; ratio æternitatis, quamuis dicat aliquid proprium ex parte veritatis, nimirum immutabilitatem, non est tamen ratio aliqua propria æternitatis; immutabilitas enim, quam dicit æternitas, est immutabilitas ex se, proueniēs ex infinitate essendi: immutabilitas autem veritatis rerum creatarum præcisè considerata prouenit ex alterius immutabilitate, nempe diuinarum idearum: sufficit tamen, vt veritas secundùm quamdam similitudinem dicatur æterna.

Alius modus salvandi æternitatē veritatis.

V. Rursus ex alio etiam capite potest veritas rerum dici æterna secūdùm seipsam, præcisè tamen à duratione, & quò ad esse obiectiuum. Ab æterno enim continetur in diuinis ideis modo ideali. Habent autem ideæ rerum omnium ex se, vt qui eas intuetur, ducatur per ipsas in cognitionem ideati, ita vt possit formare conceptum propriū ipsius, vt qui intuetur imaginem Cæsaris, format conceptum de Cæsare. Hinc autem fit, quòd, cum ideæ rerum omnium ab æterno sint, in vigore ipsarum potuerit concipi illa veritas, quam poterant habere res omnes per conformitatem ad illas; si enim ab æterno fuisset aliquis intellectus creatus potuisset concipere ex vi idearum veritatem rerum creatarum. Hoc ergo pacto potest veritas rerum dici æterna, quatenus ex vi idearum diuinarum erat in seipsa ab æterno cognoscibilis; ex quo consequitur æternitas in esse obiectiuo, non autem in esse durationis realis.

An veritas sit æqualis in omnibus rebus.

SECTIO IV.

I. Deniq; circa qualitatem veritatis dubitatur, an sit æqualis in omnibus, an verò habeat diuersos gradus, & diuersam perfectionem, ita vt inæqualis sit. De qua re licet nōnulla in superioribus dicta sint, hic tamen difficultas est diligentius discutienda. Et ratio dubitandi desumitur ex Aris. 2. Metaph. tex. 4. vbi docet, id esse maximè tale, quod est causa cæteris, vt sint talia, & hinc infert, illud esse verissimum, quòd est causa cæteris, vt sint vera: eius verba sunt. *Quare verissimum etiam est id, quòd posterioribus, vt vera sint, causa est*. Et in fine tex. concludit, *quare vt secundùm esse vnumquodq; se habet, ita etiam secundùm veritatem*. Cum ergo quò ad esse res inæquales sint, ita vt vna sit perfectior altera, ita etiam secundùm veritatem erunt inæquales. Econtra verò non apparet, quomodo saluari possit, quòd vna res sit magis vera, quàm altera.

Ratio dubitandi.

Aris.

II. Prima ergo solutio est Fonsecæ lib. 2. Metaph. cap. 2. in responsione ad 3. obiectionem circa idem caput. Qui ait; Veritatem dupliciter accipi posse; vel enim accipi potest pro perfecta æqualitate, & imitatione, quæ nullos admittit gradus; vel pro quadam sola imitatione, quæ impropriè adæquatio appellatur. Res enim dicuntur veræ, quia adæquantur conceptui, quem Deus de rebus habet; sic Bucephalus dicitur verus equus, quia adæquatur conceptui, quem de perfecto equo Deus habet: Hinc autem fit, vt cum dicitur

Responsio Fonsecæ.

vna res esse magis vera, quàm alia, intelligi debeat de adæquatione, prout dicit quandam imitationem respectu illius conceptus, quem Deus habet de tali re perfecta, quoniam prout magis, vel minus cum ipso adæquatur, dicitur etiam magis, aut minus vera: magis autem, aut minus adæquatur, prout magis, aut minus perfecta sunt; magis enim perfecta magis illi correspondent; & minus perfecta, minus correspondent: non autem debet intelligi de perfecta adæquatione, quia hęc consistit in indiuisibili, nec suscipit magis, & minus. Lib. autem 4. cap. 2. quęst. 6. Sect. 12. in responsione ad 1. ait. Res omnes esse æquè veras, si conferantur cum suis proprijs rationibus, quæ sunt in mente diuina, quia omnes æquè illis correspondent. Verùm si inter se comparentur, vna potest esse magis vera, quàm altera, quia licet omnes sint ęquè veræ in rationibus vniuocis; in rationibus tamen analogis vna potest dici magis vera, quàm alia, quemadmodum etiam magis ens: & hoc pacto in ratione perfectissimi entis, quę simpliciter soli Deo conuenit, vna est magis vera, quàm alia, quia res diuersimodè illam participant, prout magis, aut minus perfectè illis communicatur.

Alia responsio eiusdem.

III. Nulla tamen ex his responsionibus subsistere potest, & prior graui bus difficultatibus premitur. Certum enim est, Deum habere vnicam tantùm ideam cuiuscunq; entis, ita vt cuiuscunq; naturæ specificæ vnica tantùm sit idea, & etiam cuiuscunq; indiuidui. Si tamen iuxta multiplicationem indiuiduorum sunt multiplicandæ ideæ eo modo, quo multiplicari possunt. Rursus certum etiam est, quòd quando Deus aliquid producit, intendit communicare rei productæ tale esse, quo exprimatur idea. Deniq; etiam certum est, quòd perfectissimus modus operandi ex idea in eo consistit, quòd perfectissimam ideam perfectissimè imitetur, atq; adæquatur. His autem stantibus ex hac expositione Fonsecæ sequitur defectus, aut in Dei sapientia, aut in eiusdem potentia. Si enim cognoscit perfectissimũ modum operandi ex idea in eo cõsistere, vt effectus proueniat omnino similis ideæ, & nihilominus eligit potius producere effectum imperfectè similem, iã deficit in sapientia, quia eligit, quòd deterius est in comparatione melioris. Si autẽ id prouenit, quia non potest producere effectum omnino similem, licet vellet; tunc deficit in potentia, quia nõ potest totũ id, quòd vellet, & quòd melius est, quæ omnia absurdissima sunt.

Impugnatio.

Deus producit effectus perfectè similes ideæ.

IV. Pręterea si res aliqua non est perfectè similis ideæ, oportet, vt in aliquo deficiat. Vel ergo deficit in aliquo essentiali, vel accidentali. Si in accidentali; iam hoc non facit ad rei veritatem, quia sicuti accidentalia extrinseca sunt, ita non pertinent ad constituendam veritatem intrinsecam rei: & proinde nõ potest ratione ipsorum habere, quòd sit magis, vel minus vera; quòd enim nõ dat simpliciter, neq; etiam dat magis, & minus. Si verò deficit quò ad aliquid essentiale, tunc non sequitur, quòd sit minus vera, sed quòd nõ sit illa res amplius: p huiusmodi enim defectũ variatur res in esse essentiali; omnis autem variatio in rerum essentijs ipsas essentialiter mutat, quia sunt sicuti numeri, qui per quamlibet additionem essentialiter variantur.

An res possit deficere ab adæquata commensuratione diuinæ ideæ.

V. Rursus veritas intrinseca rei sequitur essentiam ipsius, ita vt debeat esse talis, qualis est essentia: vnde Aris. supra citato tex. 4. lib. 2. Metaph. inquit. *Vt se cundùm esse vnumquodq; se habet, ita etiam secundùm veritatem* Verùm rerum essentiæ consistunt in indiuisibili, ita vt nullo pacto suscipiant magis, aut minus, sicut numeri, atq; hoc ad eò ipsis necessariò cõuenit, vt neq; in illis rebus, quæ suscipiũt magis, & minus, possint illud suscipere; sic qnamuis calor suscipiat magis, & minus, non tamen suscipit magis, & minus essentia caloris. Cæterùm si res essent magis, aut minus veræ ex maiori, aut minori conformitate cum idea propria, sicuti veritas ipsarum susciperet magis, & minus, ita etiam deberet suscipere essentia, vt seruaretur debita proportio inter essentiam, & veritatẽ: & deinde quia essentia quoq; magis, & minus conformaretur cum idea, & hoc ipso, quòd magis, aut minus conformaretur, susciperet magis, & minus. Vidit hoc etiam ipsamet Fonseca, & propterea in secunda responsione non amplius ita loquitur, sed vult, res vniuocas esse æquales in veritate, quòd fieri non posset nisi

Tam essentiæ rerum, quã veritas ipsarum non suscipit magis, & minus.

omnes perfectè imitarentur ideam illius naturæ specificæ.

VI. Sed neq; posterior responsio subsistere potest: & primò supponit, posse dari conceptum communem analogum inæqualiter participatum, quòd nos supra, cum ageremus de vnitate analogiæ, impossibilem esse ostẽdimus. Verùm quicquid de hoc sit, neq; adhuc responsio subsistit, nam quamuis vnum analogum sit perfectius altero in aliqua ratione, non hinc sequitur, quòd sit magis verum: neq; enim veritas consistit in perfectione rei, sed in conformitate cum idea, quę est in mente diuina; analogum autem minus perfectum non minus conformatur cum propria idea, quàm magis perfectum, cum vtrumq; perfecto modo conformetur. Quòd etiam patet in cœteris entibus, quæ nõ sunt analoga: non enim lapis minus cõformatur cum idea lapidis, licet minus perfectus sit, quàm conformetur angelus cum idea angeli: sicuti ergo maior, & minor perfectio non ponit maiorem, & minorem conformitatem rei cum idea; ita neq; eam facit magis, aut minus veram, & ideo ex inæqualitate perfectionis non consurgit inæqualitas veritatis. Quod etiam confir. quoniam analogum minus perfectum ęquè per sua essentialia constituitur, ac constituitur magis perfectum; ergo etiam habet in suo esse æqualem veritatem, cũ veritas sequatur essentiam rei.

[Margin: Maior aut minor perfectio nõ facit rem magis, aut minus ve à]

VII. Auersa in sua Philosoph quæs. 6. sect. 8. aliter respondet: inquit enim quòd cum dicitur, vnum ens esse magis verum, quàm aliud, ly verum sumi simpliciter pro ipso ente; & idem esse, ac si dicatur, esse magis ens: & proinde Aris. supracitatus dixisse, quòd sicuti res se habent ad esse, ita & ad veritatem: idest ita denominari secundùm veritatem, sicut denominantur secundùm esse. Dicitur autem vnum magis ens, quàm aliud, vel quia magis necessarium in essendo, vel quia est prius in essendo. Quamobrem per Auersam non veritas formaliter sumpta habet magis, & minus, sed solùm materialiter, nimirum ens verum. Sed neque hæc responsio satisfacit, nec attingit mentem Aris. supracitati in ratione dubitandi; nam ipse ponit magis, & minus in ratione veritatis formaliter acceptæ, dum docet, illud esse verissimum, quod est causa cœteris, vt vera sint, & similiter loquitur etiam de cœteris rebus formaliter acceptis, vt patebit textum consideranti. Deinde si in ratione formalis veritatis vnum non est magis verùm, quàm aliud, quia æqualiter conformantur omnia cum suis ideis, eadem ratio vrget de ratione entis; nam cum veritas sit passio entis, si passio non habet magis, & minus, neq; etiam habet ipsum ens; aut si habet ens, habebit etiã veritas quia passio, & subiectũ ex æquo sibi correspondent; sic quia albedo suscipit magis, & minus, etiam disgregare visum, quòd est passio albedinis, suscipit magis, & minus. Præterea quoddibet ens tam in ratione entis vt sic, quàm in ratione talis entis habet sua omnia integra constitutiua essentialia, & eo ipso, quòd est conforme diuinis ideis, est æquè perfectum in suo esse, ac quodlibet aliud, ergo non potest vnum ens esse magis ens, quàm alterum, sed ad summum erit magis perfectum. Et in confir. accedit, quòd rerum essentiæ consistunt in indiuisibili, ergo in ratione entis non possunt habere magis, & minus, quia licet vna sit perfectior altera, quia tamen vna est diuersum ens ab altera essentialiter, ideò ratione maioris, & minoris perfectionis, non habetur magis, & minus in ratione entis, quia magis, & minus debet contingere secundùm eamdem rationem, non secundùm diuersas.

[Margin: Respõsio Auersæ.] **[Margin: Reijcitur]** **[Margin: Nulla res magis est, quam altera.]** **[Margin: Inæqualitas perfectionis non ponit magis & minus in ratione entis.]**

VIII. Alij autem, vt refert idem Auersa citatus, explicant, rem aliquam esse magis veram in ordine ad ipsam cognitionem; supponunt enim, res esse inæqualis perfectionis, ex hac autem inæqualitate deducunt, quòd res petant diuersa cognitione attingi, & etiam diuerso amore amari, quia sicuti vna quæq; res ratione suæ cognoscibilitatis, & bonitatis petit cognosci, & amari, ita perfectior petit perfectiori cognitione cognosci, & perfectiori amore amari, quia vt magis perfecta est magis cognoscibilis, & magis amabilis. Hæc sanè responsio subtilis prima facie videtur; Cœterum nec veritatem continet, nec punctum difficultatis attingit. Et quòd spectat ad primum, falsum est. Rem perfectiorem exigere attingi perfectiori cognitione, & amore, nam vel loquimur de perfectione

[Margin: Aliorum respõsio.] **[Margin: Reijcitur]**

essen-

An res perfectior perfectiori cognitione intelligatur, & perfectiori amore ametur.

essentiali cognitionis, & amoris, vel de accidentali, nimirum intensiua. Si primum; quamuis crescente obiecti perfectione, crescat perfectio materialis cognitionis, & amoris, non tamen crescit perfectio formalis in ratione cognitionis, & amoris: imo fieri potest, vt sit imperfectior, sic cognitio intuitiua lapidis perfectior est, quàm abstractiua, qua cognoscitur angelus, licet obiectũ sit minus perfectum; & idem obiectum potest magis & minus perfecta cognitione attingi, vt si attingatur ab angelo, & ab homine. Si verò loquamur de perfectione intensiua, constat manifestissimè, falsum id esse, quoniam creatura, quæ nullam habet comparationem perfectionis respectu Dei, potest longè intensiori amore amari, & intensiori cognitione cognosci, quàm Deus: & cum idem obiectum possit magis, & minus intensè amari, & cognosci, hinc elicitur, nullum obiectum petere determinatam intensionem in cognitione, & amore. Deinde sic possumus arguere. Cognitio correspondet cognoscibilitati obiecti; vnde maior cognitio debet supponere maiorem cognoscibilitatem, & cum cognoscibilitas proportionetur veritati, debet etiam supponere maiorem veritatem, & tunc responsio petit principium, quia resoluitur in maiorem veritatem, de qua procedit difficultas, quomodo stare possit.

Veritas est æqualis in cognitione perfecta, & minus perfecta.

IX. Sed neque punctum difficultatis attingit, quia neque ex eo, quòd perfectius obiectum exigeret attingi perfectiori cognitione, sequeretur magis, & minus in veritate: nam quòd cognitio sit magis, aut minus perfecta, non sequitur, quòd sit magis, vel minus vera: veritas enim cognitionis consistit in commensuratione ipsius cum obiecto: hæc autem commensuratio æqualis est tam in cognitione perfectiori, quàm in minus perfecta, quia etiam minus perfecta, si vera est, perfectè debet commensurari cum obiecto. Et sicuti dicebamus, res omnes æqualiter esse veras, quia æqualiter conformãtur cum diuinis ideis; ita æquè vera erit cognitio magis perfecta, & minus perfecta ex eo, quòd vtraque æqualiter commensuratur cum obiecto. Et sicut maior, & minor perfectio in essendo non facit rem magis, aut minus veram; ita neque maior, aut minor perfectio cognitionis reddit illam magis, aut minus veram. Deinde etiam si vna res peteret cognosci cognitione perfectiori, non sequeretur, cognitionem esse magis veram, nam adhuc esset in perfectione commensurata cum obiecto, sicuti ergo obiectũ perfectius cum inferiori comparatum non fundat maiorem veritatem per ipsos, & propterea recurrunt ad cognitionem, ita neque excessus vnius cognitionis supra aliam in perfectione fundabit excessum veritatis, quia seruata proportione ita se habet cognitio ad cognitionem, sicut ens ad ens.

Responsio D. Th.

X. Aliam rationem assignat D. Th. in Metaph. explicans illum tex. 4. lib. 2. Metaph. Aliqua nimirum dici magis vera quia sunt magis necessaria, & minus variabilia, vnde incorruptibilia sunt magis vera corruptibilibus, quia sunt minus variabilia; primum autem ens esse maximè verum, quia est omnino necessarium, & immutabile. Sed neque hæc ratio placere potest, quoniam variabilitas rei, & contingentia, non variat conformitatem rerum cum suis ideis, ergo neque veritatem. Deinde res omnes creatæ respectu Dei æquali modo contingentes sunt, nec vlla habet maiorem necessitatem essendi, quàm altera, ergo neq; ex hoc capite possunt dici magis, aut minus veræ. Accedit ẽt, quòd necessitas essendi, & immutabilitas non sunt ratio veritatis, & ideo ab ipsis non possunt res denominari magis veræ: desumere autem denominationẽ veri ab immutabilitate, aut necessitate essendi, idem esset, ac si denominatio calidi desumeretur à sapore, aut denominatio albi à frigiditate.

Res non sunt magis veræ quia magis necessariæ, aut minus mutabiles.

XI. Concludendum igitur est. Veritatem secundùm suam rationem formalem esse æqualem in omnibus rebus, ita ut non habeat gradus, aut inæqualitatem, vt iam patet ex dictis, quia vnaquæque res est perfecto modo commẽsurata cum idea diuina, in quo consistit ratio formalis veritatis; & ad summum materialiter posse rem vnam esse magis veram, quàm aliam, non quidem intensiuè, sed extensiuè, quatenus secundùm plures rationes conformatur diuinæ ideæ: inæqualitas tamen omnis se tenet non ex parte veritatis formaliter, sed sed tantùm ex parte entis, quod veritate afficitur. Atque ita philosophandum est, si magis, & minus accipiatur, prout

Veritas formalis est æqualis in omnibus.

im-

importat inæqualitatem graduum; Verùm si accipiatur, prout importat inæqualitatem excellentiæ, tunc secundùm rationem formalem veritatis potest aliquid dici magis verum, quàm alterum; contingit enim, veritatem aliquam esse altera excellentiorem secundùm ipsam rationem veritatis, sicut etiam contingit, vnum ens esse excellentius altero. Sic veritas per fidem reuelata est excellentioris ordinis, quàm veritas sciẽtifico modo cognita. Præcipua autem ratio, ob quam aliquid dicitur excellẽtioris veritatis, est, quia tale verum sit causa veritatis cœterorũ, ita vt saltem in aliquo genere sit prima causa: sic prima principia in genere discursus sunt prima causa veritatis conclusionum, & ideo dicitur in tali genere omnium magis vera, quàm conclusiones, hoc est excellentioris veritatis. Esse enim causam cœterorum, præsertim primam in aliquo genere, importat magnam excellentiam, & nobilitatem: cui enim hoc cõuenit, cœteris veluti præsidet; Quare cum vna veritas sit causa alterius, vt contingit in primis principijs, & ideis, dabitur magis, & minus in veritate nõ secundùm intensionem, sed secundùm excellentiam.

Quomõ quod est causa cœterorum, sit magis tale.

XII. Atq; hæc sanè fuit mens Arist in ratione dubitandi adducti: in illo .n. tex. 4. lib. 2. Metaph. vniuersaliter loquitur de quocunque, quod in aliquo genere sit causa cœterorum, & de hoc dicit, quòd in illo genere sit maximè tale, & magis tale, quàm cœtera: hoc autem illi conuenit, quia in illo genere exercet rationem primæ causæ respectu cœterorum, quòd importat quamdam maiorem excellentiam supra cœtera, quæ debent reduci in ipsum, vt in principium; cum autem ipsum sit primum, quodammodo in tali genere est ex se, & ideo excellentiori modo est tale. Si autem ratio illa, secundùm quam est primum in tali genere, est capax intensionis, habet etiam maximam intẽsionem, quæ reperiatur, saltem naturali modo loquendo, in illo genere, hoc enim illi debetur, quia est primum illius generis, à quo cœtera dependent. Et hunc esse germanum sensum illius tex. palam fiet, si attentè consideretur: inquit enim Arist. *Vnumquodque verò id ipsum maximè aliorum est, secundùm quod alijs vniuocatio inest* (hoc est, à quo cœtera habent, quod sint talia in eodem genere) *vt puta ignis est calidissimus; etenim cœteris hic est caliditatis causa: Quare verissimum etiam est id, quod posterioribus vt vera sint, causa est. Propter quod principia semper existentium necesse est, verissima esse; nec enim aliquando vera; nec illis, vt sint, aliquid aliud causa est*, (Ecce quomodo ex negatione causæ infert maioritatem) *sed illa cœteris*. & etiam quia sunt causa respectu cœterorum eamdem maioritatem infert; quod aliud non importat, quàm maiorem excellentiam. Atque hoc etiam modo debet intelligi axioma illud; *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; vt nimirum secundùm excellentiam id sit magis tale, propter quod vnumquodque est tale: est enim eadem ratio, & idem est dicere, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, ac dicere, *Quod est causa, vt cœtera sint talia, esse maximè tale*. & proinde debet valere tantùm in ijs, inter quæ est causalitas secundùm eamdem rationem, ita vt sit vnum aliquod primum in determinato genere, quòd sit causa cœterorum secundùm aliquam rationem, quam ipsum quoq; participet.

Arist. illustratur

De veritate entis comparata ad Idealem. Disp. LXVIII.

An omnis veritas sit à veritate prima.

SECTIO I.

I. Considerauimus hucusque veritatem entis secundùm se nunc de eadem agemus in ordine ad aliud. Et prima quidem comparatio debet fieri in ordine ad veritatem primam, quæ est etiam veritas idealis, siquidem, vt dictum est, omnia entia vera sunt per conformitatem cum ipsa. Quantum autem spectat ad hãc comparationem id, de quo primo loco dubitatur, est, an omnis veritas sit à veritate prima. Cum

enim veritas prima sit veritas idealis, & consequenter est causa cæterarum veritatum in essendo; quæ simul cum ipso esse communicantur à prima causa cōcurrente veritate ideali vt dirigente, & ostendente, quænam veritas communicanda sit. Quæritur ergo, an omnis veritas, quæ est in rebus, sit à veritate ideali.

Conclus. Omnis veritatē a veritate prima. D.Th.

II. Hanc difficultatem tractat D. Th. quæst. 1. de Verit. art. 8. & respondet absolutè. Omnem veritatem, quæ est in rebus, esse à veritate prima. Quod sic declarat, quia veritas reperitur in rebus, quatenus imitantur intellectum diuinum, qui est mensura earumdem, sicut ars est mensura artefactorum, & quatenus natæ sunt facere veram apprehensionem sui intellectui creato. Ex hoc autem fit, veritatem includere in sui ratione esse earumdem rerum: vnde veritas importat esse rei cum adæquatione ad diuinum intellectum. Esse autem rei est à Deo, & consequenter etiā, quòd sit adæquatum diuino intellectui tanquam suæ mensuræ; nam adæquatio non est aliquid extra esse adæquatum.

Omnis veritas participata, aut imparticipata.

III. Verùm quia posset aliquis dicere, non omnem veritatem esse per adæquationem ad intellectum diuinum, sed dari aliquam, quæ non sit per huiusmodi adæquationem, & ideo non omnem veritatem esse à veritate prima, ideo addere oportet. Omnem veritatē esse necessariò, aut participatam, aut imparticipatam: omnis enim veritas, quæcunque sit, verè habet esse in rerum natura, alioquin statim ac non habet esse, non est amplius veritas realis. Vel ergo habet esse à se independenter à quocunque alio; vel nō à se, sed ab alio. Primo modo est veritas imparticipata, siquidem non participat esse ab alio: si verò habet esse ab alio, iam est veritas participata, quia participat ab alio rationem suæ veritatis. Neq; aliquo alio modo, quàm altero ex his potest veritas habere esse reale; siquidem hi duo modi fundantur in contradictione; & proinde alter ipsorum debet necessariò in quocunque reperiri, quod habeat esse. Veritas autem imparticipata potest esse vnica tantùm realiter loquendo, quia eò ipso; quòd est à se, habet infinitatem essendi simpliciter, & ideo non potest multiplicari; quòd si plures essent veritates à se, & imparticipatæ, vna diceret aliquid, quod non diceret alia, & sic vtraque esset quid finitum, quia non haberet, quod habet alia; dum aūt est finita non est à se, nec per essentiam, quia dum limitatur, habet à quo limitetur. Veritas autem participata reducitur ad veritatem per essentiam, tanquam ad eam, à qua fluit; non enim reduci potest in aliquam veritatem participatam sistendo in ea; & hoc pacto omnis veritas, quæ est in rebus, cum sit veritas participata, est à veritate prima.

IV. Quod vlterius declarari potest quoniam veritas rerum consistit in cōformitate ad diuinum intellectum. Cum enim Deus sit primum ens, & prima causa eorum, quæ sunt, atq; sit agēs ex idea, habet necessariò ideam omnium, quæ sunt. Et cum extra ens imparticipatum non sit aliud ens, quàm participatum; consequenter non est aliud ens, quàm illud, quod dependet à Deo, vt à prima causa. Hinc autē fit, vt quod est ex idea, sit cōforme intellectui diuino, atque adeo sit verum in suo esse, quia veritas non consistit in alio, quàm in conformitate ad intellectum diuinum. Deinde veritas quæcunque extra Deum est talis per conformitatem ad diuinas ideas, vnde prouenit ab ipsis tanquam ab exemplari. Quòd autem omnia sint conformia diuinis ideis, inde colligitur, quia Deus omnia cognoscit, & consequenter habet ideā rerum omnium, quia illa cognoscit, vt à seipso tanquam à prima causa, & exēplari procedentia.

Quomodo omnis veritas extra Deū participata.

V. Cæterum occurrendum est cuidam difficultati: videntur enim quædam veritates non posse esse à Deo, quoniam malæ sunt, & nullum malum est à Deo, nam dantur quidam actus mali, qui vt mali sunt, veri sunt; nam reuera committuntur, & existunt: vnde homo est causa peccati, quòd non contingeret, nisi peccatum, vt peccatum est, existeret. Hæc obiectio prorsus Theologica est; nihilominus tamen, quantum præsens materia patitur, & ex principijs metaphysicis eam dissoluemus. Recolendum est igitur, quòd in superioribus dictum fuit: Veritatem intrinsecam esse passionem entis, ita vt non possit reperiri, vbi non est ratio entis, quia sicuti consistit in conformitate, ita saltem implicitē di-

Occurritur obiectioni.

cit

cit aliquid, quod sit conforme, atque adeo aliquid reale positiuum:& ob hãc rationem diximus, negationes, & priuationes nullam habere intrinsecam veritatem. In actibus ergo malis duo considerari possunt, nimirum esse physicum actus, & malitia, qua constituitur moraliter malus. esse physicum est verum veritate physica, & huiusmodi veritas, & actus est à Deo, cum sit quid reale participatum. Malitia verò importat solam priuationem debitæ rectitudinis; in eo namque consistit, quòd actus ille, quatenus morali modo fit, non habeat debitam conformitatem cum recta ratione. Et ideo malitia, nedum importat aliquam veritatem, sed carentiam veritatis quò ad esse morale, quia importat carentiam rectitudinis, & veritatis, quàm habet actus moralis, vt moralis est. Habet enim actus moralis suam peculiarem veritatem, qua conformatur in esse morali cum sua idea: vnde D. Ansel. Dialogo de Verit. cap. 5. loquens de veritate operationũ ait. *Vnde animaduerti potest, rectitudinẽ, seu veritatẽ actionis, aliã esse necessariã aliã, nõ necessariã*(nẽpe moralẽ, quia cũ libertate fit.) *Ex necessitate nãq; ignis facit veritatẽ, & rectitudinẽ, cum calefacit, & non ex necessitate facit homo rectitudinem, & veritatem, cum benè facit.* Hinc non sequitur, quòd aliqua veritas non sit à Deo.

D. Ansel.

Quomò verã cognitione attingatur malitia actus.

VI. Verùm cum instatur, quòd verè quis furatur, & occidit, respondetur iuxta doctrinam D. Th. supracit. ar. 8. Quæst. 1. de Verit. Hanc veritatem nõ se tenere formaliter ex parte actus, sed solùm ex parte cognitionis, quatenus nimirum vera cognitione attingitur malitia actus: & importat adæquationem illam, qua cognitio adæquatur cum obiecto. Adæquatio autem in eo consistit, quòd intellectus habens ideã ostendentem, quam rectitudinem deberet habere, vt esset moraliter bona, hac ideà mensurat operationem, & percipit non correspondere debitæ mensuræ, & hinc infert, malam esse, quia caret debita rectitudine: vnde veritas actus, quatenus peccaminosi formaliter, se tenet ex parte intellectus mensurantis talem actum, & iudicantis non habere veram rectitudinem: & fundamẽtaliter ex parte actus, quatenus non habet totum id, quod necessarium esset, vt corresponderet debitæ mensuræ. Dicitur autem homo causa peccati, non quia influat in malitiam, aut tribuat illi aliquod esse, & veritatem, sed negatiuo modo, quia nimirum tenetur dirigere, & regulare suas operationes secundùm regulas debitas, & non regulat. Cum enim operationes liberæ sint propriæ ipsius, & sub eius dominio, tenetur tanquam aliquid proprium, & de quo ipsi incumbit regimen, eas regulare. Atque hinc intelligitur, vt hoc obiter adnotemus, cur peccatum non tribuatur Deo, licet illud permittat; & non regulet operationes hominis. Huiusmodi enim operationes, quamuis pertineant ad Deum, tanquam ad causam primam, & vniuersalem, non tamen spectant ad ipsum vt regulandæ, quia cum sint liberæ, & constitutæ, sub dominio hominis, iam ipsi commissum est regimen ipsarum, & ideò non spectat ad Deum; vnde consequenter non non tenetur Deus eas debito modo regulare, sed tantùm concurrere ad eas, & proinde si non regulat, quamuis possit regulare, non ipsi adscribitur defectus, sed tantùm homini. Et res eodem pacto se habet, ac si princeps committens alicui regimen alicuius ciuitatis præscribat regulas, quibus eam regat; & ipse non exerceat regimen iuxta præscriptas regulas: tunc quamuis princeps sciat, eum in regimine non seruare debitas regulas, & posset facere, vt seruaret, non tamen defectus, & malum regimen tribueretur principi, sed gubernatori, præsertim si princeps declarasset, nolle vllo pacto regimini se immiscere, atque hac conditione illi cõ signasset dominium ciuitatis, & regimen.

Cur Deus nõ sit cã peccati.

Quem ordinem veritas entis seruet ad idealem.

SECTIO II.

I. Veritatem entis dicere ordinem transcendentalem ad idealem iam constat ex dictis, atque adeo seruare habitudinem ideati ad ideam, quæ quidem est habitudo effectus ad causã; idea enim concurrit ad causandum effectum dirigẽdo operationem agentis. Neque de hac habitudine adest aliqua difficultas, præsertim consideratis iis, quæ de ratione formali veritatis dicta sunt.

sunt, solùm in dubium venit, an præter hanc habitudinem interueniat alia, ratione cuius constituatur aliqua analogia inter veritatem idealem, & veritatem participatam entis. D. enim Thomas 1. par. quæs. 16. art. 1. tum in corpore, tum in responsione ad tertium, & Quæs. 1. de Verit. ar. 2. ponit ordinem analogiæ attributionis. Inquit enim, quòd veritas per prius est in intellectu, & per posterius in rebus, quatenus comparantur ad intellectum, vt ad principium; & addit; veritatem se habere vt sanitatem; quia sicuti cõpleta ratio sanitatis est in animali, ita perfecta ratio veritatis reperitur in intellectu diuino, quatenus est mensura creatarum rerum; atq; adeo res creatæ in ratione veritatis dicunt ordinem attributionis ad veritatem idealem intellectus diuini. Atq; hanc sententiam sequuntur ij omnes, qui putant, res non habere veritatem intrinsecam formalem, sed dici veras denominatione extrinseca desumpta vel ab intellectu diuino, vel creato, quos supra suo loco citauimus, præsertim Vasquez 1 par. dis. 77. cap. 4. Et ex ijs, qui tribuunt veritatem intrinsecam formalem rebus, Bannes 1. par. quæs. 16. ar. 1. Cumel. ibid. ar. 2. quæs. circa discursum art. vbi docet, veritatem non esse formaliter in rebus, sed dici veras denominatione extrinseca comparatas ad intellectum diuinum; quatenus signa veritatis, quæ est in ipso.

Sententia D. Th.

Vasquez

Bannes

Cumel.

II. Vt autem, quid nobis dicendum videatur, aperiamus. Hoc tanquam certum supponendum est, veritatem idealem priorem esse veritate in essendo, quæ conuenit enti, ea prioritate, qua Deus est prior creatura. Veritas enim idealis est ipsemet Deus realiter loquendo, & similiter veritas entis realiter loquendo est ipsum creatum ens, & proinde respectu veritatis idealis habet eamdem posterioritatem, quam habet creatura respectu Dei. Atque hoc etiam patet considerando præcisam rationem ideæ, & ideati; idea enim se habet tanquam causa respectu ideati; causa autem est prior suo effectu; quamobrem veritas per prius reperitur in idea, quàm in ideato.

Veritas per prius reperitur in idea quã in ideato.

III. Rursus etiam scire oportet, quòd si comparetur veritas creata cum ideali increata, nedum habet cum ipsa conuenientiam aliquam in essendo, siue vniuocam, siue analogam, sed neq; etiã seruate ad ipsam proportionẽ aliquã in essẽdo, ita vt esse ipsius sit aliquid proportionaliter de esse veritatis idealis. Hoc totũ constat ex ijs, quę diximus in priori tomo disp. 28. & 29. vbi diffusè disputauimus, quomodo ẽs se habeat ad Deũ, & ostendimus, nullũ habere cũ ipso conceptum cõmunem, & vniuersaliter id verificari de quacunq; ratione creata, nedum vniuocum, sed neq; analogũ: & insuper neq; seruare cum ipso proportionem aliquam. Quod breuiter sic declarari potest quò ad ideas. Ideæ.n. diuinæ, quatenus ideæ, sunt quid imparticipatum, & per essentiam, ita vt sint ipsemet Deus; econtra verò res creatæ secundùm totum id, quod includunt in se, sunt quid participatum, & finitum spectans ad constitutiuum creaturæ, & illam contradistinguunt à Deo, vt Deus est: ex hoc autem fit, vt non solùm habeant quid commune cum ideis diuinis in essendo, sed neq; dicant cum aliqua proportione id, quòd in essendo dicunt ideæ diuinæ; propria enim constitutiua rerum diuersarũ: quia ea inuicem diuersificant, ita se habent, vt vnũ non possit esse proportionaliter alterũ; quã enim proportionem habet natura lapidis vt propriæ ipsius ad naturam hominis? nõ enim potest dici, quòd homo sit lapis cum quadam proportione, aut econtra. Maior autem distantia est in essendo inter diuinas ideas, vt tales sunt, & res ideatas, quàm sit inter naturam lapidis, & hominis. Si ergo hæc distantia tollit conceptum communem, atq; etiam proportionem in essendo, multò magis hoc totum tollet distantia, quæ est inter diuinas ideas, & ideata. Quod etiam ex eo declaratur, quòd huiusmodi distãtia stat cum infinitate ex vna parte, & finitate ex alia: vnde in essendo nullã possunt habere proportionem; inter finitũ nãq; & infinitum nulla adest proportio; quòd etiã docuit Aris. 1. Coel. tex. 64. inquiẽs; *Infinitum ad finitum in nulla proportione est.*

Id creata nec habent in essendo aliquid commune cum diuinis ideis, nec aliquam proportionem

Arist.

IV. Si verò ideatum, & idea considerentur non in essendo, sed in repræsentando, tunc seruant aliquam proportionem ad inuicem, quæ in eo consistit, quòd ideatum dicat idem cum proportione, quod dicit idea, vt repræsentans est, quia ideatum dicit in essẽdo

quod dicit idea in repræsentando. Vbi aduertere oportet, quòd non hinc sequitur aliqua proportio ideati ad ideã in essendo, quia licet in essendo sit repræsentatiua ideati, non tamen in essendo est proportionata ideato; nam hæc proportio ideati non est ad rationem formalem ideæ, seu ad esse repræsentatiuum illius, sed ad ipsum terminum repræsentationis, quatenus tamen elucet in diuina idea, vnde proportio lapidis ideati non est ad esse repræsentatiuum diuinæ ideæ, sed ad ipsum lapidem, quatenus elucet in diuina idea, tanquam in repræsentante, & propterea est proportio eiusdem ad seipsum secundum diuersum modum essendi: nimirum idem secundum suum esse reale acceptum dicit proportionem ad seipsum, prout repræsentatiuo modo existit in idea: Vnde non sequitur, quòd sit proportio finiti ad infinitum, sed finiti ad finitum, quia nimirum est proportio eiusdem ad seipsum secundum diuersos modos existendi.

Qualiter interueniat analogia proportionis inter veritatem idealem, & veritatem in essendo.

V. Ex his autē colligitur interuenire analogiam proportionis inter veritatem entis in essendo, & idealem in repræsentando, quatenus idem dicunt cum proportione. Tunc enim saluatur analogia inter aliqua, quando ratio aliqua in vno propriè reperitur, in altero solùm cum quadam proportione, vt patet ex dictis in superioribus, cum ageremus de vnitate analogiæ. Disp. enim 32. ostendimus, analogiam proportionis in eo consistere, quòd ratio aliqua sit primò, & per se in vno, in alio autem cum quadam proportione: vnde solent hæc analoga definiri, quòd sint ea. *Quorum nomen est idem, & ratio significata per nomen partim est eadem, partim diuersa.* Hæc autem analogia proportionis duplici modo excogitari potest inter veritatem in essendo, & idealem. Vel enim sumitur ratio veritatis in essendo, & hæc propriè reperitur in re ideata, quia est in ipsa intrinsecè, & formaliter, & cum quadam proportione in idea, quia non est in ipsa quò ad esse, sed quò ad repræsentationem, quia nimirum sicuti idea non est talis res in essendo, sed solùm repræsentat illam, ita neq; est veritas illius in essendo, sed solùm ipsam repræsentat. Vnde cum idem sit nomen commune, & eadem ratio veritatis proportionaliter, interueniet analogia proportionis, & principale analogatum erit veritas in essendo, tanquam ea, quæ proprio modo importat veritatem in essendo, & minus principale analogatum veritas idealis, quia cum quadam proportione tantùm dicit veritatem eamdem in essendo.

Alter modus eiusdem analogiæ.

VI. Altero modo, & quidem magis proprio interuenit eadem analogia, ita vt principale analogatū sit veritas idealis, & minus principale veritas in essendo: tunc autē forma analogiæ non debet esse veritas in essendo, sed veritas idealis, quatenus est quædam mensura regulans veritatem in essendo. Hæc enim veritas non est æquali modo in idea, & ideato: sed in vna propriè, & in altero cum proportione; propriè enim dicit rationem mensuræ, secundùm quàm commensuratur, & regulatur esse rei: quæ propriè est in Idea, quatenus repræsentat esse rei faciendæ: in re autem ideata, cum non sit mensura sed mensuratum, est tantùm cum proportione; & proportio in hoc consistit, quòd dicat eamdem veritatem non per modum mensuræ, sed per modum mensurati. Et hoc pacto saluatur, quòd in ratione veritatis idea sit principale analogatum, & ideatum minus principale.

Quomodo interueniat analogia, attributionis inter veritatem idealem & ideatam.

VII. Alia etiam habitudo interuenit inter veritatem idealem, & ideatam, ratione cuius excogitari potest analogia illa, quam vocant attributionis, in qua principale analogatum est tale per formam intrinsecam, & minus principale per habitudinem ad ipsum, & denominationem extrinsecam. Pro quo sciendum est, quòd cum veritas ideata sit transumpta ab ideali tanquam ab exemplari, consequenter dependet ab ipsa, vt à causa exemplari, & dicit habitudinem effectus ad causam. Effectus autem ex natura sua nos ducit in cognitionem causę, vt signum illius, sic fumus nos ducit in cognitionem ignis; Atq; hoc tunc contingit, quando effectus nobis notus est, causa autem ignota, ita vt tantùm ex effectu, aut ex aliquo alio signo innotescat. Si autem contingat, effectū, seu signū denominari denominatione extrinseca à forma signata desū ta, tunc ponitur analogia attributionis,

quia iam habetur totum id, quod requiritur, nimirum habitudo alicuius ad formam extrinsecam, & denominatio ab ipsa desumpta. Sic cum vrina sit signum sanitatis, aut morbi, & quando indicat sanitatem, denominetur sana à sanitate, quam indicat, dicit analogiam attributionis ad ipsam sanitatem. In veritate autem ideata respectu idealis habemus habitudinem signi ad rem signatam, quia mediante ipsa intellectus deuenit in cognitionem idealis: cum enim cognoscat, veritatem illam ideatam non esse à se, consequenter intelligit, debere prouenire ab aliquo; atq; cum in rebus omnibus attingat ordinem, & mensuram, hinc colligit, eum, qui talem veritatem essendi rebus communicat, non temerè operari, sed cum quadam mensura pręconcipiendo id, quòd debet facere: atque adeò ex idea. Quare si denominari potest denominatione extrinseca desumpta à veritate ideali, iam aderit analogia attributionis. Potest autem habere hanc denominationem, vt etiam supra disp. 67. sect. 1. num. 8. explicauimus. Nomen enim varitatis ex suo significato habet significare tum veritatem idealem, tum veritatem in essendo. Si ergo accipiatur veritas, pront significat idealem, tunc denominatio ab ipsa desumpta, & applicata enti ideato, erit extrinseca, quia desumitur ab extrinseca forma. Cum antem veritas idealis sit in ideato, tanquam in signo; quod nihil aliud dicit, quàm esse in ipso talem habitudinem ad veritatem idealem, vt ratione ipsius, tanquam signum ipsam indicet, denominari potest à veritate ideali tanquam signum ipsius, ita vt huiusmodi denominatio exprimat in recto illud, esse signum idealis veritatis; & hoc pacto interuenire analogia attributionis.

Quomodo veritas ea ideata denominetur ab ideali increata.

Quomodo se habeat veritas rei ad veritatem cognitionis. Disp. LXIX.

Aliorum sententia.

SECTIO I.

1. CONsiderauimus in præcedenti disputatione ordinem, quem habet veritas rei, seu ideata comparata ad veritatem idealem; nunc autem videndum, quam habitudinem seruet ad veritatem cognitionis, quæ est in intellectu creato. In qua difficultate variæ existunt sententiæ. Prima ergo sententia asserit, inter veritatem essendi, & veritatem cognitionis interuenire habitudinem analogiæ attributionis, ita vt veritas secundùm suam propriam rationem, & formali modo reperiatur in cognitione, & per posterius dicatur de re vera desumpta denominatione à veritate cognitionis. Hanc sententiam tenent ij omnes, qui putant, veritatem non esse formaliter in rebus, quos supra disp. 65. sect. 3 num. 2. citauimus. Et eam indicat D. Th. 1. par. quæst. 16. passim, & quæst. 1. de Verit. ar. 2. vbi docet; Res naturales per adæquationem tàm ad intellectum diuinum, quàm ad creatum dici veras: sed diuerso modo; nam respectu diuini dicuntur veræ, quatenus mensurantur, & implent illud, ad quòd ordinantur; & respectu creati, in quantum ipsum mensurant, & causant in ipso veram cognitionem; & concludit, veritatem dici per prius de cognitione, quàm de rebus, quia vt habet ar. 1. quæst. 16. citatæ in responsione ad 3. non obstat, quòd veritas cognitionis causetur à rebus, nam etiam sanitas causatur à medicina, & tamen per prius dicitur de animali. Quam doctrinam amplectuntur etiam Thomistæ Bannes,

Prima opinio pones analogiā attributionis.

D. Th.

Bannes.

Cumel. Caiet.

Cumel, & alij circa illum 1. art. quæst. 16 citatæ & Caiet. circa art. 6. eiusdem Quæst ita tamen D. Th. & Thomistæ tribuunt hanc denominationem extrinsecam veritatis rebus, vt ijs tamen concedant etiam intrinsecam veritatem.

Secunda opinio Veritaté dici propriè ram de cognitione, quam de re, sed & analogia

II. Secunda sententia asserit, veritatem ex prima impositione significasse veritatem cognitionis, quia ipsa est notior: extensam tamen fuisse hanc vocem ad significandam veritatem rei, non quidem per metaphoram, aut aliquam analogiam, sed per proprietatem. Atque hæc sententia frequens est apud eos, qui ponunt in rebus intrinsecam veritatem. & refertur a Suarez. in Metaph. disp. 8. sect. 8. num. 5. & eam ipse sequitur num. 9. & sequentibus: addit tamen. Res posse dici veras denominatione extrinseca, quatenus causant veram cognitionem in intellectu, & proinde seruare ad veritatem cognitionis ordinem attributionis. Fundantur in eo, quòd veritas consistit in conformitate inter rem, & intellectum: non minus autem intellectus adæquatur cum re, quàm econtra res cum intellectu, & proinde non magis veritas se debet tenere ex parte vnius, quàm ex parte alterius: ratio enim mensuræ, & mensurati, quæ se tenet ex parte extremorum non variat rationem veritatis, cum non variet rationem conformitatis. Hinc autem concludit num. 12 Veritatem non dici analogia attributionis de veritate rei, & cognitionis, cum sit quid intrinsecum vtrique: sed neque vniuocè, quia longè diuersa est veritas cognitionis à veritate rei: sed analogia proportionis, quæ in eo consistit, quòd sicut verum in cognitione requirit conformitatem cum obiecto, ita verum in obiecto requirit conformitatem cum cognitione. Idem ferè sentit Meurisse 2. Metaph. cap. 3. par. 2. quæst. 6. Addit tamen, prius dici de veritate rei, quia hæc causat veritatem cognitionis.

Suarez.

Meurisse

3. opinio Veritaté vno modo dici per prius & posterius, & alio modo æqualiter.

III. Tertia sententia procedit cum distinctione, & asserit, quòd datur duplex modus, quo res denominantur veræ. Primus est, si dicantur veræ, quatenus sunt mensura cognitionis: alter si denominentur veræ, quatenus per ipsam cognitionem mensurantur. Prior modus facit res veras vt obiectum speculatiuæ cognitionis, quatenus aptæ sunt conformari veritati illius; nam quando obiectum comparatur ad speculatiuam cognitionem, tunc est mensura illius, quia cognitio debet conformari cum obiecto, vt sit vera. Posteriori modo dicuntur veræ res illæ, quæ habent ab intellectu, quòd veræ sint, quia conformantur cognitioni, seu ideæ ipsius vt terminus cognitionis practicæ. Hac autem distinctione adhibita, vult hæc sententia, quòd veritas æqualiter dicatur de veritate, quæ consistit in ratione mensurati ad mensuram, siue sit in intellectu, siue in rebus: de veritate autem mensuræ ad mensuratum, siue mensura sit cognitio, siue res vera, non dici propriè, sed solùm analogicè analogia attributionis per ordinem ad veritatem propriè dictam. Vnde secundùm hanc opinionem veritas secundùm propriam rationem non dicitur per prius, & posterius de veritate cognitionis, & veritate rei, quando tam cognitio, quàm res accipiuntur vt mensuratum. Hæc sententia refertur à Suarez supracit. sect. num. 3.

4 Sent. Veritaté dicere quid rationis vniuocum

Auersa

IV. Quarta sententia est Auersæ in sua Philosoph. quæst. 6. sect. 6. qui asserit. Veritatem per se primò esse ordinatam ad significandam veritatem cognitionis: & deinde extensam fuisse ad significandam etiam veritatem rei. Si autem quæramus, quomodo se habeat quò ad rem significatam, respondet, quòd si sumatur veritas pro relatione rationis, quæ sit relatio conformitatis, tam veritas transcendentalis, quàm repræsentatiua habent conceptum communem aliquo modo vniuocum, cum vtraque sit conformitas, alia rei, & alia cognitionis: atque prout hæc relatio se tenet ex parte cognitionis, & ex parte rei cognitæ se habere tanquam duplicem relationem mutuam, quarum vna non est prior alia, sed simul natura, quamuis soleat prius concipi conformitas ex parte cognitionis, cum ex ipsa ducatur intellectus ad concipiendam conformitatem rei cum cognitione. Si autem veritas sumatur pro entitate rerum, prout dicit negationem entis ficti, tunc veritas rei, est prior repræsentatiua; quia in tantùm res intelligi possunt, in quantum veræ sunt. Sed quæ in hac senten-

tia

tia habentur circa relationem rationis, conformitatis, corruunt, cum falso nitantur fundamento; neque enim veritas consistit in relatione rationis, vt in superioribus ostensum est.

Animaduersiones quædam pro vera sententia.

SECTIO II.

I. QVando inquirimus, quomodo se habeat veritas ad veritatem cognitionis, & aduerita- tem rei, non loquimur de ordine, que obtinet nominis huius impositio, sed de ordine, quem seruant inter se res significatæ. Nã quid veritas ex sui prima impositione significauerit, an veritatem cognitionis, an verò veritatem rei, cum de facto non minus vnam, quàm alteram significet, res valde incerta est. Nam quòd veritas cognitionis prius per ipsam significata fuerit, deinde hoc nomen translatum sit ad significandam veritatem rei ex eo, quòd veritas cognitionis magis nota sit, hoc ad summum probalitatem facit, non tamen certitudinem: posset enim quis dicere, quòd prius cognita fuerit veritas rei, quia nimirum statim intellectus perceperit, res participare esse cum debito ordine, & mensura, & postea, cum cognitio repræsentauerit obiectum, sicuti est in se, translatum fuisse nomen veritatis ad significandam illam conformitatem in repræsentando cognitionis cum obiecto. Vtcunque tamen res se habuerit, parum ad præsens institutum refert: non enim nominum impositionem speculamur, sed rerum naturas.

Quomodo nomen veritatis primo significauerit.

II. Antequam autem vlterius procedamus, rursus aduertimus, in cognitione duplicem veritatem distingui; altera enim est veritas transcendentalis, determinata tamen ad talem rationem veritatis: & alia veritas cognitionis, seu repræsentationis. Hoc autem ex eo conuincitur, quia cognitio habet suum proprium esse, quo est tale ens participãs talem essentiam; & hoc pacto habet suam veritatem in ordine ad ideas diuinas, quibus conmensuratur tanquam veritas quædam participata. Rursus considerari potest in ordine ad obiectum, quatenus est quædam repræsentatio illius: atque si repræsentat obiectum, sicuti in se est, habet conformitatem cum ipso, quæ est ipsamet veritas cognitionis, quæ etiam veritas repræsentationis dicitur. Quod etiam confir. Veritas enim cognitionis separari potest à veritate in essendo, vt contingit in cognitione falsa, quæ habet suam veritatem in essendo, quadiuinis ideis conformatur: verùm cum non repræsentet obiectum sicuti est, non habet veritatem repræsentationis; Atque hanc duplicem veritatem distinxit etiam in cognitione D. Ansel. dialogo de Verit. cap. 2. vbi loquens de enunciatione, atque eiusdem veritate, habet *Vera quidem non solet dici, cum significat esse, quod non est, veritatem tamen, & rectitudinem habet, quia facit, quod debet. Sed cùm, significat esse, quod est, dupliciter facit, quod debet, quoniam significat; & quod accepit significare, & ad quod facta est.* (ecce quomodo duplicem veritatem tribuit enunciationi) *Sed secundum hanc rectitudinem, & veritatem, quà significat esse quod est, vsu recta, & vera dicitur* (nimirum veritate repræsentationis, & iudicij) *Enunciatio, non secundum illam, qua significat esse, etiam quod non est.*

Duplex veritas in cognitione.

D. Ansel.

III. Rursus scire oportet. Rationem formalem veritatis consistere in adæquatione, & conformitate: & proinde res vera ex vi veritatis et sic debet alteri adæquari: vnde etiam cognitio dicitur vera, quia in repræsentando adæquatur cum obiecto, dum repræsentat ipsum sicuti est; quòd si non adæquaretur, neque etiam esset vera veritate cognitionis. Hinc autem fit, vt veritas passiuo modo se debeat habere, nempe respectu illius, cui adæquatur, & conformatur. Ex hac autem adæquatione sequitur, quòd res vera concipiatur tanquam quid mensuratum respectu illius, cui adæquatur: cum enim aliquid accipit esse cõformatum alteri, recipit esse ad mensuram illius, quia recipit tale, & tantum esse, quo adæquatur cum illo, & vltra nihil aliud: vnde si Deus produceret quantitatem, quam vellet esse alteri adæquatam, deberet ipsam producere ad mensuram ipsius, ita vt nec maiorem, nec minorem molem haberet.

Veritas sed iem ratione mensuræ passiua.

IV. Ex hoc autem deducitur, quòd licet cognitio concipi possit tanquam men-

Cognitio speculatiua quomodo sit vera.

mensura obiecti, ex qua in ipsius cognitionem deueniamus; si sit cognitio speculatiua, ita vt non regulet obiectum quò ad esse; non tamen habet veritatem cognitionis, vt mensurat obiectum, sed prout ab ipso mensuratur: non enim est vera, quasi obiectum debeat cum ipsa conformari, sed quia ipsa est ad mensuram obiecti, ita vt talis sit in repræsentando, quale est obiectum in essendo: quod satis ex eo patet, quia non obiectum habet esse dependens à cognitione, sed cognitio ab obiecto, à quo specificatur, & prius supponitur obiectum, quàm sit cognitio. Vnde D. Th. quęst. 1. de Verit. ar. 2. in corpore docet. *Sic ergo intellectus diuinus est mensurans, non mensuratus, res autem naturalis mensurans, & mensurata, sed intellectus noster est mensuratus, non mensurans quidem res naturales, sed artificiales tantum.* Quoniam licet cognitio illa, quam habet circa res naturales, deseruiat ipsi pro mensura, quatenus per ipsam attingit esse obiecti, & deuenit in cognitionem ipsius, non est tamen propriè mensura à priori mensurans esse obiecti, atq; ipsum regulans, sed tantùm à posteriori, quatenus facit illud innotescere: vnde per hanc mensuram denominatur cognitum, non autem regulatum in sua veritate: & proinde cognitio ista non est vera idealiter: sed habet tantùm veritatem repræsentationis. Quamobrem, quando quærimus, quomodo se habeat veritas rei ad veritatem cognitionis, comparamus veritatem rei, quatenus mensuratam per diuinas ideas, ad veritatem cognitionis, prout repræsentatiua est, & mensurata per obiectum. Quòd si sumatur veritas cognitionis practicæ, prout est idealis mensurans res artificiatas, & comparetur ad ipsam veritas ideata artificiatorum, patet, quid dicendum sit ex dictis in disp. pręcedenti, nam proportionaliter de his veritatibus philosophandum est, ac de veritate diuina ideali, & de veritate rerum in essendo ideata inuicem comparatis.

D. Th.

Vera Sententia.

SECTIO III.

1. cõclus.

I. His igitur sic animaduersis dicendum est primò. Veritatem cognitionis, & veritatem rei conuenire vniuocè in ratione veritatis vt sic. Hoc autem sic declaratur, & simul prob. Vtraque veritas est veritas quædam determinata, vt per se euidens est. Quia autem à rationibus superioribus non fit transitus ad inferiores, nisi per intermedias, ideò cum talis veritas sit determinata ratio qualificans rem veram, quatenùs illam reddit conformem propriæ mensuræ, ideò necdùm dicit talem rationem veritatis, sed etiam rationem qualificantem, vt sic. Ab hac autem ratione qualificante non potest fieri transitus immediatè ad talem rationem veritatis, sed necessariò transeundum est per rationem veritatis vt sic, quia hæc est intermedia; & proinde licet rationes propriç cuiuscunque veritatis sint inter se diuersæ, habet tamen quælibet rationem veritatis vt sic communem cum alia, & ratione huius cóceptus communis interuenit vniuocatio; si enim pręcisè concipiatur, dicit vnicam tantùm simplicem rationem formalem, quæ secundùm id, quo descendit ad vnam, descendit etiam ad aliam, alioquin si descenderet secundùm aliquid diuersum, descenderet secundùm diuersam rationem formalem, atq; adeo non esset ratio conuenientiæ, sed disconuenientię. Descendit autem æqualiter ad quamlibet veritatem, tum quia, cum consistat quælibet ratio formalis in indiuisibili, non potest secundũ magis, & minus descendere, alioquin diuideretur: tum etiam quia in rationibus formalibus omnis diuersitas est essentialis, vnde cum inæqualitas importet aliquam diuersitatem, importat diuersas rationes formales, & ideò statim ac aliqua ratio descendit inæqualiter ad inferiora, non est amplius vna, sed multiplex.

Veritas cognitionis, & rei conueniunt vniuocè in ratione veritatis.

Talis veritas dicit rationem veritatis vt sic, & propriam.

II. Quod rursus declaratur; Ex genere suo ratio constituens determinatam naturam in aliquo genere, debet necessariò fundari in ratione communi eiusdẽ generis, sic ratio talis substãtiæ: & ratio talis viuẽtis fũdatur in ratione communi viuentis; vnde ratio quoque talis veritatis fundari debet in ratione veritatis vt sic. Ratio autem est, quia ratio determinata de se est quid incõpletum, & ordinata ad complendam rationem superiorẽ in ordine ad eam-

2. ratio

Ratio inferior fũdatur necessariò in superiori.

dem

demnaturam; determinata autẽ ratio non communicatur alicui, nisi com municetur, vt exercens complementum rationis communis superioris. Deinde cum ratio inferior sit ab intrinseco diuisiua superioris, oportet, vt rationes inferiores diuidentes superiorem fundentur in ipsa, quatenus diuisibilis est per ipsas, atque adeo quatenus habet vnitatem cum communitate, ratione cuius possit ad plura descendere: non enim, quod multiplex est, diuiditur, cum iam sit diuisum, sed quod vnum est. Vnde ratio veritatis vt sic, quando descendit ad veritatem cognitionis, & ad veritatem rei se habet tanquam vna; cum autem vnitas rationum formalium, sic perfecta vnitas importans intrinsecam Indiuisibilitatem, oportet, vt descendat ad inferiora cum perfecta vnitate, ita vt secundùm illud totum, quo descendit ad vnum, descendat etiam ad alterum, atque adeo cum perfecta æqualitate; sola autem ratio vniuoca descendit cũ æqualitate ad inferiora.

3 ratio. III. Tertiò probatur. Quando comparatur veritas in essendo ad veritatem cognitionis, non adeo sunt inter se diuersæ, quin in aliquo conueniant, quia vtraque est veritas, vtraque est quid commensuratum cum sua mensura: vnde oportet, vt habeant aliquid commune, quod fundet talem conuenientiam, & cum conuenientia sit secundùm esse veritatis; hoc quo que commune erit aliquid de veritate, nimirum quædam communis ratio veritatis. Quia autem intellectus habet virtutem præcisiuam, qua potest inuicem separare rationes formales, & ratio ista fundans conuenientiam in ratione veritatis est diuersa ab ea, quæ ponit diuersitatem, cum exhibeant effectum formalem diuersum, poterit intellectus concipere hanc puram rationem conuenientiæ nihil prorsus concipiendo de ratione differentiæ: tunc autem ratio sic præcisa erit vniuoca, quia erit perfectè vna, atque consequenter secundùm se totam descendens ad inferiora: sic non alia ratione animal est vniuocum, nisi quia intellectus concipit puram rationem conuenientiæ, in qua omnia animalia quò ad esse animalis conueniunt.

Præcisa ratio cõuenientiæ inter veritatem cognitionis, & rei; fundat vniuocationem.

IV. Si verò veritas cognitionis, & veritas in essendo considerentur secundùm proprias rationes differentiales, tunc hæ veritates sunt diuersæ inter se, ita vt constituant diuersas species, quarum alia est veritas realis in essendo, alia veritas intentionalis in repræsentando. Atque si considerentur, prout important suas rationes reales veritatis. Dicendum est secundò; non seruare inter se aliquem ordinem siue attributionis, siue proportionis, sed esse peculiares rationes veritatis disparatè se habentes. Hæc conclusio facilè probatur. Nam quod spectat ad analogiam attributionis, si hæc interueniret, deberet altera ex his veritatibus esse talis extrinsecè tantùm per attributionem ad formam veritatis, quæ esset in alio; at cognitio habet suam propriam veritatem sibi intrinsecam, siquidem intrinsecè commensuratur cum obiecto. Similiter quælibet res habet suam propriam veritatem in essendo, qua conformatur cum diuinis ideis, & ideo cum sit intrinsecè talis, neque ex parte ipsius interuenit attributio. Quod verò spectat ad analogiam proportionis, hæc quoque excluditur; quoniam in his analogis aliqua ratio est propriè in vno, in altero autem solùm secũdùm quamdam proportionem. Cæterùm cognitio habet suam peculiarem rationem veritatis, quæ in ipsa reperitur propriè, & non secundùm proportionem: rursus etiam vnumquodq; ens habet suam peculiarem rationem veritatis in essendo, quæ secundùm omnem proprietatem est in ipso; vnde secundùm has rationes non dicent analogiam proportionis, sed disparatè se habebunt.

2. cõclus. *Nulla analogia inter veritatem cognitionis, & rei prout tales sunt.*

V. Nihilominus dicendum est tertiò. Inter cognitionem, & res posse ex alio capite saluari vtranque analogiam proportionis, & attributionis in ratione veritatis. Quod igitur spectat ad analogiam proportionis, scire oportet, vt saluetur in ratione veritatis inter cognitionem, & res, necesse esse, vt ratio veritatis, quæ propriè est in vno, sit secundùm quamdam proportionem in altero analogato. Quod autem spectat ad veritatem cognitionis, hæc nullo pacto reperitur in rebus, quia cum sit cognitio quædã ratio repræsẽtatiua earumdem, non potest neque secundùm proportionem in ipsis reperiri,

3. cõclus. *Vtraque analogia inter cognitionẽ & res in ratione veritatis, & quomodo.*

quia

quia nihil repræsentat seipsum. Et ideo, quantum est ex hoc capite, non potest saluari. Vnde restat, vt saluetur ex altero capite, nimirum ratione veritatis in essendo, quæ est in rebus; hæc enim proportionali modo reperitur in cognitione. Cognitio enim est quædam similitudo, & imago obiecti, in qua obiectum secundùm totum esse, quod attingitur per cognitionem, intentionali modo reperitur; & cum veritas obiecti in essendo non sit separabilis ab eiusdem esse, consequenter ipsa quoque intentionali modo existet in cognitione. Esse autem intentionale rei non est esse rei secundùm suam proprietatem essendi, sed tantùm secundùm quandam proportionem; & propterea cognitio proportionali modo, quatenus esse intentionale obiecti continet, continebit veritatem illius in essendo, & saluabitur analogia proportionis, ita vt forma analogiæ sit veritas in essendo, & res sit principale analogatum, minus verò principale ipsa cognitio.

VI. Altera pars conclusionis de analogia attributionis declaratur similiter: hæc autem analogia duplex est, nam tam cognitio, quàm res ipsa cognita est maius, & minus analogatum simul secundùm diuersas rationes. Res

Quomodo interueniat duplex analogia attributionis.

enim, vt concurrit ad causandam cognitionem veram, dicit habitudinem ad veritatem cognitionis; &, quantum est ex hoc capite, non est vera intrinsecè, & formaliter, nam habitudo ad veritatem non est formaliter veritas. Cum ergo veritas significet tam veritatem cognitionis, quàm veritatem rei, potest res denominari vera veritate cognitionis habita ratione illius habitudinis, quam tanquam causa dicit ad veritatem cognitionis, ita vt dicatur vera, quatenus est causa veræ cognitionis; & per hanc denominationem explicatur vis illa causatiua veræ cognitionis, quæ est in obiecto. Atque hoc pacto cognitio erit maius analogatum, res verò minus analogatum, & veritas cognitionis forma analogiæ. Altera verò analogia contrario modo contingit. Forma enim ipsius est veritas rei. Cognitio namque, cum sit quædam repræsentatio obiecti, dicit ordinem ad ipsum, tanquam quoddam signum manifestatiuum ipsius, nec habet in se secundùm proprietatem veritatem obiecti in essendo; nec quatenus tanquam effectus significat veritatem obiecti, dicit formaliter aliquam rationem veritatis: vnde quatenus signum veritatis in essendo non potest dici intrinsecè vera; potest tamen denominari vera à veritate, quam indicat, denominatione extrinseca, quia stante attributione ad ipsam, vt significetur indicare obiectum, quod habeat verum esse ad differentiam cognitionis, qua attingitur aliquid fictum, potest denominari vera, sicut vrina dicitur sana à sanitate, quam indicat in animali. Atque in hac analogia principale analogatum est res vera, minus verò analogatum est cognitio.

VII. Ex his autem constat, quomodo ex his veritatibus aliquando vna, aliquando altera sit prior, prout secundùm diuersas rationes considerantur; semper enim principale analogatum est prius minus principali; vnde quando altera ex his consideratur vt principale analogatum, habet suam prioritatem respectu alterius; quando verò consideratur, vt minus principale, est posterior. Cæterum præscindendo ab analogia, & considerando vtramque veritatem secundùm propriam rationem, prout est quædam species veritatis determinata, atque ab alia diuersa. Dicendum est quartò. Veritatem

4. Conclus. Veritas rei prior veritate cognitionis.

in essendo esse priorem veritate cognitionis ex natura sua. Hæc autem conclusio prob. nam cognitio veritatis vel comparari potest ad veritatem in essendo eiusdem cognitionis, vel ad veritatem in essendo rerum cognitarum, ita vt veritas cognitionis vt sic, seu repræsentatiua comparetur ad veritatem in essendo vt sic, & talis veritas repræsentatiua ad talem veritatem in essendo. Si comparetur ad veritatem cognitionis in essendo, certum est, esse posteriorem, sicuti enim veritas repræsentatiua fundatur in esse cognitionis, ita etiam fundatur in veritate essentiæ ipsius, quia nisi adesset vera essentia cognitionis, neque etiam adesset veritas repræsentatiua: vnde cum veritas in essendo cognitionis sit fundamentum veritatis repræsentatiuæ eiusdem cognitionis, consequenter erit natura sua prior. Si autem comparetur ad veritatem in essendo ipsius obie-

obiecti, tunc seruat ordinem, quem seruat cognitio ad obiectum: inde sicuti cognitio supponit obiectum, & est posterior ipso, ita etiam veritas repræsentatiua. Hoc autem ex eo pronenit, quoniam veritas cognitionis repræsentatiua est ex natura sua ordinata ad repræsentandum obiectum secundùm suam veritatem, & est veluti quoddam exemplar illius. Ex quo fit, quòd habet esse dependenter à veritate obiecti; hæc autem dependentia ponit posterioritatem. Accedit etiam, quòd veritas rei in essendo concnrrit in genere obiecti ad causandam veritatem repræsentatiuam, vnde est effectus ipsius, omnis autem effectus est posterior natura propria causa. Et respectu vtriusque veritatis in essendo valet regula prioritatis, quam tradit Aris. in post prædicam. Cap. de Priori. Quòd nimirnm non valeat conuertentia secundùm subsistendi consequentiam. Nam si loquamur de veritate in essendo cognitionis, hæc potest esse absque veritate repræsentatiua, vt contingit in cognitione falsa, quæ habet veritatem suæ essentiæ absque veritate repræsentationis, & econtra nequit poni veritas in repræsentando absque veritate in essendo; vnde veritas in essendo prior est veritate repræsentationis. Similiter sicuti res possunt esse absque cognitione, ita etiam possunt esse absque repræsentatiua veritate ipsius: repræsentatiua autem veritas non potest esse sine ipsis.

VIII. Ex his autem, quæ hucusque diximus, colligitur, veritatem cognitionis, siue repræsentatiuam non esse propriè speciem veritatis contra distinctam à veritate in essendo, sed esse gradum, siue rationem diuersam veritatis, quæ aduenire potest tali veritati in essendo, nempe veritati cognitionis, & in ipsa fundati. Quòd enim non sit propriè species ex eo colligitur, quòd species contradistincta ab alia non potest fundari in ipsa, quia constituitur per oppositam differentiam, & habet incompossibilitatem ad essendum simul cum differentia speciei contradistinctæ ex vi enim huius incompossibilitatis differentiæ diuidunt rationem communem. Rursus cum species contradistinctæ immediatè ponantur sub eodem genere, vna non est prior natura altera, sed æquè primò constituuntur, quippe earum differentiæ æquè primò adueniunt generi. Nihil autem ex his saluatur respectu veritatis repræsentatinæ, & in essendo, nam veritas repræsentatiua non est incompossibilis cum veritate in essendo, sed in ipsa fundatur, nam prius est, cognitionem esse veram in essendo, quàm esse veram in repræsentando, vt etiam num. præcedenti diximus; Deinde veritas cognitionis est posterior natura veritate in essendo, vt etiam citato nu. ostendimus; qnomodo ergo potest esse propria species veritatis contra distincta à veritate iu essendo?

An veritas cognitionis sit species propriè contradistincta à veritate in essendo.

IX. Si quis autem quærat; quænam ex his duabus veritatibus perfectior sit: respondendum est. Perfectiorem esse veritatem in essendo, quoniam veritas in essendo est realis quædam conformitas cum diuinis ideis, quas imitatnr, & constituit rem veram quò ad realem essentiam, ita vt sine tali veritate non possit res consistere in suo esse. Veritas autem repræsentatiua est solùm intentionalis conformitas cũ obiecto in repræsentando, nec constituit cognitionẽ veram in essendo; nam etiam si deficiat talis conformitas, adhuc cognitio est vera in essendo.

Veritas in essendo perfectior veritate cognitionis.

DE FALSITATE.

VERITATI opponitur falſitas tanquam deſtructiua ipſius; vnde tractatio de ipſa reducenda eſt ad tractationem de ſecunda entis paſſione, vt pote quia in ordine ad ipſam cognoſcitur; Docet enim Ariſ. 4. Metaph. tex. 4. Eiuſdem ſcientiæ eſſe oppoſita ſpeculari; & proinde pro maiori facilitate vnicuique obiecto ſpeculabili oppoſitum ipſius adnectendum eſt, nam recens cognitio ipſius facilitat cognitionem oppoſiti. Duo autem præcipuè circa falſitatem difficultatem faciunt nimirùm an ſit in rebus; & quomodo veritati opponatur.

An Falſitas ſit in rebus. Diſp. LXX.

Varia acceptiones falſitatis, & quomodo hic accipienda.

SECTIO I.

Tot modi falſitatis, quot veritatis

I. SIcut veritas eſt conformitas quædam cum ſua menſura, ita falſitas eſt difformitas; vnde tot modis dici poterit, quot dicitur veritas, quos ſupra diſp. 65. recenſuimus, & explicauimus. Solum generaliter aduertimus, quòd in quocunque illorum modorum continget falſitas, ſi pro cõformitate ſumatur difformitas ſecundum idem, ſic quemadmodum conformitas cognitionis cum obiecto conſtituit veritatem cognitionis, ita difformitas conſtituet falſitatem, & eodẽ pacto per cæteros modos diſcurrẽdũ eſt.

Quatuor præcipui modi falſitatis.

II. Quatuor autem præcipuè ſunt modi, quibus aliquid dicitur falſum, & conſequẽter quatuor ſunt præcipuę acceptiones falſitatis, ij autem enumerãtur ab Ariſ. 5. Metaph. tex. 34. Primus contingit in eo, quod non eſt, ſiue actu non ſit, ſiue non poſſit eſſe: & hic eſt vniuerſaliſſimus, quoniam veluti tranſcendentaliter ſe habet, & nõ importat aliquam peculiarem rationẽ falſitatis, ſicut enim ens non importat peculiarẽ rationem eſſendi, quia dicit tantùm eſſe vt ſic, ita quando falſitas contingit ſecundùm nõ eſſe vt ſic, nõ importat aliquã peculiarẽ rationẽ falſitatis, & ideo vniuerſaliſſimè ſe habet. Hic autẽ modus traditur ab Ariſ. his verbis *Falſum dicitur vno modo, vt res falſa; & huius hoc quidem eo quòd non componitur, aut quòd incompoſſibile ſit componi; quemadmodum, dicitur diametrum eſſe commenſurabilem, aut te ſedere horum enim illud quidem ſemper, hoc verò aliquando falſũ eſt: ſunt enim non entia hæc.* Quare ſecundũ hunc modũ falſitatis omne impoſſibile erit falſum, quia nedum non eſt, ſed neq; etiã eſſe poteſt, & ſimpliciter, quicquid nõ eſt ens, ſeu exiſtens, quamuis eſſe poſſit; erit enim falſum, ſi eſſe poſſit, non ſimpliciter, ſed ſecundùm exiſtentiam

III. Alter modus, quo aliquid falſum dicitur eſt magis determinatus, ſiquidem non importat purum non ens, ſed ens poſitiuum, non tamẽ quatenus eſt aliquid in ſe, ſed quatenus apparet id, quod non eſt, quocunque modo id cõtingat; & proinde hic quoq; ſecundũ rationem falſitatis formalem reducitur ad non ens, quatenus in tãtũ importat falſitatem, in quantum non eſt id, quod apparet: quia tamen hoc non ens ratione cuius habetur formaliter falſitas, coniungitur cum aliquo ente poſitiuo, ideo cẽſetur modus falſitatis magis determinatus. Hic quoq; modus traditur ab Ariſ. tex. citato, dum inquit *Alio vero* (nimirũ alio modo dicuntur falſa) *quæcũq; ſũt quidẽ ẽtia, apta tamẽ natura ſua ſũt apparere, aut qualia nõ ſũt, aut quæ nõ ſũt, vt ſcibra, picturę, & inſõnia. Hæc .n. ſũt quidẽ aliquid ſed non ſunt ea, quorum faciunt* Secũdus modus falſitatis

imaginationem: res itaque falsæ sic dicuntur, aut eò, quòd non sunt; aut eò quòd imaginatio ab eis facta non entis est. His autem verbis vltimis epilogat verumq; modum assignatum falsitatis. Hic autem modus dicitur in ordine ad cognitionem, quatenus res est talis condicionis in se, vt per cognitionem attingi possit tanquam alia ab ea, quæ est: vnde est quidam modus falsitatis respectiuus. Quem expressit etiam D. Aug. in Soliloq. lib. 2. cap. 6. his verbis. *Dicimus falsam arborem, quam pictam videmus, & falsam faciem, quæ de speculo redditur, & falsum turrium motum nauigantibus, falsamque infractionem remi, ob nihil aliud, nisi quia verisimilia sunt.* Et similiter D. Th. 1. part. quæst. 17. art. 1. in corpore hoc ipsum adnotauit, dum docet. *Et quia innatum est nobis per ea, quæ exterius apparent, de rebus iudicare, eò quòd nostra cognitio à sensu ortum habet. ideò ea, quæ in exterioribus accidentibus habent similitudinem aliarum rerum, dicuntur esse falsa secundùm illas res, sicut fel est falsum mel. & stannum est falsum argentum.*

D. Aug.

D. Th.

Tertius modus falsitatis.

IV. Tertius modus adhuc est magis determinatus, contingit enim tantùm secundùm cognitionem, & importat peculiatem falsitatem illius. Sicut enim, vt ex dictis constat, datur peculiaris veritas cognitionis, qua cognitio vera est, non in essendo, sed in repræsentando, quia conformatur cum obiecto: ita etiam concedenda est peculiaris falsitas cognitionis quò ad repræsentationē ex eo, quòd non cōformetur cum obiecto. Et hunc modū expressit Aris. citatus in oratione, siue enunciatione, inquiens. *Oratio verò falsa, prout falsa est, quæ non entium est; vnde omnis oratio falsa alterius est, quam eius, cuius est, vera; vt puta quæ circuli, falsa trianguli.* Vbi vides, quomodo contingat falsitas in cognitione, siue definitiua, qua explicitè quidditas rei concipitur, aut enunciatiua, qua aliquid de ipsa affirmatur, quotiescūq; aliter se habet, ac res est, & hęc ratio falsitatis extendi potest ad quālibet cognitionē, quatenus difformis est cū obiecto. Atq; hic similiter modus falsitatis reducitur ad nō ens, siquidem cognitio est falsa, quia non habet debitam repræsentationem respectu obiecti.

Aris.

4. modus

V. Quartus denique modus consistit in significatione non quidem actiua, sed passiua; cum nimirum res significatur aliter, ac est, vt si quod est, significetur non esse, aut si quod non est significetur esse. Vbi aduertere oportet, quòd falsitas formaliter non consistit in ipsa significatione, quia tunc reduceretur ad præcedentem modum, & quando significatio fieret per ipsam cognitionem, esset prorsus idem: sed consistit in re significata aliter, ac est, quatenus tamen subest significationi. Vt autem hic modus sit diuersus à secundo, non debet accipi res significata, quæ sit ex se talis condicionis, vt possit aliter, ac est, significari, vt si aurichalcum tanquam aurum significaretur: sed debet accipi res, quæ sit apta significari, sicuti est, & tamen aliter significetur, & tunc dicetur falsa, quatenus ex vi significationis apparet aliter, ac est. Hunc etiam modum innuit Aris. citatus, quamuis non adeò clarè, his verbis. *Homo verò falsus, qui promptus tales eligit orationes, non propter aliquid aliud, sed propter idipsum, & qui alijs talium orationum causa, quemadmodum res falsas esse, dicimus, quæ falsam imaginationem faciunt.* Ex his autem constat, hunc quoque modum falsitatis reduci ad non ens, nam in tantum importat falsitatem formaliter, in quantum dicit ex vi significationis, id apparere, quod non est.

Aris.

VI. Si quis autem hos omnes modos falsitatis explicatos, atque omnes alios, qui excogitari possent, diligenter consideret, reperiet, posse singulos reduci ad vnicum tantùm, nempe ad primū, qui importat falsitatē cōsistētē in eo, quòd non est. Vt enim in vniuscuiusq; explicatione aduertimus, falsitas ipsius formaliter consistit in aliquo non ente, seu negatione alicuius conformitatis, quatenus id, quod non est, se habet tanquā si esset, ratione alicuius adiuncti. Atq; sanè hic modus importat falsitatem, prout à nobis modo accipiēda est; sicuti enim veritatē cōmunissimè sumptā, quæ transcendentalis est, considerauimus; ita etiā debemus accipere falsitatē trāscēdaliter, vt correspōdeat veritati. Atq; falsitas cōmunissimè sūpta debet cōsistere in nō ēte, seu in negatione cōformitatatis: sicuti. n. opponitur veritati cōmunissimè sumptæ,

Omnes modi falsitatis ad vnum reducitur.

Quid dicat falsitas in cōmuni.

ita etiam debet habere radicem oppositam respectu illius, à qua originatur veritas: vnde cum veritas originetur ab ente communissimè sumpto, atque ipsi sic accepto nihil aliud opponatur, quàm non ens, debet falsitas cõmunissimè accepta originari à non ente, & proinde debet esse aliquid negatiuũ oppositũ veritati, & consequenter non aliud esse poterit, quàm negatio conformitatis quò ad esse vt sic cum sua mensura. Descendendo autem ad particularia, sicuti talis veritas dicit conformitatẽ talis entis cũ sua mensura; ita talis falsitas dicet negationem cõformitatis quò ad tale esse cum sua mẽsura; & hoc pacto falsitas sẽper proportionali modo dicet oppositum veritatis.

Quid Alij senserint.

SECTIO II.

I. Constituta vera acceptione falsitatis, prout modo à nobis accipienda est, vt videamus, an in prius reperiatur, aliorum opiniones rebus referendæ sunt. Prima ergo sententia est D. Th. 1. par. quæst. 17. art. 1. & Quæst. 1. de Verit. art 10. qui 1. sentẽt. asserit; Quòd sicuti veritas est in rebus per ordinem ad intellectum, ita etiam falsitas, cum opponatur veritati, quærẽda est in rebus per ordinem ad intellectum. D. Th. Verùm quia res non denominantur simpliciter, nisi ab eo, quod ijs conuenit per se, ab eo verò, quod conuenit per accidens, denominantur tantùm secundùm quid, ideo cum res naturales dicant ordinem per se solùm ad intellectum diuinum; ad intellectum verò creatum solùm per accidens, consequenter solùm respectu intellectus diuini possunt dici falsæ per se, & respectu intellectus creati, solùm falsæ secundùm quid. Res verò artificiales, quia per se comparantur ad intellectũ creatum, possunt dici falsæ simpliciter per ordinem ad ipsum. Concludit antẽ, quòd in rebus non potest reperiri falsitas in ordine ad intellectum diuinum, quia quicquid in ipsis reperitur, est ex ordinatione ipsius, nisi fortè reperiatur in agentibus voluntarijs, quatenus se subducere possunt ordinationi diuinæ. In ordine autem ad intellectum creatũ res naturales dicuntur falsæ secundùm quid ex duplici capite: vel ratione significati, quando intellectu, vel oratione falsã significantur, ita vt appareant aliter, ac sunt: vel quia causent falsam cognitionem, sicut stannum dicitur falsum argẽtum, quatenus est aptum, vt causet cognitionem argenti, cum tamen non sit argentum. Res verò artificiales, vult, dici falsas sipliciter per ordinem ad intellectum creatum, in quantum deficiunt à forma artis, quæ est in ipso. Atque hanc sententiam sequitur Caiet. citato loco 1. par. & cæteri Thomistæ. Et cum his coincidit etiam Alens. 1. par. quæst. 16. memb. 1. & 4. Meurif. 2. Metaph. cap. 3. par. 2. quæst. 6. Caiet. Alens. Meurif.

II. Secunda sententia est Molinæ 1. par. quæst. 17 disput vnica; pro cuius explicatione supponit, duplex genus regularum quò ad operationes debere in Deo distingui: alterum, quod illi congruit tanquam causę vniuersali, quo vtitur ad regulandam totam seriẽ rerum, & operationes, ac permissiones: alterum particulare, quò singulis causis seorsim præscribit propriam mensuram operandi, atque de vnaquaque indicat, quem modum seruare debeat in sua operatione. Hoc autem præsupposito tribus conclusionibus sentẽtiam suam explicat, & primò inquit, Non dari in rebus falsitatem respectu intellectus diuini, quatenus dicit regulas vniuersales, quia respectu ipsarũ non contingit aliqua difformitas, siquidem etiam defectuum ipsorum Deus habet regulas. Secundò ait, in operationibus causarum secundarum, quæ agunt per intellectum, & voluntatem posse reperiri falsitatem tum respectu regularum, quæ in ipsis agentibus reperiuntur; tum respectu illius mensurę particularis, quàm Deus habet respectu cuiuscunque operationis in particulari, quia possunt discrepare ab hac mensura ratione alicuius defectus moralis, vel physici. Tertiò asserit, in effectibus, & actionibus causarum secundarum, quæ merè naturali modo operantur, posse reperiri falsitatem respectu regularum particulariũ diuinæ mẽtis, quatenus non obseruant modũ naturę inditum, nec conformantur cum sua mensura; vt contingit, quando generãtur monstra; atq; hęc est sententia Molinę. 2. sen. et. Molina

3. Sententia Suarez.

III. Tertia sententia est Suarez in Metaph. disp. 9. sect. 1. num. 6. & sequentib. qui primò ait. Nullam dari in rebus falsitatem respectu intellectus diuini; quia cum scientia speculatiua, quam de rebus Deus habet, sit verissima, non possunt res respectu ipsius habere aliquam difformitatem: neque possunt denominari falsæ respectu intellectus practici diuini, quia res factæ à Deo non discordant ab idea, cum sit æquè potens, ac sapiens: culpa verò non est facta à Deo. Deinde, inquit, neque respectu intellectus creati res propriè habere falsitatem, quòd duplici propositione explicat: prima est. Res comparatas ad intellectum speculatiuum non posse propriè, ac intrinsecè falsas denominari. Secunda. Ad intellectum practicum non posse comparari res naturales, quia non dependent ab ipso in esse, sed solùm artificiales, & morales, quæ tamen respectu ipsius, neque propriè possunt dici falsæ. Vnde simpliciter concludit, in rebus non esse propriè falsitatem; quā sententiam tenet etiam Vasquez 1 par. disp. 77 cap 2 dum asserit, in rebus nō dari simplicem falsitatem, Smiling. trac. 3. de Deo vno disp. 1. q. 2. num. 43.

Vasquez Smiling

Fūdamēta primæ propositionis.

IV. Primam autem propositionem cōfirmat Suarez, quia res non possunt dici falsæ ex aptitudinali difformitate, quam habeant respectu intellectus speculatiui, quia omnis res de se apta est causare veram cognitionem sui, quòd si aliquando cognoscitur cognitione falsa, non prouenit ex ipsa, sed ex aliquo impedimento. Non ratione actualis difformitatis, quia non debet denominari falsa res aliqua ex eo, quòd cognoscatur cognitione falsa, alioquin omnis res esset propriè falsa, quoniam potest fieri, vt cognoscatur cognitione falsa, & Deus esset falsus, quia ab aliquibus cognoscitur falsa cognitione. Præterea res non potest dici falsa respectu intellectus, qui habet verum conceptum de ipsa, vt per se patet: neque respectu conceptus falsi, quia talis conceptus est verus conceptus de alia, vt cum obiecto aurichalco concipitur aurum, ille enim conceptus est verus conceptus auri: tunc enim omnis res diceretur falsa respectu conceptus alterius rei veræ. Tertò res non dicitur falsa respectu simplicis appræhensionis, quia in ipsa non est propriè veritas, aut falsitas: neque respectu conceptus complexi importantis iudicium intellectus, quoniam tunc tam veritas, quàm falsitas est in ipso iudicio, & tantùm subiectiuè in intellectu.

Alterius propositionis.

V. Secundam propositionem probat, quoniam artificiata vel discrepant à perfecta arte, & idea, quam deberet artifex habere, & hoc pacto non possunt dici falsa, quia quamuis discrepent, non tamen discrepant ab ea, à qua procedunt; ad hanc enim solam debet comparari. Quod etiam ex eo confir. quoniam si quis habet ideam perfectam, & imperfectam alicuius rei, atque secundùm imperfectam operetur, & faciat rem imperfectam, non dicetur errare in operando, quia ideam sibi præfixam adæquabit; vnde nec res dicetur falsa, & si interuenit aliquis error, erit potius speculatiuus antecedens operationem, quàm practicus; & ideo non denominabit rem falsam; quod præsertim patet, si fiat talis res cum tali imperfectione ex industria ob aliquem finem præfixum artificis; tunc enim imperfectio neq; variaret conformitatem respectu intentionis, neque respectu ideæ. Si verò res procedat difformis ideæ, secundùm quam artifex de facto operatur, neq; adhuc potest dici falsa, quia talis defectus neq; procecit ex falsitate ideæ. neq; ex defectu intentionis debitæ, sed ex imbecillitate potentiæ operantis, vel ex aliquo alio impedimento, ita vt quatenus fit cum illa difformitate, non procedat ab idea; & sicuti idea non est falsa per difformitatem ad illud opus, quia non habet ipsum pro obiecto, ita neq; opus est falsum per difformitatem ad ideam, quia secundū ipsam non procedit ab artifice; vnde illud opus erit malum, & incongruum, non verò falsum. Opera autem moralia comparata ad dictamen, a quò procedunt, non possunt esse falsa, quia sunt illi conformia: comparata verò ad dictamen rectum, à quo deberent procedere, neque falsa dici possunt, quia cum non procedant ab ipso, neque debent cum ipso conformari, vnde solùm erunt mala, non autem falsa. Vt autem saluet, quomodo res dicantur falsę, concludit num 13. dici falsas denominatione extrinseca, quia cognoscuntur cognitio-

ne falsa, vel propter similitudinem aliquam ad rem veram.

VI. Quarta denique sententia est Auersæ in sua Philosophia. Quæst. 6. sect. 9. qui asserit, dari triplicem modum falsitatis, & vnumquemque reperiri in rebus. Primus est; quando res aliter cognoscūtur, ac in se sunt, siue id cognoscatur esse, quòd nō est, siue nō esse, quòd est: tunc enim res falsæ sunt, quia tales habentur, quales non sunt: atq; hic modus ipsis conuenit solùm respectu intellectus creati. Atque addit, hanc difformitatem inter cognitionem, & intellectum posse sumi pro aptitudinali, qua res potest aliter, ac est cognosci, vel pro actuali, qua actu cognoscitur aliter, ac est. Secundus modus est, quando obiectum mouet intellectum ad falsam existimationem; tunc n. falsitas est in rebus causatiuè, quia sunt causa falsitatis in cognitione. Tertius modus, quo res declinat à debita directione intellectus: & hic etiam reperitur in rebus, vt cum artificiata deficiunt à debita forma artis; & cum opera moralia non fiunt secundùm debitum dictamen rationis: hoc enim modo contingit falsitas in rebus respectu intellectus.

Quarta Sententia Auersæ.

Resolutio quaestionis.

SECTIO III.

I. VT Quid nobis dicendū videatur, aperiamus, q̄busdā cōclusionibus rem totā declarabimus. Prima ergo cōclusio. Falsitas formaliter sūpta nullo pacto est in rebus formaliter siue in ordine ad intellectum diuinum, siue in ordine ad creatum. Hæc cōclusio facilè probatur, si attendatur, quid dicat falsitas de suo formali. Non enim falsitas dicit aliquid positiuum, quia quamuis aliqua res positiua dicatur falsa, non tamen ratione illius positiui, quia secundùm ipsum participat illud esse, quòd debet participare, sed ratione alicuius negatiui, quia videlicet ipsi deficit aliquid, quòd deberet habere, vt esset perfectè vera: sic aurichalcum dicitur falsum aurum, quia habet similitudinem quamdam auri, nō autem verum esse ipsius; & per singula inductione facta reperiemus, semper falsitatem tribui rebus ratione alicuius negatiui. Cum ergo falsitas formaliter accepta consistat in aliquo negatiuo, non potest reperiri in rebus formaliter; nam neque per se potest existere, cum non habeat aliquod esse, quo existat, neque imbibi in positiuo, quia negatiuum non imbibitur in positiuo, neque in aliquo subiectari, quia quod in aliquo subiectatur, requirit pariter aliquod esse, secundùm quod subiectetur.

Prima conclusio.

Falsitas formalis non est formaliter in rebus.

II. Quòd vlterius declaratur. Veritas enim de suo formali dicit conformitatem secundùm esse, intimè in ipso imbibitam. Atque rursus consequitur ab intrinsecis principijs entis tanquam passio per se, & necessariò conueniens. Hinc autem fit, vt cum falsitas sit opposita veritati, debeat cōsistere formaliter in difformitate, quæ tollat conformitatem. Huiusmodi autem difformitas non potest esse positiua, sed mera negatio conformitatis, nam cum opposita, quæ se inuicem tollunt, debeant versari, si positiua sint, circa aliquod subiectum, quod afficiant, & denominent, vt in ipso se destruere possint, nam extra ipsum non pugnant, oporteret, falsitatem, & veritatem esse formas positiuas, & rebus ab extrinseco aduenientes, & accidentales, quod tamen constat, esse falsum: deinde falsitas vt sic debet tollere veritatē vt sic, & consequenter rationem entis vt sic, cum non possit tolli veritas, nisi etiam tollatur ens; quomodo autem erit quid positiuum, si tollit ipsum ens? ablato enim ente nihil positiuum remanet; & ens vt sic non habet oppositum positiuum, sed tantùm negatiuum. Præterea quæ opponuntur extra subiectum, opponuntur tantùm negatiuo modo, quoniam esse positiuum non destruit per se esse positiuum, quasi sit ex se ordinatum ad illius destructionem formaliter: hinc contraria in diuersis subiectis non se inuicem destruunt: vnde si extra subiectum intelligūtur aliqua se destruere, oportet, vt aliquod eorum sit quid negatiuum, veritas autem, & falsitas præciso quocunq; subiecto se inuicem tollunt. Rursus si falsitas esset quid positiuum, esset consequenter ens, ex quo fit, vt necesse esset, ab intrinsecis principijs ipsius consequi veritatem, non secus ac

Falsitas dicit formaliter negatiuā difformitatem.

à cæteris entibus, & cum esset quid finitum, esset etiam quid mensuratum iuxta suam mensuram, atque adeo haberet suam conformitatem, quomodo ergo esset falsitas? Cum ergo falsitas importet formaliter negationem conformitatis, non potest formaliter reperiri in rebus. Hinc D. Aug. lib. 2. Soliloq. cap. 8. inquit, *Si verum esse id, quod est, dixero, falsum non esse vspiam concidetur*. Et D. Th. 1. par. citato ar. 1. quæst. 17. in resp. ad 1. ait. *Res comparata ad intellectum secundum id, quod est, dicitur vera: secundum id, quòd non est, dicitur falsa*.

D. Aug.

D. Th.

III. Secunda conclusio. In rebus datur falsitas fundamentalis quò ad esse; seu, datur fundamentum falsitatis formalis. Hæc conclusio sic debet intelligi. cum enim non detur in rebus falsitas formalis, fieri potest, quòd in rebus reperiatur fundamentum huius falsitatis; quod continget, si res secundùm suum esse positiuum ita se habeat, vt fundent negationem conformitatis debitæ: quamuis enim negationes non sint formaliter in rebus, habent tamen aliquando fundamentum in ipsis, ratione cuius determinato enti sunt per se annexæ: sic negatio dependentiæ à subiecto est per se annexa substantijs simplicibus per se subsistentibus; negatio diuisionis in se enti, quatenus vnum est, & aliæ huiusmodi, vt inductione patere potest; posita enim aliqua perfectione, vel imperfectione in rebus, ratione ipsius potest ipsis per se aliqua negatio conuenire. Hoc ergo pacto falsitas reperitur in rebus fundamentaliter, quatenus in ipsis adest fundamentum negationis, quâ tollatur debita rerum conformitatas. Desumitur hæc conclusio ex D. Th. modo citato; cû enim in illa responsione ad 1. dixisset, Rem dici veram secundùm id, quod est, & dici falsam secundùm id, quod non est, subdit. *Sicut igitur in his, quæ sunt, inuenitur quoddam non esse, ita in his quæ sunt, inuenitur quædam ratio falsitatis*. Sicuti autem in rebus, quæ sunt non reperitur formaliter non esse, sed tantùm fundamentaliter, ita etiam falsitas fundamentaliter tantum.

Secunda cõclusio Datur in rebus falsitas fundamentalis

D. Th.

IV. Prob. conclusio sic explicata. Certum est, non omnes res esse in suo esse ita vndequaq; perfectas, vt non habeant aliquam imperfectionem; & si fiat inductio, reperiemus, ex ipsis plures imperfectas tam in artefactis, quàm in naturalibus? & de artefactis patet, quoniam vix opus aliquod prouenit ab artifice, quantumuis excellente, quod vndequaque sit absolutum. Quò ad naturalia, patet non solùm in monstris, sed etiam in cæteris rebus, quæ ferè semper inuoluunt aliquam imperfectionem, vt facilè cognosceretur, si mutcem compararentur, nam vna ca rebit aliqua perfectione, qua alia non caret. Similiter etiam in moralibus reperiuntur imperfectiones, vt patet in actibus peccaminosis. Cum igitur in rebus reperiantur imperfectiones; ex hoc sequitur, quòd adsit in ipsis fundamentum falsitatis. Quod sic ostẽditur: Vnaquæque res habet suam ideam, ita vt in ipsa eluceat tota illa perfectio, quam potest habere: & hoc saltem locum habet in ideis diuinis, cũ perfectissimo modo repræsentent. Hinc cum detur idea repræsentans rem absolutè perfectam, si res, prout est in se, non habet omnem suam perfectionem, iam fundat, negationem alicuius conformitatis cum propria idea, quæ importabit formaliter falsitatem; & propterea cum res fundent talem negationem, fundabunt etiam falsitatem.

In rebus reperiri imperfectiones.

V. Secundò argumentor ex falsitate cognitionis. Datur enim à parte rei cognitio falsa, quæ ideo falsa est, quia non habet debitam conformitatem cum obiecto; atque cum non possit in se habere falsitatem formalem, siquidem est quid positiuum, quæ non potest includere intrinsecè negationem; ideo falsitas ipsius nõ erit aliud, quàm falsitas fundamẽtalis fundans negationem conformitatis, quæ per se conueniat tali cognitioni, ergo cum detur falsitas cognitionis, dabitur etiam falsitas secundùm esse, seu transcendentalis. Consequentia ista deducitur ex eo, quòd falsitas cognitionis est quædam specialis ratio falsitatis, & consequenter debet fundari in ratione falsitatis vt sic transcendentalis; omnis enim ratio determinata fundatur in ratione communi eiusdem generis, ita vt sine ipsa non possit subsistere, sic ratio talis corporis in corpore vt sic; hoc autem ex eo prouenit, quia non potest dari complementum alicuius naturæ,

2. ratio.

Falsitas cognitionis non potest esse sine falsitate vt sic.

quod

quod exerceat ratione complementi, nisi etiam detur inchoatio eiusdem, siquidem exercere tantùm potest rationem complementi circa huiusmodi inchoationem. Vnde si in rebus datur fundamentum talis falsitatis, dabitur etiam fundamentum falsitatis vt sic: non enim potest concipi fundari talem falsitatem, nisi concipiamus fundari simul falsitatem vt sic. Quod etiam confir. Quoniam sicuti datur falsitas in repræsentatione cognitionis ex eo, quòd cognitio non conformatur in repræsentando cum obiecto, ita etiam dabitur falsitas in essendo ex eo, quòd res non perfectè conformatur in essendo cum propria idea. Quod autem aliqua res non perfectè conformetur in essendo cum propria idea, ex eo patet, quòd inter res eiusdem rationis vna est altera perfectior.

Tertia cõclusio. Res non fundant falsitatē in ordine ad intellectū diuinum.

VII. Tertia conclusio. In rebus non datur falsitas fundamentalis quò ad essentiale, ita vt res secundùm suam essentiam fundare possint falsitatem, qua essentialiter falsæ dicantur. Hanc conclusionem certissimam puto, & efficax ratio pro ipsa desumitur ex natura essentiæ: etenim rerum essentiæ consistunt in indiuisibili, sicut numeri, vt docet Aris. 8. Metaph. tex. 10. vnde sicut quilibet, numerus determinatus non potest tolli, nisi secundùm se totum formaliter tollatur; sic non potest tolli ternarius, nisi secundùm totam rationem ternarij tollatur: ita etiam quælibet rerum essentia secundùm suũ esse formale non potest tolli; nisi secundùm se tollatur; si quidem quicquid de ipsa destrui concipitur, sufficit, vt cesset tota illa essentia. Quare cum fundamentum falsitatis, consistat in eo, quòd res aliquo pacto deficiat ab idea, hinc fit, vt nequeat dare tale fundamentum in rerum essentijs; oporteret enim, vt in aliquo deficerent à propria idea. Hoc autem impossibile est, quia si essentia in aliquo deficit à propria idea, deficit tota essentia; & consurgit alia, quę in se est vera, nec fundat falsitatem quò ad esse essentiale. Quod etiam confir. quoniam sicuti veritas imbibitur in esse, ita falsitas habetur ex non esse rei, vnde falsitas quò ad essentiam habetur ex non esse essentiæ: cum autem essentia aut tota ponatur, aut tota tollatur ex eo, quòd consistit in indiuisibili, sequitur, quòd detur aut totalis falsitas quò ad essentiam aut totalis veritas; & consequenter non poterit dari aliqua essentia diminuta, quæ fundet aliquam falsitatem circa suum esse.

[...]et quò [...]d essen[...]am aut [...]os fuer[...]tia ni[...]ilo de[...]ciũt ab [...]ea.

Quarta cõclusio. Res fundant falsitatem in ordine ad intellectũ diuinum.

VIII. Quarta conclusio. Res omnes, quæ habent in se fundamentum falsitatis ex eo, quòd secundùm esse integrale, siue accidentale in aliqua perfectione accidentali deficiunt ab Idea, siue naturales sint, siue artificiales, siue morales, fundant hanc falsitatem in ordine ad intellectum diuinũ, quatenus habet ideam repræsentantem in particulari quamlibet rem. Probatur. Deus habet ideas rerum omnium, quia cum sit infinitus simpliciter, non debet illi deesse perfectio aliqua in quocunque genere; si autem existeret aliqua res, quæ haberet ideam, & esset per ipsam repræsentabilis, & huiusmodi idea non esset in Deo, perfectio idealis non esset simpliciter infinita, quia non haberet omnem rationem repræsentabilitatis. Deinde quamuis aliquarum rerum, quæ immediatè proueniunt à causis secundis, dentur in ijsdem speciale ideæ: hę tamen ideæ non sunt independentes ex se, sed dependenter ab ideis diuinis, & propterea ad ipsas debet fieri vltima resolutio. Cum enim ideæ diuinæ sint primæ, & independentes, sunt etiam prima mensura rerum omnium ideatarum.

In Deo idæ verè omnium sunt prima mensura.

Rursus cum ideæ diuinæ sint perfectissimæ, sunt etiam perfectissima mensura, ita vt tunc res sint absolutè perfectæ, quando omnimodè conformantur cum ipsis. Ex quò fit; quòd si deficiant in aliqua perfectione vel quo ad esse, vel quo ad modum, non habeant perfectã conformitatem cum ijsdem ideis, quam haberent, si haberent suam totalem perfectionem: dum autem non non habent perfectam conformitatem fundant negationem alicuius conformitatis respectu earumdem idearum, atq; adeo falsitatem.

Respon. sio ex Suarez.

IX. Verùm dicas cum Suarez. Res quæ fiunt à Deo, nunquam discrepare ab idea, secundùm quam fiunt, quia est tam potens in exequendo, quàm sapiens in regulando, sed si aliquando contingit aliquis defectus, vt in monstris, non est præter eius intentionem, sicut si pictor pingeret monstrum, non

esset

esset præter ipsius intentionem, & ideo respectu diuini intellectus non posse contingere falsitatem. Ista tamen responsio non eneruat vim discursus modò facti. Nam aliud est, quòd non sit præter intentionem Dei, res non habere totam suam perfectionem, & aliud non perfectè commensurari cum sua idea. Ex eo enim, quòd talis imperfectio non sit præter intentionem Dei, sequitur tantùm, quòd respectu diuini intellectus non fundent falsitatem ex casu, sed ex intentione, siue determinante, siue permittente, non verò quòd simpliciter non fundent, vt si pictor pingat monstrum, adhuc respectu ipsius erit monstrum, quamuis ex intentione tale pingatur. Hinc sic argumentor. Deus habet ideam cuiuscunque rei, quæ ipsam repræsentat secundùm omnem perfectionem, quam potest habere, & quæ est mensura ipsius prima, & independens, & quando res deficit in aliqua perfectione, quamuis deficiat ex intentione Dei, adhuc tamen res illa non implet perfectè mensuram ideæ: vnde adhuc fundat negationem conformitatis respectu illius ideæ, & Deus cognoscit hanc difformitatem, ergo adhuc importat falsitatem respectu intellectus diuini. Nec valet, si dicatur, non debere mensurari cum illa idea diuina, nam illa idea est essentialiter mensura illius rei, & ad quam res illa dicit ordinem per se, vnde necessariò debet per ipsam mensurari. Quod totum confir. quoniam veritas rei mensuratur per ideam diuinam, & statim, ac aliqua res est conformis cum ipsa, habet veritatem: ergo in ordine etiam ad ipsam ideam accipienda est falsitas, ita vt statim habeatur per difformitatem ad ipsam. Neq; hoc arguit impotentiam in Deo; posset enim facere res cum omnimoda conformitate ad proprias ideas, sed quia vtitur causis secundis, permittit quòd effectus procedant cum aliqua difformitate, quia finit, causas secundas agere iuxta mensuram virtutis ipsis communicatam, ita exigente ordine prouidentiæ vniuersalis: vnde vel quia causæ sunt impotentes, vel quia interuenit aliud impedimentum, effectus non assequuntur omnem perfectionem, & ita habent aliquam difformitatem respectu propriæ ideæ.

Reijcitur

Res imperfectæ quamuis ex intentione Dei sint tales adhuc tamen falsæ respectu ipsius.

X. Atque conclusio specialiter etiã probari potest quò ad actus morales; actus enim morales mali non conformantur cum illa regula, cum qua in esse morali deberent conformari: hæc autem regula est in ipso operante indita à Deo: sed priùs erat in mente diuina, vnde Deus aliquos actus præcipit tanquam conformes regulæ, quam habet, & aliquos prohibet tanquam difformes, & proinde peccatis læditur, quia sunt actus contra placitum ipsius ex eo, quòd non sunt secundùm debitam mensuram, ergo in ipsis datur fundamentum falsitatis formalis respectu intellectus diuini. Hæc consequentia clara est, si rectè perpendatur antecedens; nam si veritas consistit in conformitate ad intellectum diuinum practicum, quatenus in se habet mensuram rerum omnium, consequenter falsitas opposita veritati consistet in difformitate ad eamdem mensuram; & proinde quicquid fundat negationem conformitatis in ordine ad ipsam mensuram, habet falsitatem fundamentalem in ordine ad ipsam. Cæterum actus morales mali tales sunt, vt deflectant à debita mensura non solùm, quæ est in intellectu creato, sed etiam in diuino, vnde fundant negationem conformitatis cum mensura, quæ est in mente diuina. Nec obstat, quòd hi actus, quatenus mali sunt, non sint à Deo, quamuis enim non sint à Deo, deberent tamen commensurari cum mensura, quæ est in diuina mente; vnde non tollitur, quin sint difformes cum debita mensura, atque adeo quin fundent falsitatem respectu ipsius.

Quomodo actus morales mali respectu diuini intellectus.

XI. Quinta conclusio. Res naturales quò ad esse integrale, & accidentale respectu intellectus creati non fundant falsitatem per se, sed tantùm per accidens, quando non habent suam omnimodam perfectionem. Hæc conclusio facilis est, & breuiter explicatur, quamuis enim in intellectu creato reperiatur aliqua idea rerum creatarum quæ eas repræsentet cum omni sua perfectione, atque consequenter; quando res non assequuntur totam suam perfectionem, fundent respectu illius negationem conformitatis; non hinc tamen sequitur, vt per se dicant falsitatem respectu talis ideæ. Ratio est, quoniam illa idea non est prima mensura,

nec est per se ordinata ad illas mensurandas, ita vt debeant cum ipsa conformari, vt habeant veritatem suam, sed habēt in mente diuina suā propriam mensuram, qua per se mensurantur: & in tantum sunt conformes ideæ, quæ est in intellectu creato, in quantum idea ista est conformis diuinæ, & proinde etiam sunt difformes, quatenus discrepant ab idea diuina: hinc autem fit, quòd non per se, sed tantùm per accidens mensurentur cum idea creata; atque adeò, si sint difformes, tantùm per accidens fundant falsitatem respectu ipsius.

Sexta cōclusio Res artificiatæ fundant per se falsitatē respectu intellectus creati.

XII. Sexta conclusio. Res artificiatæ fundant falsitatem per se respectu intellectus creati, quoties non assequūtur totam perfectionem, quam possent habere. Vt autem hæc conclusio intelligatur cum debito modo, sciendum est, quòd cum in intellectu creato possit esse perfecta idea singularum rerum artificialium, atq; etiam imperfecta, res artificiales non debent per se mensurari per ideam imperfectam, sed per perfectam, ita vt quamuis in illo intellectu, à quo res procedit, sit tantùm imperfecta, non tamen debeat mensurari per se per ipsam, sed per perfectam, quæ potest esse. Ratio est, quia mensura debet esse inuariabilis, præsertim si sit mensura per se; idea autem imperfecta, cum possit esse magis, & minus perfecta, est variabilis, & ideo non est apta, vt sit mensura rerum artefactarum. Præterea mensura debet esse eadem apud omnes; hoc autem solùm conuenit perfectæ ideæ, quia cum consistat in indiuisibili, nam per quamlibet variationem fit imperfecta, sola potest esse eadem apud omnes. Deinde primum in vnoquoque genere debet esse mensura cœterorum, & sicuti res naturales habent suam mensuram, à qua per se dependent, & quæ perfectissima est, ita etiam philosophari debemus circa res artificiales. Vnde perfectissima idea artefactorum, debet constitui pro ipsorum mensura; ab hac enim sola per se dependere possunt, nam per accidens est, quòd idea sit imperfecta, & quòd artifex illa vtatur.

Perfecta idea est mensura per se artificiatorum.

XIII. Prob. Res qualibet, vt sit vera, debet mensurari per suam primā mensuram, à qua per se dependet, & debet ipsi adæquatè conformari. Quòd si non adæquatè conformatur, statim fundat negationem conformitatis respectu talis mensuræ, atque adeo etiam falsitatem. Cum ergo res artificiatæ mensurentur per se ab idea perfecta, a qua essentialiter dependent, sequitur, quòd si cum ipsa non adæquentur perfectè, fundent falsitatem respectu ipsius, cum falsitas non sit aliud, quàm difformitas cum propria mensura, à qua res per se debet mensurari. Cum autem res artificiatæ dependeant per se ab intellectu creato, etiam perfecta mensura ipsarum se debet tenere ex parte intellectus creati, si quidem absq; tali mensura non possee eas regulare. Et quamuis, ferè vt plurimum, idea in intellectu creato non sit absolutè perfecta, hoc nihil officit, quoniam per accidens est, quòd non sit sit perfecta, ex se enim non solùm petit esse in intellectu creato, sed etiā esse perfecta, & hoc sufficit, vt res artificiatæ mensurentur per se in ordine ad intellectum creatum ex eo, quòd mensurantur per ideam perfectam; quando enim concipitur intellectus creatus vt mensura rerum artificialium, non debet concipi cum quacunque idea, sed cum perfecta.

Difformitas in rebus artificiatis ad perfectam ideam fundat falsitatem.

Occurritur responsioni. Suarez.

XIV. Dices ex Suarez. Rem artificiatam debere mensurari cum idea illa, à qua procedit, & ideo non fundare falsitatem, si non ipsi difformis sit, quamuis sit difformis perfectæ. Sed hæc responsio corruit ex dictis, quamuis enim res artificiata procedat ex idea imperfecta, atq; adeo ex intentione artificis debeat ipsi commensurari; non tamen debet illi commensurari ex natura sua. exigit esse perfecta, quantum fieri potest; vnde videmus, naturam semper, quantum fieri potest, tendere ad perfectum, & in tantum deficere à completa perfectione, in quantum impeditur; vnde per accidens deficit, non autem ex intentione. Eodem pacto res se habet in artificiatis, exigunt enim ex natura sua totam illam perfectionem, quā in genere suo possunt habere, & proinde exigunt illam formam, quam habēt, cum omni perfectione requisita. Hinc autem fit, vt ex natura sua exigant mēsurari per ideam perfectam. Quod præsertim verum est, quia, vt in superioribus modo dictum fuit, vnaquæque res mensuratur ab illa mensura, à qua per se dependet; artificiata autem per se

Vnumquodque ex natura sua exigit esse perfectum in suo genere.

depen-

dependent ab idea perfecta, per accidens autem ab imperfecta. Ex hoc autem colligitur, quòd quando res artificiata procedit ab imperfecta idea, non sit falsa, si ipsi commensuretur ex intentione artificis; fundet tamen falsitatem ex natura sua, quia non debet ex natura sua commensurari cum tali idea, sed cum perfecta.

Alia responsio Suarez.

XV. Dices secundò ex Suarez. Etiam si res non commensuretur ideę, à qua procedit, non posse dici falsam, tum quia defectus non prouenit ab ipsa Idea, sed ex imbecillitate potentiæ exequentis; tum etiam quia idea non habet pro obiecto opus cum tali imperfectione. Cæterùm ex hac responsione sumitur impugnatio. Si n. idea nõ respicit opus cũ tali defectu neq; defectus prouenit ab ipsa, iã opus procedit aliter ac ab ipsa deberet pcedere, hoc autẽ est esse falsũ, cũ falsitas consistat in difformitate operis ad propriam mensuram. (Reijcitur.) Quod etiam confir. quoniam idea respicit veritatem operis, & illam præfigit artifici, ergo si opus aliter procedit, cum præfigatur opus verũ, procedet opus falsũ. Confir. Opus pcedẽs cũ conformitate ad ideam, ens, est verum, ergo procedit cum falsitate, quando procedit cum difformitate; & licet hæc difformitas proueniat ex imbecillitate potentiæ exequentis, non tollit, quin opus sit falsum, quia ad falsitatem sufficit difformitas quocunq; modo.

XVI. Septima conclusio. (Septima conclusio. Actus morales fundant falsitatem respectu intellectus creati.) Actus morales fundant falsitatem respectu intellectus creati per se primò, quatenus non diriguntur debito modo. Pro cuius intelligentia supponi debet, quòd actus morales sunt actus libero modo facti, atq; hoc, vel illo modo. Adest autem in operante regula quædam rationis, per quam ratio præscribit, quomodo vnusquisque actus faciendus sit, & quem modum, atque mensuram seruare debeat. Respectu igitur huius regulæ fundant veritatem, & falsitatem quò ad esse morale. Quod sic probatur. Actus morales mali non sunt secundùm debitam regulam rationis; non enim committitur malum, nisi aduertat homo, talem actum esse contra regulas rationis, quia quamuis prosequatur aliquam rationem boni, ita tamen illam prosequitur, vt aduertat simul non esse bonum rationale, atque adeo actum illum esse malum. Hinc autem fit, vt actus ille non habeat debitam conformitatem cum regulis rectæ rationis, quæ sunt mensura illius, qualem ex natura sua in esse morali deberet habere, cum dependeat per se in mensurari ab illis: vnde fundant negationẽ conformitatis, atque adeo falsitatem respectu intellectus creati. Nec obstat quod ait Suarez, hos actus secundùm rationem malitiæ non procedere à recto dictamine rationis, sed ab aliquo iudicio falso, nam hoc ipso, quòd non procedit à vero dictamine, ab ipso non mensuratur, & tamen exigit mensurari, vnde adhuc respectu ipsius, sicuti fundat negationem conformitatis, ita etiam fundant falsitatem. (Occurritur responsioni ex Suarez.)

XVII. Sed ad huc dices ex eodem Suarez. Actus istos morales malos solùm extrinsecè denominari falsos; propriè tamen in ipsis non esse falsitatem, sed potius malitiam, & prauitatem. (Alia responsio eiusdem reijcitur.) Friuola tamen est huiusmodi responsio; nam verè actus isti secundùm proprium esse intrinsecum morale, deficiunt à debita mensura rectæ rationis, ergo ab intrinseco suo fundant negationem debitæ conformitatis. Quod etiam Confir. Actus mali secundùm esse morale habent intrinsecam malitiã, & prauitatem, vt etiam concedit ipsemet Suarez, ergo habent etiam fundamentum intrinsecum falsitatis quò ad esse morale. (Malitia & falsitas necessariò cõnexæ.) Consequentia probatur, quia sicuti bonitas est simul cum veritate ex eo, quòd ambæ proueniunt ab eadem radice, ita vt non possit poni vna, nisi simul ponatur & altera, & insuper solùm secundùm conceptus inadæquatos distinguantur, ita idem dicendum de malitia, & falsitate, cum altera opponatur bonitati, altera verò veritati, & sicuti malitia tollit bonitatem, tollet simul etiam veritatem.

XVIII. Ex his autem deducuntur nonnulla corollaria, quæ magis præsentem materiam declarant. Primum est. Res naturales non posse esse falsas simpliciter, sed ad summum secundùm quid. (An res naturales sint dicendæ falsæ.) Cum enim fundare possint falsitatem solùm respectu intellectus diuini, quatenus ipsi non commensurantur; & quò ad esse essentiale, non possint non cõmensurari, ita vt tota difformitas possit esse tantùm secundùm

esse integrale, & accidentale, hinc sequitur, vt simpliciter verę sint, quoniam conformes sunt secundùm essentiam, in qua consistit principale esse rei, & solùm disformes secundùm esse accidentale, quòd est veluti accessorium. Atque ista falsitas secundùm esse integrale, aut accidentale non computatur, sed veluti absorbetur à veritate essentiæ, & à reliqua veritate secundùm esse integrale, & accidentale, quæ extensiuè longè maior est. In rigore tamen loquendo secundùm quid falsæ sunt.

An res aliqua absolutè falsa respectu intellectus diuini.

XIX. Colligitur secundò. Monstra, & alia huiusmodi, quæ carent aliqua perfectione, & non sunt completè conformia diuinæ ideæ, absolutè esse falsa secundùm quid respectu diuini intellectus; licet oppositum teneant Bannes 1. Par. Quæst. 17. in dubitat circa art. 1. Cumel. ibid. Suarez supracitat. in sect. 2. Licet enim non sint præter intentionem Dei, sed ex eius intentione secundaria, quatenus sequuntur cum præscentia ex eo, quòd vult Deus sinere causas secundas naturali modo suos cursus paragere. Non hinc tamen fit, quin fundent negationem conformitatis respectu propriæ ideæ, quam de ipsis Deus habet, atque adeò, falsitatem. Et rursus, quamuis Deus habeat regulas vniuersales, quibus simul totum vniuersum moderatur, aliqua positiuè volendo, & aliqua solùm permittendo, atque vniuersalem ideam ordinis vniuersi, cui correspondet vniuersum tanquam vnicum ideatum, ita vt non interueniat aliqua disformitas respectu huius vniuersalis ideæ: non hinc sequitur, monstra, & alia huiusmodi non habere falsitatem respectu diuini intellectus, quoniam vt falsa sint aliquo modo, sufficit, si non habeant perfectam conformitatem cum mensura illa, à qua per se dependent in mensurari, hoc autem contingit, dum non conformantur perfectè cum propria idea speciali, quia ab hac sola dependent per se. Non hinc tamen sequitur, Deum facere falsitatem, sed tantùm permittere, vt seruet vniuersalem ordinem vniuersi; cum enim res particulares subordinentur vniuersali ordini, ideæ quoque rerum particularium debent subordinari ideæ vniuersali; atque vt vniuersum assequatur plenam commensurationem cum sua idea, debet permittere Deus, res particulares non assequi plenam conformitatem cum propria.

Cur Deus permittat defectus.

An res artificiatę possint esse absolutè falsę.

XX. Tertiò colligitur, Res artificiatas, licet deficiant à propria idea, non posse dici absolutè, & simpliciter falsas, sed solùm secundùm quid, sicut etiam res naturales. Ratio est, quia ipsę quoque habent veluti suam essentiam inuariabilem, sine qua non possunt consistere in suo esse, quæ præcipuè attenditur penes formam. Si enim talis veluti essentia ipsarum deficiat, tollitur absolutè ipsa quoque res artificiata, sicut ablata essentia tollitur quoq; res naturalis, & proinde non adest essentia, quæ fundet falsitatem secundùm esse essentiale: & ideo res artificiatæ non possunt esse falsæ secundùm suam essentiam. Solùm ergo possunt fundare falsitatem secundùm aliquod esse integrale, & secundùm accidentales perfectiones, ex quo fit, quòd solùm secundùm quoddam esse accidentale possint dici falsæ, atque adeo secundùm quid. Opposito autem modo philosophandum est de actibus moralibus, falsitas enim tollit absolutè veritatem quò ad esse morale. Essentia enim ipsorum, quò ad esse morale, consistit in eo, quòd proueniant ex dictamine rationis: rectum autem dictamen rationis, quando regulat actus, facit eos simpliciter conformes rectæ rationi, ita vt in esse morali non habeant aliam conformitatem, quàm istam. Quando autem contingit, esse malos, simpliciter deficiunt, ita vt absolutè valeat dicere, non esse conformes; cum sunt conformes opposito dictamini, vnde talis disformitas tollit totam, & essentialem conformitatem, & consequenter facit absolutè falsos. Quod etiam confir. quoniam sicuti veritas, & bonitas ex æquo sibi correspondent tanquam passiones in eadem radice fundatæ, etiam falsitas, & malitia debent similiter ex æquo proportionari ad inuicem; cum ergo malitia faciat actus malos absolutè malos, falsitas quoque faciet absolutè falsos respectu propriæ mensuræ, à qua per se dependent.

Actus morales absolutè & simpliciter falsi.

Occurritur rationibus in oppositum & alia difficultas resoluitur.

SECTIO IV.

I. Pro complemento huius disputationis satisfaciendum est rationibus in oppositum, & quædam alia difficultas resoluenda. Quod autem spectat ad primam sententiam, quæ erat D. Th. iam ostensum est sect. præcedenti, quomodo non obstante, quòd res naturales sint omnes ex ordinatione diuina, adhuc tamen respectu diuini intellectus possint dici falsæ secundùm quid. Similiter ostensum est, res artificiatas non posse dici simpliciter, & absolutè falsas respectu intellectus creati, quia quando deficiunt absolutè ab idea secundùm propriam veluti essentiam, non fiunt falsæ, sed omnino tolluntur, vnde possunt fundare fallitatem solùm secundùm quid. Quod autem spectat ad denominationem falsitatis, quæ ibi ponitur, dicemus infra. Circa autem secundam sententiam, nihil occurrit dicendum, quia in ijs, quæ habet, non discrepat à nostra doctrina.

Ad fundamentũ primæ sententiæ.

II. Circa autem tertiam sententiam, quòd spectat ad priorem partem illius, falsum assumitur, cum dicitur, res naturales non posse discrepare à diuina Idea, iam enim oppositum ostendimus. Quod autem spectat ad priorem propositionem secundæ partis eiusdem sententiæ concedendum est, res naturales non dici propriè, & intrinsecè falsas per ordinem ad intellectum, creatum speculatiuum, cum solùm per accidens possint dici falsæ, quatenus habet aliquam ideam de ipsis: non enim commensurari debent cum intellectu speculatiuo, ita vt sit propria mensura ipsarum; & ideo nec falsitatem habent in ordine ad ipsum; An autem possit denominari propria denominatione à cognitione falsa, quæ est in ipso intellectu explicabimus infra.

Ad fundamentũ tertię sententiæ.

III. Quod autem spectat ad alteram propositionem quæ asserit, res artificiatas, & morales non posse dici falsas respectu intellectus creati practici, ad primam probationem dicitur, quòd res artificiata potest esse falsa fundamentaliter modo explicato tum respectu ideę imperfectæ, quam artifex imitatur, tum etiam respectu perfectæ, quam artifex non proponit sibi imitandam. Respectu imperfectæ diceretur falsa, si illam nõ imitetur, ita vt non habeat cum ipsa plenam conformitatem, tunc enim deficiet à tali idea. Respectu verò perfectæ ideæ etiam erit falsa ex eodem capite, si non assequatur plenam conformitatem. Verùm hoc interueniet discrimen, quòd respectu ideæ perfectæ erit falsa per se, & simpliciter, cum ab ipsa simpliciter, & per se mensuretur: respectu verò imperfectæ erit falsa per accidens, & ex suppositione, quia per se non commensuratur cum ipsa, sed solùm ex suppositione, quia supponitur agens intendere opus secundùm talem ideam. Ad confir. respon. quòd si quis velit imitari imperfectam ideam, & ex proposito facere opus imperfectum ob aliquem finem, quamuis operans non errabit in eo, quòd assequatur suam intentionem, faciet tamen opus falsum, quia intentio operantis præcisè non facit opus verum, aut falsum, sed conformitas, vel difformitas cum propria mensura; quæ siue sit ex intentione agentis, siue non, semper reddit opus verum, aut falsum. Neque obstat, quòd secundùm defectum, quem res habet, non procedat ab idea, quia non debet difformitas, seu falsitas ab idea procedere. Nec est eadem ratio de idea, & ideato, nec eodem modo falsitas vtriusq; attenditur, cum diuersimodè mensurentur. Ideatum enim mensuratur per ideam, & ideo falsitas per ordinem ad ideam attenditur; idea verò non mensuratur per ideatum, & ideò falsitas ideæ non debet sumi per difformitatem ipsius cũ ideato, quia non debet conformari ideato, sed econtra. Ideæ verò in creatis, in quibus solis potest esse falsitas, sunt veræ, vel falsæ, prout conformantur cũ ideis diuinis, vel ab ipsis discrepãt. Diuinæ verò ex se indepẽdenter à quocunque sunt ipsa veritas idealis. Quod verò spectat ad opera moralia, iam diximus, esse falsa, quando mala sunt, per ordinem ad rectum dictamen rationis, cum quo non commensurantur, cum tamen quò ad suam veritatem debeant per se cum illo commensurari, & hoc ipso, quòd ab ipso non pro-

Ad fundamentũ pro secunda propositi.

Res artificiatæ falsæ respectu ideæ tum perfectæ, tum imperfectæ.

Quid sufficiat ad falsitatẽ.

Vnde sumatur falsitas, & veritas ideæ creatæ.

ipsum docet cap. 36. De vera relig. inquiens. *Falsitas oritur non rebus ipsis fallentibus, quæ nihil aliud ostendunt sentienti, quàm speciem suam, quam pro sue pulchritudinis acceperunt gradu: neque ipsis sensibus fallentibus, qui pro natura sui corporis affecti, non aliud, quam suas affectiones presidenti animo nunciant. Sed peccata animas fallunt, cum verum quærunt relicta, & neglecta veritate.* Et antea in cap. 34. docuerat; Nos falli ab eo, quod non est non autem ab eo quod est, his verbis. *Et si propterea nos fallit rerum visibilium pulchritudo, quia unitate continetur, & non implet unitatem, intelligamus, si possumus, non ex eo, quod est, nos falli, sed ex eo, quod non est.* Vnde cum non fallamur ex eo, quòd est, neque etiam res ecendùm proprium suum esse possunt causare falsam cognitionem..

VII. Quia tamen contingit aliquando rem aliquam secundùm extrinsecam formam habere quãdam similitudinem cum alia, quæ sit diuersæ rationis, vt est auricha lcum respectu auri, hinc fit, vt aliquæ res veræ in suo esse possint denominari falsæ, ita vt denominatio fundetur, in illo esse, quod non habent, & præseferunt habere, & explicat simul hoc ipsum non esse, & illam extrinsecam apparentiam rei veræ. Sic cum aurichalcum dicitur aurũ falsum, ideò sic denominatur, quia quò ad accidentia sensibilia habet quamdam extrinsecam apparentiam auri, & tamen non veram naturam; vnde desumitur denominatio à falsitate opposita veritati qua aurum est verum aurum; & motiuum talis denominationis est illa extrinseca apparentia auri cum negatione veræ naturæ, & proinde denominatio est propria denominatio, & philosophica, quia fit cum vero fundamento; consideratur enim tunc aurichalchum quasi ordinatum ratione illius extrinsecæ apparentiæ ad ideam, & mensuram auri, atq; ab illa deficientem. Et hoc voluit Aris. quando 5. Metaph. tex. 34. dixit *Alio vero* (modo dicuntur falsa) *quæcunque sunt quidem entia, apta tamen natura sua sunt apparere, aut non qualia sunt, aut quę non, sunt vt vmbra, pictura, & insomnia: hæc enim sunt quidem aliquid, sed non sunt ea, quorum faciunt imaginationem.* Hæc enim dicuntur falsa non quia causent falsam cognitionem, vt explicat Auersa supra citatus, sed quia non sunt res veræ, & habent apparentiam illarum, ex quo postea sequitur, quod præbeant occasionem intellectui, vt promat falsam cognitionem, ipsæ tamen eam non causant.

Res denominantur falsæ ex similitudine ad res veras.

Arist.

Quomodo falsitas opponatur veritati.

Disp. LXXI.

Sententia D. Th. *Sect. I.*
Resolutio difficultati. *Sect. II.*

Sententia D. Th.

SECTIO I.

I. Falsitatem opponi veritati certum omnino est, ita vt in dubium à nemine reuocetur, quomodo autem opponantur, seu qualis sit huiusmodi oppositio, non adeo euidẽs est. D. Th. tractat hanc difficultatem 1. par. quæs. 17. ar. 4. sed non agit de veritate, & falsitate in abstracto acceptis; sed in concreto, nimirum de vero, & falso: asserit autem verum, & falsum opponi inter se vt contraria, non autem, vt affirmatio, & negatio. Eius fundamentum est, quoniam negatio, neque ponit aliquid, neque determinat sibi aliquod subiectum: priuatio autem licet determinet sibi subiectũ, non tamẽ ponit aliquid in subiecto, cõtrariũ autẽ, & determinat sibi subiectũ, quia ponit adæquationem de falso autem probat, quoniam, vt habetur ex 4. Metaph. tex. 27. Falsum est ex eo, quòd dicitur, vel videtur aliquid esse, quod non est, vel non esse; quod est, vnde importat acceptionem rei non adæquatam. Hinc autem concludit, quòd cum tam falsum, quam verum dicat aliquid positiuum opponuntur, contrariè. Vbi est aduertendum, quòd D. Th. loquitur tantùm de verò, & falso, quod est in cognitione. Hanc autem sententiam sequitur Caiet. ibid cum Cœteris Thomistis; atq; insuper Molina ibid. disp. vnica circa finem, & Valentia tom. 1. Disp. 1. quæs.

Sentẽtia D. Th. Verũ, & fallũ opponi cõtrarie.

Molina Valentia

17 puncto tertio.

Quid sentiat Molina. II. Addit autem Molina, Quòd si verum, & falsum consideretur quò ad relationes conformitatis, aut discrepantiæ à suis regulis, non esse contraria, sed se habere sicut simile, & dissimile, quia sicut eadem qualitas comparata ad diuersas qualitates est similis, & dissimilis, ita eadem existimatio, siue cognitio. potest esse vera, & falsa: cognitio enim Socratis sedentis respectu eiusdem Socratis sedentis est vera, respectu verò Socratis non sedentis est falsa, quia respectu sessionis dicit relationem conformitatis, respectu non sessionis relationem discrepantiæ. Verùm si loquamur de duabus cognitionibus de eadem re, quarum altera sit vera, altera falsa, vt cognitio, quòd eodem tempore Socrates sedeat, & non sedeat, opponuntur contrariè, nec simul esse possunt, atque ait, D. Th. in hoc posteriori sensu locutum fuisse.

Quid addat Valentia. III. Valentia autem in respon. ad obiectionem 1. asserit. Verum, & falsum nunquam opponi contrariè, nisi consideretur circa idem obiectum, atq; eodem tempore: hinc autem fit, quòd diuerso tempore contingente aliqua variatione circa obiectum possit eadem cognitio ex vera fieri falsa, aut econtra, quia veritas illa, & falsitas non opponuntur, quippe non versantur circa idem omnino obiectum, & eodem tempore. Quòd si quæras, quomodo fieri possit, vt idem conceptus secundùm suam entitatem modò sit verus, modò falsus, licet respectu diuersorum. Respondet, id fieri posse, quia verùm, & falsum non sunt nomina omnino absoluta, sed relatiua saltem secūdùm diei, vnde connotant obiectum, cui conceptus est conformis, vel difformis, & ideo quando contingit, eumdem cōceptum habere diuersa obiecta, quorum alteri sit conformis, alteri difformis, potest esse verus, & falsus, quod contingit, quando fit aliqua mutatio in obiecto. Hinc autem infert, dari aliquā falsitatē, quæ solùm ratione distinguatur à veritate, vt contingit, quando in eodem conceptu respectu diuersorum reperitur veritas, & falsitas simul: & veritas, & falsitas respectu eiusdem obiecti nō possunt esse idem realiter, quia idem conceptus non potest esse conformis, & difformis respectu eiusdem obiecti. Præterea ad 3. obiectionem addit. Neq; tunc falsum opponi contradictoriè respectu veri, quando est conceptus negatiuus, nam tunc quoque negatio illa materialiter tantùm se habet ad falsum vt sic, quia falsitas abstrahit ab affirmatione, & negatione, cum tam in conceptu affirmatiuo, quàm in negatiuo reperiri possit; in contradictoriè autem oppositis debet formaliter alterum ipsorum esse negatiuum, nec sufficit, quòd obiectiuè tantùm sit negatio: vnde cum dicitur, conceptum negatiuum falsum non opponi contradictoriè vero, debet intelligi de tali conceptu, non vt negatio est, sed vt falsus est formaliter. Hæc Valentia.

Resolutio difficultatis.

SECTIO II.

I. HÆc sententia D. Th. sanè difficilis est, nec videtur posse percipi, quomodo verum, & falsum formaliter loquendo opponantur contrariè, & non contradictoriè, licet ipsa in concreto considerentur. Certum enim est, falsitatem formaliter non esse aliud, quàm difformitatem à propria mēsura, & difformitatem non esse aliud, nisi negationem debitæ conformitatis, & consistere in defectu; vnde etiam D. Th. eadem quæs. 17. ar. 1. ad 1. habet. *Dicendum, quòd res comparata ad intellectum, secundum id, quod est, dicitur vera; secundum id, quod non est, dicitur falsa: vnde verus Tragœdus est falsus Hector, vt dicitur in secundo Soliloquiorum. Sicut igitur in his, quæ sunt, inuenitur quoddam non esse, ita in his, quæ sunt, inuenitur quædam ratio falsitatis.* Ponit ergo D. Th. falsitatem in non esse, quia non consistit in alio, quàm in ablatione conformitatis. Et efficaciter, atq; euidenter ex ea conuincitur, quòd ens vt sic, quantum fieri potest, communissimè sumptū dicit rationem veritatis, vnde oportet etiam, vt in tali communitate habeat falsitatem sibi oppositam, quoniā ex genere suo falsitas, & veritas inuicem opponuntur; non potest autem habere aliquod oppositum positiuum; nam extra ens vt sic non datur aliquod positiuum; & propterea falsitas oppo- Veritas, & falsitas negatiuè opponūtur. D. Th.

sita

sita enti in communitate sua non potest esse aliud, quàm aliquid negatiuum. Quòd si veritas, & falsitas vt sic, opponuntur negatiuè, quęlibet etiam falsitas negatiuè opponetur cum qualibet veritate, quia inferiora seruant eamdem proportionem cum superioribus.

II. Præterea vel falsitas importat peculiarem rationem entis, vel non. Hoc secundùm dici nō potest, quoniam quomodo saluabitur, quòd sit aliquid positiuum absq; ratione entis. Si ergo dicit positiuā naturam, necesse est, vt habeat suam debitam commensurationem, & conformitatem, qua cum propria mensura conformetur: hinc autē statim sequitur, quòd habeat pariter suam veritatem, præsertim quia veritas ex natura sua sequitur ab intrinsecis principijs entis, cum non in alio consistat, quàm in conformitate rei cum sua mensura. Quamobrem non minus habebit falsitas veritatem suam, quàm quælibet alia res. Quomodo ergo fieri potest, vt opponatur cū veritate, si ipsa quoq; est veritas? aut quomō potest esse falsitas, si p eadē cōstitutiua cōstituiē, quibus cōstituitur ipsa veritas? Quod autē habeat eadem constitutiua patet, quia vtraque constituitur per cōmensurationem cum propria mensura. Deinde si esset opposita veritati, non esset opposita tanquā falsitas, sed tāquam aliqua alia veritas; oppositio autem inter veritatem, & falsitatem debet esse secundùm rationem veritatis, & falsitatis; quod non potest esse, nisi tollat rationem formalem veritatis: quomodo autem, si tollit rationē formalem veritatis, potest esse alia veritas? seu quomodo poterit dicere rationem conformitatis cum sua mensura?

Cur falsitas non possit esse aliquid positiuum.

III. Ex his autem sequitur, quòd si sumatur verùm, & falsum in concreto, neque in ratione veri, & falsi posse opponi positiuè, sed solùm negatiuè, & ratio euidens est, quoniam opposita in concreto sequuntur naturam formarum ratione quarum constituitur formaliter oppositio, cum nō aliam rationem oppositionis habeant. Cum ergo formæ, quibus constituitur oppositio inter verum, & falsum, non sint ambæ positiuæ, sed altera positiua, nempe veritas, & altera negatiua, nimirum falsitas, non possunt opponi tanquam duo extrema positiua, sed opponentur aut contradictoriè, aut priuatiuè. Et quamuis verum, & falsum in concreto dicant aliquid positiuum, nempe id, quod verum est, & id, quod falsum est; non hinc tamen sequitur, opponi positiuè, quoniam non opponuntur ratione illius positiui quod subijcitur veritati, & falsitati, sed ratione veritatis formaliter, & falsitatis. Quòd si falsum ratione positiui, quod materialiter se habet respectu falsitatis, opponeretur cum vero, iam non opponeretur secundùm rationem falsitatis, sed secundùm veritatem, quia illud esse positiuum habet peculiarem veritatem, qua in suo esse positiuo verum est.

Verum, & falsum non opponūtur contrariè, sed negatiuè.

IV. Atque hoc, quod diximus de oppositione veri, & falsi vt sic, extendendum est ad ipsam cognitionem, quatenus vera, & falsa est; ita vt verum in cognitione, & falsum adhuc negatiuè tantùm opponantur, quando sunt in diuersa cognitione. Et hoc sequitur ex eodem principio, quia falsitas quoque ipsius cognitionis importat aliquid negatiuum, nimirum negationem conformitatis in repræsentando cum obiecto. Quod ex eo etiam confir. Quoniam si consideretur, cur cognitio aliqua sit vera, non aliam rationem formaliter constitutiuam veritatis reperiemus, quàm conformitatem eiusdem cum obiecto: rursus si consideretur cognitio falsa, non aliam rationem falsitatis reperiemus, quàm negationem conformitatis cum obiecto, nam cognitio falsa habet suam veram repræsentationem, quæ respectu alterius obiecti esset vera, vt conceptus Socratis sedentis est verus respectu ipsius, quando sedet, est autem falsus, quia applicatur Socrati non sedenti, & idem contingit in cæteris falsis cognitionibus, quæ etiam si sint respectu entium rationis, sunt tamen veræ respectu entium realium, ad quorum similitudinem entia rationis concipiuntur. Cum ergo verum, & falsum in cognitione consistant in negatiuo, & positiuo, sequitur in cognitione quoque verùm, & falsum opponi negatiuè.

Verum, & falsum in cognitione quomodo opponatur.

V. Vt autem saluetur doctrina D Th. asserentis, veritatem, & falsitatē opponi

contrariæ, sciendum est, quòd cognitio falsa potest considerari materialiter nō secundùm rationem formalem falsitatis, sed secundùm ipsam entitatem cognitionis, quatenus est fundamentum falsitatis formalis. Hoc autem pacto comparata ad cognitionem veram, & supposita oppositione negatiua, quam habent ex eo, quòd versantur circa idē obiectum altera cum conformitate in repræsentando, & altera cum negatione conformitatis, habet, quòd sit incomposibilis cum cognitione vera. Huiusmodi autem incompossibilitas oritur ex eo, quòd sit fundamentum negationis falsitatis formaliter sumptæ, quo stante ex vi falsitatis formaliter habet, quòd sit incompossibilis cum cognitione vera, quia stante oppositione contradictoria, quæ est inter falsitatem, & veritatem, nō possunt esse simul; alioquin sequeretur, contradictoria esse simul, esset enim veritas contradictoriū positiuum, & posita cognitione falsa fundaret falsitatem negatiuam, atque adeo essent simul duo contradictoria. Cū ergo non possint esse simul duo cōtradictoria, neque etiam possunt esse simul ea, ex quibus sequitur, duo contradictoria esse simul. Quamobrem, cum cognitio vera, & falsa sint simul incompossibiles secundùm proprium esse positiuum, quamuis ex ipsis non oriatur huiusmodi incōpossibilitas formaliter, dicuntur tamen contrariè opponi, quia contraria secundùm esse positiuum incompossibilia sunt, nō quòd verè contrarientur sibi inuicem per rationes formales contrarietatis, sed quia merè incompossibiliter se habent. Et hoc intellexit D.Th. quando dixit; Verum, & falsum opponi tanquam contraria. Non enim possunt esse contraria positiua propriè dicta; quia in contrarijs propriè dictis nunquam vnum retinens suum esse intrinsecum potest euadere aliud, quia semper retinet rationem oppositam, siue simul considerentur, siue successiuè; siue respectu eiusdem, siue respectu diuersorum, vt contingit, quando cognitio ex vera euadit falsa; neque tamen tunc vnum contradictorium euadit aliud, vt videtur posse obijci, sed contradictorium positiuum fundat negatiuum ex eo, quòd variatur id, à quo ipsum dependet in exercendo rationem contradictorij positiui. At in contrarijs nunquam vnum potest fundari in alio, quia quandiu perseuerat esse positiuum vnius, semper excludit alterum, atque vnumquodque ipsorum est tale independenter à quolibet extrinseco, & solùm ab intrinseco suo esse habet, quòd sit tale. Accedit etiam, quòd contraria positiua habent essentias diuersas, vnde impossibile est, quòd manente esse vnius positiuo, & physico, euadat alterum contrarium, vt necesse esset, quando cognitio ex vera fit falsa. Quare verùm, & falsum in cognitione solùm dicuntur contraria, quatenus quando sunt in diuersa cognitione inuicem, & eodem tempore sunt incompossibilia ratione contradictionis quam fundant. Et hæc secundùm D. Th.

VI. Ex his autē patet, falsū formaliter sumptum nō ponere aliquid in subiecto, sed potius auferre, quia aufert cōformitatē à re falsa. Atq; semper importat istā negationem, vt iam declaratū est. Vnde colligitur, nō dari illam falsitatem, quā volebat Valētia, quæ solùm ratione distinguatur à veritate, nec ipsi opponatur. Nam falsitas, cū semper consistat in negatione cōformitatis, sēper etiā distinguitur à veritate tanquā negatio quædā; atq; hinc etiā fit, vt qualibet falsitas sēp eodē modo opponatur cū veritate, quia sēper dicit negationē. Deinde cum in qualibet falsitate sēper saluetur ro formalis falsitatis, siue positiua sit, siue negatiua, quomodo fieri potest, quòd aliqua falsitas nō opponatur veritati? Quāuis n. quādo eadē cognitio ex vera fit falsa, nō versetur circa idē obiectū, attamen si cōsideretur falsitas ipsius, & cōparetur cū veritate, quā ātea habebat, adhuc se habēt negatiuè, quia cōsistit in negatione præcedētis veritatis: quòd si tūc veritas, & falsitas nō opponerētur, possēt esse simul, quod tū implicat. Potest autē cognitio vera fieri falsa, aut ecōtra, quia veritas cōsistit in cōmensuratione in repręsentādo cū obiecto, atq; adeo in veritate sua dependet ab ipso, ita vt possit variari p variationē solius obiecti; manēte enim eadē cognitione cū eadē repręsētatione, si fiat variatio solū in obiecto, nō amplius illa repręsētatio cōmēsurat cū ipso, atq; adeo manēs materialiter eadē fūdat negationē cōformitatis, quāuis reuera illa cognitio sit rātū obiecti, pr out prius se habebat ante mutationem, & solū applicata obiecto mutato.

Quomō verum & falsū possint, dici cōtraria.

Nūquam vnū contrariorum euadit aliud.

An detur falsitas nō opposita veritati.

Cur cognitio vera absq; sui mutatione, possit euadere falsa.

DE TERTIA ENTIS PASSIONE, nempe Bonitate.

SVPEREST considerand a tertia, & vltima passio ẽtis nẽpe Bonitas, quæ quidẽ posterior est veritate, vt in superioribus ostendimus cum D. Th. & alijs communiter. Eũdem autem ordinem seruabimus, quem circa veritatem tenuimus, vt videamus scilicet prius, an sit passio entis, deinde naturam ipsius scrutemur; atque ita disputationem instituemus, vt ex jis, quæ dicemus de bonitate in communi sumpta, colligi possit, quid etiam de bonitatibus specialibus quatenus bonitates quædam sunt, & intra abstractionem metaphisicam continentur, dici possit.

An bonitas sit passio entis. Disp. LXXII.

Bonitatem esse posteriorem ente.

SECTIO I.

I. BOnitatis nomen plures significationes habet præsertim apud Grammaticos, nam quandoque sumitur pro *Docto* vt apud Horat. in Poetica; *Quandoque bonus dormitat Homerus*. Aliquando significat *Magnum* sic illud vsurpat etiam Salluſ. in Catilina. *Bona pars mutum*. Aliquando importat *Pulchritudinem* vt apud Terent. in Andr. *Mulier forma bona*. Aliquando accipitur pro *Vtili*, & pro eo, quòd expedit, vt ab eodem Terent. vsurpatur, *Bonum est pecunia parcere* aliquando etiam pro *Otio*, *& Quiete* sic accipitur à Seneca *Delicatus bomo*, *& bono semper assuetus*. Atque alias plures huiusmodi significationes habet omnes tamen huc reducuntur, quòd bonum accipiatur pro aliqua re congruenti, siue perfecta in se, & quæ possit esse quid expetibile, & amabile: atque huiusmodi significatio philosophica est, & valde vniuersalis, vnde importat bonitatem trãscendentalem, quæ per omnia genera vagatur, & in hac significatione accepit Bonum Arist. quando 1. Eth. cap. 1. dixit *Bonum est quod omnia appetunt*; Quam acceptionem, siue descriptionem approbauit etiam D. Basil. in Psal. 44. circa initium, inquiens. *Rectè quidam bonum definiunt, quod omnia expetunt*; vt etiam D. Dionyſ. cap 4 de Diuinis Nominib. Et in hac acceptione bonitas nobis accipienda est, dum eam tanquam passionem entis consideramus.

Variæ acceptiones boni. — *Arist.* — *D. Basil.* — *D. Dionyſ.*

II. Cum autem inquirimus, an bonitas sit passio entis, vt difficultatem resoluamus, duo videnda sunt; primum an sit posterior ente, passio enim debet esse posterior sua radice; alterum, an adæquetur cum ipso. Si enim bonitas est posterior ente, & cum ipso adæquatur, procul dubio erit passio. Quod autem spectat ad primum punctum communiter asserunt; ens esse prius bonitate, non quidem prioritate aliqua reali, sed rationis, quæ facit, vt prius concipi possit ens, quàm bonitas; Atque hoc inter alios docet D. Th. 1. par. Quæſ. 5. ar. 2. pro quo affert ibi hanc rationem. Quod illud est prius secundùm rationem, quod prius cadit in conceptione intellectus, prius autem in conceptione intellectus cadit ens, quàm bonum, quia cum vnumquodq; cognoscibile sit, in quantum est actu, vt docet Arist. 9 Metaph. tex. 20. quod est primum cognoscibile, prius etiã cadit in conceptione intellectus; ens autẽ est primũ cognoscibile, quia est proprium obiectum intellectus, sicut sonus est primum audibile.

Bonitas est posterior ente. — *D. Th.*

III. Hæc tamen ratio D. Th. patitur difficultatem, quam ibidem

mouet Caiet. Quomodo ens sit omnium primum intelligibile; & ratio dubitandi ex eo oritur, quòd nihil est prius Deo neque secundùm rem, neque secundùm rationem, vt etiam docet D. Th. quæst. 3. ar. 5. & ratio est, quoniam Deus secundùm quod Deus est, est ipsũ esse per essentiam, vnde si aliquid esset prius Deo, esset prius ipso esse per essentiam: hoc autem impossibile est, quoniam quod est tale per essentiam, est omnium primum, non enim supponit aliud, à quo sit; neque supponit aliquid, in quo fundetur, quoniam quamuis ab ipso non causaretur, adhuc tamen saltem secundùm rationem ab ipso dependeret: dependentia autem ab alio etiam secundùm rationem repugnat enti per essentiam, quia cùm sit tale per essentiã, a se tantùm habet, quòd sit tale. Et sicuti, cum causa prima sit talis per essentiam, non dependet ab alia causa excogitabili, siue realiter, siue secundùm rationem distincta, ita neque ens per essentiam potest ab alia ratione entis dependere siue realiter, siue secundùm rationem distincta, sed erit esse omnium primum. Præterea esse à se, & non esse à se, sed ab alio, sunt contradictoria, quæ immediatè cadunt supra ipsum esse, atq; fundata in intrinseca ratione ipsius, quoniam quod est à se, non per aliquid aliud est à se, quàm per suam propriam rationem essendi sibi intrinsecam: & similiter quod non est à se, sed ab alio, per suam propriam rationem essendi habet, quòd sit ab alio, & ideo non potest dari ratio aliqua essendi, quæ abstrahat ab esse à se, & ab alio: quoniam si in eo, quod est à se, præscindatur ratio essendi, debet etiam præscindi illud esse à se, quoniam ratio essendi seipsa formaliter est à se, & similiter in eo, quoq; quod est ab alio, debet necessariò cum ratione essendi præscindi illud esse ab alio; quoniam ipsamet ratio essendi seipsa formaliter est ab alio. Hinc autem fit, vt neque secundùm rationem possit aliquid esse prius Deo; nam vel quod ponitur prius est à se, vel ab alio. Si à se, est ipsemet Deus, quoniam præter Deum nihil aliud est à se, & consequenter non erit prius Deo: si autem est ab alio, iam est posterius Deo, cùm sit quid participatum. Hinc cum Deus sit intelligibilis, sequitur, quòd sit primum intelligibile, non autem ipsum ens, quoniam ens, non est prius Deo.

Nihil est prius Deo, etiã secundũ rationẽ.

Non datur ratio essendi præscindens ab esse a se. & ab alio.

IV. Pro solutione huius difficultatis sciendum est. Quòd cum dicitur, ens esse prius, quàm bonum prioritate rationis, atque adeo cum sit primum intelligibile, esse radicem, à qua prouenit bonitas tanquam passio, non debet intelligi de prioritate sola, quò ad nos, quatenus scilicet stante nostro modo intelligendi, id, quod primò intelligatur, sit præcisa ratio entis, non autem sit prius quò ad se, seu prioritate obiecti, quia hoc fortasse falsum esset, nam pro hoc statu non potest aliquid esse primum intelligibile quò ad nos, nisi dicat proportionatam rationem motiuam nostri intellectus; ratio autem motiua pro hoc statu non est præcisa ratio entis, sed ipsa sensibilis materialitas, vnde experimur intellectum non posse moueri, nisi à rebus sensibilibus, aut ab ijs, quæ ad modum sensibilium concipiuntur. Sed debet intelligi de prioritate rationis, quæ sequatur ex ipsa ratione entis, quia si ratio entis debet esse radix, & bonitas prouenire ab ipsa vt passio, debet interuenire prioritas, & posterioritas fundata in natura entis, & bonitatis.

Qua prioritate debeat ens esse prius bonitate, vt hæc sit passio ipsius.

V. Præterea, vt argumentatio recte procedat, cum dicitur; Ens est primum intelligibile, ergo bonitas est posterior, & passio ipsius, sufficit, vt procedat respectu illius intellectus, qui distinguit inter ens, & bonitatem, & eam constituit pro passione entis; Cum enim ens, & bonum non habeant aliquam distinctionem, nisi rationis, quia prioritas, & posterioritas non stat sine distinctione, non potest interuenire prioritas, & posterioritas, nisi rationis. Ex quo fit, quòd solùm respectu intellectus ponentis distinctionem rationis possit interuenire prioritas, & posterioritas, & alterum se habere vt radix, alterum vt passio. Vnde, vt ratio D. Th. procedat, sufficit, si ens sit primum intelligibile respectu intellectus formantis distinctionem rationis.

Respectu cuius intellectus ens & bonũ seruent prioritatem, & posterioritatem.

VI. Vt autem percipiatur, quomodo ens sit primum intelligibile, recolenda sunt, quæ diximus in priori tomo. Nimirum ens reperiri secundùm

suum

suum proprium conceptum solùm in rebus creatis, non autem in Deo, vt pote, quia Deus non est ens, sed ipsum esse per essentiam; ens enim dicit id, quod habet essentiam, seu participant essentiam, & ideo est quid participatum. Ratio autem essendi in Deo est ipsum esse per essentiam, atque adeo imbibit infinitatem, & esse à se, ita vt non possit præscindi ratio essendi, nisi præscindatur etiam illud esse à se, quoniam ratio essendi, qua Deus est, per idem omnino formaliter constituitur in ratione essendi, per quòd constitui tur in eo, quòd sit à se, quoniam eo ipso quod est, vel est à se, vel ab alio; & in Deo nulla ratio excogitari potest, quæ non concurrat ad constitutionem ipsius, & quam non habeat independenter à quocunque. Ex hoc autem fit, quòd in Deo nō sit ratio entis, sed quid supereminentius. Hoc tamen non obstat, quin possimus in Deo distinguere rationem essendi, & rationem bonitatis, vt etiam in rebus creatis. Hac autem distinctione posita ratio essendi in Deo, quam, vt nostro captui accomodemus, ad modum entis concipimus, proportionalitate quadam seruata eodem pacto se habebit ad rationem bonitatis, seu superbonitatis, quæ est in Deo, quo se habebit ratio entis, quę est in creatis respectu bonitatis eorumdem. Quia quamuis res creatæ infinito modo distent à Deo, adhuc tamen rationes finitæ seruant inter se eamdem proportionem, quàm seruant infinitæ, quia ex regulis proportionū sicut se habet maius ad maius, ita se habet etiam infinitum ad infinitum. Quare si ens in creatis est prius bonitate, in Deo quoque ratio essendi erit prior eiusdem bonitate; vnde quamuis ens in creatis non sit prius Deo, est tamen primum intelligibile eorum, quæ sunt in ipsis, & sic ens in creatis erit radix bonitatis in creatis, & bonitas attributum. Hinc ergo constat, rationem D. Th. rectè procedere, cum arguit. Bonū esse posterius ente, quia ens est primum intelligibile.

Quomodo Deus non sit propriè ens sed quid nobilius.

Quomodo ens sit primum intelligibile.

VII. Atque hinc colligitur, rectè quoque procedere solutionem Caiet. quam secundo loco adhibet in codem art. quamuis improbetur à Vasquez in Dub circa eumdem art. Inquit enim, quòd D. Th. quando dicit, ens esse primum intelligibile, intelligit de intelligibilibus, quæ sunt talia respectu nostri, non autem de primo intelligibili simpliciter. Deus enim est prius ente, & est primum intelligibile simpliciter; non est tamen intelligibile respectu nostri, quia à nobis non potest intelligi. Et in hoc Caiet. rectè procedit, quia verum est, Deum non esse intelligibilem à nobis; nam licet aliquos conceptus de ipso formemus, illos tñ nō formamus tanquam repræsentantes Deum, prout in se est, sed tantū arguitiuè ex creaturis colligimus, aliquas perfectiones esse in Deo, quas cū nō possimus attingere, prout in se sunt, eas vestimus conceptibus illis, quibus repræsentantur perfectiones creaturarum, & iisdem nominibus nominamus. Vnde tunc quoque ratio entis est primum intelligibile respectu nostri, quia applicatur ad repræsentandam rationem essendi in Deo, quæ est primum intelligibile in ipso. Vt autem rectè procedat ratio D. Th. sufficit, si ens sit primum intelligibile ex iis, quæ à nobis intelliguntur, nam tunc saluatur, quod sit radix bonitatis. Quia est sufficiens motiuum, quòd videamus ex iis omnibus, quæ nos intelligimus, ens esse primum intelligibile, vt colligatur ex natura sua esse prius bonitate. Et ideo addit etiam Caiet. Quòd cum dicitur, ens esse primum intelligibile quò ad nos, ly *Quo ad nos* non determinat ordinem, quasi importet ordinem contradistinctum ab ordine, quem dicunt intelligibilia ex natura sua, sed ly *Primum* importat ordinem, quem seruant intelligibilia ex natura sua; & ly *Quo ad nos* determinat ad intelligibilia, ita vt coarctet ipsa, quæ intellectui nostro proportionata sunt.

Quomodo Deus a nobis intelligibilis.

Ens quomodo primum intelligibile respectu nostri.

Solutio Caiet. rectè procedit, aliquę.

VIII. Similiter etiam verum est, quod habet idem Caiet. in priori responsione eiusdem difficultatis, dum inquit, quando D. Th. asserit, ens esse primum intelligibile, sumere ens, prout dicit puram rationem formalem entis, atque eam comparare cum cæteris rationibus formalibus, prout tales sunt; non autem prout sunt res subsistentes: & hoc pacto ens non comparari ad Deum, qui est necessariò subsistens, cum non possit abstrahere ab existentia. Ens ergo non est

Altera responsio Caietan vera.

Ens primum intelligibile inter puras rationes formales

est primum intelligibile respectu rerum subsistentium, atque adeo nec primum intelligibile simpliciter, sed solùm inter rationes formales. Et sanè rectè procedit, vt enim ostendatur bonitatem esse passionem entis, sufficit, si inter rationes purè formales ens sit primum intelligibile; bonitas enim, considerata vt passio entis, est pura ratio formalis. Verùm cum ens tanquam pura ratio formalis non comparetur ad Deum in ratione prioritatis, sed ad puras rationes formales, consequenter sumi debet, prout est in creaturis, & iuxtà nostra principia est sola ratio entis propriè dicti, & comparati ad cœteras rationes formales, quæ sunt in ijsdem creaturis, non autem ad perfectiones Dei, quia, prout in se sunt, sunt ipsemet Deus, & quid subsistens. Quando autem fit comparatio ad rationes formales, quas in Deo distinguimus, non erit sumenda ratio entis entis propriè dicta, sed ipsum esse per essentiam.

IX. Verùm adhuc circa rationem D. Th. inquiri posset, vnde habeatur, quòd ens sit primum intelligibile, & esse prius bonitate in intelligibilitate. Respondet autem D. Th. quia est proprium obiectum intellectus.

Cur ens sit primù intelligibile.

Per proprium autem istud obiectum intellectus intelligit obiectum formale, quod vocat proprium, prout contradistinguitur à materiali: obiectum enim formale dicitur proprium, tum quia appropriat obiectum materiale; tum etiam quia ita correspondet potentiæ, vt sit specificatiuum proprium illius. Obiectum autem formale cuiuscunque potentiæ est illud, quod primò attingitur, quia cum sit ratio proportionatiua obiecti, quæcunque attinguntur, ratione ipsius attinguntur, & ideo formaliter correspondet tendentiæ potentiæ. Verùm cum dicitur; Ens esse proprium obiectum intellectus, debet intelligi de præcisa ratione entis, prout solùm secundùm esse explicitum contradistinguitur à bonitate, non verò à veritate, sed prout illam includit, cum enim in suo conceptu adæquato includat omnes passiones, vt sæpè dictum est, quando comparatur ad bonitatem, eas quoque includet bonitate excepta. & hoc necessarium est, vt accipiatur tanquam omnium primum intelligibile: ratio .n. entis præcisè nõ ordinat ens ad intellectum, vt obiectum proportionatum; sed sola veritas; cum enim cognitio consistat in quadam repræsentatione obiecti expressa per intellectum, debet respicere obiectum vt repræsentabile: est autem repræsentabile ratione suæmet veritatis, siquidem sicuti veritas facit, quod appareat, quale esse debet in ordine ad diuinas ideas; Ita in cognitione expressio huius commensurationis per modum imaginis facit, vt appareat cognoscenti, quale est in se ratione suæ veritatis, & ideo cum cognitio respiciat veritatem obiecti tanquam repræsentabilem, ens constituetur in ratione primi intelligibilis ratione eiusdem veritatis. Et hoc quod spectat ad rationem D. Th.

Ens intelligibile ratione veritatis

Alia ratio.

X. Posset etiam alia ratione probari, bonitatem esse posteriorem ente, atque eius passionem: Bonitas enim ex vi sui conceptus importat aliquid connotatiuum, connotat enim id, cuius est bonitas; non enim possumus intelligere bonitatem, nisi simul etiam intelligamus, esse alicuius bonitatem: vnde etiam bonitas ex vi suæmet rationis formalis importat aliquid qualificatiuum, atque consequenter adhærens alteri. Vnde interrogationi factæ per quale, vt si dicatur, *Qualis est res ista*, optimè responderi potest, *Est bona*, explicando bonitatem, qua tanquam ratione formali qualificatiua qualificatur. Ens autem præcisè acceptum neque est quid connotatiuum; quid enim, quæso, connotat ens, cum dicat id præcisè, quod habet esse? sed est quid in se omnino absolutum à quocunque extrinseco, quod non sit Deus, à quo solùm dependet tanquam ab ente per essentiam. Rursus neque importat rationem qualificatiuam, si enim importaret, necesse esset, vt respectu alicuius esset qualificatiua; inquiro ergo, quidnam sit illud, quod reciperet qualificationem, an sit quid reale, an non? Si quid reale, esset consequenter ens, & ẽs qualificaretur per ens; si autẽ non est quid reale, quomodo fieri potest, quòd recipiat qualificationem realem? atque hoc ipsum patet ex vi conceptus eiusdem entis: dum enim concipimus ens, concipimus aliquid omnino per se stans, nec vllo pacto ap-

Bonitas est quid connotatiuum, & qualificatiuum, non autem ens.

tum, vt alteri adiaceat. Cum ergo ens neque sit ratio connotatiua, neque qualificatiua; econtra verò bonitas sit quid connotatiuum, & qualificatiuum, & ens possit per ipsam qualificari, & constitui bonum, & econtra ipsa non possit qualificari, concludendum est, ens esse prius bonitate, & consequenter bonitatem esse passionem entis.

Confir. XI. Quod amplius confirmari potest. Quoniam ens importat primam, & vniuersalissimam rationem essendi, determinabilem tamen per alias rationes, ita vt per additionem quamdam ad ipsum, siue propriam, siue impropriam, habeatur quidquid reale est, & cum sit prima ratio essendi, & fundamentum totius realitatis, non potest ante ipsum excogitari aliqua ratio, quæ sit realis, quia non posset esse realis realitate ipsius entis, alioquin non esset prior ente; nec per realitatem distinctam, quoniam extra ens vt sic nulla realitas reperitur præter Deum, qui tamē est realis per suam propriam rationem essendi. Vnde necesse est, vt quicquid reale est, sit tale realitate ipsius entis, & in ipso fundatam: & propterea quicquid reale est, debet esse posterius ente tanquam eo, a quo in realitate sua dependet. Cum ergo bonitas sit quid reale, vt per se patet, necessariò erit posterior ente. Hinc est, quòd intellectus in concipiendo à conceptu entis transit ad conceptum explicitum bonitatis, tanquam ad aliquid, quo ens magis perficiatur, & magis secundùm esse explicitum determinetur; non autem potest transire à conceptu explicito bonitatis ad conceptum explicitum entis, quasi bonitas per ipsum perficiatur.

(Non datur aliquid reale prius ente.)

Diluitur obiectio D. Diony. XII. Neque huic doctrinæ obstat, quod tradit D. Dionys. cap. 3. de Diuinis Nominib. paulo post initium, dum asserit, primum nomen, quod Deo tribuimus, esse nomen *Boni*. Videtur enim, hinc posse inferri, quòd bonitas sit prima ratio in Deo, quia nomina seruant ordinem rerum, & ideo cum Bonitas sit primum nomen, à posteriori videtur inferri, quòd bonitas sit prima ratio, & consequenter etiam in creatis. Verùm non hoc inferri potest, quoniam D. Dionys. loquitur de nominibus, quæ Deo tribuimus in ratione causæ, quatenus ex effectibus aliquid de ipso cognoscimus; quia autem stante causatione rerum, quæ à Deo causantur, quòd primò de Deo cognoscimus ex vi huiusmodi causationis est ipsius bonitas, nam quia bonus est, communicat esse creaturis, ita vt à sua bonitate moueatur: ideo nomen boni est primum, quod Deo tribuimus ex eo, quod est prima causa rerum, quia respicit primam rationem, quæ se habet in ordine ad hanc causationem.

(Quomodo nomē boni sit primum, quod tribuitur Deo.)

Bonitatem adæquari cum ente.

SECTIO II.

I. Constituta prioritate, & posterioritate inter ens, & bonitatem, alterum caput difficultatis examinandum est, an bonitas sit adæquata cum ente, vt enim sit passio, debet cum ipso adæquari, & conuertibiliter dici, ita vt omne ens sit bonum, & econtrà omne bonum sit ens. Rationes dubitandi. Ratio autem dubitandi est, quoniam bonitas videtur latius patere, quàm ens; extenditur enim ad negationes, & priuationes, seu non ens, & multoties solent appeti negationes ipsæ; vnde Matth. 26. habetur *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*; nec dici potest, quòd sit tale bonum, quod se extendat ad nos ens, nam si se extendit tale bonum, se extendet etiam bonum transcendentale, quia tale bonum non est sine bono transcendentali. Matth. Ex altera autem parte bonitas videtur minus vniuersalis, quàm ens. Dantur enim aliqua entia, quæ sunt bona, & quædam, quæ non sunt bona, vnde ens solet diuidi in bonum, & malum, & proinde cum membra diuidentia debeant patere minus, quàm diuisum, non potest bonum esse æquè vniuersale, ac ens. Præterea res mathematicæ, vt docet Aris. 3. Metaph. tex. 3. non habent aliquam bonitatem, & tamen sunt entia, inquit enim *Quo namque modo possibile est, motus principium in immobilibus esse, aut boni naturam*. Per immobilia autem intelligit mathematica, quæ cum abstrahant à materia, non possunt esse capacia motus. Tertiò; quoniam materia prima verè est ens quoddam, quod satis ex eo

patet,

patet, quòd exercet rationem primi subiecti substentatiui, & tamen non est bona; quam enim bonitatem habet, cum careat omni actu, & forma? bonitas enim importat aliquam perfectionem, omnis autem perfectio dicit aliquem actum. Quartò relationes prædicamentales verè sunt entia, cum constituant speciale prædicamentum reale & tamen sicuti nullam dicunt perfectionem, ita nullam etiam dicunt bonitatem. Denique vt docet D. Augus. De natura Boni cap. 3. & 4. Bonum consistit in modo, specie, & ordine, cum antem multa careant modo, & ordine sibi debito, iam carent bonitate.

D. Aug.

Cõclusio

Bonitas conuertitur cũ ente.

II. Nihilominus absolutè concludendum est. Omne ens esse bonum, atque econtra omne bonum esse ens, ita vt bonitas omnino adæquatur, & ad conuertentiam dicatur cum ente; sumendo ens in sua propria significatione, prout in creatis reperitur, Deus enim non est propriè bonus, sed ipsa bonitas per essentiam, & in abstracto, ita vt in ipso non sit concretio quædam ex bonitate, & ex eo, quod est bonum, Nomine autem bonitatis per essentiam intelligimus quamdam supereminentialem rationem, qua Deus dicitur bonus, & est causa bonitatis in creatis. Atque hanc cõclusionem tradit D. Th. 1. par. quæst. 5. art. 3. & quæst. 21. de Verit. art. 2. cum vnanimi consensu Theologorum, & Philosophorum. Atque si Fidem Catholicam respiciamus certissima est, vt pote definita contra Manichæos, & Priscillianistas, qui existimabant, dari res aliquas natura sua malas, & nullo modo bonas, nempe Demones, & si non omnes, saltem quasdam res corporales. Qui error damnatus fuit in Concil. Lateranensi sub Innoceutio III. vt habetur in Cap. *Firmiter* &c. De summa Trinit. *Vnum vniuersorum principium, creator omnium visibilium, & inuisibilium spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem; angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam. Diabolus enim & alij dæmones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero Diaboli suggestione peccauit.* Vbi vides, quòd nullam aliam malitiam agnoscit, quàm moralem, quæ sit extra naturam eorum, in quibus reperitur, & ipsorum propria culpa adscita. Errorem autem Manichæorum etiam D. Augus. latè confutat pluribus libris, qui habentur in tom. 6. suorum operum, sed præsertim in Tract. de Natura Boni contra Manichæos, & alibi etiam docet, omne ens esse bonum. Nam in libro 83. Quæstionum. quæst. 24. ait. *Omne, quod est, in quantum est, bonum est.* & lib. 3. de Libero arbitr. *Quicquid est, sicut esse debet, bonum est.* Et lib. 1. de Doctrina Chris. cap. 32. *Cætera, quæ sunt, nisi à Deo esse non possunt; & in tantum bona sunt, in quantum acceperunt, vt sint.* Vnde cum secundùm rationem entis acceperint, vt sint, oportet, vt etiam secundùm rationem entis bona sint. Atque ex scriptura quoque pluribus in locis clarissimè desumitur. Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Quicquid autem est factum, est à Deo, vt pote quia est ens participatum; & ad Timot. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Ecclesias. 3. *Cuncta fecit bona in tempore suo.* Cum autem, quicquid non est ens per essentiam, sit ens participatum, quia habet esse, & non à se; & præter Deum nullum aliud sit ens per essentiam, sequitur, totam latitudinem entis esse à Deo, atque adeo ens in tota sua latitudine esse bonum bonitate sibi adæquata, & quæ ad conuertentiam dicatur. Desumitur etiam ex Aris. 1. Eth. cap. 6. vbi docet Bonum diuidi per omnes Cathegorias, sicuti ens. Eius verba sunt. *Cum bonum totidem modis dicatur, quot illud, quòd est (nam & in substantia dicitur, vt Deus, & mens; & in qualitate, virtus; & in quantitate, mediocre; & in eo, quòd est ad aliquid, vtile; & in tempore occasio; & in vbi, diuersatio, & alia huiusmodi) perspicuum est, commune aliquod vniuersale, atque vnum esse non posse.*

D. Th.

Concil. Lateranens.

D. Aug.

Gen. 1.

Timot.

Ecclesias.

Aris.

III. Ratione autem probari etiam potest; & primò quidem demonstratione illa, qua bonitas tanquam passio ostenditur de ipso ente, quæ talis est. Quod habet in se essentiam, habet in se id, quo perficitur in suo esse, & quod habet id in se, quo perficitur in suo esse, habet in se id, quo

1. ratio

bonum est in seipso; sed ens est habēs in se essētiam, ergo ens est bonum in se; & hoc verum est nedum de ente communissimè sumpto, sed etiam de quolibet alio ente speciali. Vt autē vis huius demōstrationis percipiatur: termini præmissarū declarandi sunt; non enim præmissæ probari possunt, cum non habeāt causam, sed sint per se notæ, & vniuersalissimæ. Quod autem spectat ad maiorē Cum dicitur; Id, quod habet in se essentiam, habere etiam id, quo in suo esse perficiatur, per ly *Habere essentiā* intelligitur habere in se aliquam realitatē, siue quidditatem, qua vel in esse vt sic præcisè, vel in tali esse, & natura constituatur tanquam per formale constitutiuū, ita vt ex vi ipsius possimus dicere; haberi ens, vel tale ens. Hinc autem fit, vt quod habet essentiam, habeat in se id, quo perficiatur in suo esse, nam perfici in suo esse non est aliud, quàm constitui in suo esse, & habere aliquid, ratione cuius dicatur possidere tale esse, quo debito modo sit, & habeat perfectionem congruentem. Ex hoc autem, quòd habet id, quo perficitur in suo esse, sequitur, quòd sit bonum in seipso, nam esse bonum in se ipso nihil aliud dicit, nisi habere aliquam perfectionem, propter quam reddatur amabile, & ratione cuius conuenienti modo quò ad suum esse se habeat. Quod autem spectat ad minorem clara est, præsertim ex ijs, quæ diximus in priori tomo explicantes conceptū entis; si enim volumus explicare, quid dicat ens, cum non possimus illud definire, vtimur explicatione conceptus ipsius, quòd nimirum ens ex vi sui conceptus non aliud importet, quàm id, quod habet essentiam.

Demonstratio, qua bonitas ostenditur de ente.

2. ratio

IV. Secūdò etiam possumus argumentari, ex proportione, quæ seruanda est inter rationes superiores, & inferiores, quæ frequenter nobis suppeditat rationes pro nostris conclusionibus. Sumatur ergo aliquod bonū determinati generis, de quo certum sit, participare rationē boni, aut ex eo, quòd exerceat rationē causę finalis, aut ex alio quo alio capite: tunc talis bonitas fundatur in tali ratione entis & cōsequitur ex intrinsecis principijs ipsius; vt bonitas causę finalis nō aliunde prouenit, quā ab eiusdē esse. Si ergo ex tali ēte cōsequitur talis bonitas determinata, iam ab intrinsecis principijs entis vt sic cōsequetur bonitas vt sic, quia idem proportionaliter debet sequi ex ente, quod sequitur ex tali ente, vt patet in vnitate, & veritate. Ratio enim est, quia tam ens vt sic, quàm tale ens sunt in genere entis, & idem proportionaliter dicunt, atq; se habent vt contrahibile, & contractiuū, vnde oportet, quòd idem etiam proportionaliter originēt, quod sit in genere bonitatis, cū autem tale ens sit origo talis bonitatis, quæ determinat bonitatē vt sic, necesse est, vt ens vt sic originet bonitē vt sic.

Talis bonitas fundatur in tali ente.

3 ratio

V. Tertiò. Quāuis bonitas non dicat de suo formali perfectionē, vt infra dicturi sumus, non est tamen sine perfectione, ita vt vbicūq; est bonitas, sit etiā aliqua perfectio, quoniā neque intelligi potest bonitas, nisi simul intelligatur perfectio, quia hoc ipso, quòd aliquid bonū est, habet aliquā perfectionē: rursus neq; potest dari perfectio aliqua, quę nō sit cū sua bonitate, vnde quò maior est perfectio, eo maior etiā est bonitas rei, nā hoc ipsū est bonū, quòd res sit perfecta. Hinc autē colligitur, bonitatē adæquari cū ente & cū ipso cōuertibiliter dici; nā statī ac habetur aliqua ratio ētis, habetur etiā aliqua perfectio, & sicuti ratio talis entis importat aliquā perfectionē determinatā, ita ens vt sic importat perfectionē vt sic, seu fūdamētū totius perfectionis, sicut etiam importat fundamētū totius realitatis. Rursus vbi nō est ratio entis, neq; etiā esse potest aliqua ratio perfectionis, si quidē extra ens adest solū merū nihil; quamobrē perfectio, & ens cōuertibiliter se habet, ita vt posito vno, ponatur, & alterū, atq; econtra. Hinc autē fit, vt etiā ens, & bonitas dicantur conuertibiliter ex illo nimirum principio, quòd *Quæ sūt eadē vni tertio, sūt etiā eadē inter se*. Cū enim ens, & bonitas cōnertibiliter dicantur cum perfectione, dicētur etiā conuertibiliter inter se, nam posito ente ponitur perfectio, & posita perfectione ponitur bonitas, atque econtra; Et rursus sublato ente tollitur perfectio, & sublata perfectione tollitur bonitas, atque econtra. Atque hinc etiam elicitur confir. Quoniam eo ipso, quòd aliquid est bonum in se, est etiam aliquid reale in se, & per consequens est etiam ens; neque enim cōcipi

Ens, perfectio, & bonitas conuertibiliter dicuntur.

potest aliquid bonum, nisi etiam simul concipiatur aliquid reale. Similiter etiam eo ipso, quòd aliquid est ens, est etiam bonũ in se, est enim aliquid; melius autem est esse aliquid, quàm nihil, & ideò statim ac aliquid est ens, habet in se aliquam rationem bonitatis, qua melius sit, quàm ipsum nihil. Deinde statim, ac aliquid est ens, est etiam aliquid participatum, (Deus enim non est ens, vt toties diximus, sed supra ens,) atque adeo est aliquid proueniens à bonitate diuina, quæ est ratio, cur ipsi communicet esse; vnde cum bonitas diuina sit causa bonitatis, neque enim mouere potest Deum ad faciendum malum; oportet etiam, vt sit aliquid bonum secũdũ se, atque adeo bonitas non minus patebit, quàm ens.

4 ratio VI. Hinc autem deducitur quarta ratio principalis, quæ quidē licet Theologica sit, rē tamen euidentissimè probat. Vt autem efficacia ipsius percipiatur, scire oportet, quòd voluntas nõ potest ferri actu prosecutionis, nisi in bonum, nam talis actus specificatur ab ipsa ratione boni, quia dicit inclinationem voluntatis in obiectum, tanquam in attractiuum voluntatis; solum autem bonum potest attrahere, quod euidens est experientia ipsa, & ex eo conuincitur, quia si semel voluntas attrahitur à bono, vt certũ est, debet semper ab ipso solo attrahi, quia iam bonũ dicit rationem formalem attractiuã voluntatis, & ideo deficiente bono, deficit ratio attractiua; nec potest volũtas per oppositũ boni, nēpe malũ, attrahi, vnde si bonum ex eo, quòd bonum est, attrahit voluntatem, malum ex eo, quod malum est, effectum oppositum præstabit, quia opposito modo se habet ad bonum, nimirum faciet, vt voluntas auertatur ab ipso. Et valet in hoc illud axioma quòd *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis*. Vnde si positio boni est causa, cur ponatur attractiuum volũtatis; ablatio boni erit causa cur tollatur; malum autem importat ablationem boni. Et quamuis voluntas possit ferri in malum, vt præcipuè cõtingit circa moralia, non tamen fertur in malum sub ratione mali, quasi ab ipso attrahatur, sed fertur in illud, vel quia proponitur sub ratione boni, vel fertur indirectè in ipsũ, quatenus fertur in aliquod bonũ, quod habet malũ annexũ, vt contingit, quando in moralibus peccat. Volũtas verò diuina nullo modo potest ferri in malum, non enim ei proponitur sub ratione boni, quia Deus habet perfectissimam cognitionem rerum omnium; neque quia directè feratur in bonum, quod habeat annexum malum, quia cum rectissima sit, optimo modo procedit. Cæterum cum quodlibet ens etiam secundùm rationem vniuersalissimã entis sit quid participatũ, & consequenter proueniens à Deo, & Deus sit agens per intellectũ, & voluntatem, ita vt per intellectum regulet operationes, & per voluntatem easdem velit, sequitur, quòd omne ens etiam secundum rationem vniuersalissimã entis sit obiectus diuini intellectus, atq; diuinæ voluntatis, ita vt ipsam attrahat, nã Deus nõ auertitur à suis effectibus, sed dum ponit in actu, ab ipsis attrahitur, quod significatur per illa verba Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*. Oportet ergo, vt omne ens etiam secũdùm rationē vniuersalissimã entis importet aliquam rationem bonitatis, ratione cuius possit esse obiectũ diuinæ complacentiæ. Aliæ confirmationes videri possunt apud D. Th. 3. contra Gent. cap. 7. quas nõ oportet hic referre, quoniam, quæ diximus, sufficiētissimè conuincunt conclusionē nostrã.

Volũtas prosequi tur solũ bonum.

Volũtas diuina nullo modo vult malum.

Omne ens obiectũ diuinæ complacentiæ.

Satisfit rationibus dubitandi.

SECTIO III.

Ad 1. I. Rationes dubitandi facilè soluemus, si ad ea, quæ huc usque dicta sunt, attendamus. Cum ergo in prima dicitur, quòd bonitas extēditur etiã ad non ens, hoc absolutè negandũ est; cũ enim non ens sit merũ nihil, quam bonitatem potest habere? Cum autem negationes, & priuationes dicuntur appeti, non appetuntur, quatenus sunt non ens, quia sic non habēt aliquod, quo attrahant voluntatem, sed quatenus proponuntur voluntati sub ratione boni: multoties enim contingit, quòd carentia alicuius rei apprehēdatur sub ratione boni, atque hoc pacto allicitur voluntas à bono, quod tanquam in negationibus existens apprehenditur, cum autē apprehendũtur negationes sub ratione boni, apprehēdũ-

Quomodo non entia appetantur.

tur

tur etiam sub ratione entis; & hoc pacto appetit aliquis priuationem vitæ, quia existimat mortem bonam, & tanquam præferêdam vitæ; vel ratione boni subsequentis; vel quia sit finis malorum præsentium: sic etiam appetit aliquis non accepisse esse, quia apprehendit habere esse tanquam malum eo, quòd sit occasio mali alicuius, ita vt facta comparatione inter non esse, & esse cum malo annexo, apparet magis expetendum ipsum non esse, quàm esse cum tanto malo. Et hoc modo intelligitur illud Matth. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* hoc enim prolatum fuit de Iuda, cuius tantùm malum fuit, vt hoc malum simul cum esse ipsius comparatum ad eiusdem non esse, magis expetendum videretur, vtpote quia non esse Iudæ erat minus abhorribile, quàm malum ipsius. Verùm hic aduertere oportet, quòd licet magis abhorribile sit aliquod malum, quod est annexum cum esse alicuius, vt est malum culpæ, quàm non esse tale, & proinde ratione minoris abominabilitatis possit præferri non esse tali malo: nunquam tamen non esse præferri potest ipsi esse, nisi voluntas inordinatè se habeat, quia semper melius est ipsum esse, quàm non esse, siquidem non esse nullam habet rationem bonitatis, cum nihil sit, & quod apprehendatur sub ratione boni, prouenit ex deceptione, & ideo voluntas inordinatè se habet sequens talem deceptionem.

Non esse nunquã potest præferri ipsi esse.

Ad 2.

II. Ad secundam iam patet ex dictis, quòd nullum datur ens, quod bonum non sit, quia eo ipso, quòd est ens, est habens id, quo in suo esse perficitur, atque adeo bonum. Et cum dicitur, quòd ens diuiditur in bonum, & malum, adhuc ipsum ens malum est bonum: non enim est malum simpliciter, sed secundùm quid ex eo, quòd habet annexam malitiam aliquam. Huiusmodi autem malitia consistit in priuatione alicuius formæ ipsi debitæ: vnde in actibus moralibus malis malitia consistit in priuatione debitæ rectitudinis. Hinc autem fit, vt ens malum sit tale solùm ratione negatiui, non ratione positiui, secundùm quod est absolutè bonum, & solùm secundùm negatiuum præcisè est malum; atque adeo non datur ens, quod non sit bonum, quatenus est ens. Hinc Theologi docent, Deum concurrere ad entitatem actus peccaminosi, quia licet non possit concurrere ad malum, non sequitur, quòd concurrat, si quidem concurrit ad solum bonum, quia tota illa entitas bona est, vt est quid reale positiuum.

Ens malum quo modo malum.

III. Quod autem spectat ad tertiã rationem dubitandi solent variæ respõsiones adhiberi. Aliqui enim, vt Zimara, aiunt, Arist. non esse locutum assertiuè, sed solùm per modum dubitandi, vt ferè in toto illo libro facit. Sed nimis vulgare effugium, & valdè friuolum, quotiescunque vrget Auctoritas Arist. Vasquez. Igitur 1. par. quæst. 5. circa explicationem art. 3. distinguit duplicem bonitatem, aliam, quę importat perfectionem, & integritatem rei; aliam, quæ importat conuenientiam respectu alterius; asserit ergo, Arist. cum negat bonitatem rebus mathematicis, non intelligere de bonitate priori modo, nã reuera res mathematicæ habent in se suam integritatem, & perfectionem, sed de bonitate posteriori modo; quia cum abstrahant à materia, non possunt alteri esse conuenientes. Verùm quamuis fortasse hæc responsio reduci possit ad bonum sensum, absolutè tamen non satisfacit. Nam quamuis res istæ mathematicæ abstrahant à materia, possunt tamen esse in ipsa, vnde dicunt ordinem ad illam, atque respectu ipsius se habent veluti cõplementũ; vnde non solùm dicunt bonitatẽ perfectionis, qua sint bonę in se, sed etiã bonitatẽ cõuenientiæ, qua sint bonæ alteri. Præterea quod est bonũ in se, potest esse obiectũ attractiuũ voluntatis, & est quid amabile, si ergo res mathematicæ habent bonitatem perfectionis, qua sunt bonæ in se, necesse est, vt etiam habeant bonitatem conuenientiæ, qua sint bonæ respectu alterius, nempe appetitus.

Ad 3.

Respõsio Vasquez.

Res mathematicæ bonæ tum in se non respectu alterius.

IV. Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quæst. 7. sect. 6 respondet. Res mathematicas, vt abstractas à materia, nõ esse vere bonas, nec verè entia, quoniã non possũt esse à parte rei secundũ virtutẽ causarum naturalium. Verùm neque hæc responsio subsistere potest, & si vera esset, conuinceretur ex hoc, bonitatẽ nõ adæquari cũ ente, si quidẽ daretur ali-

Respõsio Fonsecæ

aliquod ens, quod saltem in aliqua abstractione non esset bonum; vnde minus pateret bonum, quàm ens; quod autem ait, non esse vera entia, hoc falsum est, quia quamuis non sint vera entia physica, sunt tamen vera entia in abstracto accepta, & in ipsis saluatur cum omni proprietate ratio entis vt sic; vnde si bonitas vt sic propriè dicta est passio entis vt sic, debet etiam reperiri in rebus mathematicis, sicuti reperitur etiam ratio entis.

Res mathematicæ sunt propriè entia.

Responsio Auersæ.

V. Tertia responsio est Auersæ in sua Philosoph. quæst. 7. sect. 1. in responsione ad 2. difficultatem, qui concedit, verè in rebus mathematicis esse bonitatem: quia tamen non considerantur à scientijs mathematicis, quatenus bonæ sunt, ideo dici, non esse bonas, idest non considerari, vt bonas, quia solùm considerantur vt talia entia, ratio autem entis est prior bonitate. Hæc tamen responsio non est ad mentem Arist. qui non docet Mathematicas scientias non considerare res mathematicas, vt bonas, sed absolutè docet, non esse bonas. Et eodem pacto excludit bonitatem à rebus Mathematicis, quo excludit principium motus; excludit autem principium motus absolutè, & tanquam impossibile; ait enim. *Quo namque modo possibile est, motus principium in immobilibus esse, aut boni naturam?*

Reijcitur

D.Th. responsio.

VI. D. Th. 1. par. quæst. 5. art. 3. in resp. ad 4. & quæst. 21. de Verit. art 2. ad 4. respondet. Res mathematicas de se quidem habere suam bonitatem, abstrahere tamen ab hac bonitate, & ideo prout sic abstrahunt, non esse bonas, sicut neque animal est rationale, quando abstrahit à rationalitate: hoc autem contingere potest, quoniam ens est prius bonitate, & prius potest abstrahere à posteriori. Quã responsionem amplectitur etiam Suarez in Metaph. disp. 10. sect. 3. num. 19. & Caiet. citato loco 1. par. eam declarat fusè. Verùm objici posset, quòd bonitas est de adæquato conceptu entis, ita vt quamuis explicitè non concipiatur secundùm præcisam rationem entis, necessariò tamen concipiatur implicitè, & propterea quamuis præcisiuè secundùm esse explicitum possit concipi ens sine bonitate, non tamen negatiuè, ita vt possit dici in ente non adesse bonitatem; Arist. autem nedum dicit, non adesse bonitatem in rebus mathematicis, sed etiam impossibile esse, vt adsit; vnde negatiuè eam excludit, atque ex eo, quòd abstrahunt à motu, & materia, & tamen quamuis abstrahant à motu, & materia, adhuc bonæ sunt, quia sunt entia. Vnde magis declaranda est huiusmodi responsio.

Suarez. Caiet.

VI. Pro declaratione autem sciendum est; quòd bonitas exercere potest rationem causæ finalis mouendo appetitum ad sui amorem. Verùm nõ quodlibet bonum præcisè consideratum exercere potest rationem causæ finalis, sed illud tantùm, quod est bonum integrum, & completum: per bonum autem integrum, & cõpletũ intelligo illud, quod est se solo producibile, ita vt habeat tale esse, quod possit in rerũ natura subsistere. Ratio autẽ est, quia bonũ, quod exercet rationẽ causæ finalis, ita mouet agens ad sui amorem, vt simul etiam moueat ad suimet assecutionem, agens enim motũ à fine desiderat assequi illum finem; vnde oportet, vt id, quod exercet rationẽ causæ finalis, sit quoddam bonũ acquisibile: non potest autẽ esse acquisibile, nisi sit bonũ, quod possit se solo produci; dũ enim aliquod bonum acquiritur, ponitur in rerum natura. Hinc fit, vt puræ formalitates nõ possint exercere rationẽ causæ finalis, quia non possunt sic præcisè acceptæ subsistere in rerum natura; quis enim desiderat, vt assequatur rationem qualitatis vt sic, aut rationem pulchritudinis vt sic? cum enim impossibile sit, talia bona præcisè considerata acquiri, nec etiam mouent ad sui desiderium. Ex hoc autem sequitur, quòd res mathematicæ non possint exercere rationẽ causæ finalis, quia licet appeti possint ab aliquo, quando sunt immersæ in materia, quando tamen abstrahunt, non possunt appeti tanquam acquisibiles, quia tali pacto nequeunt subsistere in rerũ natura. Vnde quamuis res mathematicæ habeãt suam propriam bonitatem, qua bonæ sunt in seipsis, non tamẽ habẽt bonitatẽ, qua possint exercere causalitatẽ finis, & ideo nõ sũt bonę bonitate finalizãte. Et hoc pacto accepit Arist. bonitatẽ, quãdo negauit, res mathematicas esse bonas. Quod patet ex eo, quia negauit, ijs bonita-

Quodnã bonũ possit exercere rationem causæ finalis.

Quomodo res mathematicæ non sint bonæ.

tem ex eo, quòd abstrahunt à materia, atque adeo ex eo, quòd cum non possint subsistere in rerum natura, neque etiam possunt exercere rationem causæ finalis. Intendebat enim probare, Mathematicam non procedere per causam finalem, loquendo tamen de causa finali physica; atque hoc ex eo probat, quòd in mathematicis neque est causa finalis, quæ non est sine motu. Atque huiusmodi explicatio manifesta fiet, si textus diligenter consideretur; in illo enim tex. 3. lib. 3. Metaph. hæc habet.

Aris. il- lustratus. *Quo namque modo possibile est, motus principium in immobilibus esse, aut boni naturam, siquidem omne, quodcunque per se, & propter suam ipsius naturam bonum sit, finis est, & ita causa, quoniam illius gratia cætera, & fiunt, & sunt: finis autem, & cuius causa actiones cuiusdam finis est; actiones verò omnes cum motu. Quare in immobilibus non contingere queat hoc principium esse, non autem esse contingat quicquam per se bonum. Vnde in mathematicis nihil per hanc causam probatur, nec est aliqua demonstratio, quare eius quod melius, aut peius, & omnino alicuius talium nemo mentionem facit.* Ex quibus manifestè habetur, Aris. solùm excludere à rebus mathematicis rationem causæ finalis, & consequenter solùm illud bonum, quòd rationem talis causæ exercet. Quã etiam explicationem insinuat D. Th. in

D. Th. illa respon. ad 4. in citato loco 1. par. dum inquit. *Dicendum, quòd mathematica non subsistunt separata secundùm esse, quia si subsisterent, esset in eis bonum. scilicet ipsum esse ipsorum: sunt autem mathematica separata secundùm rationem tãtùm, prout abstrahunt à motu, & à materia, & sic abstrahuntur à ratione finis, qui habet rationem mouentis.*

Ad quartam. VII. Ad quartam rationem dubitandi respondet D. Th. tum. 1. par. quæst. 5. ar. 3. tum quæst. 21. de Verit.

Respõsio D. Th. ar. 2. ad 3 Quòd materiæ primæ eo pacto conuenit bonitas, quo conuenit esse ens: sicuti autem conuenit tantùm esse ens in potentia, ita etiam conuenit tantùm esse bona in potentia. In 3. autem contra Gentes. cap. 20. asserit, non esse necesse, materiam esse tantùm bonam in potentia, sicuti est tantùm ens in potentia, sed posse dici bonam simpliciter per ordinẽ ad for-

Ferrar. mam. Et Ferrar. ibid. explicat hanc responsionem inquiens, materiam esse simpliciter bonam, non tanquam in se habeat bonitatem, sed tanquam ad bonitatem ordinatam, nempe ad formam, & esse bonam actu, & simpliciter, prout importat ordinem, & inclinationem ad formam, quatenus verò est pura potentia, esse bonam in potentia. Hæc tamen distinctio Ferrar. non potest subsistere, quia inclinatio, siue ordo ad formam est ipsamet potentia materiæ, nam quatenus formaliter pura potentia inclinatur, & ordinatur ad formam. Vnde respondetur, & simul declaratur responsio D. Th. Quòd siue materia prima habeat suum actum entitatiuum, siue non, semper tamen necessariò habet suam propriam quidditatem ab omni alia contradistinctam, qua formaliter constituitur in ratione primi subiecti, & puræ potentiæ substantialis. Et quæ est potentialis quidditas cuiusque essentiæ physicè, non tamen determinata secundùm aliquem actum. Ratione autem huius quidditatis importat etiam propriam rationem entis, si non entitatiui, saltem tamen essentialis, ratione cuius est ens simpliciter, & potest esse radix propriæ bonitatis; quæ in eo consistit, vt etiam adnotauit D. Th. eodem lib. 3. contra Gent. cap. 7. quòd tanquam potentia ordinetur ad actum; rursus quòd in suo esse, & quidditate conuenienti modo se habeat, atque habeat id, quo in sua essentia perficiatur. Cum autem dicitur, quòd bonitas consistit in perfectione, & aliquo actu, id debet intelligi de perfectione, & actu siue completis, siue incompletis. Vnde sicuti materia est omnia in potentia, ita etiam dicit omnium bonitatem potentiali modo, quod nihil aliud est, quàm esse phisicam inchoationem omnis physicę bonitatis. Vnde adhuc proportionaliter ad rationem entis, quam possidet, habet etiam bonitatem.

(Right margin, beside "ad formam. Vnde respondetur": Quomodo materia prima sit bona.)

VIII. Quod autem spectat, ad quintam rationem desumptam ex relationibus prædicamẽtalibus, alibi dicemus, & concludemus, quòd sicuti relatio prædicamentalis non est ens, nisi entitate subiecti, ita neque etiam dicit perfectionem aliquam contradistinctam à perfectione subiecti, & consequenter neque etiam bonitatem; vnde non sequitur, quòd detur aliquod ens, quod non habeat suam propriam bonitatem.

(Right margin: Quomodo relatio sit bona.)

Et

Et similiter de omnibus eodem modo philosophandum est, vt eo pacto sint bona, quo sunt entia; sic quia entia rationis habent rationem entis desumptam ab ente reali, & sunt entia ficta, ita etiam non habent intrinsecam bonitatem, sed desumptam à bonitate entis realis, atque fictam. Similiter etiam possibilia eo modo sunt bona, quo sunt entia; sicuti enim dicunt in esse obiectiuo illud ipsum esse, quod habent, quando existunt, ita etiam dicunt in esse obiectiuo eamdem bonitatem. Vltimam autem rationem dubitandi dissoluemus disp. sequenti, vbi declarabimus, quid sit Bonum consistere in modo, specie, & ordine, & quomodo id in vnoquoque ente saluetur.

Obiectio Aris. IX. Quòd si quis obijciat, bonum claudi in illis tribus membris Honesto, Delectabili, & Vtili, vt docet Arist. 3. Eth. cap. 3. & lib. 8. cap. item 3. constare autē, nullum ex his esse passionem Entis, cum singula minus latè pateant. Sed nec omnia collectiuè, quia hæc triplex bonitas non conuenit singulis entibus, alioquin omnia essent honesta, delectabilia, & vtilia. Nec omnia diuisim, itaut omne ēs participet aliquā ex his bonitatibus. Quia cum ens sit vna simplex ratio, debet habere pro passione vnam simplicem rationem bonitatis. Vnde solùm restat, quòd aliqua ratio communis bonitatis, quæ ab his tribus participetur, sit passio entis. Verùm neque hoc dici potest, quia non potest explicari, quænam sit hæc ratio. Vel enim est propter se appetibilis, & tunc est bonitas honesta, aut delectabilis; aut propter aliud; & tunc est bonitas vtilis; alterum enim ex his inesse necesse est, cum immediatè opponantur intra rationem bonitatis, & fundent contradictionem.

Solutio. Occurrendum enim est, quòd illa tria mēbra adæquant tantùm bonum, quod habet ordinem ad voluntatem, prout subest regulæ rationis, vt inferius explicabimus. Quia tamen potest sumi etiā vt adæquantia totam latitudinem boni, vt ibid. dicemus, ideo Bonitas, quæ est passio entis, est ratio communis præscindens ab illis membris. Ad instantiā autē dicitur, quòd neq; ppter se neq; propter aliud est expetibilis, quia hæc duo membra important determinatas rationes bonitatis; sed ab vtroque præscindit, sicut animal à rationali, & irrationali, licet sint differentiæ immediatè oppositæ intra rationem animalis. Et hoc verùm est, non solùm loquendo de bonitate transcendentali, quæ est tantùm inchoatio quędam bonitatis, sed etiam de completa, quia bonitas in communi nondum est completa, & determinata intra naturam bonitatis, sed est susceptiua differentiarum. Esse autem propter se, vel propter aliud appetibile conuenit tantùm entibus singularibus, quia dicitur cum ordine ad appetitum, qui ex modo suo tendendi fertur tantùm circa singularia, vt potè quia tantùm in ijs quiescere potest.

(Quomodo bonitas, quæ est passio entis, se habeat ad Honestum, Vtile, & delectabile.)

(Appetibile propter se, & propter aliud in quibus bonitate fundetur.)

In quo consistat ratio formalis bonitatis. Disp. LXXIII.

Bonitatem non importare aliquid positiuum superadditum enti.

SECTIO I.

Prima sētentia Bonitatem esse quid superadditum enti absolutum.

I. Vt videamus, in quonam formaliter consistat ratio bonitatis, primò inquirendum est, an de suo formali importet proprietatem aliquam absolutam superadditam enti, ex natura rei ab ipso distinctam. Quod enim importet, docent communiter Scotistæ vt Bassolis, Lichet, Anton. Andreas cum Scoto in 1. dist. 3. quæst. 3. §. *Ad quæstionem igitur &c.* qui id vniuersaliter docēt de omnibus passionibus entis. Potissimum fundamentum est, quoniam bonitas est passio entis, vnde ens se habet tanquam subiectum respectu ipsius; passio autem prædicatur de subiecto in secundo modo dicendi per se, & ponitur subiectum in definitione passionis tanquam additum, hoc est tan-

(Bassol. Lychet. Anton. Andr. Scot.)

quam aliquid extra essentiam ipsius, vt docet Aris. 1. Poster. tex. 6. & 7. Metaph. tex. 4. 17. & 19. Ex hoc autem sequitur, quòd bonitas debeat ex natura rei distingui ab ente, siquidem non se inuicem includunt in essentia. Alia argumenta addunt, sed ea attulimus, & dissoluimus in priori tomo, quando egimus de ente comparato ad inferiora, & ostendimus, prædicari quidditatiuè de suis passionibus.

Opposita sententia. D.Th. Caiet. Bannes Cumel. Capr. Suarez Conclusio.

II. Contrariam sententiam cæteri communiter amplectuntur, & eam tradit D.Th. 1. par. quæst. 5. ar. 1. & quæst. 21. de Verit. ar. 1. & cum eo Thomistæ citato loco 1. par. Caiet. Bannes Cumel. quæst. vnica conclus. 1. Capr. in 2. dist. 34. quæst. 1. Præterea Suarez. in Metaph disp. 10. sect 1. num. 6. & deinceps, atque alij, quos pro sequentibus sententijs citabimus. Vnde cum his dicendum est. Bonitatem de suo formali non importare proprietatem absolutam superadditam enti, ita vt ex natura rei ab ipso distinguatur. Hæc conclusio sequitur nedum ex ijs, quæ diximus in priori tomo, sed etiam ex dictis supra in hoc posteriori tomo disp. 2. sect. 2. vbi ostendimus, ens non habere proprietates cum omni rigore sumptas, quia non sunt extra eius conceptum adæquatum.

Bonitas non est perfectio absoluta superaddita enti.

Prima ratio.

III. Prob. autem; si bonitas ex natura rei distinguitur ab ente, iam ens considerari se solo optimè poterit, vt contradistinctum à bonitate: Verùm sic consideratum adhuc retinet rationem boni, ergo bonitas non est aliquid absolutum ex natura rei contradistinctum ab ente, sed quid intimè imbibitum in ipso. Conseq; est euidens, quoniam si facta quacunque separatione, ita ens accipiatur, prout contradistinguitur ab omni eo, quod non est ipsum ex natura rei, adhuc tamen est bonum: concludere oportet, quòd bonitas intimè clauditur in ipso. Quòd autem ens facta huiusmodi separatione adhuc sit bonum, facilè prob. nam adhuc sic consideratum dicit aliquam perfectionem, per quam perficitur in proprio esse eo modo, quò perfici debet, & conueniēter se habet quo ad proprium esse, ergo oportet, vt habeat suam bonitatem, quæ in eo consistit, quòd conuenienter se habeat in suo esse. Quod ex eo confir. Si sumatur perfectiuum alicuius rei, & consideretur, vt ex natura rei contradistinctum à propria bonitate, adhuc tali præcisione facta est quid bonum respectu proprij perfectibilis, quia adhuc habet rationem perfectiui: omne autem perfectiuum est quoddam bonum respectu perfectibilis; si autem est bonum respectu alterius, oportet, vt sit etiam in se; prius enim est esse bonum in se, quàm esse bonum alteri. Atq; hoc totum magis manifestum fiet, si considerentur entia specialia; nam vt contradistincta ex natura rei à propria bonitate, adhuc habent suam completam essentiam, cum obtineant totam illam rationem essentiæ; quam habent, dum considerantur simul cum bonitate: hæc autem completa essentia habet consequenter suam essentialem perfectionem; posita autem perfectione, ponitur bonitas; nam vel bonitas est formaliter ipsa perfectio, vel saltem oritur ex ipsa, ita vt non sit separabilis secundùm conceptum adæquatum.

Bonitas inseparabilis ab ente secundùm conceptū adæquatum.

IV. Atque discursus factus amplius cōfir. ēs præcisè consideratū secundùm proprium conceptum adæquatum, & contradistinctum ab omni alio ex natura rei, est formaliter, & intrinsecè quid participatum, vnde necesse est, vt illi sic præcisè accepto conueniant ea omnia, quæ importantur per formalem rationem participati. Ratio autem participati dicit, quòd sit aliquid factum cum intrinseca conformitate ad diuinas ideas, vnde intrinsecè in suo adæquato conceptu importat veritatem, cum consistat in huiusmodi conformitate: Ergo dicet etiam bonitatem, quoniam æquali modo bonitas se habet ad ens, ac veritas, cum vtraque sit passio ipsius, vnde si includitur in conceptu adæquato entis, non distinguetur ab ipsa ex natura rei. Rursus ratio participati dicit, quòd sit quid communicatum à Deo; vnde cum Deus agat per intellectum, & voluntatem, oportet vt sit obiectum diuinæ voluntatis; statim autem ac intelligitur obiectum diuinæ voluntatis, intelligitur bonum, quia fertur in ipsum per prosecutionem, qua illud vult. Quare cum numquam possit ens ita præscindi, vt non inuoluat rationem participati, neq; etiam ita poterit præscindi, vt non inuoluat rationem bonitatis, atque adeo impossibile

Confir.

Ens secundū propriā rationem entis est amabile.

sibile erit, bonitatem ex natura rei distingui ab ente. Hinc etiam experimur, quòd quando appetitus aliquid, desiderium tendit propriè in ipsum esse rei desideratæ, & facta quacunque præcisione per intellectum, qua præscindatur esse rei ab omni eo, quòd ex natura rei est contradistinctum, adhuc esse rei est quid desiderabile ratione sui præcisè, sic quando desideramus vitam, desiderium formaliter tendit in ipsum esse vitæ formaliter, & non in aliquid ex natura rei contradistinctum.

Ens vt tale formaliter est desiderabile.

Secunda ratio.

V. Secundò probatur principaliter conclusio. Ens siue consideretur vt communissimè sumptum, siue vt importat tale, vel tale ens, est bonum in seipso formaliter, ergo bonitas non distinguitur ex natura rei ab ente, sed intimè in ipso imbibitur. Antecedens declaratur; bonitas enim necessariò est intra latitudinem essendi; cum enim sit quid reale, vt certissimum est, (quomodo enim, nisi esset quid reale, attraheret appetitum?) oportet eam collocare intra latitudinem realitatis. Huiusmodi autem realitas, aut debet esse determinatiua entis vt sic, importando rationem talis entis, aut debet dicere rationem entis vt sic, siue in ipsa includi. Ratio enim entis vt sic dicit primam, & vniuersalissimam rationem realitatis, extra quam non est aliqua alia ratio realitatis habens eamdē vniuersalitatem; quia si aliqua alia poneretur, aut idem diceret, aut aliquid diuersum; si idem diceret, non esset alia ratio realitatis; si verò diceret aliquid diuersum, iam differret ab al tera, & simul cum ipsa conueniret in eo, quòd sit ratio realitatis, vnde importaret rationem talis realitatis, non autem rationem communissimam realitatis vt sic. Vnde cum bonitas importet aliquam rationem realitatis, aut in ipsa includatur, debet includi aut in realitate entis vt sic, aut talis entis. Verùm cum æquè latè pateat, ac ipsum ens, includetur in realitate entis vt sic, atq; adeo intrinsecè, & formaliter in seipso erit bonum. Hinc autem patet consequentia; nam si bonitas distingueretur ex natura rei ab ente, ens non esset bonum ex sua natura, sed per aliquid à se distinctum, sicut animalitas non est in seipsa rationalis, quia rationalitas distinguitur ab ipsa secundùm conceptum adæquatum, & secundùm Scotistas ex natura rei. Præterea bonitas vt sic esset extra realitatem, entis vt sic, siquidem realitas entis vt sic non dicit aliud, quàm simplicem rationem formalem; vnde quicquid in ipsa intimè non includitur, est realitas extra ipsam; bonitas autem vt sic non potest importare aliquam rationem realitatis, quæ sit extra realitatem entis vt sic, vt iam diximus, cum non contrahat ens vt sic.

Ens in seipso formaliter bonum.

Ad fundamētū in oppositum.

VI. Ad fundamentum autem in oppositum resp. Passiones entis non esse passiones propriè dictas, & cum omni rigore, sed tantùm quædam attributa, & ideo non debere seruare cum rigore conditiones passionis propriè dictæ, sed sufficere, si aliquo modo imitentur; in hoc autem imitantur, quòd quodammodo qualificant ipsum ens, & veluti illi adiacent; vnde dicitur, ens est verum, est bonum, vnum prædicatione adiectiua; non autem est vnitas, veritas, bonitas prædicatione formali, & in recto. Vnde imitantur modum prædicandi cœterarum passionum, qui est in secundo modo dicendi per se, & veluti per adiacentiam & non per formalem identificationem: atque rursus etiam imitantur in eo, quòd quodammodo originantur ab ipso ente. Verùm non possunt seruare alteram conditionem passionum, quòd subiectum non dicatur de ipsis quiddtatiuè, & quòd solùm tanquam additum, & in obliquo ponatur in earumdem definitione, quia cum subiectum ipsarum sit essentialiter transcendens, & prima ratio realitatis, necessariò intimè debet imbibi in ipso: vnde stante hoc discrimine, & etiam cum non sint extra adæquatum conceptum subiecti, sed sint quædam attributa pertinentia ad constitutionem illius, non debemus eodem modo philosophari de ipsis, ac de cœteris passionibus; & Aris. in citatis locis, non loquitur de his attributis, sed de passionibus propriè dictis.

Quomō se habeant passiones entis ad alias passiones.

Bonitatem non dicere de suo formali relationem.

SECTIO II.

I. Est autem alia sententia, quæ in hoc distinguit bonitatem ab-

2. sentētia

abjecte; quòd ens de suo formali importat aliquid absolutum; bonitas verò relationem, in qua formaliter consistat, intelligit autem de relatione prædicamentali. Verùm Auctores huius sententiæ non conueniunt inter se;

Prior modus dicendi

Durand. enim in 2. dist. 34 quæs. 1. nu. 22. postquā iam impugnauit sētētiā Heru. infra recitādā, concludit, bonitatē formaliter esse realem relationē prædicamētalē cōueniētiæ respectu alterius; atq; adeò vult bonitatē contrahere ens ad partē subiectiuā nempe ad determinatā relationē, quæ est sub genere relationis prædicamentalis, & esse quamdam entitatem, non tamen omnem entitatem esse bonitatem, ita vt conuertantur entitas, & bonitas. Bonum autem dicit id, quod habet talem conuenientiam, & quia sic in concreto sumptum potest reperiri in quocūq; genere saltem absoluto, ideo bonum dicitur conuerti cum ente non essentialiter, sed denominatiuè. Adnotat autem, rationem boni in aliquibus reperiri primariò, & in aliquibus secundariò; si enim, quod conuenit alteri, se habeat vt quid intrinsecum respectu illius, nimirum vt forma, vel vt pars, erit bonum primariò; Si verò se habeat vt quid extrinsecum, ita vt dicat habitudinem causæ efficientis, aut aliquam aliam huiusmodi habitudinem, tunc erit bonum secundariò, & extrinsecè, sicut medicina dicitur sana solùm secundariò, & extrinsecè.

Bonitatē dicere relationē realem conuenientiæ.

Posterior modus. Bonitatem esse relationem rationis

II. Alij volunt, hanc relationē esse rationis, cum fundamento tamen in re, quod in eo consistit, quòd in ente sit fundamentalis bonitas, & formalis consistat in relatione rationis. Hunc autem modum dicēdi amplectitur Capr. in 2. dist. 34 quæst. 1. & sequitur Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quæst. 7. sect. 5. & Auersa in sua Philosoph. quæst. 7. sect. 7. Addit tamen Capr. esse relationem conuenientiæ ad appetitum: alij verò esse relationem conuenientiæ simpliciter ad aliud. Vnde Auersa inquit, hanc conuenientiam posse accipi tum formaliter, & entitatiuè, cum nimirum res per seipsam formaliter est bona alteri: tum causaliter & effectiuè, quando vna res est cōueniēs alteri, quia est apta tribuere perfectionē, & bonitatē; & hoc pacto bonitas reperitur in quocūq; ente, quia nullū est ens, quod non sit conueniēs alteri, quia saltem conuenit rerum vniuersitati, quæ ex omnibus entibus integratur. Fonseca autem sect. 6. supracitatæ quæst. vult, cōuenientiā, in qua cōstituit formaliter bonitatē, dici per ordinē ad Deū, tū quia ab ipso res habēt, quòd sint bonæ, tū quia respectu voluntatis diuinæ sunt primò appetibiles, tū quia solū respectu Dei habent, quòd absolutè sint bonæ, nā cōparata vnaquęq; res ad alias creatas, si respectu vnius est cōueniens, nō est cōueniēs respectu alterius

Capr. Fonseca Auersa

Ratio fundamentalis.

Fūdamētū est, quoniam bonū nō significat aliquid absolutū; & synonimū cum ente, sed aliquid relatiuum, cum importet conuenientiā respectu alterius; rursus non potest dicere relationem realem, si quidem nihil reale superaddi potest enti, vnde erit relatio rationis. Quod præsertim verum est, quoniam eadem res est bona vni, & mala alteri; & proinde debet bonitas necessariò consistere in aliqua relatione.

Opposita sententia

III. Hæc tamen sententia secundū vtrumq; modum communiter reijci solet, atque eam specialiter impugnant Bannes 1. par. quæst. 5. ar. 1. in dubit. circa art. conclus. 1. Cumel. ibid. quæs. vnica conclus. 3. Suarez. in Metaph. disp. 10. sect. 1. num. 3. & sequentib. Vasquez 1. par. disp. 23. cap. 2. & 3. qui absolutè negant, bonitatem consistere formaliter in relatione; sed volunt importare aliquid absolutum.

Bannes Cumel Suarez Vasquez

2.

1 cōclus.

Vnde contra priorem modum dicendi ponimus primam conclusionem. Bonitas non consistit formaliter in relatione reali prædicamentali conuenientiæ. Hæc conclusio probatur, quoniam bonitas vt sic debet habere eamdem vniuersalitatem, & cōmunitatē, quā habet ens, ita vt cum ipso adæquetur: hoc autem stante non potest bonitas esse relatio prædicamentalis, nam tunc importaret rationē entis determinati generis, quomodo autem haberet eamdem vniuersalitatem, quam habet ens? Vnde non rectè Durād. concedit, ens per bonitatē determinari ad partē subiectiuam, nempe ad speciē entis, nā præter quā quòd id est contra passionē entis, quæ non debet coarctare ipsum ens neque etiam potest constitui illud concretum boni, quod reperiatur in quolibet ente, vt vult Durand. Hoc enim est contra rationē determinatiuā

Bonitas nō dicit relationem realem prædicamentalem.

Bonitas æque est vniuersalis, ac ens

entis, quæ ſicuti conſtituit ſpecialem ſpeciem entis, ita etiam contradiſtinguit à cœteris ſpeciebus, atq; adeo non poteſt vnicuiq; ſpeciei conuenire. Præterea ratio cõtractiua entis nõ adęquat ens vt ſic, cũ minus pateat, & ideò neq; in concreto, neq; in abſtracto poteſt ipſi tribui tanquam paſſio; bonitas autẽ eſt paſſio entis, vt ſupra oſtenſũ fuit. Quòd autẽ bonitas debeat habere eãdẽ vniuerſalitatẽ cũ ẽte, inde oſtẽditur, quòd tale ens determinatum fundat talẽ bonitatẽ determinatã, quæ cum ipſo adęquatur; vnde ſeruando proportionẽ debitam, debet ens vt ſic fũdare bonitatẽ vt ſic, quia ſicuti ſe habet ens vt ſic ad tale ens, ita ſe habet bonitas vt ſic, ad talem bonitatem.

2. ratio IV. Secundò argumentor. Si bonitas conſiſteret in relatione reali prædicamentali, poſſet ens cõcipi, vt pręſcindẽs ab hac relatione, atq; adeo vt cõtra diſtinctũ à bonitate; cũ autẽ contradiſtinguatur à bonitate, atq; adeo ſit extra eius cõceptũ, ſequitur, quòd facta præciſione ens nõ deberet eſſe bonũ, quod tamẽ eſt falſũ, & militant cõtra hoc ea omnia, quæ in præcedenti ſect. diximus cõtra diſtinctionẽ bonitatis ex natura rei ab ente; & ens præciſa hac relatione adhuc eſt bonum; cum enim hæc relatio ſit relatio conuenientiæ reſpectu alterius; importare ſolùm poteſt bonitatem reſpectu alterius; verũ res prius eſt bona in ſe, quàm ſit bona alteri; ideo enim eſt bona alteri, quia illi exhibet bonitatẽ, quam habet in ſe. Pręterea præciſa quacũq; relatione prędicamentali adhuc res habet ſuã completam eſſentiã cõmenſuratam cũ diuinis ideis, & habet ſuã debitã perfectionẽ, vnde quò ad ſuum eſſe conuenienti modo ſe habet; hoc autem eſt eſſe bonam, ſi quidem ſicuti res eſt bona alteri, in quantum illi exhibet aliquam perfectionem conuenientẽ, ita eſt bona ſe in quantum habet aliquã perfectionem in ſe, in ratione cuius conueniẽti modo ſe habeat quò ad ſuum eſſe. Et confir. ſi bonitas cõſiſteret formaliter in relatione, ratione relationis res eſſent formaliter amabiles, quod tamẽ non eſt verũ; non enim amantur ratione alicuius relationis, ſed ratione illius, quod intrinſecè dicunt; cum enim deſideramus aliquod bonũ, ratio formalis mouẽs appetitũ nõ eſt relatio aliqua, ſed perfectio rei deſideratę. Sic etiã Deus, dũ vult vnicuiq; eſſe illud abſolutũ, quod participat, cõplacet ſibi in illo eſſe abſoluto, atq; ſecundũ ſe præcisè terminat diuinũ amorẽ, quod certè pręſtare non poſſet, niſi in illo eſſe abſoluto clauderetur formalis ratio bonitatis; nõ enim voluntas poteſt ferri actu proſecutionis in obiectum, quod non habeat in ſe rationẽ formalem bonitatis.

Ens præciſa qualibet relatione adhuc eſt bonũ.

Ens abſolutum, vt abſolutũ eſt, terminat appetitum.

V. Tertiò. Inquiro, quomodo huiuſmodi relatio cõuenientiæ ſe habeat ad rẽ bonã: an ſit illi intrinſeca, ita vt ſit de eius eſſentia, & per ſe conueniat; an verò tantũ accidẽtali modo ſe habeat. Si primum; ſequitur, bonitatem non cõſiſtere formaliter in relatione prædicamentali; relatio enim prædicamentalis non eſt de eſſentia rei relatæ, ſed accidentali modo conuenit: & proinde ſi ratio iſta conuenientiæ eſt intrinſeca rei, non erit relatio prædicamentalis. Si ſecundùm, facilè reijcitur; nam bonitas per ſe, & non cõtingenter conuenit rei bonæ, quæ ab intrinſeco ſuo habet, quòd ſit conueniens alteri, ſic forma ab intrinſeco ſuo, ex eo nimirum, quòd eſt actus ſubſtantialis, eſt conueniens materiæ, cibus ex eo, quòd eſt nutritiuus eſt cõueniens viuenti, & eadẽ inductio in cœteris fieri poteſt. Quin ergo ratio conuenientiæ, qua dicitur res bona alteri, ipſi intrinſeca ſit, & eſſentialis, concludendum abſolutè eſt, bonitatem non conſiſtere formaliter in relatione prædicamentali. 1. ratio

Ratio conuenientiæ eſt intrinſeca rei bonæ.

VI. Quartò argumentari poſſumus ex proportione, quàm dicit bonũ vt ſic ad talem bonitatem, idem enim proportionaliter dicit bonitas vt ſic, quod dicit talis bonitas, & diſcrimen in eo ſolùm conſiſtit, quòd bonitas vt ſic dicit indeterminato modo: quod talis bonitas dicit modo determinato. Verũ talis bonitas eſt aliquid intimè imbitũ in eſſe talis rei determinatæ, ita vt varietur, ſicut variatur eſſe rei bonę; neque .n. vna bonitas diſtinguitur ab alia, niſi per eſſe rei bonæ, atque ſublata diſtinctione inter eſſe rerũ, nulla amplius remanet diſtinctio inter bonitates, cũ autẽ diſtinctiuũ ſit etiã conſtitiuũ, iam talis bonitas ponetur in eſſe formaliter per eſſe talis rei, ita vt, quãuis non adęquet ipſum eſſe, non ſit tamen extra ipſum, ſed aliquid de ipſo. Hinc res ratione ſui eſſe eſt ſatiatiua appetitus, & 4. ratio

Talis bonitas eſt aliquid intime imbibitũ in tali ẽte.

pro-

proinde cum tantùm ratione bonitatis sit satiatiua, necesse est, quòd in suo esse imbibat bonitatem. Ex hoc autem fit, quòd si talis bonitas imbibitur in tali esse, nec est relatio aliqua prædicamentalis illius, debeat quoq; bonitas vt sic imbibi in esse vt sic tanquam aliquid de ipso. Quod amplius confir. Quoniã posito ente vt sic vniuersalissimè supto, antequam descendatur ad inferiora, & cõcipiatur aliqua determinatio ipsius, nulla habetur prædicamentalis relatio, & tamen habetur bonitas eiusdẽ entis, ergo non potest bonitas consistere in relatione prædicamentali. Quòd autem habeatur bonitas entis, euidẽs est, quia ens ex genere suo est bonũ, quòd si ex genere suo non esset bonũ, neq; etiam tale ens importaret talẽ bonitatẽ, quoniam quod non est tale ex genere suo, neque est tale determinato modo secũdùm speciem suã ratione proportionis, quàm species debet seruare ad genus.

Posito ẽte statim ponitur bonitas

5. ratio

VII. Rursus quintò argumentor. Omnis creatura, cum à Deo procedat, est absolutè, & simpliciter bona, vt de fide est cõtra Manicheos, ita vt quãuis respectu alicuius sit mala, non sit tamen mala absolutè, & simpliciter. Hoc autem saluari non potest, si bonitas consisteret in relatione reali conuenientiæ; per hanc enim relationem non constitueretur simpliciter, & absolutè bona, sed tãtũ secundùm quid, nempe respectiuè & in comparatione ad aliud, quod non facit rem absolutè in se bonam. Cum enim Deus sit tantùm causa boni, quicquid ab ipso prouenit, secundùm totum debet esse bonum, atq; adeo non ratione alicuius conuenientiæ respectu alterius. Deinde si res est bona secundùm proprium esse, tanquam terminus communicationis factæ a Deo, ad quid ponẽda relatio cõueniẽtię, per quã fiat formaliter bona, cũ iã sit bona per suũ esse intrinsecũ? Hic autẽ fit, quòd si per impossibile tollerentur res õnes, & vna tantũ remaneret, vt saltẽ per intellectũ contingere potest, qui potest imaginari vnã rẽ tantũ esse possibilem; adhuc tamen illam intelligit habere in se eãdem bonitatem, quam habet, dum simul cum alijs concipitur, & tamen tunc non concipiet aliquam relationem.

Ens bonum absolute ē non respectiue ad aliud

6. ratio

VIII. Atque si volumus argumentari ex ijs, quæ sunt in Deo, poterimus aliam efficacem rationẽ formare eãdẽ enim proportionẽ seruant inter se, quæ sunt in Deo, ac ea, quæ sũt in creaturis. Verũ in Deo bonitas est aliquid supereminentiale absolutũ, ita vt sit bonum absolutè ad seipsũ; quod ex eo ostẽditur, quoniã etiã si creaturę considerẽtur secundùm esse possibile, non tamen Deus est bonus per conuenientiam ad ipsas; cum enim creaturæ possibiles adhuc secundùm suam possibilitatẽ depẽdeãt à Deo, quoniam adhuc in suo esse possibili sunt quid finitum, nec habent esse à se, sed limitatum, & in tantum possunt concipi possibiles, in quantum continentur in omnipotẽtia Dei, sequitur, omnipotentiã Dei, atq; eiusdẽ bonitatem esse priorem natura creaturis possibilibus, quatenus in seipsis considerantur: cùm enim in seipsis considerantur, sũt veluti extractæ de omnipotẽtia Dei. Bonitas autẽ diuina est ratio cuiuscũq; cõmunicationis, q̃ fiat à Deo, vnde ipsæmet creaturæ possibiles depẽdẽt in suo esse possibili à bonitate diuina, tanquam ab ea, quæ est causa, cur possit habere illud esse possibile; ista enim dependentia est essentialis creaturis, quæ in ipsis intimè imbibitur, siue in esse actuali, siue in esse possibili cõsiderentur. Cũ ergo bonitas diuina sit prior creaturis, nõ potest esse talis per ordinem ad ipsas, etiam vt possibiles. Accedit, quòd Deus ratione suæmet bonitatis est finis vltimus omnium; repugnat autem fini omnium vltimo esse talẽ per ordinem ad aliud, non enim ipse conuenit alteri; sed omnia conueniunt ipsi, vt pote quia omnia ad ipsum reducuntur. Cum ergo in creaturis quoque bonitas proportionali modo se habeat, adhuc in ipsis erit aliquid finito modo se habens absolutè ad se, qua res creata fiat bona in se, & non erit conuenientia aliqua; quamuis huiusmodi conuenientia postea consequatur ex bonitate rei. Quod præsertim verum est; quia etiam in creaturis bonitas apta est finalizare, & ideo tanquam finis debet esse in se bona.

Bonitas diuina prior creaturis possibilibus.

IX. Deniq; non est omittẽdũ, sẽtẽtiam Durandi non esse conformẽ sententiæ Aristotelis, imo ipsi aduersari, qui lib. 1. Eth. cap. 6. docet, bonũ dici totidẽ modis, quot dicitur ens, & cõsequẽter in vnoquoq; prædicamẽto reperiri, neq; itelligi potest de illo cõcreto ex re bo-

bona, & relatione, quam ponit Durandus, quia si illud concretum consideretur secundùm formalem rationem bonitatis, cum per Durand. consistat in relatione prædicamentali, reducendum erit ad prædicamentum relationis, & proinde bonum ratione bonitatis non erit in aliquo alio prædicamento; Aris. autem vult reperiri in quolibet prædicamento eo modo, quo reperitur ens; inquit enim. *Cum bonum totidem modis dicatur, quot illud, quod est (nam & in substantia dicitur, vt Deus, & mens; & in qualitate, virtus; & in quantitate, mediocre; & in eo, quod est ad aliquid, vtile; & in tempore occasio; & in vbi, diuersatio; & alia huiusmodi) perspicuum est, commune aliquid vniuersale, atque vnum esse non posse.* Ecce ergo, quomodo vult Aris. bonum vt tale est, transcendere per omnia prædicamenta.

Bonum transcendit per omnia genera.

Aris.

X. Secunda conclusio contra posteriorem modum dicendi. Neque bonitas consistit in relatione aliqua rationis, quæ sit relatio conuenientiæ ficta ab intellectu. Pro hac conclusione faciunt omnia, quæ pro præcedenti diximus, ea enim probant, bonitatem nedum consistere in relatione reali prædicamentali, sed esse quid absolutum, & intrinsecum rei bonæ, ita vt sit aliquid de esse ipsius; & etiam cum proportione applicari possunt ea, quibus supra probatum fuit, veritatem prout est passio entis, non consistere similiter in relatione rationis. Et desumitur etiam ex Aris. modo citato, si enim bonitas transcendit per omnia genera: quomodo fieri potest, quòd sit relatio rationis? Specialiter autem probatur. Bonitas exercet actionem realem intentionalem circa appetitum illum mouendo, atque attrahendo ad sui amorem; est enim ratio formalis, ex vi cuius obiectum appetitus attrahit, atque est ratio formalis specificatiua voluntatis, siue appetitus; hinc autem sequitur, secundùm suam formalem rationem debere esse quid reale; quomodo enim exerceret circa appetitum attractionem realem, aut quomodo specificaret potentiam realem, nisi esset quid reale? specificatiuum enim potentiæ non solùm debet ipsi proportionari, sed etiam debet terminare ordinem transcendentalem illius, & potentia constituitur in suo esse reali per commensurationem cum tali specificatiuo; quod sanè contingere non posset, nisi specificatiuum esset quid reale; cum enim potentia habeat suum esse independenter à fictione intellectus, & dependenter ab obiecto, oportet, vt obiectum quoque habeat esse indepedenter à fictione intellectus.

2 cõclus.

Bonitas non cõsistit in relatione rationis.

Specificatiuũ potẽtiæ realis debet esse reale

XI. Respondet Auersa sect. 4. quæst. 7. suæ Philosophiæ concedendo, dari quidem bonitatem realem, quæ sit obiectum appetitus, atque ipsum attrahat; verùm inquit, bonitatem sic acceptam importare essentiam realem entis, & non esse passionem illius, & ideo concedendam esse aliam bonitatem, quæ sit passio, & hanc consistere in relatione rationis. Cæterũ hęc responsio seipsa corruit. Inquirimus enim modò bonitatem illam, qua ens verè, & formaliter constituitur bonum: si ergo constituitur verè bonum in seipso per realem rationem bonitatis, ad quid ponenda relatio rationis, quæ dicatur bonitas entis? Neque necessaria est relatio rationis, vt constituatur bonitas tanquam passio, quoniam bonitas optimè pro passione potest, & debet constitui, sed illa, quæ est intrinseca enti bono, licet enim sit de adæquato conceptu entis, potest tamen constitui pro passione, vt etiam in superioribus de cæteris passionibus diximus, quæ sunt de adæquato conceptu entis, nec distinguuntur, nisi secundum conceptum inadæquatum explicitum. Vnde bonitas neque est quid synonimum cum ente, & habet secundùm esse explicitum diuersam formalitatem, & sortitur etiam diuersam definitionem, siue descriptionem: atque si conceptus explicitus entis comparetur cum conceptu explicito bonitatis, procul dubio prior est, & veluti ex ipso consequitur conceptus bonitatis; cur ergo conceptus bonitatis secundùm proprium esse explicitum non poterit constitui pro passione, vt necessarium sit recurrere ad relationem rationis? Præterea bonitas intrinseca, & realis entis qualificat ipsum, cum enim dicitur bonum, significatur vt quid qualificatum, & dicitur bonum à propria intrinseca bonitate; cur ergo non erit passio, siue attributum ipsius.

Responsio Auersæ.

Reijcitur

Ens denominatur bonũ a propria bonitate reali intrinseca

Quomodo bonitas realis possit cõstitui pro passione entis.

sius? Denique bonitas intrinseca, atque realis non consistit in relatione, ergo neque potest fingi relatio rationis, quæ sit bonitas; ens enim rationis ex genere suo debet cōcipi ad modum entis realis, & tale ens rationis ad modum talis entis realis, & proinde bonitas rationis ad modum bonitatis realis, atque adeo non ad modum relationis.

2. ratio.

XII. Secundò. Cum ratio boni per hos Auctores consistat in relatione conuenientiæ, inquiro, an res, in qua fundatur relatio, sit secundùm proprium esse intrinsecum conueniens alteri; vel non sit, ita vt dicatur tantùm conueniens ratione huius relationis rationis. Si primum, iam cum bonitas consistat in ratione conuenientiæ, atque res imbibat in suo esse intrinsecam conuenientiam, erit intrinsecè bona, & non per relationem rationis: ad quid enim huiusmodi relatio, si habetur realis ratio conuenientiæ, atque adeo realis bonitas? eodem enim pacto res se haberet, ac si diceretur, formale constitutiuum hominis consistere in relatione rationis discursiuitatis, quod planè absurdè diceretur. Si secundum; sequitur, tolli omnem prorsus bonitatem; cum enim relatio rationis sit nihil in seipsa, non potest esse conueniens alteri, neque etiam *vt quo*, si quidem realis conuenientia importat aliquid reale; & quod conuenit alteri, secundùm aliquid reale conuenit. Quod præsertim locum habet, vt saluetur propria, & formalis bonitas rerum quò ad esse reale; si enim ponatur formaliter in relatione rationis, iam formalis bonitas non erit quid reale, sed ad summum fundamentalis: vnde res non essent realiter bonæ formaliter, quod tamen dicendum non est, cum exerceant realiter id, quod dependet à formali ratione bonitatis.

Res imbibit intrinsecè conuenientiã, ratione cuius est bona alteri.

XIII. Respondet Fonseca; dari quasdam relationes rationis, quæ præcedunt omnem actum intellectus; vt est relatio creatoris. Atque hanc relationem rationis, in qua consistit formaliter bonitas, esse ex his relationibus; vnde posse optimè per ipsam bonitatem saluari. Hæc tamen responsio in seipsa implicat; repugnat enim in terminis, relationem rationis præcedere opus intellectus, cum enim ens rationis sit illud, quod verè esse non habet in se, sed fingitur ab intellectu, quomodo fieri potest, quòd præcedat in rebus ante opus intellectus? Quòd si dicatur, non præcedere secundùm totum suum esse, sed tantùm secundùm fundamentale: iam secundùm hoc esse fundamentale non fingetur ab intellectu, sed erit quid reale; atque si bonitas consistet in hoc esse fundamentali, non consistet amplius in relatione rationis, sed in aliquo reali, quod neque erit formaliter relatio. Quod totum confir. quoniam Bruta attingunt conuenientiam rerum saltem materiali modo: vnde in ipsas appetitiuè mouentur, & tamen, cum habeant solam cognitionem sensitiuã, non attingunt aliquam relationem rationis, neque etiam materialiter. Vnde concludere oportet, conuenientiam rerum, qua alteri bonæ sunt, non consistere in relatione rationis, sed in esse reali.

Impugnatur responsio Fonsecæ.

Ens rationis non potest præcedere opus intellectus.

XIV. Rursus addi potest pro confir. Quod tale bonum non consistit in tali relatione rationis; vnde neque bonum vt sic consistere potest in relatione rationis conuenientiæ vt sic: hoc enim necessariò sequitur ex proportione illa, ob quam debet ratio superior dicere in communi, quod dicit inferior in particulari; atque econtra. Quòd autem talis bonitas non dicat relationem rationis, manifestum fiet, si respiciamus ad bonum vtile, delectabile, & honestum; res enim nulla, est vtilis ratione alicuius relationis rationis, sed ratione sui esse; vnde per suum esse formaliter exercet rationem talis bonitatis, sic media non conducunt ad finem formaliter ex vi relationis, sed ex vi aptitudinis imbibitæ in proprio esse. Similiter bonum delectabile non delectat formaliter ex vi alicuius relationis, sed ex vi proprij esse, delectat enim ex vi congruitatis illius, quam ratione sui esse habet cum appetitu. Sic etiam bonum honestum includit illam honestatem, ratione cuius formaliter est tale bonum, in proprio esse; quis enim dicat virtutem esse honestam formaliter ratione alicuius relationis fictæ ab intellectu? Ex his autem patet ad fundamentum posterioris modi dicendi; negamus enim,

3. ratio

Tale bonum non consistit in tali relatione rationis, sed in tali esse rei.

quòd in eo assumitur; nimirum bonitatem esse quid relatiuum.

Bonitatem non consistere in perfectione entis.

SECTIO III.

3. sententia — I. Tertia sententia ponit bonitatem formaliter in perfectione rei, ita vt non aliud sit bonitas entis, quàm eiusdem perfectio, atque integritas in proprio esse; aduertit autem, quòd proposito intellectui aliquo ente, quod primò occurrit, est esse ipsius, postquam autem intellectus percepit esse, statim percipit eiusdem integritatem, atque perfectionem: & consequenter vult, hanc perfectionem esse quid diuersum formaliter ab ente, non tamen contrahere ipsum ens, sed relinquere in sua latitudine. Quia autem integitas, & perfectio potest contingere secundùm esse essentiale, secundùm esse integrale, & secundùm esse accidentale, ideo iuxta hanc triplicem integritatem distinguit triplicem bonitatem, essentialem, integralem, & accidentalem. Hanc sententiam tradit Heru. quodlib. 3. quæst. 2. art. 2. Meurif. 2. Metaph. cap. 3. par. 3. Molina 1. par. quæst. 5. disp. vnica, & Vasquez ibid. disp. 23. cap. 5. 6. & 7. qui contendit, hanc opinionem esse D. Th. & aliorum Thomistarum; Verùm D. Th. & cœteri Thomistæ non loquuntur de perfectione præcisè accepta, sed quatenus appetibilis est, vt infra videbimus, vnde fundamentaliter collocant bonitatem in perfectione, formaliter verò in appetibilitate, seu conuenientia reali. Docet autem insuper Vasquez cap. 4. quòd bonum sumi potest etiam relatiuè ad aliud, & hoc pacto consistit in relatione conuenientiæ; in quo videtur adhærere sententiæ sect. præcedenti reiectæ, de qua hic non est amplius differendum; addit tamen, bonitatem in hoc sensu non esse passionem entis. In capite autem 6. explicans, quomodo in simplicibus quoque consistat in integritate, cum non habeant partes, quibus constent, ait, integritatem in ipsis consistere in eo, quòd constent ijs prædicatis, & rationibus quidditatiuis, quibus constare debent.

[margin: Bonitatē cōsistere in perfectione.]

[margin: Heru. Meurif. Molina Vasquez]

Denique capite 7. infert; Bonitatem esse formaliter relationem, non quidem conuenientiæ, sed integritatis ex pluribus, quoniam concursus omnium absque defectu ad alicuius constitutionem relatiuè significatur: hanc autem relationem esse inter ea, quæ concurrunt ad integritatem constituendam, atque in rebus simplicibus, cum non adsint partes realiter distinctæ, esse rationis tantùm.

II. Cœterum quod spectat ad illud, quod Vasquez. de relatione dicit, in qua formaliter ponit bonitatem, nihil est amplius dicendum, quoniam in præcedenti sect. iam fusè ostensum est, quomodo nequeat bonitas in relatione consistere, quæcunque illa sit; vnde in hac sect. videndum solùm est, an consistat formaliter in perfectione rei, prout est quid absolutum, non enim relatio illa integritatis est formaliter perfectio rei, sed quæcunque illa sit, est tantùm fundata in perfectione. Quòd autem bonitas consistat in perfectione rei, probant quidem, quoniam D. Dionys. cap. 4. de Diuinis nominibus definiens, quid sit bonum, ait, *Bonum ex integra causa, malum autem ex multis, singularibusque defectibus.* Præterea quoniam si enti desit aliquid ex ijs, quæ spectant ad ipsius integritatem, est malum, vnde dicitur malus equus, cui deest oculus; dicitur autem malum, non quia aliquibus malum, sed quia in seipso est malum, cum careat debita integritate. Denique Ens, & perfectum non sunt synonima, non enim cum dicitur, *Ens est perfectum*, est propositio identica, ergo cum necessariò perfectum supponat ens, erit passio illius. Quòd etiam confir. quoniam in tantum aliquid est bonum, in quantum est perfectum.

[margin: Fūdamēta huius sētentiæ.]

III. Auersa autem Quæst. 7. suæ Philosoph. sect. 3. hanc etiam sententiam amplectitur. Inquit enim bonitatem hoc etiam modo debere accipi, & explicari, vt dicat perfectionem rei, non tamen hoc solùm modo, bonitatem esse attributum entis: vnde significat iuxta hanc quoque acceptionem, bonitatem esse passionem entis; quod tamen sect. sequenti negat. Rursus ipsam rationem perfecti posse pluribus modis sumi. Significat enim aliquan-

[margin: Doctrina Auersæ]

do id, quod habet quicquid ad sui constitutionem necessarium est: Vel id, cui nihil deest, quod dupliciter intelligi potest; vel quia nulla perfectio deest in quocunque genere; & hoc pacto esse perfectum, solùm Deo conuenire potest; vel quia non desit perfectio in aliquo genere determinato, vnde homo dicitur perfecta species animalis, quia habet maiorem perfectionem possibilem in genere animalis. Vel significat ens totale, & integratum ad differentiam illius, cui deest aliqua pars. Vel potest significare magis amplè id, cui non deest quicquam iuxta propriam naturam; vnde etiam materia prima dicitur perfecta in sua natura; & iuxta hanc significationem dicitur adæquatè de omni ente; si nimirum sumatur, vt dicit id, cui nihil deest de essentialibus; potest enim etiam significare id, cui nihil deest de accidentalibus. Insuper aliquando significat excellentiam vnius rei supra aliam; vel si significet certum gradum excellentiæ cuiuscunque rei, tunc potest vnicuique enti attribui. Et concludit, posse bonitatem, quæ est passio entis, explicari tum per rationem perfecti, qua res in se est perfecta, & quò ad suum esse; tum etiam per rationem conuenientiæ vnius rei ad aliam.

Cõclusi. Bonitas non cõsistit formaliter in perfectione. IV. Hæc tamen sententia, quamuis videatur habere magnam probabilitatem, non est approbanda; vnde dicendum est. Bonitatem non consistere formaliter in perfectione entis. Supponimus autem, bonitatem esse passionem entis, vt iam ex dictis constat; non enim si consideretur secundum suam propriam rationem formalem, potest modo esse passio, modo non esse passio. Hoc autẽ supposito elicitur efficax ratio ex natura passionis, & subiecti. Passio enim, siue attributum secundùm illam rationem, secundùm quam assignatur pro attributo, non debet formaliter esse ipsum subiectum, etiam si sit de eius conceptu adæquato, quia, quando assignatur pro attributo conceptus ille inadæquatus, Attributũ, & subiectum quomodo se habeant. qui stat loco attributi, non dicit formaliter alterum conceptum inadæquatum, qui stat loco subiecti. Rursus etiam subiectum secundùm id formaliter, & explicitè, quod dicit, vt subiectum est, siue sit secundùm conceptum adæquatum distinctum, siue inadæquatum, non potest dicere attributum, neque illud in se formaliter continere. Hinc cum bonitas, & ens comparentur tanquam attributum, & subiectum; neque bonitas secundùm quod est attributum, potest dicere explicito modo ipsum ens, neque econtra ens, potest explicito modo dicere bonitatem. Et quamuis se inuicem includant secundùm conceptum adæquatum, secundùm tamen conceptus inadæquatos se excludunt, & ideo saluari debet ratio bonitatis, vt bonitas est, absque eo, quod dicat formali modo, & explicitè rationem entis. Hoc autem saluari minimè posset, si bonitas formaliter consisteret in perfectione. Cum enim perfectio dicat integritatem rei quò ad suum esse, ita vt nihil desit ex ijs, quibus tale esse constituitur, hinc statim manifestum fit, non posse perfectionem importare tantùm conceptum inadæquatum rei, sed debere importare adæquatum, & omnibus numeris absolutum; & consequenter non esse formaliter bonitatem; Perfectio non importat cõceptũ inadæquatum rei. quomodo enim si diceret adæquatum, esset attributum? non enim supponeret aliquid, cui attribueretur nisi fortè dicatur, esse alium conceptũ adæquatum; verum tunc distingueretur bonitas à re bona secundùm conceptum adæquatum, quod dici non potest, vt sect. 1. ostensum est. Deinde sicuti ens in suo conceptu adæquato semper inuoluit suam perfectionem ita inuoluit etiam suam bonitatem, vnde non potest distingui secundùm conceptum adæquatum ab ente, præsertim si ponatur consistere formaliter in perfectione. Præterea bonitas, vt iam vidimus, quatenus bonitas est formaliter, non dicit explicitè rationem entis; at quomodo potest dicere perfectionem rei sine ratione essendi? res enim in tantum formaliter perfecta est, in quantum est, & in tantum habet talem perfectionem formaliter, in quantum habet talem essentiam. Rursus ipsum ens, prout dicit explicitam rationem essendi, & contradistinguitur à proprijs attributis, dicit aliquam perfectionem, ipsam nimirum rationem essendi; ratio enim essendi est aliqua perfectio, sicut talis ratio essendi est talis perfectio, vnde si bonitas con-

ſiſteret in perfectione ; ſubiectum vt contradiſtinctum ab attributo diceret attributum, quod tamen implicat.

Occurritur reſpōſionis.

V. Poſſet tamen aliquis dicere. Ex eo, quòd vnumquodque ens habet quicquid requiritur ad ſui conſtitutionem, conſurgere quamdam integritatem in ipſo, quia integrum eſt quò ad ſuum eſſe, & quæ ſe habeat vt quid tertium reſpectu illorum, quibus ens conſtituitur in ſuo eſſe, & hanc integritatem importare conceptum inadæquatum rei, quia præter ipſam, dantur in re perfecta etiam illa, quæ concurrunt ad talem integritatem; & ideo poſſe aſſignari pro paſſione, quæ ſit bonitas entis. Verùm licet huiuſmodi reſponſio ſubtilis videatur, non tamen eneruat vim argumenti. Vnde contra ipſam inſto. Sicuti bonitas vt ſic ſupponit ens vt ſic, cuius ſit bonitas, ita talis bonitas ſupponit tale ens, cuius ſit talis bonitas. Inquiro ergo, an integritas; quæ ſe habet vt quid tertium conſurgens ex ijs quæ concurrunt ad talem integritatem, ſupponat in aliquo priori conſtitutum illud ens, quod ſimiliter conſurgit ex his ipſis conſtitutiuis; an non. Non primum, quia ante integritatem rei non habetur res integra, atque adeo neque eſſentia ipſius, quia cum eſſentia conſiſtat in indiuiſibili, vt in ſuo eſſe ſubſiſtat, requiritur quicquid neceſſarium eſt pro integritate eſſentiali. Cum ergo integritas non ſupponat eſſe rei cōſtitutum, non poteſt aſſignari pro paſſione ipſius, quia paſſio debet ſupponere conſtitutum ſubiectum in ſuo eſſe. & ſicuti integritas talis entis non ſupponit tale ens in ratione talis entis, ita nec integritas vt ſic ſupponit ens vt ſic ſecundùm rationem communiſſimam eſſendi. Quod totum confir. conſiderando aliquod ens peculiare, præſertim ex ijs, quæ conſtant ex intrinſecis principijs componentibus v. g. hominem: integritas enim hominis, prout dicit aliquid tertium integrum conſurgens ex ſuis conſtitutiuis anima rationali, & corpore organico, non dicit aliud, quàm formale eſſe hominis; & hoc eſſe hominis eſt illud tertium, quod conſurgit ex huiuſmodi cōſtitutiuis, quod in nullo ſigno prius habetur, quàm intelligantur integritas: Quod ſimiliter contingit, ſi conſideretur, prout conſtituitur ex metaphyſicis conſtitutibus animalitate, & rationalitate: antequam enim intelligatur illud integrum, quod habetur ex vi horum conſtitutiuorum, non habetur homo; ergo integritas non conſequitur ad eſſe rei integræ, atque adeo non poteſt aſſignari pro paſſione; neque etiam pro paſſione conſtitutiuorum rei integræ, quia non adæquatur cum ipſis ſeorſim ſumptis: ſi verò ſimul ſumantur, antequam intelligatur illud tertium, quod conſurgit, non ſunt vnum. Confir. ſecundò. Poſita hac integritate, quæ conſurgit veluti quid tertium ex pluribus, debet reſolui in illa plura; & ne procedatur in infinitum; ſiſtendum eſt in aliquo, quod non dicat integritatem ex pluribus, quia hæc ruſus reſoluenda eſſet, & ſic in infinitum abiretur. Tunc autem habetur perfectio irreſolubilis in conſtitutiua; & quæ non ſe habeat vt quid tertium ex pluribus conſurgens, ergo perfectio non erit vniuerſaliter paſſio entis, cum ab ipſo non contradiſtinguatur: nam in tantùm ponebatur contradiſtincta per allatam reſponſionem, in quantum ſe habebat, vt quid tertium; & conſequenter non conſiſtet in ipſa bonitas, quia hæc eſt paſſio vniuerſalis entis.

Eſſe rei eſſentiale non eſt prius integritate eſſentiali.

Integritas eſſentialis rei idem ac eſſentia.

Alia reſpōſio reijcitur.

VI. Rurſus poſſet alius reſpondere, Ens tunc ſolùm dici integrum, & perfectum, quando habet ſuum attributum, atque bonitatem, quoniam hæc ſpectat ad eſſe ipſius. Cœterùm licet verum ſit, bonitatem ſpectare ad integritatem entis ſecundùm conceptum adæquatum, non tamen ſpectare poteſt ad integritatem conceptus inadæquati entis, quando concipitur tanquam radix ſuorum attributorum, quia attributum eſt extra conceptum naturæ. Deinde, quamuis ens per bonitatem ponatur perfici, & integrari, non hinc ſequitur, quòd bonitas ſit formaliter perfectio, & integritas entis, quia ens quoque perficitur, per alias rationes; vnde bonitas erit tantùm aliquid de integritate entis, non autem ipſa integritas. Sed verum eſt, non ſpectare ad integritatem ipſius, prout ſe habet tanquam radix eiuſdem bonitatis. Quod totum confir. ex proportione ad cœteras paſ-

Paſſio non perficit ſubiectū in ratione ſubiecti.

siones, & radices earumdem. Quamuis enim aliqua passio metaphysica sit identificata cum subiecto, ita vt pertineat ad esse adæquatum ipsius, non tamen perficit subiectum in sua essentia, sed supponit perfectè constitutum secundùm suum esse essentiale: sic risibilitas, quæ est passio hominis, & cum ipso identificata; aut esse disgregatiuum visus respectu albedinis supponunt tum hominem, tum albedinem cum toto suo complemento essentiali, ergo proportionaliter bonitas, cum sit attributum entis, supponet ens completum, prout est radix talis attributi, atque adeo in ratione entis, cum secundùm hanc sit radix, & talis bonitas supponet tale ens constitutum in tali ratione, & habens suam essentiam completam in ratione essentiæ independenter à propria bonitate.

2. ratio VII. Rursus possumus secundò principaliter argumentari. Perfectiuum idem est formaliter, ac constitutiuum, nam eo ipso, quòd res constituitur, perficitur in suo esse, & eo ipso, quòd perficitur, constituitur; sic rationalitas est constitutiuum hominis, ac etiam essentiale perfectiuum illius: albedo est constitutiuum albi, & perfectiuum illius in esse albi; cum enim perficere non sit aliud, quàm communicare aliquam perfectionem, nec possit communicari, nisi simul communicetur aliquod esse; hinc fit, vt dum res perficitur, constituatur etiam in aliquo esse. Quamobrem, si bonitas consisteret formaliter in perfectione entis, non esset posterior ente. Quis autem non videt, hoc impossibile esse, & pugnare cum eo, quòd bonitas sit Passio? constitutiuum enim est prius constituto, passio verò est posterior.

Constitutiuum, & perfectiuum idem sunt.

VIII. Respondet Vasquez. Posse ens dupliciter concipi, vel sub conceptu entis confuso, non concipiendo, ex quo præcisè perficiatur, & tunc concipitur sub ratione entis, & tanquam radix suorum attributorum. Vel considerando etiam, ex quo perficitur, & tunc concipitur sub ratione boni, quia concipitur perfectio eiusdem entis. Hæc tamen responsio neq; euacuat difficultatem, neque directè satisfacit argumento. Argumentũ enim probat, perfectiuum, & constitutiuum esse idem, atque adeò perfectionem respectare ad eiusdem cõstitutionẽ; quòd autem concipiendo ens non concipiatur, ex quo perficiatur, non facit, quòd perfectiuum non sit constitutiuum; & quòd possit perfectio assignari pro passione. Imò cum non possit concipi constitutum, nisi concipiatur etiam constitutiuum, eo ipso, quòd concipitur ens, concipitur etiam constitutiuum ipsius, quamuis non præcisè sub ratione cõstitutiui: hoc tamen non facit, vt possit assignari pro passione entis, quia constitutiuum non est posterius constituto, vt debet esse passio. Præterea si concipiatur explicitè ex quonam perficiatur ẽs adhuc concipitur, ex quonam constituatur, ergo non concipietur passio entis, sed constitutiuum entis. Neq; verum est, posse dari in ente duplicẽ conceptum alterũ illius, quod perficitur, & alterum illius, quod perficit; est enim ens vnica simplicissima ratio irresolubilis in plures conceptus. Rursus quando concipitur aliqua ratio communis, semper concipitur ratio eius quidditatiua, sic quando concipitur animal, concipitur ratio quidditatiua animalis, quãdo cõcipitur homo, concipitur ratio quidditatiua hominis, alioquin non conciperetur ratio cõmunis; vnde quando concipitur ens in communi, quocunq; pacto concipiatur, debet concipi etiã esse quidditatiuum ipsius, atq; adeo etiã eius essentialis perfectio. Quod præsertim verum est: quoniam quando ens cõcipitur vt radix bonitatis, cõcipitur vt ab ipsa contradistinctum; hoc enim omnino necessarium est, saltem quò ad aliquã distinctionem; sic autem contradistinctũ debet importare aliquid, quod sit radix talis attributi, quod nõ põt esse aliud, quàm rõ quidditatiua ipsius; & quæ primò illi conuenit. Vnde necesse est, vt cõcipiatur etiã cum sua quidditatiuã perfectione, quia hæc, sicuti non est separabilis, neq; secundũ mentẽ ab ente, ita neq; perfectio quidditatiua põt separari à ratione quidditatiua. Quod ex eo quoque confir. quoniam, dum intellectus concipit, ex quonam perficiatur ens, concipit etiam essentialia ipsius, quibus in esse entis constituitur, & ideo non concipit attributum.

Conceptu ente semper concipitur perfectio quidditatiua illius.

Responsio ex Vasquez.

Impugnatur.

IX. Denique argumentari possumus. Quando dicimus, ens esse perfectũ essẽtialiter, significamus nihil ei deesse ad 3. ratio

essentialem constitutionem, sicut cum dicimus, hominem esse perfectũ in ratione hominis, nihil aliud significamus, quàm nihil deesse in ratione hominis. Cum autem dicimus, ens esse bonũ, nõ solùm significamus, nihil ei deesse, quod pertineat ad cõstitutionẽ entis, sed aliquid amplius, quod explicitè non dicat rationem entis, alioquin non posset bonitas constitui pro passione entis; passio enim debet saltem aliquid explicare, quod non explicat subiectum, quod tamen non cõtingit, si bonitas formaliter ponatur in perfectione rei: quæ nõ explicat aliquid diuersum ab esse rei, sed explicat ipsũ esse rei, quatenus habet id, quod requirit ad suimet constitutionem. Vnde perfectio entis non est bonitas entis, sed fundamentum illius.

X. Hinc ad fundamenta in oppositũ resp. Aliud esse, quòd bonitas oriatur ex perfectione rei, & aliud, quòd formaliter cõsistat in ipsa, quòd enim oriatur ex perfectione rei, dicit, quòd supponat ipsam perfectionẽ vt fundamẽtũ; atq; adeo, quòd sit aliud formaliter sal tẽ secundũ esse explicitũ. Et hoc voluit D. Dionys. ibi citatus, quando docuit, Bonũ esse ex integra causa, quia nimirũ consurgit posita perfectione rei tãquã fundamento. Et præcipuè intẽdebat assignare discrimen, quod est inter bonũ, & malũ, quòd malũ præsertim in moralibus habetur per quẽcunq; defectũ; bonũ autẽ nõ habetur, nisi ex integra causa, hoc est ex integritate, & cõcursu eorũ omniũ, quæ requirũtur, vt bonũ cõpletum sit: hinc in moralibus quicunque defectus vitiat actum; nec dicitur simpliciter bonus, nisi secundùm omnia requisita, & circumstantias bonus sit. Hinc etiam patet responsio ad secundũ, nã sicuti posita perfectione rei ponitur eiusdem bonitas, non formaliter, sed consequutiuẽ, quia ponitur fundamẽtũ eiusdem; ita similiter ablata perfectione, aufertur etiã consequutiuè bonitas, quia deest fundamentũ, & ob id equus, cui deest oculus, est malus, quia cũ desit illi integritas debita, atque adeo fundamentum bonitatis integralis, deest etiam bonitas integralis. Ad tertium dicitur. Ens, & perfectum non esse quidem synonima, non tamen perfectionem se habere vt eius passionem; sicut neq; definitio est quid synonimũ cum ente, non tamen est eius passio. Cũ ergo dicitur, *Ens est perfectum*; significatur, ens habere id, quod requiritur ad sui constitutionem, atque adeo non est propositio identia sed per ipsam explicatur perfecta constitutio eiusdẽ entis: nõ tamen est propositio, in qua passio prædicetur de subiecto, sed in qua constitutiuum prædicatur de cõstituto.

Perfectio rei non est eius bonitas, quia ... abesse ... [margin notes partly illegible]

Ad fundamenta in opposi tum.

Discrimẽ inter malum, & bonum.

Bonitatem non consistere formaliter in appetibilitate.

SECTIO IV.

I. Qvarta sententia vult, bonitatem de suo formali importare perfectionẽ rei, nõ tamen præcisè, vt asserebat præcedẽs sentẽtia, sed quatenus appetibilem; ita vt perfectio veluti materialiter se habeat, appetibilitas verò formaliter, & tãquam vltimũ formale complementum bonitatis. Accipit autem appetibilitatem non quatenus importat denominationem extrinsecam desumptam ab appetitu, sed quatenus dicit illam conuenientiam, ratione cuius ens redditur appetibile. Verùm hæc sententia diuersimodè explicatur, vnde continet diuersos modos dicendi. Quidam enim collocant bonitatem in appetibilitate, qua ens redditur bonum respectu appetitus, & ab ipso expetibile. Et hæc procul dubio est sententia D. Th. 1. par. quæst. 5. art. 1 ibi enim quærit, quid bonum addat supra ens, & respondens inquit *Dicendum, quòd bonum, & ens sunt idem secundùm rem, sed differunt secundùm rationem tantùm. Quod sic patet. Ratio enim boni in hoc consistit. quòd aliquid sit appetibile; vnde Philosoph. in 1. Eth dicit. Quòd bonum est, quod omnia appetũt. Manifestum est autem, quòd vnũquodque est appetibile, secundùm quod est perfectum, nam omnia appetunt suam perfectionem.* Ex quibus manifestum fit, quonam modo collocet bonitatem formaliter nõ in sola perfectione præcisè accepta, vt contendit Vasquez. sed in perfectione, quatenus dicit rationem appetibilitatis: Et ad 1. habet. *Bonum dicit rationẽ perfecti, quod est appetibile*, & art. 2, ad 1. *Bonum autem, cum habeat rationem appetibilis, importat habitudinem causæ finalis.* Atq; hanc doctrinã alibi sæpe repetit. Sequitur Caiet. ibid. Et hoc ipsum sentiunt Ferrar 1. contra Gẽt. c. 37. Iauel.

4. cõclus.

Bonitatẽ cõsistere in appetibilitate.

Primus modus dicendi explicans appetibilitate per ordinem ad aliud.

Caiet. Ferrar. Iauel.

de Transcendent. cap. 6. Bannes 1. par. quæst. 5. ar. 1. quamuis magis videatur sentire, appetibilitatē consequi ad rationē boni, cum quo etiam cōcordat Cumel. ibid. quæst. vnica. Præterea Suarez in Metaph disp. 10. sect. 1 num 12. Valentia tom. 1. disp. 1. quæst. 16. puncto 1. Hurtad. in Metaph. disp. 7. sect. 4. Smising tract. 3. de Deo vno disp. 1. quæst. 2. nu. 4. atque alij. Bannes autem, & Cumel ponunt bonitatē in absoluto formaliter, sed quid dicat hoc absolutum, non explicant: fortasse intelligunt appetibilitatem formaliter acceptam, ad quam postea consequatur formalis ordo appetibilitatis, siue relatio, vt ex eorum doctrina colligitur. Verùm circa hunc modum dicēdi aduertendum est, quod ita hi Auctores ponunt rationē bonitatis in appetibilitate respectu appetitus, vt nō præcisè velint intelligi de appetibilitate illa, quæ oritur ex congruentia rei ad ipsum appetentem, sed de appetibilitate, qua res quomodocunque est cōgrua, & conueniens alteri, ita vt possit ipsi appeti ab aliquo appetente ex eo, quòd cognoscat esse illi bonam: vnde est quidem appetibilitas dicta in ordine ad appetitum, non tamen est semper conuenientia respectu ipsius, sed vel respectu ipsius, vel respectu alterius.

II Secundus modus non explicat appetibilitatē per ordinē ad appetitū, & conuenientiam, qua res bona est alteri conueniens: sed vult consistere in illa appetibilitate, quæ oritur ex eo, quòd ens comparatur cum nō ente & respectu ipsius est quid expetibile. Vnde hic quoque modus explicat appetibilitatē in ordine ad appetitum; sed discrimen in hoc consistit, quòd non ponit, eam oriri ex conuenientia vnius rei ad aliā, sed ex comparatione entis ad non ens. Ita autem tradit Recentior quidam; & fundatur in eo; Quòd cum bonitas sit passio entis, debet reciprocari cum ente, ita vt de vnoquoque dicatur: hoc autem habet appetibilitas illa, quæ oritur ex comparatione entis ad non ens; hæc enim cō uenit vnicuique enti, siquidē quodlibet ēs cū non ente cōparatū melius est, quàm non ens. Et similiter malitia opposita huic appetibilitati conuenit omni non enti, quod etiam indicat, hanc appetibilitatem conuenire omni enti.

III. Tertius modus est similiter quorumdam Recentiorū qui neque explicant appetibilitatē in ordine ad appetitum cognoscitiuæ naturæ, neque volunt oriri ex conuenientia vnius ad alterum; neque ex comparatione entis ad non ens, sed ex eo, quòd ens cum seipso comparatur, atque est sibi ipsi appetibile: vnde volunt, bonitatem nihil aliud formaliter esse, quàm appetibilitatem illam; qua vnūquodque ens redditur appetibile sibi ipsi. Mouentur ex eo, quòd huiusmodi appetibilitas est verè transcendentalis, & æquè patet ac ens; conuenit enim cuicunque enti etiam independenter à quocunq; alio; vnde si per impossibile reperiretur vnicum tantùm ens, atque cætera omnia essent impossibilia, adhuc saluaretur in ipso propria bonitas, sicvt saluatur radix bonitatis, nempe ratio entis; quod non contingeret, si bonitas consisteret in appetibilitate respectu alterius. Deinde reperiuntur quædā entia, quæ nulli sunt appetibilia, vt est odium Dei: vnde vt ponatur appetibilitas vniuersalis, & conueniens cuicunque enti, debet explicari in ordine ad ipsum ens, quatenus est sibi ipsi appetibile.

IV. Hæc tamen sententia secundùm vtrumquemque modum patitur graues difficultates, ob quas nobis probari non potest. Dicendum est igitur primò. Bonitatem de suo formali non importare conuenientiam vnius rei respectu alterius, seu appetibilitatē ortā ex huiusmodi conuenientia. Aduertere tamen oportet; aliud esse, rem aliquam esse conuenientem alteri ratione propriæ bonitatis: & aliud bonitatem consistere formaliter in hac conuenientia. Primum enim dicit, quòd ratio bonitatis sit illa, quæ reddat rem alteri conuenientē, vnde bonitas præsupponitur ab ipsa conuenientia tanquam ea, à qua oritur: & nos hoc admittimus, neque oppositum in hac conclusione docemus. Secundū dicit, quòd cōuenientia sit ratio formalis bonitatis, & consequēter, quòd ab ipsa non oriatur, sed eam ponat in esse, cuius oppositum in præsenti conclusione docemus, asserentes, bonitatem non consistere formaliter in hac conuenientia.

V. Probatur. Antequā intelligatur, cuinā res cōueniens sit, sed statim ac in seipsa intelligitur participare aliquā esse-ctiam intelligitur bona; & si intellectus

concipiat, rem tantùm aliquam determinatam esse possibilem, cœtera verò omnia impossibilia; ex hac quidem fictione intellectus sequitur ablatio conuenientiæ, qua res sit conueniens alteri, quia ablatis cœteris entibus auferuntur omnia consequenter, quæ ab ipsis dependent, non tamen aufertur bonitas; cum enim remaneat ens, quod est radix bonitatis, debet etiam remanere bonitas in ipso radicata; & hoc ipso, quòd esset ens, esset etiam bonum, si quidem haberet in se totum id, quod de facto habet. Et potest pro hac ratione desumi confirmatio ex ipsismet viuentibus præditis appetitu præsertim rationali: huiusmodi enim viuentia cognoscunt proprium esse, atque illud amant ita vt possint non amare; & consequenter debet tale esse habere rationem boni, cum sit obiectum amoris. Verùm non potest habere rationem boni, quæ consistat in conuenientia respectu alterius, quia cum idem non distinguatur à seipso, neque etiam potest dici, quòd cum idem amat seipsum, tendat in bonum consistens in conuenientia respectu alterius, tendit enim in seipsum. Cum ergo datur aliquod bonum, quod non consistit in conuenientia respectu alterius, hinc infertur, bonum ex genere suo non consistere in conuenientia ad alterum, alioquin omne bonum deberet consistere.

Ens est bonum independenter ab extrinsecis.

Viuentia rationalia amãt propriũ esse.

2. ratio

VI. Secundò probatur. Non potest intelligi conuenientia, qua vnum sit conueniens alteri, nisi intelligatur facta diuisio entis, atque determinatio per sua inferiora; hæc enim conuenientia fundatur in multiplicate entium, quam necessariò requirit, alioquin quomodo intelligeretur vnum conueniens alteri, nisi interueniret multiplicitas entium? hæc autem multiplicitas nòn habetur, nisi per diuisionem, & determinationem entis vt sic; importat enim entia determinata. Si ergo bonitas consisteret in hac conuenientia, non prius haberetur bonitas, quàm diuisio, & determinatio entis ad inferiora, imo esset posterior tali diuisione, tanquam quid ab ipsa consurgens; quod tamen dici non potest, nam bonitas est passio entis, & ab ipso immediatè consequitur; videmus enim tale ens importare talem bonitatem, & consequenter debet ens vt sic importare rationem communissimam bonitatis vt sic. Quod insuper confirmatur potest. Si bonitas consisteret in conuenientia vnius ad aliud, originaretur ab ente, quod esset alteri conueniens, & quod esset tale ens, quia iam ostensum est, quomodo conuenientia fundetur in pluralitate entium, atque adeo in entibus determinatis. Vel ergo bonitas fundata in hac conuenientia est bonitas vt sic, vel talis bonitas: non bonitas vt sic, quia sequeretur, quòd ibi non posset esse vlla bonitas, vbi nõ esset illud ens determinatum, ex quo habetur illa conuenientia; nam sine tali ente non posset haberi bonitas vt sic, atque adeo nulla bonitas, quia omnis bonitas fũdatur in bonitate vt sic. Si verò est talis bonitas; contra hoc instatur, quoniam si bonitas fundatur in conuenientia, debet bonitas vt sic fundari in conuenientia vt sic, atque adeo in tali ente, quoniam non potest haberi conuenientia, nisi habeantur talia entia. Deinde assignetur, in quonam fundetur bonitas vt sic; si fundatur in ente vt sic, sequitur non fundari in conuenientia, quia ens vt sic præcisè abstractum non habet aliud ens, cui conueniens sit. Et rursus addi potest. Quòd si bonitas consisteret in conuenientia, cum bonitas vt sic consequatur ad ens vt sic, ẽs vt sic esset alteri cõueniẽs, atque proportionatum: hoc autẽ minimè dici potest, quoniam quod est conueniens alteri, dicit ordinem saltem transcendentalem ad ipsum: posito autem ordine transcendentali non habetur amplius ens vt sic, sed tale ens.

Bonitas entis prior diuisione, & terminatione ipsius entis.

Bonitas vt sic nõ potest fundari in tali ente, a quo a leo nec a conuenientia.

VII. Tertiò argumentor. Bonitas, cum sit passio entis, conuenit illi ab intrinsecis suis principijs, ita vt secundùm quod ens est, debeat habere suam propriam bonitatem: vnde ex hoc fit, quòd in se sit absolutè bonum, atque simpliciter, vt etiam est absolutè, & simpliciter ens. Verùm hoc efficit, ne possit bonitas consistere in conuenientia vnius ad alterum: per hanc etenim conuenientiam res non constituitur simpliciter, & absolutè bona in seipsa, sed tantùm respectiuè ad aliud, quod non sufficit, vt dicatur simpliciter, & absolutè bona; quod enim est tale respectu alterius, non est tale absolu-

3. ratio

Per conuenientiã ad alterum ens non constituitur absolutè bonum

tę. Accedit etiam quod nullum ens est conueniens, & proportionatum cuicunque enti, sed si vni est conueniens, alteri quoque est disconueniens, seu saltem non conueniens; vnde posita bonitate in conuenientia vnius ad aliud, omne ens ita erit bonum, vt etiam sit malum; imo æquè erit bonũ, ac malum, quoniam æquè habebit cõuenientiam, & non conuenientiam. Ex quo fiet, quòd vtraque ista propositio *Omne ens est bonum*; *Omne ens est malum*, erit vera, sicut verum etiam est, quòd omne ens sit alicui conueniens; & alicui sit non conueniens: & propterea contradictoria, nempe esse bonum, & non bonum, seu malum de eodem ente verificarentur; quod manifestè indicat, ens non esse simpliciter & absolutè tale, quia contradictoria possunt tantùm de eodem verificari secundùm quid, non absolutè.

4 ratio

VIII. Quartò. Vt aliquid sit conueniens alteri, requiritur, vt importet aliquam perfectionem, qua careat illud, cui conueniens est, quia si haberet illam ipsam perfectionem, non illam exigeret, neque esset amplius illi communicabilis, siquidem non communicatur alicui id, quod iam habet. Ex hoc portò sequitur, quòd non possit aliquid esse conueniens alteri secundùm rationem entis vt sic, sed solùm secundùm rationem talis entis cõtradistincti ab eo, cui conueniens est. Vnaquaque enim res participat rationem entis, & ideò non potest ex vi entis vt sic recipere aliquam perfectionem, quam non habeat. Hoc autem stante, sequitur, bonitatem non conuenire enti, vt ens est, nec cum ipso tanquam passionem adæquari; cum enim ens non possit ordinari ad aliud secundùm rationem entis vt ipsi conueniens, neque etiam potest habere bonitatem; Vnde cum certum sit, ens habere bonitatem, quæ ipsi conueniat tanquam passio, alioquin nec tale ens haberet talem bonitatem, concludendum est, non consistere in conuenientia vnius ad aliud. Quod etiam ex eo confir. Quoniam quod est alteri bonum, est terminus inclinationis illius, inclinatio autem est tantùm ad id, quod non est in inclinante, vt pote quia est ad aliquid acquisibile, & nihil tendit ad acquisitionem illius, quod iam habet.

Bonum respectu alterius dicit aliquã perfectione respectu illius.

IX. Quamobrem, vt iam ex dictis colligitur, Bonum respectu alterius debet consistere in re aliqua, quod dicat proprium esse determinatum, secundùm quod sit alteri communicabile, ita vt per hanc communicationem illi conferat aliquam perfectionem. Vnde non erit bonum transcendens conueniens enti vt sic, quo sit bonum in seipso, sed erit bonum respectiuum cõueniens tali enti determinato, quod habet rationem acquisibilis, atque perfectionis respectu alterius. Et hoc voluit Aris. quando dixit; *Bonum esse id, quod omnia appetunt*. Imo & de hoc bono intellexit D. Th. quando dixit; Consistere in perfectione, quatenus appetibili ex eo, quòd sit alteri conueniens, quod indicauit per id, quòd dixit, hoc bonum habere rationem finis; illud autem solum bonum habet rationem finis, quod dicit naturam aliquam completam, qua alteri conueniens est, & mouere potest ad suim t physicam acquisitionem. Habet autem hanc conuenientiam ratione bonitatis, qua est bonum in se; cum enim sit bonum in seipso, eo ipso, quòd alteri communicatur, affert ipsi aliquam bonitatem, & ideo dicitur illi conuenire.

Quodnã bonũ dicat conuenientia respectu alterius.

Aris.

D. Th.

X. Secundò dicendum est. Bonitatem transcendentalem non consistere formaliter in eo, quòd ens melius se habeat, quàm non ens, seu in appetibilitate orta ex comparatione entis ad non ens. Quamuis enim ens comparatum ad non ens melius sit, atque appetibile; non tamen per hoc explicatur ratio formalis bonitatis; quòd enim ens comparatum ad non ens sit expetibile, atque melius, nihil aliud dicit, quàm quòd habeat bonitatem, quæ non est in non ente: non autem explicat, in quo consistat ratio formalis bonitatis, sicut si facta comparatione duorum bonorum diceretur, vnum esse melius altero, per hoc quidem explicaretur excessus bonitatis vnius supra alterum, non tamen explicaretur, in quo consisteret formaliter illa bonitas secundùm quam contingeret excessus. Quod amplius confir. quoniam in tantum melius est esse, quàm non esse, in quantum per ipsum esse fit recessus à non ente; verum non per solam præcisam rationem bonita-

2. cõclus.

Bonitas non consistit in appetibilitate ex comparatione ad non ens.

tis sit recessus à non ente, sed etiam secundùm conceptum adæquatum eiusdem entis; vnde si verum esset, bonitatem consistere in eo, quòd melius sit esse, quam non esse, oporteret totum conceptum adæquatum entis esse puram rationem bonitatis, atque adeo bonitas formaliter non esset attributum entis, sed ipsum ens.

XI. Et ita philosophandum est, si intelligatur de esse siue possibile sit, siue existens, de quo dicitur melius esse, quàm non esse. Si verò intelligatur tantùm de existenti, & actuali, vt intelligit Auctor oppositæ sententiæ, quia putat, possibilia non habere veram rationem entis, sed tantùm existentia; tunc ex alio capite arguitur. Quamuis enim possibilia non sint aliquid in seipsis realiter, adhuc tamen verum est, quòd possunt concipi cum toto illo esse quidditatiuo, quod habent, quando actu existunt præscindendo ab existentia; obijciuntur.n.secundū realitatem propriæ essentiæ, quæ secundùm sua omnia quidditatiua existit in esse obiectiuo. Et possibilia sic concepta comparari possunt cum impossibilibus, vt essentia realis hominis potest concipi secundùm sua quidditatiua, & comparari cum aliquo impossibili. In hac autem comparatione intellectus intelligit ex parte illius essentiæ realis, quòd melius sit esse possibile, & eamdem proportionem, quam percipit inter existens, & non existens, percipit etiam inter possibile, & non possibile, ergo possibile quoque dicet rationem bonitatis. Quod præsertim dicendum est, quoniam bonitas vt sic abstrahit ab existentia, & est passio entis vt sic, ens autem vt sic dicit tantùm præcisam rationem essendi, quæ abstrahit ab existentia, & tantùm potest existere in hoc, vel illo ente indiuiduo. non est tamen necesse, nos concipere ens indiuiduum existens, vt concipiamus bonitatem, sed optimè eam possumus concipere concipiendo solum ens vt sic, quod sanè non contingeret, si bonitas conueniret tantùm enti existenti.

Bonitas extenditur etiā ad possibilia.

XII. Atque hic discursus ex eo etiam confir. quoniam ipsæmet rerum essentiæ, vt essentiæ sunt, habent suam bonitatem, ita vt quælibet ratio ipsarum præcisè bona sit; atque hinc habent res, quòd sint inæqualis bonitatis saltem materialiter loquendo, quàmuis omnes inæqualiter existant. Hinc etiam habent, quòd possint allicere appetitum; nam non ratione existentiæ, sed ratione suæ essentiæ alliciunt, & proinde aliquæ alliciunt appetitum, aliquæ non alliciunt, quamuis æqualiter existant, aut possint existere: quod certè contingere non posset, nisi secundùm suam essentiam essent bonæ. Et cum ratio entis reperiatur in qualibet essentia præscindente ab existentia, debet consequenter in ipsa reperiri intrinseca bonitas, quia ratio entis est prima, & vera radix eiusdem bonitatis. Quod etiam ex eo conuincitur, quoniam res omnes, quæ existunt secundùm se totas bonæ sunt, quippe secundùm se totas proueniunt à Deo, & sunt obiectum diuinæ complacentiæ, qua vult ipsis totum illud esse, quod habent, cum autem diuina volitio non possit ferri nisi in bonum, necesse est, vt secundùm totum suum esse bonæ sint. Rursus bonitas, vt in superioribus ostendimus, est quid intimè imbibitum in esse rei bonæ, vnde quicquid abstrahitur ab ente existenti, abstrahitur cum sua propria bonitate: & propterea si abstrahatur essentia illius, & solùm consideretur secundùm esse possibile, importabit suam bonitatem. Ex quibus constat, quomodo bonitas non rectè coarctetur ad sola existentia; præsertim quia existentia de se formaliter nihil aliud facit, quàm reducere in actum, quod est in potentia; vnde non confert bonitatem, sed illam de potentia facit in actu: & ideo sicut essentiæ præcisa existentia dicunt veram rationem essentiæ, ita etiam dicunt veram rationem bonitatis.

Bonitas conuenit rerum essentijs, vt tales sūt.

Totū esse tē bonum est.

XIII. Hinc ad fundamentum contrariæ sententiæ dicitur, conuenire quidem omni enti, melius esse ens, quàm non ens, atque adeo in comparatione ipsius esse expetibile; verùm hoc non esse explicare rationem formalem bonitatis, vt iam dictum est, sed solùm quòd ens sit bonum in comparatione non entis; loquendo tamen de ente, prout includit tum possibilia, tum existentia: quia si accipiatur prout includit tantùm existentia, ita vt cum dicitur, melius esse ipsum esse,

Ad fundamentū in opositum.

quàm

quàm non esse, intelligatur solùm de esse existenti, tunc verum non est, bonitatem adæquari cum ente vt sic, quoniam ens vt sic transcendit tum per possibilia, tum per existentia; & ideo bonitas quoque debet æquè latè patere.

3. conclus.

Bonitas non consistit in eo, quòd ens sit sibi ipsi appetibile.

XIV. Tertiò dicendum est. Bonitatem transcendentalem non consistere in eo, quòd ens sit appetibile sibi ipsi, ita vt per hoc explicetur formalis ratio bonitatis. Non negamus tamen non posse idem appetere seipsum, nam & Deus amat seipsum, atque suam bonitatem; & creatura quoque intellectualis amat seipsam. Sed, quod dicimus, est, bonitatem non consistere in hac appetibilitate, præsertim si loquamur de bonitate transcendentali, quæ conuenit enti vt sic tanquam passio. Probatur. Quoniam appetere est naturæ completæ; vel enim se habet per modum operationis, vel per modum ponderis. Si per modum operationis, manifestum est, quòd cõuenit tantùm naturæ completæ cognoscitiuæ; necessariũ est .n. pro operatione hac appetitionis, vt per cognitionem apprehendatur obiectum, & præsentetur appetitui, qui deinde promat suam operationem. Si verò se habet per modum ponderis, adhuc conuenit tantùm naturæ completæ; nam pondus istud est ad essendum in se, atque habendum esse sibi communicatum; cum autem possit communicari tantùm esse completum, quod cõstituat aliquam integram entitatem, ideo solum huiusmodi appetibilitas conuenire potest entitati integræ, atque in ordine ad existentiam. Vnde non possumus enti vt sic attribuere appetitum ad proprium esse, alioquin tribueremus aliquid improportionatum.

Appetere conuenit solis completæ naturæ.

XV. Quod etiam confir. Quamuis enim in rebus inanimatis ponatur pondus ad essendum, non tamen potest distingui ratio appetibilis, & appetitiui; pondus enim huiusmodi non aliud esse potest, quàm naturalitas eiusdem ipsi toti intimè superfusa, quæ quidem non est ad aliud, sed facit tantùm, idem esse naturali modo se habere, atq; iuxta suam intrinsecam exigentiam; at verò vt ponamus in eodem ente ratione appetibilis, & appetitiui, necesse est vt ponatur distinctio rationis; & constituantur diuersa extrema, quæ importent diuersas rationes formales; nã alterum debet importare rationem appetibilis, & alterum appetitiui, quæ sunt diuersæ formalitates. Ex quo fit, quòd id nequeat contingere per distinctionem eiusdem à seipso, quia in hac distinctione quod dicit vnum extremum, dicit etiam alterum, vnde erit distinctio rationis, per quam plures formalitates constituuntur in eodem obiecto. Verùm hinc sequitur, bonitatem non posse consistere in appetibilitate, qua idem est sibi ipsi appetibile, nam non totum esse, sed pars tantùm, illud nimirum extremum, quod in hac distinctione se haberet per modum appetibilis, esset bonum: quod tamen dici non potest, quoniam quodlibet ens secundùm totum suum esse est bonum. Præterea si bonitas consisteret in eo, quòd idem est sibi ipsi appetibile, non esset quid reale, sed dependeret à fictione intellectus, cum enim non possit dici idem sibi ipsi appetibile, nisi ponatur distinctio rationis, qua idem distinguatur à seipso, cõsequenter bonitas dependebit ab hac distinctione rationis, atque adeo non erit quid reale independenter ab intellectu. Quod præsertim verum est, quia si nullus esset intellectus, qui posset ponere huiusmodi distinctionem rationis, adhuc cætera entia essent bona, nam eodem pacto se haberent, ac de facto se habent. Quod insuper confir. posita hac distinctione, qua idem distinguatur à se ipso, neque adhuc in omni ente est ratio ista appetibilis, & appetitiui, quia hæ sunt quædam rationes determinatæ, quæ tantùm tali enti determinato conuenire possunt; vnde oporteret etiam, vt intellectus has rationes fingeret, & proinde tota ratio bonitatis esset omnino ficta, quod sanè dici non potest.

Bonitas esset ficta, si consisteret in appetibilitate respectu sui ipsius.

Idem nõ est appetitiuũ respectu sui ipsius

XVI. Secundò probatur. Ratio appetitus importat determinatam rationem entis, siue sumatur pro appetitu innato, siue pro elicito, non enim solùm dicit aliquid, quod habeat esse præcisè, sed etiam quod habeat tale esse. Ens autem vt sic transcendens dicit solam communissimam rationem entis; ita vt nullam importet determinationem. Vnde in ipsa non potest 2. ratio

habe-

haberi aliqua ratio appetitus, aut appetibilis; non enim ponitur vnum, nisi simul ponatur alterum, cum se mutuò, atque necessariò inferant, & tamen habetur ratio boni transcendentalis, & ideo impossibile est, bonitatem in eo consistere, quòd ens sit sibi ipsi appetibile. Quod insuper confir. Quoniam ratio appetitiui dicit rationem inclinatiuam in bonum, & ratio appetibilis dicit rationem attractiuam appetitus; vnde important diuersas formalitates entis, quæ tamen in ente communissimè sumpto reperiri non possunt; dicit enim conceptum in plures irresolubilem. Præterea cum ratio appetibilis, & appetitiui sint diuersæ formalitates entis, diuident ens vt sic, & erunt inferiora ipsius, non autem passio, quæ cum ipso adæquetur; est enim contra rationem passionis, quòd diuidat subiectum, & minus latè pateat, quàm ipsum. Rursus cum sint diuersæ formalitates, si in vna consistet ratio formalis bonitatis, non consistet in alia, atque adeo ens secundùm se totum non erit bonum.

Ratio appetitus, & appetibilitatis non potest saluari in ente vt sic.

XVII. Neque fundamenta in oppositum sunt magni momenti. Falsum enim est, hanc rationem appetibilitatis transcendentaliter se habere, quippe non potest reperiri in ente vt sic, vt modo ostensum est, cum importet rationem determinatam entis. Quòd si reperiretur, haberet quidem eamdem vniuersalitatem cum ente, non tamen importaret rationem formalem bonitatis, quoniam non caderet supra totum esse adæquatum entis: præter rationem enim appetibilis ponenda esset ratio appetitus, vt in superioribus prosequuti sumus. Quòd si esset vnicum tantùm ens, & cætera essent impossibilia, illud quidem haberet suam propriam bonitatem, sed non qua esset bonum sibi ipsi, sed qua esset bonum in seipso. Esse autem bonum in seipso dicit imbibere in suo esse bonitatem: esse verò bonum sibi ipsi, diceret habere esse bonum, quod ratione bonitatis esset sibi ipsi bonum, in quo inuoluitur distinctio illius, quod est bonum, & illius, cui est bonum, quod sanè contingere non potest in vno, atque eodem ente. Cum autem dicitur, dari quædam entia, quæ nulli sunt bona, id tantùm probaret, quòd bonitas non consistat in conuenientia vnius ad aliud, non verò quòd consistat in appetibilitate eiusdem respectu suipsius. Et absolutè falsum est, dari entia, quæ nulli sint bona, nam vel sunt substantiæ, vel accidentia. Si substantiæ, sunt bona saltem respectu aliquorum accidentium, quibus se exhibent vt connaturale subiectum. Si verò sunt accidentia, adhuc bona sunt respectu sui connaturalis subiecti, quod accidentali modo perficiunt; quodlibet enim accidens habet aliquod subiectum, cui connaturale sit. Hinc odium quoque Dei, licet moraliter malum sit, est tamen bonum quoddam physicum voluntatis, quia tanquam actus illius illam perficit. Secundùm verò malitiam moralem non importat aliquid positiuum, sed quid merè negatiuum, nempe carentiam debitæ rectitudinis, quæ in eo consistit, quod actus non tendat in Deum eo modo, quo debet tendere; tendit enim auersiuo modo, cum debeat tendere modo prosecutiuo. Et ideo sicuti secundùm hanc rationem non est ens, ita neque habet bonitatem in se, neque respectu alterius.

Ad fundamenta in oppositum.

Ens omne est alteri bonum.

Odium Dei, quo modo malū, & bonum.

Vera ratio formalis bonitatis.

SECTIO V.

I. VT veram rationem bonitatis explicemus, quædam prius prænotanda sunt, quæ veluti viam sternant ad explicationem. Atque si ad ea, quæ in superioribus dicta sunt, respiciamus, manifestum fiet tanquam certum supponendum esse, quòd bonitas non aliunde desumi debet, quam ex ipsomet esse rei, ita vt non sit aliquid superadditum entitati, sed sit ipsamet res sub peculiari quadam ratione considerata. Hoc colligitur etiam ex Genes. 1. vbi de rebus à Deo creatis habetur. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Vnde etiam D. August. in tom. 3. lib. 1. de Doctrina Christ. cap. 32. non separat bonitatem ab ente, sed ponit identificari cum ipso, loquens enim de Deo inquit; *Quia bonus est, sumus: & in quantum sumus, boni sumus* Vbi vides, quomodo ratione ipsius esse tribuit bonitatem creaturæ. Cæterum bonitas importat

Bonitas non est aliud ab essentia.

Genes. 1.

D. Aug.

esse

esse creaturæ sub peculiari ratione cōsideratū;& proinde bonitas dicitur distingui ab ipso esse, quatenus nō sub ratione esse̅di,sed sub peculiari alia ratione cōsideratur Vnde Boet.lib. de Hebdomad. inquit *Intueor in rebus aliud esse, quòd sunt bona, & aliud esse, quòd sunt.* Et Boet. propterea in ēte quoq;cōmunissimè sūpto bonitas trāsce̅de̅talis nō erit aliud, quā ipsū e̅s peculiari modo cōsideratū.

II. Hinc autē fit,quòd etiā tāquam certum supponendum est.Rationē bonitatis formaliter non esse quid negatiuum,sed aliquid positiuū, quod nō solū Bonitas non est quid negatiuum. ex supradictis habetur , sed etiam ex eo colligitur, quoniā si ex vi boni vt sic bonitas esset ex suo genere aliquid negatiuū,quodlibet bonū deberet esse tale seruata proportione , quia rō cōmunis sēper cōpletur,& determinatur per rationes proportionatas;fieri autē nō potest,vt negatiuū per positiuū cōpleatur. Cōstat autē dari,quædā bona positiua secūdū omnē rationē bonitatis;siquidem obiectū voluntatis,quæ ipsā mouent,atq;specificāt;atq;certū est,potētiā realē non posse moueri,atq; realiter attrahi , nisi ab obiecto reali, & multò minus specificari;cū .n. potētia per suā specificationē constituatur in esse,quomodo cōstitueretur in esse reali, nisi specificatio esset realis,aut quomodo specificatio esset realis,nisi obiectū specificatiuum esset reale ? Et hoc etiā patet , quoniā si intellectus proponat volūtati aliquod nō ens,quāuis propon it sub ratione entis,si interueniat iudiciū,quo iudicet,esse non ens, repræsentatū tamē ad modum entis, impossibile erit,quòd appetitus in ipsum feratur : quod certe manifestè indicat,bonū,in quod fertur, esse necessariò aliquid positiuum. Hinc Aris. Arist.6. Metaph. docet,bonū esse in rebus;loquēs enim de veritate,& falsitate enunciatiua ait,non esse in rebus , vt est ipsū bonū,ita vt verū sit ipsū bonū, & falsū ipsū malū Eius verba sūt in tex. 8. *Nō.n.est verū,& falsū in rebus (vt quod bonū verū,quod verò malū falsū)sed in mēte.*

III. Præterea Bonitas entis dupliciter considerari potest:quāuis enim in Boni: absoluta & comparatiua vno,atq; eodem ente vnica tantū bonitas reperiatur , potest tamē cōsiderari , & quatenus reddit ens bonū in seipso , & quatenus reddit bonū & cōueniēs alteri.Ens.n.quod est alteri cōueniēs,habet ratione suæ bonitatis,qua est bonū in seipso,quòd sit alteri bonū;vnde quāuis vna,atq;eadē bonitas sit,indicit tamē rationē duplicis bonitatis, absolutæ nimirū,qua res absolutè in se bona est; & cōparatiuæ,qua est bona alteri. Atq; hanc duplicē rationē bonitatis insinuat D:Aug.lib.8. de Trinit. cap.3. & eā disertis verbis tradit D. Th. 1.2. quæst. 26. D. Aug. D. Th. ar.4.in corpore vbi ait. *Sicut.n.ens per se simpliciter est,quod habet esse; ens autē secūdum quid,quod est in alio:ita etiā bonū,quod conuertitur cum ente simpliciter quidem est, quod ipsam habet bonitatem, quod autem est bonū alterius est bonū secundū quid.* Dicitur autē quod est bonū in se,bonū simpliciter,quia absolutè est bonū, & nō est ita bonū, vt sit etiā malū. Bonū autē respectu alterius dicitur bonū secundū quid, quia ita est bonū respectu alicuius , vt etiā respectu alterius nō sit bonum. Ex hac autem duplici acceptione b initatis prior est illa,qua ens est bonum in seipso, quippe prius,est rem constitui in seipsa,quàm ordinari ad aliud.

IV. His præmissis:Dicendū est primò.Ens habere suā bonitatē ex participatione diuinæ bonitatis , ita vt ens vt 1. cōclusio sic trāscendens habeat suā bonitatē trāscendentalē participādo diuinā bonitatē in genere indeterminato,& absq; vlla determinatione huius,vel illius bonitatis:tale verò ens habeat suā bonitatē determinatā participando diuinā bonitatem in gne determinato. Per hanc au Ens bonum participatione diuinæ bonitatis. tē conclusionē non explicamus pprię rōnem formalē bonitatis, seu effectum formalē illius erga ens,sed originē, vnde ens trahit suā bonitatem,& aliqualiter etiam rōnem formalem illius, quatenus per hoc habetur, quòd bonitas entis cōsistat in quodā ordine trāscendentali ad diuinam bonitatem, quam aliquo modo ens imitatur, dum importat talem participationem bonitatis diuinæ . Itaque bonitas entis consistit in aliquali imitatione diuinæ bonitatis per participationē eiusdem bonitatis . Hęc autem conclusio desumitur ex doctrina D. Aug. nam in lib. 8 de Trinit. D. Aug cap.3. docet,summum bonum esse mēsuram,ex qua cognoscimus,aliqua esse bona ex eo , quòd ipsum aliquo modo participāt;vnde aliquid est melius altero,quando habet meliorem participationem : inquit enim . *Neque enim in his omnibus bonis , vel quæ commemoraui, vel quæ alia cernuntur,siue cogitātur,diceremus*

aliud alio melius, cum verò iudicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod, & probaremus aliquid; & aliud alij praponeremus. Et infra in eodem capite id habet, docens, omnia bona esse bona participatione boni increati. Eius verba sunt *Cum itaque audis bonum hoc, & bonum illud, quę possunt alias dici etiam non bona, si potueris sine illis, qua participatione boni bona sunt, simul.n. & ipsũ intelligit, cum audis hoc, aut illud bonum; si ergo potueris illis detractis, per seipsum perspicere bonum, perspexeris Deum.* Et rursus hoc ipsũ docet lib.2. de Moribus Manichæorum his verbis *Expedita est sentētia Catholica disciplinę, quę aliud dicit bonũ quod summè, ac per se bonum est, & non participatione alicuius boni, sed propria natura, & essentia; aliud, quod participando bonũ, & habēdo. Habet autem de illo summo bono, vt bonũ sit, in se tamē manente illo, nihilq; amittente.* Vides ergo, quomodo extra sũmũ bonũ, quod est tale per essentiã infinito, atque eminentiali modo, non agnoscat aliud bonum, quàm quod est tale ex participatione summi boni.

2. ratio V. Sic autem explicata conclusio probatur. Quodlibet ens cõstituitur in ratione entis per id, quòd participat, & aliquo modo imitatur esse diuinũ, quãuis.n. omne ens creatũ infinitè distet à Deo, ita vt nullã habeat proportionem cũ ipso in essendo, est tamē quædã imitatio diuini esse, quæ stat cum hac infinita distãtia: vnde eo ipso quòd ex parte entis intelligitur huiusmodi imitatio, intelligitur etiã constitutum in esse entis realis. Verùm cum esse Dei sit essentialiter bonitas Dei, & bonitas Dei sit esse Dei, sequitur vt eo ipso, quòd ens imitatur, & participat esse Dei, imitetur simul, & participet eiusdē bonitatē, ita vt in conceptu suo adæquato vtrũq; dicat: quatenus ergo imitatur esse Dei, cõstituetur in ratione ẽtis; quatenus verò participat, & imitatur diuinã bonitatē, cõstituetur in ratione boni. Confir. Quò magis aliquid participat de diuina bonitate, eò magis etiã est bonũ, ergo bonitas entis intelligitur ex participatione diuinę bonitatis, ita enim se habet simpliciter ad simpliciter, sicuti secundũ quid ad secũdũ quid: vnde si maior bonitas constituitur per maiorem participationē diuinæ bonitatis, bonitas simpliciter cõstituetur per participationem simpliciter diuinæ bonitatis.

Creatura imitatur diuinum esse & diuinã bonitatem.

VI. Secũdò argumẽtor. Solus Deus habet bonitatem per essentiã, & independenter à quocunq; alio, ita vt sit ipsa bonitas per essentiã & infinita cõtinēs omnē rationē boni: quodcũq; aliud autem bonum non est tale ex se, sed ex participatione à bonitate per essentiã. Vnde sicuti ens habet rationē essendi participatiuè ab alio, ita etiã habet bonitatem participatiuè. Ex vi autem huius participationis constituitur bonum in seipso: omnis enim forma, quæ alicui cõmunicatur, exhibet illi suũ effectũ formalē, quo in seipso constituitur tale; & ideo cũ enti cõmunicetur bonitas, debet per ipsã cõstitui in esse bono. Quod ex eo quoq; declarari potest, quòd bonitas consequitur ens tanquam passio; vnde eo pacto debet enti conuenire esse bonum, quò conuenit esse ens, præsertim, quia bonitas, vt in superioribus ostensum est, non est extra adæquatum conceptum entis: cum ergo ens sit ens in seipso, oportet, vt etiam sit bonum in seipso; & sicuti etiam per seipsum contradistinguitur à nihilo, ita etiã per seipsum debet contradistingui à malo, & opposito modo se habere in seipso, atque adeo esse bonum in se. Atque hinc videmus, quòd ea, quæ ex se ordinantur secundùm proprium esse ad aliud perficiendum, non solùm sunt aliquod ens, & aliqua perfectio respectu alterius, sed etiam in seipsis; imo quia sunt quædam perfectiones in seipsis, possunt aliud perficere. Eodem ergo pacto circa bonum philosophandũ est, vt quãuis ens sit bonũ etiã respectu alterius, sit etiã bonũ in seipso per participationē bonitatis; quomodo enim alteri afferret aliquã bonitatem, nisi in seipso illã participaret? Et propterea si intellectus cõparet ens cum non ente, ad distinctionē ipsius nõ entis percipit esse bonũ in seipso, intelligit enim habere in seipso id, quod non habet ens.

2. ratio

Ens bonum in se ipso quia participat bonitatē

VII. Tertiò. Bonitas ex natura sua debet reperiri in aliquo ente: est enim aliquid reale, atq; adeo cũ extra ens nulla sit realitas, bonitas secundũ totã suã latitudinē, & realitatē nõ subsistet extra ens. Verùm bonitas cõsequitur etiã ab intrinsecis principijs eiusdē entis, vt ens est; & sicuti talis bonitas prouenit à tali ente, ita bonitas vt sic, ab ente vt sic: & propterea in quolibet ente quocũq; modo accepto reperietur propria bonitas

3. ratio

ipsius, quæ eiusdem realitate subsistet: vnde bonitas non erit aliquod peculiare ens, sed quodlibet ens peculiari modo, & sub peculiari ratione consideratum. Cæterum quicquid est in quolibet ente, est quid participatum ab ente infinito, & per essentiam, quod sanè ratione suæ infinitatis vnicum tantùm esse potest, quippe ratione infinitatis includit singularitatem quoque in sua essentia: atque adeò non potest indiuidualiter multiplicari. Sed neque essentialiter, tum quia adhuc indiuidualiter multiplicaretur; tum etiam, quia cum nequeat haberi essentialis multiplicatio, nisi cum diuersitate essentiæ, posita hac multiplicatione vtrumque esset finitum, quia vtrùque non haberet aliquid, quod haberet aliud: Vnicum ergo est tantùm summũ bonum, atq; tale per essentiam, quicquid verò in cæteris reperitur secundũ se totũ est participatum. Ex hoc autẽ sequitur, quòd bonitas quoq; quæ est in ente, sit aliquid participatũ; nõ potest autẽ aliquid participatũ, nisi dependenter à bonitate diuina: & proinde concipiendo participationẽ bonitatis diuinæ, concipimus bonitatẽ entis. Atq; ex vi huius participationis simpliciter, & absolutè ens bonũ est in seipso; habet .n. bonitatẽ intrinsecam, quæ in ipso ponit formalem effectũ formalẽ independenter à quocũq; extrinseco.

Bonitas reperitur in entibus participatum.

Confir. VIII. Et hoc ipsum etiam declarari potest ex modo, quo Deus communicat creaturis suam bonitatẽ. Deus enim videt suam propriam bonitatem, atque cognoscit esse suimet diffusiuam, quatenus aliqua bona ab ipsa profluere possunt, quæ aliquo pacto eam imitentur: rursus cognoscit etiam proprias ideas, ex quibus percipit mensuram, secundùm quam mensurari debet simul & esse, & bonitas, quæ creaturis communicari potest. Hinc autem vult, suam bonitatem diffundere iuxta mensuram propositam. Ex quo fit, quòd cognoscat Deus talia entia tanquam consurgentia ex diffusione propriæ bonitatis iuxta mensuram idearum; vnde attingit bonitatem ipsis intrinsecam, atque in tantùm percipit esse bonas, in quantum videt, esse quasdam participationes profluentes à propria bonitate, ergo bonitas creaturarum, atque adeo entis vt sic consistit in eo, quòd sit quædam participatio diuinæ bonitatis, nam per hanc participationem formaliter tanquam per formam sibi intrinsecam vnumquodque ens est bonum in seipso.

2. cõclus. IX. Vt autem magis in speciali explicemus effectum formalem bonitatis, atque ipsius rationem formalem Dicendum est secundò. Hanc participationem diuinæ bonitatis, qua ens imitatur quodammodò diuinam bonitatem, constituere rem conuenienti modo se habentem quò ad suum esse; atque hæc conuenientia in eo consistere, quòd habeat suum esse cum debito ordine, seu tali pacto constitutum in seipso, vt ex vi sui esse ordinari possit ad illum finem, ad quem ex natura sua est ordinabile ex eo, quòd habeat aptitudinem, & conuenientiam debitã. Ex eo enim, quòd vnũquodq; ens mensuratur per ideas diuinas, non solùm habet conformitatẽ cũ ipsis, ratione cuius habet suam veritatem, sed etiã hinc sequitur, vt habeat debitum modum suæ mẽsuræ, atque debitam conuenientiã quò ad suum esse, ita vt possit ad suum finem ordinari, vt modo dicebamus. Hinc peccata important rationem mali, quia sunt quidam defectus à debito ordine; neque enim habent debitam aptitudinem in se, vt ordinentur, sicut deberent ordinari. Hinc autem patet, quomodo bonitas sit posterior veritate, atq; cõueniat enti ratione illius; quia enim ens conformatur cũ sua idea, ideò habet debitam conuenientiam, & debitum ordinem quò ad esse: atque hic est propriè effectus formalis bonitatis.

Bonitas cõstituit rem conuenienti modo se habentẽ quò ad esse.

X. Hæc autem conclusio desumitur ex doctrina D. Ang. præsertim ex lib. 2. de Morib. Manich. cap. 6. vbi hæc habet. *Ordo enim ad conuenientiã quãdã, quæ ordinat, redigit. Nihil est autẽ esse, quã vnũ esse; itaq; in quantũ vnũquodq; vnitatẽ adipiscitur, in tantum est.* Atque id dilucidius tradit in eodem libro cap 3. his verbis. *Omnia enim quantò magis moderata, speciosa, ordinata sunt, tantò magis vtique bona sunt. Quanto autem minus moderata, minus speciosa, minus ordinata sunt, minus bona sunt. Hæc itaq; tria modus species, et ordo, vt de innumerabilibus taceã, quæ ad ista tria pertinere, mõstrãtur. hæc ergo tria modus, species, ordo, tãquã generalia bona sunt in rebus à Deo factis, siue in spiritu siue in corpore.* Et infra subdit de modo, specie, & ordine *Hæc tria vbi magna*

D. Aug.

sũt, magna bona sũt; vbi parua sũt, parua bona sũt; vbi nulla sũt nullũ bonũ est. Ex quibus satis manifestũ fit, quomodo collocet rationem boni in moderatione quò ad esse, seu debita conuenientia, atque ordine. Atq; sic explicata cõclusio, nulla fere indiget confirmatione; ex ipsa enim explicatione confirmata manet.

1. ratio

XI. Nihilominus tamen suaderi potest: illud enim reddit ens formaliter bonum, quod reddit illud amabile; habet enim ratione propriæ bonitatis, quòd amabile sit; bonum enim, quamuis conueniat prius rei, prout in se est, habet tamen ex suo genere, quando est in genere determinato, vt infra sumus explicaturi, vt ordinet ipsum ens ad appetitum specificando appetitum, atque reddendo ens amabile. Cœterum si consideremus, facta inductione in quolibet ente, quodnam sit illud, quod ipsum reddit amabile, non aliud reperiemus esse, quàm conuenientiam illam, qua conuenienti modo se habet quò ad suum esse, atque illum debitum modum suæ mensuræ, siue etiam illum ordinem, quo aptum est, vt debito modo ordinetur. Quid enim quæso nos allicit, quando amamus, & nobis complacemus de aliquo ente; certè non aliud, quàm illud conuenienter se habere quò ad suum esse, & ille debitus modus suæ mensuræ. Quod magis manifestum fiet, si consideremus aliquod ens in speciali, quod non sit bonum respectu nostri, neque ad nos aliquo modo pertineat; vt esset virtuosa actio al cuius, quæ non pertineret ad nos; illa enim nos allicit, atque nobis placet, & certè, si quæramus, vnde habeat, quòd nobis placeat formaliter loquendo, eam reperiemus habere rationem amabilitatis, quæ nihil aliud importet, quàm illud conuenienter se habere in suo esse, & habere debitum modũ suæ mensuræ; ideo enim illam amamus, quia virtuosa est, & ideo est virtuosa, quia habet aptitudinem, vt sit in debito ordine, vt ex natura sua petit ordinari, & quia habet debitam rectitudinẽ, atque adeo debitam conuenientiam quò ad suum esse. Sic etiam aliqua pictura ex eo nobis placet, quòd conuenienti modo se habet quò ad suum esse, atque habet debitum modum suæ mensuræ. Cum ergo res reddatur amabilis ex eo, quod conuenienti modo se habet quò ad suum esse, iam ratio formalis bonitatis in eo consistet, quòd conuenienti modo se habeat quò ad suum esse.

Quid faciat rem amabilẽ.

2 ratio

XII. Secundò etiam declaratur. Quod est bonum alteri, in tantum est bonum, in quantum est ipsi conueniẽs, atque respectu ipsius habet debitum modum mensuræ, qua in conuenientia respectu ipsius mensuratur; vnde bonitas ista respectiua consistit formaliter in comparatiua conuenientia. Cum ergo bonitas comparatiua in hoc tantùm differat ab absoluta, quod non est bonitas simpliciter, sed solùm secundùm quid, & respectu alterius, bonitas absoluta idem formaliter importabit seruata proportione: & proinde sicuti hæc importat comparatiuã conuenientiam; ita absoluta bonitas importabit absolutam conuenientiam, qua res conuenienti modo se habeat quo ad suum esse: & rursus sicuti bonitas comparatiua dicit modum debitæ mensuræ in ordine ad aliud, bonitas absoluta dicet modum debitæ mensuræ in ordine ad seipsam.

Bonitas absoluta, & cõparatiua proportionaliter se habeat.

3 cõclus.

XIII. Tertiò dicendum est. Ex eo, quòd res est bona in se ipsa, esse etiam bonam alteri, atque adeo appetibilitatem, qua res intelligitur alteri appetibilis, conuenire ratione bonitatis absolutæ, & veluti ex ipsa consequi, quatenus ex vi talis bonitatis intelligitur apta, vt ad aliud ordinetur tanquam ipsi conueniens, & proportionata. Hinc bonitas transcendentalis, vt sic importat hanc appetibilitatem fundamentaliter, & tanquam inchoationem huius, vel illius determinatæ appetibilitatis: ens verò completum in suo esse, & per se acquisibile importat completam rationem appetibilitatis potentis allicere appetitum. Hæc etiam conclusio facilis est, & clara. Nam quòd appetibilitas conueniat rei ratione bonitatis, qua est bona in seipsa, euidens est: quia res non est appetibilis, nisi quatenus potest allicere appetitum: non potest verò allicere, nisi ratione bonitatis, ratione cuius constituitur in tali statu, vt ordinetur ad appetitum tanquam attractiuum illius: & quamuis eadem bonitas constituat rem bonam in se, & reddat amabilem, atque alteri conuenientem;

Quomodo se habeat appetibilitas ad bonitatem.

prius tamen reddit ens bonum in se, & postea ex eo, quòd reddit bonum in se, intelligitur reddere etiam alteri conueniens, & ideo dicitur appetibilitas con, sequi ad bonitatem rei absolutam. Et per hæc explicata manet prima pars nostræ conclusionis.

Altera pars con clusionis

XIV. Altera autem pars declaratur. Etenim cum bonitas consequatur ens tanquam passio, debet ipsi in omnibus proportionari, vt quale est ens, talis quoque sit bonitas, & appetibilitas: vnde eodem modo, quo ens comparatur ad cœtera entia particularia, debet etiam comparari bonitas, & appetibilitas ad cœteras appetibilitates in particulari: sicuti ergo ens vt sic est prima inchoatio cuiuscunque essentiæ importans rationem essendi indeterminato modo; ita bonitas, & appetibilitas entis vt sic importat primam rationem bonitatis, & appetibilitatis, quæ sit inchoatio cuiuscunque determinatæ appetibilitatis: propria autem, & completa appetibilitas non habetur, nisi ex vi alicuius boni per se acquisibilis; nõ enim ea mouent appetitum, quæ per se acquiri non possunt. Ea autem solùm possunt acquiri, quæ habent proprium esse completum, & in vltima ratione constitutum.

Obiectio eo Suarez.

XV. Verùm obijcit Suarez in Metaph. disp. 10 citata sect. 1. num. 14. Bonum illud, quo ens in seipso est bonum, non esse propriè passionem entis, sed ipsum esse rei, quia, inquit ipse, non aliud importat, quàm esse rei; idem enim importat, ac perfectum; perfectio autem importat rei essentiã, aut integritatem: & cum dicimus, rem esse bonam in seipsa, nihil aliud significamus, quàm habere suam debitam perfectionem; per perfectionem autem essentialem constituitur res in certo gradu essentiæ. Hæc tamen obiectio

Responsio

facilè ex dictis diluitur: concedimus enim, perfectionem rei spectare ad essentiam eiusdem, nec per se constitui pro passione, vt supra nos quoq; argumentati sumus: sed insuper addimus, bonitatem illam, qua ens est bonum in seipso, non esse formaliter, & secundùm conceptum explicitum ipsam perfectionem conceptam sub ratione perfectionis. Perfectio enim sub ratione perfectionis secundùm suum conceptum explicitum dicit formale constitu-

Quomodo bonitas differat a perfectione.

tiuum rei in suo esse: bonitas verò, vt vidimus, dicit secundùm suum conceptum explicitum conuenientiam quò ad esse eiusdem entis, & debitum modum, atque ordinem suæ mensuræ. Vnde quando bonitas dicitur perfectio rei, non intelligitur de perfectione constitutiua rei; sed de perfectione, quæ consequitur esse rei. quæ non est aliud, quàm illud perfecto modo se habere, & neque ab ipsa conuenientia distinguitur, qua ens conuenienti modo se habet quò ad suum esse.

XVI. Ex his autem colligitur, si formaliter loqui velimus, appetibilitatem non esse idem formaliter, ac bonitatem; bonitas enim dese absoluta est, & ordinata ad ipsam rẽ, vt eam faciat bonam in seipsa, nec ad ipsius constitutionem necesse est, vt cõcurrat appetitus, sed independenter ab ipso habetur ratio bonitatis. Ad constitutionẽ verò appetibilitatis concurrit etiam appetitus, non qu dem vt intrinsecum constitutiuum, sed vt terminus. Oritur enim appetibilitas ex concursu bonitatis, & appetitus; consistit enim formaliter in illa conuenientia, seu congruentia, quæ est inter appetitum, & rem appetibilem, ita vt formaliter quidem sit in re appetibili, terminetur verò ad ipsum appetitum: & proinde supra diximus, appetibilitatem consequi ad bonitatem, quia licet ratione eiusdem bonitatis sit bona in se, & conueniens alteri; ratio tamen conuenientiæ, seu appetibilitatis non est formaliter bonitas. Atque ita præcipuè docet D. Thom. 1. Ethic. lect. 1. dum explicat illud Arist. *Bonum est, quod omnia appetunt*, vbi habet, quòd per appetibilitatem dignoscitur bonum à posteriori. Præterea Caiet. 1. par. quæst. 5. artic. 1. Cumel. ibidem, atque ferè communiter omnes Thomistæ.

Bonitas, & appetibilitas non sunt idem formaliter.

D. Th.

Caiet. Cumel

Quomodo bonitas consistãt in modo, specie, & ordine.

SECTIO VI.

I. Explicata natura, & ratione formali bonitatis statim insurgit difficultas, cuius solutio ad maiorem explicationem eiusdem rationis formalis, confert. Est autem,

an

an bonitas, quantum est ex vi suæ rationis formalis cōsistat in modo, specie, & ordine, ita vt modus, species, & ordo sint tria requisita essentialia, quæ se habeant *vt quo*. Bonum autem, vt quod, hæc tria contineat in se tanquam principia suæmet bonitatis. D. Sētentia D. Th. enim Thomas sequens doctrinam D. Aug. tum in 1. par. quæst. 5. art. 5. tum quæst. 21. de Verit. artic. 6. docet; Omne bonum esse in modo, specie, & ordine. Hoc autem sic declarat. Vt enim aliquid sit bonum, oportet, vt habeat suam perfectionem, ita vt nihil desit illi secundùm debitum modum suæ perfectionis. Ad hoc autem requiruntur tria; commensuratio principiorum, forma, & ordo, siue inclinatio in finem. Cum enim vnumquodque sit id, quòd est per suam formam, consequenter etiam est bonum per ipsam; per formā autem vnumquodque constituitur in specie. Forma autem præsupponit cōmensurationem principiorum, quæ vel efficienter, vel ratione capacitatis materiæ præfigant modum ipsi formæ; cū enim esse formæ sit esse receptum, & participatum, necesse est, vt habeat modum suæ receptionis, atque ratione huius mensuræ præfixæ formæ bonum est in modo. Denique ad formam sequitur inclinatio in finem, aut ad aliquid huiusmodi, quia vnumquodque tendit in id, quod est sibi conueniens ratione suæ formæ. Paulo aliter autem id declarat in citato loco quæst. 21. de Verit. Inquit enim: Bonum importare rationem perfectiui: & secundùm hanc rationem sortiri hęc tria. Habet enim speciem, quantum ad ipsam rationem, siue essentiam: quia autem creatura hābet esse receptum, atque in quocunq; recipitur essentia, secundùm aliquam certam mensuram recipitur, ideo ratione huius mensurę habet modum. Verum ex specie, & modo causatur ordo, quatenus bonum vt perfectiuum secundùm suum esse ordinatur ad aliud.

Rō dubitandi. D. Aug. II. Nihilominus autem, si consideretur doctrina D. August. videtur modum, speciem, & ordinem collocare tanquam tria bona distincta; & cōsequenter non vnumquodque bonum esse in modo, specie, & ordine, sed aliquod in modo, aliquod in specie, & aliud in ordine. In tract. enim de Bono cap. 3. hæc habet. *Omnia enim quanto magis moderata, speciosa, ordinata sunt, tantò magis vtique bona sunt, quantò autem minus moderata, minus speciosa, minus ordinata sunt, minus bona sunt. Hæc itaque tria, Modus, Species, & Ordo, vt de innumerabilibus taceam, quæ ad ista tria pertinere monstrantur; hæc ergo tria, modus, species, ordo, tanquam generalia bona sunt in rebus à Deo factis, siue in spiritu, siue in corpore.* Ecce ergo, quomodo Hæc inquit; esse tria bona, ad quę omnia alia reduci possunt: nōn autem vnum, atque idem bonum. Et infra subdit. *Hęc tria vbi magna sunt, magna bona sunt; vbi parua sunt, parua bona sunt; vbi nulla sunt, nullum bonum est. Et rursus, vbi hæc tria magna sunt, magnæ naturæ sunt; vbi parua sunt, paruę naturę sunt: vbi nulla sunt, nulla natura est. Omnis ergo natura bona est.* Quibus indicat; Modum, speciem, et ordinem esse diuersa bona, atque diuersas naturas constituere. Et ita videtur etiam ratio suadere; nam modus, species, et ordo important diuersas rationes formales, bonitas autem importat vnicam tantùm rationem formalem; vnde impossibile videtur, quòd formaliter dicat modum, speciem, et ordinem, alioquin non esset vnica ratio formalis.

III. Pro resolutione sciendum est primò; posse modum, speciem, & ordinem ita accipi, vt sint tria peculiaria bona inter se distincta. Cōcl. Modus, species, & ordo tria peculiaria sut. Hæc conclusio facilis est, quoniam ex vi cuiuscunque horum trium concipitur aliqua determinatio in ratione entis; modus enim secundùm suam rationem formalem importat rationem mensuræ; ratio autem mensuræ est aliquid determinatum ens: species autem importat essentiam, & naturam rei; & hæc quoque est quædam ratio entis determinata, vt per se patet: importat enim ipsum ens cum tali determinata natura: similiter ordo dicit determinatam rationem entis; est enim quid relatiuū, & determinat ipsum ens, vt sit ad aliud. Cum autem bonitas sequatur esse rei, dum ratione modi, speciei, & ordinis constituuntur tria determinata entia, constituuntur etiam tres determinatæ bonitates. Atque hoc conuincit ratio dubitandi in confirmationem auctoritatis D. Aug. allata: bonitas.n.

cum

cũ sit vnica passio entis, importat vnicã tm̃ rõnẽ formalẽ, in qua formaliter cõsistit, quã diximus esse illud cõuenięti mõ se hẽre quò ad suũ esse; & ideo si hęc tria accipiãt, prout dicũt diuersas rõnes formales, nõ posśũt esse formaliter ipsa bonitas, sed eruut tria bona: essent aũt tria bona metaphysica, non autẽ physica, q̃a non sunt separata secundùm entitatem.

2. Ccel. Modus, species, & ordo principia cõstitutiua eiusdẽ boni. IV. Quia tamen considerari possunt, prout simul in vnaquaq; entitate physica reperiũtur, atq; inseparabiliter, ideo sumi possunt tãquã principia concurrentia ad cõstituẽdũ vnũquodq; bonũ integrũ, & determinatũ; vnde oẽ bonũ erit in modo, specie, & ordine, quatenus bonitas ipsius tãquã ex principijs cõstitutiuis coalescit ex modo, specie, & ordine, ita tñ, vt sm̃ suã rõnẽ formalem cõsistat in eo, ꝙ cõuenięti modo se habeat quò ad suũ esse. Atque hæc est doctrina D. Th. quã supra attulimus; Et hoc ipsũ voluit etiam D. Aug. relatus, quia licet videatur ponere modum, speciem, & ordinem tanquam tria bona, non intelligit de tribus bonis integris, & cõpletis, sed de tribus principijs, ex quibus consurgit illud conuenienter se habere quò ad suum esse, quod est formaliter bonitas. Et ita etiam docent Alens. 1. par. quæst. 18. memb. 1. Scot. in 1. distinct. 3. quęst. 5. §. ***quantum ergo ad secundum***. Meuris. 2. Metaph. cap. 3. par. 2. quæst. 2. Declaratur autem conclusio. Certum enim est, illa esse principia bonitatis, ex quibus coalescit ratio formalis eiusdem, sic illa sunt principia constitutiua naturæ humanæ, ex quibus formalis ratio eiusdem naturæ coalescit, & eodem modo in cœteris res se habet. Cum autem bonitas de suo formali importet illud conuenienter se habere quò ad suum esse: necesse est, vt ad hoc cõuenienter se habere concurrant hæc tria, modus, species, & ordo: hæc enim faciunt, vt res conuenienter se habeat quò ad suũ esse. Cum enim quælibet res sit quid essentialiter participatum, atque adeo finito modo participet esse, oportet, vt habeat mensuram sui esse. cum enim sit finito modo communicatum, nisi secundùm naturam debitam communicaretur, inconuenienter se haberet. Ratione ergo huius mensuræ habet suum modum essendi, per quem conuenienter se habet. Rursus quælibet res cum habeat finitum esse, oportet, vt participet aliquam certam, & determinatam essentiam; stante enim finitate essendi non potest carere limitibus suæ perfectionis; ex vi autem huius perfectionis determinatæ, habet etiam determinatam essentiam, per quam habet formaliter suam speciositatem, & pulchritudinem, & ideo quęlibet res dicitur esse in specie. Denique cum sit vnus omnium finis, ad quem vltimò debent omnia ordinari: debent etiam omnia ex intrinseco suo habere aptitudinẽ, & ordinem ad talem finem, alioquin si carerent, non conuenienter se haberent quò ad propriũ esse, si quidem essent extra debitum ordinem rerum. Ex his ergo constat, quomodo necessarium sit, vt res conuenienter se habeat quò ad proprium esse, habere modum, speciem, & ordinem, atque adeo bonitatem eiusdem rei ex his tribus consurgere.

D. Th. D. Aug. Alens. Scot. Meuris.

V. Tertiò dicendum est. In ente transcendentaliter sumpto reperiri modum, speciem, & ordinem, non completo modo, sed tantùm inchoatiuè, ita vt sit in ipso inchoatio modi, speciei, & ordinis. Atque adeo bonitas quoque transcendentalis præcisè sumpta consistit suo modo, & proportionaliter in modo, specie, & ordine, ita vt ex ipsis consurgat, seu ex inchoatione modi, speciei, & ordinis. Pro quo est aduertendum, quòd in ente præcisè sumpto non possunt distingui hæc tria modus, species, & ordo; secundùm proprias etenim tantùm rationes distinguuntur, quæ quidem, cum importent rationes entis determinatas, nequeunt in ente excogitari; in ente enim, vt modo diximus, adest tantùm inchoatio horum trium; inchoatio autem non est propria ratio rei inchoatæ, & ideo in ipso excogitamus tantùm huiusmodi inchoationem, per quam inchoantur formaliter principia constitutiua determinatæ bonitatis. Quòd autem modus, species, & ordo inchoatiuè in ente reperiantur facillimè ostenditur. Nam ens vt sic, præcisè debet dicere, proportionaliter id, quod dicit quodlibet aliud ens determinatum, ita vt quando præscinditur ens, id tm̃ relinquatur, quod debet relinqui, ex vi contradistinctiui, à quo præscinditur. Vnde cum quod-

3. Concl. Quo bonitas vt sic sit in modo, specie, & ordine.

libet ens determinatum dicat modum, speciem, & ordinem secundum suas determinatas rationes; si præscinditur ens ab eo toto, quod se habet vt cōtractiuum, debet adhuc in ipso remanere inchoatio modi, speciei, & ordinis; hæc enim non importat aliquam rationem contractiui, sed relinquit ens in tota sua latitudine. Deinde cum tale ens dicat modum, speciem, & ordinem determinato modo, debet ens vt sic, cum sit inchoatio cuiuslibet entis, dicere modum, speciem, & ordinem indeterminato modo, nimirum inchoatiuè. Et propterea Ens vt sic, quamuis indeterminato modo se habeat, adhuc tamen limitatam perfectionem habet, licet indeterminatam: vnde inchoatiuè ob hoc habet modum, & speciem, & quamuis non habeat completum ordinem ad vltimum finem, non est tamen extra ordinem, sed ad ipsum ordinatur, prout est in entibus determinatis, tanquam fundamentum ordinis ipsorum.

Sap 11. VI. Ex his autem patet, quomodo intelligendum sit illud Sapient. 11. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*. Per mensuram enim intelligitur modus, per numerum determinatio essentiæ, quia determinatio essentiæ, sicuti facit rem certæ naturæ, & ab alijs contradistinctæ, ita etiā facit numerabilem: per pondus autem intelligitur ordo, seu illa inclinatio, quam vnaquæque res habet ad suum finem; vnde etiam D. Aug. super Gen. ad litteram lib. 4, cap. 3. inquit, *Mensura omni rei modum præfigit: & numerus omni rei speciem præbet, & pondus omnem rem ad quietem, & stabilitatem trahit*, Vnde nihil aliud significatur per illa verba, quàm Deum omnia fecisse cum propria bonitate. Hæc autem tria, modus, species, & mensura conueniunt enti, quatenus perfectum est in suo esse: vnde veluti ab ipso consequentur, ex eo enim vnumquodque ens habet modum, speciem, & ordinem, quòd perfectum in seipso est, & commensuratum cum propria idea, fundantur enim hæc in eiusdem perfectione, & tanquam principia constituunt bonitatem entis, seu illud conuenienter se habere quò ad suum esse. Et propterea quolibet ipsorum sublato tollitur tota bonitas, sicut etiam in cæteris essentijs quolibet principio constitutiuo ablato, aufertur etiam tota essentia. Denique circa modum, speciem, & ordinem hoc aduertendum est, quòd aliter de ipsis philosophandum est, quando sumuntur vt principia bonitatis, ac quando sumuntur vt quędam peculiaria entia: nam priori modo non considerantur vt bona, sed vt principia bonitatis, nimirum vt importantia aliquid de bonitate: posteriori modo sunt bona, & habent modum, speciem, & ordinem quò ad suum esse, quæ illis conueniunt, quatenus quædam entia sunt, non verò quatenus sunt principia bonitatis.

(Margin: Aug. — Modus, species, ordo cōsequitur perfectionem rei.)

An ens sit bonum per essentiam. Disp. LXXIV.

Ens esse bonum participatiuè, sed essentialiter.

SECTIO I.

I. QVando inquirimus, an ens sit bonum essentialiter, seu per essentiam, adhuc excludimus ipsum Deum, tanquam illum, qui non est ens, sed supra ens, & summus ens propriè dictum, prout in priori tomo explicatum fuit. Duplicem autem sensum titulus propositus habere potest. Primus est, vt esse bonum per essentiam importet esse tale ex se, & independenter à quocunque alio, ita vt excludat esse bonum per participationem: alter est, vt esse bonum per essentiam dicat solùm esse bonum intrinsecè, & essentialiter, ita tamen vt non excludatur participatio bonitatis ab alio. Quòd autem spectat ad primum sensum, certum est; Ens non esse bonum per essentiam. Atque ita docet D. Th. 1. par. quæst. 6. artic. 3. & quæst. 21. de Verit. artic. 5 vbi docet, quòd solus Deus est bonus per essentiam. Quem

(Margin: Ens non est bonum per essentiam sed solus Deus. D. Th.)

se-

sequuntur cōmuniter Interpretes ibid. & desumitur etiam ex D. Aug pluribus in locis, sed præcipuè lib. 8. de Trinit. c. 30. & lib. 2. de Morib. Manich. cap 4. hæc habet: *Expedita est sententia catholicę disciplinæ qua aliud dicit bonum, quod summè, ac per se bonum est, & non participatione alicuius boni, sed propria natura & essentia: aliud, quod participando bonum, & habendo: habet autem de illo summo bono, vt bonum sit, in se tamen manente illo, nihilque amittente.* Atque hoc certum est in fide catholica; ratio autem desumitur ex finitate eiusdem entis; cum enim sit finitum, habet etiam bonitatem finitam, atque adeo participatam, quoniam quod finitum est, habet mensuram sui esse, atque adeo debet ab alio mensurari, dum autem mensuratur, ab alio dependet, atque adeo non est tale per essentiam. Et ideo omne ens habet suam bonitatem participatam à Deo, qui est summum bonum, ac per essentiam. Participatio autem in hoc consistit, quòd bonitas entis proueniat illi à Deo, qui dum communicat esse, communicat etiam simul bonitatem. Vnde quando concipiuntur possibilia illa, bonitas, quam hábent in esse obiectiuo, adhuc concipitur vt participata, siquidem concipitur vt dependens, & communicabilis ab ipso Deo.

D. Aug.

II. D. Tho. in locis citatis aliter id explicat, & simul assignat triplex discrimen inter bonitatem diuinam, & bonitatem creaturæ. Inquit enim, quòd sicuti in creaturis est duplex esse, nempe esse simpliciter, seu substantiale, & esse secundùm quid, nempe accidentale; ita etiam est duplex bonitas, simpliciter, seu substantialis; & secundùm quid, seu accidentalis. Verùm bonitas perfecta, & consumata creaturæ ex vtraque coalescit, & si deficiat aliquid de accidentali, non est creatura completè bona. Hinc autem fit, vt ens non sit bonum per essentiam, vt est ipse Deus: ens enim participat suam bonitatem accidētalē per id, quòd ipsi communicātur aliqua accidentia, quæ supplēt id, quod ens nō habet in suo esse substantiali. In Deo autem nihil accidentale reperitur; sed ex vi suæmet essentię habet omne complementum, & bonitatem excogitabilem; & ideo est bonus per essentiam, ens verò per participationem. Prętereà creatura non existit ex vi suæ essentiæ, sed contingenter accipiendo existentiam ab alio; Deus verò non accipit existentiam ab alio, sed existit per essentiam. Hinc quoque fit, vt Deus sit bonus per essentiam; creatura verò per participationem: non enim conuenit alicui bonitas, nisi in quantum conuenit existere, quia sicuti res absque existentia nullum esse habent in se, sed tantùm in causa; ita nullam habent bonitatē, sed tota ratione causæ communicatur: & proinde cum habeāt existentiam ab alio participatam; ita etiam simul cum existentia participant ab alio bonitatem; Deus verò cum existat per essentiam, est etiam bonus per essentiam. Deinde Deus est vltimus finis rerum omnium, & ad nihil tanquam ad finem ordinatur: econtra omnia entia ordinantur ad Deū, vt ad finem; & ex hoc quoque capite fit, vt Deus sit bonus per essentiam, ens verò per participationem: nam finis importat rationem boni, & etiam bonum econtra importat rationem finis. Deus ergo solus etiam habet rationem boni ex se independenter ab alio. Rursus assecutio finis importat assecutionem boni, vnde cum Deus sit vltimus finis, nullum bonum assequitur, sed omnem bonitatem in se habet: entia verò, cum non sint vltimus finis, ordinantur ad assecutionem vltimi finis, atque adeo ad participandam bonitatem. Potissima tamen ratio, quæ in hoc discursu attingitur desumitur ex secūdo discrimine assignato inter Deum, & ens, quia nimirum ex eo, quòd ens non existit per essentiam, participat totum suum esse ab alio, atq; bonitatem

Discursus D. Th.

Duplex bonitas simpliciter, & secundum quid.

Creatura participat suam bonitatē ratione existentia.

Res creatæ non sunt vltimus finis sed solus Deus.

III. Quod verò spectat ad secundum sensum, an nimirum ens sit bonum intrinsecè, & essentialiter, cum participatione tamen bonitatis ab eo, qui est bonus per essentiam, & independenter ab alio, hoc certum debet esse, vt ex modo dictis deducitur. Non posse ens habere suam integram, & completam bonitatem essentialiter, & ab intrinseco suo. Et hoc ex eo manifestum fit, quoniam quodlibet ens creatum habet sua connaturalia accidentia, quibus perficitur, & veluti in esse cōpletur: sicuti autē per huius-

modi complementum acquirit aliquam perfectionem, ita etiam acquirit aliquã bonitatem; ratione enim horum acci dentium vnumquodq; ens magis conuenienti modo se habet quò ad suum esse, quàm sine ipsis. Cum autem hæc accidẽtia sint omnino extra essentiam rei, iam res in sua essentia non includit totam, & adæquatam bonitatem. Præterea neque res ex vi suæ essentiæ existit, sed contingenter, vnde cum existentia sit ratio, per quam formaliter simul cum esse communicatur tota bo nitas actualis, hinc fit, vt res nõ habeat per essentiam suam actualem bonitatẽ; & ideo quando quæritur, an res intrinsecè sit bona, & essentialiter, solùm potest intelligi, an supposito, quòd habeat esse, & bonitatem participatã, talis bonitas intrinsecè in esse entis imbibatur, atque essentialiter. Et propterea tantũ de illa bonitate intelligi debet, qua esse essentiale dicitur bonum; vnde non solùm excludẽda est bonitas, quę habetur rõne perfectionis accidentalis, sed etiã bonitas importata per perfectionẽ integralẽ, & quamcunq; aliam, quæ nõ importetur per perfectionem essentialem.

Completa bonitas entis non includitur in eius essentia.

IV. Durandus ergo in 2. dist. 34. q. 1. sentit, bonitatem, qua ens secundùm suam essentiam dicitur bonum, non includi in ipso intrinsecè; docet enim, bonum non conuerti cum ente essentialiter, sed tantùm denominatiuè. Hoc autem probat primò. Quoniam quæ sunt idem essentialiter, non differunt nec re, nec ratione cum fundamento in re, ita vt habeant diuersas formalitates: non enim quæ sunt idem, possunt differre in eo, in quo sunt idẽ: quæ autem sunt idẽ essentialiter, habent omnimodam identitatem secũdùm esse reale, & formale; Bonum autem differt ab ente, saltẽ ratione reali, hoc est secundùm diuersam formalitatem realem, & ideò nõ potest esse idem essentialiter cum ente. Præterea. Bonum est aliquid reale positiuũ, & insuper differt ab ente saltem ratione ratiocinata; vnde aut differre debet tanquam inferius à superiori, & sub ipso ente contentum, aut tanquam condiuisum, & habens eandem latitudinem, quam habet ens. Verùm non potest differre tanquam condiuisum, quoniam nihil positiuum reale potest differre vt condiuisum ab eo, quod includit omne positiuum reale, & de quo dicitur per se in primo modo; ens autem secundùm suam communem rationem includit omne reale positiuum, si quidem extra ipsum nihil reale positiuum reperitur, & proinde nihil reale positiuum potest ab ipso differre; si autem bonitas conuerteretur cum ente essentialiter, dum distinguitur ab ipso, deberet distingui, vt quid reale positiuum condiuisum, & eiusdem latitudinis. Tertiò. Ratio bonitatis nõ potest esse formaliter ratio entis, alioquin non distinguerentur inter se, quod tamen est falsum. Rursus ratio entis debet necessariò prædicari essentialiter de bonitate, alioquin bonitas non esset q̃d reale, neque enim realitas sine ente saluari potest. Verùm non potest ratio entis prædicari de ipsa bonitate conuertibiliter, sequeretur enim, quòd nõ distinguerentur, sed essent vna, atque eadem ratio; propositio enim affirmatiua fundatur in identitate prædicati cum subiecto; vnde propositio essentialis requirit identitatem essentialem: & si est conuertibilis, requirit mutuam identitatẽ essentialem; mutua autem identitas essentialis importat vnam, atque eandem rationem, siquidem importat vnitatem essentiæ; essentia autem quælibet consistit in indiuisibili. Denique cum impossibile sit, vnum, atque idem habere plures rationes quidditatiuas, impossibile est etiam, plura prædicari de ijsdem essentialiter, & conuertibiliter, nisi sint inter se synonima, sic de pluribus hominibus nõ potest nisi vnica ratio hominis prædicari, nõ autem aliquid aliud, quod conuertibiliter se habeat cum homine, nisi sit purum synonimum, sic nec de pluribus animalibus, nisi vnica ratio animalis, aut quid synonimum. Quamobrem cum ens prædicetur essentialiter de omnibus positiuis, non potest nisi quid synonimum cum ipso, quod cũ eodem ente conuertibiliter se habeat, de ijsdem prædicari. Si ergo bonitas conuerteretur essentialiter cum ente, prædicaretur etiam essentialiter de omnibus positiuis, atque cum distinguatur ab ente, non se haberet vt synonimum, & proinde plura, quæ conuertibiliter se haberent, de ijsdem prædicarentur, quod minimè dici potest.

Sententia Durandi.

V. Nihilominus dicendum est. Ens in sua essentia imbibere bonitatẽ tãquã

quid

Ens in-uoluit in sua essentia bonitatem.

quid intrinsecum, & essentiale; atque adeo esse essentialiter bonum, quamuis non per essentiam. Licet enim bonitas assignetur pro passione entis, non assignatur tamen pro passione respectu essentiæ rei adæquatè sumptæ, sed tantùm inadæquatè, & ideo cum dicimus inuolui in essentia rei, intelligimus de essentia adæquatè sumpta. Hoc autem sic ostenditur. Essentia entis secundùm præcisam rationem essentiæ cõueniẽter se habet quò ad propriũ esse, ita vt hoc conuenienter se habere non sit aliquid ipsi extrinsecum, atque intimè dicit modum, speciem, & ordinem, quæ tria dixi mus esse principia, ex quibus consurgit bonitas. Cum enim vnaquæq; essentia sit conformis propriæ ideæ, necessariò est ipsi commensurata, atq; adeo habet suam debitam mensuram; rursus etiam habet suam propriam formam, seu esse formale, per hoc autem constituitur in specie, & habet suam pulchritudinem: vnde quælibet essentia est in certa, & determinata specie. Præterea vna quæque essentia est apta, vt ordinetur in suum debitum finem; quæcunq; enim ad illum ordinantur, habent, quòd possint ordinari ratione propriæ essentiæ. Vnde quælibet essentia ab intrinseco suo habet modum, speciem, & ordinẽ, atque adeò ab intrinseco conuenienter se habet quò ad proprium esse; vnde ab intrinseco suo habebit bonitatem, quia bonitas consistit in hoc cõuenienter se habere quò ad proprium esse.

Essentia entis est quid participatũ & amabiles.

VI. Secundò. Essentia cuiuscunque entis secundùm se totam est quid participatum; vt certum est secundùm fidẽ; nam ens existens secundùm illud totũ, quod in se includit, dependet à Deo tanquam quid ab ipso participatũ, & propterea essentia quoque illius. Hinc sicuti est terminus diuinarum idearũ ratione conformitatis; ita etiam est terminus diuinæ voluntatis, quatenus terminat communicationem; atque ab intrinseco suo habet, quòd terminet, quoniã secundùm proprium esse intrinsecum dependet à voluntate ipsius. Essentia autem entis non terminat quemcunq; actum diuinæ voluntatis, sed amoris, quo Deus vult illi tale esse essentiale; atque Deus ita illi vult talem quidditatem, vt in ipsa sibi complaceat; nisi enim complaceret, neque etiam illam velle posset, quia ipsum velle est complacere. Ex hoc autem sequitur, vt quælibet essentia in intrinseco suo esse debeat inuoluere talem rationem obiectiuam, quæ possit terminare prosecutionem, & complacentiam diuinæ voluntatis: hæc autem ratio non alia esse potest, quàm bonitas, neque enim voluntas in aliud ferri potest, quã in bonum. Oportet ergo, quamlibet essentiam esse intrinsecè bonam, & non per solam denominationem.

Res exercet rõnẽ finis ex vi propriæ essentiæ.

VII. Quod insuper confir. Certum enim est, res creatas exercere rationem finis, & nos id experimur, dum nostra voluntas allicitur ab aliquo obiecto, cuius assequutionem propter se intendit. Cum autem non possit aliquid exercere rationem finis, nisi ratione bonitatis, qua alliciat voluntatem, sequitur, vt vnumquodque habeat intrinsecam bonitatem secundùm illud esse, quo exercet rationem finis. Cœterum experientia docet, voluntatem non moueri à quolibet obiecto, & voluntatem vnius moueri ab vno obiecto, volũtatem alterius moueri ab alio obiecto. Si autem quæratur, vnde id proueniat, non alia causa assignari potest, quàm diuersitas naturæ, & essentiæ, quæ est in obiectis: hæc enim facit, vt vnum obiectum sit vni congruum, & alterum alteri: omnia enim obiecta mediante existentia assequimur, vnde quòd potius inclinemur in vnum, quàm in alterum, id prouenit ex diuersitate essentiæ ipsorum. Hinc autem deducitur, vnumquodque obiectum secundùm suam essentiam exercere rationem finis, atque adeò in ipsa inuoluere intrinsecam bonitatem; nam ratione suæ naturæ, & essentiæ, sicuti est conueniens alteri, atque allicit, ita etiam est bonum in se, non enim per aliud formaliter allicit, quàm per propriam bonitatem, neque habet, quòd sit conueniens alteri, quàm per bonitatem, qua est bonum in se; & ideò cum ratione diuersitatis sit conueniens, & alliciat, ratione quoq; illius habetur bonitas, atq; adeo ratione essentiæ formaliter, cum ratione illius habeat diuersitatem.

VIII. Rursus quando res aliqua perficitur per sua connaturalia accidẽtia, sicuti ratione ipsorum formaliter acquirit aliquam perfectionem, ita etiam acquirit aliquam bonitatem, quæ

non aliunde formaliter habetur, quàm ab accidentibus; nihil enim aliud est, quod possit talem bonitatem conferre; nam nihil aliud res in se recipit, quàm accidentia, & tamen in se formaliter perficitur, & habet in se maiorem bonitatem, quàm si esset absque accidentibus. Hinc autem fit, vt essentia quoque rei, quæ per accidentia perficitur, sit in se bona ex vi proprij esse intrinseci; nam comparando essentiam cum accidentibus, & considerando vndenam res maiorem bonitatē habeat, an ratione accidentium, an verò ratione essentiæ, simpliciter, & absolutè habet maiorē bonitatem ratione essentiæ, vtpote quia ratione illius habet maiorē bonitatē, ratione cuius habet principalius esse, & nobiliorē perfectionē. Hinc dicitur, vnam essentiam esse perfectiorē altera, & vnaquãq; in suo esse perfectã esse, nec aliquid illi deesse ad suum cōplementū essentiale. Si ergo res habet maiorem bonitatem ratione esse substantialis, quàm rōne accidentalis, oportet, vt in ipso imbibatur; nã in accidētali non subsistit, & debet in aliquo esse subsistere. Hinc videmus, iuxta diuersitatē essentiarum diuersificari etiam bonitatem, quod sanè non contingeret, nisi in suo esse intrinsecè illam inuoluerent.

Principaliter bonitas rei habetur ratione essentiæ.

IX. Denique cum bonitas sit aliquid reale, debet necessariò in aliqua reali essentia subsistere, quicquid namq; reale est, in aliquo esse reali reperitur. De hac igitur essentia, in qua subsistit bonitas, inquiro, quænam sit, an sit determinata, an verò essentia vt sic in communi. Si hoc secundum, iam sub sistet in ente vt sic, quia hoc importat essentiam in communi; atque adeo vnaquæque essentia importabit in suo intrinseco suam propriam bonitatem, qua intrinsecè erit bona, quia eodem pacto se habebit bonitas talis ad talem essentiam, quo se habet bonitas vt sic ad essentiam vt sic. Si verò subsistit in tali essentia, iam solùm talis essentia erit bona, & consequenter bonitas importabit aliquem gradum entis determinatum. Hinc autem sequeretur, ens vt sic non posse denominari bonum. non enim ratio superior denominari potest, prout in sua latitudine consideratur, ab inferiori; illi enim repugnat huiusmodi denominatio, quia sicut contractiuum non relinquit ens in suà latitudine, sed illud determinat ad tale ens, ità etiam denominatio desumpta à contractiuo, quia habet significare secundū naturam formæ denominātis, non potest significare ens in tota sua latitudine, sed coarctato modo se habebit, atque adeo erit contraria eius vniuersalitati. Et hoc etiam inductione patet, nulla enim ratio communis denominatur ab aliqua ratione suiipsius contractiua, imò vnicuique repugnat denominari; non enim accidens in sua latitudine sumptum denominari potest, à qualitate, aut animal à rationalitate: imò ens à nullo suorum inferiorum, quibus contrahitur; cur ergo dicemus, ens denominari posse à bonitate, si bonitas importat aliquam rationem contractiuam entis? Nihilominus tamen ens vt sic dicitur bonum necessariò, & per se, atq; conuertibiliter.

Bonitas subsistit in aliqua essentia.

Rō superior non pōt denominari ab inferiori.

X. Hinc vrgetur eadem ratio. Denominatio cōuertibilis debet desumi à forma conuertibili, nōn. n. est maioris latitudinis denominatio, quàm forma; vnde aut debet esse conuertibilis, aut quia forma habeat eamdem latitudinē, aut saltem, quia interueniat habitudo aliqua eiusdem latitudinis cum re denominata, in qua fundetur denominatio. Verùm, si bonitas consistit in tali essentia, & importat cōtractiuū entis, certū est, formam bonitatis non esse eiusdē latitudinis cum ente, atque adeo ex hoc capite non poterit ens conuertibiliter ab ipsa denominari. Verùm neque ens dicit aliquam habitudinem ad aliquod sui contractiuum adæquantem ipsum ens, si quidem ens respicit omnia contractiua tanquam contrahibile, & proinde habitudo ad vnicum tantùm non est ipsi adæquata, vnde ex nullo capite posset desumi denominatio à bonitate conuertibilis cum ente vt sic. Præterea quodlibet etiam ens determinatum, & est bonum, & tale denominatur; hoc autem impossibile esset, si bonitas subsisteret in aliqua essentia determinata, & in aliquo contractiuo entis, neq; enim vnum contractiuum potest denominari ab alio contractiuo eiusdē rōnis cōmunis; habēt. n. inter se oppositionē, & proinde neq; in eadē denominatione cōicare possunt. Rursus si bonitas subsisteret in tali determinata essentia, iam

Cōtractiuum non pōt fundare denominationē cōuertibilē cu rōne cōmuni.

bo-

bonitas esset quædam peculiaris naturæ: vnde sicuti valeret dicere, quòd cæteræ naturæ non essent illa natura, ita etiam, quòd non essent bonæ, quippe quælibet natura excludit à se id, quod dicit alia natura, & proinde excluderet etiam à se bonitatem, quam importaret illa peculiaris natura; hoc autem est contra illud Genes. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; Quibus declaratur, quomodo singulæ res habeant suam propriam bonitatem, qua bonæ sint.

XI. Et totus hic discursus confir. Concedenda namque est non solùm bonitas vt sic; sed etiam talis bonitas determinata; nam posita natura communi debent poni contractiua illius; & positis contractiuis debet poni etiã natura communis; hæc enim se mutuò inferunt. Rursus bonitas non est aliqua essentia, sed passio alicuius, idque habet ex genere suo; est enim alicuius rei bonitas, & proinde, licet subsistat in aliqua essentia, in qua intimè imbibatur, adhuc tamen assignatur pro passione. Sumo ergo aliquam determinatam bonitatem; hæc bonitas reperitur in aliqua determinata essentia, & quando assignatur tanquam passio illius, concipitur sequi ab intrinsecis principijs talis essentiæ, vt talis est; atque cum tota illa essentia sit bona intrinsecè, & per se denominetur talis, necesse est, vt secundùm se totam per se connectatur cum illa bonitate, quod non aliter fieri potest, nisi secundùm se totam sit radix illius bonitatis; si antè secundùm se totam est radix, sicuti vt talis essentia est radix talis bonitatis, ita vt essentia vt sic erit radix bonitatis vt sic, atque adeo ex genere suo bonitas vt sic consequetur essentiam vt sic, quia ex debita proportione seruanda, si talis bonitas consequitur talem essentiam, debet bonitas vt sic consequi essentiam vt sic. Vnde non subsistet bonitas vt sic in aliqua essentia determinata, sed in tali essentia. Deinde si talis bonitas subsistit in tali essentia, iam datur aliquod ens, quod sit bonum essentialiter: cur ergo cætera quoque entia non erunt bona essentialiter? est enim eadem ratio de omnibus, nec minus vni, quàm alteri est debita propria bonitas, cum vnumquodque sit per se bonum, & vnumquodque originet proportionaliter id, quod originatur ab altero.

Bonitas ex genere suo cõsequitur essent à vt sic.

XII. Argumenta autem Durandi, si rectè perpendantur, nihil contra nostram, & communem sententiam conuincunt: vnde ad primum respondetur. Verum quidem esse, quòd ea, quæ sunt idem, non possunt differre in eo, in quo sunt idem, & propterea, quæ sunt idem essentialiter, non possunt differre essentialiter. Verùm ex eo, quòd ens sit bonum essentialiter, sequitur solùm, quòd sint idem in ea dem essentia adæquata, in qua tum bonitas, tum ratio entis reperitur, & ideò tantùm inferri potest, quòd non possint distingui secundùm essentiam adæquatam, quia vnitas essentiæ adæquatæ est ratio identitatis. Non autem sequitur, non posse distingui secundùm conceptus inadæquatos quoniam secundùm ipsos non sunt idem, neque huiusmodi identitas necessaria est, vt ens sit bonum essentialiter, sed sufficit identitas secundùm conceptum adæquatum. Bonitas autem solùm distinguitur ab ente secundùm conceptum inadæquatum.

Quæ identitas requiratur inter ẽs, & bonitatem vt ens sit bonum essentialiter.

XIII. Ad secundum dicimus; bonitatem non distingui ab ente vt inferius à superiori, sed vt condiuisum. Cùm autem istatur, bonitatem esse quid positiuum, & nihil positiuum posse differre vt cõdiuisum ab ente; respondetur; verùm id solùm esse de differentia quò ad conceptus adæquatos, non verò quò ad inadæquatos. Intantum enim non potest aliquid positiuum vt condiuisum esse extra ens, inquantum non potest habere rationem positiui, nisi per ens. Verùm posita distinctione per conceptus inadæquatos habetur, quòd diuisum adhuc sit quid positiuum per ens, quia implicitè dicit ipsum ens, & quod distinguatur, quia explicitè dicit aliquid, quod non dicit ens. Neque maiorem distinctionem requirit bonitas ab ente, vt enim saluetur diuersitas formalitatum, sufficit si secundùm esse explicitum, aliquid diuersum dicant, quamuis implicitè seinuicem includant. Atque huiusmodi distinctio secundùm conceptus inadæquatos facit, vt sint diuersæ rationes formales; & quia non omnino separat rationes distinctas, ideo stat cum identitate essentiali. Hæc au-

Ad 2.

Quomodo aliq positiuũ possit esse extra ens.

tem

Ad 3. Quomodo ens & bonitas sint una ratio, & diuersa.

tem identitas, sicuti facit vt sint idem essentialiter secundùm conceptũ adæquatum, ita etiam facit, vt possint de se inuicem conuertibiliter prædicari: ex hac autem conuertibili prædicatione sicuti infertur sola identitas essentialis secundùm conceptum adæquatum, ita etiam solùm infertur, quòd sint eadem ratio secundùm conceptum adæquatum. Et per hæc habetur responsio ad tertium. Et eodem modo soluendum est etiam quartum argumentum. Licet enim plura, quatenus in vna essentia conueniunt, non possint habere plures rationes quidditatiuas adæquatas, possunt tamen habere plures inadæquatas; nam in illa vna, atque eadem potest intellectus plures inadæquatos conceptus distinguere; sic in conceptu adæquato hominis distinguit rationalitatem, discursiuitatem, visibilitatem; & hæ omnes rationes secundùm eamdem latitudinem prædicantur de ijsdem. Vnde cum dicitur, impossibile esse, plura prædicari de ijsdem secundùm eamdem latitudinem, & essentialiter, nisi sint synonima, alia etiam condicio addenda est, nimirum nisi sint conceptus inadæquati propriæ quidditatis eorumdem: non enim plura, quæ dicant conceptus adæquatos prædicari possunt essentialiter, quia essentia illorum propria, de quibus prædicantur, non importat hos plures conceptus adæquatos; possunt tamen prædicari plures conceptus inadæquati de eodem adæquato, & hoc contingit, quando ens, & bonum prædicantur essentialiter de inferioribus, nam prædicantur vt plures conceptus inadæquati in eodem adæquato contenti.

Ad 4.

Quomodo eiusdem possint esse plures rationes quidditatiuæ.

Quomodo ens sit bonum bonitate prima.

SECTIO II.

I. Dictum est in præcedenti sect. ita ens esse bonum essentialiter, vt tamen sit bonum participatiuè participando bonitatem primam, quæ est bonitas per essentiam. Nunc ergo dubitatur, quomodo sit bonum bonitate prima, seu quomodo illam participet. Hoc autem in hac difficultate certum esse debet, quòd non

Ens non est bonũ formaliter bonitate diuina.

potest ens esse bonum formaliter, & intrinsecè bonitate prima, vt quidam malè senserunt, quorum suppresso nomine meminit D. Th. quæst. 21. de Verit. art. 4. Non enim bonitas diuina communicat se creaturis tanquam formam inhærentem, hoc enim repugnat; esse enim formam inhærentem importat imperfectionem, & esse receptum in subiecto, atque adeò finitum, neque est Deus formaliter ipsa bonitas creaturæ; sequeretur enim creaturam esse Deum, siquidem bonitas creaturæ non distinguitur ab esse ipsius. Neque bonitas diuina aliquo modo vnionis, vt contingit in vnione hypostatica, potest vniri cum rebus creatis, vt eas bonas faciat, nam si sunt capaces bonitatis, debent habere suam bonitatem connaturalem, atque adeo finitam; si verò non sunt capaces, neque etiam fieri poterunt bonæ bonitate diuina; in tantùm enim natura humana subsistere potest subsistentia diuina, in quantum est capax subsistentiæ. Et hoc certum est de fide, quòd omne ens est factum à Deo, atque totum id, quod habet in se, habet communicatum à Deo efficienter, simul enim cum esse communicat bonitatem: & proinde Genes. 1. dicitur *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* & D. Aug. in tom. 3. lib. 1. de Doctrina Christ. cap. 32. habet loqens de Deo. *Quia bonus est, sumus: & in quantum sumus, boni sumus.*

D. Th.

D. Aug.

II. Restat ergo solum, vt ens dici possit bonum bonitate prima denominatiuè ab extrinseca forma; ita tamen vt intrinsecè sit bonum propria bonitate formali. Et ita docet D. Th. quæst. 21. de Verit. artic. 4. & 1. part. quæst 6. art. 4. his verbis: *Sic ergo vnumquodque dicitur bonum bonitate diuina, sicut primo principio exemplari effectiuo, & finali totius bonitatis. Nihilominus tamen vnumquodque dicitur bonum similitudine diuinæ bonitatis sibi inhærente, quæ est formaliter sua bonitas denominans ipsum. Et sic est bonitas vna omnium, & etiam multæ bonitates.* Et ita loquuntur communiter commentatores circa hunc locum. Nos autem, vt explicemus, quomodo ens sit extrinseca denominatione bonum bonitate diuina, debemus proportionaliter philosophari, sicuti supra disp. 67. sect. 1.

Ens bonum bonitate prima denominatiue tantum. D. Th.

&

& disp. 68. sect. 4. philosophati sumus circa veritatem ea comparando ad veritatem primam.

III. Vt autem paulatim ad resolutionem accedamus, hoc aduertimus, quòd ea, quæ sunt talia per formam intrinsecam, non possunt suscipere eamdem denominationem à forma extrinseca, vt etiam in citato loco adnotauimus. Si enim sit eadem denominatio, non explicabit aliud, quàm illud esse, quod habet denominatum ex vi propriæ formæ intrinsecæ: omnis enim denominatio ordinatur ad aliquid explicandum circa rem denominatam. Vnde si res potest significari talis, qualis denominatur, tanquam per formam intrinsecam, excludet statim denominationem ab extrinseca forma, quia trahet illam denominationem ad se ex vi propriæ formæ intrinsecæ. Tum quia in tantum desumitur ab extrinseca forma, in quantum non potest desumi ab intrinseca; tum etiam quia forma intrinseca principaliori modo se habet ad denominatum. Deinde omnis denominatio debet explicare aliquid, quod conueniat denominato; vnde quando desumitur à forma extrinseca, significat aliquam habitudinem ad illam; & propterea quando denominatio sumitur ab eadem forma, nunquam denominabit vt desumpta ab extrinseca forma, quando eadem forma est etiam intrinseca, quia tunc significabit in re denominata formam intrinsecam. Ex quo fit, vt quando ens dicitur bonum bonitate prima, non possit per hanc denominationem explicari bonitas formalis illius, sed aliquid aliud, quod sit in ente, neque desumi possit à forma eiusdem rationis cum bonitate intrinseca eidem enti, sed ab aliqua alia.

Quod est tale intrinsecè, non est tale denominatione extrinseca.

IV. Primò ergo dici potest, Ens bonum bonitate prima, desumendo denominationem à bonitate ideali, quæ est in Deo, quæ dicitur prima bonitas, quatenus præcedit vt exemplar quamcunque bonitatem creatam. Vt enim diximus supracitato loco de veritate ideali, quamuis bonitas idealis dicat eamdem rationem formalem bonitatis, quam dicit ens, non tamen eodem modo essendi, quia ratio illa bonitatis existit exemplariter in idea diuina, quæ secundùm esse infinitè distat à bonitate creata; in ente verò existit reali modo. Hinc autem fit, vt denominatio desumpta à bonitate ideali sit extrinseca respectu entis, quia in se non habet bonitatem idealem, sed ideatã; significat autem huiusmodi denominatio habitudinem illam, quam ens, vt bonum est, dicit ad bonitatem idealem. quæ est habitudo talis mensurati ad suam mensuram: huiusmodi enim habitudo est fundamentum talis denominationis. Et hinc intelligitur doctrina Platonis, quando docuit, omnia esse bona bonitate prima: volebat enim, dari quamdam primam bonitatem, quæ esset idea omnium bonorum; in quo distinguebat ideam boni à cæteris ideis: cæteræ enim ideæ solùm se extendebant ad genus entis determinatum: idea verò boni ad omnia entia, tanquam ad ea, quæ omnia participant rationem boni. Et ideo volebat, hanc Ideam boni esse ipsum bonum vniuersale, cuius participatione omnia essent bona; non quidem tanquam per formam inhærentem, sed tanquam per formam separatam; & ideo Plato vocabat hanc ideã formam separatam: volebat autem illius participatione omnia esse bona, quia ab ipsa tanquam à causa exemplari deflueret bonitas in omnia. Hanc autem bonitatem idealem ponebat in mente diuina, vt etiam alibi de cæteris ideis supra diximus. In quo Plato rectè sensit, quamuis ab Arist. impugnetur: assecutus est enim veritatem Theologicam de diuinis ideis, & quomodo omnia entia quò ad esse bonum dependeant à bonitate ideali, quæ est in Deo.

Quomodo ens dicatur bonum bonitate prima ideali.

Doctrina Platonis explicata.

V. Altero autem modo potest ens dici bonum bonitate prima desumendo denominationem ab ipsamet formali bonitate, quæ est in Deo, qua ipse bonus est supra omnem bonitatem. Hæc enim bonitas non solùm est diuersa à bonitate creaturæ, sed etiam ita infinitè distat ab ipsa, vt nullam habeat conuenientiam, seu conceptum commonem cum ipsa iuxta ea, quæ diximus in priori tomo disp. 29. Nihilominus bonitas creata per se dependet ab hac bonitate diuina; est enim essentialiter quædam participatio illius; & ideo dicit per se habitudinem

Ens dicitur bonũ bonitate diuina.

dinem ad ipsam. Est enim bonitas diuina sumet diffusiua, ita vt extra ipsam nullum sit bonum, nisi ab ipsa proueniat; extra namque id, quod est bonum per essentiam, nullum aliud bonum, nisi participatum reperitur; & ideo omnia bona sunt quædam participationes bonitatis à diuina bonitate profluentes. Hoc autem stante, sequitur, omne ens, quatenus bonum est, esse quoddam signum, & vestigium diuinæ bonitatis; vt ergo declaretur huiusmodi ratio signi, potest ens denominari bonum bonitate diuina tanquam signum bonitatis illius, vt etiam vrina denominatione extrinseca dicitur sana, aut etiam pulsus dicitur sanus eò, quòd sunt signa sanitatis, quæ est in animali.

Ens denominatur bonū ab vltimo fine. VI. Denique tertio etiam modo potest ens dici bonum bonitate prima desumendo denominationem à bonitate diuina, quatenus importat rationem vltimi finis omnium. Pro quo sciendum est, Deum habere rationem vltimi finis omnium ex eo, quòd est summum bonum; hinc enim fit, vt sit vltimò propter se expetibile: quod non conuenit rebus creatis, quamuis enim aliquę propter se expetibiles sint, non sunt tamen propter se vltimò expetibiles, quia cum non habeant in se rationem omnem bonitatis, non potest appetitus in illis vltimò quiescere. Et hinc sequitur, res omnes ordinari ad Deum tanquam ad vltimum finem continentem plenissimam rationem bonitatis, atque adeò, si quando exercent rationem finis, non eam exercere omnino ex se, sed tanquam subordinatas fini vltimo. Quando enim vnum ad aliud ordinatur tanquam ad finem, non ordinatur ad illum, vt in ipso sistat, sed vt mediante illo tendat in vltimum finem; atque adeo non habet nisi rationem finis subordinati. Ex hoc autem nascitur quædam habitudo per se, quam dicunt res creatæ ad vltimum finem tanquam exercentes rationem finis cum habitudine ad ipsum. Vt ergo explicetur hæc habitudo, desumenda est denominatio à forma extrinseca, nimirum à termino habitudinis; quando enim res dicitur bona à bonitate propria intrinseca explicatur intrinseca ratio bonitatis, qua in se formaliter, & absolutè bona est, non verò habitudo ad vltimum finem: vt igitur explicetur, debet sumi denominatio à forma extrinseca, quæ est terminus habitudinis; & tunc ens dicetur bonum bonitate prima finali. Fateor tamen, has denominationes esse minus proprias, & vsitatas. Hoc autem inde prouenit, quia quamuis denominationes istæ sint diuersæ quò ad significatum ab ea, quæ sumitur à forma intrinseca, non sunt tamen diuersæ quò ad nomen, & ideò quando enti tribuuntur simpliciter, censentur significare formam intrinsecam, quod non contingit, quando eadem denominatio secundùm nomen potest tantùm desumi à forma extrinseca, vt cum medicina dicitur sana. Et ideò ex hoc capite fit, vt sint minus vsitatæ propter ambiguitatem, quam generarent.

Hæ denominationes minus propriæ.

VII. Hinc autem inquiri posset. Quomodo bonitas entis se habeat ad bonitatem primam. Circa quod philosophandum est eodem pacto, quo philosophati sumus disp. 68. sect. 2. circa habitudinem veritatis entis ad veritatem primam, & idealem. Et breuiter dicendum est. Bonitatem entis nullam habere conuenientiam, aut proportionem in essendo cum bonitate prima, quod conuincitur ex infinita distantia, quæ est inter vtramque; cum enim vna sit infinita in essendo, altera finita, infinitè distant inter se, infinitum enim infinito modo recedit à finito, ita vt infinitas tollat omnem proportionem, vt in eodem loco docuimus: vbi autem est conuenientia, aut proportio, non est infinita distantia, quoniam conuenientia, & proportio ponunt aliquē accessum, & aliquam similitudinem, & ideò, quamuis inter se distent, est tamen distantia finita, & terminata, & maior excogitari non potest. Quin neque in essendo bonitas creata dicit analogiam attributionis ad primam bonitatem, quoniam in essendo est intrinsecè, & propriè bonitas per formam propriam bonitatis, non autem per denominationem extrinsecam fundatam in habitudine ad propriam formam bonitatis, vt necessarium esset pro constituenda analogia attributionis.

Bonitas entis nō conuenit, neq; proportionatur in essendo cū bonit. te prima.

VIII. Si verò consideretur prima bonitas idealis non in essendo, sed in

repræſentando, tunc interuenit inter vtramquam bonitatem analogia proportionis, & diuerſo modo poteſt vtraque eſſe primum, & principale analogatum: nam ſi conſideretur bonitas entis ideali modo exiſtens, hæc propriè reperitur in ideali bonitate, cum quadam autẽ proportione in bonitate entis; non enim hæc dicit eumdẽ modum eſſendi, ſed diuerſum, atque adeo dicit ſolùm ſecundùm proportionem eamdẽ bonitatem, quatenus conſideratur cum ſuo modo eſſendi, & hoc pacto principale analogatum eſt bonitas idealis. Verùm ſi cõſideretur bonitas in eſſendo adæquatè ſumpta cum ſuo modo eſſendi, hæc propriè, & cum omni rigore reperitur in ente, minus autem propriè, & cum quadam proportione in bonitate ideali, nimirum repræſentatiuo modo, & hoc pacto Ens bonum eſt principale analogatum, Idealis verò bonitas minus principale. Sed inſuper interuenire poteſt etiã analogia attributionis, ita vt minus principale analogatum ſit ipſum ens bonum. Ens enim bonum, cum habeat modum ſuæ bonitatis, atque debitam menſurã, ſe habet vt quid menſuratum, atque adeo tanquam ſignum indicat ſuam menſuram, quæ nulla alia eſt, quàm bonitas idealis, & ratione huius ſignificationis dicit ordinem per ſe ad ipſam bonitatẽ idealem, vnde ſi ab hac deſumatur denominatio, interueniet analogia attributionis, quia ens tunc dicetur bonum per attributionem ad bonitatẽ idealẽ.

Analogia proportionis inter ens bonum, & bonitatẽ idealem.

Interuenire etiam analogia attributionis.

IX. Hæc autem analogia attributionis eſt reſpectu primæ bonitatis, quatenus eſt ſuipſius diffuſiua, & etiã quatenus habet rationem vltimi finis; nam ſi conſideretur quatenus ſui ipſius diffuſiua, ſeu quatenus participabilis, tũc ens bonum eſt quædam profluens participatio ab ipſa, atque adeo cum ſit effectus illius, eſt quoddam ſignum talis bonitatis, & ideò ſi denominatio deſumatur à bonitate prima vt participabili, & transferatur ad illam attributio nem ſignificandam quam dicit bonitas participata ad imparticipatam, tunc interueniet analogia attributionis. Similiter ſi cõſideretur bonitas prima, quatenus habet exercere rationem vltimi finis erga omnia entia, & in omnibus entibus conſideretur dependentia illa, qua ipſa quoque exercent rationem finis dependenter ab vltimo fine, & ab alliciente bonitate vltimi finis deſumatur denominatio, & transferatur ad ſignificandam in ente illam ſubordinationem in finalizando reſpectu vltimi finis, tunc interuenit analogia attributionis; ex vi enim illius attributionis, quam habent cætera entia in finalizando reſpectu vltimi finis, dicuntur rationem ſigni indicãtis vltimum finem, à quo dependent, quæ per talem denominationem ſignificari poteſt. Rurſus etiam quia non alliciunt ita ad ſeipſa, vt in iiſdem ſiſtatur, ſed vt conducant ad vltimum finem mediatè ſuimet aſſequutione, hinc fit, vt dicant rationem cauſatiui aſſecutionis vltimi finis; atq; adeò dicuntur bona bonitate vltimi finis, quatenus cauſant aſſequutionem illius.

Analogia attributionis inter ens bonum, & bonitatem diuinam vt participabilem.

Ens in finalizando dicit attributione ad vltimum finem.

De diuiſione, & gradibus bonitatis. Diſp. LXXV.

Expenditur prima diuiſio boni in naturale, & morale.

SECTIO I.

BOnum, ſeu bonitatẽ habere diuerſos gradus, ſeu diuerſas ſpecies, certum omnino eſt: experimur enim in rerum natura diuerſa bona, atq; cum conſequatur bonitas tã quam paſſio ipſum ens, ſicuti in ente dãtur diuerſę ſpecies, atq; diuerſi gradus, ita eadẽ diuerſitas concedẽda eſt in bonitate, quę enti proportionari debet. Et quidem ſicut variatur ens, variatur etiam bonitas; vnumquodque enim, ſicuti habet ſuam propriam perfectionem, ita etiam habet ſuam propriam bonitatem; vnde quot ſunt entia ſpecie diuerſa, tot etiam ſunt bona diuerſa; hæc tamen diuerſitas valdè materialis eſt, quia prouenit formaliter ab ipſo eſſe rei, non autem ab aliqua formali ratione, quæ determinet bonitatem intra rationẽ bonitatis;

Diuerſi gradus bonitatis materialiter ſumptæ.

tis; vnde nec sub aliqua certa regula comprehendi potest, quia multiplicari potest, sicut multiplicatur ens; & proinde hanc diuersitatem missam facimus, & eam solùm consideramus, quæ aliquo modo determinat bonitatem formaliter secundùm rationem bonitatis.

Diuisio Bonitatis in Naturalem, & Moralē.

II. Prima ergo diuisio, quæ contingat secundùm rationem bonitatis, est in Naturalem, & Moralem, quæ frequens est apud Doctores, præsertim Theologos. Bonitas naturalis, quę etiā Physica dicitur, est illa, quæ conuenit vnicuique enti ex vi proprij esse physici, siue etiam metaphysici; seu quæ cōuenit vnicuique ex vi illius, quo in rerum natura tanquam reale ens subsistit vel seorsim ab alijs, vel vt aliquis gradus entis completi. Vnde non est alia, quàm bonitas transcendens, prout in vnoquoq; ente determinato modo reperitur, & proportionato ad esse ipsius. Bonitas verò moralis dicitur tantùm respectu liberi arbitrij, quatenus voluntas libero modo operatur, & secundùm regulas rectæ rationis. Vnde sicuti bonitas Naturalis importat illud conuenienter se habere quò ad esse naturale, ita bonitas Moralis importat illud conuenienter se habere in esse, quò ad regulas rectæ rationis, quibus quò ad liberas operationes præfigitur voluntati, & determinatur debita conuenientia. Ratione autem huius debitæ conuenientiæ operationes dicuntur honestæ, & laude dignæ; extenditur autem hæc bonitas ad ea quoque, quæ ad huiusmodi operationes cōcernunt, nimirum ad habitus virtuosos, hi enim dicuntur moraliter boni; & ad obiecta, circa quæ operationes moraliter bonæ versantur. Verum quomodo tam habitus, quàm obiecta participent bonitatem moralem, non est huius loci explicare.

Quō bonitas moralis se habeat ad naturalē.

III. Circa hanc diuisionem boni dubitatur, quomodo bonitas moralis se habeat ad naturalem, an nimirum sit species quædam, siue genus bonitatis contradistinctum, an verò aliquam aliam habitudinem seruet.

Sent. Auersæ.

Auersa in sua Philosophia quæst. 7. sect. 5. vult, Bonitatem moralem non esse aliquam speciem bonitatis transcendentalis, sed esse distinctum, & disparatum genus, bonitas enim transcendentalis consistit præcisè in genere naturæ, nec vllo pacto se extendit ad genus moris, atq; dicitur de rebus necessariò, bonitas verò moralis pendet ex libertate, in qua fundatur: vnde, quæ denominantur bona moraliter, habent etiam suam bonitatem naturalem, quæ inuariata manet, licet bonitas moralis mutetur: & propterea, quæ sunt mala moraliter, vt operationes prauæ, adhuc habent suam bonitatem naturalem, quæ omnia indicant, bonitatem moralem esse genus bonitatis disparatum, nec contineri sub bonitate transcendentali, quæ solùm continet sub se omnes bonitates naturales. Moralis enim se habet vt quædam specialis ratio bonitatis consequens ad tale ens: & sicuti tale ens potest habere aliquas passiones sibi peculiares, quæ non contineātur sub communibus passionibus entis, ita etiam entia moralia possunt habere aliquam rationem bonitatis, quæ non contineatur sub bonitate morali.

Bonitas moralis essentialiter diuersa a naturali.

IV. Non tamen hæc doctrina satisfacere potest: vnde pro resolutione hoc certum esse debet. Bonitatem moralem importare aliquā rationem bonitatis essentialiter diuersam à bonitate naturali. Hoc euidenter ex eo patet, quòd bonitas naturalis ex genere suo reperitur indifferenter in quocunque genere entis: bonitas autem moralis solùm in determinato genere, nimirū morali, quod in libertate fundatur; quòd si non esset diuersa essentialiter, ipsa quoque posset reperiri in quocunque ente. Præterea bonitas naturalis dicit illud conuenienter se habere quò ad esse physicum, seu naturale; bonitas verò moralis dicit illud conuenienter se habere quò ad regulas rectæ rationis; quamobrem cum bonitas naturalis, & moralis importent diuersas rationes conuenienter se habendi, oportet etiam, quòd sint rationes bonitatis essentialiter diuersæ.

V. Verùm neque censendum est, esse ita essentialiter diuersas, vt sint genera bonitatis omnino diuersa, & disparata, ita vt neque conueniant in ratione bonitatis vt sic, nec bonitas moralis contineatur sub transcendentali communissimè sumpta: Bonitas enim moralis est aliqua bonitas realis, & sicuti dicit rationem talis bonitatis;

Bonitas moralis non se habet disparatè respectu naturalis

ita etiam dicit rationem bonitatis vt sic: quia esse tale determinato modo dicit etiam esse tale simpliciter. Hinc autem fit, vt bonitas moralis participet rationem bonitatis vt sic, atque adeo sub ipsa contineatur, & conueniat cum bonitate reali naturali in ratione bonitatis realis. Vnde considerando bonitatem moralem, possumus in ipsa concipere rationem talis bonitatis, nempe moralis, atque bonitatis vt sic. Cum ergo bonitas vt sic reperiatur tam in bonitate naturali, quàm in morali, iam habetur conceptus vtrique communis, qui importat bonitatem vt sic, atq; adeo vtraque sub vna, eademque ratione bonitatis collocatur. Quod insuper confir. Quoniam vnumquodque transcendens ratione suæ transcendentiæ debet reperiri in omnibus, quæ dicunt aliquam rationem determinatam intra genus illius transcendentis: vnde ens, quia transcendens est, reperitur in ijs omnibus, quæ intra rationem essendi important determinatum modum essendi etiam in ipso ente morali; ens enim morale verè ens est; bonitas ergo transcendentalis ratione suæ transcendentiæ debet in quacunq; bonitate reperiri tanquam in ea, quæ intra genus bonitatis reperitur; atque adeo etiam in morali; Vnde non se habebit disparatè respectu bonitatis naturalis.

Conuenit cum ipsa in ratione bonitatis vt sic.

Bonitas moralis non est species contradistincta à bonitate naturali.

VI. Atque tantum abest, vt bonitas moralis disparatè se habeat respectu naturalis, vt neque etiam sit species bonitatis ab ipsa contradistincta. Quod sic ostenditur: species enim inter se contradistinctæ constituuntur per differentias oppositas, atque incompossibiles: vnde fieri non potest, vt altera ex his speciebus fundetur in alia, quoniam ratione incompossibilitatis se mutuò excludunt ab eadem natura: & tantum abest, quòd sint inuicem subordinatæ, vt etiam ratione mutuæ incompossibilitatis diuidant rationem communem, cui adueniunt, atque in vigore huius diuisionis sint plures species. Quòd si non diuiderent, neque etiam essent plures species, sed in vnicam coalescerent constantem ex pluribus rationibus subordinatis. Si autem bonitas moralis comparetur cum naturali, non habet oppositionem cum ipsa, aut incompossibilitatem, sed eam sibi subordinat: bonitas enim moralis fundatur in naturali: est enim quædam ratio bonitatis consequens ens morale; & ideo sicuti ens morale fundatur in naturali, ita etiam bonitas moralis in bonitate naturali. Hinc idem ens in suo esse innoluit vtramque bonitatem, eadem enim operatio secundùm illud positiuum, quod dicit, est bona bonitate naturali, atque morali. Quare concludendum est, non esse species bonitatis contradistinctas, cum non importent oppositas, & incompossibiles differentias.

Bonitas moralis, & naturalis diuersi gradus bonitatis subordinati:

VII. Itaque bonitas naturalis, & moralis importabunt gradus bonitatis essentialiter diuersos, subordinatos tamen; ita vt bonitas naturalis subordinetur morali. Quod satis ex eo ostenditur, quoniam vterque gradus bonitatis in eodem ente physico subsistit simul; ex quo fit, vt excludenda sit oppositio, atque incompossibilitas, & ponenda subordinatio: non enim possunt esse simul diuersæ rationes essentiales, nisi inuicem subordinentur. Verùm cũ bonitas moralis non in quocunq; ente reperiatur, sed solùm in determinato genere, non quæcunque bonitas naturalis subordinabitur morali, sed tantũ bonitas, quæ conuenit illi generi entium: sicuti enim hæc entia habent ex natura sua, vt possint fundare moralitatem; ita etiam bonitas ipsorum ex natura sua habet, vt subordinetur bonitati morali.

Ad fundamentũ in oppositum.

VIII. Hinc patet ad fundamentũ Aversę; falsum est enim, quòd bonitas transcendentalis secundùm suã communissimam rationem non se extendat ad moralem, cum ipsa quoque sit verè bonitas. Quod autem naturalis conueniat necessariò rebus ex genere suo, non verò moralis, hoc tantùm indicat, esse gradus essentialiter diuersos; & quòd ea, quæ sunt bona moraliter, sint bona etiam naturaliter, indicat subordinationem horum graduum. Neque quòd consequatur ad tale ens, obstat, quominus sub bonitate transcendentali contineatur, quoniam si tale ens continetur sub ente vt sic, alioquin non esset quid reale, continebitur etiam bonitas ipsum consequens sub bonita-

nitate vt sic. Quòd si dantur aliquæ passiones determinati entis, quæ non contineantur sub passionibus entis vt sic, hoc inde prouenit, quia non dicunt rationem determinatiuam earumdem passionum, ita vt natura talium passionum sit inchoata in passionibus entis; at cum bonitas moralis importet rationem talis bonitatis, importat etiam rationem determinatiuam bonitatis vt sic, atque adeo in bonitate vt sic, quæ est passio entis vt sic, natura ipsius inchoatur, & ideo sub ipsa collocari debet.

Altera diuisio boni.

SECTIO II.

I. CElebberrima est illa diuisio Boni in Vtile, Delectabile, & Honestum: & desumitur ex Arist. 2. Ethic. cap. 3. vbi docet; Tria esse, quæ in electionem cadunt Honestum, Vtile, & Iucundum; & eam sequitur D. Th. 1. part. quæst. 5. art. 6. & explicatur à Suarez in Metaph. disp. 10. sect. 2. num. 7. & sequentibus, & ab Auersa quæst. 7. suæ Philosoph. sect. 6. & communiter ab omnibus admittitur tanquam sufficiens, & adæquata. Pro intelligentia autem aduertere primò oportet: Non esse hanc diuisionem boni secundùm totam suam latitudinem, sed tantùm boni humani, seu boni comparati ad naturam rationalem, quatenus rationali modo operatur, vt etiam adnotauit D. Th. loco citato. Ex quo fit, quòd hæc diuisio sit potius quædam subdiuisio diuisionis præcedentis. Diximus enim bonum diuidi in Naturale, & Morale: quando autem diuiditur in Vtile, Delectabile, & Honestum, atque intelligitur diuisio de bono comparato ad naturam rationalem, statim manifestum fit, diuidi bonum Morale, quia dum rationalis natura rationali modo operatur, versatur tantùm circa bonum, vel malum morale. Atque hoc totum docuit Arist. citato cap. 3. inquiens. *Cum tria sint, quæ in electionem, tria item, quæ in repudiationem cadunt Honestum, Vtile, & Iucundum; & tria contraria Turpe, Inutile, & Molestum, circa omnia hæc bonus vir rectè agit, malus verò peccat.* Quibus non solùm indicatur, hæc tria bona dici respectu naturæ rationalis modo rationali procedentis, sed etiam esse bona moralia, dum ratione ipsorum operatio dicitur bona, vel mala; laude digna, aut vituperio.

[Margin: Arist. — D. Th. Suarez Auersa — Diuisio boni in Vtile Delectabile, & Honestum.]

II. Bonum autem honestum dicitur esse illud, quod speciali modo est quodam honore, atque veneratione dignum. Honestas enim, vt cum D. Isidoro docet D. Th. 2. 2. quæst. 145. artic. 1. importat quemdam honoris statum, in excellentia fundatum: & ideo bonum honestum addit supra rationem boni vt sic quamdam excellentiam ratione cuius debita est illi quædam veneratio. Quòd si inquiras, in quo consistat excellentia, quam importat bonum honestum. Respondetur, consistere in quadam pulchritudine ipsius boni. vnde D. August. in libro 83. Quæstionum declarans, quid sit ipsa honestas, ait Quæst 30. *Honestatem voco intelligibilem pulchritudinem.* Huiusmodi autem pulchritudo desumitur in ordine ad rationem; & optimè explicatur ex analogia ad pulchritudinem corporalem. Sicuti enim pulchritudo corporalis consistit in debita proportione membrorum, atque in quadam claritate coloris; ita pulchritudo ista honestatis consistit in debita proportione, atque mensura, quæ præscribitur per regulas rectæ rationis, atque in quadam claritate virtutis. Vnde D. Th. supracitata quæst. art. 3. declarans rationem honesti, inquit, *Dicitur autem aliquid honestum, sicut dictum est, in quantum habet quemdam decorem ex ordinatione rationis.* Hinc autem fit, vt bonum honestum sit propter se expetibile, quia nimirum habet in se aliquid amabile, ita vt possit appetitus aliquo modo in ipso quiescere.

[Margin: Quid bonum honestum. — D. Isidor. D. Th. — D. Aug.]

III. Bonum delectabile est quoddam bonum propter se expetibile; appetitus enim aliquo modo quiescit in obiecto, quo delectatur, delectatio enim est secundùm se amabilis. Vnde Arist. 10. Eth. cap. 2. docet, Non esse inquirendum, propter quid velit aliquis delectationem, quia manifestum est, eam propter seipsam intendi. Differt autem delectabile ab honesto in hoc, quòd honestum est

[Margin: Quid bonum delectabile. — Arist.]

propter se appetibile ratione pulchritudinis, & conuenientiæ ad rectam rationem; delectabile verò est propter se appetibile ratione delectationis, quã secum affert. Vt autem plenius videamus, quid dicat ista delectabilitas, considerandum est, quid sit delectatio.

Arist.

Arist. autem 1. Rhetor. cap. 10. circa finem explicans quid sit delectatio sensibilis, inquit. *Delectatio est quidam motus animæ, & constitutio simul tota, & sensibilis in naturam existentem*: hoc est, Est motus, quo anima mouetur in id, quod in ipsa natura existit tanquam quid ipsi conueniens. Res enim omnes habent naturalem inclinationem in suas perfectiones naturales, & in quicquid sibi conueniens est. Quando ergo natura cognoscitiua constituitur in termino suæ perfectionis, percipit hoc ipsum mediante cognitione; atque facta hac manifestatione in anima, mouetur ipsa anima circa id, quod tanquam sibi conueniens acquirit; atque huiusmodi motus est quædam quies appetitus cõsiderata præsentia boni conuenientis, atque eidem appetitui satisfacientis, ipsumq. satiantis. Hinc autem colligitur, delectabilitatẽ ex parte boni delectabilis importare quãdam conuenientiã ad naturã, ac vim quietatiuã appetitus, ratione cuius possit mouere appetitum ad quamdam quietem circa obiectum.

Quid delectatio

Quid bonum vtile.

IV. Bonum verò vtile est alterius rationis, neq; enim est bonũ propter se, sed propter aliud, ad quod ordinatur: nisi enim aliquid aliud expeteretur, neq; etiam bonum vtile expeteretur; vnde D. Aug. q. 30. ex. 83. inquit. *Magis propriè atq; vsitatiuè honestũ dicitur, quod propter seipsum expetendũ est. Vtile autẽ, quod ad aliquid referendum est.* Et D. Th. 2.2. q. 145. ar. 3. explicans discrimen inter hæc tria bona, hæc habet. *Honestũ dicitur sicut id, quod aliquid habet quãdã excellentiã dignã honore propter spirituale pulchritudinẽ. Delectabile autẽ, in quãtũ quietat appetitũ. Vtile autẽ, in quantũ refertur ad aliud.* Ex quo colligitur, bonum vtile esse quoddã bonum subordinatum bono propter se expetibili, quod ideo expetitur, quia conducit ad aliud propter se expetibile, ita vt huius expetibilitas sit ratio, cur vtile expetatur.

D. Aug.

D. Th.

Potest hæc diuisio esse boni vt sic.

V. Si tamen secundũm quamdam maiorem latitudinem hæc tria bona accipiantur, potest hæc diuisio complecti omne bonum, ita vt diuidatur bonum vt sic secundũm omnem suam latitudinem, vt etiam adnotauit D. Tho. 1. par. quæst. 5. artic. 6. Verum tamen est, quòd semper debet sumi in ordine ad appetitum, quatenus est appetibile; & quamuis non sit bonum naturæ cognoscitiuæ, potest tamen considerari, prout in ordine ad ipsam obtinet has differentias bonitatis, quæ ex natura rationali potuerũt in ipsa assignari in ordine ad naturam, etiam non cognoscitiuam. Vt ergo prædicta diuisio cadat supra bonum vt sic: Bonum honestum, sicut prius accipiebatur pro eo, quod dicit quandam rationalem pulchritudinem, & conuenientiam ad rectam rationem, ita modo debet accipi pro pulchritudine naturali, & conuenientia secundùm regulas naturæ; hoc etenim modo eodem pacto se habet ad bonum, vt sic, quo se habet ad bonum morale, quando pro conuenientia ad regulas rationis accipitur; sicuti enim conuenientia ad regulas rationis dicit pulchritudinem moralem, ita conuenientia secundùm regulas naturæ dicit pulchritudinem naturalem, atque adeo seruat eandem latitudinem ad bonum naturale, quod est bonum, vt sic, quam seruat pulchritudo moralis ad bonum morale.

Quo accipieda ratio honesti, vt cadat supra bonũ vt sic tãquam ratio contrahens

VI. Bonum quoque delectabile cum aliqua maiori latitudine accipi debet, ita vt non solùm importet id, quod motum illum animæ causare potest, quo moueatur quiescendo in propria perfectione præsenti, sed etiam pro quacunque perfectione alteri conuenienti, quæ apta sit, vt constituatur tanquam terminus inclinationis naturalis, in quo res naturali modo quiescat, vt se habet centrum respectu lapidis: in hoc enim seruatur correspondentia ad delectabile respectu appetitus eliciti; sicut enim delectabile respectu appetitus eliciti facit, vt appetitus proferat actum quietis in obiecto sibi conuenienti; ita perfectio, & quicquid naturali modo conueniens est alteri, facit, vt res in seipsa per innatum appetitum quiescat, quæ quidem quies in eo consistit, quòd res, dum est in tali termino, connaturali modo se habeat. Similiter quoque bonum vtile in maxima latitudine, qua fieri potest, accipi debet, ita vt non solùm importet id, quod con-

Quo accipiendum bonũ delectabile, & vtile.

du-

ducit ad aſſecutionem boni delectabilis, & honeſti preſsè ſumpti, ſed etiam quicquid quocunque modo conducit ad aliquid aliud aſſequendum.

Quo aliqua diuiſio ſit ſufficiens, & adæquata.

VII. His ergo ſic explicatis in vtroque ſenſu diuiſio eſt adæquata, ita vt nullum ſit bonum, quod ad aliquod ex his membris non reducatur, ita tamen, vt in priori ſenſu accipiatur pro diuiſo bonum morale, in poſteriori verò bonum vt ſic ſecundùm totam ſuam latitudinem. Verùm non ita accipienda eſt diuiſio, quaſi omnia tria membra immediatè cadant ſupra bonum, quod diuiditur; ſed, vt prius fiat diuiſio per duo membra, deinde alterum ex his ſubdiuidatur. Bonum enim, ſiue illud ſit morale, ſiue bonum, vt ſic in tota ſua latitudine, vel eſt propter ſe expetibile, vel non. Bono enim conuenit expetibilitas; nam quamuis ſolùm ſit appetibile bonum integrum, & in ſua ratione completum, quod ſemper eſt tale bonum determinatum; adhuc tamen ratio præciſa bonitatis, quamuis non habeat completam rationem expetibilitatis, habet tamen inchoationem illius, quæ poſtea completur, quando determinatur ad tale bonum. Hinc antè fit, vt aſſignato quocũq; bono illi cõueniat aliqua appetibilitas; quæ aut eſt pp ſe, aut non eſt pp ſe; hæc .n. duo ſunt cõtradictoria, atq; cadunt ſupra ipſam expetibilitatem, vnde oportet, vt alterum ipſorũ verificetur. Si eſt propter ſe, conſtituitur bonum propter ſe expetibile. Si verò non eſt propter ſe, cum adhuc ſit aliqua expetibilitas, iam erit propter aliud, ſeu ad aliud; & ſic conſtituetur bonum vtile, quod eſt vnum ex illis tribus membris diuidentibus. Rurſus bonum propter ſe expetibile ſubdiuidendum eſt, nam vel eſt expetibile propter ſuam pulchritudinem, ſiue naturalem, ſiue moralem, & tunc conſtituitur bonum honeſtum, ſiue naturale, ſiue morale iuxta qualitatem pulchritudinis; vel non ratione pulchritudinis, ſed quia eſt quietatiuum appetitus, ſiue innati, ſiue eliciti, & tunc conſtituitur tertium membrum ex aſſignatis, nempe bonum delectabile; neque in bono propter ſe expetibili aliqua alia ratio excogitari poteſt, propter quam expetatur, ſed omne bonum ad aliquam ex his rationibus reducitur tanquam ad formale principium ſuæ appetibilitatis.

Cur bonum vtile non ſubdiuidendum.

VIII. Atque ex his, quæ dicta ſunt, explicata manet ſufficientia huius diuiſionis, & ſimul etiam colligitur, cur non ſit ſubdiuidendum bonum vtile; videtur enim, poſſe ſubdiuidi in illud, quod eſt ad bonum delectabile, & in illud, quod eſt ad bonum honeſtum. Verùm non ita eſt dicendum, quoniam bonum vtile, ſiue ſit propter delectabile, ſiue propter honeſtum, ſemper importat eandem rationem bonitatis, nimirum vtilitatis; neque induit aliquam peculiarem rationem ex diuerſitate terminorum, ad quos ordinatur, ſi quidem diuerſitas terminorum reſpectu boni vtilis ſe habet materiali modo, nõ enim bonum vtile reſpicit delectabile ſub ratione delectabilis, neque honeſtum ſub ratione honeſti formaliter, ſed reſpicit vtrumque formaliter ſub ratione finis, atque propter ſe expetibilis; & ideo non debet ſubdiuidi in illud, quod eſt ad honeſtum, & in illud, quod eſt ad delectabile.

Quo quædam bona licet naturalia reſpectu naturæ rõnalis ſint honeſta.

IX. Præterea colligitur; quid dicendum ſit, cum obijcitur, dari quædam bona propter ſe expetibilia reſpectu naturæ rationalis, quæ neque ſunt honeſta, nec delectabilia, vt eſt ſanitas reſpectu hominis, ſcientia, atque alia huiuſmodi. vnde non videtur ſufficiens allata diuiſio, cum non omnia bona propter ſe expetibilia reducantur ad honeſtum, aut delectabile. Ex dictis enim reſpondetur, diuiſionem poſſe duplici modo accipi; vel ſecundùm totam latitudinem boni; vel ſolùm ſecundùm latitudinem boni moralis. Si accipiantur ſecundùm totam latitudinem boni; tunc bona illa propter ſe expetibilia, atque alia huiuſmodi poſſunt reduci ſecundùm diuerſas rationes ad bonum honeſtum, atq; etiam ad bonum delectabile. Diximus enim, ſi in hoc ſenſu accipiatur diuiſio, bonum honeſtum importare pulchritudinem quamdam naturalem, qua res naturali modo perficitur, & pulchra fit, ſcientia autem, atque ſanitas, & alia huiuſmodi important hanc naturalem pulchritudinem, qua natura perficitur. Si verò conſiderentur quatenus ſunt quædam perfectiones, in quibus tanquam in termino quieſcit natura ratione appetitus innati, tunc reducuntur ad bonum delectabile. Si ve-

verò in altero sensu accipiatur diuisio, cum hæc bona enumerata, & alia similia non sint bona moralia, sed naturalia; ideo non debent contineri sub diuiso.

Quo bonum honestum sit per se conueniens.

X. Rursus ex dictis colligitur, Quomodo accipiendum sit, quando dicitur, Bonum honestum esse illud, quod est per se conueniens; non enim videtur rectè dici de ipso, quòd sit per se conueniens, tanquam per hoc propria ratio ipsius explicetur; videtur enim delectabile esse bonum per se conueniens, cum ipsum quoque sit propter se expetibile. Verùm sciendum est, aliud esse, bonum esse per se conueniens, & aliud, esse propter se expetibile; esse enim propter se expetibile, vt diximus, conuenit tam honesto, quàm delectabili, & dicit, quòd habeat in se rationem suæ expetibilitatis, quæ possit vltimò terminare appetitum. Sed esse per se conueniens non dicit vltimò terminare appetitum, quamuis id quoque supponat, sed dicit habere in se formaliter rationem talem, qua formaliter proficuum sit appetenti, & ipsius perfectiuum, constituens ipsum in aliquo meliori statu formaliter per suimet exhibitionem. Hoc autem specie est honesti boni; propter enim suam bonitatem, quæ, vt diximus, consistit in illa pulchritudine siue naturali, siue morali, habet, vt, dum acquiritur, formaliter per se ipsum conferat appetenti quandam speciositatem, atque pulchritudinem: quod non competit bono delectabili; cum enim bonum delectabile moueat animam ad delectationem, & quiescendum in obiecto præsenti, hinc non per se ipsum formaliter perficit appetentem, sed ratione delectationis consurgentis; & ideo non est per se formaliter conueniens, sed ratione delectationis. Quod autem diximus de bono delectabili respectu appetitus eliciti, proportionaliter intelligi debet de bono delectabili respectu appetitus innati.

Quonam pacto debeat bonum honestum esse conueniens.

XI. Atque insuper ex dictis colligitur, quomodo bonum honestum debeat esse conueniens, an nimirum tanquam forma, an verò tanquam aliquid aliud. Posse enim esse alteri conueniens, tanquam formam inhærentem, id manifestè indicant actus boni morales, vt sunt actus virtutis, qui habent suam honestatem, atque pulchritudinem iuxta mensuram rectæ rationis, atque in ipsa anima inhærent. Verùm non posse vniuersaliter hoc pacto esse conueniens, conuincunt ipsa obiecta moraliter bona, circa quæ versantur actus virtutis; hæc enim habent suam honestatem, & conuenientia sunt operanti virtuoso, decent enim ipsum hominem rationabiliter operantem, vt sunt actus omnes exteriores honesti, qui in aliud transeunt. Imo ipse Deus est quoddam nostrum bonum, atque honestum, nec tamen nobis inhæret, quamuis verius dicatur non esse bonũ, sed supra omnem rationem boni ex eo, quòd est summum bonum, & per essentiam. Itaque assignandus est aliquis modus conuenientiæ complectens omnia bona honesta; hic autem nullus alius esse potest, quàm per modũ finis, & acquisibilis. Bonum enim, quod est propter se expetibile, trahit appetitum, vt tendat in assecutionem ipsius; posita autem hac assecutione boni exercetur tota illa ratio cõuenientiæ, qua bonum conueniens est appetenti. Quare cum conuenientia in actu secundo consistat in actuali assecutione, atque possessione boni, quod per modum finis possidetur, quippe est bonum propter se expetibile; iam conuenientia in actu primo, qua bonum dicitur per se conuenire, consistet in eo, quòd bonum sit acquisibile per modum finis, sic enim complectetur omne bonum honestum; imò etiam bonum delectabile habet hunc modum conuenientiæ, quo est conueniens appetenti; differt tamen, vt diximus, ab honesto, quia non est per se conueniens, sed ratione delectationis.

Qualis sit illa diuisio.

SECTIO III.

I. PRo maiori declaratione huius diuisionis, videndum est, qualisnam sit, an generis in species, an verò analogi in analogata, seu aliquo alio modo se habeat. Et quia sect. præcedenti dictum est, non esse vnam simplicem diuisionem, sed duplicem, nempe diuisionem, & subdiuisionem, ideo videndum est prius, quomo-

do se habet diuisio boni in illud, quod est propter se expetibile, & in illud quod est solũ expetibile propter aliud, quod est bonum vtile. Deinde examinanda est diuisio boni propter se expetibilis in Honestum, & Delectabile. D. Th. 1. par. quæst. 5. artic. 6. in responsione ad 2. docet primò; Non esse diuisionem per oppositas res, sed solùm per oppositas rationes, quæ in eadem re reperiri possunt. Quod etiam repetit in 2. 2. quæst. 145. artic. 3. in corpore his verbis. *Dicendum, quòd honestum concurrit in idem subiecto cum vtili, & delectabili, à quibus tamen differt ratione.* Et rursus citato loco primæ par. in respons. ad 3. docet; hanc diuisionem non esse vniuoci in sua vniuocata, sed analogi in sua analogata. *Dicendum* (inquit) *quòd bonum non diuiditur in ista tria sicut vniuocum æqualiter de his prædicatum, sed sicut analogũ, quod prædicatur secundùm prius, & posterius; per prius enim prædicatur de honesto, & secundariò de delectabili, tertiò de vtili.* Quod etiam sequitur Suarez in Metaph. disp. 10. sect. 2. num. 27. & 28. qui etiam addit; inter bonum vtile, & reliqua esse veram analogiam; quia vtile non est bonum simpliciter; sed secundùm quid, quatenus est tantùm bonum per extrinsecam denominationem desumptam ab eo, quòd per se bonum est. Inter bonum verò honestum, & delectabile non esse propriã analogiam, cum vtrunque sit bonum ex sua intrinseca bonitate, & non per denominationem vnius ab alio: vnde solùm interuenit quædam analogia latè sumpta, qua significatur, bonum delectabile esse bonum imperfectum ex comparatione boni honesti: vel analogia per habitudinem vnius ad aliud, quia delectabile bonum, quamuis in se sit propriè bonum; supponit tamen aliud bonum per se conueniens, in quo appetitus quiescat per delectationem.

Sẽtentia D. Th.

Suar.

II. Vt autem distinctè circa vtrumque punctum procedamus. Sciendũm est, quòd bonum vtile, quamuis aliquando possit reperiri separatum à delectabili, & honesto respectu alicuius, vt contingit in medicina amara, quæ neque homini delectabilis est, neque honesta, sed solùm vtilis ad sanitatem consequendam, vt etiam indicat D. Tho. 1. par. quæst. 5. artic. 6. ad 2. his verbis. *Vtilia dicuntur, quæ non habent in se vnde desiderentur; sed desiderantur solùm, vt sunt ducentia in alterum, sicut sumptio medicinæ amaræ.* Frequenter tamen coincidit tum cum bono delectabili, tum cum honesto; ita vt quod est vtile ad aliud assequendum, non solùm propter ipsum expetendum sit, sed etiam habeat propriam expetibilitatem, qua etiam propter se expetibile sit, vel ratione delectabilitatis, vel ratione honestatis. Vnde etiam Aris. 1. Ethic. cap. 7. docet; Eorum, quæ propter se appetuntur, quædam ita appeti propter se, vt etiam appetantur propter aliud. Verùm ita semper vtile retinet suam propriam rationem, vt quotiescunque secundùm hanc consideratur, propter aliud, & non propter se appetatur, etiam si sit coniunctum cum aliquo alio bono delectabili, aut honesto. Quamobrem cum bonum vtile ex genere suo non sit realiter distinctum ab honesto, & delectabili, sed solùm secundùm rationem, quando consideratur tanquam membrum diuidens bonum, & comparatur ad bonum propter se expetibile, considerari debet solùm tanquam quædam ratio boni, quæ compossibilis sit simul cum alijs rationibus boni: vnde D. Aug. in lib. 83. Quæst. inquit quæst. 30. *Magis propriè, & vsitatius hinc istum dicitur, quod propter seipsum expetendum est: vtile autẽ, quod ad aliud aliquid referendum est: secundum hanc differentiam nunc loquimur, illud sanè custodientes, vt honestum, & vtile nullo modo sibimet aduersentur.* Si enim aduersarentur, non possent in eadem re simul conuenire, vt de facto conueniunt; vnde quamuis vtile excludat, vt tale est, bonum propter se expetibile; atque etiam bonum propter se expetibile excludat, vt tale est, vtile, atque adeo possint concipi tanquam rationes diuidentes, non tamen se mutuò excludunt tanquam bona adæquata, sed tanquam rationes inadæquatæ eiusdem boni, quæ ratione suæ finitatis, & limitationis se inuicem excludunt.

Vtile simul cũ alijs bonis in eadẽ re coincidit.

D. Th.

D. Aug.

Quo bonũ vtile se habeat ad alia bona.

III. Comparando ergo bonum vtile secundùm suam propriam rationem vtilitatis ad bonum propter se expetibile, analogicè se habet ad ipsum analogia attributionis; in qua principale analogatum est bonum

Bonũ vtile analogicè se habet ad bonũ propter se expetibile.

pro-

propter se expetibile, minus verò principale bonum vtile, quod est tale non per intrinsecam formam, sed per habitudinem ad bonum propter se expetibile extrinseca denominatione ab ipso desumpta. Ratio fundamentalis est, quoniam bonum vtile, vt tale est, non habet intrinsecam rationem bonitatis, quo stante dum dicitur bonum, non potest alio pacto sic denominari, quàm extrinseca denominatione desumpta à bono propter se expetibili. Quòd autem non sit tale per intrinsecam ratione bonitatis: inde conuincitur, quòd bonitas secundùm suam propriam rōnē formalē ex genere suo pōt terminare appetitū, siquidem dicit propriā rationē obiectiuā ipsius, & vnaquęq; potētia pōt terminari per propriū obiectū. Dum autē appetitus per aliquod obiectū terminatur, quoniam in ipso reperit rōnem sibi congruentem, in ipso quiescere potest, vtpote quia habet terminū sibi connaturalē; omne enim, quod mouetur, quando est in termino sibi connaturali, quiescit, nec motus vltra terminum cōnaturalem progreditur, ex vi illius tendētię, qua tendit in ipsum, sic lapis quiescit in centro; appetitus autem elicitus est quidam motus, & ideo debet in bono alliciente tanquā in termino proprio quiescere, alioqnin bonitas non traheret ad se appetitum, sed ad aliud. Et sicut via non habet rationem termini, quia in ipsa non sistitur; sic id in quo appetitus nō quiescit, non potest habere ratione termini illius, atq; adeò nec etiam dicere intrinsecè rationem boni; siquidē ratio boni importat rationem termini appetibilis. Verùm bonum vtile, non potest habere rationem termini, in quo sistat appetitus; cum enim in tantum appetitus in ipsum tendat, in quantum ordinatur ad aliud, impossibile est in ipso sistere tanquam in termino, dum in ipsum tendit, quatenus vtile est. Dum ergo non potest appetitus in ipso sistere, non habebit in se rationem formalem boni.

Appetitus quiescit in bono, vt in termino sibi connaturali.

IV. Quod insuper confir. Quoniam ratio boni vt sic ex genere suo importat rationem, in qua tanquam in termino sibi cōgruo possit appetitus quiescere: nisi enim bonum vt sic importaret rationē termini vt sic, neque tale bonum importaret rationē talis termini: quod enim nō dicit ratio communis in communi, neque in particulari possunt dicere rationes inferiores, quæ cōplent superiorem intra eamdem naturam, quia cum sint complementum illius naturæ, quæ inchoata est in ratione superiori, debent proportionato modo dicere, quod dicit ipsa ratio communis, vt proportionato modo possint naturam inchoatam complere. Atque hoc etiam ex eo conuincitur, quoniam bonum honestum, & delectabile in eo cōueniunt, quòd sint terminus, in quo quiescat appetitus: si autem inquiratur, vnde habeant, quòd in ipsis quiescat; respondebitur, quia vtrumque est propter se expetibile. Verùm insuper inquiram, vnde vtrumque habet, quòd sit propter se expetibile; oportet enim concedere in ipsis aliquam positiuam rationem, ob quam sit propter se expetibile: & hæc certè nulla alia esse potest, nisi illa, per quam à bono vtili contradistinguuntur; in eo autem contradistinguitur, quòd appetitus reperit in ipsis rationem suimet quietatiuam. Verùm quænam alia ratio potest esse quietatiua appetitus, nisi bonitas? appetitus enim tendit in obiectum vt potentia quietabilis, atque in ipsum mouetur ex eiusdem desiderio, vnde necesse est, vt ex vi sui obiecti formalis possit quietari; vnaquæque enim potētia ex vi sui obiecti formalis debet posse acquirere totam suam perfectionem. Cum ergo formale obiectum appetitus sit bonum vt sic, debet ratio boni importare rationem primam quietatiuam illius. Vnde bonum delectabile, & honestū erunt propter se expetibilia ratione formalis bonitatis, quam dicunt. Et ideo cum bonum vtile non sit propter se expetibile, nec quietatiuum appetitus, non dicet in se rationem formalē bonitatis, sed erit tantùm bonum per habitudinem ad formale bonum.

Bonum vt sic est terminus appetitus

Cur aliquod bonum sit propter se expetibile.

V. Rursus Bonum vtile non est ex se bonum, sed solùm ratione habitudinis, quàm dicit ad bonum, ad quod ordinatur, ita vt præcisa hac habitudine non sit amplius bonum. Si enim præscindatur habitudo ad bonum, ad quod ordinatur, definit tota vtilitas, atq; adeo tota ratio boni, in tantum enim est vtile, in quantum ordinatur ad aliud bonum assequendum, quod per se expetibile est. Verùm habitudo ista non dicet formalem rationem boni; non. n.

Vnde vtile dicatur bonū.

ordo ad bonum est bonitas, sicut neque ordo medicinæ ad sanitatem est formaliter sanitas, sed solùm dicit rationem medij, quæ importat ordinem ad ipsum bonum, atque vim causatiuam illius, quatenus media inferant ipsum finem. Et ideo bonū vtile, vt tale est, non habet in se formalem rōnem bonitatis. Præterea in tantum bonum vtile est appetibile, in quantum appetitur aliud bonum; quòd si non appeteretur, neque etiam ipsum vtile, vt tale est, appeteretur: ex quo fit, vt tota ratio appetibilitatis ipsius proueniat ab appetibilitate illius boni formaliter, ad quod ordinatur; nec alia appetibilitas se teneat ex parte vtilis, alioquin posset sub rōne vtilis appeti, quamuis non appeteretur id, ad quod ordinatur. Hinc sequitur nō esse bonū intrinsecè, sed solū per habitudinē ad bonū propter se expetibile, atque adeò analogicè se hēre ad illud.

Occurritur respōsioni

VI. Posset tamen aliquis respondere. Vtile importare aliquam propriā bonitatem, illam nimirum aptitudinē, ratione cuius confert ad alterius boni assecutionem: hoc enim est aliquid bonum, nempe conferre ad assecutionem alterius boni. Verùm ex eo, quòd medium habet in se formaliter propriam aptitudinem, seu bonum vtile habeat in se propriam rationem vtilitatis, non hinc sequitur; vt habeat propriam & formalem rationem bonitatis. Pro quo est aduertendū: aliud esse, quòd vtile sit aliquod bonum in se, & aliud quòd sit bonum respectu extrinseci appetentis, à quo tanquam vtile assumitur, ita vt habeat propriam bonitatem intrinsecā, qua ipsius appetitum alliciat, sicut allicit bonum delectabile, & honestum.

Vtile est quoddā bonum in se formaliter, sed non respectu appetentis.

Certum enim est, vtile esse in se aliquod bonum, vt est etiam aliquod ens; habet enim suam perfectionem, ratione cuius habet etiam suam bonitatem: imò quia esse vtile ad aliquod bonum consequendum prouenit ex aliqua perfectione, ideo eo ipso quòd vtile est, dicit in se aliquam bonitatem, & hæc est bonitas, quam importat vtilitas, & aptitudo ad aliud assequendum; quæ quidem reddit ipsum amabile, quatenus est in se bonū, non tamen quatenus bonum ipsi appetenti. Vnde quod dicimus est; Vtile nō habere, vt vtile est, in se formalē bonitatem, qua alliciat appetitum tanquam quid conueniens appetenti, quemadmodum contingit in honesto, & delectabile, ita vt appetitus moneatur ad illius assecutionem propter aliquod bonum, quod inde percipiat. Quòd si haberet in se aliquam formalem bonitatem, sicuti haberet in se aliquid conueniens appetenti ratione obiecti formalis ipsius appetitus; ita etiam haberet in se aliquid, quod faceret ipsum propter se expetibile ratione nimirū illius conuenientiæ cum appetitu. Verùm impossibile est, vtile, vt tale est, expeti propter se. Vnde D. Th. illa 5. quæst. 1. par. ar. 6. ad 2. quem locum supra etiam citauimus, inquit: *Vtilia dicuntur, quæ non habent in se, vnde desiderentur, sed desiderantur solum, vt sunt ducentia in alterum, sicut sumptio medicinæ amaræ*. Si autem haberent in se aliquam formalem bonitatem, haberent in se vnde desiderarentur.

Tractatur difficultas quò ad bonum honestum, & delectabile.

VII. Alter punctus difficultatis, quem in hac sectione proposuimus, erat circa subdiuisionem boni propter se expetibilis in Honestum, & Delectabile, qualis nimirum sit. Vt autem sine ambiguitate procedamus, aduertimus; Bonum delectabile solere sumi pro eo tantùm, quod importat in esse morali puram rationem delectationis, & contradistinguitur ab honesto bono morali, & specialiter pro bono delectabili sensibili: vnde D. Thom. 1. par. quæst. 5. artic. 6. ad secundum. Cum docuisset, honestum, & delectabile non importare oppositas res, sed oppositas rationes subdit. *Dicuntur tamen illa propriè delectabilia, quæ nullam habent aliam rationem appetibilitatis, nisi delectationem, cum aliquando sint & noxia, & inhonesta*. Dicuntur autem hæc sola bona delectabilia, quia cum careant honestate morali, solùm à delectabilitate denominari possunt: vnde hæc est proprietas secundùm denominationem, non secundùm rem, qua propriè dicuntur delectabilia. Bona verò honesta, quamuis habeant delectabilitatem, denominantur à sola honestate, tanquam à potiori ratione bonitatis.

Alter pūctus dif. ficultatis

Quid importet bonum delectabile.

VIII. Bonum autem delectabile non solùm in rigore, & secundùm propriam rationem delectabilis est illud, quod habet puram rationem delectabilitatis, sed etiã illud, quod habet ad mixtam rõnem honestatis. Omne enim bonum honestum habet suã propriã delectabilitatẽ, ita vt simul honestet, & delectet. Quod ex eo patet, quoniã delectabilitas in eo cõsistit, quòd bonũ moueat animam ad quiescendũ circa se ipsum tanquam circa perfectionem sibi conuenientem, consideratam eiusdẽ præsentia. hoc autẽ præstat bonũ honestũ; nam quando anima potitur bono honesto, cõsiderat, per ipsam formaliter acquirere aliquã perfectionem, & aliquã pulchritudinem sibi conuenientẽ, & cõtemplãdo præsentiam talis boni, in ipso quiescens delectatur, vnde cum promat circa ipsũ actum delectationis, oportet, vt obiectũ importet rõnẽ delectabilis, quia posito actu debet poni etiã speci ficatiuũ illius Et hoc pacto omne bonũ honestũ erit etiã delectabile, importãs perfectionẽ ipsi appetenti cõuenientẽ, atq; adeo quietatiuã appetitus: sic etiã Beati, dum clarè vident Deũ, qui habet rõnem boni honesti; ipso delectantur, & bonus vir delectatur actibus virtuosis. Et hoc ipsum quoque docuit Arist. 2. Ethic. cap. 3 sic inquiens. *Cum tria sint, quæ in electionem; tria item, quæ in repudiationem cadunt, Honestum, Vtile, & Iucundum: & tria contraria, Turpe, inutile, & molestum, circa omnia hæc bonus vir rectè agit: malus verò peccat, ac præcipuè circa voluptatem; nam & cõmunis hæc est animantibus, & omnia quæ in optionem veniunt, consequitur, quippe cum tam honestum quàm vtile iucundum, ac voluptuosum videatur.*

Bonum omne honestũ est etiã delectabile.

Arist.

IX. Quin omne bonum delectabile est etiam honestum, sumendo amplè rationem honesti, prout complectitur honestum morale, & naturale: licet .n. detur aliquod bonũ delectabile, quod non sit honestum morale, erit tamen honestũ naturale. Quod totũ sic declaratur. Vel enim bonũ delectabile habet conformitatem cum regulis rectæ rationis, & est per ipsas mensuratum; & tunc manifestum est, habere suam honestatem, & pulchritudinem moraliter loquendo, si quidem huiusmodi honestas non in alio consistit, quàm in hac pulchritudine, & commensuratione ad regulas rationis. atque tunc delectabilitas erit delectabilitas rationalis, quamuis fieri possit, vt sit etiam sensibilis. Si verò non habet hanc conformitatem ad regulas rectæ rationis, erit saltem quid conueniens ipsi naturæ quò ad esse naturale. Cum enim appetitus delectetur tali bono, necesse est, ponere fundamentum, à quo proueniat delectatio. Delectatio autem est motus animæ circa terminum sibi debitum, proueniens ex eo, quòd consideret præsentiã obiecti sibi congrui, & proportionati, vnde mouetur vt in ipso quiescat: semper enim delectatio importat aliquam quietem appetitus circa delectabile; quomodo autẽ fieri posset, appetitum quiescere in illo obiecto, quòd nullam haberet conuenientiam respectu appetentis. Quamobrem necesse est, vt delectabile importet aliquid conueniens respectu appetẽtis: ex hoc autem importat aliquid honestum saltẽ in ordine naturali, & quòd sit conforme saltem in ordine ad quoddã cõplementum naturale ad regulas naturæ secundum quid, licet non simpliciter.

Omne delectabile quo etiã honestũ.

X. Cum ergo omne honestum sit etiam delectabile, atq; omne delectabile sit etiã suo modo honestum, meritò dubitatur, an delectabile dicat propriã rationem bonitatis contradistinctam à ratione honesti: non enim vt iam patet ex dictis, potest dicere rem aliquam distinctam realiter, cum simul coincidant, vt enim diuidãt rationem boni propter se expetibilis, oportet, vt dicant vtramque propriam rationem bonitatis: & difficultas quò ad delectabile augetur etiam ex eo, quòd delectabile non videtur propter se amabile, sed propter aliud, non enim est per se ipsum conueniens, cum hoc solùm conueniat bono honesto, sed ratione delectationis, quam causat, quæ est quid distinctum ab eo; ex quo fit, quòd non sit bonum, nisi in quantũ ordinatur ad aliud bonum. Neq; potest dici, quòd bonum delectabile consistat in ipsa delectatione, quoniam delectatio versatur circa ipsum bonũ, cum sit quies appetitus circa ppriũ terminũ; vnde remanet, quòd bonũ delectabile sit tãtùm in ordine ad aliud, atque adeo non habeat propriam rationem bonitatis. Verùm hoc nõ obstante delectabile importat propriam rõnem bonitatis contradistinctã à rõne

An delectabile dicat propriã rõnẽ bonitatis

honesti; atque hæc reperitur non in ipsa delectatione, quamuis ipsa quoque possit esse bonum delectabile, quando se habet vt obiectum alterius delectationis, sed in ipso obiecto. Delectatio enim causatur ab obiecto, ideo enim appetitus delectatur, quia obiectum est bonum: vnde non se habet, sicut vtile, quod est bonum, quia ordinatur ad bonum, sed est bonum in se, quod euidenter ex eo conuincitur, quòd appetitus quiescit in ipso; in vtili autem non pôt qescere: non posset autẽ esse terminus, in quo quiesceret, nisi in se haberet formalem bonitatem: vnde & per se intenditur, & non rône alterius. Quando igitur dicitur, quòd non est bonũ, nisi rône delectationis, quã causat, aduertere oportet, vt supra etiã adnotauimus, aliud esse, aliquid esse boni, & conueniẽs per se, & aliud esse bonũ propter aliud; quãuis enim aliquid non sit per se conueniens, potest tamen esse conueniens, & expetibile ꝓpter se, quia pôt quidẽ formaliter per aliud perficere, ipsum tamẽ esse terminus formalis perfectibilis, vt contingit in bono delectabili: bonum .n. delectabile nõ est per se cõueniens, nec perficit per se formaliter, sed ratione delectationis; sed per se formaliter est terminus talis delectationis, ad quẽ mediante delectatione mouetur anima, vt in ipso quiescat: exercet autẽ rõnẽ huius termini ex vi bonitatis formalis, quã in se habet. Hæc autem intrinseca forma importat vim illam quietatiuam, qua obiectum quietare pôt appetitum. Ex quo fit, non solùm bonum delectabile distingui ab honesto, quatenus habet adiunctam delectationem, ita vt sint tã quam vnicum bonum obiectum delectationis, & ipsa delectatio, sed etiã, si consideretur bonum delectabile ex parte solius obiecti seclusa delectatione, quãuis oppositum existimet Suarez in Metaphysica disp. 10. sect. 2. num. 21. Cum enim bonum honestum dicat rationem pulchritudinis, qua in se conforme est debitis regulis, & bonum delectabile vim quietatiuam appetitus, iam patet, importare diuersas rationes bonitatis, quod etiam ex eo patet, quòd bonum obiectiuum honestum est per se conueniens; bonum verò delectabile obiectiuum non est per se conueniens, quamuis in se dicat rationem boni, sed ratione delectationis, quam causat.

Quõ bonũ delectabile distinguatur ab honesto.

XI. Ex dictis autem sequitur, bonum delectabile obiectiuè sumptum importare quamdam rationem bonitatis consequentem bonum honestum; atque adeò posteriorem natura; & hoc docuit Arist. supracitatus dùm in illo cap. 3. lib. 2. Ethic. de voluptate, seu delectatione, ait; *Omnia, quæ in optionem veniunt, consequitur; quippe cum tam honestum, quàm vtile iucundum, ac voluptuosum videatur*. Ratio autem est, quoniã, cum appetitus de aliquo delectatur debet dari fundamentum, in quo delectatio fundetur; hoc autem fundamentum non aliud esse potest, quàm conuenientia, qua bonum conueniens est appetenti, nisi enim esset ipsi conueniens, non delectaretur de ipso, quomodo enim considerata præsentia obiecti posset anima moueri ad delectationem, & quietem circa obiectum, nisi ipsum perciperet, vt sibi conueniens? Quod etiam ex eo confirmatur, quoniam honestas obiecti est prima ratio appetibilitatis; ideo enim obiectum appetitur, quia est cõueniens appetenti, quòd si non esset conueniens, nullo pacto appeteretur; vnde sic argumentari possumus. Posita conuenientia obiecti potest appetitus circa ipsum delectari, ablata autem non potest; ergo conuenientia obiecti, atque adeo honestas est causa delectabilitatis, quia si negatio est causa negationis; affirmatio quoque erit causa affirmationis. Atq; cũ rõ delectabilis, atq; honesti simul semper reperiantur in eodẽ obiecto, vt ex supradictis patet, necesse est, vt sint inter se subordinatæ; debent enim rõnes, quæ ad vnã, eandemq. naturã constituendã concurrunt, seruare inter se aliquẽ ordinẽ, alioquin, si disparatè se haberent, essent etiam incompossibiles, siquidẽ non possent vniri in vnum per se ex eo, quòd vna non fundaretur in alia, atque adeo non possent constituere eamdem naturam. Cum ergo ratio honesti, & delectabilis seruent ordinem inter se, debet ratio delectabilis consequi ab honesto, quia delectabilitas supponit acquisitionem, & possessionem boni, quæ importat saltem quãdam præsentialem vnionem boni; oritur enim considerata præsentia eiusdem boni. In hac autem vnione, seu possessione boni habetur conuenientia, at-

Bonũ delectabile cõsequit bonum honestum. Arist.

Delectatio causatur ex cõuenientia obiecti.

atque adeo honestas obiecti, vel disconuenientia; vnitur enim obiectum vel tanquam conueniens, vel tanquam disconueniens; quod ex eo patet, quia si per hanc possessionem vnitur obiectum tanquam conueniens, consurgit delectatio; si verò tanquam disconueniens, consurgit molestia, & dolor; quod manifestè indicat delectationem causari à conuenientia obiecti, quoniam in possessione obiecti debet causari.

Honestũ & delectabile non sunt species bonitatis sed gradus subordinati.

XII. Ex his autem, infertur. Quãdo bonum diuiditur in Honestum, & Delectabile, non esse veram diuisionem, & consequenter non debere censeri bonum honestum, & delectabile tanquam veras species boni, etiamsi metaphysicè accipiantur: sed solùm esse quamdam assignationem diuersorum graduum bonitatis, quæ concurrunt ad integram essentiam boni expetibilis constituendam, & ad summum dici posse, esse quamdam diuisionem boni in suos gradus subordinatos. Ratio autem est, quoniam ibi non potest concipi diuisio, vbi non interueniunt rationes diuisiuæ. Rationes autem diuisiuæ non saluantur per solas diuersas rationes formales, sed insuper requiritur, quòd sint inter se incompossibiles, alioquin starent simul, & non diuiderent: in tantum enim diuidunt, in quantum eidem adueniunt, & nequeunt stare simul. Ratio ergo delectabilis, & honesti respectu boni non se habent, vt incompossibile, siquidem in eodem bono reperiuntur simul, sed subordinatæ sunt, ita vt vna conueniat ratione alterius, vt num. præcedenti declaratum est: & propterea stante hac subordinatione simul concurrunt ad complendam eamdem rationem boni, vt gradus constituentes eamdem completam rationem boni: neque potest concipi, quòd diuidant, quia conciperetur aliquid ipsis repugnans. Ex quo fit, vt cesset omnis ratio analogiæ, quoniam in tantum posset interuenire, in quantum se haberent vt rationes diuisiuæ. Introducta autem fuit hæc diuisio tanquam haberet rationem veræ diuisionis, quia considarabatur bonum delectabile sensibile absque honestate morali ex vna parte, ex altera verò bonum honestum morale absque sensibili delectabilitate, quæ sanè distinguuntur inter se, cum importent diuersas rationes. Verùm non ita accipi debent, sed in tota sua amplitudine, quando considerantur, an se habeant tanquam species boni. Et propterea D. quoque Th. docuit, esse tantùm diuersas rationes boni, non tamen dixit, esse diuersas species.

Alij diuersi gradus bonitatis.

SECTIO IV.

I. Solent alij diuersi gradus bonitatis assignari. Et illa veluti diuisio principalis est, qua bonitas partiri solet in essentialem, integralem, & accidentalem. Hæc autem partitio fit circa bonitatem eiusdem rei, quæ omnem istam triplicem bonitatem participet, & solùm locum habet in ijs, quæ suscipiunt accidentia, & habent partes. Atque hi gradus bonitatis ita ordinantur, vt in aliquibus reperiatur tantùm bonitas essentialis, vt in Deo, quamuis reuera nullam habeat bonitatem, sed sit supra omnem bonitatem eminentissimo modo: in aliquibus autem propriè reperitur bonitas essentialis, & accidentalis, non verò integralis, vt contingit in angelis, qui solùm habent accidentia, non autem partes integrantes: in alijs autem, vt in viuentibus reperitur bonitas tum essentialis, tum accidentalis, tum etiam integralis. Hinc patet, esse tantùm quosdam gradus bonitatis, quoniam omnes simul concurrere possunt ad eamdem bonitatem integrandam: seruant autem hunc ordinem inter se, vt tam accidentalis, quàm integralis bonitas fundetur in essentiali, quam necessariò semper præsupponant: & quamuis magis vniuersalis sit accidentalis, quàm integralis, vt pote quia ad plura se extendit, intimior tamen est integralis essentiali; nam integralis est substantialis, quæ identificatur saltem cum parte bonitatis essentialis, seu cum intrinseco principio constitutiuo illius, sic bonitas integralis viuentis identificatur cum corpore, quæ est pars essentialis, ex qua consurgit bonitas essentialis. Hi autem gradus bonitatis consurgunt ex diuersitate modi, quo res

Bonitas essentialis, integralis, & accidentalis.

Vnde hi diuersi gradus bonitatis.

perfici possunt; cum enim bonitas sequatur ex perfectione, ex diuerso modo perfectionis sequitur etiam diuersus gradus bonitatis. Cum enim res habeant suam essentiam, secundùm quam necessariò perfectæ sunt, habent consequenter suam bonitatem essentialem: rursus cum sint susceptiuæ accidentium, etiam accidentali modo perficiuntur, qui modus importat perfectionem superadditam essentiali, atque consequenter consurgit noua bonitas accidentalis superaddita essentiali. Denique cum res aliquæ habeant hæterogeneas partes, quibus integrantur, atque hæc integritas sit extra earumdem essentiam, sequitur, acquirere nouam perfectionem integralem, atque adeo nouam bonitatem integralem: & hoc pacto consurgunt isti tres gradus bonitatis.

Quomodo contigat magis, & minus in bonitate.

II. Ex his autem gradibus alij consurgunt, atque illi principales sunt, qui important magis, & minus secundùm bonitatem: & vterque hic gradus contingere potest secúdùm vnum quemque ex tribus explicatis, nimirum secundùm bonitatem essentialem, integralem, & accidentalem. Et quod spectat ad essentialem, vnaquæque res est æqualiter perfecta, & bona in proprio esse, ac est alia in suo, quia æquali modo se habet conuenienter quò ad proprium esse essentiale; nec magis vna, quàm alia perfectiori modo habet hanc conuenientiam; alioquin aliquid ipsi deesset, & esset essentia diminuta, quod est impossibile, quia consistit in indiuisibili. Verùm comparando vnam essentiam cum alia, quamuis in bonitate habeant æqualitatem proportionis, quatenus proportione seruata tam vna est bona in suo esse, quàm altera in suo, cum tamen vna sit perfectior altera, & importet nobiliorem quidditatem, iam non habent inter se æqualitatem veluti mathematicam; & consequenter, cum bonitas secundùm perfectionem, in bonitate quoque erunt inæquales, & vna erit magis bona, quàm alia; sic essentia nobilior erit magis bona, quàm ignobilior, quia erit nobilioris & excellentioris bonitatis. Atque hinc fit, vt in electione vna res alteri præferatur, quia ex natura sua sit melior.

Magis, & minus in bonitate integrali.

III. Quod autem spectat ad bonitatem integralem, dupliciter in ipsa contingere potest magis, & minus; vel secundùm se absolutè, vel in comparatione ad aliud. Cum enim partes integrales non sint de intrinseca quidditate rei, potest circa ipsas contingere variatio; & cum quò ad esse integrale detur quidam terminus perfectionis, ad quem vbi pertingit, est illa maior, quam res habere potest, hinc fit, vt quò magis res accedit ad hunc terminum, eò etiam perfectior fit, & magis bona quò ad esse integrale; quò autem magis recedit, fit minus bona: & propterea, cui deest aliqua pars integralis, est minus bonum, quàm cum illi non deest; sic homo erit minus bonus bonitate integrali, si ei abscindatur manus, quàm ante abscisionem; Rursus, si ea, quæ constant ex partibus integralibus inuicem comparentur, vnum potest esse magis, bonum quàm aliud: fieri enim potest, & ferè semper id contingit, vt vnum magis accedat ad suum complementum integrale, quàm alterum, & ideò quod magis accedit, erit etiam magis bonum.

Magis, & minus in bonitate accidentali.

IV. Similiter in bonitate accidentali eodem ferè modo contingit magis, & minus, tum secundùm se, tum in comparatione ad aliud: Cum enim accidentia sint extra substantiam rei, & detur aliquis status connaturalis vnicuique quò ad accidentia, prout secundùm accidentia variatur, accedet etiam magis, vel recedet à suo connaturali statu accidentali; & propterea prout magis accedet; erit magis bonum, minus autem bonum, prout magis recedet. Si verò consideretur in comparatione ad aliud: dupliciter potest esse magis, vel minus bonum: primò si magis, vel minus accedat ad suum connaturalem statum accidentalem in comparatione ad aliud: positis enim duobus subiectis illud sanè magis bonum est bonitate accidentali, quod magis accedit ad suum connaturalem statum, vnde quod perfectè accedit, habet perfectam bonitatem. Altero modo quia est ornatum perfectioribus accidentibus; vnde sicuti vna essentia est melior, quam altera, quia est nobilior, ita etiam quod est affectum nobilioribus accidentibus est magis bo-

num,

num, quàm id, quod est affectum ignobilioribus. Atque his modis explicatis contingit magis, & minus in bonitate, ratione cuius vnum dicitur magis bonum, quàm alterum. Sed his etiam addi potest magis, & minus secundùm conuenientiam, qua vna res est magis, vel minus conueniens alteri: Præsertim quia fieri potest, vt res minus bona in se, sit magis conueniens alicui, quàm illa, quæ est magis bona: quod indicat esse magis, & minus diuersæ rationis ab eo, quod attenditur penes bonitatem absolutam rei.

Magis, & minus secundum côueniétiam rei bonæ.

V. Rursus frequenter vsurpari solet bonum *simpliciter*, & bonum *secundùm quid*, significando diuersos gradus bonitatis, cum diuersa tamen acceptione. Nam bonum simpliciter potest accipi pro eo, quod importat omnem rationem bonitatis, quale est summum bonum; hoc enim, cum dicat bonitatem infinitam, dici potest bonum simpliciter; hoc est bonum in quocunque genere, continens in se bonitatem excellentioris ordinis, & quamcunque aliam causaliter, & proinde dicitur etiam bonum per essentiam; & simpliciter, quia non limitatur ad certum genus bonitatis: vnde etiam dicitur primum bonum: hoc est bonum, à quo effluunt omnia alia bona. Bonum verò secundùm quid in hoc sensu erit bonum limitatum, quia est tantùm bonũ in determinato genere bonitatis, sicut infinitum in aliquo tantùm genere dicitur infinitum tantùm secundùm quid: infinitum verò in omni genere dicitur infinitum simpliciter.

Bonum simpliciter pro bono infinito, & secundù quid pro finito.

VI. Verùm sumendo bonum limitatum, & in certo genere; adhuc potest in ipso distingui *Bonum simpliciter*, & *Bonum secundùm quid*: atque id diuersis modis contingere potest. Et primò dicitur bonum simpliciter, quod est absolutè, & omnibus numeris bonum, ita vt habeat omne complementum, quod habere potest; vnde non solùm necessaria erit bonitas essentialis, sed etiam accidentalis completa, atque etiam integralis, si sit capax illius. Bonum verò secundùm quid in hoc sensu dicetur illud, quod habet quidem suam bonitatem, sed in aliquo deficientem; ratione enim huius defectus non habebit bonitatem omnibus numeris absolutam, atque adeo non erit bonum simpliciter; sed secundùm quid; hoc pacto etiam idem ens successiuè tamen, potest esse bonum simpliciter, & secundùm quid. Altero modo potest accipi bonitas simpliciter, & secundùm quid, ita vt in quolibet ente vtraque bonitas interueniat. Cum enim in quolibet ente, distinguatur esse purum essentiale, atque esse accidentale comprehendendo sub esse accidentali etiam integrale: atque esse essentiale dicatur esse simpliciter, accidentale dicatur esse secundùm quid, quia nimirum per suam essentiam res quælibet simpliciter est, per accidentia verò habet tantùm esse secundùm quid: ita bonitas essentialis erit bonitas, per quam res est bona simpliciter; bonitas verò accidentalis erit secundùm quid, tanquam ea, quæ necessaria est respectu principalis bonitatis.

Bonum simpliciter, & secundum quid in ratione limitati.

Bonum essentiale bonũ simpliciter, accidentale secundũ quid.

VII. Præterea considerari potest bonum in ordine ad aliud, & secundùm conuenientiam, qua alteri conueniens, est: & secundùm hanc quoque rationem contingit *simpliciter*, & *secundùm quid*. Quando enim aliquod bonum ad alterum comparatur, & respectu ipsius obtinet rationem boni, duplicem habitudinem obtinere potest. si enim nullam rationem mali, respectu illius obtineat, sed absolutè rationem boni, nec secum trahat imperfectionem aliquam, nec aliam perfectionem debitam ab ipso excludat, vt est acquisitio vltimi finis in creatura rationali, erit bonum simpliciter. Bonum verò secundùm quid erit illud, quod respectu quidem alicuius habet aliquam rationem boni; verùm habet adnexam etiam aliquam rationem mali, aut quia illam secum formaliter trahat, aut quia aliquam perfectionem excludat. Sic ieiunium est bonum secundùm quid, nam est quoddam bonum honestum, quod tamen habet annexam macerationem corporis, atque adeò molestiam aliquam, & ideo non est bonum simpliciter.

Simpliciter, & secundùm quid secundùm côueniétiã boni.

VIII. Huc etiam reduci possunt gradus illi bonitatis, quos assignat D. August. lib. 2. de Libero arbitr. cap. 19. qui quidem non pertinent ad bonum vt sic, ita vt complectantur quod-

Bona magna, media, & infima. D. Aug.

libet

libet bonum, ſed tantùm ad bonum morale. Docet autem eſſe tria genera: aliud quidem continere ea; quæ magna bona ſunt, aliud bona infima, atque tertium bona media inter magna, & infima. Magna bona ſunt illa, quibus formaliter conſtat ipſum rectè viuere. Infima bona ſunt, quæ pertinent ad ipſum hominem, & ad rectam vitam mediante recto vſu ordinari poſſunt, tamen ita ſunt neceſſaria, vt ſine ipſis rectè viui non poſſit. Media autem bona ſunt, ſine quibus quidem recta vita moralis inſtitui non poteſt, attamen non pertinent ad ipſam formaliter. Verba D. Augu. ſunt *Virtutes igitur, quibus rectè viuitur, magna bona ſunt. Species autem quorumlibet corporum, ſine quibus rectè viui poteſt, minima bona ſunt; Potentia verò animæ, ſine quibus rectè viui non poteſt, media bona ſunt*. Quod ſi quæras, cur virtutes ſint bona magna, aſſignat rationem ibid. quia virtutes ita ſunt bonæ, vt non poſſint eſſe malæ ex eo, quòd quis malè vtatur, ſicut malè vti poteſt potentijs animæ, & cæteris bonis corporis, ſeu bonis medijs, & minimis. Subdit enim. *Virtutibus nemo malè vtitur: cæteris autem bonis ideſt medijs, & minimis non solùm benè, ſed etiam malè quiſque vti poteſt. Et ideo virtute nemo malè vtitur, quia opus virtutis eſt bonus vſus iſtorum, quibus etiam non benè vti poſſumus; Nemo autem benè vtendo malè vtitur*. Quod ſi rurſus quæras, cur alia ſint media bona, alia verò minima; adhuc ex allata auctoritate colligitur reſponſio, quia potentiæ animæ, ſeu media bona ſunt ſimpliciter neceſſaria pro inſtituenda recta vita: bona verò infima nonſunt neceſſaria, ſed ſolùm deſeruire poſſunt. Alij etiam gradus bonitatis poſſent recenſeri, ſed quos aſſignauimus præcipui ſũt, atque magis frequenter apud Philoſophos vſurpari ſolent.

DE MALITIA BONITATI Oppoſita.

QVIA vnum oppoſitum cognoſcitur in comparatione ad aliud, ideo expeditis ijs, quæ ad Bonitatem pertinebant, de malitia oppoſita bonitati agere incipiemus, vt pote quæ in ordine ad explicatam Bonitatem facilè innoteſcat; præſertim quia oppoſitum negatiuum in ordine ad poſitiuum debet explicari. Sumimus autem malitiam in ſua ampla ſignificatione tranſcendentali, vt ſumpta fuit etiam bonitas, quia hoc pacto continetur ſuo modo intra abſtractionem metaphſicam.

Quid ſit Malum, & an ſit in Rebus. Diſp. LXXVI.

Malum non eſſe quamdam naturam.

SECTIO I.

SVmimus malum in concreto, tanquàm aliquid notius, quàm ſit malitia in abſtracto, vt inde facilius declaremus, quid dicat formaliter malitia. Vt autem videmus, quid dicat formaliter malitia, prius oportet videre, an, & quomodo malum ſit in rebus; & quod præcipuè difficultatem facit, eſt, an ſit in rebus tanquam quædam natura, ſeu quidditas poſitiua. Ratio dubitandi eſt, quoniam Ariſ. in Poſtpræ- Ratio dubitandi. Ariſ.

di-

dicam. Cap. de oppositis in fine, docet, Bonum, & malum non esse in genere, sed esse quædam genera, his verbis; *Bonum vero, & malum non in genere sunt, sed ipsa sunt genera aliquorum existentia*. Genera autem important quasdam positiuas naturas. Quod etiam ex eo confir. quoniam malum diuiditur per suas differentias, vt etiam diuiditur bonum; diuiditur enim per malum culpæ, seu morale, & malum pœnæ, & rursus malum morale in tale, & tale vitium, quod autem diuiditur per differentias, necesse est, vt habeat naturam communem, secundùm quam diuidatur. Prætetea si quædam mala sunt in rebus, tanquam quædam naturæ positiuæ, necesse est, etiam malum vt sic esse quamdam naturam positiuam, quoniam quod non est positiuum ex genere, nunquam potest euadere positiuum, quia nunquam differentiæ positiuæ contrahunt naturam communem nō positiuam: sequeretur enim, aliquam naturam coalescere ex positiuo, & negatiuo; quod omnino implicat. Quod autem dentur mala determinata, quæ sint quædam naturæ positiuæ, patet in dolore, qui est quoddam malum pœnæ, & positiuum, positiuè affligens, est enim actus positiuus, tum etiam in actibus vitiosis, vt intemperantia, nam ipse actus positiuus, quo homo positiuè se conuertit ad inordinatum obiectum, est malus ratione illius positiuæ conuersionis; & idem etiam contingit in alijs actibus moraliter malis. Rursus cum intellectus, & voluntas non possit ferri circa nihil, sequitur, vt quidquid attingitur ab intellectu, & intenditur à voluntate, dummodo per se, & secundùm se attingatur, & intendatur, sit aliquid reale positiuum; at malum sub ratione mali intenditur, vt cum quis intendit alteri pœnam per modum pœnæ, vnde oportet, malum esse aliquam naturam. Denique Deus dicitur esse auctor malorum, itaut ea ponat in esse iuxta illud Isaiæ 45. *Ego dominus, & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Ego dominus faciens omnia hæc*. Quod autem est factum à Deo, est in rebus tanquam natura aliqua positiua. (Isaia 45.)

II. Atque ita senserunt Manichæi, & Priscillianistæ hæretici, vt habetur ex D. August. lib. de Hæresib. heresi 46 & passim in eius operibus, præsertim in tract. de Bono contra Manichæos, atque altero tractatu De Manichæorum moribus. & ex Niceph. lib. 6. Histor. cap. 31. & Eusebio lib. 7. cap. 28. qui ponebant malum in rebus, tanquam quamdam naturam positiuam, & consequenter plura mala tanquam plures naturas positiuas, & addebant, dari duo principia prima; alterum bonum primum, à quo proueniebant omnia bona; & alterum malum primum, à quo proueniebant omnia mala. Atque in hoc quoque errore fuisse Pithagoricos, nonnulli existimant. Verum licet fortasse ex eorum opinione hic error fluxerit, non tamen ita ipsi senserunt, sed ponebant numeros pro rerum principijs, & fortasse de solis intrinsecis intelligebant: & quia putabant numerum denarium esse perfectissimum, statuebant duplicem denarium continentem rerum principia, alterum quidem, qui continebat ea, quæ erant determinatæ naturæ, quorum vnum erat bonum; & alterum, qui continebat ea, quæ sunt indeterminatæ naturæ, quorum vnum erat malum: vnde non licet inferre, Pithagoricos posuisse malum primum, à quo omnia mala fluerent, nec voluisse esse positiuam naturam in rebus; sed potius posuisse malum tanquam quid priuatiuum in rebus eo modo, quo potest esse. (Error Maneh. & Prisc. lianis. D. Aug. Niceph. Euseb.) (Quid senserint Pithagorici.)

III. Dicendum autem est, Malum, prout opponitur Bono in communi, seu malum transcendentale non esse in rebus tanquam naturam positiuam, quæ secundùm se totam mala sit. Hoc tanquam certum docet fides Catholica, & habetur ex 1. Genes. vbi ponitur tantùm vnicum primum principium rerum omnium; atque omnia, quæ ab ipso facta sunt, fuisse bona. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. vt in superioribus etiam tradidimus. Atque hoc ipsum tanquam dogma fidei tradunt communiter Patres, præsertim D. August. nam de Morib. Manich. lib. 2. cap. 2. inquit. *Quis enim ita est mente cœcus, qui non videat, id cuique generi malum esse, quod contra suam naturam est*. Et infra concludit, malum esse ipsum deficere ab essentia, & non habere esse his verbis: *Id ipsum ergo malum est, si præter pertinatiam velimus attendere, deficere* (Conclusio Malū nō sit natura positiua.) (Gen. 1.) (D. Aug.)

ab essentia, & ad id tendere, vt non sit. Quod etiam cap. 4. eiusdem libri confirmat, *Non enim* (nempe malum) *secundùm essentiam, sed secundùm priuationem rectissimè dicitur.* Atque eamdem sententiam confirmat contra Manichæos in illo libro, quem scribit de Bono: vnde capite 4. ita habet. *Malum nihil aliud est, quàm corruptio, vel modi, vel speciei, vel ordinis naturalis. Mala itaq; natura dicitur, quæ corrupta est; nam incorrupta bona vtique est; sed etiam ipsa corrupta, in quantum natura est, bona est: in quantum corrupta est, mala est* Vbi vides, quomodo totum malum reducat ad corruptionem, atque adeo ad aliquid negatiuum: quomodo autem sit corruptio modi, speciei, & ordinis naturalis, patet ex ijs, quæ diximus, cum ageremus de bonitate, vbi ostendimus, quomodo consistat in modo, specie, & ordine. Pergit autem D. Augnst. vnde cap. 16. hæc habet. *Non ergo mala est, in quantum natura est, vlla natura: sed cuique natura non est malum, nisi minui bono: quòd si minuendo absumeretur, sicut nullum bonum, ita nulla natura relinqueretur* Rursus lib 2. Confes. cap. 7. inquit, se suffragatum stultis deceptoribus, quia non percipiebat, quid verè esset malum. *Quibus rebus* (ait) *ignarus perturbabar, & recedens a veritate, ire in eum mihi videbar, quia non noueram, malum non esse, nisi priuationem boni vsque ad id, quod omnino non est.* Et similiter lib. 7. cap. 12. hæc habet. *Malum illud, quod quærebam, vnde esset, non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset. aut enim esset incorruptibilis substantia, magnum vtique bonum: aut substantia corruptibilis est, quæ nisi bona esset, corrumpi non posset.* Et hoc ipsum præclarè declarat in lib. cui titulus Enchiridion. cap. 11. inquiens, *Quid est autem aliud, quod malum dicitur, nisi priuatio boni? Nam sicut corporibus animalium nihil est aliud morbis, & vulneribus affici, quàm sanitate priuari. Neque enim id agitur, cum adhibetur curatio, vt mala ista, quæ inerant, id est morbi, ac vulnera recedant hinc, & alibi sint, sed vtique vt non sint. Non enim vlla substantia, sed carnalis substantiæ vitium est vulnus, aut morbus: cum caro sit ipsa substantia, profectò aliquod bonum est, cui accidunt ista mala, idest priuationes eius boni, quod dicitur sanitas: ita etiam, & animorum, quæcunque sunt, vitia naturalium sunt priuationes bonorum,* Et specialiter in lib. 83. Quæstionum loquitur de illo summo malo, quod tanquam principium omnium malorum ponebant Manichæi, absolutè illud negans, inquit enim quæs. 6. *Summum ergo malum nullum modum habet, caret enim omni bono. Non est igitur, quia nulla specie continetur; totumque hoc nomen mali de speciei priuatione repertum est.*

IV. Eamdem doctrina tradunt alij Patres: nam D. Damascen. 2. de Fide cap. 4 ait. *Nihil aliud est malum, nisi boni priuatio, quemadmodum & tenebra luminis est carentia. Bonum enim lumen est intelligibile: similiter & malum tenebræ sunt intellectuales.* D. Ansel. de Concordia præscient. & liberi arbitr. docet, Deum non habere aliud in malis, nisi id, quod bonum est, quia malitia non est aliquid. *Deus igitur habet in bonis quidem, quod bona sunt per essentiam; & quod bona sunt per iustitiam: in malis verò solummodo, quòd bona sunt per essentiam; non quod mala sunt per absentiam debitæ iustitiæ, quæ non est aliquid.* Ita habet in fine. Et de casu Diaboli cap. 9. *Iniustitia verò ipsum malum est, quod nihil aliud dicimus esse, quam boni priuationem, quod malos, & malam voluntatem facit: & ideo eamdem iniustitiam non aliud esse asserimus, quàm priuationem iustitiæ.* Accedit etiam D. Iustinus Martyr, qui quęs. 46. ad Gent. hoc ipsun docet his verbis. *Nullum autem malum essentia adiunctum esse vita nostra, diuina scripta declarant, quæ operum, rerumque, quæ effecta sunt, originem laudat his verbis. Viditque Deus omnia, quæ fecerat, & erant valde bona. Dum autem sponte, voluntateque nostra corrumpimus, mala existunt. Neque in eo, quod salubre est, aliquid inest mali, si ea, quæ in eo bona sunt, immota maneant. Ita fit, vt nihil malum sit, præter boni corruptionem, & deprauationem.* Et quęs. 73. *Malum aliud est nihil, nisi boni priuatio. Itaque posterius est bono malum; est enim eius priuatio.* Insuper Nyssen. hom. 2. in Cantica eamdem doctrinam explicat, inquiens. *Qui enim abduxerunt ab habitudine ad bonū, & per recessum à bono malum constituerunt; neque enim est alia mali substantia, quàm à bono separatio &c.* Atque etiam D. Gregor. Nazianzenus orat. 9. circa finem hoc ipsum insinuat, dum de Diabolo lo-

D Damascen.

D. Ansel

D Iustin. Martyr.

Nyssen.

D. Greg. Nazian.

quens

quens ait. *Qui dormientibus nobis zizania ſuperſeminauit, vt mali principium ex boni incuria naſceretur, non ſecus ac tenebrarum principium eſt lucis ſeceſſio.* Pręterea

D. Atha.

D. Athanaſ. orat. contra Idola, non aliud vult, malum importare, quàm non eſſe; ait namque. *Ea autem, quæ ſunt, appello bona, quæ non ſunt, mala. Quæ ſunt, ideo à me vocantur bona, quoniam à Deo, qui eſt eſſentia ipſa, exemplar trahunt: quæ non ſunt, mala nuncupamus eo, quòd cum nulla eſſentia ſubſiſtant, hominum commentis efficta ſunt.* Deinde hoc

D. Io: Chryſoſt.

etiam deſumitur ex D. Io: Chryſoſtomo hom. 2. in Acta Apoſ. circa finem, qui inquit. *Imo in totum, niſi malitia boni cuiuſpiā fuiſſet particeps, ne ſubſiſteret quidem: talis eſt enim natura mali, vt non conſiſtat, niſi virtuti cuipiam admiſceatur. Proinde niſi prius fuiſſet malitia admixta virtuti, iam olim perierat; nam hunc in modum ſe ſe habent mala.* Et poſt pauca. *Mala non habent naturam, vt ex ſe ſe poſſint ſubſiſtere, niſi paululum aliquid ex virtutibus ceperint.* Concordant etiam ea, quæ docet

D. Epiph.

D. Epiphan. contra hæreſes, nam hæreſ. 24. inquit. *Neque enim vnquam malum erat, neque radix malitiæ fuit, neque in ſubſtantia malum exiſtit.* Et idem docet latè Hæreſi 66. vbi impugnat Manichæorum hæreſim de Malo. Addi etiam poteſt

D. Greg. Magn.

D. Gregor. Magnus, qui lib. 26. Moraſ. cap. 24. hæc habet: *Omne peccatum fundamentum non habet, quia non ex propria natura ſubſiſtit; malum quippe ſine ſubſtantia eſt. Quod tamen vtcunque ſit, in boni natura coaleſcit.*

D. Dion.

V. Diuus quoque Dionyſ. Areopagita cap 4. de Diuinis Nominibus luculenter hanc doctrinam declarat; ait enim. *Malum verò neque in ijs, quæ ſunt, neque in ijs, quæ non ſunt, exiſtit. Sed et ab ipſo non ente alienius eſt, & diſtantius, quam à bono, minuſque habet ſubſtantiæ rationem.* Et infra. *Ad hęc autem vera ratio reſpondebit; Malum, quâ ratione malum eſt, nullam eſſentiam, vel generationem facere; ſolùm verò deprauare, atque perdere, quantum in ipſo eſt, rerum ſubſtantiam. Si quis autem ipſum generationis dixerit auctorem, propterea quòd alterius pernicie præſtet alteri genituram, reſpondendum eſt, reuera non quâ ratione perdit, generationem aliquam elargiri; ſed quâ corruptio, malumque eſt, violare ſolum, atque deprauare.* Et rurſus infra; *Omnino quidem malum non eſt ens, neque bonum, neque beneficium.* Præterea; *Quæ deſtituta ſunt à bono, neque bona ſunt, neque ſubſiſtunt.* Deinde: cum oſtendiſſet, quòd malum eſt præter intentionem, & quòd ille quoque, qui malum operatur, aliud optat, quàm ipſum malum, ſubdit hæc verba. *Nonne igitur malum eſt pręter viam, pręter intentionem pręter naturam, pręter cauſam, pręter principium, pręter finem, extra terminum, extra voluntatem, extra ſubſtantiam? Itaque malum eſt priuatio, defectus, infirmitas, inconcinnitas, error à ſcopo, id eſt ſigno, pulchritudine, vita, intellectu, ratione, perfectione, fundamento, cauſa deſtitutum; interminatum, ſterile, iners, imbecillum, confuſum, diſſimile, infinitum, tenebroſum, eſſentia carens ipſumque nullo modo, ac nuſquam, & nihil exiſtens.* Inſuper etiam addit hæc alia verba. *Malum quidem quâ ratione malum, nec exiſtens aliquid eſt, nec in exiſtentibus aliquid, nec quicquam extra prouidentiam eſt in rebus. Neque enim eſt malum exiſtens aliquid permixtionem boni nō habens; Iam verò, ſi nihil in rebus boni participatione caret; malum verò eſt defectio quędam à bono, reique nulla boni prorſus eſt expers, prouidentia diuina cuncta comprehendit.* Atque in toto illo capite naturam mali declarat, vnde operæpretium erit illud legere.

VI. Inſuper D. quoque Fulgentius de Fide cap. 21. docet, malum nullam habere naturam, ſed eſſe puram priuationem his verbis. *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, nullam eſſe malam naturā, quia omnis natura in quantū natura bona eſt ſed quia in ea bonū augeri, & minui poteſt, in tantum mala dicitur, in quantum bonum eius minuitur. Malum enim nihil aliud eſt, niſi boni priuatio,* Quod etiam tradidit D. Baſil. in illa homil. *Quod Deus non ſit auctor malorum,* his verbis. *Non ſubſiſtit prauitas, neque eſſentiam ipſius ſubſtantem producere poſſumus, priuatio enim boni eſt malum.* Atque omnes Patres, quando ijs occurrit loqui de malo, aut inquirere, quidnam ſit, aut agere de Manichæorum hæreſi, docent vnanimiter, malum non eſſe in rebus tanquam naturam, aut quidditatem, ſed ſolùm tanquam priuationem; & ſpecialiter D. Hieronym. in caput 29. Iſaiæ impugnat hæreſim

D. Fulg.

D. Baſil.

D. Heir.

Manichæorum.

VII. Atque hoc ipsum etiam ratione probari potest desumpta ex D. Th. 1. part. quæst 48. art. 1. Omnis natura, in quantum natura est, bona est, ergo non potest malum, prout malum est, dicere de suo formali aliquam naturam. Consequentia est euidens, quoniam cum bonum, & malum ita opponantur, vt se inuicem tollant, quis non videt, vnum non posse esse formaliter alterum? Antecedens declaratur; & primò quidem, quoniam ratio naturæ importat rationem entis, quam intrinsecè imbibit, debet ergo importare intrinsecè etiam rationem bonitatis, tanquam illam, quæ est passio entis, & quæ in uoluitur in eius adæquato conceptu. Deinde, vt ait D. Th. vnumquodque appetit proprium esse, & propriam perfectionem, vt patet in creaturis appetitiuis, quæ actu elicito inclinantur in proprium commodum, atque quærunt conseruare proprium esse: & quæ non sunt appetitiuæ, habent illud pondus naturale in esse proprium, vnde mouentur naturaliter ad quærendam propriam conseruationem; quærunt enim locum, in quo congruè se habeant; mouentur ad vnionem suarum partium; atque alia similia videmus, ex quibus colligimus, adesse in ipsis hoc pondus naturale. Verùm eum esse, & perfectio consistat principaliter quidem in natura, & deinde in accidentali ornamento, sequitur, vniuscuiusque naturam habere rationem appetibilis, atque adeò rationem boni, cum solum bonum possit appeti, atque si vnumquodque appetit, quæ sibi commoda sunt ex eo, quòd inde percipit aliquod emolumentum, multò magis appetit propriam naturam, cum nihil melius habeat; & proinde creaturæ rationales ita amant proprium esse, vt non possint non amare. Quare non potest malum importare naturam, quia eo ipso diceret aliquid expetibile respectu illius, quod habet talem naturam.

1. ratio

Natura, vt natura est bona.

VIII. Quod etiam confir. ex proportione necessariò seruanda inter naturam vt sic, atque talem naturam; talis enim natura tanquam aliquid determinatum continetur sub natura vt sic tanquam sub ratione superiori: vnde seruare debent inter se talem proportionem, vt quod dicit vna specificè, atque determinato modo, dicat altera genericè, & modo indeterminato; & ideo ex eo, quod dicit vna, seruata proportione inferri potest, quid dicat altera; atque hic est optimus argumentandi modus, atque necessarius. Natura autem in speciali dicit aliquod bonum determinatum, quo est bona in se, & etiam respectu alterius; sic natura hominis est bona, & importat talem determinatam bonitatem, & sic de cæteris fieri potest eadem inductio. talis autem natura complet id, quod inchoatum est in natura vt sic; cum ergo ratio talis naturæ importet rationem talis bonitatis determinatæ in genere naturæ, debet natura vt sic importare rationem bonitatis vt sic in genere naturæ, quæ tanquam quædam inchoatio bonitatis in tali genere completur per rationem talis bonitatis. Vnde natura necessariò ex genere suo importabit bonitatem, atque adeò omnis natura erit bona, quoniam quod conuenit alicui ex genere suo, conuenit omnibus contentis sub illo, & propterea impossibile erit, malum esse aliquam naturam, alioquin non esset malum, sed bonum.

Confir.

Proportio inter naturam in communi, & in particulari.

Natura importat bonū ex genere suo.

IX. Secundò principaliter argumentor, & inquiro de hac natura, quam dicit malum, an sit aliquid participatum, an verò imparticipatum. Non secundū, nā si esset quid imparticipatum, esset ens à se, atque adeò actus purissimus, & habens esse illimitatum; Dum autem esset ens illimitatum, includeret omnem perfectionem excogitabilem, atque adeo infinitam bonitatem; quomodo autem esset ipsum malum? Si autem est quid participatum, sequitur esse secundùm exemplar, quod est in eo, à quo participat esse; atque adeò participare esse, vt debet, hoc est iuxta suam debitam mensuram. Hinc autem conuenienter se habet quò ad proprium esse, atque habet modum, speciem, & ordinem; habet enim mensuram sui esse, habet certam, & determinatam essentiam, atque habet aptitudinem, vt in aliquem finem ordinetur, ex his autem sequitur, esse bonum, nam bonitas non consistit in alio, quàm in modo, specie, & ordine, atque in eo, quòd res con-

2. ratio

ens participatum est bonū eo, quod participatum est.

conuenienter se habeat quò ad proprium esse. Praterea si est aliquid participatum, habebit esse communicatum ab eo, quod est ens per essentiam; vt autem ens per essentiam communicet alteri esse, debet ex aliquo fine moueri; & non potest moueri ab aliquo fine sibi extrinseco, quia tunc dependeret ab alio, & haberet causam, atque adeo non existeret per essentiam. Vnde non ab alio mouebitur, quàm à propria bonitate; ergo quod cunque esse participatum erit bonum, quia à bonitate prouenit, quomodo enim potest quis moueri à bonitate ad faciendum aliquod malum? præsertim quia, quando Deus mouetur ad communicandum esse creaturis à propria bonitate, mouetur ad seipsum communicandum eo modo, quo seipsum communicare potest. Quomodo autem seipsum communicando potest facere malum?

Confr. X. Atque pro confirmatione addi potest ratio illa, qua vtitur D. Th. Quæst. 1. de Malo artic. 1. Videlicet, quòd sicut quicquid prouenit ab vniuersali causa essendi, est aliquod ens particulare; ita quicquid prouenit ab vniuersali bono, debet esse aliquod bonum particulare. Verùm quicquid est in rebus prouenit ab vniuersali causa essendi, ad quam resoluitur quicquid habet esse; in causis enim agentibus non potest procedi in infinitum, sed sistendum est in aliqua prima, quæ sit vniuersale principium agendi. Insuper prouenit etiam ab vniuersali bono eo ipso, quòd prouenit ab vniuersali causa essendi; quod sic ostenditur; omne enim agens agit propter finem, & præsertim primum, cum perfectissimo modo operetur; eodem autem pacto se habet ordo finium, quo se habet ordo agentium, cum vnumquodque agens habeat suum finem; & propterea, quantò agens est vniuersalius, tantò etiam vniuersalior est finis, propter quem operatur; hinc finis patrisfamilias est bonum particulare domus; regis verò bonum totius regni, quod est bonum magis vniuersale, quia rex est agens magis vniuersale. Stante autem proportione agentis, & finis, prima, & vniuersalissima causa essendi habebit pro fine primū, & vniuersale bonum, ad quod omnia, quæ sunt in rebus, reducantur tanquam in vniuersale principium finale, & hoc pacto sistendum erit in aliquo primo, & vniuersali bono, ad quod omnia reducantur. Cum ergo, quod est à prima causa essendi, sit ens, erit etiam similiter bonum quoddam, quia similiter erit ab vniuersali principio bonitatis, & consequenter quicquid positiuum est in rebus, erit bonum, & impossibile erit, malum esse naturam positiuam.

Quicquid est in rebus, debet redire in primum, & vniuerſale bonū.

XI. Secundò etiam confir. Quoniam eo ipso, quòd aliquid est quid participatum, & in rerum natura, habet inclinationem, aut naturale pondus ad aliquid sibi conueniens; atque ordinatur ad aliquem finem saltem ad vltimum. Hinc autem fit, vt sit capax bonitatis; nam quod potest assequi aliquid sibi conueniens, potest aliquod bonum assequi, quoniam quod alteri est conueniens, est bonum ipsi: & nisi esset capax bonitatis, non posset assequi aliquod bonum; quia assecutio supponit capacitatem. Ex hoc autem deducitur, quòd vnumquodque in rerum natura existens sit aliquod bonum in se; cum enim habeat capacitatem boni, necesse est, vt habeat aliquam conuenientiam cum ipso, quoniam nihil est capax illius, quod à se omnino discrepat; malum autem omnino discrepat à bono, & ideo non potest esse capax illius, præsertim quia malum destruit bonum vt quid oppositum; nullum autem oppositorum est capax sui oppositi. Deinde quis dicat, malum esse capax boni? Præterea si vnumquodq; quod est in rerum natura est capax boni à se distincti, multò magis erit capax boni intrinseci, atque à se indistincti, quia huiusmodi bonum principaliori modo se habet respectu ipsius; atque si excluderet intrinsecam bonitatem, multò magis excluderet ab extrinseco aduenientem. Concludendum est igitur. Malum non posse existere in rebus tanquam naturam aliquam positiuam.

Alia cōf.

Vnumquodque in rerum existens est capax bonitatis

Quomodo malitia sit in rebus.

SECTIO II.

I. QVamuis malum non dicat formaliter, vt malum est, aliquam naturam, quæ sit in rebus, vt in præcedenti sect. demonstratum est, aliquo tamen pacto esse in rebus ex eo conuincitur, quòd aliqua dicimus esse mala, & vt talia abhorremus, quæ tamen in rerum natura existunt; Vt ergo videamus, quomodo sit in rebus, recolendi sunt illi diuersi gradus bonitatis, quæ disput. præcedenti recensuimus, & præcipuè boni naturalis, & moralis: & rursus intra genus boni naturalis, tres illi gradus, qui dicunt bonitatem essentialem, integralem, atque accidentalem. Quod ergo spectat ad hunc primum gradum bonitatis essentialis. Dicendum est, malitiam ei oppositam, quæ vocari potest Malitia essentialis, non esse vllo modo in rebus, & consequenter nullam posse dici malam essentialiter. Hæc conclusio est contra Menrif. 2. Metaph. cap. 3. par. 3. quæst. 3. vbi vult, dari eo modo malum essentiale, & transcendens, quo dantur priuationes: sed facilè prob. Quoniam malitia ex genere suo, vt vidimus sect. præcedenti, non potest esse in rebus, vt aliquid positiuum, vnde restat solùm, vt suo modo possit esse vt aliquid negatiuum. Verùm non potest esse in rebus suo modo, vt quid negatiuum, quia in tantum dicitur esse in rebus vt quid negatiuum, in quantum adest fundamentum positiuum, in quo negatio fundetur, verùm ablata essentia non adest aliquod fundamentum, in quo negatio fundetur, ; essentia enim est fundamentum cuiuscunque esse positiui, si quidem essentia est primum esse positiuum, quod excogitari potest. Hinc si auferatur essentia hominis, aufertur totum illud positiuum, siue accidentale, siue integrale, quod spectat ad hominem. Cum ergo malitia essentialis opponatur bonitati essentiali, illam tollit, & consequenter etiam essentiam ipsam, & ideo fieri non potest, vt malitia essentialis sit in rebus, quoniam aufert fundamentum, ratione cuius potest esse.

1. conclus. Malitia essentialis nõ est in rebus

Menr. f.

Confir. II. Quod insuper confir. Quando malitia existit suo modo in rebus, denominat rem malam, sic malitia moralis denominat malum actum moralem; malitia integralis, aut accidentalis rem illam malam, cui aliquid deest quò ad integritatem, vel quò ad cõplementum accidentale. Rursus malitia destruit illam bonitatem, cum qua opponitur; vnde malitia moralis destruit bonitatem moralem, malitia integralis, bonitatem integralem, & sic de cœteris. Hinc autem fit, vt malitia essentialis debeat destruere bonitatem essentialem tanquam eam, cum qua habet oppositionem, atque consequenter essentiam ipsam, sine qua non potest tolli, vel poni bonitas. Vnde non subsistit amplius res ipsa, quomodo enim subsistet sine sua essentia? idem enim esset, ac si diceretur, rem esse sine suo esse, quod omnino repugnat, & est contra illud vniuersalissimum principium, quòd, *Non potest idem esse, & non esse*. Cum ergo non subsistat res posita malitia essentiali, iam malitia essentialis non potest denominare rem illam; quomodo enim denominabit, si non subsistit res ipsa? Ex hoc ergo à posteriori colligitur, malitiam essentialem non esse suo modo in rebus, quia quando est, denominat res ipsas, vt iam diximus.

Malitia essentialis nõ denominat res malas, & quare.

III. Atque hinc fit, vt malitia essentialis in tota sua latitudine, & vt transcendens per omnes malitias, non possit esse vllo pacto in rebus. Ratio est, quia malitia tam amplè accepta tollit similiter essentiam in tota sua latitudine, ita vt nulla remaneat, quæ vt fundamentum talis negationis ab ipsa denominetur, quia si talis, malitia essentialis tollit talem essentiam, malitia essentialis vt sic tollet essentiam vt sic. Atque cum ens transcendens in tota sua latitudine importet essentiam vt sic, sequitur, malitiam oppositam bonitati eiusdem entis non reperiri in rebus, quia talis malitia, sicut tollit bonitatem entis, ita etiam tollit essentiam entis, atque omne fundamentum, ratione cuius in rebus reperiri possit. Vnde non aliud importabit hæc malitia de suo formali, quàm ipsum non ens, quatenus dicit negationem bonitatis transcendentalis.

Malitia transcẽdentalis non est in rebus.

Quid dicat malitia transcendentalis.

IV. Quod autem spectat ad malitiam oppositam bonitati integrali atque ac-

2. ratio

accidentalis. Dicendum est secundò. Hanc malitiam esse suo modo in rebus. Nempe esse fundamentum in rebus ratione cuius possint cum veritate denominari malæ, & hoc fundamentum non aliud importat, quàm quòd res, quæ malæ denominantur, habeant suam bonitatem diminutam, & deficientem in aliquo. Vnde in rigore, malitia ista est in rebus fundamentaliter, non autem formaliter; nisi esse abusiuè sumatur, vt infra declarabimus. Hæc conclusio duas habet partes, quarum prima est, quòd malitia est in rebus fundamentaliter, ita vt ratione huius fundamenti possint denominari malæ; altera verò, quòd non sit in rebus formaliter, nisi abusiuè loqui velimus. Atque secundùm vtramque partem desumitur ex D. Th. 1. par. quæst. 48. ar. 2. vbi docet, in hoc consistere rationem mali, vt res aliqua deficiat à bono, & esse in rebus, sicuti est corruptio, & priuatio. Et sequuntur Caiet. ibid. docens. Malum esse in rebus remotiuè, atque cœteri interpretes. Præterea Suarez in Metaph. disp. 11. sect. 1. Molina 1. par. quæst. 5. disp. vnica. Valentia tom. 1 disp. 3. quæst. 5. puncto 1. Smising tract. 3. de Deo vno disp. 1. quest. 2. num. 47. & communiter omnes Catholici. Atque ita docent etiam Patres supracitati in sect. precedenti. D. enim August in Enchirid. cap. 11. loquens de Malo naturæ, cuiusmodi sunt vulnera, morbi in animali, ait, esse priuationes debiti boni, quæ alicui existenti bono accidunt; & hoc ipsum ex cœteris auctoritatibus ibidem allegatis desumitur. Id autem præclarè declarat D. Dionys. cap. 4. de Diuinis Nominib. his verbis *Quod vniuersi boni expers excogitatur, neque est aliquid, neque in existentibus reperitur; quod autem mixtum est* (nempe ex bono, & malo) *id propter bonum est in ordine rerum; atque secundùm hoc ipsum reperitur in rebus, atque est ens, quantum est boni particeps*. Atque concordant ea, quæ habet D. Fulgentius. cap. 21. de Fide supracitato, dum ait; *Quia in natura bonum augeri, & minui potest, in tantum mala dicitur, in quantum bonum eius minuitur. Malum enim nihil aliud est, nisi boni priuatio.*

Quomodo malitia integralis, & accidentalis sit in rebus

D. Th.

Caiet.

Suarez Molina Valentia Smising

D. Aug

D. Fulg.

V. Prima ergo pars nostræ conclusionis declaratur. Sicuti enim vnaquæque res habet certam, & determinatam mensuram sui esse tum essentialis, tum integralis: atque accidentalis, ita etiam habet mensuram suæ bonitatis tam essentialis, quàm cuiusuis alterius generis, quæ ipsi prefigit certam, & determinatam bonitatem. Hoc tamen discrimen est inter bonitatem essentialem, atque integralem, siue accidentalem, quòd essentialis deficere non potest, non enim haberi potest defectus à bonitate, nisi etiam habeatur ab esse, à quo consequitur bonitas; vnde cum res non possit deficere ab essentia, alioquin non deficeret, sed destrueretur omnino, neque etiam deficere potest à bonitate essentiali. A bonitate autem integrali, atque accidentali deficere potest; esse enim integrale, atque accidentale est extra essentiam, atque habet gradus, & partes; vnde res potest perseuerare in suo esse, & simul in aliquo ab integritate sua, & cōplemento accidētali deficere, & cōsequēter potest deficere in aliquo à bonitate integrali, & accidentali. Ex hoc autem fit, quòd bonitas rei sit inadæquata; & propterea intellectus non reperiens bonitatem adæquatam sed percipiens sic diminutam, habet sufficiens fundamentum denominandi rem malam ex defectu debitæ bonitatis, quia non attingens totam bonitatem, quæ deberet, adesse, consequutiuè, & indirectè percipit priuationem, & defectum. De facto autem dantur bonitates istæ inadæquatæ in esse integrali, atque accidentali, vt per se euidens est, atque ob id concedenda est malitia fundamentaliter in rebus.

Quomodo malitia sit in rebus fundamentaliter.

VI Hoc autem totum D. Th. supracitato ar. declarat à priori, quantum præsens materia patitur. Inquit enim, ad perfectionem vniuersi necessariam esse in rebus quamdam inæqualitatem, vt possint compleri omnes gradus bonitatis; ex hac enim diuersitate graduum coalescit perfectio vniuersi. Sicuti autem vnus gradus bonitatis dicit non posse deficere à bono; ita debet dari aliquod bonum, quod ita sit bonum, vt possit deficere à bono: & hoc contingit in omni ente creato ratione suæ finitatis cum enim sit finitum, est mutabile, & consequenter mutari potest de bono in malum, deficiendo à bono sibi debito. Et quamuis aliqua nō possint deficere ex natura sua amittendo suum esse, vt sunt spiritualia; possunt tamen deficere quò ad opera-

Discursus D. Th

tio-

tiones. Spectat autem ad diuinam prouidentiam, vt quæ iuxta suam naturem deficere possunt à bono, sinat aliquando deficere, quia hoc est ipsis consentaneum. Hoc enim habet defectibilis natura, vt aliquando deficiat in eo, in quo potest deficere; prouidētia autē diuina non debet destruere naturam, sed saluare, & ordinare sicut exigit ordinari, vt docet etiam D. Dionys. cap. 4. de Diuinis Nominibus. Ex hoc autem sequitur, adesse in rebus malitiam fundamentalem, quia adest res aliqua diminuta in sua bonitate.

D. Dion.

VII. Quod autem spectat ad secundam partem conclusionis, in qua dicimus, malitiam formaliter non adesse in rebus, aduertimus, quòd per reperiri in rebus, intelligimus habere aliquod esse, quo id, quod in rebus reqeritur, verè sit in rerum natura. Ex hoc autem statim manifesta fit hæc secunda pars: nam malitia, cum sit mera priuatio bonitatis, nullum habet esse, quo reperiatur in rebus; imo sicuti remouet bonitatem, ita etiam remouet esse, & de suo formali importat bonitatem non esse: & proinde Caiet. dicit: Malitiam esse in rebus *Remotiuè*, quod idem est, ac si diceret, esse in rebus, non ponendo aliquid in ipsis, sed remouendo aliquid ab ipsis, quod reuera nihil aliud est, quàm non esse in rebus. Quare si ly *Esse* sumatur ex parte malitiæ, ita vt cadat supra ipsam, absolutè, secundùm suum esse formale non est in rebus, quia in seipsa nihil est, & ideo nec potest esse in rebus. Vnde D. Tho. supra citato artic. in respons ad 2. docet; Malum non esse, prout esse importat aliquid incomplexum se tenens ex parte rei, quæ dicitur esse. inquit enim. *Ens dupliciter dicitur: vno modo, secundùm quod significat entitatem rei, prout diuiditur per decem prædicamenta; & sic conuertitur cum re. Et hoc modo nulla priuatio est ens: vnde nec malum.* Quod etiam confir. potest ex dictis in præcedenti conclusione. Malum enim vt sic trascendentale, nec formaliter, nec fundamentaliter est in rebus, quia scilicet est in se quid negatiuum, atque adeo nihil; & tollit omne fundamentum, in quo fundari potest; ergo malum integrale, aut accidentale, cum in hoc tantùm differat à transcendentali, quòd habet fundamentum,

Malum non consistet in priuatione boni non est formaliter in rebus.

Caiet.

D. Th.

non autem in eo, quòd sit ablatio boni, erit tantùm fundamentaliter in rebus, non verò formaliter. quia eodem pacto in se est nihil, sicut est etiam malum vt sic. Et hoc amplius declaratur. Qoniam vt aliquid sit in rebus, debet habere aliquam rationem essendi, per quam constituatur in rerum natura; vnde debet talis ratio participare illam formalitatem, quæ formaliter ponit in rerum natura; tantum autem abest, vt malitia formaliter sumpta habeat hanc rationem, vt etiam eam tollat; tollit enim bonitatem, atque simul illam rationem entis, in qua fundatur bonitas; & consequenter rationem illam, per quam est in rebus, quo modo autem potest esse in rebus sine ratione illa, quæ formaliter facit esse in rebus? Et præterea, quæ sunt in rebus, vt sunt omnia entia positiua, & omnia bona, sunt formaliter in ipsis per rationem entis, quæ est ratio, cur ponantur in rerum natura, ergo quod non habet rationem entis, non potest esse in rerum natura. Si enim ratio entis est causa, cur aliquid ponatur in rerum natura: ablatio entis erit causa, cur non ponatur, quia quando *Affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis.* Malitia autem non habet rationem entis.

Quid requiratur, vt aliquid sit in rebus.

VIII. Cæterùm stante existentia malitiæ fundamentalis in rebus, atque rerum diminuta bonitate, quę non pertingat ad suam debitam mensuram; atque cum intellectus id ipsum percipiat, potest cum veritate concipere, res esse malas etiam cum affirmatione, qua iudicet, ita esse. Dum autem concipit res esse malas, ex parte quidem rerum nihil aliud concipit, quàm malitiam fundamentalem, atque adeo bonitatem inadæquatam; hinc autem infert, ijs deesse aliquam partem bonitatis, quo cognito format suum iudicium, quo iudicat, res esse malas; atque huiusmodi iudicium habet suam veritatem, quia verum est, & qua dicitur esse. Ex quo fit, quòd sumendo ly *esse* pro esse complexo, seu pro veritate propositionis, possit dici, malum esse in rebus secundùm suum esse formale, quia per hoc non aliud importatur, quàm adesse in rebus veritatem propositionis explicantis illud esse priuatum aliquo bono, tunc enim illud *Esse*, quod est nota iu-

Quid significetur cum dicitur malum esse in rebus.

dicij

dicij affirmatiui, verè eſt in rebus, quia cum veritate enunciatur, & proinde ly *Eſſe* non ſe tenet ex parte malitiæ, ſed ex parte iudicij intellectiui; vnde D. Thom. ſupracit. in eadem reſponſione inquit *Alio modo dicitur ens, quod ſignificat veritatem propoſitionis, quæ in compoſitione conſiſtit, cuius nota eſt hoc verbum, eſt, Et hoc eſt ens, quo reſpondetur ad quæſtionem, an eſt, Et ſic cæcitatem dicimus eſſe in oculo, vel quamcunque aliam priuationem. Et hoc modo etiam malum dicitur ens. Propter huius autem diſtinctionis ignorantiam aliqui conſiderantes, quòd aliqua res dicuntur malæ, vel quòd malum dicitur eſſe in rebus, crediderunt, quòd malum eſſet res quadam*. Vbi vides, quòd quando malum dicitur eſſe in rebus, nihil aliud ſignificatur, quàm veritas propoſitionis qua, rem aliquam eſſe malam, enunciatur.

IX. Ideo autem affirmatiua propoſitione poſſumus cum veritate enunciare, malum eſſe in rebus, quia hoc pacto explicamus ſtatum obiecti, circa quod propoſitio verſatur. Cum enim dicitur, *Res eſt mala*, ſignificamus eſſe diminutam quò ad ſuam bonitatem, vt reuera eſt, vnde affirmatiua propoſitio æquiualet negatiuæ, quoniam per ipſã ſignificamus aliquid negatiuum, nempe negationem complementi in bonitate. Quod inde procedit, quia per talem propoſitionem enunciatur prædicatum de ſubiecto, quod ex natura ſua eſt remotiuũ formę per negationẽ illius. Vnde cũ dicitur, *Res eſt mala*, idem eſt, ac ſi diceretur; res non eſt bona: & idcirco negatiua ꝓpoſitio conuertitur in affirmatiuam, quia prædicatum poſitiuum, quod per negatiuã ꝓpoſitionem ſignificatur remotum à ſubiecto, conuertitur in negatiuum: & ideò idem ſignificant hæ propoſitiones, quia idem eſt remouere formam à ſubiecto, ac tribuere ipſi prædicatum, quod ex natura ſua ſit remotiuum formæ. Hinc autem fit, vt malum dicatur eſſe in rebus remotiuè, id eſt remouendo formam poſitiuam, nam reuera res non habet formam remotam, ſed eo ipſo, quòd malum eſt remotio bonitatis, reuera non eſt in rebus; ſed dicitur eſſe tantùm abuſiuè, quatenus abutimur ratione eſſendi ad ſignificandum id eſſe, quod reuera non eſt; fit autem huiuſmodi abuſus in vigore illius propoſitionis affirmatiuæ, qua tribuimus affirmatiuo modo prædicatum negatiuum ſubiecto.

Cur affirmatiua propoſitione dicatur malum eſſe in rebus.

Quid dicendum de malo morali, atque diſconuenientiæ.

SECTIO III.

I. DVæ præcipuæ difficultates circa præſentem materiam ſuperſunt, de malo nimirum morali, atque de malo diſconuenientiæ, quomodo ſint in rebus, & an de ipſis eodem modo philoſophandum ſit, ac de malo naturali. Et quamuis malum morale ſpectet ad Theologum; hic tamen aliquid breuiter dicemus, vt quantum præſens materia patitur, eius natura declaretur. Caiet. ergo 1.2. quæſ. 18. ar. 5. Docet, Malum morale eſſe in rebus tanquam aliquid poſitiuum, quia conſtituit differentiam actus humani, qua contradiſtinguitur ſpecie à cæteris actibus humanis. & citat D.Th. 1. par. quæſ. 48. ar. 1. ad 2. Atque hæc ipſius doctrina ita communiter à Theologis præſertim recentioribus accipi ſolet, quaſi rationem formalem mali moralis collocet formaliter in aliquo poſitiuo; qui tamen non aſſequuntur mentem ipſius; pro cuius declaratione ſcire oportet; Quòd Caiet. ibi mouet dubium quomodo ex hoc non ſequatur, malum eſſe quamdam naturam poſitiuam, vt volebant Manichæi, & reſpondet diſtinguendo duplex malum, nimirum malum, quod eſt tale propriè, & abſolutè, & malum, quod eſt genus, vel differentia in moralibus. Illud vult conſiſtere in priuatione debiti boni, atque eſſe merum nihil. Malum autem in moralibus, vult aliquando ſignificare priuationem illius bonitatis, quæ eſt debita ſecundùm rationem, vt iniuſtitia, quæ ſignificat priuationem illius bonitatis, quã importat iuſtitia. Aliquando verò ſignificare ens contrarium enti bono moraliter, ſiue ſit habitus, ſiue actus. Hoc autem ita ponit, quia in peccato diſtinguit duo, & priuationem debitæ rectitudinis, & poſitiuum illud, cui eſt annexa priuatio, & vtrumque apellat malum; primum quidem, quia eſt priuatio debitæ bonitatis: alterum verò, quia eſt contrarium enti bono moraliter. Hinc

Sententia Caiet.

fubdit hæc verba, *Eſt igitur in moralibus malum dupliciter, ſcilicet priuatiuè, & hoc eſt ſimpliciter, & formaliter malum, quod eſt nihil; cuius Deus noneſt auctor: & contrariè, & hoc eſt in ſe bonum, & eſt a Deo: quamuis priuatio ſibi annexa a nullo forte ſit*. Vbi vides, quomodo in moralibus ponat malitiam, quę conſiſtat in priuatione, & propriè habeat rationem malitiæ: & inſuper ponat aliam rationem mali poſitiuam, quæ contrarietur bono, ſic in actu intemperantiæ eſt priuatio debitæ bonitatis; quę conſiſtit in conformitate ad rectam rationem, & eſt aliquid contrarium poſitiuè temperantiæ, nempe poſitiua conuerſio ad finem indebitum, quod Caiet. vocat malum poſitiuum, & eſt fundamentum mali priuatiui. Ideo autem Caiet. ponit hanc rationem mali poſitiui, vt ſaluet, quomodo actus bonus, & malus contrarius ſint diuerſæ ſpeciei: & ideò per malum poſitiuum intelligit ſpecificatiuum actus, quod ſubſternitur priuationi debitæ bonitatis. Atque hæc eſt doctrina D. Th. citati à Caiet nam in reſponſione illa ad 2. ar. 1. quæſt. 46. primæ par. hæc habet. *Dicendum, quòd bonum, & malum non ſunt differentia conſtitutiua, niſi in moralibus, quæ recipiunt ſpeciem ex fine, qui eſt obiectum voluntatis, a quo moralia dependent. Et quia bonum habet rationem finis, ideo bonum, & malum ſunt differentia ſpecificę in moralibus: bonum per ſe, ſed malum, in quantum eſt remotio debiti finis. Nec tamen remotio debiti finis conſtituit ſpeciem in moralibus, niſi ſecundùm quod adiungitur fini indebito: ſicut neque in materialibus inuenitur priuatio formę ſubſtantialis, niſi adiuncta alteri formę. Sic igitur malum, quod eſt differentia conſtitutiua in moralibus, eſt quoddam bonum adiunctum priuationi alterius boni. Sicut finis intemperati eſt, non quidem carere bono rationis, ſed delectabile ſenſus abſque ordine rationis. Vnde malum in quantum malum non eſt differentia conſtitutiua; ſed ratione boni adiuncti*. Hoc igitur poſitiuum, cui annexa, eſt priuatio debiti boni ſecundùm rationem Caiet. vocat malum, quia contrariatur bono, & importat differētiam conſtitutiuam actus mali. Ex quibus patet, non ſentire cum Caiet. eos, qui putant, peccatum formaliter importare aliquid poſitiuum; quod ideo adnotare volui, quia hæc doctrina conferre poteſt pro pluribus difficultatibus enodandis.

D. Th.

II. Dicendum igitur eſt. Malum quoque morale formaliter conſiſtere in ſola priuatione debitæ bonitatis moralis; atque adeo eſſe tantùm in rebus eo pacto, quo eſt malum naturale, nimirum quatenus reſultat ex aliquo defectu, & remouet aliquam bonitatem. Ita docet D. Th. pluribus in locis; nam 1. par. quæſt. 19 ar. 9. loquens de malo culpæ inquit. *Malum culpæ, quod priuat ordine ad bonum diuinum, Deus nullo modo vult*. & quæſt. 48. ar. 1. docet, ideo in rebus eſſe mala, quia Deus permittit ea deficere, quæ defectibilia ſunt; vnde ponit malum in defectu, & loquitur etiam de malo morali, & ideo ait, Deum permittere mala, vt bona in comparatione malorum laudabiliora ſint; & ponit exemplum de iuſtitia vindicatiua, & iniquitate; & id etiam patet ex auctoritate num. præcedenti allata, & alia innumera loca afferri poſſent, quæ non eſt opus recenſere; cum res clara ſit. Et fere communiter omnes alij Theologi ita ſentiunt. Quin Patres omnes præſertim ſect. prima allegati ponunt moralem malitiam in ſola priuatione. Vnde D. Anſelmus de Caſu Diaboli cap. 9 habet *Iniuſtitia verò ipſum malum eſt, quod nihil aliud dicimus eſſe, quàm boni priuationem, quod malos, & malam voluntatem facit*. D. Gregor. Magnus lib. 26. Moral. cap. 24. *Omne peccatum fundamentum non habet, quia non ex propria natura ſubſiſtit, malum quippe ſine ſubſtantia eſt*. Et alij ſupracitati, quos non eſt opus hic referre, cum ibi videri poſſint.

1. concluſ.

Malum morale eſt in rebus vt priuatio.

D. Anſe.

D. Greg. Magn.

III. Atque pro hac noſtra concluſione militat ratio illa, qua potiſſimum mouentur Sancti Patres, vt vno ore affiment, malum, & præſertim morale non eſſe à Deo, quia nimirum in ſe formaliter nihil eſt; ſi autem eſſet in ſe aliquid poſitiuum, deberet eſſe à Deo. Cum autem certum ſit, Deum eſſe ſummè bonum, nec poſſe facere malum, oportet dicere, malum non eſſe aliquid poſitiuum. Vnde ſic conficitur argumentum. Si malum morale eſſet in rebus tanquam aliquid poſitiuum, eſſet aliquod ens, quoniam omne poſitiuum importat propriam rationem entis: inquiro ergo de hoc poſitiuo ente, an ſit aliquid participatum,

1. ratio

Malum morale eſſet a Deo, ſi eſſet quid poſitiuū.

an imparticipatum; hoc secundum dici non potest, quia imparticipatum multiplicari non potest, atque est à se independenter à quocunque; malum autem morale multiplicatur, & est ab ipsa creatura rationali, dum rationali modo operatur. Cum ergo sit quid participatum, oportet, aut vt sit à Deo, & tunc Deus erit auctor peccati, aut incidere in Manichæorum hæresim ponendo malum primum, quod sit principium omnis mali. Vnde cum hæc impossibilia sint, concludere oportet, malum morale non esse aliquid positiuum.

2. ratio IV. Secundò. Malum vt sic in tota sua latitudine, prout est commune ad omnia mala, consistit in aliquo negatiuo, ergo etiam malum morale. Antecedens est certum præsertim apud Catholicos, nec aliquis in oppositum sentit, si excipiantur Manichæi, & Priscillianistæ; Et constat ex ijs, quæ supra diximus in sect. 1. huius disp. Consequentia etiam prob. quoniam inferiora omnia inuoluunt suum superius, atque ipsi proportionantur, & sicut se habet superius in sua ratione superiori, eodem pacto proportione seruata se habent inferiora in suis rationibus inferioribus; si ergo malum in sua ratione superiori importat aliquid negatiuum, etiam malum morale in sua ratione inferiori debet importare aliquid negatiuum, præsertim quia cum negatiuum, & positiuum se inuicem destruant, non potest aliqua natura coalescere ex positiuo, & negatiuo. Vnde Caiet. supracit dicebat. Malum morale, prout est pars subiectiua mali vt sic absolutè dicti, formaliter esse nihil. Præterea malum vt sic, cum sit quid negatiuum excludens omnem rationem positiuam, vbicunque reperitur, debet hoc ipsum exercere, quia est veluti effectus formalis ipsius, cum ergo reperiatur in malo morali, debet ab ipso excludere rationem positiui vt sic, atque consequenter etiam rationem positiui, quæ non potest stare absque ratione positiui vt sic.

Cur omne mal in particulari de beat ess. quid ne gatiuum.

Caiet.

3. ratio V. Tertiò. Si malum morale importaret aliquid positiuum, atq; consequenter etiam rationem entis, deberet etiam importare rationem bonitatis transcendentalis, quæ tanquam passio consequitur ens: Atque quia esset aliquid determinatum positiuum, importaret etiam determinatam rationem entis, & determinatam bonitatem. Ex hoc autem sequeretur, quòd malum, vt malum formaliter importaret rationem boni determinati. Vnde esset obiectum amoris diuini, & Deus in ipso sibi complaceret: vnde esset auctor peccati, quia illud vellet, et amaret. Quod si dicas, hoc positiuum habere quidem bonitatem naturalem non tamen moralem, facilè reijcitur. Quoniam malum morale, vt tale est, omnino secundùm totam rationem malitię odio habetur à Deo, ergo non potest dicere aliquid positiuum, quod spectet ad rationem malitiæ formaliter, quamuis spectare possit materialiter, si quidem cum Deus amet omne positiuum vt potentia ens, et bonum, amaret ipsam malitiam formalem ratione illius positiui. Præterea malitia, vt malitia excludit omnem bonitatem, etiam naturalem, siue transcendentalem, quoniam inuoluit etiam rationem malitiæ vt sic, quæ excludit bonitatem transcendentalem. Accedit etiam, quòd si malum morale importaret aliquid positiuum, hoc positiuum esset aliquid morale; verùm sicuti ad positiuum naturale consequitur bonitas naturalis, ita ad positiuum morale debet consequi bonitas moralis, quæ in eius adæquato conceptu inuoluatur, & qua tanquam aliquod positiuum sit bonum in se. Quamobrem malum morale esset bonum morale. Plura alia addi possent, & nonnullæ obiectiones essent diluendæ, sed quia non ex professo de hoc disputamus, ideo ommittimus; quæ enim diximus sufficienter ostendunt, quomodo malum morale reperiatur in rebus.

Malum esset bonum si importaret aliquid positiuú.

VI. Quod autem spectat ad alterum genus malitiæ, quod importat disconuenientiam vnius respectu alterius, prius aduertere oportet; malum istud non esse absolutè malum, & simpliciter, sed secundùm quid, & respectiuè: quod enim est disconueniens alteri, est aliquid positiuum in se, atque adeo aliquod bonum, quia cum sit ens, fundat suam propriam bonitatem; deinde est tantum disconueniens in comparatione ad aliud, atque adeo si est disconueniens respectu vnius, non est disconueniens respectu alterius.

Malum disconuenientiæ non est malú absolute.

Et ideo nonnulli ex hoc moti sunt, vt dicerent, malum disconuenientiæ formaliter, & secundùm propriam rationem mali esse aliquid positiuum, quos secutus est Auersa in sua Philosophia quæst. 7. sect. 7. vbi inquit, quòd licet huiusmodi malum possit vno modo explicari per aliquid negatiuum, debere tamen admitti etiam malum disconuenientiæ, quod sit quid positiuum, vt malum est. Hoc autem fundant in eo, quòd potest dari forma aliqua positiua, quæ per se sit disconueniens subiecto, quamuis non tollat aliquam aliam formam à subiecto, vt est dolor, qui est malus tactui, etiam si non tollat oppositam formam voluptatis, & quando tollit oppositam formam, non solùm est mala, quia illam tollit, sed etiam quia per se repugnat subiecto; vnde aqua cum calore peius se habet, quàm si esset absque frigore. Non video tamen, quomodo asserat hic Auctor, malum disconuenientiæ posse explicari vno modo, vt consistat in aliquo negatiuo, & altero modo debere admitti, vt consistat in aliquo positiuo; quia si semel consistit in negatiuo, non poterit consistere in positiuo, aut si semel consistit in positiuo, non poterit amplius consistere in negatiuo, quia consistit formaliter in ratione disconuenientiæ: ratio autem disconuenientiæ potest esse aut solùm negatiua, aut solùm positiua, cum sit vna, atque eadem ratio. Addit etiam, malum disconuenientiæ posse explicari per relationem disconuenientiæ, atque tunc importare aliquid positiuum, nempe ipsam relationem.

Malum disconuenientiæ est quid positiuum. Auersa

VII. Dicendum tamen est absolutè. Malum disconuenientię secundùm rationem mali formaliter consistere in aliquo negatiuo, seu in aliqua priuatione, fundata tamen in aliquo positiuo: Ita sentit etiam D. Thom. 1. par. quæst. 5. art. 5. ad 4. vbi hæc habet, citans etiam D. Aug. *Dicendum, quòd, sicut dicit August. in lib. de Natura boni, omnis modus, in quantum modus, bonus est: & sic potest dici de specie, & ordine: sed malus modus, vel mala species, vel malus ordo, aut ideò dicuntur quia minora sunt, quam esse debuerunt, aut quia non his rebus accommodantur, quibus accommodanda sunt; & ideò dicuntur mala, quia sunt aliena, & incongrua.* Esse autem alienum, & incongruum importat aliquid negatiuum, nempe ablationem debitæ congruitatis; sicut etiam accommodari ijs, quibus non debet accommodari, nam hoc importat negationem debitæ commensurationis, & proportionis. Et D. Dionys. cap. 4. de Diuinis nominib. malum istud disconuenientiæ vocat *Ineptam dissimilium compositionem, & defectum proportionis debitæ, & conuenientis iuxta naturæ institutionem.* Hanc quoque sententiam amplectitur Suarez in Metaph. disp. 11. sect. 1. num. 12. & sequentibus. Pro cuius intelligentia aduertere oportet, aliud esse malum disconuenientiæ oriri ex aliquo positiuo; & aliud consistere formaliter in aliquo positiuo. Primum enim admittimus, secundum verò negamus. Malum enim disconuenientiæ oritur ex eo, quòd aliquid alteri applicatur tanquam non proportionatum, atque adeo oritur ex aliquo positiuo. Quia tamen non est malum absolutum, sed comparatiuum, ideo non consistit formaliter in illo positiuo, quod alteri applicatur, nam hoc in se est bonum, & etiam potest esse bonum respectu alterius, sed consistit in illa disconuenientia, quæ est aliquid negatiuum.

2. cóclus. Malum disconuenientiæ importat quid negatiuum. D. Th. D. Dion. Suarez

VIII. Vnde hinc elicitur ratio pro nostra conclusione. Malum disconuenientiæ ex eo tantùm formaliter habetur, quòd aliquid respectu alterius sit disconueniens, ergo malum disconuenientiæ formaliter consistit in priuatione. Antecedens declaratur simul, & probatur. Quando aliquid ad aliud comparatur, considerari potest & id, quod comparatur, & habitudo eiusdem ad terminum, comparationis; malum autem disconuenientiæ, quamuis importet id, quod comparatur tanquam fundamentum, non importat tamen tanquam id, in quo formaliter consistat, sed formaliter dicit ipsam habitudinem disconuenientiæ; si enim cesset disconuenientia, cessat etiam omnis ratio mali comparatiui. Hinc autem colligitur probatio consequentiæ; nam disconuenientia non aliud formaliter dicit, quàm negationem conuenientiæ; si ergo malum comparatiuum habetur formaliter ratione disconuenientiæ, iam consistet formaliter

1. ratio. Malum disconuenientiæ quid formaliter dicat.

liter in aliquo negatiuo. Atque hoc totum magis manifestum fiet exemplo. Sumamus enim dolorem, quid importat malum disconueniens animali, siue etiam obiectum doloriferum, & ponamus nullam excludere volu ptatem à sensu: tam obiectum, quàm actus ille doloris duo dicunt; & proprium esse positiuum; & illam forma lem disconuenientiam, qua disconueniens est animali: Certum autem est, tam obiectum, quàm actum doloris non esse malum animali ratione sui esse præcisi positiui, quia secundùm hoc potest in ordine ad aliud habere rationem conuenientis, atque adeo ratio nem boni; vnde præcisè habetur malitia ex illa disconuenientia; obiectum enim dicitur malum, quia substat huiusmodi disconuenientiæ, vt etiam actus doloris. Cum igitur disconuenientia dicat aliquid negatiuum, formaliter hoc genus malitiæ consistet in priuatione debitæ conuenientiæ.

Confir. IX. Atque totus hic discursus confir, Quoniam si huiusmodi genus malitiæ consisteret in aliquo positiuo formaliter, necesse esset, vt aliquod ens vt positiuum: esset in se malum, quod dici non potest, quia eo ipso, quòd est ens, est etiam bonum. Huiusmodi autem sequela declaratur, quoniam si malum disconuenientiæ importat formaliter aliquod positiuum, hoc positiuum non potest quicquam aliud dicere, quàm illud ipsum, quod disconueniens est, vt per se patet, & in tantum erit malum alteri, in quantum illud malè afficit, vt si ponatur aliqua forma disconueniens in subiecto, in tantum erit illi mala, in quantum ipsum malè afficiet, quia autem malum non malè afficit, nisi seipsum exhibendo, idcirco quod est malum alteri, oportet, vt in genere causæ formalis sit illi malum; quare si malum huius generis est aliquid positi uum, necesse est, vt tanquam aliquid positiuum,, quod sit in se malum, alteri se exibeat, vt ipsum malè afficiat, quia causa formalis debet esse in se talis, qualis est effectus. Atque insuper si huiusmodi malum diceret formaliter aliquid positiuum, illud, cui malum est, esset positiuè in se malum, & non quia esset priuatum aliqua bonitare. Quod impossibile est, quia nihil ratione positiui potest esse in se malum, quia eo ipso, quòd est quid positiuum in se, est etiam bonum. Et quidem imperceptibile est, quòd aliquid positiuum alteri se exhibens constituat in esse malo; nam illi exhibet, quod in se habet; omne autem positiuum importat aliquam bonitatem; & ideò dum se exhibet, exhibet talem bonitatem. Quòd si in illo aliquam malitiam causat, illam causabit non ratione positiui formaliter, sed ratione negatiui, nempe disconuenientiæ. Sic enim euitatur illud inconueniens, quòd aliquid ratione suæ bonitatis formaliter sit malum alteri.

Si malū dicit disconuenientiæ et sit quid positiuū, daretur aliquid quod esset in se malum.

X. Secundò principaliter argumentor. Malum disconuenientiæ inuoluit rationem mali transcendentalis, est enim malum quoddam determinatum, vnde necesse est, vt inuoluat etiam rationem mali, vt sic, quæ determinetur per talem rationem mali: vnde malum transcendens de ipso prædicatur; valet enim ista malum disconuenientiæ est malum. Hinc porrò infertur, quòd malum disconuenientiæ sit aliquid negatiuum, seu priuatiuum, atque eodem modo probatur, quò supra in præcedenti conclusione argumentati sumus, quia non potest aliquid coalescere ex negatiuo, & positiuo, & ideo si ratio superior importat aliquid negatiuum, debet quoque ratio inferior, quæ illam determinat, importare aliquid negatiuum, quia debet cum superiori proportionari tanquam complementum illius naturæ, in qua ipsa inchoata est. Præterea quia malum transcendens, vbicunque reperitur, tollit omnem rationem positiui, & ideo cum reperiatur in malo disconuenientiæ, tollet ab ipso omnem rationem positiuam. Atque hæc ratio vrgeri potest ex proportione ad malum absolutè in se dictum. Malum enim in se formaliter constituitur per priuationem debitæ bonitatis, qua posita statim intelligitur res esse mala in se, vt iam patet ex supra dictis; à pari ergo cum bonitas respectu alterius, consistat in quadam conuenientia; per ablationem, & priuationem huius conuenientiæ constituetur formaliter malum respectu alterius.

2. ratio

Malū disconuenientiæ inuoluit malū transcendēs, ac ideo est simpliciter quid negatiuū

XI. Posset tamen quis occurere, & iuxta doctrinam Molinæ respondere,

Respōsio ex Molina.

re, quam tradit. 1. Par. quæst. 5. disp. vnica. Malum disconuenientiæ latius patere, quàm malum transcendens, & formaliter significare relationem disconuenientis, sicut etiã latius patet bonum conuenientiæ, quàm bonum trãscendens, dicit enim relationem conuenientis, quæ reperitur etiam in negationibus, & alijs, quæ realia non sunt. Atque hinc fieri, vt possit esse quid positiuum, licet malum transcendens non sit quid positiuum. Hæc tamen responsio, & procedit ex falsa doctrina, nec intentum assequitur. Falsum etenim est, malum disconuenientiæ latius patere, quàm malum transcendens; & hoc ex ipsis terminis manifestum fit; qui enim audit malum disconuenientiæ format statim conceptum alicuius mali determinati, quod sit tale in ordine ad aliud: qui verò audit malum transcendens, format conceptum mali omnino indeterminati; quis autem non videt, malum omnino indeterminatum latius patere, quàm determinatum? Deinde sicut ẽs transcendens ratione suæ transcendentiæ reperiri debet in quocunque ente, ita etiam malum transcendens in quocunque malo. Et hoc patet, vt supra etiam dicebamus, ex ipsa prædicatione, si enim sumatur malum transcendens in tota sua latitudine, potest prędicari cum veritate de malo disconuenientiæ, importat enim præcisam rationem mali absque vlla determinatione. Præterea omnia mala, cum in hoc conueniant, quòd mala sunt, sicut etiam omnia bona in hoc, quòd bona sunt, coordinari debent sub vnica communissima ratione mali, quæ de omnibus prædicetur: inquiro ergo quænam sit, an sit malum transcendens, an verò aliud malum; non aliud malum, quia debet esse malum abstractissimè sumptum, quale est solum transcendens; itaque eum ratio mali communissima sit malum transcendens, oportet, vt sub ipso collocetur etiam malum disconuenientiæ, & consequenter non poterit latius patere, quàm transcendens. Rursus malum transcendens importat ipsum non ens, vnde si malum disconuenientiæ continetur intra genus mali, necesse est, vt sit sub malo transcendenti, quia nullum malum potest latius patere, quàm transcendens, seu non ens. Deinde neque assequitur intentum, quia etiam si latius pateret, adhuc esset quid negatiuum; nam si semel conceditur aliquod malum, vt malum est, esse quid negatiuum, necesse est, omne malum esse tale: differentia enim negatiua supponit rationem communem negatiuam, quia non potest ratio communis positiua contrahi per negatiuum, debet enim habere complementum intra ordinem positiuum; nec ratio communis negatiua potest habere differentiam positiuam; quia ipsa tollit quicquid positiuum est infra se; & nulla natura potest coalescere ex negatiuo, & positiuo. Quare si datur aliquod malum negatiuum, debet habere rationem mali communissimam negatiuam: & rursus cum communissima ratio mali sit quid negatiuum, omne malum debet esse tale, quia illa ratio non potest, nisi per negatiuum determinari.

Impugnatio.

An malũ disconuenientiæ latius pateat, quam transcendens.

Posito aliquo malo negatiuo, cur omne malũ sit tale.

XII. Atque addi potest alia confirmatio, quæ & hanc responsionem impugnat, & præcedentem rationem confirmat. Ponamus enim malum disconuenientiæ dicere aliquid positiuum formaliter: hoc positiuum, cum sit tale positiuum determinatum, necessariò ponendum erit sub ratione entis vt sic, quia, si importat tale positiuum, oportet vt dicat etiam rationem positiui vt sic, in qua fundetur ratio talis positiui. Hinc autem fit, vt minus latè pateat, quàm malum transcendens; nam minus latè patet, quàm ens, sub quo collocatur, & cõsequenter omni eo, quod habet eamdem vniuersalitatem cum ente: malum autem transcendens, cum adæquatè opponatur cum ente, est eiusdem vniuersalitatis cum ipso. Si ergo malum disconuenientiæ habet minorem vniuersalitatem, quàm transcendens, quomodo potest latius patere? Præterea si poneretur sub ente vt sic, deberet, vt tale est, importare propriam rationem entis determinatam, quomodo enim esset tale positiuum, nisi diceret talem rationem entis determinatam? Si autem diceret talem rationem entis determinatam, vt malum est, diceret etiam vt malum est determinatam bonitatem; vnde oportet concedere, aut malum, qua-

Confir.

Malũ disconuenientiæ esset formaliter bonum si consisteret in aliquo positiuo.

tenus est malum alteri, importare bonitatem formaliter, aut non esse quid positiuum.

Solutio rationum dubitandi, & nonnulla corollaria.

SECTIO IV.

Ad 1. I. EX dictis facilè erit satisfacere rationibus dubitandi initio sect. primæ propositis, quibus suaderi videbatur, malum esse in rebus tanquam naturam positiuam. Et ad primam ex auctoritate Aris. in Cap. de oppositis, vbi dicit, bonum, & malum non esse sub genere, sed esse genera, respondet D. Th 1. par. quæst. 4. art 1. ad. 1. Aris. locutum fuisse secundùm opinionem Pythagoricorum, quia consueit frequenter ponere exempla secundùm opiniones veterum Philosophorum. Aliam etiam responsionem ibidem adhibet; nimirum cũ Aris. bonum, & malum vocat genera non intelligere de generibus simpliciter, sed de generibus contrariorum; ideo autem esse genera contrariorum, quia omne bonum est per modum formæ, & habitus: omne autem malum per modum priuationis. Habitus autem, & priuatio, cum importent primam contrarietatem, & in quibuscunq; alijs cõtrarietatibus reperiantur, esse genera contrariorum. Facilius fortasse respondeti posset; Aristotelem considerasse malum in concreto, & quia dantur diuersæ species malorum præsertim in moralibus, illud constituisse genus omnium malorum; nam dum sumitur in concreto importat etiam illud positiuum, quod substernitur priuationi bonitatis, & est fundamentum, ratione cuius potest constitui genus: vnde non sumpsit Aris. malum transcẽdentaliter, sed malum in cõmuni coalescens ex priuatione boni, & aliquo positiuo.

Quo malum sit genus.

Aris. illustratus.

Ad conf. II. Ad confir. eiusdem rationis respondetur. Malum consistere in aliqua priuatione alicuius bonitatis debitæ: ex hoc autem fit, vt habeantur diuersæ priuationes, quæ licet diuersificari non possint ex se formaliter, quia in se nihil sunt. quia tamen concipiuntur cum habitudine ad formam, qua priuant, ideò distinguuntur per ordinem ad ipsam, vnde sicut sunt diuersæ formæ, quæ per priuationem remouentur, ita etiam sunt diuersæ priuationes. Præterea res, quæ bonitate aliqua priuantur, dicunt habitudinem ad illam bonitatem, atque capacitatem ipsius, alioquin non essent priuatæ, quia non esset illis debita: & proinde, sicuti bonitas, qua priuantur est diuersa, ita etiam in ipsis est diuersa habitudo, quæ cum non habeat suum actum, fundat priuationem talis bonitatis. Quamobrem consurgunt diuersa concreta, quæ important tale, & tale malum, quæ partim per aliquid priuatiuum distinguuntur, nimirum ex diuersa habitudine, quam dicunt ad diuersas bonitates connotatas tanquam absentes, & consequenter ex diuersis priuationibus, quæ in ipsis concipiuntur: & hoc pacto consurgunt diuersa genera, & diuersæ species malorum. Ex quo tantùm licet inferre, quòd malum fundamentali ter sumptum sit quid positiuum: non autem formaliter, quia formaliter consistit in priuatione debitæ bonitatis. Cum autem dicitur, quod illud est positiua natura, quæ diuiditur per differẽtias; respõdẽdũ ẽ, quòd ẽ tale, qua'es sũt differẽtiæ, quæ si sũt positiuæ, ẽ q̃d positiuum; si verò sunt negatiuæ ipsum quoq; ẽ q̃d negatiuũ. In casu autẽ nostro differentiæ diuidentes sunt partim aliquid positiuum, & partim aliquid priuatiuum; positiuum quidem ratione fundamenti, in quo malum formaliter sumptum fundatur: & priuatiuum ratione talis mali formaliter sumpti; & ideo diuisum quoque est simul quid positiuum, & priuatiuum: diuiditur enim per illa membra assignata, nempe malum pœnæ, & malum culpæ, & alia mala moralia.

Quo concurgant diuersæ species mali.

III. Ad secundam rationem dubitandi conceditur assumptum; nimirum malum vt sic formaliter futurum quid positiuum, si aliquod malum esset positiuum formaliter. Sed iam ex dictis in præcedentibus sect. patet, nullum malum formaliter, importare aliquid positiuum. Sed negationem debitæ bonitatis, vel in esse naturali, vel in esse morali, siue negationem debitæ conuenientiæ. Ad hæc autem mala reducuntur omnia mala, quæ excogitari possunt: sic dolor non. est malus, quatenus Ad 2.

Quo malum formaliter nũquam importet aliquid positiuũ.

nus actus positiuus est, sed quatenus dicit negationem debitæ conuenientiæ respectu animalis: actus etiam vitiosi non sunt formaliter mali, quatenus dicunt illam positiuam conuersionem ad indebitum finem, sed quatenus carent debito fine, & consequenter debita rectitudine secundùm rationem: illa autem positiua conuersio ad indebitum finem est fundamentum malitiæ formaliter acceptæ.

Ad 3. IV. Ad tertiam respondetur. Verùm quidem esse, quòd intellectus, & voluntas, cum sint potentiæ positiuæ, non possunt ferri, nisi in obiectum positiuum; vnde quando in se non est quid positiuum, debet saltem sub ratione positiui repræsentari, vt possit attingi. Quare cum quis intendit alicuius pœnam tanquam malum ipsius, voluntas non fertur directè in priuationem conuenientiæ, qua obiectum pœnale est alicui disconueniens, sed tendit directè in illud positiuum pœnæ, quod est fundamentum illius disconuenientiæ, quam importat pœna, & illud positiuè, atque directè vult, indirectè verò priuationem conuenientiæ. Sic cum quis intendit aliquem verberibus punire, voluntas primariò, & directè fertur in positiuam percussionem, quatenus tamen fundamentum est illius disconuenientiæ, & proinde secundariò, & indirectè vult disconuenientiam, eo modo scilicet, quo est volibilis, non quidem ratione sui, sed ratione fundamenti, in quo fundatur. Accedit etiam, quòd motiuum talis volitionis est bonum aliquod, nempe iustitia punitiua, quæ est ratio, cur pœna intendatur, & idem etiam proportionaliter contingit respectu cæterarum intentionum, quibus malum alteri intenditur, semper enim motiuum illarum est aliquod bonum, vt constare poterit, si per singulas fiat inductio.

Quid sit obiectū volitionis, quando quis intendit malū alteri.

Ad 4. V. Denique ad quartam respondet D. Tho. quæst. 1. de Malo art. 1. ad 1. iuxta communem expositionem Sanctorum Patrum, quòd cum Deus dicitur facere, seu creare malum, intelligi debet de malo pœnæ, quod fit à Deo ratione illius positiui, quod dicit; & quatenus est fundamentum disconuenientiæ respectu puniti. Pro cuius intelligentia distinguit duplex malum; aliud, quod est simpliciter malum, & secundùm se: & aliud, quod est tantùm secundùm quid malum, seu malum alicuius. Primum est illud, quod priuat subiectum aliquo bono illi debito ex ordine, & mensura suę perfectionis, vt est morbus respectu animalis, qui priuat sanitate, quę est illi debita. Malum autem secundùm quid est illud, quod secundùm se est bonum, & non priuatur aliqua perfectione sibi debita, sed tantùm priuat alterum perfectione illi debita, & ideò dicitur malum alterius, vt est calor respectu aquę, qui illam priuat frigore, quòd est perfectio illi naturaliter debita. Iustitia ergo punitiua, siue pœna non est malum simpliciter, & secundùm se, sed secundùm quid, & respectu alterius, in quantum priuat delinquens aliquo bono, & ideo in se est bona, atque adeo aliquid positiuum, vnde cum sit quid positiuum, potest etiam esse à Deo. Aliter etiam responderi potest ex D. Augus. lib. 2. de Morib. Manichęorum cap. 7. qui hunc locum Isaiæ intelligit de malo culpę. Cum ergo Deus dicitur creare malum, idem est, ac si dicatur ordinare, quia nimirum defectus culpę, quibus aliqui à debito ordine deficiunt, redigit in ordinem, ijs vtendo ad ostendendam iustitiam puniendam. Referam verba ipsius. *Ego facio bona, & creo mala. Creare namque dicitur condere, & ordinare; itaque in plerisque exemplaribus sic scriptum est. Ego facio bona, & condo mala. Facere enim est, quod omnino non erat; condere autem ordinare, quod vtcunque iam erat, vt melius, magisque sit. Ea namque condit Deus, idest ordinat, cum dicit condo mala, quæ deficiunt, idest ad non esse tendunt, non ea, quę ad id, quò tendunt, peruenerunt.*

Quorum malorū Deus sit auctor.

Quid sit Deu creare mala. D. Aug.

VI. Ex his antem decuci possunt nonnulla corollaria, quæ valde conferunt ad magis declarandam naturam mali. Cum enim malum, quod in rebus suo modo reperitur, consistat in priuatione alicuius debitæ bonitatis, vt iam declaratū est, hinc sequitur, omne malum, quod in rebus reperitur, esse quoddam malum speciale, quod nimirum non est malum respectu totius ordinis vniuersi, sed tantùm respectu alicuius entis particularis, quod contingit, quia aliquod ens particulare deficit ab aliqua bonitate sibi debita. Quod sanè est valde adnotandum; nam hinc

Malum quod est in rebus est malū speciale, nō totius vniuersi.

hinc colligitur, posse Deum permittere mala, quia hęc non corrumpunt vniuersalem bonitatem vniuersi, quam Deus intendit: imò ad ipsam conferunt. Quod explicauit D. Dionys. cap. 4. de Diuinis Nominib. dum inquit *Ipsum quoque malum ita se habet, vt quod deest prorsus a bono, id neque inter magis, neque inter minus bona sit futurum. Quod verò quodammodo quidem bonum est, quodammodo verò non bonum, aduersatur sanè cuidam bono, non autem toti bono. Atqui & ipsum participatione quadam boni regitur, atque continetur, nempe bonum ipsum sua quadam participatione ipsam quoque sui priuationem, quasi quadam essentia donat*. Atque dilucidius hanc doctrinam explicat D. August. lib. 7. de Ciuit. cap. 13. his verbis. *Et tibi* (nempe Deo) *omnino non est malum: sed nec vniuersa creatura tuę, quia extra te non est aliquid, quod irrumpat, & corrumpat ordinem, quem posuisti ei. In partibus autem eius, quędam quibusdam, quia non conueniunt, mala putantur, & eadem ipsa conueniunt alijs, & bona sunt, & in semetipsis bona sunt*. Ex quibus patet, quomodo tota rerum vniuersitas non subeat aliquam rationem mali, sed solùm quædam entia particularia.

D. Dion.

D. Aug.

VII. Insuper colligitur, cur Deus permittat mala in rebus, & quomodo otiosa non sint. Cum enim conferat ad ordinem vniuersi, res suos cursus naturales peragere, quoniam tali pacto iuxta naturam suam exercentur ob vniuersi pulchritudinem, atque res aliquæ ex natura sua sint defectibiles ab aliqua perfectione, & bonitate sibi debita, à qua sanè deficient, si naturali modo sinantur moueri, sicut Deus eas naturali modo moueri sinit, ita sinit etiam deficere, & tali pacto iuxta suã naturam integrare vniuersum, præsertim quia hi quoque defectus ad pulchritudinem vniuersi conferunt; dum conferuntur cum rerum bonitate, atque tali pacto bonitas magis apparet, & quanta sit, innotescit in cõparatione sui contrarij. Vnde D. August. hoc totum egregiè declarans in Enchiridion cap. 11, inquit: *Simul verò vniuersa valde bona* (sunt) *quia ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo. In qua etiam illud, quod malum dicitur, benè ordinatum, & loco suo positum, eminentius commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis. Neque enim Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas, cum summè bonus sit, vllo modo sineret mali esse aliquid, nisi vsque adeo esset omnipotens, & bonus, vt benè faceret etiam de malo*.

Cur Deus permittat aliqua mala

D. Aug.

VIII. Colligitur tertio. Malum disconuenientiæ opponi bono, quòd est tale respectu alterius; sicuti enim, quod est bonum alteri, importat formaliter quandam conuenientiam, qua ipsi congruum est, ita etiam quod est malum alteri, importat quamdam disconuenientiam, qua est ipsi noxium. Cœterum cum ex bono respectu alterius sequatur appetibilitas tam respectu appetitus eliciti, quàm respectu appetitus innati, seu ponderis naturalis, quo res in suum commodum inclinat, qua redditur appetibile ab eo, cui conueniens est, ita etiam ex malo respectu alterius consequitur odibilitas, ratione cuius malum abhorretur, & fugitur ab eo, cui disconueniens est. Atque sicuti bonum appetibile diuiditur in illud triplex bonum Honestum, Delectabile, & Vtile; ita etiam malum disconuenientiæ diuiditur in triplex malum oppositum Inhonestum, seu turpe; Molestum, seu noxium; atque Inutile, quòd non solùm complectitur id, quod non conducit ad finem intentum, sed id quoque, quòd aduersatur eidem fini: quia eò ipso, quod aduersatur fini, est disconueniens respectu ipsius, atq; adeò opponitur cum eo, quod vtile est pro assecutione. Hoc autem triplex malum disconuenientiæ expressit etiam Arist. 2. Eth. cap. 3. inquiens; *Cum tria sint, quæ in electionem, tria item, quæ in repudiationem cadunt, Honestum, Vtile, & Iucundum: & tria, contraria Turpe, Inutile, & Molestum; circa omnia hæc bonus vir rectè agit; malus verò peccat*.

Malũ disconueniẽtiæ fũdat odibilitatem.

Triplex malum disconuenientiæ.

Arist.

IX. Quartò deducitur, quomodo voluntas se habeat circa non ens, quod est malum transcendens, & circa malum disconuenientiæ: & quodnam malum sit obiectum propriè odij, & auersionis, seu fugæ. Cum enim odium, & fuga sint actus positiui voluntatis, necesse est, vt habeant obiectum positiuum, à quo specificentur: omnis enim actus specificari debet ab aliquo obie-

Obiectũ odij.

ćto, aćtus positiuus ab obiećto positiuo. Et propterea odium, fuga, atque alij huiusmodi aćtus, qui versantur circa malum disconuenientiæ, nou attingunt propriè, & direćtè priuationem conuenientiæ, quia nequeunt attingere, quod in se nihil est, sed attingunt ens illud positiuum, quòd est disconueniens, atque terminantur ad ipsum, prout est fundamentum talis priuationis, & hoc paćto habent obiećtum positiuum. Hinc autem fit, vt circa malum transcendens, seu quod importat purum non esse, nec est annexum alicui enti positiuo, non possit voluntas ferri aćtu positiuo odij, vel fugæ, vel aliquo alio, quia nihil dicit positiuum, per quod terminet aćtum positiuum. Quare solùm negatiuo modo circa ipsum se habebit, nec poterit illud amare, quia non habet rationem appetibilitatis, sed illam negat. Et ad summum poterit voluntas tendere in ipsum aćtu positiuo odij, si ipsi ab intellećtu præsentetur ad modum cuiusdam entis positiui disconuenientis, & ratione sui esse fundantis priuationem boni: vt etiam potest ferri in non ens aćtu amoris, si præsentetur ad modum cuiusdam entis conuenientis, & appetibilis.

Qño voluntas se habeat circa nõ ens.

X. Colligitur etiam quinto. An vera sit doćtrina Suarez, dum in Metaph. disp. 11. sećt. 1. num. 10. docet. Nullam substantiam esse malam alteri, quia est per se, & nou est ens alterius; & hoc ipso, quòd aliqua pars substantiæ ad aliam ordinatur, aut ad integram substantiam, est bona, nam ideo ordinatur, quia conueniens est. In fertur enim ex dićtis falsam esse. Quoniam sicuti vna substantia est bona alteri, ita etiam potest esse mala Quamuis enim substantia sit ens per se, & non sit ens alterius, adhuc tamen potest respećtu alterius esse conueniens, cur ergo non poterit etiam esse disconueniens, quoniam idem ordo ad aliud importatur per conuenientiam, & disconuenientiam? non enim necesse est, vt aliquid sit alteri disconueniens, vt ordinetur ad ipsum vel tanquam forma, vel tanquam aliquid intrinsecè spećtans ad ipsum, sed sicuti vt aliquid sit conueniens, sufficit, si habeat rationem finis, ita vt sit disconueniens, sufficit, si quocunque modo ad aliud comparatum incongruenter se habeat. Et sic plures substantias alteri disconuenientes experimur, sic vnum animal est disconueniens alteri; aliquicibi sunt aliquibus disconuenientes, & alia similia exempla præsto sunt.

Vna substatia est mala alteri.

De oppositione malitię cum bonitate. Disp. LXXVII.

Quomodo malitia opponatur bonitati.

SECTIO I.

1. Malitiam opponi bonitati, ex dićtis indubitatum remanet; nunc autem videndum est, qualisnam sit huiusmodi oppositio, quæ sicuti oritur ex natura bonitatis, & malitię, ita etiam manifestat earumdem naturam. Quia autem considerare possumus & malitiam in abstraćto, illam similiter comparando ad bonitatem in abstraćto; & malum in concreto, illud similiter comparando ad bonum in concreto: in vtroque modo oppositio consideranda est. Quod ergo spećtat ad malitiam primo modo acceptam; si transcendentaliter accipiatur, opponitur cum ipsa negatiuè, seu contradićtoriè. Hoc dićtum facilè declaratur, quoniam malitia vt sic tollit bonitatem transcendentalem, atque consequenter etiam ipsum ens; & proinde non relinquit quicquam positiuum, vnde non potest esse aliud, quàm non ens, seu negatio, atque adeo opponetur negatiuè cum bonitate transcendentali. Verùm opponetur tanquam pura negatio, non autem tanquam negatio in subiećto apto, quia, cum non relinquat aliquid positiuum, neque relinquet subiećtum, in quo fundetur. Atque huiusmodi genus oppositionis extendendum est ad quamlibet malitiam essentialem respećtu bonitatis essentialis; cum qua opponitur: malitia enim essentialis tollit totam boni

Malitia trãscēdētalis opponitur bonitati transcendentali contradictorie.

nitatem essentialem, & consequenter totam essentiam, in qua fundatur bonitas: vnde ex parte rei bonæ non relinquit aliquid positiuum, quod possit esse subiectum illius bonitatis, & fundare priuationem. Cæterum si consideretur bonitas ista essentialis secundùm conceptum suum inadæquatum explicitum, & vt aliquo modo ab essentia, seu ente contradistinguitur, atque sumatur malitia, prout præcisè tollit hunc solum conceptum inadæquatum entis, seu essentiæ; tunc interueniet oppositio priuatiua; quoniam relinquetur alter conceptus entis, siuè essentiæ cum priuatione debitæ bonitatis. Verùm huiusmodi oppositio solùm secundùm inadæquatos conceptus, atque explicitos excogitari potest, & ideo valde præcisiuè loquendum est, vt saluari possit.

Quo pos sit admitti oppositio priuatiua.

II. Si autem consideretur malitia, prout suo modo in rebus reperitur, tunc opponitur bonitati priuatiuè. Atque ita desumitur ex omnibus Patribus, quos disp. præcedenti sec. 1. attulimus, qui docent; malum, prout in rebus reperitur secundùm formalem rationem mali non aliud importare, quàm priuationem in re mala bonitatis sibi debitæ: & ita etiam docet D. Th. 1. par. quæs. 48. præsertim ar. 1. & 4. & quæs. 1. de Malo ar. 1. tum in corpore, tum ad 2. & communiter omnes. Ratio autem est, quia malum ex genere suo est aliquid negatiuum excludēs bonitatem: quando ergo contingit, esse annexum alicui enti, excludit ab ipso aliquam bonitatem; atque huiusmodi bonitas debet esse illi debita, alioquin non excluderetur, neque diceretur malum, quia non haberet bonitatem, quæ non est illi debita: neque enim homo dicitur malus, quia non habeat bonitatem angeli, neque lapis dicitur malus, quia non habeat bonitatem hominis: sed tunc ens aliquod dicitur malum, quando non habet aliquam bonitatem sibi debitam: sic actus humani dicuntur mali, quando non habent rectitudinem, quam deberent habere. Hinc ergo fit, vt malum istud, quod suo modo est in rebus, tollat ab ipsis aliquam bonitatem debitam, & consequenter in ijsdem sit capacitas ad ipsam, & propterea huiusmodi malum non est aliud quàm priuatio.

Malitia adnexa alicui enti opponitur bonitati priuatiuè.

D. Th.

III. Quod autem spectat ad huiusmodi priuationem aduertere oportet, quòd prout fundatur in aliquo ente, est semper determinata, ita vt semper determinata bonitate priuet, & seruat proportionem ad priuationes aliarum rerum; non enim priuatio lucis in aere est priuatio diaphaneitatis, aut alterius accidentis, sed tantùm illius determinati; & ideo priuatio ista, quam dicit malitia, non priuat subiectum quacunque bonitate, sed solùm determinata. Desumitur autem huiusmodi determinatio ex aptitudine subiecti ad bonitatem, nam priuatio, quæ tribuitur subiecto, est determinatæ illius bonitatis, cuius subiectum est capax Ex hoc autem fit, vt debeat semper considerari oppositio respectu talis determinatæ bonitatis. Quia, vt suo modo est in rebus, dicit tantùm priuationem non autem negationem, quia negatio bonitatis non habet subiectum determinatum. Et propter hoc D. Aug. in Enchirid. cap. 14. docuit, in malo, & bono deficere regulam Dialecticorum docens, contraria non posse esse simul, quia nimirum eadem res potest simul esse bona, & mala; quod ideo dixit, nō quia etiam in bono, & malo id locum non habeat; nam bonum quoque, & malum, quatenus opponuntur, non possunt esse simul; sed quia in malo, & bono non contingit, sicut contingit in cæteris oppositis; nam cætera opposita ex genere suo exercent oppositionem circa idem subiectum: secus autem bonum, & malum; nam malum vt sic non potest, vt modo dicebamus, attribui subiecto, sed solùm tale malum: atque ideo solùm tale malum exercet oppositionem cum tali bono circa idē subiectum: & propterea, quando bonum, & malum opponuntur, valet regula, quòd opposita non possint esse simul.

Malitia, quæ est in rebus opponit solū cum bonitate determinata.

D. Aug.

IV Si verò malum, & bonum in concreto sumantur, dicuntur opponi contrariè: & ita docuit Arist. in Postprædicam. cap. de Oppositis, vbi sic habet. *Illa verò, quæ opponuntur vt contraria, ea ipsa quidem, quæ sunt, nullo modo ad se inuicem dicuntur, neque enim bonum mali dicitur bonum, sed contrarium.* Atque post pauca docet, inter malum, & bonum reperiri medium, quod certè in solis contrarijs contingere potest;

Bonū, & malū in concreto opponūtur contrariè.

ait enim. *Sed & prauum, & studiosum prædicantur quidem de homine, & de alijs compluribus, non est autem necessarium alterum eorum inesse ijs, de quibus prædicantur, non enim omnia, aut praua, aut studiosa sunt, sed est aliquid eorum medium; vt albi, & nigri, fuscum & pallidum, & quicumque alij colores: praui verò, & studiosi, quod neque prauum, neque studiosum est.* Cur autem dicantur opponi contrariè; inde prouenit, quia quando considerantur in concreto, se habent vt duo extrema positiua, se inuicem excludentia, vnde videntur, saltem imitari contraria.

Quō malum contrariè opponatur bono. V. Difficultas tamen insurgit, quia vel in concreto mali consideratur positiuum, & hoc pacto ratione ipsius nō potest opponi contrariè cum bono; nam secundùm illud positiuum non est malum, sed bonum. Vel consideratur priuatio bonitatis, quam habet, & hoc pacto opponetur priuatinè, quia non importat aliquid positiuum, & quod sit secundùm naturam, sed recessum à natura; ambo autem contraria debent importare aliquid positiuum, & quod sit secundùm naturam. Et quidem fieri non potest, vt malum contrariè opponatur cum bono ratione priuationis, sed debet opponi ratione positiui, quod est malum materialiter, Et ita docet D. Thom. 3. contra Gent. cap. 9. inquiens. *Malum non repugnat bono positiuè, nisi ratione alicuius bonitatis.* & Quæst. 1. De malo artic. 1. ad 2. vbi docet, aliquas priuationes esse in facto esse, & in termino, ita vt nihil relinquant de eo, quo priuant, vt est mors; aliquas verò esse in fieri, ita vt aliquid relinquant de eo, quo priuant, & has dici opponi contrariè, in quantum retinent aliquid de eo, quo priuant; & pluribus alijs in locis idem docet. Atque D. Dionys. cap. 4. de Diuinis Nominib. habet; Malum contrariari bono, & contra ipsum pugnare ratione alicuius boni, eum de se sit impotens. Dicitur autem malum ratione positiui contrariari bono, quia licet ratione illius positiui importet rationem boni, adhuc tamen est fundamentum priuationis, in qua consistit ratio mali, quam etiam connotat, & ideò dicitur malum materiale, & malum fundamentale. Secundùm hanc ergo acceptionem, vt connotat priuationem debitæ bonitatis, dicitur contrarium bono; neque enim bonum est malum fundamentale, neque connotat malum formale, seu priuationem boni sibi adnexam; ex vi autem illius connotationis est aliquid positiuum, & excludit positiuam bonitatem, illam nimirum, quæ tollitur per priuationem connotatam; ratione igitur huius incompossibilitatis dicuntur inuicem contrariari, & se mutuò excludere. An autem interueniat perfecta contrarietas, manifestum fiet, si consideretur propria natura contrariorum, quæ verè contraria sunt. Cum enim malum, & bonum non sint sub eodem genere, sub quo maximè distent, videntur non esse perfectè contraria, quia contraria debent sub eodem genere maximè distare.

(Margin notes: D. Th. — D. Dion.)

Quomodo malum corrumpat bonum.

SECTIO II.

I. EX eo, quòd malum opponitur bono, sequitur, quòd illud destruat: difficultas autem est, quomodo corrumpat, & an totum bonum corrumpat, an verò tantùm partem. Quod autem spectat ad primum punctum difficultatis. Malum non potest corrumpere bonum, nisi quatenus formaliter exercet aliquam incompossibilitatem, quia destructio vnius oppositi per aliud debet prouenire ex illa formali ratione, secundùm quam propriè, & formaliter exercetur oppositio. Cum ergo malum propriè, formaliter exerceat oppositionem cum bono, non ratione alicuius positiui, sed ratione formalis malitiæ, quæ est priuatio, & ratione oppositionis corrumpat bonum, sequitur, non corrumpere effectiuè, quia ratio formalis oppositionis, vt talis est, non est ratio agendi: & præsertim in malo, quę est oppositio negatiua. Restat ergo solū, vt possit corrumpere formali modo, vel quasi formali modo, quia non est propriè forma, sed solùm se habet ad modum formę, quatenus per se ipsum tollit bonitatem, & suo modo remanet priuatio in subiecto ablata bonitate. Hinc D. Thom. quæst. 48. 1. par. artic. 1. ad 4. inquit. *Aliquid agere dicitur tripliciter. Vno modo for-*

(Margin notes: Per quid malum exerceat oppositionē cū bono. — Modus, quo malum corrumpit bonum.)

maliter, eo modo loquendo, quod dicitur albedo facere album. Et sic malum, etiam ratione ipsius priuationis, dicitur corrumpere bonum, quia est ipsa corruptio, vel priuatio boni.

Quodnã malum possit destruere bonum.

II. Verùm cum ea, quæ opponuntur, non exerceant secum incompossibilitatem, nisi prout circa idem subiectum versantur: hinc fit, vt illud tantùm malum possit destruere bonum, quod in subiecto aliquo fundatur, in quo etiam possit bonitas destruenda reperiri, loquendo de illa destructione, quæ verè à parte rei reperitur, & tollit aliquod bonum reale. Nam quamuis malum transcendens opponatur cum bono transcendentali, & quodlibet malum essentiæ cum bono essentiæ sibi correspondente: hæc tamen est oppositio merè contradictoria, & nequeunt inter se exercere aliquam veram realem destructionem, quia non habent subiectum, in quo exerceant. Vnde restat solùm, vt malum, quod circa aliquod subiectum versatur, possit corrũpere bonum, quod est malum integrale, & accidentale, prout complectuntur etiam morale. Licet autem, quando malum corrumpit bonum integrale, & accidentale, corrumpat aliquod ens, & aliquam essentiam, non tamen corrumpit secundum rationem entis, & essentiæ per se loquendo, & directè; sed solùm concomitanter, & veluti per accidens, quatenus reperiuntur in bonitate integrali, & accidentali: per se verò corrumpuntur, quatenus integraliter se habent, & accidentaliter. Semper enim malum tendit ad solam corruptionem alicuius integritatis, aut perfectionis accidentalis illius rei, cuius est malum: ideo malum essentiæ, non potest illam corrumpere, quia non habet subiectum, circa quod oppositionem exerceat, & ideo tantùm accidentalia, & integralia bona corrumpi possunt.

Malum non corrũpit totũ bonũ. D. Aug. D. Tho.

III. Ex his autem concluditur. Malum non corrumpere totum bonum quod docet etiam D. August. in Enchirid. cap. 12. per totum, in quo ostendit, impossibile esse, quòd malum consumat totum bonum, & idem quoque docet D. Th. 1. par. quæst. 48. ar. 4 vbi distingunt triplex bonum, aliud quod cõsistit in forma; aliud, quod dicit habitatem ad formam, & aliud, quod importat subiectum: & asserit, totum bonum formæ tolli per malum, atque corrumpi: malum enim, quod tribuitur subiecto, opponitur formæ, atque ideo potest totaliter tolli. Habilitas verò ad formam, importat dispositiones, quibus subiectum præparatur, atque huiusmodi bonum, licet per malum partialiter corrumpi possit, non tamen totaliter consumi, quia semper remanet potentia eiusdem subiecti. Subiectum verò nihil prorsus corrumpitur à malo. Breuiter tamen dicendum est. illud bonum non corrumpi per malum, quod se habet tãquam subiectum illius, in quo fundatur, & exercet suam corruptionem: illud autem, quo est in subiecto, circa quod malum versatur, posse corrumpi, quamuis non semper, & fortasse nunquam totum corrumpatur. Et ratio est supra insinuata, quia malum debet exercere suam oppositionem contra bonum circa aliquod subiectum, & ideo non potest corrumpere subiectum, neque consequenter bonitaté ipsius, alioquin non haberet, in quo exerceret oppositionem, & consequenter non corrumperet aliquod bonum: potest tamen corrumpere totum bonum, quod est in subiecto, quia potest subiectum ipso priuari. Ex his erbo patet, quomodo malum non corrumpat totum bonum, & similiter, nullum ens ex ijs, quæ existunt, si cum toto suo complemento accipiatur, & tanquam id, quod completur, non quod aliud complet, posse per malum totaliter consumi, ita vt totaliter malum fiat, quia semper debet remanere aliquod esse illius, atque adeo aliquod bonum quod sit subiectum mali.

De causis malitiæ. Disp. LXXVIII.

Quomodo malum habeat causam.

SECTIO I.

I. MAlum habere causas, non potest intelligi de quocunque malo, sed tantùm de eo, quod aliquo modo in rebus reperitur: malum enim transcendens, & quod est pura negatio, non potest habere causam, cum nullo pacto in rebus reperiatur, vnde restat solùm, vt malum illud, quod se habet per modum priuationis possit habere causam. Aliquo autem modo habere necesse est, quoniam malum istud consistit in defectu, quo res deficit à bonitate sibi debita, atque cum hoc sit contra naturam ipsius, aut saltem præter naturam, siquidem naturale est ipsi habere bonitatem sibi debitam, necesse est, concedere aliquam causam, qua res trahatur extra suam naturalem, & debitam dispositionem, vt inquit D. Th. 1. par. quæst. 49. ar. 1. vt hoc pacto cogatur deficere à debita bonitate. Non enim res, quamuis ex se sit defectibilis, deficit, nisi ad defectum trahatur, siquidem deficere est quoddam malum ipsius, quod ab ipsa refugitur, vel per naturalem, vel per elicitum appetitum.

Malum aliquo modo habet causam.

II. Et quamuis malum, quod est in rebus, non possit habere causam positiuam, quæ per se in illud positiuè influat, quoniam, cum sit priuatio debitæ bonitatis, non potest ad ipsum, per se terminari positiuus influxus, nō tamen sequitur, non habere causam, ratione cuius suo modo reperiatur. Neque tamen admittendum est summum malum, quod sit causa omnium malorum, vt volebant Manichæi; hoc enim est contra catholicam fidem, & contra rationem naturalem. Si enim admitteretur, oporteret, vt esset malum per essentiam, vt etiam summum bonum, quod est principium omnium bonorum, est bonum per essentiam. Non potest autem excogitari istud malum per essentiam, nam debet excludere omnem rationem boni; siquidem esset infinitè malum, sicut bonum per essentiam est infinitè bonum, & excludit omnem rationem mali; istud autem malum excludēs omnem rationem boni non potest dari in rerum natura, sed est omnino nihil; nam omne malum tollit aliquam rationem boni, atque consequenter aliquam rationem entis: vnde proportione seruata summum malum dicens omnem rationem mali debet tollere omnem rationem boni, atque adeo omnem rationem entis; si autem tollit omnem rationem entis, iam est nihil, atque adeo non potest subsistere in rerum natura. Præterea malum dignoscitur ex bono, quod annfert, ita vt tantum sit malum, quantum est bonum, quod aufertur, vt ergo ponatur malum infinitum, necesse est, vt auferat bonum infinitum; hoc autem bonum infinitum non potest auferre: non enim datur aliud bonum infinitum præter summum, quod est Deus, qui per nullum malum auferri potest, siquidem est ens per essentiam. Non ergo potest excogitari istud summum malum infinitum: imo neque etiam malum, quod sit in rebus suo modo, atque sit absolutè malum excludens omnem rationem boni: hoc enim est discrimen inter bonum, & malum, quòd potest quidem dari in rebus integrum bonum, quia per hoc, quòd integrum sit, magis perficitur: malum autem per hoc, quòd integrum sit, penitus tollitur; vnde Arist. 4. Eth. cap. 5. post initium docet, Malum seipsum destruere, si integrum sit. Et accedit, quòd primum principium debet etiam esse vltimus finis eorum omnium, quæ sunt ab ipso: sic summum bonum, à quo sunt omnia bona tanquam à primo principio, est etiam vltimus finis eorumdem. Quamobrem, si daretur summum malum, quod esset primum principium omnium malorum, necessaria sequela esset vltimus finis eorumdem malorum: repugnat autem, quòd sit vltimus finis, quoniam ratio finis importat ex genere suo rationem boni; cum de-

Non datur summum malum, quod sit principiū omnium malorū.

Summum malum inexcogitabile.

Non potest dari in rebus integrū malum. Arist.

Primum principiū est etiam vltimus finis.

debeat attrahere ad se appetitum.

III. Cum ergo malum non ponatur in rerum natura per positiuum influxum, qui per se ad ipsum terminetur, nec item prouenfat à summo malo, consequens est, vt solùm habeat causam per accidens. Atque hoc consentaneum est naturæ eiusdem mali, siquidem malum contingenter tantùm, atque per accidens reperitur in rerum natura; nam res omnes ex natura sua inclinantur in proprium bonum, atque ad illud à suis causis ordinantur; omnis enim causa, in quantum causat, intendit bonitatem sui effectus; nec aliquid intendens malum operatur, & præcipuè causa prima, & vniuersalis, quæ omnia ad perfectum ordinem reducit; vnde, quando malum contingit in rebus, est præter intentionem naturæ, præsertim, quia, quod est secundùm intentionem, debet habere rationem appetibilis, atque allicientis, quæ sine ratione boni saluari non potest. Vnde est præter intentionem: quod autem est præter intentionem, non habet causam per se, sed solùm per accidens causatur, neque item est per se, sed per accidens, quia si esset connexum per se, adhuc per se causaretur, & intenderetur. Inde autem prouenit, vt sit annexum per accidẽs cum eo, quod per se causatur, quia consistit in defectu, qui non potest per se connecti cum bono; neque enim non ens per se connectitur cum ente.

Malum ha et solum causam per accidens

IV. Ex dictis autem concluditur. Bonum esse causam mali per accidens, vt etiam docet D. August. lib. 1. contra Iulian. cap. 9. circa medium, vbi inquit *Non fuit omnino, vnde oriri possit malum, nisi ex bono.* Et similiter D. Dionys. cap. 4. de Diuinis Nominib. dum docet; Principium, & finem omnium malorum esse ipsum bonum: vnde cum in eodem capite docet, quòd malum non est ex bono, quia si ex bono esset, non esset malum, sed bonum, intendit quòd non sit ex bono per se. Atque hæc est etiam doctrina D. Th. 1. par. quæst. 49. ar. 1. & quæst. 1. de Malo. art. 3. quam communiter omnes sequuntur. Et sequitur ex dictis, quia malum non potest esse per se à malo, tum quia non datur illud summum malum, quod sit principium omnium malorum; tum etiam quia, si esset per se à malo, interueniret ordo iste per se, atque adeò positiuus inter duo mala; quomodo autem ordo positiuus fundari potest in duobus non entibus? Deinde neque etiam potest esse per se à bono, quia non potest esse secundùm intentionem causantis, vnde relinquitur, vt sit per accidens à bono. Ista autem causatio per accidens in hoc consistit, quòd bonum intendat causare bonum; ex aliquo autem accidenti connectatur, aliquod malum cum effectu bono, aut quia non applicetur debita materia, aut quia causæ se inuicem impediant, aut quia operatio non debitè reguletur; sic cum quis peccat, intendit bonum, verùm quia operatio non regulatur debita mensura, contingit malum morale, quia nimirum operatio illa non ordinatur ad debitum finem.

Quomodo bonum sit causa mali. D. Aug. D. Dionys. D. Th.

V. Ex his autem colligitur. In malis, quæ suo modo causantur, non esse progrediendum in infinitum, vt vnum sit ex alio, & hoc item ex alio, & sic deinceps: hic enim progressus de se implicat in ijs, quæ bona sunt, & in ijs, quæ mala sunt. sed neque sistendum est in aliquo primo principio, à quo tanquam participationes quædam proueniant; neque enim mala, quæ sunt in rebus, sunt participationes quædam, sed potius ablationes participationis, quia non participant aliquod esse, sed illud tollunt, & ideo non sunt reducenda in aliquod imparticipatum, & quod sit tale per essentiam. Sed solùm quodlibet malum reduci debet ad aliquod bonum, à quo per accidens causetur, & in ipso sistendum est, tanquam in principio; principium enim cuiuscunque proportionatur modo essendi eiusdem; & ideo cum malum per accidens tantùm sit, potest solùm habere principium per accidens.

In quod nam principiũ resoluatur malum.

Quas causas habeat malum.

SECTIO II.

I. Malum formaliter sumptum non habere causam formalẽ, statim manifestum fit consideranti naturam eiusdem. Causa enim formalis seipsam communicat, & communicando constituit rem in aliquo esse, quod est effectus formalis ipsius; vnde, quod habet causam formalem, necesse est

Malum nõ habet causam formalem.

etiam

etiam, vt habeat aliquod esse ab eadem causa communicatum; quamobrem, cum malum nullum dicat esse in se, sed sit tantùm priuatio quædam, non potest habere causam formalem. Nihilominus tamen sicut intellectus concipit istud malum ad modum cuiusdam formæ afficientis subiectum; ita etiam potest concipere habere suam causam formalem: verùm in vtroque casu format ens rationis, & sicuti est forma solùm per fictionem intellectus, ita etiam solùm per fictionem intellectus habet causam formalem, quæ non est vera, sed ficta. Consistit autem in hoc, quòd concipiatur priuatio bonitatis cũ quadam habitudine veluti specificata à bonitate, qua priuat: priuationes enim concipiuntur distingui per formas, & ideo cum malitia, quæ est suo modo in rebus, sit ex genere suo priuatio, concipiuntur diuersæ malitiæ inter se distinctę ex ordine ad diuersas bonitates, quas tollunt, & ideo sicuti per has habitudines distinguuntur, ita etiam constituuntur.

Quō malū habeat causā materialem.

II. Quod autem spectat ad causam materialem: certum est, cum malum sit priuatio quædam, atque adeo non sit aliquid positiuum in se, non posse habere veram causam materialem, quæ concurrat ad ipsum recipiendum, quia talis concursus exercetur tantùm respectu entis positiui, solùm ergo potest habere causam materialem largo modo, quatenus tribuitur alicui subiecto, quod denominat malum ex eo, quòd fundatur in ipso: ideo autem sibi determinat tale subiectum, quia tollit bonitatem debitam eidem subiecto. Quare sumendo causam materialem in hoc sensu, Bonum est subiectum, & causa materialis malitiæ, vt etiam docet D. Th. 1. part. quæst. 48. art. 3. & quæst. 1. de Malo art. 2. Et ita etiam docet D. August. in Enchir. cap. 14. dum inquit. Malum non esse nisi in bono: & cap. 11. dixerat. *Profectò aliquod bonum est, cui accidunt ista mala, idest priuationes eius boni, quod dicitur sanitas*. Et D. Io: Chrisost. hom. 2. in Acta Apost. circa finem hoc ipsum tradit, inquiens. *Talis est natura mali, vt non consistat, nisi virtuti cuipiam admisceatur*. Accedit præterea D. Gregor. Magn. lib. 26. Moral. cap. 24. qui cum asserat, malum non subsistere, docet habere ex bono, quò d eo modo, quo est in rebus, subsistat; ait enim. *Malum sine substantia est; quòd tamen, vtcunque sit, in boni natura coalescit*. Atque D. Dionys. cap. 4. de Diuinis Nominib. docet, malum reperiri in rebus ratione alicuius boni, in quantum aliquid est mixtum ex bono, & malo: quod sanè non esset verum, nisi bonum esset quodammodo subiectum mali. Eius verba sunt. *Quod vniuersi boni expers excogitatur, neque est aliquid, nec in existentibus reperitur. Quod autem mixtum est, id propter bonum est in ordine rerum, atque secundum hoc ipsum reperitur in rebus*. Vnde quando in eodem cap. 4. docet, malum non reperiri in rebus, intelligit, quòd non reperiatur in ipsis tanquam aliquid positiuum, seu tanquam aliquid integrale ipsarum: non autẽ quòd non sit tanquam in subiecto eo modo, quo explicauimus.

Bonū est causa materialis mali. D. Th. D. Aug. D. Io: Chrisost. D. Greg. Magn. D. Dion.

Quō bonū sit subiectum mali.

III. Quòd autem bonum sit subiectum, & causa materialis mali modo explicato, inde conuincitur, Quoniam malum, quod tribuitur rebus, non est mera negatio, sed se habet ad modum priuationis; de ratione autem priuationis est, vt connotet subiectum aptum ad formam, quam tollit, & propterea, cum malum consistat in priuatione alicuius bonitatis, necessariò connotat subiectum capax illius bonitatis, quam tollit. Quamobrem subiectum capax alicuius bonitatis veluti causa materialis continet in se malitiam, & illam veluti substentat in esse, siquidem nisi adnectatur subiecto, cessat esse priuatio. Hinc etiam malitia, & quælibet alia priuatio dicitur fundari in subiecto, quia ratione subiecti subsistit suo modo in esse. Accedit etiam, quòd malum formaliter consistit in defectu, quo res deficit ab aliqua bonitate sibi debita: defectus autem censetur esse in re, quæ deficit, neque extra illam excogitari potest. Neque tamen hinc sequitur, vt vnum oppositum sit in alio, quia malitia, quæ est in bono tanquam in subiecto, non opponitur cum illo bono, in quo est, sed solùm cum illo, quo priuat. Neque item sequitur, bonum esse formaliter malum, sed tantùm denominatiuè, quia ex eo, quòd habet malum, denominatur malum, non verò

fit formaliter malum, sicut substantia non fit formaliter accidens ex eo, quòd recipiat accidens.

Modus, quo malum causatur ex bono. IV. Circa verò efficientem causam iam patet ex dictis in sect. præcedenti, malum non habere causam efficientem, nisi per accidens, atque eam esse ipsum bonum: nunc autem explicare oportet, quomodo bonum sit causa per accidens mali. D. Th. D. Thom 1. part. quæst. 49. art. 1. & quæst. 1. de Malo. art. 3. tradit duplicem modum, quo malum causatur efficienter per accidens ex bono: alterum quidem fundatum in perfectione operantis; & alterum fundatum in imperfectione: Prior ita se habet: tendit aliquod agens ad producendum aliquem effectum, seu formam, & quia forma est incompossibilis cum alia, ideo sequitur eius corruptio: vnde si forma, quæ corrumpitur, sit in subiecto, cui connaturalis sit, sequitur per accidens malum in illo, vt cum ignis producendo calorem in aqua, corrumpit frigus; priuatur enim tunc subiectum aliqua perfectione, & bonitate sibi debita; id tamen per accidens est, quia ignis non intendit priuare aquam bonitate debita, sed solùm introducere calorem, ad quem tamen sequitur corruptio frigoris. Hic autem aduertere oportet; malum, quod hoc modo causatur, non posse esse in effectu, sed in aliqua alia re, quoniam agens ratione suę perfectionis commu nicat solummodo effectui bonitatem, non autem malitiam aliquam.

Alter Modus. V. Alter modus, quo malum per accidens ex bono causatur, fundatur in imperfectione agentis, ad quam reducitur omnis illa imperfectio, quæ ad operationem concurrit, vt imperfectio instrumentorum, condicionum, quę necessariæ sunt, vt appropinquatio, applicatio, atque aliæ huiusmodi, & etiã imperfectio illa, quæ se tenet ex parte subiecti, nec sinit operationem agentis recto modo procedere: & generaliter quicunque defectus eorum, quæ ad operationem concurrunt, & quæ tanquam præuia ad ipsam requiruntur. Hinc enim fit, vt operatio, atque consequenter effectus deficiat à sua debita perfectione, quia defectus eorum, quę concurrunt ad operationem, redundat in operationem, & effectum, & propterea cum operatio, & effectus ex natura sua deficere possint, interueniente aliquis defectus in ijs, quæ præuia sunt ad operationem, deficit etiam in aliquo operatio, & effectus, & ideo per accidens causatur malitia; quæ enim concurrunt ad operationem, tendunt de se ad perfectionem illius, atque effectus, & per accidens tantùm se habent ad defectum, qui impediuntur, ne in operando perfecto modo procedere possint: sic in monstris contingit defectus, quia ex parte materiæ non est debita dispositio, & deficit in congruenti pręparatione; sic scissio malè fit à fabro, quia deficit debita aptitudo in instrumento, & sic de cœteris eadem inductio fieri potest. Atque hic aduertere oportet cum D. T. citato ar. 3. quæst. 1 de Malo. Quòd hic posterior modus resoluitur in primum, ita vt in illo fundetur: nam imperfectio, siue debilitas, ratione cuius contingit defectus, aut mediatè, aut immediatè prouenit ab aliqua causa per accidens ratione perfectionis eiusdem; cum enim tendat ad aliquem effectum bonum per se intentum, aliquid interim corrumpit ex ijs, quæ prærequiruntur ad aliquam operationem, & ideo contingit aliqua imperfectio, siuè debilitas, quæ est causa, cur bonum per accidens producat malum. Sic quando in dispositione subiecti producitur aliqua dispositio nimis intensa, remittuntur aliæ, aut etiam aliqua corrumpitur, ex quo fit, quòd contingat aliquod malum in effectu ex defectu debiti temperamenti. Hic posterior modus causandi malum reducitur ad primũ

VI. Atque hic duplex modus reperitur in voluntate, quando est causa mali, siue moralis, siue etiam artificialis. Mouetur enim voluntas semper ab obiecto sub ratione boni, alioquin non posset allici. Verùm quia aliquando contingit, obiectum non esse simpliciter bonum, sed habere annexam aliquam rationem mali, ideo dum per se prosequitur bonum, est per accidens causa mali illius, quod est annexum tali bono; sic dum prosequitur delectabile, est causa peccati per accidens. Et quãuis per accidens sit causa peccati, imputatur tamen illi, quia tenetur aduertere, quando bonum habet adnexum malum morale, & illud fugere, cum debeat regulare suas operationes secundùm rectam rationem. Hinc autem sequitur etiam alter modus, quo est Vterque modus causandi malũ reperitur in voluntate

causa mali, quatenus scilicet est deficiens, seu ratione alicuius imperfectionis. Ad operationem enim voluntatis, tam in moralibus, quàm in quocunque alio genere præ requiritur in intellectu regula quædam, qua operatio dirigatur, vt test dictamen conscientiæ respectu operationum moralium, & idea artis respectu artificialium. Fieri autē potest, aut quòd non præexistat huiusmodi regula, aut si præexistit, non attendat homo, dum actu operatur, ad ipsam; aut si attendit, non ea vtatur ad regulandam operationem, quia nimirum trahatur ab aliquo alio obiecto, vt talem regulam relinquat.

Quomodo Deus sit mali causa. VII. Ex his autem deducitur, quo modo Deus possit malum causare. Cū enim Deus sit causa prima, & vniuersalis, cui notæ, & subordinatæ sunt omnes operationes causarum secundarum, nihil per accidens respectu ipsius causari potest; in tantum enim aliquid causatur per accidens, in quantum est præter intentionem causantis. Nihil autem, quod suo modo in rebus existat, est præter intentionem Dei, cum sit causa vniuersalis recognoscens omnes operationes causarum secundarum, & quicquid per ipsas in eodem vniuerso fit. Quia tamen adsunt in hoc ordine vniuersi aliqua mala, quæ à Deo fieri non possunt, vt est malum culpæ, idcirco ponitur in Deo duplex voluntas, positiua scilicet, qua positiuè aliquid intendit, & vult fieri: & alia permissiua, qua non vult aliquid fieri, sed tamen permittit, causam operari. Quod ergo spectat ad priorem modum causandi potest Deus esse causa duplicis mali, naturalis scilicet, & pœnalis, certum enim est. posse Deum in aliquo ente destruere aliquam ex ipsius perfectionibus tam accidentalibus, quam integralibus, & simul causare in ipso priuationem bonitatis; & hoc pacto erit causa in rebus mali naturalis. Et similiter potest infligere debitam pœnam, vt de facto infligit damnatis. & sic causat malum pœnæ in rebus. Atque causare huiusmodi malum spectat ad prouidentiam; prouidentia enim exigit, vt debita pœna delictis infligatur. Alterius autem mali, vt est morale malum, aut quodcunque aliud, quod in causa præsupponit aliquem defectum, Deus non est causa positiua, sed tantùm permissiua. Creauit enim Deus causas secundas, quæ in suis operationibus deficere possunt, siue naturales sint, siue morales, atque cum iuxta naturalem cursum ipsarum contingat, aliquam deficere, vel quia ab alia impeditur, vel ex alio capite, Deus permittit eam deficere, & hoc pacto permissiuo modo est causa mali. Si enim esset causa positiua, id argueret ex parte Dei aliquem defectum, qui ex parte ipsius se tenere non potest, cum sit summè sapiens, & omnipotens, atque adeò perfecto modo operetur. Illius autem mali, quod diximus causari ratione perfectionis, quæ est in operante, quia sequitur aliqua corruptio, potest esse causa positiua, vt docet etiam D. Thom. 1. par. quæst 49. artic. 2 nō autem mali quod arguit defectum in causante, & de hoc intelligunt Sancti Patres, quando dicunt, Deum non esse auctorem malorum. D. Th.

An, & quomodo malia habeat causa finalem. VIII. Quod verò spectat ad causam finalem. D. Thom. quæst. modo citata artic. 5. docet. Malum non habere causam finalem; quia potius est priuatio ordinis ad finem: & ita planè dicendum est, si consideremus secundùm se, quoniam cum nihil sit, non potest habere intrinsecum ordinem ad aliquem finem. Nihilominus tamen ordinatur à Deo tanquam à causa vniuersali in aliquem finem, vtitur enim ipso ad aliquod bonum; quod tamen ita intelligi debet, non quod malum formaliter sumptum ordinetur in aliquem finem, quia cum formaliter sumptum nihil sit, non potest deseruire alicui fini: sed debet intelligi de ente illo, quod est malum, ita vt quatenus fundat illam priuationem, quam dicit malitia, & quatenus est diminutum in sua bonitate, inseruiat Deo pro aliquo fine. Hoc autem Deus ideò præstat, quia cum sit causa vniuersalis, debet prouidere ordinem vniuersi, atque ordinare, quæ deordinata sunt. Et propterea D. August. in Enchirid. cap. 11 docet, Malum quoque in hac rerum vniuersitate benè ordinari, & suo loco poni; & postea subdit hæc verba. *Neque enim Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur, cui summa potestas, cum summè bonus sit, vllo*

mo-

modo ſineret, mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi vſque adeò eſſet omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malis.

De diuiſione malitiæ.

Diſp. LXXIX.

Expenditur diuiſio in malum pœnæ, & malum culpæ.

SECTIO I.

I. CVm malitia negatiuè ſiue priuatiuè opponatur bonitati, atq; priuatio cōſtituatur per ordinē ad formam, conſequenter tot gradus, in diuiſione malitiæ conſtituendi ſunt quot circa bonitatem deſignantur, quia vnaquæque ſpecies, & gradus bonitatis habet ſuam peculiarem malitiam oppoſitam. Vnde cum de diuiſione, & gradibus bonitatis ſupra ſpecialem diſputationem inſtituerimus de diuiſione, & gradibus malitiæ; nihil modo eſt dicendum, quia proportionaliter ad ea, quæ diximus de bonitate, philoſophandum eſt. Itaq; hic tantùm eam diuiſionem examinabimus, qua malum diuiditur in malum culpæ, & in malum pœnæ. Et quia dantur nonnulla mala, de quibus certum eſt, neque eſſe mala culpæ, neque mala pœnæ, ſtatim apparet, hanc diuiſionem non eſſe adæquatam, ſi ita accipiatur, vt per ipſam diuidatur malum in communi ſumptum. Itaque aduertendum eſt cum D. Thom. 1. par. quæſt. 48. artic. 5. Pœnam, & culpam non diuidere malum vt ſic in tota ſua latitudine, ſed ſolùm malum morale, ſeu malum rationalis creaturæ, quatenus morali modo, ſeu liberè operatur. Creatura enim rationalis, quatenus liberè operatur, ſubire poteſt aliquam ſpecialem rationem mali: habet enim quamdam regulam, qua tenetur regulare ſuas liberas operationes, in quo ſi deficiat, ſubit malum culpæ, quæ conſiſtit in defectu debitæ rectitudinis in operatione libera. Deinde quando ſic deficit, ſicuti redditur digna vituperio, ita etiam redditur digna punitione, & proinde ſi intuitu culpæ aliquid ei infligatur contra ipſius voluntatem, ſubit malum pœnæ. Ex quo colligitur, quòd quando aliquid afflictiuum, & quod ſit contra ipſorum appetitum infligitur brutis, ſeu contra ipſorum appetitum aliquo bono priuantur, non eſſe propriè malum pœnæ, quia non infligitur intuitu culpæ. Et ſimiliter etiam, cum quis ſe ipſum macerat ieiunijs, aut verberibus caſtigat, ſi id fiat intuitu culpæ, habet quidem rationem pœnæ, quam voluntariè ſubit. Verum ſi id fiat abſque intuitu culpæ, non habet rationem pœnæ propriè dictæ, quia deficit debita conditio, quòd ſit ex demerito culpæ, ſed ſolùm habet rationem cuiuſdam afflictionis, & ideo impropriè dicitur pœna. In præſenti autem diuiſione accipitur malū pœnæ propriè dictum, prout conuenit intuitu culpæ; nam ſi impropriè ſumeretur, conueniret creaturæ rationali non præcisè prout libero modo operatur, ſed etiam prout naturali modo ſe habet; morbus enim importat afflictationem contra appetitum, & tamen eſt quoddam malum naturale, non autem morale: & inſuper etiam pœna largo modò ſumpta conuenit etiam brutis, vt modò dicebamus.

Quodnā malū diuidatur per pœnam, & culpam. D. Th.

Quæ mala conuenit creaturæ liberè operanti.

II. Vt autem videamus, an rectè procedat diuiſio, prius inquirendum eſt, quid propriè de ſuo formali importet vtrumque malum. Tria autem ad pœnam tanquam eſſentialia requirit D. Th. Quæſt. 1. de Malo artic. 4. quorum primum eſt, vt habeat reſpectum ad culpam, quia nunquam quis dicitur puniri, niſi pro eo, quod commiſit. Quod etiam ex eo confirmat, quia homo non incurriſſet aliquod nocumentum, neque quò ad animam, neque quò ad corpus, neque quò ad exteriora, niſi peccaſſet, & proinde nullum incurriſſet malum pœnæ abſque peccato, neque etiam potuiſſet incurrere; quod ſatis manifeſtè indicat, ma-

In quo propriè conſiſtat pœna.

Pœna, eſt intuitu culpæ.

lum pœnæ ex intrinseco suo dicere ordinem ad malum culpæ. Consistit autem hic ordo in eo, quòd istud malum ponatur in eo, cui est malum intuitu alicuius culpæ. Secundum essentiale requisitum est, quòd sit contra appetitum voluntatis; nisi enim voluntas repugnanter se haberet, non haberet rationem mali, sed rationem boni, si quidem voluntas illud prosequeretur. Et præterea, cum debeat pœna importare priuationem boni, necessariò debet voluntas repugnanter se habere, quia cum inclinetur in proprium bonum, consequenter repugnanter se habet ad priuationem eiusdem boni. Verùm circa hanc conditionem aduertit D. Th. non esse necesse, vt malum istud, quod importatur per pœnam, sit contra voluntatem actualem, sed sufficere, si sit contra voluntatem habitualem, quia nimirum fieri potest, vt rationalis creatura subeat aliquam pœnam, nec tamen voluntas repugnanter se habeat, si videlicet ignoret, se subire talem pœnam: & proinde sufficit repugnantia habitualis, vt videlicet possit repugnanter se habere. Quin, vt aduertit idem D. Th. sufficit, si malum pœnæ sit contra naturalem inclinationem appetitus; fieri enim potest, vt quis aduertat, se pœnam subire, & non repugnet eo, quòd per rationem corrigat appetitum, vt cum quis voluntariè pœnam subit, adhuc tamen pœna illa est contra naturalem inclinationem appetitus. Tertia autem essentialis conditio est, quòd inferat aliquam passionem. Cum enim pœna sit contra naturalem inclinationem appetitus, atque ab extrinseco proueniat, fieri non potest, quin aliquam passionem inferat; appetitus enim natus est pati à suis contrarijs: & sicuti, quæ sunt secundùm ipsius inclinationem, inferunt delectationem ita quæ sunt contra eiusdem inclinationem, debent inferre passionem.

Est contra naturalē incl nationē appetitus.

Infert passionē.

III Culpa autem secundùm rationem suam non est contra appetitum voluntatis, imo vt secundùm propriam rationem saluetur, debet esse voluntaria; atque sicuti pœna est quædam priuatio boni contra voluntatem, ita culpa est quædam priuatio boni secundùm voluntatem facta in ipsa operatione, atque importat quoddam nocumentum eiusdem actionis, proueniens ab agente, quo priuatur sua debita rectitudine. Cum enim agens habeat dominium supra propriam operationem liberam, potest eam, quomodocunque voluerit, inflectere. Si ergo inflectit, vt deficiat à debito fine, & rectitudine, reddit illam culpabilem subtrahendo ab ipsa debitam pulchritudinem, atque bonitatem. Hinc D Thom. tum art. illo 4. Quæst. 1. de Malo, cum citata quæst. 48. 1. part. art. 5. adnotat triplex discrimen inter malum culpæ, & malum pœnæ; quorum primum est: quòd malum culpæ est malum ipsius operationis, priuat enim operationem sua debita bonitate: malum verò pœnæ est malum operantis, siquidem infligitur operāti pro commissione culpæ, & priuat ipsum operans aliqua bonitate, quæ ad ipsum spectat. Secundum discrimen est. Quòd culpa est secundùm voluntatem, quia creatura rationalis tanquam domina propriæ operationis illam deflectit à debita rectitudine, atque adeo voluntariè: Malum verò pœnæ est contra voluntatem, quia, vt diximus, est contra naturalem inclinationem. Tertium sequitur ex præcedenti, & est, quòd culpa consistit in agendo, quia attenditur penes operationem, quatenus deficit à debita rectitudine: pœna verò consistit in patiendo, quoniam infert passionem, cum sit contra voluntatem ab extrinseco principio.

In quo consistat malum culpæ.

IV. Cum ergo constet ex dictis, quidnam propriè importet malum pœnæ, atque malum culpæ, restat solùm declarare, quomodo diuisio ista mali, quod conuenit rationali creaturæ, quatenus libero modo operatur, sit sufficiens. Rationē sufficientiæ assignat D. Th. locis supra citatis ex duplici actu, qui distingui solet, nimirum primo, & secundo; ita vt actus primus importet formam, & quicquid spectat ad integritatem rei; actus verò secundus importet operationem. Quia autem malum consistit in quadam subtractione boni; vel bonum istud, quod subtrahitur, pertinet ad formam, vel ad ea, quæ sunt de integritate rei, seu ad actū primum; vel ad operationem, seu ad actum secundum. Si ad actum primum,

Ratio sufficientiæ huius diuisionis.

D. Th.

tunc

tunc malum est malum pœnæ; si ad actū secundum, tunc est malum culpæ.

V. Nonnullas tamen patitur difficultates: peccatum enim habituale est malum culpę, & tamen spectat ad actum primum, priuat enim gratia habituali, quæ per modum actus primi afficit animam. Similiter etiam peccatum originale est malum culpæ, & tamen non spectat ad actum secundum, sed ad actū primum, quia priuat originali iustitia, quæ non est bonitas operationis. Pręterea priuatio visionis beatificæ est malū pœnæ, quia subtrahitur in pœnā culpæ, & tamen est malum se tenens ex parte actus secundi, seu operationis: & similiter etiam aliquando noua culpa est pœna præcedentis peccati, quia permittitur à Deo pro punitione illius. Propter has autem difficultates, Valentia tom. 1. disp 3. quæst. 5. puncto 4. existimat D. Th. noluisse assignare veram rationem sufficientiæ, sed tantùm intendisse ponere quædam exempla, in quibus ratio vtriusque mali reperiretur, nam in defectu eorum, quæ pertinent ad actum primum, & spectāt ad perfectionem naturæ rationalis, clarius apparet malum pœnæ, quàm in defectu eorum, quæ spectant ad operationem; & similiter malum culpæ clarius apparet in defectu operationis, quàm in defectu eorum, quæ spectant ad actū primum.

Difficultates contra allatam rationem.

Resp. Valent.

VII. Verùm si rectè accipiatur doctrina tradita à D.Th. reperiemus continere veram rationem sufficientiæ, & consideranti tex. D. Th. manifestum fiet, velle illā assignare; nā & in titulo articuli inquirit, an malū sufficienter diuidatur per malū pœnæ, & malū culpæ, & postea declarat, diuisionem istam esse accipiendam de malo rationalis creaturæ, & ita procedit, vt ostendat, omne malum rationalis creaturę reduci ad alterum ex his duobus ex eo, quòd spectat vel ad actum primum, vel ad actum secundum; & concludit postea his verbis; *Sic igitur omne malum in rebus voluntarijs consideratum est pœna, vel culpa.* Et quamuis obiectiones contra ipsam procedentes Theologicæ sint, non erit tamen difficile ijs satisfacere, si recta explicatio adhibeatur. Per malum ergo, quod spectat ad actum primum, intelligit D. Th. malum, quod afficit ipsum agens in se, vt se explicat in responsione ad 4. eiusdem ar. 5. citatæ quæst. 1. par. & hoc vocat malum pœnæ, vt pote quia est intruitu culpæ, & contra inclinationem naturalem voluntatis. Ad huiusmodi autem malum reducitur omne illud malum, quod prouenit ab extrinseco principio. Per malum autem culpæ intelligit illud, quod afficit agens ratione actionis. Non censetur autem afficere agens in seipso, quia, non est contra inclinationem appetitus, neque ab extrinseco principio, sed voluntarium, & ab intrinseco proueniens, & ideo non infert agenti aliquam passionem.

Quo accipienda ratio sufficientiæ D. Th.

VIII. Si igitur malum pœnæ, & malum culpæ in sensu explicato accipiatur, facile erit difficultatibus in oppositum satisfacere. Nam quod spectat ad peccatum habituale, si consideretur, quatenus importat priuationem physicam gratię habitualis, quę est quędam perfectio, & pulchritudo animæ, certè est malum quoddam contra inclinationē appetitus, quia volūtas nō potest non amare proprium bonum, & fugere priuationem eiusdem; & ideo hoc pacto habet rationem pœnæ, nam in pœnam culpæ, quæ actualiter committitur, subtrahitur ab anima pulcritudo illa, quæ per gratiam importatur: non enim actualis culpa est formalis subtractio gratiæ habitualis, sed ex eo, quòd quis peccat subtrahit Deus gratiam habitualem. Quia autem peccatum habituale in tantum est culpa, in quantum dicit priuationem in ordine ad actuale peccatum, ratione cuius est voluntarium, ita vt si careret tali ordine, non esset hæc priuatio peccatum, vt si esset à solo Deo, ideo malum, quod dicit in ratione culpæ, reducitur ad actum secundum, quia adhuc est malum, quod non prouenit ab extrinseco, sed afficit agens ratione actionis, quia afficit cum ordine ad ipsam, & voluntario modo se habet, quatenus perseuerat ratione actus præteriti non retractati. Et eodem modo est philosophandum etiam de peccato originali, nam ipsum quoque, vt dicit rationem maculæ, est voluntarium voluntate interpretatiua, quatenus omnium voluntates censentur sequi motum primi capitis, in cuius voluntate omnes continentia morali virtualiter continebantur, vt fusius suo loco dicemus.

Ad quod nam malum reducatur peccatū habituale, & originale.

IX. Quod autem spectat ad aliam difficultatē de priuatione visionis beatæ, & aliarum similium operationum, quæ subtrahuntur in pœnam peccati, sic re oportet, quòd quando subtractio operationum habet rationem pœnæ, debet considerari, non vt est quoddam malum operationum, quia cum totaliter subtrahuntur, non potest dari aliquod malum ipsarum, cum non possint esse subiectum priuationis, quæ ab ipsis auferat aliquam bonitatem. Sed debet considerari, vt est malum quoddam ipsius agentis: & tunc afficit agens in seipso, non autem operationem, atque est contra voluntatem ipsius, & prouenit ab extrinseco principio, & infert passionem. Hoc autem pacto spectat ad actum primum, quia subtrahit aliquid eorum, quibus agens perficitur, & conuenienti modo se habet in seipso; debet enim per actum primum intelligi quicquid spectat ad commodum, & perfectionem creaturæ rationalis. Circa autem permissionem peccati sciendum est, quòd permissio peccati fit per subtractionem aliquorum auxiliorum, quæ si exhiberentur, non sequeretur peccatum; huiusmodi autem auxilia, cum dentur propter operationem, spectant ad principium operandi, atque adeo ad actum primum: vnde permissio peccati, quatenus est pœna alterius peccati, priuat aliquo bono, quod spectat ad actum primum, non verò ad actum secundum: non enim in hoc casu pœna peccati est ipsum peccatum formaliter, sed tantùm consecutiuè.

Quo subtractio operationis sit malum spectans ad actū primum.

Quomodo etiam permissio peccati.

X. Alio quoque modo explicari potest ratio sufficientiæ huius diuisionis, ita vt ad contradictoria membra deducatur. Pro quo sciendum est, creaturam rationalem, ita ex natura esse institutam, vt dum operatur, debeat per suas operationes tendere in suum vltimum finem, & permanere in debito ordine, in quo posita est, quia tamen defectibilis est, & est domina suarum operationum, ideo permittente Deo defectum, deficit aliquando ex libertate sua ab vltimo fine, quia liberè auertit se ab ipso, & ad alium indebitum finem se conuertit. Hoc autem est quoddam malum, quia aufert debitum finem, & debitum ordinem eiusdem creaturæ. Malum ergo, quod contingit rationali creaturæ, quatenus libero modo operatur, vel auertit ipsam ab vltimo fine; vel non auertit, sed perducit. Hæc enim contradictoria sunt, quæ cadunt supra creaturam, quatenus libero modo operatur, & de ipsius operationibus liberis prædicantur, vnde necessariò alterum ipsorum ipsi conuenit ratione operationis liberæ; & si non auertit, debet conuertere, & reducere, quia quicquid non est extra ordinem ad vltimum finem, est intra ordinem ad ipsum, cum in tantum aliquid non ordinetur, in quantum auertitur ab ipso, quia omnia ex natura sua ad ipsum ordinantur; vnde in tantum deficiunt ab ordine, in quantum voluntariè auertuntur. Si ergo malum creaturæ rationalis illam auertit ab vltimo fine, est malum culpæ, quia non per aliud, quàm per culpam auertitur. Et quamuis culpa venialis positiuè non auertat ab vltimo fine, auertit tamen negatiuè, quatenus ad ipsum non conducit; vnde auersio accipienda est pro quacunque negatione perductionis ad ipsum. Si verò non auertit, sed perducit, non potest esse aliud, quàm malum pœnæ; quia pœna reducit in ordinem creaturam deordinatam per culpam, dum facit, vt in ipsa exerceatur iustitia punitiua, qua mediante acquirit creatura debitum ordinem. Et hoc pacto omne malum, quod conuenit creaturæ ratione operationis liberæ, est malum culpæ, aut pœnæ: sicuti enim operatio libera creaturæ est in ordine ad suum vltimum finem, ita etiam respectu vltimi finis debet desumi totum malum, quod ipsi conuenit ratione operationis liberæ.

Alia ratio sufficientiæ allatæ diuisionis.

Quomodo se adinuicem habeant malum pœna, & culpa.

SECTIO II.

I. Restat nunc hæc duo mala inuicem comparare, & videre, quomodo adinuicem se habeant, & quam habitudinem seruent. Hoc autem certum debet esse, non

posse hæc duo mala se habere tanquam membra diuidentia, quæ diuidant rationem aliquam communem mali, nempe malum rationalis creaturæ, quatenus libero modo operatur, & constituant diuersas species propriè dictas. Cum enim malum pœnæ sit essentialiter intuitu mali culpæ, ita vt propter culpam infligatur, atque adeò ex natura sua supponat culpam præexistentem, non potest habere rationem differentiæ diuisiuæ rationis communis simul cum malo culpæ. De ratione enim differentiarum, quæ diuidunt aliquam rationem communem, est, vt sint simul natura, & simul eidem rationi communi adueniant, ita vt vna non supponat alteram ob aliquam subordinationem; quomodo enim diuiderent, si inuicem subordinarentur? Vnde cum hæc non conueniant pœnæ, & culpæ, vt tales sunt, neque etiam possunt esse differentiæ constituentes species propriè dictas. Solùm ergo erunt diuersi gradus mali inuicem tamen subordinati, quorum vnus fundetur in alio.

Malum pœnæ, & culpæ nõ se habẽt tanquam species, sed tanquam gradus quidam.

II. Solùm dubitari potest comparando hæc duo mala inter se, quodnam ex illis maius sit. Quam difficultatem tractat D. Th. 1. par. quæst. 48. ar. 6. & quæst. 1 de malo ar. 5. & respondet absolutè; Maius malum esse culpam, quàm pœnam accipiendo pœnam in tota sua vniuersalitate, prout comprehendit quodcunque malum inflictum intuitu culpæ, & consentiunt omnes interpretes ibidem. Et ita sanè dicendum est. Optima autem, & fundamentalis ratio desumitur ex natura priuationum, quas important. Cum enim malum mensuretur ex bono, quo priuat, illud maius malum est, quod priuat maiori bono. Maiori autem bono priuat culpa, quàm pœna; culpa enim priuat summo bono, vnde non restat maius bonum, quod per aliud malum tolli possit. Quod autem culpa priuet summo bono, inde patet, quia creatura rationalis ordinatur ad summum bonum, quod possidere potest tanquam suum vltimum finem: culpa autem auertit creaturam ab hoc summo bono, & tollit ordinem, quo ad ipsum transmittitur; & hoc pacto priuat ipsam suo beatificatiuo.

Maius malũ culpa quàm pœna.

Culpa est maius omnium maximum.

III. Sed dices, pœnam quoque priuare creaturam summo bono, nam priuat visione beatifica, qua possideret summum bonum; vnde maius malum videtur pœna, quia priuat summo bono clarè viso. Huic obiectioni respondet Bannes 1. par. quæst. 48. artic. 6. Creaturam tendere in Deum duplici amore, nimirum amore amicitiæ, & amore concupiscentiæ. Amore amicitiæ amat Deum propter ipsum Deum, & prout est summum bonum in se: amore verò concupiscentiæ amat Deum propter seipsam, & prout est bonus sibi, seu amat Deum propter vtilitatem propriam. Amor autem amicitiæ nobilior est amore concupiscentiæ, atque adeo etiam obiectum ipsius, quia obiectum est quoddam bonum infinitum in se: amor verò concupiscentiæ tendit in Deum, prout est participabilis à creatura per gratiam, & gloriam; atque adeo habet pro obiecto Deum, prout est finito modo participabilis. Cum ergo culpa priuet Deo in ordine ad priorem amorem, & pœna in ordine ad posteriorem, priuat etiam maiori bono.

Obiectio

Respõsio Bannes

Duplex amor creaturæ erga Deum Amicitiæ & concupiscentiæ

IV. Hæc tamen responsio, licet subtilis, non satisfacit, nam pœna quoque priuat amore amicitiæ, cum enim priuet creaturam rationalem possessione vltimi finis, atque clara Dei visione, consequenter priuat etiam illo amore, qui consequitur ad visionem beatam; ad visionem autem beatam non solùm consequitur amor concupiscentiæ, sed etiam amicitiæ. Cum enim cognoscat Deum infinitum bonum, & esse propter se ipsum amabilem, atque in ipsum omnia reducenda esse vt in vltimum finem, consequenter amat Deum propter seipsum, & omnia reducit in ipsum vt in vltimum finem, & amat omne suum bonum propter ipsum Deum; si quidem ratio amandi proprium bonum est ipse Deus tanquam vltimus finis, in quem omnis amor resoluitur. Similiter etiam culpa priuat creaturam rationalem vtroque amore; auertit enim ab vltimo fine; vnde neque amat Deum, vt in se bonus est, neque etiam vt bonus sibi,

Reijcitur

Quo amore pœna priuet dānatũ erga Deum.

quia

quia auertit ſe ab aſſecutione illius, ita vt priuetur Deo, vt ſibi ipſi participabili per gratiam, & gloriam, & ideo qnantum eſt ex hoc capite eadem eſt ratio de pœna, & culpa.

V. Reſpondendum itaque eſt; culpam auertere creaturam rationalem à Deo vt ab vltimo fine, atque bono infinito. Cum enim creatura debeat per ſuas operationes tendere in ſuum vltimum finem, vt tandem ipſum aſſequatur, per culpam peruertit hunc ordinem, atque ab ipſo auertitur. Hinc autem fit, vt quantum eſt ex vi culpæ ſimpliciter priuata maneat vltimo fine, atque adeo bono infinito, nec eſt ei debita clara viſio, & poſſeſſio eiuſdem. Quia tamen hoc eſt contra voluntatem ipſius, & in pœnam eiuſdem culpæ non admittitur ad claram viſionem Dei, ideo hoc priuari vltimo fine tranſit etiam in rationem pœnæ; ſimpliciter tamen habetnr ratione culpæ, quia prius culpa priuat. Itaque duo diſtinguenda ſunt, & tendentia in vltimum finem abſoluto modo conſiderata; & quod ſit tali modo, nempe per viſionem claram ipſius. Culpa priuat abſoluta tendentia, quia abſolutè tollit ordinem ad ipſum; pœna verò facit, vt priuatio iam habita ratione culpæ habeat etiam rationem pœnæ: vnde pœna præciſe loquendo priuat ſecundùm quid, non ſimpliciter, & ideo eſt minus malnm, quàm culpa.

An pœna priuet ſummo bono.

VI. Occurrit autem altera obiectio contra eamdem rationem de peccato veniali. Peccatum etenim veniale habet rationem culpæ, & tamen non priuat ſummo bono, cum per ipſum creatura non reddatur indigna clara viſione Dei; non ergo culpa ex genere ſuo eſt maius malum, quàm pœna. Præterea peccatum veniale ſtat ſimul cnm charitate, & gratia, vnde non tollit ordinem ad vltimum finem. Sed reſpondetur: Peccatum quoque veniale priuare aliquo modo ſummo bono, atque ordine ad ipſum. Duplici enim modo poteſt contingere hæc priuatio: vel totaliter, ita vt omnino tollat ordinem, quod tunc contingit, quando creatura relicto Deo ad alium finem poſitiuè ſe conuertit: alia verò eſt priuatio veluti partialis, qua quidem creatura non ſe auertit à Deo, poſitiuè ſe conuertendo ad alium finem, ſed tamen non tendit in ipſum. Vtraque autem eſt priuatio ſummi boni, & ordinis ad vltimum finem, quia vtraque tollit tendentiam ad ipſum. Et ſicut ſi quis ambulans tenderet ad aliquem terminum, ſiue retrocederet, & ad alium terminum ſe conuerteret, ſiuè etiam ſolùm ceſſaret ab ambulatione, diceretur non tendere in præfixum terminnm, atque adeo priuari tendentia ad ipſum, ita dum quis ceſſat tendere in ſuum vltimum finem, priuatur tendentia, & ordine ad ipſum, atque adeo ipſo fine. Peccatum ergo veniale hoc poſteriori modo priuat creaturam tendentia in vltimum finem. Vnde D. Auguſt. lib. 1. de Chriſtian. Doctr. cap. 3. explicans hunc duplicem modum priuationis inquit. *Nos verò, qui fruimur, & vtimur inter vtraſque conſtituit* (ſcilicet res vtendas, & fruendas) *ſi eis, quibus vtendum eſt frui voluerimus, impeditur curſus noſter, & aliquando etiam deflectitur, vt ab his rebus, quibus fruendum eſt, obtinendis, vel retardemur, vel etiam reuocemur inferiorum amore prepediti*. Per deflexionem enim, & reuocationem intelligit priorem modum priuationis; poſteriorem verò per impeditionem, & retardationem. Cum ergo cnlpa venialis modo explicato priuet ſummo bono, eſt adhuc maius malum, quàm pœna, quamnis habitualem charitatem non excludat, nec tollat omnino ordinem ad Deum.

Alia obiectio

An peccatum veniale priuet ordine ad Deum & ſummo bono.

D. Aug

VII. Addi etiam poſſunt nonullæ aliæ confirmationes, quibus vtitur D Thom locis ſupracitatis. Et prima quidem eſt, quòd quando duo mala ita inter ſe comparantur, vt vnū exigatur ob alind vitandum, certè quod eligitur eſt minus malum, quia cum voluntas tendat ex natura ſua in bonnm, oportet, vt quando eligit aliquod malum, habeat rationem boni; & propterea, quando eligit malum in comparatione alterius, quod eligitur, minus eſſe debet, quia minus malum in comparatione maioris cenſetur habere rationem boni, ſic cum infirmus eligit medicinam ad expellendum morbum,

Malum, quod in comparatione alterius eligitur, eſt minus ipſo.

bum, potionem amaram existimat minus malum, quàm morbum, & cum etiam eligit sibi præscindi manum, ob conseruationem corporis, existimat minus malum præcisionem manus, quàm destructionem vitæ. Deus autem, qui est infinita sapientia in comparatione culpæ eligit pœnam, & vt culpa vitetur, proponit pœnam, cum ergo in electione non possit errare, concludendum est, pœnam esse minus malum, quàm culpam.

Malum culpæ absolute malu nō ante malū pœna.

VIII. Præterea Malum culpæ est malum absolutè, & simpliciter in se ipso; malum autem pœnæ non est absolutè, & simpliciter malum, sed tantùm secundùm quid, nempe respectu alterius; vnde in seipso est quoddam bonum. Ex quo fit, quòd malum culpæ peruertat ordinem vniuersi, quantum est ex parte sua, tanquam defectus quidam ab ordine; malum autem pœnæ non solùm non peruertit, sed inducit, quia quod est inordinatum per culpam, reducitur in ordinem per pœnam: & proinde quamuis pœna sit malum alicuius particularis, est tamen bonum quoddam vniuersi. Atque hinc sequitur, quòd malum pœnæ possit esse à Deo, vt de facto est, quia in se est quoddam bonum, & spectat ad ordinem vniuersi; malum verò culpæ non possit esse. Vnde, cum malum culpæ non possit esse à Deo, fatendum est, ita elongari ab ipso, vt nullam participet rationem bonitatis, quia si aliquam participaret, posset ratione illius esse à Deo, vt est malum pœnæ ratione bonitatis, quam dicit. Quis autem non videt, illud esse maius malum, quod magis elongatur à Deo, & nullam participat rationem bonitatis, quàm illud, quod minus elongatur, & participat aliquam rationem bonitatis? Atque hinc est, quòd cum, malum culpæ sit in se formaliter malum, facit subiectum malum: malum autem pœnæ non facit; quia non est in se formaliter malum: quis autem neget, habere maiorem rationem mali id, quod facit subiectum malum, quàm id, quod non facit? Vnde D. Dionys. cap. 4. de Diuinis nominib. inquit; Puniri non est malum, sed fieri pœna dignum. Atque hæc de tota entis bonitate, eiusque opposito, nempe malitia. Plura alia circa malitiam essent explicanda, sed quia non sunt materiæ metaphysicæ, ea relinquimus. & huic secundæ parti metaphysicarum disputationum finem imponimus, omnia, quæ diximus, S. R. Ecclesiæ subijcientes, atque quicquid in ijs boni, diuino muneri adscribentes.

Malū cui pæ. reddit subiectū malū non autē malum pœnæ.

D. Dion.

F I N I S.



INDEX RERVM

E primo numero habetur Disputatio, è secundo Sectio, è tertio eiusdem Sectionis numerus.

ae.

Quo

Di-

Mathematica.

Mensura.

Modus.

Modus dicendi.

Modus. Species. Ordo.

Motor primus.

Multiplicabilitas. Multiplicatio.

Multitudo.

Multum.

Mundus.

Mutatio.

N

Natura.

Natura secundùm se.

Naturæ status.

Naturæ status absolutus.

Quam

Natu-

munt-

Quid

stra-

Qua

F I N I S.

REGESTVM.

a *b*

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sff Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sfff Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz.

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg Hhhhh Iiiii.

Omnes sunt Duerniones, præter *b*, quæ est Ternio.

R O M AE,
Apud Franciſcum Caballum.
M· DC· X X X V I·
S V P E R I O R V M   P E R M I S S V.

1002967